HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS

PHILOSOPHI AC MEDICI

CELEBERRIMI

OPERVM

TOMVS OCTAVVS;

QVI EST

MEDICINALIVM TERTIVS.

CONTENTORVM HVIVS TOMI SERIEM
Index Titulorum exhibet.

EDITIO VT CÆTERIS ELEGANTIOR ITA ET ACCVRATIOR.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX

Librorum & Tractatuum, Tomi Octaui.

HIERONY



HIERONYMI CARDANI, IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE AERE, AQVIS, ET LOCIS, Commentarij.

LIBER PRIMVS.

LECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.



IBRVM hunc genuinum, atque legitimũ Hippocr. esse Galenus exactus, & acris censor illius librorum æstimator, docet in tertio de difficultate spirandi (capit. 1. & 9.) Et in tertia Aphorismorum sæpius, & in procemio primi Epidemiorum (comment. 8. 11. 13. 14.) & denique toties vt pigeat referre. Ipsa quoque Phrasis hoc docet, vt ambigendum minimè sit. Sed eoúsque dictum sit, non solum fuisse germanum Hippocratis librum, sed inter suos quoque præclarissimum, vt mox ostendemus, quamuis vt pleraque alia illustria opera hominum subiecta fortunæ casibus, primùm Galeni, & cuiusvis alterius antiqui explanatoris beneficio amissis commentariis temporum iniuria caret: inde etiam mutilatus ad nos peruenerat. Verum Sani Cornarij de litteris Latinis æquè ac de Græcis authoribus benemeriti diligentia restitutus est pristinæ integritati. Nonnihil etiam ad lucidiorem sensum aditus opera vtraque, & interpretationis, & explanationis Adriani Alemani Sorcenois, qui & librum illius de Flatibus exposuit, medici non vulgaris, ac Lutetiæ professoris, cui extant vulgata in hunc librum Commentaria, quæ etiam apud vnumquemque vestrûm cupio esse, consulendo facilitati si cui nostra grauiora aut difficiliora nuper initiatis videbuntur. Porrò quòd obtimum librum delegerimus, id nunc docere iam expedit: neque vtilitate quisquam præstantior, neque splendore sermonis aut materiæ nobilitate quisquis dignior: neque ad ardua aditum magis liber vllus patefaciet. Cum enim vniuersa medicina in tres partes diuidatur: scientiam quæ ad naturalia pertinet, cognitionem, quæ ad ea quæ contra naturam sunt expendenda, necessaria est, & operationem qua naturalia ipsa ad suum statum reuocantur: quæso quænam ars, quinam liber tam exactè omnia hæc præstare possit? Quod si generalia, si omnibus necessaria singulis præstant, si publica priuatis, quænam doctrina huic comparari potest? At, si licet egredi medicinæ cancellos, si septa huiusmodi, & ad alias peregrinari scientias, quænam pars totius medicinæ inter alias, quisquam author inter authores, aut quisnam liber inter libros Hippocratis huic comparari potest? Philosophari volumus, quis rogo melior Philosophus Hippocrate est, dicebat Galenus in primo de Facultatibus naturalibus (cap. 13.) tum alibi sæpius ac maiore etiam cum laude repetit, vt ipsum præponat omnibus aliis Philosophis? Si loca, regiones, situs, mores gentium quis optat scire, à quo verius aut diligentius hoc authore? Plura quidem Strabo sed plena mendaciis, vt illa fidem veris etiam derogent. Si de cœlestibus tractandum sit, & hic liber

liber maximè vtilis eſt. Vt demum omnibus cum profutura ſit lectio huius libri tum præcipuè tamen Medicis, Philoſophis, Geographis atque Aſtrologis vtiliſſima ſit. Neque hæc ille ex auditu ſed quemadmodum in libro de Lege medicos inſtruit. (In fine) vt per vrbes perambulent, vt videant & experiantur diuerſa. Iam quod ad vtilitatem attinet genus vnum eſt ſcire, & ad animi bona pertinet: Scire igitur qui homines, qui mores, quæ forma illorum, quæ temperies corporum vbique gentium ſit, optimum eſt. Etenim id tanto pulchrius, quandoquidem hoc per ſe laudabile ſit: ſcire autem cauſas etiam laudabilius. Ad corporum autem curationem atque incolumitatem, quid vtilius eſſe poteſt quàm vt dici ſolet.

—*Venienti occurite morbo.*

Præuiſis morbis non ſolum qui familiares ſunt regioni, & tempori, ſed etiam qui ex propria illius loci, & eiuſdem anni conſtitutione ſucceſſuri ſunt quod penè diuinum haberi poteſt. Etſi in tertia Aphoriſmorum ea duntaxat docuiſſe, nec cauſam reddidiſſe, prorſus admirabile eſt, atque in tanto, pretio habitum tum etiam in Epidemiis atque generaliter, vt ita dicam, diuinus eſt habitus qui ex temporum ratione diuinandi, & præcognoſcendi corporum morbos nactus eſt, quid quæſo dicendum vbi rationes velut hic redduntur, tum maximè quod etiam in curandis morbis tres cum ſumantur indicationes principales, vna eſt earum quæ ab aëris ſtatu ſumitur, vt nono Methodi Galenus docet (capite decimoquarto) non contentus hoc dixiſſe ſemel, ſed ſæpius repetiſſe optimum ac neceſſarium eſſe duxit, ſeu ergo ſecanda vena ſit, ſeu medicamentum dandum, quid magis habet præ oculis in inſtitutione ad Glauconem, & in libello quos & quando purgare oporteat (libro primo, capite decimoquarto) Sicut & de victus ratione ordinanda, vt prima Aphoriſmorum Galenus idem docet. (Com. 15. in princ.) Et vt meritò illud de ipſo authore dictum ſit.

Illic aſtra vicéſque anni, diſcrimina terræ
Inſpicit Hippocrates, cunctiſque declarat eorum.
Decretum, incolumes firmans, armánſque caducos.
Contra aëris cœlique minas, ſuperûmque furorem.

Quantum ideo decoris inter mortales, quantum honoris apud populos, ac dignitates apud Principes conſequatur, qui talia prædicere potuerit? nec deerunt Thaletis exemplo amplæ opes huiuſmodi nati, quem ſolum beatum futurum inter homines dicere licebit. Sed iam de huius libri ordine aliqua dicere propoſuimus. Id verò commodè ſi quaſi per ocium ſingulos huius authoris libros quo ordine legi debeant, edocuero.

Conſtat enim primùm Hippocratem ſcripſiſſe, vt Suidas author eſt, Hexeconda biblus præter iuſiurandum, Prædictiones & Aphoriſmos, qui nullo in genere argumenti illorum continentur. Primus ergo liber eſt Iuſiurandum, quod non pertinet neque ad medicinam nec per ſe, nec conſequentia vlla, ſed ad officium boni viri tantum, vt tamen medicus eſt: ita Aphoriſmi extra aleam medicinæ ſunt, quoniam nullo in peculiari argumento conſiſtunt. Amplectuntur enim diuinationem, actionem, contemplationem, exteriores atque interiores morbos, lethales & ſanabiles, proprios & generales, ſeu qui toti corpori conueniunt, ſanas præterea & ægros. Diuinatio ad aliam artem pertinere viſa eſt, pluribus antiquorum non ad medicinam, aut ſaltem medicinæ pars quædam peculiaris eſt ab aliis prorſus adiuncta, non vt reliquæ ſaltem in alias ordinata. Ergo vt ad inſtitutum reuertar diuiditur totum opus in nouem ebdomades, in quarum prima omiſſo iuramento ordinatim accipiantur, liber de Lege, de Arte, de Veteri medicina, de Medio, de Decenti ornatu, demum Præcepta, qui omnes libri ad medicum pertinent, vt tamen conſequentia quædam etiam medicinæ conueniant, deficiente vno ad ſeptenarium.

Sequitur ſecunda ebdemas de principiis ſubiecti medicinæ, de Humana natura, de Genitura, de Septimeſtri partu: Quartus eſt de ebdemadibus qui interiit, qui tamen ordine doctrinæ librum etiam præcedit de Septimeſtri partu, inde omnino ſequitur liber de Octimeſtri partu, poſt de Superfœtatione, vltimò de Exectione fœtus. Sed debet collocari ſub hoc nomine: De Ortu infantis.

In tertia quæ eſt de partibus ſubiectæ medicinæ ſunt de Oſſibus ſeu Mochlicus, de Glandulis, de Corde tum de exectione corporum, de Neruis & Arteriis qui non habetur: libros autem de Carnibus & de ſpiritu ſcripſiſſe crediderim, ſed qui habentur germani illius minimè ſunt, ſed antiqui tamen & celebris viri.

Quarta ebdemas ad cognitionem morborum, & prædictionem generalem pertinet, de Locis in homine, & liber præſens, tum de Somniis, de Humoribus, de Morbo ſacro, & Epidemiorum.

Quinta eſt de propria in morbis præcognitione. Prædictionum ſecundus. De morbis primus, De Iudiciis, tum diebus iudicatoriis, Prænotiones Coacæ Prædictiones.

In ſexta autem conſtituunrur etiam libri ſinguli, qui ad rationem victus ſpectant, de Alimento, *De Diæta ſecundus, de Victu in acutis*, de Humidorum vſu, de Cura ſingulorum acutorum morborum.

Septima ebdemas eſt curationis generalis liber de internis affectionibus, de Natura muliebri, de Morbis mulierum, de Morbis virginum, de Sterilibus, de Viſu, de Dentibus. Hic nihil deficit, vt neque in ſequenti quæ tota ad manuum operationem pertinet.

Octaua Chirurgiæ officina, de Fracturis, de Articulis, de Vlceribus, de Fiſtulis, de Capitis vulneribus, de hæmorrhoidibus.

In nona quæ fuit varij argumenti, aut alieni quatuor deſiderantur, tres tantum ſuperſunt Aphoriſmi, prænotiones, iuramentum, adeo vt in vniuerſum deficiant libri ſexdecim, vt relinquantur quadraginta ſeptem, nec hi prorſus puri, ſed vbique aliæ addita, alia detracta vel immutata, vt penè ſolus hic ad nos ſyncerus peruenerit: quod accidit

quoniam

quoniam satis magnus fuit inter Hippocr. lib.pulcher, & ordinatus continuaque oratione conscriptus, vt etiam si non tantus esset ob integritatem omnibus aliis esset præferendus. De via non litigabo, cum tamen Hippocrates non videatur inisse eam rationem quam Galenus omnino probat, sed vt sit resolutiuà certè compositiuæ permista conscriptus, vt cæteri libri qui plenè aliquid docent, quanquam & illa diuisio artium sit, hic autem Hippocrates scientiam docet cum in nullo actu constet, nec facere quidquam doceat, vt etiam sit scientia contemplatrix.

Demonstrationis genus est, à causa ad effectum, simplicissimus ac nobilissimus, aut saltem propter quid dici potest si ad totam scientiam referatur. Sunt enim demonstrationes simpliciter perfectæ, vt in mathematicis primis, quædam simpliciter imperfectæ, vt in mathematicis subiectis: licet postremæ in Astrologia optica, Musica videntur simpliciter perfectæ demonstrationes. Primæ autem manifestæ sunt ab effectu supra causam.

De subiecto dicemus vbi de nomine libri agetur. Diuisio autem est in quatuor partes iuxta Alemanum, in prima agit de locis in generali, in secunda de Aquis (cæterum de Aquis) in tertià de Temporibus, ibi (cæterum de Annis hoc modo) quarta agit de regionibus vt Asia, & Europa, & vt ad cœlum sitæ sunt, ac iuxta leges ibi (volo autem & de Asia.) Aliter diuisus est à Hieronymo Donzelino in capita duodecim, primum continet procemium, secundum de situ vrbium ac ventis, tertium, quartum & quintum de Aquis, in tertio de ortis scilicet à terra, in quarto de descendentibus à cœlo, in quinto de noxa aquarum malarum, in sexto de temporibus, in septimo de regionibus Africæ, in octauo, & nono de Asiæ populis, in decimo & vnde cimo de Scythis, in duodecimo de Europeis.

LECTIO II.

Super titulo.

Hippocratis liber De Aëre, Aquis & Locis.

GAlenus libro De libris propriis suo solito more inscriptionem antiquam huius libri sic mutasse testatur, Hippocratis. *De Habitationibus, Aquis, Temporibus, & Regionibus* (cap. sexto) Quod etsi melior esset parum tamen profutura est huiusmodi mutatio, nisi quis existimet in titulo libri cuiuscunque omnia quæ in illo tractantur explicari debere. Vt ergo videamus, si quid in antiqua desit, primum proponamus ea in quibus conueniunt: conueniunt sanè in Aquis, locos posuit pro regionibus, loci generalius habent significatum quàm regio, hanc stabilitatem velle sequi in scriptis sapientissimi viri iudicio maximè illius, & præcipuè nullius causa, nisi vt eum accusemus, penè impium nedum absurdum esse puto. Cum tamen ibi etiam magis de locis quàm regionibus agat. Inquit enim (lib.4.tex.24.) Vbi autem non in sua potestate viuunt homines neque sui iuris sunt, sed dominis parent, ibi non multum curiosi sunt: hoc autem non regiones distinguit, sed locos potius: Et inde clarius cum subiicit (Tex.27.) Quicunque in Asia Græci itémque Barbari dominis non subsunt, vt non Paphlagones, à Phrygibus àut Cilicis distinguat sed iusta loca: Et ita si proprietatem in titulo sequi voluerimus, neque de locis, neque regionibus, sed Gentibus titulum instituere oportebat. Hoc tamen commodi inest in Galeni descriptione, quòd singularum partium ordinem ex titulo, quo deinceps ab Hippocrate tractantur cognoscere licet. Velut quod primo agat de Habitationibus, vbi etiam de Ventis, in secunda parte de Aquis & ità de aliis: missa igitur hæc faciamus, & discrimen quæramus: Hippocrates inscribit de Aëre, Galenus loco huius de Habitationibus & Temporibus posuit: Plura comprehenduntur sub hoc nomine aër, quàm habitationum & temporum nomine velut venti, auræ prauæ syderum constitutiones, immensus calor præter rationem, aut frigus, vt vicissim sub habitationis nomine alia etiam ab aëre seiuncta continentur, cuiusmodi cubiculum, & quæ in domo sunt, & præsertim subterranea. Sed omissis inutilibus disquisitionibus potius videamus, quodnam sit subiectum huius libri, quænam tractatio, seu quæ mens Hippocratis, & quomodo pertineat hic liber ad artem medicinæ, ex eo enim discemus tractationem atque subiectum. Dico ergo, quòd Hippocrates intendebat per has peregrinationes quatuor præcipua consequi per se, & tertium quod ad illa consequebatur honestum, & vt ille dicebat in initio sui Operis:

Dic mihi musa virum captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Honestissima voluptas est ocium peregrinationis, adeò vt pro negotio censeri possit, velut & pro negotio ocium haberi, tantum in eo est iucunditatis: mouetur corpus, quiescit animus. Homerus inter reliquos, & Strabo, ac Pausanias diu peregrinati sunt. Sic & ipse Hippocrates, Galenus, Paulus, & Principes maximam orbis partem peruagati sunt. Indicium de Galeno habemus, dum de vinis tractat. (Tertio de Victu in Acut. comment.8.)

De Paulo distichon. Operi eius præpositum,

Paulo laborem nosce me, qui plurimas.
Inuasit orbis terras Ægina satus.

De Principe testantur qui vitam eius scripserunt. Sic nos mira de aquis Mutinensibus obseruauimus, cognoscimus præterea non solum formas hominum sed etiam temperaturas, quæ variantur iuxta regionum situm, vt docebat (cap.7.) Galenus libro. Quòd animi mores corporis sequantur temperaturam, cúmque non possimus mederi nisi exquisitè cognita, non solum temperatura vt primo ad Glauconem (Cap.1.) sed etiam compositione, vt suo loco videbitur: constat si gratia exempli.

pli, Hispanum tractauerimus plurimum conferre medico si Hispanorum notitiam habuerit : vt quod sint durioris alui, vt etiam apud nos medicus curans agricolas qui in villis versatus fuerat, & monticolas : ciuicus autem medicus irridebatur quod medicamenta quæ vocamus benedicta & quæ fiunt vsu consueta nihil operabantur. Tria ergo commoda quæ per se consequitur medicus ex regionum lustratione : hæc sunt, cognoscere temperaturas, & compositionem corporum, legem & consuetudinem naturalem, morbos quoque familiares illi genti. Quartum non proprium, cognoscere noxas & medicamenta quæ ibi sunt sincera & in plurimo vsu, Præterea Medicorum secreta. Secundò discemns mederi eis qui sunt illius regionis, vt dixi, si quando ad nos venturi sint, primum ob temperiem, secundum ob Compositionem, tertium ob naturalem consuetudinem, quartum ob consuetudinem gentis, velut Turcæ nolunt vinum, Iudæis non potes dare carnes Suillas, maxime vtiles ventriculo, si quid aliud, non cochleas neque testudines quæ maximè conueniunt tabidis, Chartusianis carnes quamuis conualescentibus ex syncopali à tenuibus humoribus sint necessariæ: Germani respuunt clysteria. Florentini gaudent fructibus, & oleribus Veneti ferculo cum seminibus peponum. Et ideo dicebat primo de Alimentis (Cap. 18.) vnicuique regioni alimenta propria debentur, scilicet calidæ frigidis, & siccæ humida, sed exemplum dat de temporibus, vt in septimo Artis curandi (Cap. 6. in fine) debemus habere rationem temporis & regionis. Dico, regio indicat bifariam, ratione aëris & cõsuetudinis in victu, & in eodem vtraque ratione etiam bifariam, de qualitate cibi scilicet contrarij temperaturæ & consimili ratione consuetudinis : Et quantitate similiter, sed in hoc distinguitur, à tempore quod tempus vbi incidat vel de præsenti vel de præterito vel futuro regio indicat trifariam, vel vt homo est in ea vel vt oriundus ex ea vel vtroque modo : Et hoc non animaduerterunt qui scripserunt, Italus ergo in Hispania vno modo curandus, est, Hispanus in Italia alio modo, sed tertio modo Hispanus in Hispania. Et de consuetudine Afri, & Turcæ merito temperamenti inediam perferre non possent, vt neque Sarmatæ, quos vocamus Moscouitas, quoniam & qui in calida valde, & qui in frigida valde magnum ieiunium perferre non possunt : hi quidem ob caloris naturalis magnitudinem, illi ob exterioris ob consuetudinem tamen perferendi inediam quæ transit etiam in filios & nepotes maiorem perferunt inediam Italis & Græcis, & qui in temperatioribus habitant regionibus & ex his apud Afros qui appellantur à Ioanne Leone Arabes Libyæ (Lib. 1. cap. de Moribus Arabum qui in Libya habitant) Ergo Italus qui in Hispania erit (tanquam in calidiore & ficciore aëre) actu quidem frigidioribus & humidioribus vti debet quam si in Italia esset, minus sumeret cibi, iuxta Aphorismum, & tamen talis enim est indicatio ab Aëre præsenti: item frigidioribus & humidioribus potestate qua Hispanus in Hispania, & plu-ri cibo tum propter temperaturam, plus enim habet de calore innato & etiam propter consuetudinem : plus enim commedunt, tum quia progeniti, à calidioribus parentibus, tum etiam propter luxum prouinciæ. Ex hoc vno exemplo habes rationem cibi & potus. Et aër erit frigidior & humidior adhibendus quam Hispano, tum etiam indigebit magis refrigerantibus & humectantibus, etiam si par esse deberet cum iam sit calidior & ficcior. Et similiter in euacuatione regio vt calidior est, & ficcior, ita minus indicat de euacuatione qualicunque ferenda, adeò vt in summo prorsus prohibeat, in frigida inhibet actionem non indicat, adeò vt in extrema frigida prorsus prohibeat sed in calida magis ad sectionem venæ, in frigida ad purgationem respicere debemus, quanquam in leuibus non eadem sit difficultas sed vtendum est multa leui, vt cassia nigra & hiera. Et tamen in calida duplex est periculum in purgatione ne nimium purgetur, ne ex æquali purgatione vires prosternantur. Et similiter illud ad genus purgationis est reuocandum quod in Aphorismis ad tempora refertur à Galeno Quos, & quando purgare oportet, scilicet, vt in calidis regionibus vomitu vtatur frequentius quàm in frigidis. Plerunque enim materia in his est calidior, ficcior, leuior, mobilis, & sursum spontè fertur. Regio autem humida indicat & fert facilius omne genus euacuationis. Commodum autem inediæ, & multi cibi, vt apud Sarmatas quos hodie vocamus Polonas & Moscouitas, & Turcas est robustum efficere iecur si perferant. Et est sumptum à Lupis. Ideo iecur *Lupinum præstat in iecoris debilitate.* Primum ergo quod consequimur ex peregrini nationibus, est cognitio temperaturarum, & hoc in Humoribus, primum dicebat in quarta Aphorismorum Galenus (com. 2.) & in Respirationibus libro De vsu Respirationis (cap. 4. in fi.) maiores enim dicit, sunt velocitates frequentiores in calida regione, & Pulsus (vt in libro de Pulsuum vsu cap. 7.) pari modo enim se habent, quocirca & rarius morbis pectoris vexantur, & magis si afficiantur læduntur. Consequens est etiam vt eisdem morbis corripiantur qui ab eiusmodi fiunt humoribus, ardentes, tertianæ, phrenitides in calidis regionibus : in frigidis attonitis destillationibus atque huiusmodi tamen de peculiari ratione. Quæ autem hucusque de regionibus dicta sunt, de temporibus intelligantur. Indicant autem trifariam de præsenti, vt æstate vesci frigidis & humidis : de præterito, vt dicebat Galenus (Com. 9.) Tertia Aphorismorum, in Autumno corpora redundant prauis, & exustis humoribus, ideo frigidis parum, multum humidis & boni alimenti cibis vtantur, non tamratione præsentis quàm futuri : & in vere his quæ dissecant & attenuant : Ratione autem futuri temporis non simpliciter : neque enim calidis, & humidis in æstate ob Autumnum sed cum tempus quod superuenturum est, multum excesserit. Vt pote æstas in regione valde calida & sicca, hyems in regione valde frigida & humida, tunc enim & maximè aduenit & qui sunt tem-

peramenti

peramenti contrarij conuenit occurrere in Autummo calidis & ficcis, & pituitam euacuare & bilem in vere illis aliis ne superueniente tempore periclitentur. Multi enim præsertim senes in hyeme & occisi & imbecilles, & feruidi iuuenes periclitantur in æstate quamuis optimo vtantur regimine. Et hoc est quia aër valde intemperatus superueniens humorum abundantiæ similium si coniugatur cum imbecillitate virium aut mala compositione aut qualitate contra naturam consimili vt in calidis & siccis cum febre, aut cum pernoctatione vel nuditate vel quod homo aqua madescat aut niuibus obruatur periclitabitur. Tertium commodum peregrinationis est, vt discant morbos familiares illi genti tum maximè auxilia: quia vbi frequens est morbus & familiaris, ibi discunt homines optima quæque auxilia & cibos admouere, vt in Hispaniis morbo Indico. Mediolani podagræ, in Gallij Elephantiasi. Vnde ex hoc præstantes euadunt medici.

Quartum emolumentum est ex medicamentorum electione, velut in Italia Prassium præstat, in Creta Origanum, in Ponto Absynthium & Rhaponticum, cauere tamen oportet abusus, vt Bononiæ in infantibus vsum candentis ferri in ceruice quo maximè præter reliqua mala obtusa acie videndi euadunt, & fontes quibus corpora redduntur imbecilliora. Et item possumus scire vsum alibi ignotum velut ad conuulsionem. Et item dignoscere excessus, vt in aëre vespertino, quæ enim latent ob paruitatem deteguntur in regionibus vbi excessus est magnus.

LECTIO III.

Super

TEXT. I.

QVicunque Artem medicam integrè adsequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat, non enim simile quicquam in illis existit, verùm differunt, nimirum propter varias quæ in eis fiunt, mutationes.

DIuiditur liber in Procemium & tractatum qui incipit ibi: Quomodo autem singula quæ diximus: Quantum valeat temporum anni diuersitas in constituenda ratione victus primum illud declarat, Ventres hyeme & vere natura calidissimi (prima aphor. 15. (Et rursus Æstate, & Autumno difficillimè ferunt. Quid nam aliud in toto illo libro de Salubri Diæta agit quàm de ratione victus per ætates aut anni tempora (ab initio) vel in tertio de Diæta. Et similiter in dignoscendis morbis aut procognoscendis, velut in tertia Aphorismorum perpetuis tredecim Aphorismis (ab 11. ad 23.) seu in medicationibus, velut quarta eorundem continuis quatuor Aphorismis (ad 4. ad 7.) sed & in externis vulneribus velut capitis, aliam rationem æstate aliam hyeme inire oportet, vt Hippocrates docet (libro de cap.) vt liqueat non esse medicum, qui non discrimina anni animaduertat, ac diligenter consideret. Sed & in genere dignotionem ex temporibus ostendit prima Aphorismorum (12) dum Accessiones, & constitutiones cognoscere docet dicens: Accessiones verò & constitutiones declarant morbi & anni tempora. Sed quid euidentius quàm scribitur in libro de natura humana? per singula anni tempora augentur proprij humores quibus auctis morbi adueniunt. Quod autem dicit tempora illa nihil habere commune, non videtur verum, nam si æstas est calida & sicca, & hyems frigida, & humida, & antumnus frigidus & siccus, habebit frigus & commune cum hyeme, & siccitatem cum æstate? Dico quod intelligit de toto non de parte, vnde siccitas caliditati iuncta exurit & dissoluit etiam, vt à Galeno colligitur (quinto De simplic. Med. capite 7. 8.) molliens & cum frigore constringit, durum reddit, igitur operatio cum proueniat à coniunctis qualitatibus non est ascribenda vni, & ita nihil est commune. Secunda ratio est quoniam non sunt in simili gradu & magnitudine, sed siccitas Antumni est maior quàm Æstatis, velut & frigus hyemis maius frigore Autumni. Est, & illud dubium cum dixit propter varias quæ in eis fiunt mutationes, ad hoc bene respondet Alemanus ex Galelo dicens, permutationem commutationem intelligi debere, nam ver in æstatem commutatur, vt illa in Autumnum: & rursus Autumnus in hyemem, & habetur tertia Aphorismorum (comment. primo) sed adducit tempora morbi pro temporibus anni satis præter propositum Alemanus vt demirer. De temporibus autem necessaria sunt scitu quatuor, Primum quot sint & quæ, & sunt quatuor ver, Æstas, Autumnus & hyems, Secundum qualibus viribus constent. Et de vere aliqui dicunt esse calidum & humidum id est simpliciter: Galenus autem primo de Temperamentis (Capite quarto) quod est temperatum scilicet ad nos ipsum comparando, æstas calida & sicca: *Autumnus frigidus & siccus secundum partes, totus videtur similis temperato dicebat Galenus. Hyems* frigida & humida. Initia secundum Astrologos distant tribus mensibus, ver incipiendo à decimo die Martij secundum medicos, ver & Antumnis habent tantum duos menses singuli, sed Autumnus neque integro, & ideo est aliquanto breuior, æstas & hyems est aliquanto longior, initium Authumni Arcturi ortus circa XXVIII. Augusti, sed vires singulorum post dicam. Illud etiam dubitatione dignum est an hic Hippocrates loquatur de sola naturali temporum constitutione, an etiam de præter naturali in sequentibus docet & Alemamus existimat? Dico ergo quòd istud intelligendum est eo modo quo necessarium est intelligere, sed cum in sequentibus non loquatur neque de ventis nisi communibus & propriis, non autem fortuitis, manifestum

ſtum eſt tum hoc tum etiam imbres qui ſub eis noli comprehenduntur de quibus pollicetur ſe tractaturum ſub temporibus intelligi debere. Ergo temporum ratio duplex erit, naturalis & extra naturam. Naturalis vt quia æſtas generat multam bilem flauam & minuit ſanguinem, ac magis pituitam Melancholicam non adauget nec minuit: ſed & morbos ob id generat bilioſos & ſi pituitoſos, hoc accidit in defluxionibus, quia liqueſcit pituita vel ob eſum fructuum & potum aquæ frigidæ, vel ob caloris naturalis imbecillitatem. Generat ergo in ſpecie febres ardentes & tertianas & corpus macreſcit & vires langueſcunt, & corpus fit croceum & ſitiunt & parum appetunt & vigilant. Et in hyeme pituita generatur, multa fames, exigua ſitis, deſtillationes, corpus pingueſcit & color bonus fit & vires validæ & ſomni longi & febres quotidianæ. Et motus morborum æſtiuorum velox & criſes citò fiunt, hyeme motus tardi & ſerò adueniunt criſes. Circuitus quoque in æſtate tertiani, in hyeme obſcuriores & quotidiani & in die magis affliguntur per æſtatem, & in nocte per hyemem. Et cibi liquidiores, humidiores, frigidiores æſtate conueniunt, & elixa aut iurulenta & minor exercitatio, ſed potius deambulatio & in vmbra & balnea ex tepida vel etiam ex frigida aqua. Et in hyeme contraria his. Per accidens autem cum æſtas fuit parum calida & humida ſudores in febribus expectare oportebit (3. aphor. 6.) Et ſi fuerit multum remota, à naturali ſtatu, ſignificabit morbos ſimiles illis qui ſunt eius temporis & præter id etiam raratione mutationis. Vnde in qualitatibus temporum fortuitis tria conſiderare oportet: primum quantum mutetur, vt æſtas hyemalis grauior eſt vernali: Secundum, cui ſtatui aſſimiletur: Vt cum dicit Hippocrates (tertia Aphoriſ. 4.) Quando eadem die modò calor modò frigus aduenit, Autumnales morbos expectare oportet. Nam per eam mutationem ad Autumni naturam tranſit. Tertium eſt ad quas qualitates: nam caliditas & humidum ſunt promptiſſima ad putredinem, frigiditas, & ſiccitas contrà. Quocirca mirari oportet cur in Autumno tot febres appareant, cum Autumnus ſit frigidus & ſiccus, & vtraque harum qualitatum putredini obſtet, ideo Galenus (3 Aphoriſ. 9.) hoc refert non in qualitates ipſas quæ putredini potius aduerſantur, quàm vt eam generent, ſed in mutationem ſtatus aëris, in pororum & meatuum aſtrictionem, in reſolutionem caloris naturalis factam in priore tempore, & in multum eſum fructuum.

De eo quod eſt integrè aſſequi artem medicam, ſcire decet artem integrè diſci poſſe trifariam, vel vt perfecta habeatur, hoc fieri non poteſt cum ars & ſcientia ſint infinitæ, ideo in mente humana quatenus corpori iuncta eſt, ſeruari non poteſt: imò neque inſignis aliqua pars, quia infiniti nulla poteſt eſſe inſignis pars quantumcunque magna, aut vt ſufficiat pro ſanandis ægris omnibus qui ſanari poſſunt: atque neque id vt in libro de Arte, & reddit ibi rationes (pag. 9.) aut vt homo conſequatur omnes partes medicinæ, atque eo modo quo fas eſſet homini adipiſci: & hoc licet, nam in quolibet genere eſt aliquid maximum, & etiam artes ſunt ad animum hominis comparatæ. Sub hoc ergo ſenſu Hippocratis verbum integrè intelligendum eſt.

LECTIO IV.

Super

TEXT. II.

DEinde ventorum calidorum & frigidorum, maximè qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, & mox qui in vnaquaque regione ſunt indigenæ & proprij.

DIcamus ergo primum quid ſit ventus, & eſt, iuxta Philoſophum, (ſecundo Metheororum, capite quarto) multitudo exhalationis ſiccæ motæ circa terram: Sed nos dicimus hanc non eſſe illius diffinitionem, quandoquidem non omni ventorum generi conueniat, ſed hunc potius, ventus eſt *motus concitatior multitudinis aëris*. Quod quia contra tantum Philoſophum eſt, certis argumentis eſt demonſtrandum. Dicimus ergo aërem perpetuò moueri ab oriente in occidentem non totum, ſed quancunque partem vt pars parti ſuccedat motu non admodum veloci, totus tamen aër circumuertitur, quod his oſtendo rationibus. Prima, quoniam aër eſt contiguus cœlo lunæ, & cœlum lunæ quotidie circumuoluit totum, igitur trahit non reluctantem aërem ſecum. Et ſi dicas quod ignis adſit intermedius, etiam quod hoc admitteret, adhuc ſequitur nihiloſecius intentum, cum enim liquidum quieſcens mouetur ſecundum totam ſuperficiem, & velociter, & nihil eſt quod retineat, neceſſe eſt totum moueri, vel ergo eſt aër motus, & habeo intentum, vel eſt natura immobilis, & cum ſit non ſolum liquidus, ſed liquidiſſimus, & moueatur ſecundum totam ſuperficiem ſuperiorem à cœlo lunæ, nec habeat quod illum retineat, ſequitur planè ipſum totum moueri eo circuitu. Indicium eſt etiam, quoniam & cometæ, & trabes ignei, & quæcunque talia, vt etiam Ariſtoteles affirmat, (primo Metheororum capite quarto) mouentur ab oriente in occidentem eóque viſu tardiores, curſu autem celeriores quo altiores fuerint, vt cometæ: contrà tardiores quo humiliores, ſpecie autem velociores vt trabes & globi ignei. Id autem non niſi ob aërem in quo ſunt qui ſic mouetur, & quæ in eo ſunt leuiora neceſſariò mouet. Sed & motus aquarum in Oceano, idem declarat cum fluxus ac refluxus in eo, tum in ſinu Hadriatico manifeſtè appareat, & magis in Nortico iuxta Pariam, & propè æquinoctij circuitum à latere Boreali decurſus aquarum ex oriente in occidentem,

cidentem, quos ambos ignorasse visus est Aristoteles, (secundo libro de Subtilitate) cuius rei indicio est, quod neque Scotus, qui de hoc agit, vt qui eo habitaret in loco, vbi maximè viget hic motus, adeò insignis non meminit Aristotelis, (14.) *Quamuis Author libri de Mundo meminerit eius.* Sed alterius quidem nil mirum est: hunc autem fluxum, qui etiam in Italia & in Africa notus erat, fit enim in Africæ littoribus, mirum est latuisse Aristotelem. Quòd si aqua maris mouetur ad motum lunæ, palam est etiam solis motum aërem sequi, est enim sol potentior luna, & aër facilius mouetur quàm aqua. Si igitur hæc nouisset Aristoteles, credidisset aërem perpetuò moueri, nec quiescere. Videant igitur Aristotelici ne nimia defendendi Aristotelem cupiditate veritatem omnium rerum dulcissimam relinquant, & ingratis me oderint. Est & quartum ad hoc argumentum, quòd in congressibus & oppositionibus Iouis & Mercurij, vt hoc mense prope diem decimam, & sequenti anno prope quintam Iunij venti apparebunt, & ideo signum est hoc, quòd etiam ex sola intensione motus naturalis venti suboriuntur, vt sint præcipuæ ventorum causæ quinque, iuxta hoc, celeritas, motus austri, commistio cum alio, transitus, tempus medium, & vt per angusta loca. Et quoniam, vt dixi, hic motus est similis, motui aquæ fit per partes ita quod nulla pars aëris circumdat totam terram, sed quælibet mouetur per certum spatium, velut per viginti millia passuum, & alia eodem modo ab oriente in occidentem, & ita circuit qualibet die totus aër totam terram: vt dico de vento, pars enim partem pellit, non quod idem aër transeat ab oriente in occidentem, vel à meridie in septentrionem. Nam si vbi est æstus maris ex quauis lunæ ad solem quadrata configuratione, fiunt maximi æstus, & maria valde intumescunt, adeò vt qui timidi sunt, & parum mari assueti, existiment mare tempestuosum esse, cur etiam in aëre semper mobili ex diuersis configurationibus idem non accidet? Quintum indicium est, quòd in rimis semper perflat ventus, etiam si cubiculum, ex quo flat, esset conclusum. Adest & illud ab Aristotele (vigesimasexta Problemat. 25.) quod casus stellarum ventos indicant, quia dicit ex alto & loco illo venti flare incipiunt.

Sed ne videamur potius velle oppugnare Aristotelem, & prodere veritatem, quàm rem ipsam docere, videamus quæ pro Aristotele dici possunt. (26. Problemat. 37.) Is, inquam, primùm ostendit austrum & aquilonem esse validissimos ventos, non orientalem aut occidentalem: oportebat autem orientalem esse hac ratione validissimum, occidentalem nullum, vt qui esset naturali aëris motui contrarius, Borealem & Australem mediocres, qui transuersim contingant. Secundo, quod omnes venti validi mutant corpus tanquam exhalatione calefaciant aut refrigerent, aut siccent, aut humectent: & ideo non possunt fieri ex puro aëre. Et istud expresè etiam fatetur Hippocrates tertia Aphorismorum: (5.) Austri auditum hebetantes caliginosi, caput grauantes, hæc non possunt fieri ex puro aëre. Illud idem etiam de Euro testatur Aristoteles in eadem particula Problematum, (55.) dum quærit *cur flante orientali vento res apparent maiores?* Tertio, quòd in sublimibus montibus nulli sunt venti, dicebat Philosophus. (38.) Vnde neque in Atho, inditio esse, quòd cineres relicti ex sacrificio præcedentis anni immoti maneant, dicit tamen quod antea pro confesso assumsimus, quòd aër ibi assiduè mouetur, scilicet leni motu, oportebat autem ibi maximè vigere ventos, si à cœli motu orirentur. Contraria ratione quia in locis maritimis sæpius flant venti, quos *tropæos*, vocare solet quasi reciprocos, vult enim quod etiam illi ex terra prodeant, sed à mari resiliant, vt in Problematibus. (8.) Quarta ratio sumitur ex hoc, quod aliqui tales sunt, qui manifestè ex vapore à terra prodeunte fiunt, quos etiam *apogæos* vocat, igitur omnes eiusmodi erant. Quinta, quoniam duæ sunt exhalationes, vna quidem humida alia sicca, sed ex humida palam est fieri imbres (& innuit eam secundo Metheororum) igitur ex sicco fiunt venti. Dum etiam quærit (capite quarto) cur Fauonius post meridiem spiret, dicit quod sol exoriens excitat Eurum, vt occidens Fauonium, quia dissoluendo concretum humidum spiritum gignit: igitur spiritus à vapore fit. (34.) Idem ex hoc quod imbre superueniente cessant venti, qui dicit originem ex illis sumunt. Præterea vbi quærit, cur austri magis quouis tempore quàm æstate spirent, reddit rationem, quia sol propinquus resoluit vaporem, atque ita ventos sedat: igitur vapores causa ventorum. Multa huiusmodi essent, sed ad idem tendunt, causæ enim huius differentiæ sunt tres, vna quæ dicta est, Aristotelem nesciuisse æstum maris illum quo reciprocat multóque minus causam: secundum quòd non fecit differentiam inter fieri ex vaporibus & cum illis esse. Est enim omnis ventus cum vaporibus, quia cum transeat velociter siccat & vertit quod humidum est in vaporem, hoc enim quærit ille & rationem adducit, cur siccet conuerso humido in vaporem. (30. & 31.) Sic enim adducendo humidum siccat, & si per loca sicca transeat vaporem siccum secum rapit, ergo omnis ventus est plenus vaporibus, non tamen reddiderunt causam qui scripserunt, cur cum frigidus etiam ventus humidum transmutet in vaporem: nam hoc duabus de causis contingit, vna quòd frigiditate exteriore contrahitur calor in superficie terræ, & ita factus validior magis resoluit: secunda, quod motu comminuit illud humidum & comminutum eodem impetu aufert. Quoniam ergo venti sunt semper cum vapore, ideo eodem modo pleraque ex adductis ab Aristotele dissoluuntur, perinde ac si concederemus ventos fieri à vaporibus, seu ab exhalatione. Tertium est quòd errant in interpretando illius dicta: nam ipsi putant quod

velit ventum solum esse exhalationis motionem, seu materiæ humidæ vel siccæ, at ille dicit ibidem (Problemat. 35.) quod ventus est commotio aëris, vel redundantis humoris. Idem etiam fassus est in sublimibus locis moueri aërem ipsum, vnde in vigesimaquinta Particula dicit, (Probl. 22.) altis in ædibus, quod verum est, aërem perpetuò ventilari. Idem etiam fatetur ventos excitari à sole cum exoriente tum occidente: tum etiam à luna. Vnde cum satis propositum pateat auorum quæ ille problematum. (34) soluit aut non plenè aut saltem obscurius, solutionem addere decreui. Primum cur ante defectus lunæ per sex pene horas venti excitentur? alterum cur venti in fine validius moueantur cum lentius id facere deberent? Ad primum enim respondet Philosophus, quòd calor lunæ hebetatur, quia cursus iam proximè est quo defectus exultet. At verò hoc difficilimum est cùm defectus nihil agat neque impediat, cum nondum sit, sex enim horæ tribus partibus satisfaciunt, vt luna procul sit à defectus loco, quare vel non tradita plena est ratio, vel omnino superuacua, cum enim experimentum doceat partes vmbræ proximiores nihilo remotis esse obscuriores, quid refert quod luna ibi sit. Verum ratio eiusmodi est, luna cum in opposito solis est defectui non obnoxia, nunquam potest esse proxima eclipticæ, sic enim deficeret. Cum verò defectura est, & iam soli opposita iam eclipticæ, necessario est proxima, duorum autem circulorum se inuicem secantium æquales arcus à sectione semper maiorem obtinent latitudinem inter se portione sub eadem, vtpote & in ecliptica cum æquinoctij circulo, & in ecliptica cum circulo capitis draconis decem partes, vltimæ non nisi duas ex quinque portiones obtinent latitudinis, præterea circa sectionem necesse est semper lunam moueri ex meridie ad boream, aut ex borea ad meridiem, cum ergo luna subitura eclipsim necessaria sit plena luminibus & mutatura situm secundum latitudinem, & celerrimè feratur propter circulorum inclinationem, quæ licet exigua sit, quia tamen in maximo motu est, & quæ circa vltima sunt semper plurimum possunt, his tribus causis necesse est, vt ante eclipsim lunæ facilius generentur venti, & magni quam alio tempore. Quod autem translatio ex septentrione in meridiem, & ex meridie in septentrionem ventos gignat, & magis ea quæ est ad boream, quam quæ ad austrum, ostendit ver cum sol transit ex austro in boream per æquinoctij circulum, eandem verò rationem habet æquinoctij circulus in sole, quam ecliptica in luna, vtrique enim maximi sunt circuli suorum motuum: eandem quoque rationem habet sol cum circulo eclipticæ, quam luna cum circulo draconis, sicut enim sol nunquam extra eclipticam progreditur, ita neque luna extra draconis circulum exit, eadem est ergo ratio transitus solis per æquinoctij circulum, quæ lunæ per eclipticæ sectionem, & sol quidem propter tarditatem motus obseruatur in pariendo ventos, iuxta diurnam reuolutionem etenim æquinoctij tempore in circulo maximo vertitur, ideoque velocissimè, ita & luna in eclipticæ circulo proprio motu, quoniam celer est, velocissimè mouetur iuxta intersectionem motu proprio, quæ autem feruntur velocissimè, vibrant, & quæ vibrant mouent aërem velut virge, & quæ magna sunt dum multum vibrant aërem, ventos generant. Ex hoc igitur luna sub tempore eclipsis ventos maximos eo modo, quo dictum est, scilicet per sex horas ante excitare solet. Ex quibus patet, quod cum eclipsis vno & eodem tempore verè fiat, licet apud diuersas gentes ob longitudinis situm diuersis horis ventos eodem tempore in vniuerso orbe generari, at quænam exhalatio posset sufficere ad concitandos ventos in toto orbe? Manifestum est igitur ex his quæ scripta sunt, ventos excitari commoto aëre, non autem exhalationibus etiam secundum Aristotelis sententiam. Aliud quæsitum sic dissouit Aristoteles, quod ex longo flatu refrigeratur aër, vnde in fine vehementissimus motus existit. Alibi refert ipsum colligi in fine, atque ob id vehementius moueri, at si refrigeratur, quiescere potius deberet non ocius moueri, quomodo autem colligatur quod iam effluxit non video. Verius forsan ex rebus ipsis causam discemus, quoniam in huiusmodi motibus fit attractio atque expulsio, velut in sufflationibus & vtres inflantibus, impellunt enim atque attrahunt, quo fit vt motus impulsus debilitetur. Alia verò quæ non sic protruduntur, sed vt contraria, cum finis aduenit vltimo conatu se exonerat quod impellit, atque ita vehementissimus impulsus, atque ventus increbrescit validúsque flat.

LECTIO V.

Super eodem

TEXT. II.

Ventorum autem genera sunt quinque, principales qui & propriè duo sunt, Boreas & Auster, quanquam his soleant adiici duo alij, Fauonius & Eurus. Et ob vim magnam Cæcias, hic enim famosus est imbres adducens, & Trascias ac Libanotus, alij non adeò. Secundum est Apogeorum, qui ex terra veniunt, tertium Reciprocorum, qui ex mari: quartum anniuersariorum, qui peculiares sunt regioni & statis temporibus redeunt, è quibus sunt proprij non anniuersarij & anniuersarij non proprij, hoc tamen rarum est vt sub anniuersariis contineantur, & anniuersarij in eos & communes diuidantur. Vltimo loco sunt fortuiti & casu quodam geniti. Et de his omnibus vltimo loco recitatis, non de primo intellexit Philosophus. Iam verò & primi omnes vno nomine continentur, & vocantur communes potius, ego regulares seu consuetos appellarem. Anniuersarij etiam quandoque sunt ex consuetis, vnde Philosophus quærit vigesima sexta Problematum, cur aquilones anniuersarij fiant,

fiant, Austri non fiant? Ex quo perspicuum est quòd non omnes anniuersarij venti sunt proprij. Primum igitur videndum est de communibus, & constat quod venti nauigantium non diriguntur ad Polum Arcticum neque Antarcticum, sed iuxta acum pyxidis quæ inclinatur, ad orientem, à Borea per nouem partes, id est per quadragesimam totius ambitus terræ, velut qui ab eis vocatur Auster ad occidentem, à Polo Antarctico. Et iuxta id habenda est ratio omnium ventorum. Secundo scire est necessarium, ventos singulos maxime communes amplecti magnum spatium terræ, dirigunt tamen flabella ad vnam lineam si sint simplices, & hæc est linea æquidistans mediæ per quam defertur ventus. Tertio ad vertendum est quòd rarò ventus est simplex sed vel est copulatus cum alio, vel mistus propter sinus & obliquitates vallium per quas transit & cacumina montium quæ eregione positæ non sunt, sed angustiæ illæ & fauces incuruantur, ortus autem eorum est per longum spatium, non vt existimemus ex subterraneo specu exire, semper enim præcederet terræ motus. Et ideo terræ motum aliquando venti maximi antecedunt, iidem si repente sileant terræ motum indicant: nam ob frigus aut aliam causam suppressa exhalatione terræ motus subsequitur, ob id etiam venti post terræ motum pernitiosi: quod post multa secula retentus vapor & aër letheus effundatur. Fiunt & venti ex specubus iam factis perpetui, nam vapor ille frigore expressus pellit aërem & ventum gignit, prope locum: cum verò à frigore cogitur exhalatio aut occurrit angustiis montium quasi in ordinem & semitam redactus ventum gignit. Non ergo venti qui Cardinales appellantur prodeunt ex certa regione principali, diuidenda orbem terrarum vt isti faciunt ad lineas rectas & angulos æquales: tum, vt dixi, ob inclinationem lineæ indicis tum ob faucium montium situm, flumina magna, maria, lacus & huiusmodi. Venti tamen potentissimi videntur esse prope polos & ad angulos transuersos, prope Arcticum quidem quia linea à situ cuiusque loci ad Arcticum breuissima est ex Tertio Elementorum (Propos. 7.) Ad Antarcticum autem quia procul ideò potens est & mollius flat. Orientalis autem iuuatur motu solis occidentalis aut proprio motu Lunæ ab occidente ad orientem atque ideo lenissimus est. Valde enim tardus est motus Lunæ in signifero comparatione rapidi motus. Exoriuntur ergo venti singuli vel ex concitatione aëris vel ex specubus montium vel cum exhalatio fuerit maior, vel retinetur & maximè à frigore, aut cum noua exoritur spelunca. Et post pluuias maximè, nam aqua, à Solis calore vertitur in vaporem. Indicio est his omnibus quòd in faucibus montium & circa verticem maximè perflant venti, vt præter has causas non sit discrimen communium à propriis. Borealis ob vehementiam insalubris repletis cacochymis, imbecillibus maximè pectore, cæteris salutaris, cubiculis autem si perflata sint ab opposita parte vtilissimus, secus pernitiosus. Auster nulli bonus. Proprij autem venti cuilibet regioni sunt, qui oriuntur prope illum locum ex montibus non valde magnis nec longo tractu vallis & faux extenditur, vt in machinis quæ breues sunt non procul iaciunt ideo quia angustè ventum efficiunt in illa regione, vt Phasidi, Conchron, & Atheniensibus Sciron, neque enim retrò propter situm obliquum montium flecti possunt: nec ad latera ob montes nec longius progredi ob breuitatem faucium. Vnde qui ex angusta & breui fauce prodeunt validi sunt sed prope solum flant: qui ex lata & longa lenti & imbecilles sed procul: & ita si ex longa & angusta, hi maximè validi atque frigidi, & tenues. An verò reflectatur exhalatio à frigida aëris regione, quemadmodum putat Aristoteles, dubitationem non leuem habet, comparata distantia ortus qua maxima est ad altitudinem regionis frigidæ, & nubium quæ minima est. Et etiam quia videtur in quouis situ descendere ventus quasi per parallelas.

De Anniuersariis ergo vt Fauonij apud inter Nonas Februarias & Idus, & Etesiæ omnibus fermè cum suis Prodromis caniculæ temporibus, corus cum Arcturo exoriente incipit, vt curus Vergiliarum. Causam statorum temporum Aristoteles (26. Prob. 2.) esse refert vim Solis ad vnumquemque locum & regionem totam comparatam, vbi enim liquefacere incipit niues, venti excitantur: hoc autem diuersis in locis, diuerso tempore accidit. Generaliter autem his qui ad Boream positi sunt post vernum Æquinoctium. Et maxime est euidens hoc in Borea magis quam austro iuxta illius sententiam. Venti autem Apogæi maximè conspicui sunt, vt plinius refert (libro secundo, capite 45.) in Dalmatia loco qui Senta vocatur. Et in Cyrenaica regione rupes quædam, nec desunt exempla in tam frequenti experimento. His contrarij sunt reciproci qui ab aquis orti, cum à terra initium habeant, ab aquis autem remittantur. Alij autem casu quodam ac quasi extra ordinem oriuntur & fiunt: è quorum numero sex sunt præcipui ab eodem connumerati, (Cap. 48. & 49. (Typhon omnium validissimus, id est, vibrata procella, non vibrata autem Ecnephias dicitur: qui tamen quòd vertigine longa trahat ad se quicquid inuenerit, nauigantibus maximè formidolosus est: trahit autem dum resilit. Quòd si tenuior eruperit violentior est, sed rectius fertur ideóque prosternit cuncta, & vocatur turbo. Sed si cum igne vel saltem feruidus adueniat dicitur prester. Procella dicitur cum lata est eruptio & vortex reflexus torbo. Ex horum genere penè immobiles caligo, quæ obtenebrare solet naues, & columna à forma ita vocata, qua aquæ ad nubes assumi creduntur. Causa horum omnium est specus sub terra forma torcularis visis vnde exit, redit, retrosilit: fiunt etiam huiusmodi vortices aliquando ex pugna duorum aut plurium ventorum, vt in gyrum vertantur. An autem venti omnes siccent, quemadmodum videtur velle Aristoteles, vide decimo Contradicentium. (68)

Humectant

Humectant solum animata & intus venti humidi: vel etiam inanimata abdita, vel cum cessauerint quia motus non adest. Sed vt finem faciamus, scire melius est in vnaquaque regione quas singuli venti vires habeant. Plinius de Italia docuit (libro secundo, cap. 47.) sed hæc in executione tradentur. Hanc autem necessitatem cognitionis ventorum Hippocrates etiam declarauit in sexto Epidemiorum (Par. 8. Tex. 7.) de quo, vt dixi, agemus infrà cum ad ventorum declarationem perueniemus. Illud non pigebit adiecisse, quod etiam ex parte adnotatum est ab Hippocrate (Parte prima, Com. vlt. propriè) morbos recurrentes quales sunt, comitialis, vertigo, asthma, dolores, fluxiones, insaniæ seu mentis alienationes, quas lunares vocat insultus. Pluraque huiusmodi (libro de Sacro morbo, pag. 8.) qualia etiam vigiliæ, hæmorrhoides, omnia talia per ventos redire consuesse: aut si perpetua sint, exacerbari. Ob hæc igitur scire ventorum vim ac reditum in vnaquaque regione optimum est. Plura alia etiam longè sublimiora atque vtiliora de hoc dici possunt, quæ in sequentibus explicabo. Manifestum etiam est, quod quatuor cardinales proueniunt à quatuor motibus principalibus, seu potius mutationibus situum duobus in longitudine, & vno in latitudine, ex quo fiunt duæ mutationes.

LECTIO. VI.

Super

TEXT. III.

NEque verò negligentiorem se circa aquarum facultates cognoscendas exhibere conuenit. Quemadmodum enim gustu differunt, & pondere & statione, sic quoque virtute aliæ aliis præstant.

AQuæ vsum & vtilitatem breuiter attingere decreui: quæ quinque clauduntur differentiis: primá est necessitatis vitæ causa, secunda commodi, tertia auxilij, quarta vsus, quinta voluptatis. Et necessitatis quidem ob potum, aut simplicem, aut vt vino misceatur: esse autem aquam vitæ potum, & corporum salutem, declarat Moses in Genesi (Cap. 6. & 9.) cum ante Noë Gigantes statuerit, & vitam propè mille annorum, inuenta vite & vino cessarunt & Gigantes, & hominem non victurum plus centum viginti annis affirmat. Hoc verò ab experientia habetur, nam & Gentiles hodie in India quòd vino, carnibus, & his quæ ex carne fiunt, prorsus abstineant, quemadmodum ouis, lacte, caseo, butyro, piscibus, propè centum quinquaginta annos viuunt. Tertium indicium est, quòd nostri Semnitæ neque tamdiu viuunt, nec miracula edunt, cum tamen sanctè viuant: nec volunt quicquam habere, sed non abstinent à vino, nec ab his quæ carnea sunt, duntaxat è Chartusianorum genere à carne ipsa, sed edunt pisces, & oua, & butyrum, & vina etiam austera & odorata bibunt. Vixisse autem monachos plurimùm in Eremo, Antonium annis centum quinque, Eliam & Chronium centum decem: quosdam etiam superasse, certum est ex D. Hieronymo grauissimo authore, tùm Palladio, sed & Nicephorus hoc idem generaliter affirmat (libro vndecimo, capite 41.) & non me latet eum referre in causam, vt fides & religio nostra martyrum militia parta, horum sanctitate, exemplo, authoritate, signis atque vitæ diuturnitate firmaretur. Ergo necessitas est potus aquæ, non simpliciter ad vitam, sed vitæ longitudinem, nam in omni genere operationis est aliquid necessarium, ad vitam, cibus & potus, ad longam autem panis & aqua. Apparent ergo duo ex hoc, & necessitas potus aquæ, & quòd cum potu vini longa vita esse non potest. Si quis dicat, Gentiles excedere centum viginti annos contra Dei dictum in Genesi? Respondeo quòd hoc intelligitur generaliter: nam aliqui ex speciali vita tandiu vixerunt ad numerum quatuor seculorum, vt iam docui, alia de Ioanne & Richardo vocatis de Temporibus. Astrologi & maxime Galeotus Narniensis reddit rationem satis euidentem, coniunctionem Aphetæ cum stella fixa benigna. Cum ergo dicti Eremitæ hac ratione victus (cum concedam factum fuisse, à Deo hoc vt à causa, quæ est finis confirmandæ religionis causa) inchoata propè vigesimum annum ad centum, & amplius annos perdurauerint, & demonstratum sit à nobis in libro de Proportionibus (Proport. 183.) quòd ratio victus tota ad eam quæ incipit vigesimo anno, habeat proportionem 515. ad 279. igitur multo magis ad 280. quare vt 103. ad 56. si ergo vixit 105. vixisset ab initio inchoando centum nonaginta tribus annis. Et si fuisset ex genere viuentium centum annis communi vitæ, viueret annis trecentis triginta nouem, vt ibi docuimus. Ad rationem accedamus, Elephas viuit ducentis saltem annis, multáque alia animalia feruntur diutius viuere homine: quæ omnia aquam bibunt, & à carnibus abstinent, vt de camelo & ceruo pro comperto habetur: natura igitur optimum potum illis parauit: neque enim defecisset si quid esset melius. Aquæ etiam ad summam perfectionem deueniunt variis imbutæ viribus, quod de vino non inuenitur, aliæ enim curant aquam intercutem, aliæ resolutos, aliæ diuturnos dolores, quæ nos omnia adiicientes Hippocratis doctrinæ, trademus in processu, vt his qui etiam artem exercitaturi sunt non desit commodum. Præterea potus, vt vult Oribasius (lib. 5. Collect. cap. 1.) non est nisi causa distributionis cibi, sed sola aqua hac virtute prædita est vt nil aliud agat, igitur aquæ solus potus conuenit. Id etiam ex incommodis vini patet, lædit enim cerebrum, neruos, ventriculum maximè: grauem facit odorem spiritus, ebrietatem parit: vana insomnia, exurit humores, accendit febres, melancholiam gignit, & humorem dico & morbum: accessit in ventriculo, amarum redditur, impedit

impedit incrementum corporis. Admittitur ergo solum vt reliqua noxia ob longam consuetudinem, vbi homo est inter malleum & incudem, sartaginem & ignem. Secundò cum aquæ prauæ sunt & corruptæ. Tertiò medicamenti causa vt in syncopi, nam in lypothymia noxium est: In doloribus frigidis viscerum absque materia: cum materia autem mediocriter cocta etiam: ego tamen magis laudo aquam in qua cocta sint aromata plerumque vt vtiliorem, semper autem vt tutiorem. In senibus dulce & tenue, flauum ad edulcandum humores atros & cruditates educendas, vt nil edant præterquam panem, tum non multum & amygdalas amaras, aut persicorum nucleos. Et hoc per interualla. Demum habentibus imbecillæ iecur, modicum & astringens ex vsu est ac rubrum, illius enim substantiam reficit, simile quippe illi est. Sic & in cardiacis, timidis, mœstis, confirmat enim cor propriè cum boragine & croco.

De commodo, vbi aquæ bonæ sunt, sata, herbæ, fructus, omnia bona sunt, quod enim alitur alimento simile fit, secunda Aphorismorum (Com. 36.) Et libro de cibis boni & mali succi (Cap. 1.) & in tertio de alimentis, (Cap. 25.) vbi docet quod pisces sunt quales aquæ & herbæ, in quibus degunt & nutriuntur, hócque adeò clarum est, & ab Hippocrate in secunda de Diæta (Pag. 6. vt nil tritius. Multo magis autem patiuntur pisces hanc mutationem, quam cætera animalia: reliqua respirant aërem, pisces eandem aquam ex qua nutriuntur, aer autem adeò non potest corrumpi vt aqua, tum quia non retinet corpora crossa adeò, tum quia semper mouetur, & si malus sit prorsus aer statim interficit: ideo hæc mutatio in piscium genere manifestior quàm in quadrupedibus, & media in amphibiis, cochleis, astacis, quos cancros vocare soletis, cum cancri non sint caudati, ranis, testudinibus. Et testudinum caro cum duplex sit, illarum genus quæ numerosa est, alitur herbis, & melior multo est cœnosa, quæ autem in Africa oritur, longè grauioris est alimenti, & durissima cum terra sæpè & arena illi cibus sit, nihilominus medicamentum planè pretiosum aduersus elephantiasim, vt cochlea Africana aduersus ventriculi dolores. Quodcunque enim membrnm est, vt ita dicam, ἀνάλογον in animalia, ad eundem affectum confert: vt Gallinæ ventriculi aduersus cruditates, sed eo perperam vtuntur medici & etiam plebs, & iecur lupinum aduersus malum habitum & scirrhum, & cor leonis contra vanos pauores, & ita cochlea Africana aduersus dolores ventriculi, cum arena persæpè vescatur & arido Sole torreatur. Hæc igitur, vt ita dicam, impassibilitas oritur ex alimento & proprio calore, & quatenus ab alimento oritur habet pars illa animalis vim alimenti & medicamenti ad illam, sed non quatenus est calore prædita, neque enim omnino arena in eo qui vsus est carne cochleæ Africanæ diu non nocet assumpta, vt in cochlea, aut nutrit sed expertem illum facit doloris & in longo tempore, & non in duobus diebus, vt in hac ciuitate vbi dum promptam sanitatem exigunt, à medicis, ab his quidem qui Deum verentur voto frustrantur, ab aliis occasione ex hoc sumpta id impetrant vt eo nomine medicamenta offerant dietim, fitque ita morbus longior semper, plerumque insanabilis, sæpenumero mortem festinam & præcipitem sibi accersunt, vnde præsentem sperauerant sanitatem. Minus præterea quadrupedibus afficiuntur aues, præterquam illæ quæ in aquis degunt & ex eis alimentum sumunt: nam quadrupedia quasi in medio earum sint. Vnde corruptis aquis aut crudis, sunt enim hæc duo mala, stantes enim aut calidæ corrumpuntur vt etiam mistæ: terreæ autem & à Solo intactæ & ex montibus lapidosis ortæ crudæ sunt, hæ potu primum locum obtinent. Secundum herbæ quæ in eis oriuntur, adeò vt non sint veneni expertes, quanquam specie haud tales sint. Tertio loco sunt pisces, adeò vt inuenti sint venenosi: præsertim stantes nigri & non squamosi, afferunt enim aliqui mortem statim, accedit detrimentum si capiantur esca venenosa: hoc enim solo interimunt aliquando, periculosum enim est admodum tales edere. Velut & oua piscis fluuialis quem vocant balbum, credo quia barbatus est præsertim tempore maij, cum flores populearum arborum, quæ ripis fluuiorum insidere solent, ederint. Mouent choleram affectum non sine vitæ discrimine, vt elleborus albus. Quare non tam curandum est quales specie pisces eligas, quàm quo in loco captos: melior est enim tinea & anguilla magno & rapido claróque flumine capta & recens, quàm Lucius aut trotta in palude sordida & iam diu ex aquis extracta, color autem & odor & viscera & caro spectanda maxime sunt, vt sint splendidi, mundis visceribus, carne candida & obliqui ac duri. Quarto loco sunt amphibia. Quinto aues aquis incumbentes atque in eis versantes, sexto quadrupedia, Vltimo aues cœteræ. Cum ergo aquæ tot modis sex siquidem, nam primus ad necessitatem refertur hominibus commodæ sint aut incommodæ, liquet quod dicit Hippocrates, non omittam quod potest haberi pro septimo loco necessitatis incommodo, quod multæ plantæ aridis locis, vt thymelea & lathyrides omnes, aut iuxta thermas, vt etiam colocynthis, veneni loco. Auxilij autem loco sunt, de medico auxilio nunc loquor, non mercatura, quod aquæ si bonæ sint iura fiunt bona, legumina coquuntur, imò illud indicium est aquæ leuis, vt legumina facilè coquantur, panes pinsuntur, animalia pinguia redduntur, prata florent & pascua redduntur bona, vnde carnes pingues & candido adipe & suauissimæ Aqua etiam bona aërem efficit bonum, & etiam signum est bonitatis aëris.

Vsus autem est in omnibus, copia enim aquarum bonarum Mediolanum gaudet, vnde Romæ vt audio, & etiam hîc, magna incommoda patimur, nec adeò bene purgantur, Lintea aqua enim loco saponis quæ optima est habetur, coguntur sarcire detrimentum multis impensis. Demum est voluptas, adeò vt Mutinæ sola aquarum præstantia non incommodum sit degere fontes pellucidi, aqua suauis potu, æstate frigida. Illud non

præteribo

præteribo bonarum aquarum generale signum esse Piscium & aëris bonitatem, nam reliqua signa propria suo loco narrabuntur, importunè enim cum etiam imperfectè hic illa ascripsit Alemanus.

LECTIO. VII.

Super eodem Text. III. IV. & V.

QVæri igitur iure merito potest ac debet, an maiora sint detrimenta aëris an aquarum? Hîc vocandus est ad partes ille author adeò prudens vt nil ignorasse videatur: cum potius fuisset officium Galeni ac medicorum, is igitur prima Problematum particula quærit primum, cur mutationem aquarum grauem esse affirment, aëris autem non? reddit rationes duas (Probl. 13. 14. 15. & 16.) Prima quod aqua transeat in alimentum, aër non: secunda quod aquæ breui spatio terræ magnas recipiunt mutationes, aër autem non nisi longinquis ex regionibus. Ex quibus etiam concluditur quod tum aquæ etiam magis mutantur. Addo tertium quod aqua densior est quàm aër, ideò magis imprimit in corpora nostra. Post quærit, cur magis grauis sit mutatio aquarum quàm cibi. Et respondet quoniam aquæ plus sumimus & per se, & cibos omnes præparando. Tertio quærit, cur ciborum & aquæ mutatio grauis sit? Et ibi videtur velle quod mutatio aquarum sit causa quòd mutatio ciborum grauis sit, adeò vt videatur hoc problema priori annexum & vnum. Deinde quærit, cur aquæ generent pediculos? & respondet, quod commutatio aquarum generat cruditates, præcipuè in parte humidiore, cerebrum autem humidius est cæteris partibus corporis, & quòd pediculi ab humore fiant colligitur experimento puerilis ætatis quæ talibus redundat animalibus, ex quibus omnibus colligitur, quòd aquarum mutatio plus affert iacturæ, quàm aëris. Galenus in primo de Tuenda sanitate (cap. 11.) tam probat vtriusque Elementi bonitatem quàm improbat malitiam, velut & secundo De Natura humana (com. 3.) Et princeps secunda Primi (doc. prima cap. 16.) dum enumerat aquarum malarum incommoda, plura adducit diuturniora & minus periculosa ac magis ad facultatem naturalem pertinentia quàm aëris. Aër autem magis nocet facultati animali & vitali, & celerius interficit. Et constat ex narratione Galeni, & his quæ visa sunt nostra ætate dum Galli in regnum Apuliæ peruenissent, non minus fermè omnes periisse quàm ex aëre corrupto. Curtium tamen referunt maius censuisse damnum ex aqua quàm ex aëre, rationem tamen non addidere qui referebant: sed credo quòd quia sit corpulentior. Vitari tamen iactura aquæ potest, aëris non potest. Si quis enim perpetuò vtatur carnibus assatis & bibat vinum, omnino fugiet noxam aquæ, at aëris non licet, nisi fiat piscis.

Tex. 2. Quare si quis ad vrbem sibi incognitam peruenerit, circumspicere oportet eius situm, quomodo scilicet ad ventos & Solis exortum iaceat. Non enim æquales vires sunt ad septentrionem sitæ, & vergentis ad austrum: neque eius quæ Solem exorientem, & quæ eundem occidentem spectat.

Declarat quod superius dixit, & duo præcipua docet spectanda in vrbium ac locorum situ, quomodo scilicet detegantur ventis & ad Solis partes spectent. In Sole quidem explicat ortum & occasum, meridiem septentrionem: nam sub ortu occasus comprehenditur, sed de ventis hoc non docet, quærenda ergo sunt duo, primum, quid sit illud κῖεται, quod est iacere ad Solem, & quid ad ventos. Si enim intelligamus quòd sit contecta ab aliis partibus, dubium non est quod paucæ erunt imò ferè nullæ, nisi in profundis vallibus. Alemanus intelligit de monte opposito. Sed si vrbs quæ montem habet ad orientem positum, occidentalis dicitur, quare etiam non meridionalis ac borealis? Velut Bononia quæ montem ab austro habet, ab oriente tamen detecta est. Et verè non solum hoc intelligit Hippocrates, sed inclinationem soli, velut cùm tota iacet inclinata ad Orientem, ab occidentis autem parte in colle posita. Istud autem est valde consideratione dignum, quandoquidem fieri vix potest vt solum non ad aliquam partem inclinet, & ita redditur dictum generale & artificiosum ac pulchrum, cum conueniat omni ciuitati. Vix enim solum adeò æquale esse potest. Dignoscitur libella. Atque huiusmodi etiam inclinatione ad ventos seu communes seu proprios. Hæc igitur sunt spectanda.

[a] Hæc itaque diligenter oportet perscrutari, ac simul quomodo circa eam habeant aquæ, numne palustribus vtantur vel mollibus vel duris ex sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus ex petris siue salsis & crudis? [a] Tex. 2.

Declarat quod superius dixit, & deuenit ad aquarum considerationem in quibus nos admonet de septem aquarum differentiis, opponens vnam alteri: molles & duras, palustres & ex sublimi loco natas & scaturientes, salsas & crudas. Et circa has differentias immorari oportet: nam in his consideranda est natura rei, inde causa. Demum dignotio: nam de operationibus suo loco agetur. Ergo salsam aquam dicimus qualis est in mari. Estque vna alia magis salsa: quæ enim in mari Sodomorum seu lacus Asphalitites, vt Galenus refert (quarto de simplic. cap. 20.) adeò salsa est, vt etiam amara non parum sit. Sed & sublimibus locis natas atque defluentes appellat quæ à vertice montium descendunt, vt Tigris fluuius & ex Pindo Achelous (Strabo lib. 11.) & in Hyrcania nonnulli, quos ferunt ictu sagittæ ferri adeò velociter:

citer: idque indicium est altioris ortus quo magis præceps ruit, impetum enim originis retinent. Alij tamen ob angustias locorum & vallium veloces efficiuntur, vt in Armenia Araxes. Sed qui oriuntur & scaturiunt quales Arethusa in Sicilia & plerique alij fontes qui à terra palam oriuntur. Ex petris nullæ exoriuntur aquæ nisi vel inter illas vel ex specubus, tales dicuntur ergo ex petris. Molles,duras,crudas, si per molles coctas intelligamus & crudas in suo significato, proculdubio duris nullus erit locus, intelligit ergo molles suaues quomodocunque, quibus contingit certè vt etiam sint coctæ. Sed plus est cocta quam mollis, coctæ enim raræ sunt & nullibi in frigidis regionibus, suaues autem multæ & maximè in regionibus non multum frigidis, præterea non omnis cocta aqua est suauis,vt Nili, scilicet cum impura fuerit. Dixit ergo molles vt optimas quasque exprimeret in singulis regionibus, quæ non sunt admodum frigidæ: vt Mutinæ profunda fontana, Bononiæ cisternarum, Mediolani puteorum, at duræ dicuntur insuaues. Cum ergo dixit crudæ, intellexit impuras omnino & quæ sunt velut aqua maris: sed tamen impuritas illa salsa non est, verùm à sabulo, cœno, luto, quæ omnino cruda est & praua admodum, adeò vt crudum & salsum opponantur,non vt liberalis & auarus,scilicet virtus & vitium,sed vt prodigus & auarus, scilicet duo vitia.

De causis autem incipiendo ab his quæ à vertice montium descendunt, duplex est genus, scaturiens, de qua dixi modum in libri de Subtilitate Apologia contra Scaligerum: alia verò fit ex collectitia, quæ est triplex, à niue,à pluuia,& grandine & à rore. Differunt hæ omnes ab ea quæ scaturit toto genere,quia sola quæ scaturit ex causa ibi enarrata perpetua est: & hæc etiam immutabilis, vt contrà ea quæ descendit ab aere, in vere semper pessima est, cum fiat ex colliquatione niuium. Quæ verò descendit æstate & autumno cum tonitru sed sine grandine, bona est, quæ cum grandine deterior quàm sine, melior quàm niualis. Quæ autem siccis temporibus & est modica colligitur ex rore, & est pauca admodum, hæc adhuc bona est sed impura tamen. Causa autem earum quæ scaturiunt in plano non est eadem quæ in montibus, tum quia non incalescunt viscera terræ vt in montibus, tum quia non colligitur aqua in montibus, vt in plano, tum etiam quoniam non est adeò cauernosa vt in montibus: demum quia denuo deflueret & conderetur, nisi multa esset: Erumpit ergo ex visceribus terræ descendens è loco altiore. Et piurima de hoc diximus in Paralipomenis. Nunc deuenio ad eas quæ ex petris oriuntur: & sunt multorum generum, aliæ autem colliguntur ex niuibus & glacie & aqua in locum aliàs influxa ex altiore loco. Secundò cum ob frigiditatem lapidum calor intrò coactus aquam resoluit in vapores. Tertiò cum aqua ex lapidibus cogitur vaporibus in vnum coactis: vt videmus in parietibus & hæc pessima est,vt etiam quæ ex niuibus & glacie, sed hæc aliquanto minus. Salsi autem est exustio terrei non simpliciter sed aquæ misti, ob id omne sal tenue est, & maximè aqueum. Si autem non esset aqueum fieret amarum. Ergo sal aqueæ ac terreæ substantiæ est, & tenue. Et licet sit sal lapideum,tamen habet aquæ partem. Mollis autem aqua fit tum calore concoquente, tum substantia luti tenerioris subiecta, ex aqua duo commoda subsequuntur, puritas & mollities, à similitudine tenues enim partes quæ sunt in aqua adhærent terræ glutinosæ & lentæ. Et contraria ratione fiunt crudæ, vbi solum fit asperum vel limosum valde: ab hoc enim defœdatur, ab illo non repurgatur, & ita fiunt crudæ, duræ autem vt in Germania, vbi à sole non concoquuntur. Dignotio ortus est partim ex visu, partim ex velocitate, vt iam dictum est, partim ex quantitate: riuuli enim descendunt ex collibus aut montibus, nisi sint in fossis. At duræ aquæ, molles, crudæ, difficilius dignoscuntur: salsa enim facile gustu deprehenditur sicut cruda quoniam turbida (eam intelligendo quæ à dura distinguitur) & lutulenta vel arenosa vel animalculis plena. Fieri enim non potest vt aqua cocta & bona animal gignat. Mollem igitur, à dura dignoscere licet, primum quod omnia coquuntur facile in molli, non licet in dura, maximè ciceres. Secundò quia mollis gustu sentitur facilè, non tamen oleosum quiddam refert, esset enim impura, sed quoniam iucunda est & suauis, dura verò aspera & insuauis, colore etiam dura glaciei magis assimilatur, & quòd euidentius, digitus ex aduerso positus conspicitur, & minor apparet: contrà in dura maior, & minus euidenter, strepit etiam magis dura effusa quàm mollis. Vltimum signum est, quod dura tardè calescit & tardè refrigeratur, mollis citò vtrunque adipiscitur. Epota etiam tardè descendit dura, grauat præcordia, & vrinas non cit, multo minus sudores, cum mollis vtrunque efficiat. Hic autem omittit genus aquarum à cœlo descendentium quod opponitur ortis, & est sexcuplex, pluuia, nimbosa, grandinosa, niuea, pruinosa, & rorida.

LECTIO VIII.

Super

TEXT. VI.

Terra etiam ipsa consideranda, nuda ne sit, & aquis carens, aut densa & aquosa, & an concaua sit, & æstuosa, vel alta & frigida?

Qvatuor proponit terræ differentias, duas ac duas inuicem oppositas, prima ergo terræ differentia est, quòd terra sit nuda sine aquis, id est sine plantis vllis: nam vbi plantæ ibi necesse est aquas adesse vel profundas, vt illis attenuatis subministretur alimentum plantis: vel in terræ superficie, & sic non deerunt etiam aquæ, vt fontes, flumina torrentia, lacus: vel vt à cœlo terra irroretur: & sic erit aquosa in superficie. Vnde in locis

aridis si videamus plantas aliquas esse, certi simus non longius abesse aquas. Sed dices, Theophrastus narrat, in Hemo quondam non fuisse aquas, Cassandro autem vt Gallos obsideret succidente syluas, obortos passim fontes, quòd alimentum à plantis non absumeretur. Idem ait circa Magnesiam accidisse. Adeò vt defectus plantarum aquas non adesse haud ostendat. (3. Natur. Q. capite 11.) Dicitque ad hæc Seneca verum in profundo, vt vult Theophrastus.

Aut densa & aquosa] Hoc est secundum diuisionis membrum: quæ enim densa est & aquosa sit necesse est: quæ autem aquosa, densa, nam cum regiones aliæ calidæ sint, aliæ frigidæ: calidis in locis concocto humore necesse est generari plantas, minores herbas scilicet, quod si validior sit calor concoquitur etiam terra, & tunc arbores generantur. Si autem adhuc calidior, generantur animalia exanguia, vermes ac pisces: sin verò calor adeò potens fuerit, vt pinguem reddat terram, & humidum aquarum tenue, vt in Ægypto generantur etiam animalia perfecta vt lepores ac mures. At ex his omnibus status hominum variatur. Vbi enim terra arida est & nuda, homines sunt exiles, sicci atque inepti: vbi etiam humida & plantis referta molles, & qui facilè soluantur à calore laboribúsque. Dicit Adrianus, terram rubram significare bonum aërem. Huiusmodi sanè consecutio est vt terra, aqua & aër in idem tandem concurrant quoad salutem & morbos hominum attinet. Diuersa tamen est ratio aquarum & terrarum in hoc quod solum siccum cum aquis currentibus salubritatem aëris efficiunt: solum humidum vel aquæ stagnantes corrumpunt ipsum. Terra etiam humida & aqua stans diuerso modo aërem inquinant. Etsi contingat quòd aqua multa sit in frigida regione, tunc solum bituminosum est, ideò necesse est generari plantas. Ideò Thales & multi alij Philosophi dixerunt, aquam esse principium rerum: quia seu regio sit calida seu frigida, vbi aquarum copia adsit, abundant plantæ, & vbi plantæ, animalia, nam omnis planta est cibus alicuius animalis etiam si sit venenosa: ideóque vbi serpentes ibi plantæ venenosæ & vbi plantæ venenosæ ibi serpentes: Si verò non sint venenosi, ibi multa animalia quæ illis vescuntur: & rursus animalia quæ illis animalibus, vt ita dicam, innoxiis vescantur, & homines abundent, quòd homo coëquetur vniuerso generi animalium, copia igitur aquarum & abundantia plantarum & animalium semper se consequuntur.

Quomodo autem huiusmodi loca fiant, causæ sunt (nam de decretis suo loco tractabit (nunc docere par fuerit. Clarum est terram sua natura siccam esse, vt in fine Metheororum scripsit Philosophus, eandem autem aliquando aquis irrigari, nonnunquam esse siccam vt in primo Metheororum ait (text. 28.) & rursus in Problematibus dicit, quod madet vbertim (cap. vlt. in prin.) vt ergo sicca sit, expers sit aquarum oportet, hoc autem contingit quadrifariam vel nimio æstu solis (23. Probl. 34.) vt in desertis, arenosis sub torrida plaga: aut o bnimium frigus cuncta arefaciens: vt sub polo & in Timarchia. Vnde etiam Hippocrates nudam terram vocat, niuibus tamen contectam. Vnde ex fine libri De aëre & Aquis inquit Galenus in libro (cap. 8.) quod Animi mores corporis sequantur temperaturam. At vbi nuda regio fuerit niuibúsque contecta hyeme vel æstate solis ardoribus: vbi in Hippocratis textu qui cum Galeni libris (cap. 12.) habetur (niuibus) deest, nec in vllo alio codice habetur: nudam ibi sub alio sensu accipere oportet, licet φιλήτε vocabulo vtrobique vtatur, vt hic nudam, id est plantis carentem, ibi nudam, id est nullibi contectam & ob altitudinem expositam cœli iniuriis. Aut hic etiam sub illo sensu: sed tunc coniunctim legere oportebit nudam & aquis carentem, ostenditque rationes tres simul, imò forsan quatuor, scilicet omnes, vt eminens sit & ob id solis ardoribus exposita, vt dixi, vel à frigoribus exusta vel à ventis siccata, vel ab aquis ob altitudinem destituta.

Et an concaua sit.] Hic proponit tertiam differentiam terræ, quæ cum caua sit æstuosa, cuius etiam meminit inferius (cap. 12.) & similiter Galenus libro) cap. 8.) quod Animi mores corporis sequantur temperaturam, vbi semicomentum in hoc opus reliquit, necesse est autem cauas regiones æstuosas, non tamen calidas: differt enim æstuosum à calido: æstuosum enim immoderatum est & suffocat: calidum autem bonum persæpe, etsi etiam moderatum sit, & ob id malum, modò non suffocet malum non est, aut saltem non valde malum. Calor enim malus est vel quia vrit, vel quia suffocat. Inde sequitur vel alta & frigida, hoc est quartum membrum notatu dignum, quoniam vult quod regio alta sit frigida, & hoc est verissimum, adeo vt etiã sub Æquinoctij circulo montes niuibus integãtur, sed nobis pugna est cum Aristotele, nos enim dicimus, aërem per se esse frigidissimũ, nec incalescere nisi ob radios solis Aristoteles calidissimum, sed à vaporibus refrigerari. Vter nostrûm veriora dicat, vos diiudicabitis. Aristotelis fundamenta sunt, quòd duo sunt elementa frigida, igitur totidem sunt calida, nam si vnum contrarium est in natura, etiam est reliquum, frigida autem sunt terra & aqua, igitur, calidus aër & ignis. Secundo quia coniugationes qualitatum non seruarentur, est enim frigidum & siccum terra, frigidum & humidum aqua, calidum & siccũ ignis, ergo aër calidus & humidus, tettiò quia tempora anni sunt quatuor, & ipsa conseruant elementa & singula singulis referuntur, ergo veri assimilabitur aër, erítque calidus & humidus, præterea videmus quod aërea, qualia sunt oleum & adeps, calida sunt, igitur & aër calidus, accedit etiã illud quod omnia leuia videmus esse calida, vt ignis, fumus, sulphur, aqua ardens, & quæcunque sursum feruntur, ob caliditatem ferri videntur, aër leuissimus est ergo calidus. Demum tenuia sunt calida, etenim tenuitatem caliditate acquirũt: Etsi aër frigidus esset, iam æterno in tempore condensatus necessariò foret, & hæc ratio est validissima. Cum constet aërem esse tenuissmum & non posse conseruare substantiam suam nisi ob principium naturale quod est

est caliditas ipsa. Quòd si quis dicat aërem hic videri frigidissimum, ego longè melius respondebo pro Aristotele quàm faciant Aristotelici qui dicunt hoc contingere propter vapores eleuatos à terra & aqua, & non animaduertunt quòd vapores non possunt esse primum potentiores aëre, secundò quòd aër quanto magis est serenus & clarus eo frigidior est, & præcipuà in hyeme, tertiò quoniam in excelsis montibus est frigidissimus, & tamen ibi pauci sunt vapores, & etiam si frigidissimus est, ergo non eleuat vapores, igitur non est frigidus propter vapores. Propterea respondeo pro Aristotele quod aër est frigidus prope terram propter duas alias causas, si vultis dicere quod propter vapores ita quod adiuuent, ego non contendam, sed illa non est causa principalis neque etiam euidens, sed euidens est motus, motus enim in his quæ dissoluuntur, velut in aëre aqua manifestè refrigerat, quia dissoluit partes nisi sit coniunctus siccæ materiæ, aër autem est in perpetuo motu, & istud confirmatur experimento, quia omnis ventus validus immoderatè refrigerat, sed hæc ratio multas habet dubitationes, propterea reddo rationem principalem quæ est, quòd terra & aqua frigida non per vapores sed per continnitatem manifestè refrigerant iuxta proportionem densitatis & raritatis, quod videmus in ferro mediocriter calido quod accendit sulphur, paleam, stuppam, arundinem, siccam cartam, quia calor ille qui in ea materia densa diuisus, non erat intensus nisi ad secundum gradum, in materia tenuissima acquirit gradum igneum, idem de frigore, & ideò aër hic sit frigidissimus, à terra & aqua, quia proportio terræ & aquæ ad aërem est valde magna, quorum materiæ multitudinem, & do vobis exemplum, si vos accendatis ignem ex palea, aër superpositus fit flamma & ignis & vrit statim, si superponatis ferrum aut laterem aut aquam, manebit per vnam horam antequam fiant tepida, & hoc est quia gradus definitur penes qualitatem diuisam in materia, velut si vnus homo haberet centum millia coronatorum, procul dubio esset diues, si autem decies centeni mille viri haberent centum millia coronatorum & nil aliud, profectò essent pauperrimi. Venio modò ad rationes nostras, & dico quod aër est frigidissimus sua natura, quia quotiescunque non incalescit ab igne vel sole vel exhalatione, statim redit in extremam frigiditatem, nunquam autem in caliditatem, ergo cùm omne ens relabatur in suam naturam, clarum est quod aër est frigidus. Et si dicas, quod aqua sit feruens quamuis natura sit frigidissima, respondeo quod nihil potest mutari in contrarium extremum, nisi corrumpatur: quod etiam aquæ accidit cum feruet, cum ergo aër maneat, palam est eum non posse esse natura calidum. Secundò, aër est factus refrigerandi causa corpora animalium, ergo est per se frigidus: aliter bifariam errasset natura & faciendo aërem per accidens frigidum quo vti vellet per se ad refrigerationem, nihil enim per accidens debet præponi in ordine causarum per se: & etiam, quia ille aër quanto purior esset tanto esset deterior, & quanto deterior tanto melior, quia magis refrigeraret, tertiò quia essent plura agentia sub eadem generatione, vtpotè calor ignis, calor aëris, & calor cœlestis, in quo miror de Aristotele, quod voluerit esse tria efficentia non coordinata in eodem genere & in eadem operatione. Quarto, quia si aër calidus esset, concurreret in generatione vt agens & vt materia, & ita idem esset agens ratione qua calidus & patiens quatenus elementum.

Præterea quæro, quodnam genus caloris sit? aut enim est violentus? & ita non esset idoneus nisi ad corruptionem? vel esset cœlestis, & ita non esset proprius ei: vel esset naturalis? & ita consumeret substantiam, sicut videmus de calore plantarum & animalium. Vbi etiam est calor naturalis, ibi est lux aut lumen, sicut videmus in animalibus & vita, aër autem per se obscurissimus est. Cessaret etiam oppositio vera quæ est inter cœlestia & sublunaria, quia cœlestia, habent rationem habitus, & est calor, sublunaria priuationis, & est frigus, & sicut oportet recipiens esse denudatum ab omni natura recepti, ita elementa sunt priuata omni calore per se, sed recipiunt calorem cœlestem ad generationem, calorem putredinis ad corruptionem, calorem violentum ad attenuationem. Pro solutione ergo dico, quod aër sui natura est frigidissimus, id est priuatus omni calore, & ita hæc frigiditas est priuatiua, natura autem propria est temperatus, id est, quia non est neque frigidus neque calidus, quoad qualitates, comparatione tamen hominis est frigidus, quia natura humana est calida non parum. Dico quartò, quod aër facilè trãsmutatur ad summum calorem, vt in flamma & frigus, vt in glacie, & ideò aër in cacuminibus montium est frigidissimus trifariam, & ratione propriæ naturæ priuatiuè vt dicunt, & ratione quia destituitur à calore radiorum Solis maximè refractorum, qui non est contemnendus, vt in speculo concauo, & in vallibus, sicut diximus aliàs in libris de Subtilitate, & hic docet de æstuosis locis cauis. Tertiò, propter refrigerationem saxorum qui sunt in montibus adeò, vt dixi, vt etiam sub æquinoctiali niues & glacies generentur.

Porrò, Hippocratis sententia secundum, quòd colligitur à Galeno in libro (Capite 8.) Quod Animi mores corporis sequantur temperaturam est quod situs locorum tria maximè significet temperamentum corporis & compositionem, morbos quibus sunt obnoxij, & mores animi, duo prima pertinent ad medicum per se, tertium quoquomodo.

LECTIO IX.

Super

TEXT. VII.

HOminum insuper diæta perquirenda, qua maximè capiantur: an bibuli sint & lurcones, & ocio dediti, aut exercitiis variis vtentes, & tolerantes

rantes laborum, ciborúmque plus appetentes quàm poculorum.

TRansit ad secundum genus rerum non naturalium (sunt autem hæ sex vt habet libro Artis medicæ, capite 85. (Nam superiora omnia ad aërem pertinent, vt etiam aquæ: sed aquæ vt sunt ad aërem pertinent, vt bibuntur ad potum: & ideò habent duplicem locum, hîc verò propriè de cibo & potu ac motibus & quiete tractat, per eadem tamen intelligit somnum & vigiliam, venerea: per verbum autem lurcones, seu ἀριστηταὶ ab ἀριστάω, quod est prandeo, eos qui se ingurgitant intelligit. Horũ nihil discere possumus, quãdiu ignorauerimus quorsũ hæc tendant, finis autem propositus est ab eo in initio, hic scilicet vt medicus possit exercere artem perfectè, nec, vt puto, intelligentibus dubium est de hac necessitate scientiæ temporum & victus, quæ omni ægro conuenit. Verùm dicet quispiam, quorsum scire regiones, aquas, ventos, si voluero manere in mea regione, sufficit enim quæ ad regionem meam pertinent dignoscere situm loci, ventos, poli altitudinem, aëris naturam, aquam, consuetudines, temperaturas, victus rationem, & si velis addere etiam mores tum plantas quæ melius ibi proueniunt, quæque facultates habent præclaras: at vt debeam vagari, cum nulla mihi causa sit præter id quod nulla vtilitate id facturus sim, & magno dispendio multísque periculis etiam studere non potero, neque artem exercere: quis enim est medicus qui prorsus incognitus ad curam ægrorum, relictis suis familiaribus medicis aduocetur? Narrat Galenus (10. de Simplic. med. cap. 1. in fine, (de duobus medicis, qui inscij consuetudinis gustato melle, quod ille vendere velle simulabat, paucas post horas abierunt, & Romæ quod ex insidiis iuuenis medicus perierit. Ad hoc responderi posset, quòd Hippocrates hoc in libro (De Præcognitione ad Porth. cap. 4.) vnum docet & aliud vult. Docet quidem quomodo in Africa & Asia & Europa & Scythia, quæ vt videbitur quarta est orbis pars & magnitudine & situ locum dignum habitura vnusquisque medicus possit dignoscere quæ sunt necessaria: non vult tamen quod adeat omnes illas partes, sed vt hæc eadem contempletur in propria regione, & vt sciat etiam antequam adeat, si fortuna contingat vt eò se conferat, mores, naturam gentis, proprios morbos, leges, corporum qualitatem, situm, aquas, ventos, tempora, anni, atque huiusmodi. Possumus & dicere, quòd velit medicum vagari in iuuenta perdiscereque, hæc omnia vt fiat gloriosus, reuersi enim in patrios aliis sublinire solent & magnum nomen obtinere, quod nostra ætate profitendo solent adipisci. Ad incommoda respondeo, pericula facere cautum, expensas paucas esse si quis aliis adhærens hoc agat aut priuata sub persona, fine autem vtilitate nulla peregrinatio esse potest sapienti viro. Memini me vidisse Græcum, seu qui Græciam inuiserat, qui tot tantáque didicerat, vt nisi cruris lupa (genus est cancrenæ seu carcinomatis) miserè perpetuò detentus esset, se suorúmque familiam etiam numerosam tot secretis sustentare potuisset: & erat vir prorsus ignarus literarum. Quod verò opponitur de temporis dispendio, hei mihi, quoniam quotquot libros bonos parua arca concludere potest. Vis esse mathematicus, quinque aut sex libri sufficiunt Euclides, Archimedes, Pergeus, Ptolemæus. Vis esse Philosophus, quid desideres præter Aristotelem, Plotinum & Theophrastum, vnam ego Arithmeticam, vnam Dialecticam ego scripsi, vis medicus fieri, sufficit Hippocrates, Galenus, Oribasius, Princeps. Melius est paucis benè incumbere quàm pluribus malè, ac si plures legas, malè vt incumbas necesse est. Volo Grammaticam & Rhetoricam, Cicero & Quintilianus ac Virgilius cum Seruij commento sufficiunt. Tunc dicitote aliis indigere vel hæc non sufficere cùm ea optimè callueritis. Sed quis est hic? nos magnam partem laboris vobis laboribus nostris sustulimus. Quis ergo dicat peregrinationem impedimento esse studiis, maximè hac ætate, cum vbique beneficio Typographicæ artis venales paruo libri prostent & apud indomitos Turcas, iam mundus factus est vt homo vnus, cuius etsi membra dissideant, tamen omnia in vnum consentiunt.

Sed modò transeamus ad Hippocratis verba explicanda, inquit, necesse esse consuetudinem scire, vt si sint bibaces & lurcones & ocio dediti, an potius exercitati & laborum patientes, & cibo potius quàm potui dediti. Planum est singula singulis opponi, bibaces inquit huic opponimus plus appetentes ciborum quàm poculorum, ocio deditis eos qui assiduè exercentur, & laborum sunt patientes, vnde id quod est lurcones seu aristeti, pro his intelligantur, qui potu potius quàm cibo gaudent, eos appellamus qui prandent, id est, comedunt vt bibant, qui mos est apud Gallos, vocántque sua lingua. Vn petit morseau, id est, parum comedere panis vt vini non parum hauriant. Memini me dum essem in Gallia, & inuisissem quendam nobilem, in lectum attulerunt frustulum panis, vini autem satis pro quatuor temulentis, eram autem solus cum duobus pueris seu adolescentibus in cubiculo: rogaui quid hoc? erat autem mihi nouum, responderunt id consuetum esse: risi & renui, illi tamen reliquerunt vinum & panem, alij ergo bibunt quia comederunt, atque hic mos probatus est, & naturæ & saluti consentaneus, at comedere vt bibas lurconis est. Súntque hæc satis cognita ex Athenæo (lib. 1. cap. 4.) vbi de prandio & ientaculo agit. Sunt ergo duo genera corporum ex consuetudine è regione opposita firma & fluxa. Vnde quærebat Philosophus prima Problematum (47.) cur cibum subtrahere, laborem verò augere ad valetudinem conferat, & est sumptum ab Hippocrate in sexto Epidemiorum (Par. 4. Text. 20.) sanitatis studium non saciari cibis & impigrum esse ad labores atque hæc quoad naturæ rationem, namque trifariam robusti fiunt, & magnitudine caloris qui benè concoquit, & cibi paucitate qui benè concoquitur, oportet autem esse solidum & boni alimenti, qualis est panis & fructus è nucum genere, & quia membra solidiora redduntur, circa

operationem

operationem verò medici qui tales sunt sustinent inædiam facilè & purgationem, sectionem tamen venæ magis intemperati: Si ergo medicus hæc nouerit quæ noscere oportere, docet Hippocrates in eo Aphorismo sextæ particulæ Epidemiorum, victus ex repletione inanitionéque cibariorum ac potuum: Et ibi labores, ocia, somni, vigiliæ. Sed & in lib. de Flatib. hoc docet (à Text. 20. ad 23.) quanquam non facilè sit vt concedamus legitimum esse Hippocratis librum. Sed & in libro de Humana natura. Quomodo autem fiant morbi ex mala diæta, dicam opinionem authoris libri de Flatibus: & est quod ex pluribus cibis generantur flatus: quod declaratur ex eructuatione, & ab illo flatu refrigeratur sanguis, & cor tanquam primum principium, & indicium huius est, dicit, quod febres incipiunt cum rigore & frigore, ideò existimat causam omnium morborum esse flatum. Demiror itaque cùm tot libros reiiciant ab Hippocrate, qui ne minimam continent partem absurdorum, quæ liber hic continet, hunc qui adeò à sua opinione aliena continet: quique solem spiritu ferri contendit, credere ipsum esse illius Hippocratis. Nam præter id quod multi corrumpunt cibos absque eructuatione, etiam multæ febres absque rigore incipiunt. Causa igitur quod cruditas morbos gignat est, quia vbi cibus crudus est, non est in potestate animæ illius, sed animæ mundi, ideò fertur si leuis sit sursum, & si grauis deorsum, & non quò oportet: & confertim & non diuisus ad minima: Et afficit refrigerando vel calefaciendo partes: & obstruit & impedit: demum corrumpit illarum nutrimentum, & ita quinque his modis præcipuis morbos gignit.

Illud etiam considerandum est, Hippocratem indicare nobis duplicem noxam diætæ præter rationem, vnam in sanis, vt sint procliues ad morbos, aliam in ægris, vt impediatur sanitas: Et circa hoc obseruandum quod diximus in opere de Dentibus, (libro 2.47.) res has non naturales quandoque iungi morbis vt causas quæ illos creârunt, & tunc morbi illi difficillimè sanantur. Exposuimus autem quæ non possunt auelli, & connumerantur inter causas morborum, & quæ non. Et est alia ratio, quia non solum sunt cõsiderandæ vt impedimentum curationis morbi, sed vt indicant morbos futuros in sanis & præsentes in ægris, velut Galenus docet (lib. 8.) in opere Artis Medicæ. Tertiò consideranda sunt hæc vt inducunt consuetudinem, quam dum postmodum violant, parit morbos. Atque Gallis plusquam bis etiam dabimus cibum in die: & Germanis facilius concedemus vinum. Ergo ratio victus tripliciter indicat, vel vt manet & procreat morbum, aut adauget, aut vt significat morbum, aut indicat de consuetudine à qua abdendo in periculum deuenimus.

Porrò malæ rationis victus multiplex est iactura: prima per se, vt nimia repletio cibi mali. Secunda comparatione naturæ, ætatis, loci, temporis, consuetudinis: hæc enim quinque sunt principalia, & in ægris sextum morbus, & quicquid cum eo coniungitur. Tertia ratione ordinis, moderatus labor, moderatus cibus, sed ante laborem cibus peruertit hominem, vt quidam iuuenes qui à prandio statim se dedunt pilæ paruæ ludo, alioquin ociosi, quos constat ad talem se præparare, vt in libro de Cibis boni & mali succi. Quarta, cum non inter se congruunt res præter naturam. Et vt generaliter ad methodum traducam, peccatur in sanis quadrupliciter in illis, in ægris etiam comparando ad res contra naturam seu affectus. Simpliciter, comparatione ad naturam, comparatione ad reliquas inter se, & ratione modi.

LECTIO X.

Super

TEXT. VIII.

Atque ex his singula sunt inuestiganda. Nam qui hæc omnia probè quantum fieri potest, cognouerit, aut horum plurima, eum non latere possunt, cum in vrbem etiam ignotam sibi peruenerit, neque morbi regioni peculiares & proprij, neque communis regionis natura quæcunque tandem ea fuerit, vt non possit in cognoscendis morbis dubius hærere, aut errare, sic vbi ad morborum medicationem adhibeatur: quæ ambo illis euenire solent, qui non prius prouidi hæc diligenter cognouerunt.

Nunc proponit Hippocrates vtilitatem huius doctrinæ quomodo se habeat, quoniam antea in genere quatuor, quæ præcipuè medicum inspicere oporteret edocuit.[a] Primum, situm loci quo ad ventos, & quo ad solem.[b] Secundum, aquas quales essent iuxta illas septem differentias.[c] Tertium, terras nudas & siccas, aut densas & aquosas, aut concauas & æstuosas, aut altas & frigidas.[d] Quartum, diætam intelligendo per diætam res quinque reliquas ab aëre omnes, sed præcipuè illas quæ commutant homines generaliter, & sunt duæ labor & ignauia, cibus & potus, nam cura & vigilia & euacuationes non sunt adeò generales, vt illa duo, quia illa duo sunt per se necessaria ad salutem & secundum frequentem vsum comedere, bibere, laborare. At dormire non est in nostra facultate adeò, & purgatio non est nisi stolidorum hominum aut auarorum medicorum, & curæ paucis accidunt, nisi frustra se macerent, iracundi enim vitio laborant, dicit ergo quod talia sunt inuestiganda, scilicet secundum genera, & etiam secundum quantitatem, nam magni excessus magnos pariunt effectus, & parui paruos, dicit ergo, quod vbi quis hæc probè cognouerit, id est exactè, tunc cognoscet morbos familiares illi regioni, & naturam communem ipsius regionis, adeò vt cum offertur æger, neque errare debeat in cognoscendo, neque etiam in curando. Et hæc sunt illa duo de quibus ait, & propterea posset dicere aliquis, ergo omnes morbi essent similes,

[a] *Text. 2.* & 4.
[b] *Text. 3.* & 5.
[c] *Text. 6.*
[d] *Text. 7.*

similes, quia si dignoscuntur ex his quatuor, & hæc quatuor sunt communia, igitur omnes morbi illius regionis erunt similes, quod est falsum. Et quamuis Alemanus multa dicat præclara inter quæ distinctionem illam quadruplicem morborum communium in simplices velut febres & alui profluuia, & in Epidemios, velut disenteriæ, sanguinis eruptiones, tusses, peripneumoniæ, morbi laterales & in pestilentes, vt febris pestilens, carbunculus, bubones exitiales, sudor Anglicus, angina, phrenitides alió sque. Et in Endemios, vt phthisis Lusitanis, Aruma Hispanis hydrocelæ, Galliæ Narbonensi podagræ, Mediolanensibus elephantiasis, Scotis & maximè Hibernis, non tamen dissoluit difficultatem, quoniam non ob hoc scimus naturam morborum, conatur autem sic euadere quod postquam nescimus temperaturam propriam bonum est & necessarium, saltem scire communem quæ dignoscitur ex quatuor illis supradictis, atque ita videtur effugere difficultatem, nam dicit, peregrinus homo non potest cognoscere temperaturam propriam: sed hoc non satisfacit de morbis & causis morborum: esset enim stultum non solum inhumanum mederi quemquam non cognito morbo nisi per coniecturas vniuersales. Propterea possumus respondere, interpretando verba Hippocratis trifariam, vel de generalibus tantum morbis, vel sporadibus, vt sunt iidem generalibus, vel vt possunt intelligi sine his generalibus. Quod ad primam expositionem attinet dico, quod Hippocrates intelligat de morbis vulgaribus, sicut explicat in sequentibus, ad hos enim morbos solent vocari præclari medici, vt ipse vocatus est in Asiam, & ad Pæonas ad quos noluit ire tanquam inimicos Græcorum: & ad Athenienses propter pestem, ad quos misit Thessalum filium, ipse ire non potuit. Et Curtius ætate mea Vincentiam, quamuis malè fortunatus fuerit in curando. Igitur hæc expositio est satis congrua: quoniam vocantur tales medici, quia propriè nesciunt curare morbum illum, eò quòd non cognoscunt causas, & curatio fit amouendo causas, & per contraria causarum: & etiam quia non possunt perfectè cognoscere vim illius morbi. Exemplum contingit, quod in aliqua ciuitate sicut sæpè euenit quod multi moriuntur ex morbo laterali contracto ex pluuia collecta, sicut fuit tempore Thucydidis, vt refert Diodorus Siculus in fossis iuxta Athenas, inde succedente æstate & ventis, ægri omnes moriuntur: medici patriȩ putant illud cõtingere (nescientes hanc causam) vel quia abscessus in illis magni, vel quia sectio venæ non fiat in loco conuenienti: & ita vnus mittit sanguinem ex vna vena, alius ex alia, & tantum abest vt proficiant, vt etiam valde lædant: addentes malum malo, & similiter alij putant contingere ratione victus, & tentant alios cibos, vtpote carnes, fercula, aut nimiam inediam: & ita plures mactant & celerius, medicus ergo hæc noscens euacuatis fossis, accensis multis ignibus, suffitibus odoratis poterit liberare eos, & hæc est perfecta solutio, & credo quod sit ad mentem Hippocratis. Secunda est vt dicamus quod intelligat de morbis propriis: hoc modo, scilicet quod præsupponat eosdem morbos esse sporades & communes, & hoc videtur velle Hippocrates, & cum omnes fiunt sub eadem forma, vtpote tertianæ aut quartanȩ, tunc vocantur omnes simplices vel epidemij vel pestilentes vel endemij, & hoc videtur velle omnino, quia dum connumerat morbos ætatum & temporum & locorum, nullum genus morbi excludit, ergo vult quòd sporades contineantur sub communibus. & sicut constitutiones generales, sub quibus etiam intelligo ætates & sexum & res naturales, vt se declarat Hippocr. in 3 Aphor. & 1. & 3. Epidem. sunt indicia morborum communium ita propriæ propriorum & sporadum, & hoc superlucramur amplius: pòst cognoscendo per vniuersales causas, cognoscimus more diuino, & ita longè melius, quam qui sciunt per propria vocata signa & specialia, & ita Hippocr. docet vtramque cognitionem morborum & signorum & causarum in hoc libro.

Tertia expositio est magis subtilis & Hippocrate digna: & est quòd morbi non possint cognosci per propria signa, nisi cum auxilio cognitionis temporum, locorum, & similium. Et iuxta hoc videtur Hippocrates præsupponere quatuor cognoscenda, morbum per propria signa, naturam ægri per propria signa, & vtrumque horum per signa generalia: quæ sumuntur ab illis quatuor propositis. Et quod dico de signis, dico de curatione. Cum enim sint tria consideranda in quolibet ægro, naturalia, præter naturam & contra naturam: cúmque res hæ non naturales sint causæ neutræ, vt in Arte Medica, (cap. 85.) illæ erunt cognoscendæ trifariam, vt cognoscuntur res naturales, quæ ab illis pendent: vt res præter naturam, & ibi morbi causæ, symptomata: & vt possunt esse instrumenta curationis. Ergo sub hoc sensu erit vtilitas triplex cognitionis causarum vniuersalium, & adeò clara, vt non indigeamus nisi declaratione huius: quomodo morbus nõ possit cognosci per signa propria. Ideò dico, quod mens Hippocratis (pag. 3.) in lib. de Arte est quod morbi interni raró cognoscantur perfectè, & non statim. Quoniam ergo nos indigemus curatione morbi statim, ideò etiam indigemus illa cognitione quæ fit per coniecturas generales. Illud idem declarat prima Aphorismorum (12.) cum dixit: Accessiones verò & constitutiones indicabunt & anni tempora: igitur anni tempora faciunt ad dignoscendos morbos. Sed iam propius accedamus, est aliquis qui habet vriginem vrinæ, habitans in regione calida & sicca cum aquis puris, & victus eorum qui ibi habitant est sobrius, multum exercentur, vescuntur auibus, pane leui: alius similiter eodem symptomate tenetur, viuunt ibi multo caseo, plurimum comedunt, sunt ociosi, bibunt aquas turbulentas, calidas atque stagnantes: Dicemus cum sciamus apud eiusmodi homines esse multos qui patiuntur càlculum vesicæ apud illos, motum bilis ad vrinam hunc laborare lithiasi, illum vrigine ex bile ad vesicam descendente. Rursus, duo sunt qui patiuntur tussim, difficultatem spirandi, dolorem in latere dextro, febrem acutam. Primus degit in malo aëre, vtitur exercitatione multa, cibis biliosis, est iuuenis, colore flauus

non

non multum se replet, aquas bibit bonas, & vtimur vino claro (flauo: alter degit vbi aquæ crudæ sunt, turbulentæ, edax, cibis vtitur plurimum nutrientibus, in ætate primi senij, ociosus, pisces comedit, dulcium aquarum, & non squammosos, crassos, pane vescitur graui parum fermenti habente & malè cocto: à prandio ambulare solet ac scribere, temperaturæ sanguineæ & pituitosæ. Dicemus hunc iecoris inflammatione, illum membranæ costas subcingentis detineri. Iuxta hoc ergo cognitio rerum non naturalium omnium dicit vel maioris partis, quia non semper omnes cognoscimus, & dato quòd cognosceri-mus, non omnes in vnum semper conspirant in morbis communibus, docet præsagire euêtum eorum. In propriis autem morbis declarat celerius differentias eorum: vt etiam celerius occurrere possimus morbis: tertio docet modum curandi, velut supra dixi, in morbis generalibus, in specialibus autem specialiter, velut cognoscendo lapidem vesicæ inchoatum ex aqua arenosa epota, instituam alium potum. Euidentius autem in morbis qui curari possunt, velut podagra, arthritide, capitis dolore antiquo, malo iecoris habitu.

LECTIO XI.

Super

TEXT. IX. & X.

QVare qui ea studiosè rimatus fuerit, vniuscuiusque temporis ac anni futuri constitutionem prædicere poterit: qui videlicet morbi communi adfectione ciuitatem sunt inuasuri, tum æstate tum hyeme, & quæcunque pericula vnicuique sunt timenda ex diætæ ac victus mutatione.

DE omnibus intelligendum est, vt sub ventis & ortu intelliguntur tempora etiam anni. Et ideò cum proposuisset quatuor cognoscenda, iterum repetam, consilio valde vtili quædam præsupponit, quædam subintelligit: Præsupponit quidem naturalia vt in declaratione, non simpliciter sed comparando, velut infantibus (infra dicit) & pueris calculi renum, mulieribus abortus, subintelligit tempora anni sub ventis & exortu solis. Vult ergo vt ex horum comparatione dignoscamus constitutiones temporum, id est morbos qui temporibus accident: hoc enim appellat temporis constitutionem, id est morbos qui tum accidunt. Et quòd ex horum comparatione hæc cognoscantur, & qualiter vides in exemplo clarissimo inferius: inquit enim:

[a] *Text.* 14. [a] Quæcumque ciuitas sita est ad ventos calidos, & à ventis borealibus tuta est, & protecta & aquæ sint multæ & subsalsæ, æstate quidem calidæ, hyeme frigidæ, & quæcunq; sunt hominibus aduersa. Ecce quòd ex generali constitutione ad temporum constitutionem peruenit absque alio: quod postea clarius ostendit.[b] Inde docet succedente tempo-

[b] *Text.* 16. rum mutatione quid sperandum, cum dixit:

[c] *Text.* 17. [c] Etsi quidem æstas sicca fuerit, citius sedantur morbi: [d] & inferius etiam explicat il- [d] *Text.* 18.

los. Et vt vno verbo doceam omnem rationem harum mutationum, dico quòd cum proposuisset quatuor generalia, scilicet habitationes quoad ventos & solem & aquas & terras & rationem victus, ex his consequuntur alia quatuor, primum morbi generales qui æstate & hyeme & semper sunt familiares regioni & morbi, qui consequuntur mutationem temporum secundum naturam, vtpote æstate vel hyeme qualiscunque sit; inde morbi qui consequuntur mutationem temporum præter naturam, inde morbi qui consequuntur mutationem rationis victus: Et ideo tempora non connumerantur in his, quia non sunt causæ simpliciter sed in quibus: & ideò non sunt adnumeranda superioribus quatuor, neque astrorum ortus ac occasus, de quibus dicet inferius, quoniam ex his mutantur aër aut aqua: & ita sunt causæ magis remotæ. Coniugationes autem sunt penè infinitæ, vt ita dicam, nam ratione habitationum & ventorum fiunt quatuor principales differentiæ, exceptis medii & compositis, ad orientem, occidentem, septentrionem & meridiem, ratione aquarum tres, primæ ab ortu, à qualitate quatuor, vt sint duodecim, quæ ductæ in primas efficiunt quadraginta octo: quæ ductæ in quatuor rursus tertiæ sectionis sumptas à terra, fiunt centum nonaginta duæ. Quas iterum ducemus in octo sumptas à ratione victus. Sunt enim tres oppositiones, cibi multi & pauci, potus multi & pauci, labores & otij, vt sint septingentæ triginta sex, quas ducemus in quatuor membra comparationis, scilicet morborum ex generalibus causis, seu endemiorum, ex temporibus secundum naturam, & sunt communes: vel præter naturam, & sunt Epidemij: vel ex ratione victus, & fient bis mille nongentæ triginta sex. Intelligit ergo per mutationem victus in speciali, velut si Anglus cogatur multum se exercere & parum comedere, & Ventus aut Florentinus multum comedere & bibere & otiari: Et generaliter, si regio assueta abundantiæ tritici & vini & carnium, vt Insubrum, cogatur esurire, comedere herbas: palam est quòd incident in morbos prauos, sicut docuit Galenus in libro de Cibis boni & mali succi, (cap. 1.) & propterea notanda est vna regula (2. Aphorism. com. 34. & 3. com. 3.) quæ seruit generaliter & specialiter prouidentiæ futurorũ & custodiæ à malis ingruentibus & sanationi instãtium: quòd semper similia similibus applicata magnas noxas inducunt, contraria contrariis curant & sanant, & tollunt detrimenta: & hoc est quod vult Hippocrates in Textu, velut regio exposita meridiei, & cum aquis calidis & salsis & concaua, & quæ vtitur multo cibo & laboribus, pessimè se habebit & deterius in iuuenibus, & in æstate & in natura biliosis: & ideò dicebat Hippocrates in primo Epidemiorum, & in tertio. Affligebãtur autẽ maxime ex his morbis pueri & mulieres, aut contrà iuuenes & senes: cõtrà verò si regio sit alta, libera, aquis redundans, æstate erit saluberrima, & eo magis si non multum exerceantur, & sint aquæ potores. Secunda regula in mutatione ex sicco ad humidum est

potius spes salutis quàm timor, eo quod mutatio est parua & ad contrarium: sed si mutatio sit repentina & magna ex calido in frigidum maximè, vel ex frigido in calidum, vel etiam ex sicco in humidum, sed non adeò est etiam valde periculosa, sed ex humido in siccum, non, neque ex sicco in humidum sensim neque parua. Tertia mutatio contra naturam regionis & loci est periculosior quàm secundum naturam loci, etiam quod sit vehementior. In omnibus ergo his locus est, vt dictum est, prouidentiæ, custodiæ & sanationi.

TEXTVS X.

CVm temporum mutationes, & astrorum ortus, & occasus obseruauerit, quemadmodum singula horum eueniant, prænoscet vtique & de anno qualis sit futurus.

Transcendit ad aliud genus, & est cognitionis causarum, cum enim Astra proculdubio sint causæ mutationis temporum, vt declarat Ptolemæus in libro de inerrantium stellarum significatione, deducto ad Latinam linguam per Leonicum, inde per Sirigatum traducto ad normam nostri temporis: demum etiam per Adrianum Alemanum emendato veluti si dicamus quod in Kalend. Ianuarij ob Aquilæ & Coronæ occasum tẽpestates efficiuntur, idque multo antè initium sunt, & ob id fiunt grauedines & raucedines: istud erit præcognoscere non solum quid futurum sit ex causis tam incipientibus, sed ante primas causas: dico primas causas, id est, proximas, dupliciter enim dicuntur causæ primæ, vel quia sint ante omnes alias, vel quia primo ex eis oriatur effectus, barbari immediatas vocant. Ergo exortus siderum est causa mutationis temporum, & intelligit per exortus siderum tam errantium quàm inerrantium, & cum talis exortus sit triplex, Cosmicus, Chronicus & Heliacus, intelligitur solum de duobus vltimis: nam de primo siue ortu quotidiano, non est intelligendum. Verum locis eius accipiemus transitum solis per quatuor puncta cardinalia. Ex quo patet quod Hippocrates intelligit tempora, quo ad mutationem (non quoad curam) iuxta Astrologos, quia sic non possumus scire naturam eorum, nisi ex punctis cardinalibus, & quia motus solis est tardus, & ideo non possumus scire quando sol ingrediatur puncta cardinalia saltem tropicos, quia ibi declinatio parum aut nihil variatur, locus solis scitur per variationem declinationis: ideò Ptolemæus secundo Apotelesmatum (*cap.10. Text.56.*) iubet vt consideremus coniunctionem aut oppositionem quæ antegreditur ingressum solis in punctum cardinale, & iuxta illud iudicare de quarta illa veluti æstate vel hyeme, & hoc habet magnam difficultatem, vti ibidem exponens docui. Sed de Chronico intelligitur, quotiescunque stella velocior sole occidit per occasum solis, & vocatur occasus Chronicus, sicut ortus eius est cum occidente sole iam stella apparet in oriente. Heliacus verò est quotiens stella tardior sole, seu errans, seu inerrans, oritur ante ortum solis, relicta ab ipso sole, sed si ante ortum solis stella quæpiam à parte opposita illi occidit, vocabitur eiusmodi occasus heliacus. Sunt præter hæc ortus matutinus & vespertinus, etiam occasus matutinus ac vespertinus, qui plurimum ab his differunt, sciendo primum quod aliquando eadem stella occidit eadem die vno modo, vtporè Vergiliæ Autumni tempore occidunt heliacè matutino, & oriuntur chronicè iam occidente sole, quod in paucis diebus frequenter contingit in vna rarissimè. Et similiter confuderunt occasum vespertinum & matutinum & ortum etiam vespertinum cum occasu heliaco frustra. Etsi contendas quòd nomina non debent sic capi, non litigabo, modo tria scias, primum quod intelligendo vt dico, doctrina redditur clarissima. Secundum, quod secus exponendo incides facile in confusionem inextricabilem. Tertium, quòd nostra expositio Astrologis quorum maximè est hoc munus satisfacit: & medicis etiam: de Grammaticis nunc ac Poëtis non disputo, quos quantumvis velis dissentire, eadem tamen dissensio vsque ad verba solùm peruenit. Ortus ergo matutinus est quoties stella quæ sub radiis iacebat Sole ab ea discedente vt velociore apparet ante ortum Solis: occasus matutinus contrà cùm stella ante ortum Solis apparere solita ob velocitatem motus, fugientem à se solem assequitur & occultatur, & ideo in hoc ortus & occasus fiunt ab oriente. Ita ab occidente cùm stella velocior Sole progreditur & quæ antea non videbatur, quod solum in Venere & Mercurio & Luna esse potest apparere incipit vesperi, oriri vespertino ortu dicitur, ibidem si desinat videri ob tarditatem motus, in occasu vespertino est. Siquis ergo rectè consideret, quatuor sunt stellarum considerationes circa ortum & occasum habentes propriam significationem iuxta naturã propriam & stellæ quæ oritur & occidit, & antiquo tempore eiusmodi erant in magna obseruatione propter admirationem, & etiam quia ob inopiam, tertium erant magis otiosi & scientia erat magis in precio. Ex his autem manifestum est quod Luna nunquàm & Mercurius & Venus dum sunt velociores sole, occidunt occasu heliaco. Est etiam animaduersione dignum quod non omnes stellæ eandem habent efficaciam neque æqualiter obseruabantur: Verùm aliquæ erant principales in hoc, velut Arcturus & Pleiades, Vergiliæ & Canis. Istæ enim tres habitæ sunt potentissimæ, intelligo de cane maiori, sed in cane & Arcturo obseruatur ortus tantum, in Pleiadibus autem tam occasus quàm ortus, & intelligatur de ortu heliaco, sed in Saturno, Ioue & Marte eadem est ratio, quia nunquam mouentur velocius Sole, erunt ergo sex & quatuor. In Venere autem & Mercurio obseruamus ortum & occasum heliacum & chronicum, quia aliquando sunt velociores sole, aliquando tardiores: vt sint octo, & fient duo de viginti, & similiter in Luna obseruabimus occasum matutinum & ortum vespertinum solum, & ita erunt viginti obseruationes, & in his etiam quæ fiunt

fiunt à Venere, & stellis inerrantibus sunt manifestissimæ: pòst à luna, neque omnes sed à Venere & Luna ortus vespertinus seu malis dicere occasum chronicum. Et Venus maximè gignit imbres & humectat aërem, & Iupiter & Mercurius heliace exordientes simul generant flatus, & caniculæ ortus, ardores & siccitates, febres acutas & mortes, & arturus pluuias in ortu, & Pleades exordientes pluuias & occidentes initium hyemis. Plura alia scribuntur, à Plinio atque aliis quos poteritis videre. Cæterum illud obseruatione dignum, quòd præter illa sydera inerrantia & solem, Lunam & Venerem ac Mercurium vnicuique regioni est proprium astrum, quod non minus conuenit obseruare quàm illa.

LECTIO XII.

Super

TEXT. XI. & XII.

HOc namque modo si quis rimatus fuerit, ac præcognouerit temporum occasiones, maximè de singulis sciet, vt plurimum sanitatem adsequetur, & recta via procedet, non minima artis suæ gloria.

POtest hoc referri & ad considerationem reliquorum & etiam, quod verisimilius est, ad temporum mutationes & ortus atque occasus syderum quoniam ex generalibus generalia & ex specialibus specialia cognoscere poterit hoc etiam bifariam intelligi potest: vel quod ortus astrorum sint causæ mutationis temporum, & hoc est solum operari per aërem, vel quod verè etiam per influxum operentur, gratia exempli, dictum est quod Aquila & Corona occidunt Kalendis Ianuarij, & hoc est causa tempestatis. Tempestates autem generant hyeme grauedines & raucedines, dato modo quod non gignunt tempestatem, quæritur an possint absque ea gignere grauedines vel raucedines vel aliquid simile, & videtur quòd non. Quoniam inferius dicit (libro tertio à Text. 8. ad Text. 11.) quod cauere oportet temporum magnas mutationes in dandis medicamentis, & ibi ponit solstitia & æquinoctia, ergo vult quod caueamus ob temporum mutationem non per se. Aristoteles quoque secundo Cœli dicit, quod astra agunt motu & lumine, ergo nisi permutent ex causa manifesta, possunt agere in hæc inferiora. Præterea quia Ptolemæus in Apotelesmatibus (libro primo cap. 2. & 3.) docet, quod astra agunt in mutando aërem. Si ergo Princeps Astrologorum hoc concedit, quanto magis nos id fateri conuenit. Accedit quod astra agunt mutando per tempora & mutationem aëris ergo non aliter, nam secus posset causa remota agere sine propinqua: vel vnius effectus comparatione vna & eadem causa simul fungeretur vice propinquæ & remotæ, quorum vtrunque absurdum est, adeóque absurdum vt contraria implicet. In oppositum videtur Hippocrates loco allegato & etiam Ptolemæus concludere, quod actio influxus occulti concedatur. Et ratio est manifesta etiam quia si homines non ægrotarent nisi propterea quæ manifestè videntur, Astrologia tota de geniturís esset vana, quia vnus vno tempore optimè se habet & alter eiusdem temperaturæ & ætatis ægrotat & moritur: si ergo constitutio temporis adest, vterque debet ægrotare, si non, neuter. Propter hoc respondeo, quòd isti influxus dantur, sed tamen non operantur nisi per calidum, siccum, frigidum & humidum, adeóque oportet vt deferantur per aërem & aër immutetur & hoc extra medicinam. Verum quod ad mentem Hippocratis & Philosophi attinet pro sanitate & morbis, dico quod considerant duo, qualitatem & motum, & motus nunquam deesse potest, qualitas autem deesse potest. Velut, gratia exempli, in tempore Veris aër mutatur necessario ad calidum & humidum, quia inferiora subiiciuntur superioribus (primo meth: cap. primo) ideo posita causa per se, necesse est vt sequatur effectus, non tamen necesse est vt perficiatur effectus, scilicet ita aër incalescat, quia poterit nix, gratia exempli, obstare, & in hoc casu germinabunt arbores intus, & hoc malum est valde plantis, vt dicit Theophrastus (libro 4. cap. 16.) quoniam plantæ moriuntur, aut, vt ita dicam, siderantur, idem dico de hominibus, traducit ergo hoc maximè ad curationem Alemanus, rursus accipit hîc occasionem temporis malè (cum venia dictum sit (traducens ad tempora morbi, & multa adducit extra propositum, cum Hippocrates intelligat de temporibus anni & astrorum & non morborum. Secundo deuenit ad placita medicorum, vtpotè quòd in purgando debeamus obseruare quod luna sit in signis aqueis, & hoc credo non intellexisse Hippocratem, sed potius de his tribus, vt apparet ab illo, & est Astrologia naturalis rationi conueniens & vera: primum, ratione temporum, quia, vt dicit Hippocrates quarta Aphorismorum (15.) Sub canem & ante canem molestæ sunt medicationes. Idem dicit in Tertio huius. [a] Et vt vna regula comprehendantur. Æstas mala est & hyems, & similiter canis quia sunt calida & sicca immodicè, vel ob mutationes vehementes vt Arcturus & Pleiades horum verò ortum consequatur qualitas humida aëris & pluuiæ maximè Pleiadum, optimum erit exhibere medicamenta, velut etiam vere & autumno, & quod dixi de Sole, dico etiam de luna, cum iungitur huiusmodi astris. Secundum quod recipitur ab Hippocrate est ex aëris qualitate quæ manifesta est calida, frigida, humida & sicca, quia in temporibus humidis securiores sunt omnes operationes euacuandi, per sectionem venæ & purgationem, per inediam, frictiones. Balnea autem humida conueniunt magis temporibus siccis & calidis & etiam in præcauendo, vnde ille Aphorismus sexta particulæ (45.) Quibus venæ sectio aut purgatio conuenit, si id expedit vere secare venam aut purgare. Tertium est aliquo modo extra

[a] *Text. 9. 10. & 11.*

extra medicinam, non tamen prorsus, velut quod prima quadra lunæ à coniunctione est calida & humida, secunda calida & sicca, tertia frigida & sicca, quarta frigida & humida. Et ideò in prima & quarta maximè conueniunt euacuationes scilicet in prima per sectionem venæ, in quarta per purgationem (2. Apothelesmatum cap.) Vtrùm verò verum illud sit quod luna in ariete capiti minetur, & in Tauro collo, & ita in cancro pectori, in leone cordi, & in virgine visceribus, verè fateor non dum diligenter adeò animaduertere potui vt affirmare possim vel negare. Quamobrem tutius est non contemnere, maximè cum ea opinio etiam apud nos percrebuerit. Quod vero dicit de gloria (vt in lib. de lege Hippocrates loquitur vt artifex.

Quod si cui hæc sublimiora videantur, is si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad rem medicam ipsam Astronomiam, sed omnino plurimam, quum vna temporibus & ventriculi in hominibus commutentur.

Probat contra contentiosos quod Astrologia sit necessaria medico hac ratione, ventriculi sunt necessarij ad salutem hominis & illi mutantur iuxta mutationem syderum, ergo cognitio syderum est necessaria ad salutem hominis, & in hac demonstratione ostendit quod ipse vult sydera agere in nos etiam citra mutationem aëris, quia dicit hoc respondens tacitæ obiectioni, posset enim aliquis dicere, non ne sufficiunt constitutiones temporum ad operationem medici quæ sensu deprehenduntur absque astrorum cognitione, dicit, ventriculi mutantur ex astrorum mutatione, absque aëris etiam mutatione saltem manifesta, ideò oportet intelligere quasnam mutationes intelligat & quid nomine ventriculorum significari velit & videtur quod velit tres illos, de quibus in Tertio de Diæta, scilicet cerebri, pectoris & nutritionis, iuxta quæ dixit prima Aphorismorum, is ventres hyeme & vere natura calidissimi, ibi ostēdit quod sint calidissimi quoad coctionem & quod venter cerebri est humidissimum, nàm subiicit & somni longissimi, est ergo mutatio quadruplex, prima in calido & frigido, sicco & humido & primis qualitatibus. Secunda quæ, consequitur ad hanc est repletio & euacuatio, nam ventres maximè pleni sunt hyeme sanguine & spiritu, calore ad illos refugiente. Tertiò ratione operationum, quia æstate sunt imbecillissimi, hyeme validissimi propter multitudinem caloris. Sequitur etiam quartum, quod sint in motu, quoniam omne quod mutatur aliquando est in motu, ergo ventres mutant naturam, ergo in illo medio sunt in motu, vtpotè in tempore Autumni & principio hyemis calor refugit ad interiora, ergo tunc purgare conuenit, balnea minimè: Vere autem in fine non conuenient purgationes, sed potius balnea, quoniam calor exterius effluit. Ideò hyeme melius ferent cibos & euacuationes, minori potu indigebunt, cum ergo variantur talia, dicere necesse est, medicum non posse scire rationem curandi, nisi sciat syderum motus. Sed hæc ratio meo indicio & expositio non est ad mentem Hippocratis, quia istud est notum ex sensu, vtpote quod ventres sunt calidissimi quia sumus in hyeme, nam neutrum istorum pendet ex Astrologia scilicet quòd simus in hyeme est per se notum & etiam quando veniet & futura sit hyems, nisi velimus per Astrologiam intelligere tam vulgarem notitiam, neque quod tempore hyemis ventres fiant calidiores: nam hoc pertinet ad medicum. Præterea si verum est quod dicit Galenus (7. de diffic. spir. cap. 7.) quod Hippocrates nil vulgare docere solet, necesse est excogitare alium sensum aptiorem Hippocratis verbis, quæ talis est. Ventriculi implentur iuxta motum lunæ vel euacuantur, vt enim inquit in libro de Insomniis (Pag. 2.) Sydera superficiem corporis significant, luna cauitates, sol medium: cum ergo videamus in animalibus præsertim astacis, quòd luna plena impleantur adeò, vt luna vacua quidam desipiant & delirent, constat quòd astra gubernant & mutant hæc inferiora: & maximè in animalibus. Et hoc etiam habetur ab Aristotele quarto de Generatione Animalium (cap. 10.) Ptolemæus tamen tribuit cor & cerebrum soli & iecur Veneri, reliqua membra naturalia lunæ. Si haberemus librum Hippocratis se septimanis, forsan melius possemus de his determinare (3. Apoteles: cap. 16.) Nunc sufficiat id affirmasse, quod experimento compertum est, ventres animalium maximè cerebrum, lunæ habitu ad solem, non simpliciter variari: vnde soli cor non solum sed cerebrum etiam tribuitur, cum tamen ad lunam potius pertineat, neque enim principale membrum est, vt Ptolemæus & Galenus crediderunt.

LIBER SECVNDVS.

LECTIO XIII.

SVPER TEXT. I.

Et est initium huius libri seu Tractationis.

QVOMODO autem singula quæ diximus scrutari ac explicare oporteat, deinceps dicamus manifestè. Quæcunque ciuitas ad ventos sita est calidos, puta autem eos qui inter brumalem solis exortum, itidémque occasum perflant, huic hi venti peculiares: à Septentrionibus autem ventis tuta & protecta ea ciuitas existit: aquæ verò eius multæ, & subsalsæ sunt, & necessariò non sublimes, æstate quidem calidæ, hyeme frigidæ: & quæcunque sunt hominibus aduersa varios morbos inferunt.

HVcúsque de Procemio actum est, nunc ad ipsam tractationem deuenit, vbi Alemanus benè quidem sed pauca vbi multa erant dicenda docet, cum superius nimis multa vbi pauciora, namque primum causam ostendere oportet cur ab intemperata regione incœperit, ergo cum res ad comparationem propriam ducenda est, incipere oportet ab eo quod optimum est, velut Galenus in libro Artis Medicæ cap.8.(à temperato corpore initium ducit & qui tractant de optimo dicendi genere, atque ita dixit Philosophus, quod rectum est iudex sui & obliqui: At verò vbi comparatio ab extrinsecis vel ab effectibus sumitur, non solum intemperata temperatis proponuntur, sed à maximè enormi incipiendum est, vt euidens significatio videatur, veluti in præsenti tractatione, neque enim conspicuum est, vt ea signa ad optimam habitationem sint referenda, sed potius essent comparanda optimæ constitutioni hominum, quia nondum clarum est, quod habitationes sint causa status hominum, verum vbi pessimam intemperiem quis proposuerit secundo loco & statim optimæ constitutionis effectus & decreta declarare oportet quod etiam facit Hippocrates, nam secus non haberemus cui compararet fierétque doctrina inartificiosa. Deinde proponit iuxta ea quæ dicta sunt ad mutationem temporum tria, nam quartum, vt dixi, non facit ad mutationem temporum, sed solum ad morbos, & primum sumit ab habitationibus cum dixit, ad ventos calidos sita, nam vt declarauimus superius: Venti & situs ad solem sunt iidem, secundum est cum dicit: aquæ verò eius multæ & subsalsæ sunt, quod manifestè ad aquas pertinet, tertium est de situ terrarum, cum dixit: tuta & protecta est & non sublimis, intelligit quod sit caua, & manifestum etiam quod non erit nuda, erit ergo exposita meridiei, & abundans aquis atque ideò etiam plantis non nuda & caua non sublimis & aquæ malæ, hyeme quidem frigidæ æstate verò calidæ, ex his colligit quod corpora habitantium maximè erunt insalubria.

Et circa hoc notandum quod Hippocrates intendit hunc ordinem, primum ex constitutione rerum generalium constitutionum aliarum rerum generalium, velut cum dixit hic, quod si ciuitas sit exposita talibus ventis, necessariò aderunt aquæ multæ & subsalsæ. Item quod non erunt sublimes, hoc est generale ex generali deducere. Secundum est deducere non generale ex generali, quemadmodum hic temporum rationem, quod aquæ illæ erunt frigidæ hyeme, & calidæ in æstate. Tertium est temperamentum corporis, vtpotè quod corpora sint imbecillia fluxa. Quartum est, vt sint subiecti morbis vt hic dicit. Quintum & vltimum est, vt doceat mores hominum, velut quod sint imbelles, luxui dediti, & crapulæ & vinolenti, ex quibus etiam deriuatur sextum scilicet de legibus, omisit autem tertium tanquam per se notum, & quintum, tanquam nimis curiosum ab initio, sextum verò velut ex quinto dependens.

Videamus ergo quid per primum intelligat scilicet inter brumalem ortum & occasum, meridianam totam scilicet regionem, sub qua præcipui sunt venti Euronotus inter orientem & meridiem, Africus inter occidentem & meridiem, Austerque in medio horum, atque hi omnes calidi & humidi, sed calidior Auster, humidior Euronotus, deterior Africus, qui & concitatior, omnes mali omnes calidi, vt dixi, omnes humidi, omnes turbulenti, & subsolanus quidem qui Romanis ad Cannas Cladem ab Annibale attulit: sit autem contecta, à cœteris ventis, Borea, Euro, & Fauonio, hoc autem trifariam contingere potest, primum vt sit in valle id est humo comparatione aliarum partium, vel sit contecta, à montibus circum circa, vel etiam procul, manifestum est quod primus modus est minimus, secundus maximus, tertius medius, dicit quod in huiusmodi situ erunt aquæ multæ & sub salsæ, hoc est

est primum dubium, de quo nil Alemanus. Secundum dubium est quia dicit necesse esse in hoc statu vt aquæ non sint sublimes, & æstate quidem calidæ & hyeme frigidæ, & sic est primus sensus scilicet quod omnes aquæ erunt non sublimes, & æstate calidæ, hyeme frigidæ. Secundus sensus, quod non sublimes necessario tales erunt, non tamen quod omnes necessario non sublimes erunt. Tertia dubitatio, quare quæ non sublimes erunt, hyeme frigidæ futuræ sint, collectis ventis calidis in eo loco cauo. Quarta dubitatio erit, quid intelligat & quæcunque sunt hominibus aduersa? an vt sit sensus quòd situs sit eiusmodi & quæcunque sint hominibus aduersa efficiat aut in se contineat, vtpotè aquas stagnantes, paludes ac similia scilicet vt referatur ad causas vel ad effectus. Quinta, quare pariat diuersos morbos hic status? & vt huic satisfaciam dixi superius quod similia similibus sunt causæ morborum, alia causa est quia calidum & humidum sunt causa putredinis, quia humidum corrumpit humidum naturale, & calidum externum dissoluit calidum internum, vt Quarto Metheororum (cap. 1.) multa nimis de hoc dici possent, quæ aliàs docui ex Hippocrate, Galeno, Plinio. Vnum addam, quòd quæ de situ generali dicuntur, eadem de proprio & speciali sunt intelligenda.

Ad primam dubitationem dico, quod aquæ erunt multæ, quoniam calor extrahit aquas ad superficiem, & etiam quia venti illi erunt humidi & vaporosi & frequenter iuuet, & aqua pluuia est salsa, sicut declarat Philosophus (2. Metheo. cap. 3.) vbi probat mare esse salsum ab æterno, & hic caderet dubitatio de qua suo loco, cur cum aquæ pluuiæ sint salsæ, & aquas subsalsas damnet Hippocrates, pluuiam tamen præter cœteras collaudet. Accedit quòd aquæ illæ cum locus sit contectus à septentrione oriente & occidente altioribus terræ, aut erunt stantes & ita putridæ, aut mouebuntur ad meridiem & ita torrebuntur, non ratione aquæ sed ratione terræ, ergo erunt subsalsæ ex declaratione causarum salsitudinis.

Secunda dubitatio difficilior est, & est triplex quia primus modus diuiditur vt sit sensus vel quod omnes aquæ necessario sint non sublimes, deinde sequuntur reliqua, vel quod supponatur quòd aquæ non sint sublimes ne possint repurgari, quia subiicit, quod omnia sint contraria saluti humanæ: tertia expositio, quòd quæ non sint sublimes tales euadant, scilicet calidæ æstate & frigidæ hyeme, & vt effugiam laborem pro nunc cùm multa possent dici, recipiam secundum sensum, vt sensus sit talis, quandocunque regio fuerit exposita meridiei & ventis qui ab ea parte oriuntur & habuerit aquas multas, & sit causa regio, & pertinet ad situm terræ, & aquæ fuerint subsalsæ, id est pessimæ & corruptæ, tunc eædem erunt calidæ in æstate & frigidæ in hyeme, ita vt in primo statu collegerit omnes conditiones prauæ habitationis generales positas in quarto, quinto & sexto Textu, & est congruens verbis, & ita legetur illud necesse est tales aquas non sublimes esse æstate calidas hyeme frigidas, vt referatur illud necesse ad calidas æstate, & hyeme frigidas, & non ad non sublimes.

Tertia dubitatio est satis difficilis, & nisi experimentum esset pro illa, vererer dicere vt esset Hippocratis, cum videatur esse contra rationem, quo ad illam partem de hyeme nam de æstate nulla est dubitatio cum regio sit exposita soli perpetuò & ventis calidis, dico ergo quod istud verum est, quoties non flauerint venti meridionales, & in nocte quia aër ibi est crassior, & sunt multi vapores terræ & aquæ, qui refrigerant aërem, aër itaque condensatus recipit maiorem frigiditatem, & etiam quia aquæ illæ plerunque sunt immobiles, & aqua immobilis semper est calidior æstate, quia recipit magis calorem propter quietem, & frigidior hyeme, quia est proximior glaciei, dum enim fit glacies, necessario motus fit lentior, & cum congelatur perfectè etiam quiescit: & ideò flumina quæ velociter mouentur, velut Tigris & Abdua in nostra regione, rarissimè congelantur, & forsan quod Tigris nunquam: quod autem venti sileant in huiusmodi regione magis, quàm in ea quæ detecta vndiq; est, clarũ esse potest, quoniam non est nisi vnum genus ventorum quod perflet illam, scilicet Austrinum. Hoc etiam maximè cessare solet, tum quia auster nocte spirare non consueuit, tum quia anniuersarius ei regioni plerunque est, ideò noctu cessat, vt ait Aristoteles (26. Probl. 11. & 53.) Tertia causa est quòd aqua calefacta diurno æstu magis refrigeratur noctu, adeò vt congeletur, teste eodem Philosopho (1. Metheororum cap. 12. in fine.

Quarta dubitatio est, an verba illa & quæcunque hominibus sunt aduersa debeat referre ad causas, scilicet, vt gratia exempli, quod abundet pluuiis, quod habeant prauos cibos, quod vtantur mala ratione victus, quod venti illi transeant per loca stagnorum & paludum (& hoc plurimum refert) & aquarum corruptarum & serpentum vel arenæ tenuis, vel vt intelligatur de effectibus: sed ratio verborum & sensus ostendit quod potius intelligendum sit de causis quàm de effectibus, & cum non possint istiusmodi demonstrari, non sequar vitiosum morem illorum qui omittunt demonstrationes eorum, quæ possunt demonstrari, & conantur demonstrare quæ non possunt demonstrari, cum vtrumque sit vitiosissimum, hoc tamen vitiosius est, quia generat ignorantiam dispositionis, illud negationis, propterea facio finem.

LECTIO XIV.

Super

TEXT. II. & III.

Et quæ quidem vrbes benè sitæ sunt ad solem & ad ventos, & aquis bonis vtuntur, hæ minus à talibus mutationibus afficiuntur

Svbiicit decreta regionis benè constitutæ, & sunt quod minus afficiuntur talibus

mutatio

mutationibus, quas docuit esse tres, scilicet quòd æstate aquæ fiunt calidæ & hyeme frigidæ, & quòd patiuntur quæcunque hominibus sunt aduersa, scilicet æstate calores intollerabiles, & aërem turbulentum terra hyeme frigus vehementissimum, etiam aërem nubilosum ob vapores & grauem & obscurum, & æstate difficiles noctes & abundantiam reptilium & culicum, & mala imprecationis Mosys in Ægypto ranas & serpentes, & omnia inimica humano generi & sordida & fœda. Tertium sunt morbi graues, difficiles, molesti, sordidi, longi, sæpius reuertentes & lethales. Quæ autem declarant regionem temperatam, sunt quòd sit libera, sed de hoc agetur inferius, vnum verò est præcipuum circa signa, scilicet vt corpora bene se habeant. Secundum, vt non abundet neque animalibus neque plantis fœdis, & exanguibus & venenosis, neque mali odoris, sed odoratis, & quarum vmbræ sint salutares, velut iunipero, lauro, malo Medica, oliuis etiam & vitibus, tritico præterea, & his quæ sunt vsui hominum accommodata, & ita etiam vt abundet capreolis, leporibus & animalibus quorum caro hominibus sit salutaris, vt etiam de auibus, coturnicibus, perdicibus, & quas vocant qualeas, turdis, merulis, sturnis, ac similibus. Tertium est vt pisces sint squamosi lucidi, albi & circa oculos venæ rubræ, non obesi sed pingues, & cum lacte candidissimo, quorum caro sit valde alba. Et astaci sint valde rubri cum sint cocti, & in fontibus non nascantur herbæ, vel si nascuntur sint odoratæ, vt Sion & Senationes: & aër sit clarus & limpidus, & qui iucundus sit in attrahendo, quique cito incalescat & refrigeretur. Quartum est, vt iecora animalium occisorum sint valde rubra, mollia, sine lapidibus & candidissima.

Sunt autem duo circa hoc animaduertenda: primum quod tantum refert regionis qualitas, vt Galenus velit secundo de Tuenda sanitate (cap. 7.) non nisi in temperata regione inueniri hominem temperatum: in Gallia autem & Scythia atque Africa & Æthiopia ne per somnium quidem, & de omnibus sanè posset concedi, de Gallia autem non adeò manifestum est, cum pars quæ ad meridiem respicit, velut Coliure olim templum Veneris, & quod tum Setius mons, nunc Montpelier Academia vocatur, è regione fermè est Romani Paralleli: non ergo Gallia Scythiæ comparanda, cuius extremum boreale ab extremo borealiore Galliæ distat partibus plusquam duodecim. Sed neque Scythia tota adeò horrida & inculta est, cum fermè ad temperatam regionem & Rhodi Parallelam, qua ad orientem magis vergit, & vbi latior est extendatur. Sed cur in valde calida aut frigida regione temperatus esse homo non possit, non est præsentis loci docere sed inferius, id solum decretum est hic docere, quod regiones temperamenta naturalia hominum propria sibi decernunt, vt ibidem Galenus docet (lib. 5.) inde ascititium seu habitum acquisitum, inde mores & morbos. Vnde illud rursus dubitatione dignum esset, an temperamentum consuetudine, & à regione situ comparatum proprios sibi decernat mores? Et dubium non est, quòd sic, iuxta mentem Hippocratis. Ergo in omnibus præsupponit non solum situm, aquas, ac terras, sed regionem. Et regio quidem plus potest circa mores, situs autem circa corporis sanitatem, quam ob causam tractationem de regione ei, quæ est de situ postposuisse reor.

Secundum quod animaduertere hic decet, est quod situs bonus potest esse etiam in regione frigida aut calida, melior tamen est in temperata. Vult ergo quod regio temperata faciat aquas frigidiores æstate quam hyeme, sic enim temperabunt aërem: & mutationes illarum in temporibus non sunt adeò extremæ ad calorem neque ad frigus. Poterit ergo esse situs malus etiam in regione temperata, vt bonus in intemperata.

TEXT. III.

QVæ verò aquis palustribus ac lacustribus vtuntur, & non bene sitæ sunt ad ventos, & ad solem hæ magis.

SCire oportet duo circa hoc, primum quid dicat, secundum quid indicet. Significat autem nobis quòd quanquam situs malus sit, non tamen homines adeò afficiuntur, vt sentiat semper noxam, aliter essent in perpetua noxa, sed solum cum tempora mutantur. Et hoc ostendit (3. Aphor. 1.) cum dixit, Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, significans quòd duo sunt necessaria ad morbos excitandos, mala præparatio in hominibus vel ratione situs loci, vel temperantiæ propriæ, vel victus, atque præter id temporum mutatio. Mutatio autem triplex temporum, naturalis & generalis: naturalis & non generalis, non naturalis: vt cum dixit ibidem: Et in quibusdam temporibus magnæ mutationes caloris aut frigoris. Naturalis generalis vt cum dixit, vere etenim furores & atræ biles. Non generalis autem, cum iubet seruari debere, Arcturum, Canem & Pleiades. Et ad hoc genus vt minus reducuntur mutationes etiam à luna. Quantumcunque enim magna sit mutatio temporum ab Arcturo vel Canicula, aut Pleiadibus, aut à Luna, nunquam tamen potest esse tanta, quanta est inter naturalia tempora, quæ fiunt à Sole, neque tam longa: vt quæ perseueret per tres menses, & quæ ex contrario in contrarium ad vnguem transferatur. De Æstate quidem, quia est calidissima & siccissima, hyems autem frigidissima & humidissima, & hæc sunt manifestissima contraria, sed occulta & vera non est tanta. Inter autumnum autem & ver est similitudo quòd ad manifesta, sed verè magna est & antedicta maior, quoniam Autumnus inæqualis est & morbosissimus, ver autem saluberrimum & æquale maximè, (1. de temp. cap. 4.)

Declarat autem duas conditiones, vnam ex parte aquarum coniunctim, sed sub sensu disiuncto & alternante, scilicet Palustres aut

aut lacustres, & vt non sint bene sitæ ad ventos, & hoc etiam bifariam intelligitur, vel vt omnino sint contectæ à ventis, vel vt sint detectæ solum ventis malis, velut meridianis antea dictis. Et in huiusmodi situ dicit Alemanus esse Sardiniam, quæ à meridie habet tres aquas, Hypsitanas, Lesitanas & Neapolitanas, omnes stagnantes & montem ab oriente in occidentem protensum, nomine Menomenum, quasi dicat obstetricantem: Interest autem inter paludem & lacum, quòd in lacu aqua vndique profunda est, ideóque motum aliquem habet à ventis, palus autem non habet liberum, sed vel omnino obsidetur à terra, vel etiam terra supereminet, ideo paluſtris est magis terrea, & putredini obnoxia lacustris. Sunt autem tria genera lacuum, orborum qui nec excipiunt flumen aliquod neque reddunt, atque hæc pessima est: alij qui excipiunt & reddunt, híque non admodum mali, súntque quasi fluuij quiescentes: optima est tertij generis, quæ oritur è terra, exit autem fons seu fluuius, nam hæc vt oritur bona est, vt effunditur etiam fontis naturam retinet, lacus vt minor est si bonus, id est è tertio genere eo melior, deterior si malus. Valde enim magnorum lacuum, nunquam valde bona aut mala aqua esse potest, quoniam motu vehementi ad vices non destituitur: & etiam quia adeò non incalescit à Sole, nec recrudescit à frigore. At plaustris præter id quod terrea sit & putrida, abundat etiam herbis, vermibus, sanguisugis, serpentibus, fœdísque reptilibus. Deterior vbi nullus est piscis, minus mala vbi lucij multi adsunt, præsertim magni, pingues & candidi: non solum quòd hic piscis aquam non ferat omnino malam, sed quod agitet illam, & edat ranas & reptilia quæque.

Et pisces bonis aquis valde nocent, quoniam fœdant illas: malis autem prosunt, quia agitant & expurgant. Idem dico de puteis. Et debent immitti puteis pisces albæ carnis & squammosi non lucij neque cyprini, quia non viuunt in eis, neque tineæ, quoniam corrumpunt aquas. Sed squalæ & albicilli qui purgant aquas, & tamen sordidis in aquis viuunt, & candida sunt carne, cauezales & cauedanos vocant, quamuis Bellonius hos vnum genus esse putet: abundat vnum eorum spinis iam diu ab aquis extractum tenuissimis, vt vix edi possit, recens caret illis, & est mirum. Percas & trottas & alosas puteus non nutrit: neque illæ ferunt. In vniuersum aquæ pessimæ sunt calore viridi & nigro deteriores ferrugineo & rubiginoso, quod his magis à natura aquarum absit, quibus odorem grauis, turbulenta, viscida, quæque vomitum commouet. Sapore etiam atro, amaro ac putrido (nam & is per se clarè dignoscitur, licet auxilio quodam odoris) & quæ sub dentibus stridet, læduntur autem magis non assueti: sed incolæ grauioribus afficiuntur morbis. Præcipuè membrorum naturalium. Et à pessimis quidem ventriculus & iecur: à minus malis lien & intestina, à leuius malis renes & vesica. Signum incipientis putrescere, vt inquit Oribasius, (1. Euporist. cap. 14.) est vt efficiat raucam vocem & tussim excitet. Id vitium coctione emendatur, velut limosa & turbida, si bene percoletur. Atque hæc ab Herodoto, licet non ibi accepisse testatur. Vbi etiam docet aquas quæ citò putrescunt, non ob id malas esse appellandas cum pluuia ob substantiæ tenuitatem eiusmodi sit. Idem ex Rufo in quinto Collectanearum (cap. 3.) dicit, quod aquæ è stagnis pessimæ sunt, & quòd pro præcipuo signo prauitatis habetur, cum æstate calidæ sunt, hyeme frigidæ: tamen inter palustres solæ Niloticæ bonæ sunt, quia non putrescunt, & singulis annis ab inundatione fluminis permutantur.

Quòd verò dicit, vt non sit exposita bene ad ventos & solem, aliquæ, vt dixi, in valle vndequaque circumdatæ à montibus, immobilem sortiuntur aërem, vt neque possit à vaporibus expurgari, neque moueri, ideo aër pessimus efficitur, cum qualitates quasque peregrinas immobilis magis recipiat. Non putrescere tamen aërem hoc inditio cognoscitur, quod conclusus in pyxide aurea vel argentea etiam per mille annos inde haustus non officit.

LECTIO XV.

Super

TEXT. IV. & V.

ET si quidem æstas sicca fuerit, citius sedantur morbi. Si vero pluuiosa, diuturni fiunt: & phagedenas (ad edentes) ex omni occasione oboriri verisimile est, si vlcus fiat.

DIxit iam in præcedenti lectione tales situs maximè obesse ob tempora, ideo declarat quæ nam incommoda sequantur tempora præcipuè nimis potentia, vt æstatem siccam, non dixit calidam. Sed in hyeme adiecit frigidam, non humidam. Intendit ergo in hoc textu & sequenti octo comparationes in vnoquoque eorum sumptas à ratione temporum secundum naturam, & præter naturam in vtraque qualitate: inde collatis singulis ad bonam vel malam rationem victus. Et mala quidem est duplex, etiam scilicet iungendo similia similibus, velut plurimum cibum & potum cum ocio, & rursus exiguum potum & cibum cum exercitatione assidua & valida, atque ita fierent sexdecim coniugationes in singulis temporibus, quas ita docet Hippocrates vt assumat optimam seu minus malam & pessimam, & in vnoquoque contrario, & vnum pro exemplo, omittit contraria & consequentia. Dicamus ergo de æstate, vt intelligamus idem de hyeme: Æstas temperatè calida sicca cum bono regimine, æstas temperatè calida sicca cum malo regimine, Æstas temperatè calida humida cum bono regimine, æstas temperatè calida, humida cum malo regimine, & ita sunt quatuor membra, & totidem æstatis valde calidæ: & idem dico de hyeme, ergo erunt octo coniugationes in

vtroque

vtroque textu. Dicit ergo, quod in æstate temperata & sicca erunt morbi breues, quia necesse est fieri morbos propter mutationem, vt antea docuimus, & iidem erunt mitissimi, quia breues, pauci & securi, ostendo quod breues ratione caliditatis secunda Aphorismorum (25.) vbi dicit quòd calor abreuiat omnes morbos. Galenus in commento, & tertia Aphorismorum (Comment. 15.) In siccitatibus superfluum humidum dissoluitur, per imbres autem intra corpus colligitur & putrescit, quod neque per balneum commodè, quia balneum solam cutim euacuat, & partes proximas illi, neque per euacuationes, quoniam illas rarò adhibere oportet, educi potest. Igitur palam est quod hi morbi erunt breues, erunt etiam securissimi, quoniam à maiore caliditate, quantò fiunt breuiores, tanto etiam erunt violentiores minúsque securi: erunt etiam paucissimi, quoniam si per calorem fiunt morbi, per plurimum calorem fient plurimi, regula enim est generalis, à causa validiore per se plura fiunt & maiora, igitur constat quod hæc dispositio est optima, ergo præsupponit etiam optimam rationem victus propter ea quæ dicta sunt, apparétque ratio longorum morborum intemperata æstate pluuiosa, id est vehementer humida, adde multitudinem potus, cibi, ocij, vt similia similibus copulentur, causam superius dixi. Itaque explicata sunt membra, syncera scilicet temperata, sicca, cum optimo victu, calida, sicca cum vtroque pessimo victu, scilicet nimis humido, & efficit morbos vehementes & valde longos, & cum labore & pauco cibo, ac minore potu, & efficit morbos breuissimos & periculosissimos, reliquis coniugationibus, vt dixi, inter has mediis subiicit speciatim de Phagedenis dicens. Si autem vlcera in huiusmodi constitutione apparuerint scilicet temperata, & erunt exedentia: & eo magis intelligendum erit, si æstas fuerit valde calida & pluuiosa: tunc enim dispositio enarrata ad verbum in Cranone, primo Epidemiorum, (tertio in tertium Epidem. Text. 35.) siquidem Cranon, vt ait Galenus, inquit enim Cranon in loco concauo & ventis meridionalibus exposito, Thasus autem Borealibus. Dicit ergo (Sec. prima, commentar. 1. iuxta finem,) ibi, quod Cranon *νηνεμίαν* patiebatur, id est tranquillitatem à ventis, & vt ita dicam, silentium & ob id morbis putridis exposita atque subiecta. Ergo, vt ad rem redeam, Phagedena aliter antiquo tempore, id est ab Hippocrate, vt Galenus inquit sexta Aphorismorum, (Comment. 45.) aliter Galeni tempore intelligebatur. Antiquo tempore (atque in huiusmodi nominum interpretatio vtilis est imò necessaria) intelligebatur pro omni vlcere, quod semper maius ac deterius euadit: tempore autem Galeni distinguebant, in Chironia, Telephia & Phagedenas. Galenus autem dicit sufficere hæc tria, antheraces, herpetas, & Phagedenas: & quod herpes erodit & depascitur tantum cutim, Phagedena autem carnes atque in hoc distinguuntur. Idem testatur secundo Artis curandi, (cap. secundo,) vbi addit quod herpes non semper vlcus est, Phagedena est semper. Dicebat in libro (capite sexto) de Causis morborum, quòd fit ex fluxione materiæ à membris nobilibus ad ignobilia deponente natura. Adiicit in tertio de Symptomatum (capite primo) causis, quòd in ea sunt humores vitiosi, velut in carcinomate & herpete atque carbunculis, tum etiam caneris, quos isti vocant gangrenas, seu *γαγγραίνας ἀ γραίνω*, quod est comedo, cum sensus & motus ac vita in particula pereunt, nam cum periere iam Sphacelos est. Secùndo autem de Differentiis febrium (capite quinto,) obscurè, vt solet cum aliena non omnino perspecta recitat, docet Phagedenam & carcinoma ex crassiore & atro humore fieri, velut herpetem & erysipelas ex tenui & biliosо: Sic vt herpetem Phagedenæ, Erysipelas carcinomati comparet: quamuis carcinomatis loco cancrum subiecerit modo Galenus sæpius interpres idem esse putans. Ex crassiore igitur & atro humore fit hic morbus. Propius accessit in libro de Tumoribus (capite decimotertio,) præter naturam, dicens quòd Phagedena complectitur vlcus cum tumore, & quòd si vlcus sit solum quòd depascitur, tunc Phagedenicum appellatur. Vocat etiam intemperiem, sed cum fluxione tamen & vnius partis Phagedenam, libro de Inæquali intemperie (capite primo.) Vbi etiam animaduertendum quòd eam post numerat inter tumores, (capite 9.) Existimo quoniam cum tumore sint, non quia solus tumor talis morbus appellari mereatur, vt neque solum vlcus, vt dictum est, sed & tertio in sextum de Morbis vulgaribus (com. 37.) erodentia vlcera Phagedenas dicit appellari, quas veteres dicit Phagedenica vocabant: vt per veteres eos qui ante Hippocratem scripsere intelligere videatur, quandoquidem manifestè Hippocrates Phagedenam non Phagedenica appellare videatur. Quo in loco etiam hoc nomine appellat morbum illum quo laborantes coguntur immodicè se implere. Et potest lupina fames vocari, canina abundè maior: & prouenit is etiam ex vitiosis humoribus. Et expressæ quidem secundo de Crisi (cap. 12.) vult Phagedenas fieri ex atra bile, velut & Elephantiases & carcinomata. Connumeratur sanè hic morbus inter illos qui quamcunque corporis partem inuadere solent, vt in libro (cap. 12.) qui Introductorius seu Medicus appellatur, quamvis Herodoti esse credatur, sed non curemus cuius sint, sed quam vera sint quæ ibi dicuntur. Cæterùm constat huiusmodi morbum ex cacochymia fieri, vt in tertio de Temperamentis (cap. 3.) habetur. Vult tamen fieri sine febre & putredine Phagedenam, sexto de Compositione (cap. 1.) medicamentorum per genera, alia vero dicit quædam cum putredine fiunt, & febrem accendunt. Cum tamen in libro de Cibis boni & mali succi (cap. 1.) dicat Phagedenas cum febre accidisse. Fieri tamen potest vt Phagedena febrem

febrem non asciscat, eueniat tamen vt tum cum illa atque ea lethali. Sed & illud in eodem libro (cap. 14. seu vlt.) ambiguum videtur, quod Phagedenica vlcera ex variorum humorum mistione generari non nigra bile velit, cum superius aliter. Sed de Phagedena ibi sermo fuit (4. lib. 94. & 95.) vt de his in Contradictionibus. Sed de causa horum dubium non est in præsenti statu, cum enim putredo maximè vigeat, & ratione situs ciuitatis & caloris æstiui & pluuiæ humores retorrentur, ac vt ita dicam fermentant sese, & fluunt & errodunt. Et si calor plurimum augeatur, & pluuiæ sint magnæ & diuturnæ, calorem tamen non extinguentes, febres etiam accenditur, & ossa nudabuntur, & homines interibunt.

TEXT. V.

SI verò hyems frigida sit, homines capita humida ac pituitosa habere par est: & ventres ipsorum frequenter exturbari, pituita à capite influente: & formas ipsorum, & plurimum, debiliores esse: ipsósque ad edendum ac bibendum non appositos esse. Nam, qui capita debilia habent, non fuerint boni potores. Crapula enim magis grauat.

HOc est aliud extremum: & cum hyems semper frigida sit, intelligitur quod non semper tales afficientur velut in æstate, sed solum cum frigidissima fuerit, ita in æstate semper erunt morbi, seu temperata & sicca, seu temperata & humida, & multo magis si calidior fuerit. Sed in hyeme naturali, aut etiam mitiore, non erunt morbi: in frigidissima autem erunt. (lib. de Vsu resp. cap. 5. in prin.) Et quoniam duo membra refrigerantur ab aëre peculiariter, cor & cerebrum, sed cerebrum per os, & cor per carnem: & cerebrum est exangue, cor autem maximè calidum, totum autem corpus bifariam afficitur, ab aëre & per extrema arteriarum, & per aërem iam attractum in corde, necesse est cerebrum magis affici quovis alio membro ab aëre frigido, tum etiam quia frigidum inimicum neruis, & quæ dicuntur cerebro quidem infensum erit propter temperiem illius iam frigidam, seu quia exangue, ideo seu sit vna causa, seu plures, constat quod maximè afficietur hyeme ex supposito frigida, & etiam quia aquæ ibi sunt iusto frigidiores. Propterea dicit, quod incolæ eius loci afficientur quadrifariam. Primum habebunt capita humida & pituitosa: Secundum patientur destillationes ad ventriculum, vnde illorum exturbabitur coctio: Tertium diuersa ex hoc patientur: Quartum, & ad cibum & ad potum incongruè præparabuntur, ad cibum, non appetendo, ad potum quoniam læduntur à vino. Et etiam à crapula magis grauantur, scilicet vt ab vtroque læditur caput & ventriculus: & cum hoc etiam malè appetent, hoc autem non dixit, quia quandoque magis appetunt ob frigiditatem, quæ ipsum ventriculum constringit. Sed cum materia pituitosa adest aborrent cibum, tum ob illius corruptionem, tum quia ventriculus cogi non potest: sed cum materia effluxerit, bifariam rursus magis appetunt quam oporteat: & propter imbecillitatem corporis & ventriculi frigiditatem. Quòd vero pituita multa in cerebro generetur palam est, coctione impedita alimenti ob frigiditatem: & etiam ob vaporum multitudinem illuc ascendentem, vbi pituita cogitur velut in aëre nubes. De destillatione triplex est causa: calor ob frigus externum acutior redditus, quia non expurgatur nec exhalat: multitudo materiæ & virium cerebri imbecillitas. Et ideo nil mirum quòd rectè descendat in ventriculum. Formas autem illorum diuersas esse ait, quoniam vt habetur in libro de Locis (pag. 5.) in homine, fluxiones maximè fiunt è capite, & sunt septem, quod etiam ferme repetit in libro (pag. 4.) de Flatibus, ad oculos, nares, aures, ad spinam dorsi per carnes, & ad medullam, & ad os in pectus, & in ventriculum. Alibi adiicitur in venas, vt tertia Aphorismorum (Cument. 13.) Galenus ex textu ibidem desumit. Sed si ad os vnam ponamus, diuidamúsque in eam quæ ad pectus & ventrem vel his duabus manentibus, quæ fit ad spi, nam vnam faciamus, inde diuidamus in eam quæ ad carnes & ad medullam, aut omnino illam quæ ad venas fit separemus, relinquentur septem. Propterea dixit iure merito, diuersas habere formas. Quod verò adiecit de crapula & potu, cum vtrumque noceat capiti & ventriculo & tales habeant ægras has duas partes, caput quidem per se, ventriculum per defluxionem à capite, meritò magnas ex crapula consequentur noxas. Videtur autem magis intelligere de capite quàm de ventriculo, cum dixi (nam qui capita habent debilia) & de potu vini quam aquæ, cum dixit, non fuerint boni potatores: tum etiam quia aqua non offendit caput. Hoc autem dixit (libro decimo præcip. à cap. 10. ad 16.) quia Hippocratis ætate, vt colligitur & ab Homero & ab Athenæo, delectabantur magno potu vini in conuiuiis communibus, quæ soliti erant celebrare anniuersario, aut ob victorias vel nuptias, aut ortus puerorum, & similia, citra tamen ebrietatem nobiles, & cum ebrietate lurcones & parasiti ac viliores homines. An verò per potum debeat intelligi vinum aut aqua eo nomine in quarto Contradicentium disseremus.

Lectio XVI. & XVII. super quæstione: An vinum an aqua sint digniora nomine potus. Et de vtriusque peculiaribus detrimentis, vide quarto Contradicentium medicorum (96.

LECTIO

LECTIO XVIII.

Super

TEXT. VI.

Seu secundum Alemani diuisionem Textu XIX.

MOrbi verò hi ipsis vernaculi sunt. Primum quidem mulieres morbosæ, ac fluxionibus obnoxiæ sunt: deinde multæ steriles sunt ex morbo, non à natura, & frequenter abortiunt. Pueris vero incidunt conuulsiones ac anhelationes, quæ morbus puerorum & sacer esse putantur. Viris autem dysenteriæ, & alui profluuia, & febres lenes, diuturnæ, hybernæ, & pustulæ nocturnæ multæ, & hæmorrhoides in sede. Pleuritides autem, & peripneumoniæ, & febres ardentes, & quicunque acuti morbi putantur, non multum proueniunt. Non enim fieri potest, vt isti morbi vigeant, vbi alui liquidæ existunt. Lippitudines verò oboriuntur humidæ, non graues, nec diuturnæ: si non ex mutatione temporum morbus aliquis omnibus communis occupet. Et, vbi quinquagesimum annum transgressi fuerint, defluxiones ex cerebro accedentes, homines semisyderatos faciunt, vbi caput derepente insolatum, aut frigore correptum fiunt. Atque hi quidem morbi ipsis vernaculi sunt: præterquam si morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur, nam & huius participes fiunt.

VErnaculos morbos vocat Endemios regioni, aut vrbi, non ratione temporum, sed quouis tempore communes, quos tamen magis Autumno & æstate affligere, si sint calidi & acuti, minus hyeme & vere minúsque desæuire constat: & Autumno & hyeme, si sint frigidi aut diuturni & deterius, vere verò minus & æstate. Demiror autem quòd Alemanus de sola hyeme interpretaretur, cum hæc omnia omnibus temporibus euenire illis soleant. Igitur quinque proponit morbos, ratione sexus fœminei, inde puerorum, tertio virum, quartò secum, eos qui non solent euenire his. Sed ad ordinem hunc non seruat ad vnguem, quia ordo qui non est necessarius, ad commodum potius respicit, quàm ad doctrinæ ordinem, & maxime in paruis sectionibus, κῶλα Græci vocant. Sed & addit quippiam in fine se excusans, quòd temporum ratione, alij etiam morbi euenire possunt, cum constitutio communis fuit. Ideò per hæc verba sporades excludit, quos semper & vbique euenire necesse est. Et Epidemios sub quibus continentur Epidemij proprij, vt dictum est, communes ac pestilentes. Manifestum est igitur quòd hic loquitur de endemiis, & ita per hos etiam sporades coniectari poterimus: vt si quis dormiat in cubiculo meridiei soli exposito, vtatur autem aquis calidis in æstate & frigidis in hyeme ex piscina aut torrente aut seruatis in corte, si fuerit mulier, puer, senex & reliqua subiicietur morbis sexui vel ætati conuenientibus. Ideò hæc sit regula generalis in posterum. Et hæc mala magis apparebunt in senibus in Autumno: in iuuentibus æstate, in pueris & mulieribus in hyeme. Affligentur autem magis mulieres non ob hyemem, cum hoc dixi morbi sint communes omni tempori, sed quia primum manent diutius in domibus, vbi aër non repurgatur, sicut dicit Oribasius (lib. 9. Collect. cap. 5.) Secundo, quia minus exercentur, iuxta illud, sanitatis studium non repleri cibis & impigrum esse ad labores: Ipsæ verò etiam magis comedunt & bibunt, præcipuè seruæ, quæ etiam magis obnoxiæ sunt his quæ dicuntur. Quartò, quia & natura & habitu aquisito sunt humidiores, mobiliores, imbecilliores viris, vt tertio de Causis (6. Epidem. par. 4. Text. 20.) pulsuum. Ideo dicit tales (cap. 2.) sunt magis morbosæ. Primum, id est, caput eis repletur & ventriculus, & minus concoquunt, constitutio enim est humida: ideo nil mirum si magis lædant, deinde fluxionibus magis obnoxiæ sunt, facile etiam abortiunt, quoniam loci mucore replentur. Sicut etiam post dicit Hippocrates (5. Aphor. 43.) multæ steriles, non natura, sed ex morbo fiunt. Difficulter ergo concipiunt, & longè difficilius, vbi conceperint retinent (62.) nam pondus illud magnum est, & vterus cum infante recta deorsum propendet, & tenera sunt vincula quibus placentæ alligatur, licet aliquanto firmius quàm infans illi ipsa vtero cohæreat, nam se tota iungitur infans illi per vmbilici tantum tres venas aut ad summum quatuor. Propterea primis diebus cum nondum conualuerit, & ante quadraginta diebus maximè abortiunt, (lib. de Septim. Par.) & tum maximè cauere ea ratione motum oportet, quo iam prægrauatæ dissoluuntur vincula. Et post iuxta Aphorismum (4. Par. 1.) vsque ad quartum mensem: nam adhuc omnia humidiora sunt: post in nono omnia hæc ibi in commentariis editis, iam & ab Hippocrate patefacta (lib. de Octimestri partu,) sunt, vnde etiam maiore sunt in periculo mulieres in hoc tertio tempore: nam antea vt frequentius ita ferme sine periculo abortiunt. Conuenit ergo mulieres magis affligi, & magis in hyeme & ociosas & multo potu ac cibo vtentes, vt dixi (3. Aphorism. 2) Hippocrates.

Pueris verò incidunt conuulsiones.] Proponit duos morbos, ex quibus vnus consurgit, quem vocamus sacrum: vel quoniam à diis immissus esse videatur, vt Hippocrates (lib. 6. de Sacro morbo pag. 1.) enarrat vel quia ἱερὸς quod est sacrum, idem magnum & augustum significet. Vnde etiam os quod lumbis succedit amplum & latum

latum quódque ex pluribus ſuccedit ſacrum vocatur (lib.1. cap. 18.) vt Veſalius author eſt. Vocatur ergo magnus ſacer, Herculeus quòd Hercules eo morbo laborauit, vt in Problematibus (30. Par.1.) Ariſtoteles. Sed vel quod inuictus ſit, & idem comitialis, quòd comitia tanquam ex malo omine diſſoluerentur. Dictus eſt & puerilis morbus & lunaticus, ſed non propriè lunaticus eſt comitialis, verum inſaniæ ſpecies. At hæc parum referunt, illud magni æſtimo quòd in Textu dicat, conuulſiones & anhelationes quæ morbus ſacer eſſe putantur: quaſi id ipſe non exiſtimet, & quòd velit comitialem hunc ex duobus morbis coniunctum eſſe, vel vt ex anhelatione conuulſio, atque ex vtroque peculiaris hic morbu. An quia ſic conuellantur contingunt anhelationes? nam non in quibuſlibet conuulſionibus ſpiritus adeò offenditur. Meminit Galenus huius loci, Alemano etiam referente, libro ſexto Epidemiorum (Par.4. com.5.) cum dixit. Quemadmodum in libro de Aëre & Aquis ac locis ita ſcribens ſignificauit: Pueris accidere conuulſiones & ſuſpiria, quæ putant puerulum efficere, & ſacrum morbum eſſe. In his verbis clarè patet illi dictioni puerulum ſubintelligendum eſſe affectum, vt locutio ita ſe habeat: Quæ putant puerulum affectum efficere & ſacrum morbum eſſe. Libet mihi exclamare ô hominum amentiam: quid mihi proſunt, vel ad intelligendum vel ad curandum morbum hæ nugæ, quòd antiquo tempore vocaretur hic morbus puerilis ſeu puerulum affectum, modo conſtet eſſe eum morbum qui pueris accidit, quem exiſtimant ſacrum eſſe. At illud neque docent quòd per pueros propriè infantes intelligit, & vſque

*Text.34. ad ſeptimum annum, [a] vt tertio Prognoſticorum, illud enim refert, quouſque timendum ſit aut cauendum, ſcire. Sed non aſpernor diligentiam, modo non negligantur ob huiuſmodi nugas, neceſſaria & vtilia. Quin etiam Alemanus omnia quæ ad rem facere, videntur etiam longius ad locum trahit, vbi autem inops erat, aridam relinquit interpretationem, vt paſſim vel deſint omnia, vel præſcindere maximam partem ſit neceſſarium. Vnde hoc? damnas illius doctrinam? nequaquam, eruditus eſt, inſectaris illum? nec id qui mihi ignotus eſt, & à quo laudatus vtcumque: Piget illum ſcripſiſſe commentaria? nec hoc: fateor plurimum me illius laboribus adiutum: primum gradum inſuetum tentauit & duce caruit. Quid ergo tandem? vellem exemplo eius alios deterrere, alios ſibi ſimiles incitare, vt accuratius aliquando ſcriberent, nec adeò probarent ſua cum poſſint illa facere meliora. Dignus eſt cum paucis aliis qui legatur, nec vulgaris doctrinæ vir nec aſpernandus. Cuperem vt recogitarent ſecum quanta ſit ſcribentium multitudo, nec alios ſpe concepta de illis fraudarent, nec ſuas dotes quas à Deo adepti ſunt, nec nomen ſuum æternitati detraherent, ob modicum laborem vitandum, ob paucula lucella non amittenda. Conſulant gloriæ, ſed magis æſtiment ipſam virtutem, & rei dignitatem & conſcientiam rectam iuuandi poſteros, atque humanum genus vniuerſum: inde poſt mortem conſortia tot bonorum & præmia benefactorum. Cum enim omnia fecerimus dicere nobiſcum debemus ſerui inutiles. Galenum volumus imitari, imitamur vbi peccauit, atque in his in quibus deliquit, in quibus probandus eſt, non poſſumus aſſequi. Quatuor in viro illo fuere in interpretando præcipua, & tamen vel ſic illum probare nequeo. Primum eſt moderatio, ne non nimis plura inculcet: quod factum eſt ab ipſo conſultò, vt inuenta Hippocratis ad ſe transferret, ſuorum ſi quid habuit pro ſe retineret. Secundum ratio diſtinguendi partes vt dilucidior vbique habeatur, atque hac in parte ferme culpa omni caret. Tertium eſt, vt verba ad vnguem expoſuerit Grammaticus, & in lingua eadem cum Hippocrate exercitatus. Quartũ, vt aliquid in ſingulis ſectionibus ſalis aut intinctus loco inſpergat: cum etiam in hoc adeò præſtiterit, vt multis adhuc placeat. At horum nullum qui nunc ſcribunt cum præſtare norint: neque enim linguam habent, vt ille familiarem authoris quem exponunt nec habent quod ſeligant & addant, cum Zeuſis Tarentini & Heraclidis Erythræi ſcripta, ex quibus cuncta penè Galenus decerpſit, & Capito atque alij quidem illuſtres monumentis ſuis viri temporum iniuria interciderint. At neque lucem eam afferre poſſunt, quoniam Methodum Galeni non adeò familiarem habent, vt ea vti commodè poſſint, neque enim idem eſt in methodis quod in reliquis, ſed methodorum vſus familiaritatem ſummam requirit, velut & armorum exercitatio. Non enim plura arma habere, aut calamos plurimum iuuat ad ſcribendum rectè & pugnandum, ſed vſu indigemus: at non ita eſt de libris, & multo minus de pecuniis, nam horum copia ſane plurimum confert ad habendum doctrinam, ad appoſitè ſcribendum, & ad commoda neceſſaria conſequenda. Sed iam redeamus ad inſtitutum, & quæramus quid ſit hic morbus in infantibus, nam certum eſt ex ſententia Hippocratis hic illum fieri ob ſpirandi difficultatem facta conuulſione, vel ob conuulſionem oborta ſpirandi difficultate; vel vtriſque ſimul ortis atque inde afflicto puero, quaſi ex vno morbo. Proponamus, primum ex tertio de locis affectis (cap.7. in initio) quod comitialis morbus eſt conuulſio generalis totius corporis per acceſſiones, non continua, cum amiſſione omnium ſenſuum tam interiorem quàm exteriorum: vt in tribus à conuulſione differat, & puerilis à ſacro quia eſt cum anhelatione. Comitialis enim licet afficiat reſpirationem, non tamen eſt cum anhelatione. Ergo quomodo hoc fiat tentandum docere ex Hippocrate (pag. 8.) primum quòd ex Auſtro manifeſtè docet in libro de Sacro morbo: dum dixit, Auſter venas cerebri laxat, & ipſum humidius reddit, atque ob id obnoxium huic affectioni, quæ neque tamen maior eſt aliis aut diuinior. Sed cum Auſter mutet mare, fontes, fluuios, puteos, aërem vt humidum non ſolum, ſed tenebroſum etiam efficiat, & aſtra hebetet, ac ſolem & lunam, & terræ fructus corrumpat, quid eſt cur cum in huiuſmodi longe validiora tantum poſſit, vt non multo validius afficiat

afficiat hominis cerebrum? Quomodo autem hic morbus accidat (nam iam docuimus cur in hac regione sit familiaris) nunc ex eodem subiungam. Inquit (pag. 5.) fluxio genitæ pituitæ si fiet ad ventrem, tunc profluuia alui fiunt: sin autem ad cor & pulmones, fiunt anhelationes: cum vero in venas eadem fluxerit intercepto aëre qui in ventriculos cerebri ferebatur, indéque per ipsos in venas cogitur sanguis, & fit mutus ob impedimentum spiritus non potentis transire per os & nares ad cerebrum, at sapientia ac cognitione destituitur: eo vero sanguine qui per venas fluere cum spiritu solebat coacto & spiritu etiam sublato, manus conuelluntur, oculi distorquentur, cruribus & pedibus calcitrat, spuma ad os ob pulmonis suffocationem transmittitur, & stercus exit. Pòst subiungit (pag. 6.) quomodo & cur magis in pueris, dicens quoniam humido scilicet abundante in venas, quæ sunt angustissimæ defluente facilè sistitur sanguis, & ideò etiam facillimè moriuntur. Si tamen pauca fuerit, seruantur nota in membro relicta, velut ceruice, oculo, ore manibus. Et vbi syderata fuerit vna pars non amplius in illam morbus redit, iam conclusis meatibus per quos illa pituita fertur. Hæc igitur longè vtiliora poterant adduci ad rem. Illud addam tantum perspicuum esse dupliciter endimium esse comitialem morbum hic, id est regioni atque ætati proprium, vt tertia Aphorismorum (25.) contingere autem pituita, & ad venas simul, & ad cor defluente. Ex his habetur dissolutio quæstionis, quia iuxta hoc cum puellæ sint humidiores & frigidiores infantibus masculis, deberet sacer morbus illis magis contingere quàm pueris, cuius contrarium apparet: nam dico quòd hoc non est adeò certum, sed si ita sit, contingit quia humidum puerorum est magis crassum & tenax.

LECTIO XIX.

Super eodem

TEXT. VI.

Viris autem dysenteriæ.] Enumerat morbos qui iuris accidunt, & sunt sex. Primus est dysenteria: cum enim iuuentus & sexus calidiores humores efficiant ac ficciores, quàm in pueris & mulieribus, meritò fit vt diminuta pituita & permista bile, generentur dysenteriæ, quòd enim salsa pituita fiat ex bile permista pituitæ, clarum est: quòd autem à salsa pituita dysenteria fiat docet idem in Sextadecima tertij (prima 1. docet. 4.) cum dixit: Et cum fit ab humore baurachio terminus est vnius mensis, loquens de excariatione, (Tract. 1. cap. 2.) in his igitur regionibus in tali ætate & sexu abundant dysenteriæ, & maximè quòd dysenteria est morbus endemius constanti ætati. Tertia Aphorismorum (pag. penult.) simile quippiam dicitur in coacis prædictionibus, pituitosa acutè cum oris ventriculi dolore dysenteriam fortassis & lumborum dolorem. Hæc non ignota expertis, quanquam Galenicis, vbi verba Galeni desunt admiranda videantur, ægrósq; suis variis cogitationibus mactent, frequentissimum enim est, vt dysenteriæ longę ex salsa pituita fiant. Galenus putat (2. de Diff. feb. cap. 6.) pituitam salsam fieri, vel à pituita putrida vel ab ichore, in quo aberrat Princeps, qui ichoris loco aquam cum legat, admiratur vult legi & pro aut. Sed talia multa sunt quæ sufficiat emendasse non arguere, constat enim vrinam salsam esse, & amaram & mixtam pituitæ, salsam illam efficere: sed & propter bilem admixtam salsa efficitur, sed cum cruda est, licet enim ex salsa in amarum per coctionem transitus fiat, nunquam tamen amarum prorsus insipido mixtum salsum efficiet, bilis ergo cruda & quæcunque terrea salsa sunt, & ichores & putredo efficiunt pituitam salsam, in his ergo regionibus talia accidunt, sicut & alui profluuia quæ ex huiusmodi causa accidunt, salsum enim stimulat & pituita profluuium facit. Inde dicit febres leues, diuturnæ, hybernæ, quid clarius, leues quoniam in materia frigida vehementes esse nequeunt, nisi admixta sit sanguini, aut à sanguine foueatur: diuturnæ, quoniam quæ à frigido fiunt diuturnæ sunt, finitur enim morbus coctione, frigus autem coctionem retardat, propterea quod coctio fiat à calore. Græca lectio habet epielas & diuturnas hybernas, mea sententia vt Epialæ fiant æstate, hyeme febres diuturnæ, in Epialis simul calor sentitur ab astantibus, frigus ab ægro, vnde etiam nomen sumpsit, Paulo teste, de hoc plura diximus decimo Contradicentium (lib. 2. cap. 26.) existimant fieri à vitrea pituita. Et si non, solum id fateor, maximè cuius pars dum putrescit pars non inæqualitas illa gignitur simul caloris & frigoris, velut in virgine illa, de qua aliàs, Bononiensi H. Desideria.

Epinictidas dicit fieri.] Hic est quartus morbus cum membra interiora validiora fuerint natura protrudente, quod vitiosum est extra. Celsus libro quinto (cap. 28. sec. 14.) de his inquit: Pessima pustula est quæ ἐπινυκτὶς vocatur: ea colore est subliuida vel subnigra vel alba, consueuit circa hanc autem vehemens inflammatio esse: & cum adaperta est, reperitur intus exulceratio muccosa: color est humori suo similis: dolor ex ea supra magnitudinem eius est: neque enim ea faba maior est: atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus: & ferè noctu vnde nomen quoque à Græcis ἐπινυκτὶς impositum est. Essere autem vocantur ab Arabibus, aliàs Benat noctis, seu planta noctis Principis, capitur quandoque pro ægilopa, vt à Plinio (lib. 20. cap. 6.) Estque vlcus anguli oculi. At à Galeno quoniam oriatur noctu, vt secundo Artis curandi (cap. 2. iuxta finem) Verùm à Paulo & Aëtio quòd tum exacerbetur, vt Gallicus morbus, seu potius cum nihil habeat cum Gallis, Indica lues: cum tamen in idem tendant. Neque nunc disputabo de tota materia, neque de ratione nominum, & relinquamus id negotij Ingrassio per ocium talia disquirendi. Galenus enim (lib. 4. cap. 9.) disceptare de controuersis debemus (lib. 14. cap. 61.)

cap. 61.) quousque mentem authoris explanator venari possit, quæ vtilis sit, hæc cognitio ad opus, at velle reprehendere vnumquemque quatenus errauerit aut deceptus est, præsertim in nominibus, plusquam curiosi est, nam curiosus saltem finem imponit vbi nil commodi ad se venturum posse putat, qui ista quærit ne tum finem curiositati suæ imponit. Rectè Alemanus (libro de Tumor. cap. 2. (causam docet cur huiusmodi pustulæ noctu erumpant magis, aut augeantur & irritentur. Conclusi enim primum poti noctis frigore & calor in intima reconditus materiam putrem exagitat & feruere facit, vt in pustulas vertatur cutis, carnis etiam subiectæ aliquid apprehendens. Cum enim sit fabæ magnitudine vix tota in cute contineri potest. Et fit ex exustione, tum ichorum, tum etiam humorum: si enim ichor solus exureretur, è genere esset scabiei: si fine exustione protruderetur, aut dolorem magnum inferre non posset, aut ex humore fieret bilioso: constat igitur ex ichoribus melancholia permixta sanguini aut pituitæ. Protruditur autem quia stimulat naturam, & ipsa potens est, velut per somnum maximè, vt tertio (cap. 9.) de Causis pulsuum. At non in die, vel quia calor est imbecillior, aut quoniam materia difflatur: hoc est verisimilius cum etiam dolorem, vt diximus, non leuem excitent: quare fient ex materia exusta spirituosa, vt ita dicam, per ora venarum quæ ad cutem non effusa sed dilatata sub cute, & propter dolorem etiam addita & attracta ad locum materia innoxa, vt ex duabus partibus talia plerumque constent, materia obnoxia vaporosa, & innoxia crassiore sanguinea, sed propiore ad naturam alterius humoris quàm sanguinis. Citari solet Hippocrates in sexto (Parte 2. Text. 18.) de Morbis vulgaribus, qui ibi de pustulis egit, exemplo cuiusdam Simonis qui hyeme quadam latis pustulis laborauit. Videntur tamen non esse hæ sed proximæ, vt etiam variolæ vocatæ & morbilli: sed plurimum ab epinyctidibus differunt cum hæ habeant accessiones noctu, die disparent, at morbillis & variolis, vt morbis continuis hoc non accidit: variolæ & morbilli rarò omnino sine febre eueniunt, epinyctides sine febre plerumque, & si dum perseuerant post modum febrem tertianam inducant, teste Principe (tertia 4. Tract. 1. cap. 13.) Tertio quoniam variolæ & morbilli omnibus ex natura adueniunt, vt Auerroës docuit in suis collectaneis, epinyctis paucis. Variolæ etiam rarò dolorem magnum inducunt, morbilli nunquam, epinyctis magnum, vt diximus (lib 3. cap. 8. in fine.) Variolæ demum & morbilli sæpe sunt lethales, non epinyctis.

Et hæmorrhoides in sede.] Si quis ordinem animaduertat Hippocratis semper diminuendo procedit, primum à dysenteria periculosissimo malo incœpit, inde ventris profluuio quovis, pòst febre hepiala, & inde diuturna & hyberna, hucusque non abest omnino vitæ periculum, post transiit ad epinyctidas, in quibus tametsi absit, vt dixi, vitæ periculum, adest tamen molestia multa: vltimo loco deuenit ad hæmorrhoidas quæ & à periculo non solum prorsus absunt, sed etiam à molestia: cum liceat medicamentis manu applicatis illis succurrere. Et quamuis aliqui ad malum habitum ab eis producantur, hoc est vel ob ignorantiam medicorum, aut ob causam hæmorrhoidarum, non morbum. Ideò de causa cur in his regionibus tam hæmorrhoides quàm epinyctides eueniant, nunc dicendum est. Corrupto sanguine vbi in corpore vena ex caua iecoris ad anum extendatur, & maximè cum ater fuit humor, & difficulter permeabilis, & feces aridæ & sanguis inæqualis, & homo acribus vtitur, & si partes illæ vexentur, prorumpunt hæmorrhoides cum fecibus fermè semper, absque illis rarò, vt inquit Hippocrates in libro de Hæmorrhoidibus: (in prin.) & fiunt à pituita & à bile scilicet vtraque, vt ibidem ait, consueuerunt tamen sanguinem crassum euacuare, vt Galenus author est (Com. 11. & 12.) sexta Aphorismorum. Verum si sanguis pexmixtus sit, ac mediocritati propior, substantiáque tenuis, ac quasi vaporosus fiunt epinyctides, vt visum est. In hac igitur regione alterutro modo corrumpitur sanguis, & si quidem antequam transeat gibbam iecoris corruptióque deformis sit, fiunt dysenteriæ & diarrhoeæ: sin autem in sanguinem vertatur vt cúmque alimentum frigidum crassum, fiunt hæmorrhoides: sin autem transeat ad gibbam iecoris, fiátque sanguis eiusmodi biliosus, pituitosus, ater, fiunt epinyctides: sin autem humores sanguinei, fiunt febres. Et ita reducuntur ad quatuor. Sicut ergo in mulieribus vterus magis afficitur, cum sit imbecillior, situ inferior & cloaca excrementorum, in pueris caput, quod in ipsis est imbecillissimum, ita in iuuenibus iecur, non quod iecur sit imbecillius cæteris membris, sed quia non licet aliud membrum in eis imbecillius inuenire. Porrò vnde hæc imbecillitas progignatur dictum est, tres præcipuè sunt causæ quæ in ea regione omnes adsunt, intemperies aëris, calida & humida quæ dissoluit, laxat, vnde fluxiones, & putrefacit multitudo vaporum, quæ cor non sinit expurgari, & cerebrum implet, & aquarum prauitas, æstate semiputridarum, hyeme prorsus crudarum: ab aquis autem maximè iecur & facultatem naturalem, ab aëre animalem vitiari diximus.

Pleuritides autem & peripneumoniæ.] Hæc est quarta pars, vt dixi, in qua connumerat morbos acutos, tres reliquos significans. Quinque enim enumerat, eosdemque 1. de Morbis, (pag. 3.) Primo de victu in acutis, frenitidem, lethargum, morbum lateralem, peripneumoniam, ardẽtemq; febrem, dicit & his similes, id est velut abscessum in iecore, in ventriculo, febrem pestilentem, aliósq; huiusmodi, qui nõ similiter fiunt in his regionibus, quoniã aluos hi habent liquidas. Vnde Galen. (Com. 33.) hunc locum adducens 6. Aphoris. interpretatur de pituita salsa, vt locus hic sit intelligẽdus, potius ob causam mollitiei alui, quam ob ipsam mollitiem: nàmque pituitam salsam plerumque putat esse causam alui fluidæ, propter quam natura bilem excernit, vnde fiunt morbi acuti. Est enim tyrannis quædam

quædam in corpore nostro, velut etiam in Rep. malè ordinata, & præcipue in Oligarchia, in qua quiuis ordines atque homines qui plus possunt premunt debiliores, quod testatur Princeps in prima primi, & accepit à Galeno 3.de Facul.natur. (cap. 1. in fine,)& cum rarum sit vt inueniamus, eodem Textu6. Epid. (cap. 13. post prin.) vt duo membra ex æquo sint imbecillia, ideò rarissimum etiam est, vt eiusmodi homines in morbos acutos incidant, imò dicit ibi, si membrum illud præoccupas excipere superflua,& reliqua bene valent. Et ideò non malum est,podagram pati,sed multo minus scabiem, & male consulunt medici, qui adeò curiosè illam expellere conantur, verum istiusmodi tyrannidis in humano corpore,cuius adeò luculenter Galenus(Par.2.com.43.) mentionem fecit, tanquam rei diuinitus institutæ,atque ex consequenti, cuius exemplo liceret in miseros eam exercere, triplicem causam ostendere volo,vnde facilè intelligatis omnino tyrannidem illam, quæ in homines ab hominibus exercetur impiam esse, execrabilem atque alienissimam ab hoc naturæ exemplo, siquidem & in homine & in aliis diuersa diuersis imponunt, non simile simili, nunquam oculus dexter ad sinistrum, nunquam manus dextra ad sinistram, neque auris auri, neque pes pedi excrementa, vel causam morbi detrusit, sed iecur ad lienem, lien ad ventriculum, cum igitur homines vnius & eiusdem speciei sint, non licet homini hominem vexare, sed iniqui est hæc tyrannis. Secundum est, quod ex hac transmutatione cum perfectiora ad imperfectiora transmittant ordo naturæ constat. Si enim olera non depascerentur terram, oues olera, leones ipsas oues,leones esse non possent,atque ita natura destitueretur vnoquoque animantium nobiliorum genere, quin etiam quædam ab hoc timore liberauit, scilicet quæcunque essent perfectissima, elephantem, rhinocerotem, monocerotem, seu bouem,Æthiopicum, & inter aues ab aquila olorem. Propterea Plotinus in lib. (cap. 15.) aduersus Gnosticos dicebat, quod noxia est opinio de Mundo malè instituto ad mores hominum. Et in 1.de Prouident. (cap.4. & 15.) adducit tres rationes cædis animalium: prima est, quod permutantur animæ, & quæ passæ sunt iniuriam, post inferunt velut homines in scena mutantes vestes, vt sit potius ludus quam iniustum factum, cum eadem agas quæ passus es. Secunda, quoniam omnino animal erat paulo post interiturum sponte sine commodo vllo, nonne melius est, vt commodo tam magno aliorum paulo ante pereat? Quæ ratio adducitur ab his qui Respub. regunt, vt ciues ab bellum mittant: nam non perpetuo victuros emittunt, sic enim illis iniuria fieret, sed omnino domo sine fructu, & morte difficiliore perituros. Tertia,quoniam vna est anima Mundi & omnium. Et sicut cum ad cutim protruditur febris per pustulas, gaudemus, licet ea pars molestia afficiatur, ita & in animalibus. Vnde patet, quòd nullum animal habet sensum proprij, sed sentit ita vt non seipsum sentire cognoscat, vt etiam membrum in homine, præter ipsum hominem: & ideo homo solus est iniuriæ capax. Et in homines tyrannidem exercere non licet,quoniam cum iniuria fit. Tum quia in hominibus nulla est perfectionis à specie differentia,quinimo qui alios vexant omnes imperfectiores sunt, & à diuina natura magis alieni, latrones, fures, proditores,venefici,milites, fœneratores,atque huiusmodi. Tertium, quod causa huius regni, non tyrannidis, est diuina vis sparsa per vniuersum mundum, quæ inferior superiori paret, vimque infert quæ plus potest, non inferiori quæ corpore illo non indiget, sed illius corpori, velut si Princeps ingressus sedere velit, omnes sedem exhibent, non se quidem malè afficiunt, neque illi se subiiciunt, sed ornamentum quoddam illi vt meliori exhibeant. Si ornamus ecclesias, ornamus professores, ornamus magistros ludi literarij, non dicimus spoliari ab illis, adiecta est corporibus aliorum animalium ad decus mundi, & ad vtilitatem meliorem, & decus mundi cessat,& vtilitati melior satisfit,cúmque in vsum aliquem ordinata sunt, ei vsui subiiciuntur. Vnde Cicero aiebat, suis animam esse pro sale. At non homo in homine alterius vsu fabricatus est, sed per seipsum habet decorem,itaque regimen membrorum & specierum ordo regio quædam potestas est,& licita hominum,tyrannis est & iniqua in alios homines pressura.

LECTIO XX.

Super eodem

TEXT. VI. & VII.

L*ippitudines vero.*] Postquam declarauit morbos qui fiunt maximè ob aquam, docet eos qui accidunt vitio aëris. De his quidem egit in tertia Aphoris. (11.) Et videtur velle quòd humidè etiam fiant à siccitate, nam & temporibus siccis & in æstate magis, vt cum dicitur de humidis intelligatur, nam siccas nominat (16.21.) inter morbos cum æstatem siccam & aquiloniam, similis Autumnus, scilicet siccus & aquilonius consequitur(14)quomodo igitur huic regioni tam calidæ æstate,semper autem humidæ lippitudines siccæ conuenient? Philosophus 1.Probl. (8.) Lippitudines febribus miscuit, vt eandem ferme causam habere videantur, intelligitque de vtraque, vt humor prius in capite corrumpatur, & Lippitudines inde etiam febres excitet. Et his quidem humidas fieri vult, & non graues nec diuturnas: scilicet quòd materia tenuior sit, & quæ facile exprimatur. Et quia propensa est natura talium vt materia ad intestina rapiatur, vt sexta Aphoris.(17.)Quoniam vero diximus abunde de siccis lippitudinibus, in tertia Aphorismor. (Com.14. sed vberius ex Galeno in 12.) & quod sunt magis dolorosæ humidis, vt humidæ rarò cæcitatem inducant, effluente materia, ideo transibo ad quintam partem. Haud immemor sum me aliàs docuisse ophthalmiam, vt hic in Textu Græco

aliud

aliud esse à lippitudine apud Latinos, nec habere quod correspondeat, sed nunc parum refert.

Et vbi quinquagesimum annum.] Defluxiones ex cerebro, quæ παραπληκτικοὺς, parapleticos efficiant: sunt congenera tria genera morborum, apopletici, paralitici, parapletici, ortum ex eadem materia, loco & similem affectum facientia. Námque hæc ex humore cerebri ventriculos occupante oboriuntur, si ambos vt intereat æger necesse est: tum quia intercipitur respiratio, tum quia non est pars sana quæ curet ægram. Et similiter cum fit vno ventriculo pleno materia melancholica, vel si ob inflammationem, vel si materia per arterias iugulares deferatur ad cor: aut cum accidit in fine febrium, nemo seruatur, in imbecillibus verò ac senibus non sanatur aliquis, sed in insanabilem paralysim transit deteriorem morte, vt quinto de Tuenda sanit. (cap. 1.) & si leuissima sit id paraplexiam, id est resolutionem alicuius membri, ex qua euadunt ferè omnes, qui bonum medicum nanciscuntur, & ipsi sanari nolunt, nec commoda desunt. Paralysis ergo dimidium obtinet hominem, apoplexia totum corpus, paraplexia vnum membrum solum. Vnius nos admonet valde vtilis dicens, si se soli aut frigori exposuerint hoc contingere, non quia, vt isti putant, materia ad neruos deueniat: sed quoniam ex cerebri substantia deriuatur in cerebri ventriculos, inde ex illis nonnunquam in neruos, nec est materia huiusmodi vnquam pituita, vt fabulatur vulgus medicorum, male enim nimis nobiscum ageretur. Sed humor crudus cui natura non dominatur. Sed & à melancholia & sanguine non vero tamen fiunt huiusmodi. Decet ergo senes vitare has temporum iniurias, sed præsertim frigus, obturando hyeme aures gossipio, & emungendo, nares, & moderatione victus vtendo, dixit paraplexias vt per minus, quod est maius intelligeremus: & etiam quia aluus quæ sæpe expurgat hominem, non finit ipsum tantæ multitudini obnoxium esse: nonnunquam ergo imò sæpe paraplexia absque apoplexia fit transmissa materia ad ambitum cerebri, non ad medium, vbi sunt ventriculi: vt ex circumferentia nerui oriuntur. Meminit de paraplexiis, quas etiam lethales esse dixit, primo Epidem. (pag. 2. Text. 69. & 59.


Atque hi quidem morbi ipsis.] Hæc est sexta pars in qua se excusat, quod præter hos endomios, qui omni anno, omni tempore, & omni anni constitutione, etiam præter naturam accidunt, quidam alij etiam oriri possunt, & facilius quàm in aliis regionibus præcipui, vel ratione constitutionis temporum, vtpote tertianarum & capitis dolorum in æstate secundum naturam, & in hyeme grauedinum & raucedinum, vel ratione constitutionis præter naturam, vt in pestilentibus maximè, velut accidit in Cranone: nam multi alij morbi non vernaculi eo anno apparuerunt.

TEXT. VII.

QVæcunque verò ciuitates his ex opposito sitæ sunt, ad ventos frigidos, inter occasum solis æstiuum, & orientem æstiuum: etiam ipsis hi venti vernaculi ac indigenæ sunt, ab austro vero & calidis ventis protectæ sunt. Et de his vrbibus sic se res habent. Primùm quidem aquæ & duræ, & frigidæ vt plurimum dulcescunt. Homines autem vegetos & siccos esse necesse est: & plures ventres infernos crudos ac duros habere, supernos vero fluidiores, biliosósque magis, quàm pituitosos esse, capita verò sana ac dura habent, & plerumque vasa ipsis rumpuntur.

QVæcunque vero ciuitates his ex opposito.] Transit ad contrarium situm, & videtur plana litera prima fronte imperitis, sed magnum arcanum latet in ea apud Astrologiæ & Geometriæ peritos: cui si non subscriberet experimentum, certè longe maius negotium nobis relinqueretur. Præsupponit Hippocrates, quod & verum est, nos posse & regionem suam itidem afflari posse ventis orientalibus atque occidentalibus, cum tamen sol nunquam remoueatur ab æquinoctij circulo plus viginti tribus, & dimidia partibus, regio autem Hippocratis distet ab æquinoctij circulo partibus triginta septem, nostra autem quadragintaquatuor, seu amplius. Dico Mediolanum vnde oriundus, & Bononia vbi nunc dego: quomodo ergo poterunt radij solis, aut venti ex illa parte, id est oriente sole rectà nos impetere, ac quasi per lineas parallelas ipsi circulo æquinoctio, sicut videmus oriente sole atque occidente parietes recta spectantes Boream illis horis illustrari, cum tamen meridie dum sol est altior hoc nulli fiat?

Proponatur finitor *a b c d e*, & mundi polus arcticus *f*, & æquinoctij circulus *a g e*, circulus æstiui solstitij *b h d*, vertex noster *k*,



& circulus magnus per illum & oriens & occidens *a k e*, sitque sol in *d*, oriens cum fuerit in tropico: quia ibi est sectio paralleli

cum

cum finitore, & occidens in b, & meridianus $cfkbg$, erit ergo in h in meridie: ibi enim secat parallelus meridianum paries, ergo in k illuminabitur à meridie solum, & vmbra proiicietur versus polum f. Quoniam verò æquinoctij circulus in parte superiore ad antarcticum, recedit à circulo ake per verticem, & sunt ambo circuli maiores, igitur in parte inferiore circulus æquinoctij à circulo per verticem, in quo sumus tanquam axis, recedet ad arcticum polum tantundem: quare cum erit sol in punctis a & e in die æquinoctij, erit in directo nostrum quasi in recta linea à dextra in sinistram. Sed cum est in b & in d, est borealior, quàm cum est in æquinoctji circulo, adeò vt dum erit in l vel m, videatur esse è regione nobis, & in bd, borealior per arcum ab vel ed, id est partibus vigintitribus & media, igitur paries no, dum sol est in oriente vel occidente illustrabitur à septentrione, & proiiciet vmbram meridianam. Et quanto magis ascendet à d versus h, videbitur à nobis moueri, & cum descendet ab h ad b, videbitur eo magis appropinquare nobis, & cum erit in opposito h sub terra, si oculus posset videre illum, videretur quæ è regione f poli, & valde borealis. Et hoc ostendunt horologia, nam cum bifida æris septentrionem respexerit meridiei linea, transit ad circulum qui est vltra gnomonem, qui refert verticem nostrum, vt ille solis motum in parallelo, & vmbræ vltimæ diffiniuntur lineis tenentibus ad meridiem, vt decima & vigesima tertia, igitur sol est in septentrione. Et ita de parietibus ostendit experimentum, & venti sequuntur eandem rationem. Et nisi quis hæc intelligeret deciperetur. Et sub hoc latent magna secreta: scilicet quod propter hanc causam erraticæ sunt efficaciores in oriente & in occidente, imò in aliis punctis quando sunt extra circulum æquinoctij, quàm in circulo mediæ noctis, quia tunc sunt è regione nobis: & in circulo verticali, & in axe. Et in circulo mediæ noctis, quàm in circulo meridiei. Et ibi essent debilissimæ nisi esset aspectus rectus. Dicit ergo, quòd si eiusmodi vrbes fuerint protectæ à meridie, & expositæ ventis per totum bcd, aquæ erunt duræ, & reliqua quæ sequuntur.

Diuiditur autem Textus in septem partes, quarum primam exposuimus. Secunda est, quòd dicit, aquas duras & frigidas dulcescere, loco eius quod dixerat suprà, esse multas & subsalsas, & hyeme valdè frigidas, quomodo ergo possũt esse frigidæ & duræ & dulcescere? Alemanus dicit quòd dulcescunt resoluta parte tenui à gelu, sed hoc est absurdum. Dico ergo quod admonet nos vnius, scilicet quod eiusmodi aquæ quamuis sint crudæ & tenues dulcescunt tamen: ideò non esse eis vtendum, nam in aliis, nemo qui sapiat vtatur: in his aliqui decipi possent. Sunt autem dulces propter hoc quòd solum est calidum concluso intus calore: & ideo in huiusmodi regionibus etiam apparent persæpe bituminosæ. Et si quis dicat, ergo concoqui perfectè possunt, responderet ad hoc Hippocrates, quod solum à sole perfectè concoqui possunt, & hoc est declarare mentem suam de concoctione aquarum, quod non possunt à terra concoqui exactè. Ideo neque.

Homines vegetos & siccos.] Istud habetur ab eodem tertia Aphoris. (17.) Aquiloniæ autem constitutiones corpora densant, facilè mobilia & bene colorata & melius audientia faciunt. Refert Alemanus Lapones qui iuxta polum habitant adeò esse agiles, vt se totos per circulum diametri cubitalis arcum habentes in manu & accincti pharetris, quod scio verum esse, & similiter quod sine domibus sint, sed vagantur, aut in speluncis & syluis habitant: quod autem ad multos annos viuant, vt ille dicit, non mihi compertum est. Vltimi sub Borea & qui sub polo degunt, vt Olaus Magnus in tabulam refert, sunt Briarmij, inter quos & Lapones sunt, Scrifinij & Finmarchij, de quibus etiam Saxo Grammaticus (lib. 7.) Sed de his in Scythis. Et plures ventres infernos crudos. Illud idem dictum est in Aphorismo, habent enim aluos duras, & quomodo debeant intelligi illa verba, supernos autem fluidiores & magis biliosos, dicit ibi, quoniam pectus si dolor aliquis obsederit infestant & oculos mordent scilicet ob fluxiones acres & biliosas. Ideo dixit ventres superiores scilicet caput & pectus superiora ventri communiter appellato: in quo recondita sunt membra naturalia: ideo vide nostra commentaria ibi.

Capita verò sana & dura habent.] Istud videtur contra Herodotum qui dicit (lib. 3.) capita Ægyptiorum esse durissima & in bello non aliter distingui potuisse à Persis: & Indos nostra ætate occidentales habere durissima capita, cum non in regione frigida sed calidissima vtrique viuant.

Et plerumque vasa illis rumpunt.] Destillationes maximè fiunt ad pectus, vt etiam tertio in tertium Epidemiorum (text. 9.) Cur autem rumpantur vasa, dicebat Galenus quarto de locis (cap. 5.) Sed vt in methodum rem traducamus, duæ sunt causæ ruptionis, multa sanguinis generatio ob caloris innati magnitudinem, Prima Aphorismorum, (15.) & pauci resolutionem, primo de victu in acutis: & duriter vasorum ac tussis ex his quæ dicta sunt in quarto de locis (Comm. 44) vt dixi: igitur in talibus facillime vasa pulmonis rumpuntur, hoc autem accidit in pulmone propter quatuor causas à Galeno enarratas in libris de vsu partium, sanguinis summa caliditas, spiritus qui in arteria venali continetur subtilitas, ipsius arteriæ & substantia pulmonis molis ac fragilis.

LECTIO XXI.

Super

TEXT. VIII.

MOrbi autem populares ipsis hi sunt, pleuritides, & quos acutos esse receptum est. Necesse est autem ita habere, cum alui duræ existant, & suppurati multi ex omni occasione fiunt:

fiunt: Huius autem causa est, corporis extensio, ac ventris duritia. Siccitas enim & aquæ frigiditas facit, vt vasa rumpantur. Edaces autem tales naturas esse necesse est, & non multum bibaces. Non enim fieri potest, vt simul multum edant, ac bibant. Lippitudinésque his fieri ex temporis interuallo necesse est, duras autem ac vehementes, & statim oculos rumpi, sanguinis item ex naribus fluxiones vehementes æstate fieri iunioribus triginta annis. Morbos etiam sacros appellatos, paucos quidem, verùm vehementes. Longæ verò vitæ magis, quàm alios, hos homines esse par est & vlcera non pituitosa oboriri, neque efferari. Mores verò magis feros quam mansuetos. Ac viris quidem hi morbi vernaculi sunt: præterquam si quis omnibus communis ex temporum mutatione ingruat. Ex mulieribus vero primum quidem multæ steriles fiunt propter aquas, quæ duræ sunt, crudæ, & frigidæ. Purgationes enim mensium non contingunt commodæ, sed paucæ ac prauæ. Deinde pariunt difficulter, & non valde abortiunt. Vbi verò pepererint, pueros nutrire non possunt. Lac enim ab aquarum duritia ac cruditate extinguitur: & tabes frequentes à partu fiunt. Præ violentia enim ruptiones ac vulsuras habent. Pueris autem hydropes in testibus fiunt, quandiu parui fuerint: deinde ætatis progressu euanescunt. Pubescunt autem serò in hac ciuitate. Et de calidis quidem ventis, ac frigidis, & vrbibus ad hos sitis hoc modo, velut dictum est, res se habet.

IN præsenti textu agit de quinque generibus morborum endemiorum generalibus, quocunque tempore & ætate propriis viris & æstati senibus, mulieribus & pueris, appellat autem populares, & non ἐπιχώριανοσήματα, id est, vernaculos, nam familiares ætatibus endemij vocantur, verùm temporibus epidemij. Proprium epidemiorum est variari, endemiorum esse inuariabiles, hi ergo partim variantur, partim non: vtitur autem nomine communiore, nam & endemij sub epidemiis continentur, non autem contraria vice. Qui ergo proprij primum sunt, omnibus habitantibus in hac regione, sunt duo: morbi acuti circa pectus & lippitudines, circa pectus quidem alia ratione quam circa cerebrum, quamquam non negauerim etiam cerebrum pati phrenetides & lethargos, nam cum hæc duo membra maximè lædantur à frigore, quia, vt aliàs dixi, ambo respirant, pectus vtrique infortunio scilicet proprio & cerebri, cerebrum proprio tantùm obnoxium est. Incidunt autem in morbos laterales ob tres præcipuas causas: prima, quia habent sanguinem biliosum ob caliditatem vehementem interiorem: & ita sanguinem tenuem, qui facilè suapte natura exit venas, vt libro de Inæquali intemperie (cap. 3.) & etiam quia facilè efferuescit, maximè quia est etiam copiosus in venis. Secunda, quia cum exercitatio sit necessaria hominibus, non solùm ob conseruandam sanitatem: sed multò magis ob negotia, & exercitationem excipiat frigus: ideo inflammationes & febres generantur. Tertio (cap. 10.) de Tuenda sanitate, 8. Methodi. Tertia causa sumitur ex lib. de Flat. (cap. 2. & 3.) quamuis, vt dixi, minimè Hippocratis germano, quæ tamen ibi dicuntur, ad medicinam pertinentia vera sunt. Quia ergo pectus lancinatur à tussi, quæ accidit ob destillationes quæ contingunt à frigore, lancinatæ partes dilatantur, & in eas ingreditur spiritus, quem subsequitur sauguis: & ita fiunt inflammationes. Quartam causam oppositam præcedenti constitutioni, scilicet alui duritiem, qui enim tales sunt, non solùm non leuantur ab his incommodis, cum sint iam parati, sed etiam illa incurrunt, & alia multa. Dicebat enim Princeps (2. p. boc. 2. sum. p. cap. 17.) Retentio excrementorum est causa morborum in compositione & temperie, sed hoc est generale: specialiter autem durities alui generat conuulsionem in infantibus, lib. de Dentib. & 3. Aphorism. 25. & in viris ex hoc textu habetur, quod omnia genera morborum acutorum. Sunt autem acuti morbi trifariam ex materia, vel ratione multitudinis, aut qualitatis, aut loci quod etiam dicit Alemanus, & bene, sed demiror quòd plura dixerit de hoc Hippocrates more singulari, quòd iudicio valeret: Galenus pauciora & sparsim iuxta consuetudinem suam: Princeps nihil in tanto volumine: nam quod dixit ibi ad retentionem cuiusque excrementi, non vt fecibus propriè attinet: quapropter methodo necessarium est vti: cuius tamen executionem ad opus de Tuend. sanit. lib. 2. traducimus. Vnum hoc obseruandum, non prohibere alui mollitiem morbos longos, vt podagram, & istiusmodi: quoniam per aluum non facilè, nisi præparati fuerint, effluunt. Et de febribus acutis quomodo, & cur fiant, dictum est satis in epidemiis, hoc ipsum expressit Philosophus 14. Problemat. 2. cur in frigidissimis locis febres acutæ fiant.

Et suppurati multi.] Docet morbos laterales & peripneumonias plerunque terminari ad suppurationem: nam abscessus pectoris quinque modis terminatur: aut enim absque sensili euacuatione desinunt, & hæc vocatur resolutio: aut cum sensili euacuatione, quæ est tamen propria abscessibus pectoris conuenit, & nonnunquam abscessibus cerebri, & vocant resudationem: aut quoniam suppurant & disrumpuntur, sed in interioribus hæc resolutio non est adeò salubris, cum indigeat alia euacuatione: in externis autem inflammationibus est cura perfecta: vel finiuntur conuersione in scirrhum, vel transmutatione. Cúmque multi secundum modum ignorauerint, dixerunt esse

tantum

tantum quatuor fines inflammationum: cùm autem verba hæc possint tres habere sensus, hic vnus germanus est Hippocratis: nam fieri multas suppurationes ex multis abscessibus verisimile satis erat, tum verò quòd sint longè plures, quam vt respondeant numero inflammationum, satis apertum est esse ex mente Hippocratis 5. Aphor. 10. non tamen quòd ita esse debeat, nisi docuisset, constabat: siquidem ex tertio genere sunt hæ, non secundo, vt dictum est. Vult ergo quòd fiant empyci, vt ex abscessu rupto vel ex anginæ transmutatione, vel ex vase rupto, vel ex collecta destillatione variorum humorum, & in saniem versæ, ideo dicit (omni ex occasione.) Et rursus corporis extensio, & ventris duritia, quoniam corporis appellat extensionem contentionem venarum ob plenitudinem & ventris duritiem: nam biliosiores fiunt, & sanguis impurior non expurgato ipso antequam procedat ex caua iecoris ad gibbam: præterea mihi multum arrident verba Alemani in hoc: Detentis enim excrementis corpus repletione distenditur, & vasa comprimuntur, & sanguis agitatur & perturbatur, agitatus incalescit, accenditur, effluit, morbos laterales dicit, procreat: sed melius quod sequitur, frigiditate aquæ & aëris siccatæ venæ rumpuntur, ob quarum rupturam morbum suprà dictum fieri diximus.

Edaces autem tales naturas.] Docet quòd plurimùm edant: quòd enim natura optimum est in vnaquaque regione, longo vsu in consuetudinem transit. Dicebat Hippocrates 1. Aphor. 15. ventres hyeme & vere naturâ calidissimi, & somni longissimi: in his ergo temporibus oblationes multæ dandæ sunt. In regione ergo frigida & humida admodum erunt homines (nisi coacti) somnolenti, & multo vtentes cibo, & non appetent multum potum ob aërem humidum & frigidum, etiam qui parum resoluit. Et quoniam fames est appetitus calidi & sicci, sitis autem frigidi & humidi. Secundo de anima: igitur non poterit simul multum sitire & famescere, tum etiam quia proprium est caloris natiui consumere solidam partem corporum, externi autem roridam, vnde febricitantium nullus præter naturam esurit, plerique famem non sentiunt prorsus: at sitiunt fermè omnes: at qui bene se habent, nunquam sitiunt, nisi assumpto cibo aut exercitati, famescunt autem tempestiuis horis: causa est, quoniam calor præter naturam est cum motu vehementi & ad superficiem protruditur à naturali calore, & est in substantia sicca: naturalis verò cum humida & exiguo motu & intus reconditus parum ergo bibunt, quia parum sitiunt: & etiam quia pleni cibo capere potum multum non possunt. Sed non est intelligendum quòd non bibant multum, sed quòd non pro portione cibi. Sed de causis famis Alemanus non se explicat, quamuis enim de aqua dixerit, quòd sit edax, intelligitur tamen in comparatione ad vinum: sed quoniam frigida est causa famis, vt in lib. Artis medicæ, cap. 62. & 63. clarum est de hoc. Et quoniam etiam multam resolutionem sequitur magna fames, vt 1. de Symptomatum causis, cap. 7. multa autem fit resolutio in corpore, propter caloris magnitudinem: igitur liquet quod dicitur. At dices, quum calidus sit ventriculus, quomodo bene appetet? hoc est, in quo dubitare contingit: sed facilis est resolutio: Dico esse calidum, abundans substantia, non autem gradu, ac vi: & calidum quidem vi ac intensum est illud quod appetitum deiicit: non autem quod est copiosum & multum.

Lippitudinésque his fieri.] Quòd duræ esse debeant, & vehementes & dolorosæ, haud obscurum est, vel quoniam humor acutus est & biliosus, vel quia plenæ sint admodum venæ, aut quoniam nihil ex oculis exhalat: & ob id vehementi facta expressione multi & acuti humoris vnius nil exhalat, nil etiam mirum est oculos, disrumpi debere. Sed cur dixit per interualla, non in pectoris affectibus: hi enim semper apparent: quoniam destillationes ad oculos longè rarius contingunt, quam ad pectus, tum quia venæ sunt angustiores, tum quia defluxus non est secundum rectum, tum quoniam natura obseruat oculos tanquam membrum nobilissimum, & quod minima ex causa grauiter offenditur. Ideo necesse est, vt etiam hoc in casu constitutio quædam propria & specialis accedat.

LECTIO XXII.

Super eodem

TEXT. III.

S*Anguinis item fluxiones vehementes.*] Transit ad morbos ætatum, primóque ădolescentiæ & iuuentutis, & sunt sanguinis fluxiones ex naribus vehementes: hic morbus est endemius ætati, eodem dicente 3. Aphor. 27. Grandioribus autem, & iam ad pubertatem accedentibus sanguinis fluxiones: quum enim post 30. annos deferuescat sanguis, & ante 14. absumatur in incrementum corporis, par est, vt ætate media à 14. ad 30. annum plurimus sanguis redundet, & calidissimus, qui à natura per nares effunditur: quoniam intus sunt venæ satis magnæ, quæ habent ora in hunc vsum ordinata, vt posset effundi sanguinis ex eo loco, & maximè biliosus: quoniam sanguis quum esset natura calidus, facilè ascendit, & ideò facilè impletur caput, nisi posset euacuari ea via, sed maximè in febribus, in exercitationibus, insolationibus, ira, ebrietate, recondit autem ora illa in naribus, nè facilè læderentur ab externis causis, & tamen sanguinem extra corpus educerent, ideo dicit, quòd æstate hoc fit: vt autem è regione appositæ sunt euacuationes sanguinis per hæmorrhoidas, & per nares, quod nam rectè fecit, vna quidem sursum altera deorsum, vna antè, alia retrò, vna euacuat venam cauam, alia portæ, seu stelecsiam, quæ in naribus sanguinem rubrum & tenuem, hæmorrhoidarum nigrum & crassum, ac fœculentum, quæ in naribus familiares iuuenibus & adolescentibus, & veri & æstati, at hæmorrhoides autumno, hyemi, consistentibus & senibus, quum vero nullibi inueniantur hæ venæ apertæ & in

finibus, vt sint ambæ prope exitum è corpore, quis dubitat ne non factæ sint à natura consilio mirabili. Scripserunt plurimi egregias vtilitates sanguinis ex hæmorrhoidibus fluentis, è naribus nullus ex proposito. At quum contrariorum par sit ratio, quis negare potest multa etiam sangui narium inesse commoda, non tamen illa sine periculo, sunt exposita quidem à Principe, quinta tertij (cap. 7. & sunt tria præcipuè in febribus ardentibus, inde in abscessibus, & primùm cerebri, & propriè, inde iecoris, dic tu & præcordia, vt in Prognosticis te docui, inde membranarum lateralis septi transuersi diphradondum & capsulæ cordis, demùm quod rarò euenit, & minus tutum est pulmonum. In sanis tertio loco quum præcesserit grauitas capitis, calor & rubor magnus in facie, & post calor clarus, & alleuiatio capitis, & lætitia, & somnus, & claritas sensuum. Secus est multiplex periculum, effluxionem enim sanguinis, quam malus calor sequitur, nemo potest laudare: nam habitus corporis corruptio consequi solet. Ex parte autem sequitur faciliùs hydrops, quia plus effluit sanguinis, & quia melior, ex parte & generaliter non adeò ad id procliuis est, quia non significatur tanta corruptio in sanguine, velut in hæmorrhoidali. Et etiam corruptio illa est in sanguine facto, qui iam sparsus est per totum corpus hæmorrhoidalis, in eo qui fit, quæ est deterior, quum iecur ex ea nutriri debeat, & in eo diu mansurus sit: propterea multò pauciores ascitici euadunt ex sanguine narium, quam hæmorrhoidum. Est autem periculosa talis effluxio, tum ob causas primùm quæ sunt valde potentes ad inflammationem: secundum, quia potest esse ex arteriis, vnde concitatior, & etiam detrimentum maius affert, quum sanguis sit melior: tertiò, quia periculum est, ne fit ex fractura alicuius vasis in reti venarum, aut arteriarum, & tum est insanabilis, dicit Princeps, & cur non, quum aliàs ex äuulsione dentis mortuos fuisse quosdam ob fluxum sanguinis, ex loco disrupta venula, aut arteria: quum liceat applicare auxilia, & adurere, quantò magis ibi vbi hæc non licet applicare. Ex quo apparet, quòd aliquando sanguis veniat, iuxta Principis sententiam, per nares, & non ex naribus, sed ex cerebro. Et ideo fluxus sanguinis narium est homonymum, vt solo nomine vno duæ res valde diuersæ declarentur: quarum vna certè quasi vacat omni periculo, præsertim quum liceat insufflare pulueres, & imponere auxilia. alteri nullo modo, nisi per communia occurrere liceat. Et hic morbus & symptoma est proprius soli homini: nullum enim animal quod ad hanc diem notum sit, est obnoxium tali symptomati, ergo ob id non adeò tutum est prouocare sanguinem narium, velut hæmorrhoidarum, quibus medicamentis Chirurgicis occurrere possumus, & ad quas non nisi malus sanguis delegari solet, vt ex Hippocratis sententia in sexto Epidemiorum (Par. 3. text. 37.) quum sanguis ibi sit melior, scilicet in naribus, & concitatior, & minus tuta sit ratio postmodum ipsum sistendi Et quamuis ita sit, fluxus tamen sanguinis huiusmodi reddit homines securos à morbis, qui ex calido sanguine pendent, velut erysipelate, carbunculis non pestilentibus, phagedena, vrigine vrinæ, scabie, dysenteria mala, febribus ardentibus. Dicamus ergo quomodo oriatur, & vnde, & quum in tot aliis minus vtilibus fuerint adeò effusi & nugaces anatomici, hac in parte tanti momenti, & quæ toties occurrit, & quotidie, cuique occurrere potest, adeò sunt parci, vt inter Paralipomena aliorum hæc historia possit recenseri, & coactus sim iubere dissecari hominem huius causa. Dico ergo primùm, quod vt habetur à Vesalio, (*lib. 3. cap. 14. pag. 5. in fin. & 7. lib. fig. 16.* sub litera E,) tres arteriæ ex vnaquaque parte à iugularibus delatæ in caluariam ingrediuntur per os capitis perforatum, ex hac duo rami magni, duòque parui oriuntur, humilior paruorum foramem habet in osse sibi peculiariter exculptum, per quod tendit ad nares. At venarum vtrinque sex rami in caluariam penetrant: & ex exteriore iugulari antequam in caluaria ingrediatur rami in faciem sparguntur (lib. 1. cap. 12. fig. 13. lit. k,) & in vasi alas: adeò vt tertia illa propago, seu quarta, quæ quandoque vnica est iugularis, quandoq; in collo diuiditur, quandoque ab ipso collo bifariam (& fig. vlt.) per ipsum collum diuisa ascendit etiam bifariam (sed semper hoc) nasum ingrediatur, lib. 3. cap. 7. pag. 10. in fin) & tunicam interiorem propriè vna permeet, atque sic sanguis ex venis narium magis ad inferiora membra pertinebit, ex arteria autem ad superiora & caput. Et ita dignoscitur ex colore. Et si sit paucus, & flauus, & oculi aspergantur eo, & maximè in ictibus reciditis, signum est rupturæ arteriæ, & mortis instantis.

Morbos etiam sacros appellatos.] Hoc est, secundum genus morborum viris euenientium, qui pro endemiis habentur, quod certè mirum est, & quomodo hunc ipsum inter morbos iuuentutis numerare velit, cùm sit morbus frigidus & humidus, & iuuentus ipsa calida & sicca? Iam diximus quòd hi habent robusta capita etiam, igitur rarò fiet in illis sacer morbus, quia tamen comitialis etiam fit à repletione sanguinis, & præcipuè corrupti, cùm agitatur, aut nimis comprimitur, vt tertia Aphorismorum, & secunda tertij, (comment. 20. & ex text. Verbis,) ideò talis morbus etiam est violentus. Morbi enim qui non conueniunt ætati ac regioni, & naturæ sunt violentiores cæteris, vt dixit secunda Aphorismorum (capit. 8. 34.) & etiam ex his magis periclitantur. Ideò verò consequens est, vt fiant ob sanguinis multitudinem, cùm iam dixerit de sanguinis profluuio è naribus in prioribus verbis: & vt plures fiunt ab Austris, ita etiam à Borea & violentissimus, cùm non habuerit exitum: siquidem dicit in libro de Morbo sacro, (pag. 8.) quòd Boreas frigiditate sua comprimendo, expurgat cerebrum & sensus: in multo ergo sanguine & magno frigore regionibus, & præcipuè autumno ob inæqualitatem, & hyeme ob frigus fiunt comitiales morbi, qui certè attonitis sunt similes: & ideò in iuuentute eadem ratione qua profluuia

sanguinis

sanguinis in æstate: cùm symptoma symptomati contrarium sit, scilicet laxitas & constrictio: causa autem multitudinis sanguinis eadem, regio & ætas.

Longa verò vita magis quàm alios.] Dubium non est longam vitam oriri ex multitudine humidi pinguis puri, ac densi, (1. Aphor. comm. 14.) Dubium etiam non est, quod & medici affirmant humidum illud à calore innato conseruari: quinimò vtriusque eandem esse substantiam: quod igitur conseruat calorem, vitam producit: vbi enim magnus est calor naturalis, ibi primùm est multum de humido, quia (vt dictum) substantia vtrorumque vna est, aut vna est sedes alterius saltem: ibi etiam operationes naturales benè fiunt, vnde restauratio: item quoniam non potest esse multum nisi sit densum: non enim sunt vasa distincta, velut in humoribus: & quia minus resoluitur in frigida regione, ob hæc Hippocrates censet in frigidis regionibus vitam esse longiorem, aliàs hoc disputabitur.

Vlcera non pituitosa.] Hoc est, tertium genus morbi: quoniam bile abundant, & serosis humoribus calidis, à frigore intus coacti vlcera gignunt, nec tamen efferuntur, quia putredo est causa huius, sed cùm boreas dominetur, & constitutio vndequaque tum frigore tum siccitate aduersetur putredini constat, cur non efferentur. Hoc enim antea declarauerat, vbi auster dominabatur in phagadenas, degenera quæ, vt diximus sunt vlcera maligna: contrariorum enim per se causæ sunt contrariæ: per accidens verò vtræque, vel vna per se alia per accidens possunt esse eadem.

Mores verò magis feros.] Quod in gentibus & regionibus, idem in habitationibus dicendum censet. Qui habitant regionem borealem, fieri sunt moribus: ob id etiam expositi boreæ sunt magis fieri, quàm in libero aëre: & in libero aëre quàm si respiciant ad meridiem. At de moribus suo loco verba habebimus, scribere enim multa hîc locus non est, & commentarium nimis excrescere: repetere superfluum, quædam hîc, quædam ibi, vitium est, de quo Galenum repræhendere soleo, ob id subsistere decet, tum eò magis quòd hæc tractatio ad hunc eundem librum pertinet.

At viris quidem.] Docet se propriè, vt ab initio dixeramus, de viris sermonem habuisse: id est, in ætate constituta, & vsque ad senium: nisi ea in parte quæ ad senes manifestè pertinet, vt intelligamus de ætate. Aliter vt de sexu propter verba quæ statim sequuntur: ἀνδρὸς enim vt & Latinè vir, & de ætate, & de sexu dicitur. Docet autem hos præcipuè esse Endemios, nisi ob aëris constitutionem aliqui alij superueniant.

LECTIO XXIII.

Super eodem

TEXT. VIII.

EX *mulieribus verò.*] Hæc est tertia pars, vbi agitur de morbis endemiis mulierum & infantium: & continuat sermonem incipiendo à statu earum, dum adhuc sunt virgines, tempore fluxus mensium: id est, à duodecimo anno, sed præcipuè à decimooctauo, qui terminus est legitimæ conceptionis: licet multò antè possint concipere, sed debiles plerunque & cum periculo abortus, & multas ex illis quæ ante hoc tempus nubunt, aut sterilescunt prorsus, si vterus sit valde imbecillis, disruptis vasis, & concalefacto vtero præter modum, & maximè si virile membrum magnum sit, & puella parua, aut semen vitiosum: at aliæ non adeò imbecilles à primo partu dilaceratis vteri partibus, & vinculis eius resolutis: cum multis ex his etiam vitietur situs. Porrò de nuptiarum tempore videtur sensisse idem Plato (6. de Leg. 69. in fine,) dum in masculis à trigesimo ad trigesimum quintum, in puellis à sextodecimo ad vigesimum, id est non minor sextodecimo, nec vltrà vigesimum procrastinandum, non laborando vt quidam faciunt in his quæ extra artem sunt, & iam ipsa sunt experientia comprobata. Sed vt dixi, quæ nubant ante tempus, præfinitum periculum sterilitatis incurrunt: Inde sterilitatis in posterum scilicet à primo partu. Tertio, ne in genitalibus male afficiatur, hoc autem non effugiunt, vt qui geniti sunt parũ mẽte valeant, à pueris enim geniti pueri perpetuò sunt. Vnde non mirum est, si monstrosos aliquando principes sortiamur: nam ob dominationem & regna, modò pueri pueris iunguntur, modò senibus puellæ. Et masculi iunior ætas ad animi imbecillitatem & corporis facit: fœminæ autem corporis tantum. Vbi verò peruenerint ad debitum tempus mensium (excurrimus enim extra Textus interpretationem) etiam quod legitimè nubant multæ steriles euadunt, mensibus vitiatis, vt sint pauciores quam esse debeât, & corrupti. Cur igitur primum hic pauciores esse debeât menses, vbi sanguis abundat, & corrupti vbi coctio bona, nisi experimentum doceret, dubitare possemus. Dicimus quod Hippocrates non in aërem sed in aquas duras & crudas refert, per crudas enim aquas in mulieribus quæ calorem habent imbecilliorem, & non exercentur sanguis crassior redditur, & ideò aut non fluit aut parum fluit, & quoniam non bene purgantur, etiam corrumpitur sanguis, & menses non prodeunt quales debent. Dicuntur autem quales non debent, prodire cum substantia sunt nimis crassi aut aquosi: calore albi aut nigri, aut flaui aut misti, odore fœtidi quod est deterius nigris, demum cum egrediuntur cum dolore. Prodeunt autem quamuis non deuirginatis, quoniam hymen seu engion, quod in virginibus dum deuirginantur frangitur (& est carnea membranula in medio tenuissima, quæ à ceruicis vteri lateribus oritur, & ibi ad carunculæ similitudinem est) antea rimula tenui diuisa est: per quam non solum sanguis, vt docet Vesalius (lib. 5. cap. 15. pag. 4.) sed etiam albus & crudus humor, qui etiam puellis effluere aliquando solet, Aristotele teste exit. Iam ergo notum est, quomodo sanguis hic aut non prodeat aut malè prodeat.

Quòd autem ex hoc sterilitas sequatur intelligendum est. Concipit mulier potissimè & fœliciter

fœliciter euacuatis mensibus: aliæ dum fluunt menses, quæcunque eiusmodi sunt, vt dum cessant claudatur, tunc enim excipere semen non possunt, quod etiam proditum est ab Aristotele (7. de Hist. animal. cap. 2.) sed hæ vitiosos fœtus, concipit etiam toto mensis circuitu, non tam fœliciter vt à purgatione, nec infœliciter vt in ipsa. Non concipiunt autem ex sanguine qui fluit: multis tum causis tum indiciis, primum quod non par sit nutriri fœtum ex excremento: secundum quòd propensus est sanguis ille menstruus effluere non retineri: tertium, quòd à purgatione optimè, vt dictum est, ac facillimè concipiunt, quando iam nihil superest huius excrementi: (lib. de Nat. puer. pag. 5.) quartum, quòd in partus tempore eiicitur iuxta multitudinem eius quod retentus est. Demum quòd par sit fœtum nutriri ex expurgato & defœcato sanguine, qui est circum vterum, vt pars superflua eiiciatur, pura nutriat fœtum. Sed quoniam dixit Hippocrates (5. Aphor. 18.) mulieri si menses eant, impossibile est fœtum esse sanum: retentis mensibus existimarunt menses in alimentum infantis absumi. Primis ergo octo diebus aut saltem sex, semen masculinum cum fœminino cogitur, éstque ei alimentum fœmininum, vt quod potentia erat, actu euadat & transeat in principium formationis. Cum ergo sanguis menstruus non transeat in fœtum, dupliciter tamen generationem impedit, & quoniam retinet intra vterum qualitate praua: & quoniam indicium est sanguinis retenti quod sit corruptus. Vt enim vrina est indicium vitiosi sanguinis, licet non sanguis vitiosus ita & menses. Docet autem Hippocrates (ab initio) causas sterilitatis in mulieribus ex parte eius quæ concipere debet à compositione tres: occlusum os, situs malus, & leuitas à materia, humor quiuis corruptus seu cum vlcere seu absque eo: tum mensium defectus aut abundantia. Addiderim ego nimiam vteri paruitatem & intemperiem similem semini masculino. Quomodo autem sanguis ille menstruus non prægrauet, docet lib. de Nat. pueri, (pag. 3.) scilicet quoniam non confertim irruit in vterum, sed sensim ac paulatim, & eius pars absumitur in alimentum pueri, quæ effluxura non esset, quæ autem effluxura esset placente & membranarum circumdantium fœtum, quæ & si factæ sint ab initio ex semine, post nutriuntur vt reliqua membra seminalia ex sanguine. Ideò nec fœtus nec vterus afficiuntur à mensibus retentis. Oportuit autem expurgari sanguinem singulis mensibus, quoniam impurus non posset alere fœtum, tempore autem quo fert vterus fœtum retineri, casu non per se, ne fœtus si vterus vel tantillum hiarte, refrigeraretur. Dicebat ergo Galenus in 3. de Natur. facult. (cap. 3. & 4.) vterum dum mulier concepit ne hiare tantum vt acus apex (Herophili authoritate) immitti possit: & neque intus quicquam inesse vacui, sed fœtum quantuscunque sit ad vnguem amplecti, cum igitur necesse esset tamdiu sanguinem solitum emittit retineri, in vsum placentæ ex talium quæ fœtus partes non sunt, sunt tamen commoda illi distribui, quódque tribus in diebus irruere ante tempus quo concepit solitum erat, vbi concepit in triginta dies diuisum nullum sensum noxæ affert.

Deinde subiicit quòd non valde abortiunt: hic multa Alemanus adducit vera & pulchra, sed quæ difficultatem non dissoluunt, cum tamen præ oculis sit ex nostra Dialectica: cum enim difficulter concipiant, cum hoc sit difficilius concipere quàm retinere: ideo ex his quæ conceperunt paucæ abortiunt, neque enim abortire possunt si non conceperint, nec concipient quæ paucos aut vitiosos habent menses, cum igitur reliqua sint incolumia aër frigidus astringens vterum, robur virium illarum, sanguis bonus, ob id non facile erunt abortui obnoxiæ.

Difficulter tamen parient.] Hoc est quartum tempus si rectè numeremus ab initio, seu quinta pars consideranda circa mulieres, quæ difficulter parient, ob id quod virtus expultrix his in locis labefactatur à crudis aquis & aëre frigido, vt retentrix validior sit: pueri etiam debiles sunt & os vteri ac pudendum muliebre astrictum, atque ideo omnia impedimento sunt partui facili, qui indiget maximo conatu, vt vincula illa circa os pubis diuaricentur: os nequaquam quod breuiore tamen linea committitur: atque sic partum non adeò Impedit. Et coxendicum ossa magis in eis distant. Sic vt os pubis magis possit eleuari vinculis non laxatis, quanto magis factis longioribus, vt his duobus auxiliis natura mulierum & infantium saluti, & commodo hora ortus nostri prospexerit. Vt docet Vesalius, (lib. 1. cap. 29. pag. 5.) Hic me subit admiratio eorum qui spernunt dicta scriptáque recentiorum quamuis eruditissimorum, dúmque volunt solum antiquis inniti, nec habeant illi quod satisfaciat, adiiciunt multa extra propositum, & ita dupliciter peccant, nec exponunt quod exponere est necessarium, & adiiciunt, vt dixi, plurima quæ sunt omnino aliena. Sed procedamus in exponendo, inquit enim in Textu.

LECTIO XXIV.

Super eodem

TEXT. VIII.

VBi vero pepererint, *nutrire non possunt pueros.*] Si enim affuit sanguis dum erat in vtero, quomodo non poterit sufficere ad lactis generationem? nam si defecisset aut prauus fuisset dum fœtus erat in vtero, fuissent in periculo abortus. Vbi autem abortus periculum in populi magna multitudine, ibi necesse etiam est multos sequi abortus: tum quia pericula non omnino frustrantur maxima ex parte cum secundum naturam fuerint: tum quia populus viuit absque ratione atque custodia, at hoc iam negauit cum dixit: & non valde abortiunt. Dicemus ergo quòd aquæ crudæ ad generandum sanguinem sunt idoneæ, quia ventres in ea regione sunt calidissimi: sed ad generandum lac minimè, quoniam lac generatur in exterioribus partibus

partibus corporis, & ideo neque propter angustia venarum trahi ad locum potest, sed hoc non dicit Hippocrates, nec concoqui ob cruditatem & duritiem aquarum, & hoc dicit. Ex hoc colligi dico, quod ad generationem lactis nil tam facit quam potus mollis & concoctus. Aqua enim tametsi non nutriat, est tamen sufficiens ad adiuuandum & impediendum multum lactis generationem, & quia dicit dura: cibi bene cocti iuuabunt. Et quia in loco exteriore fit talis generatio, iuuat tenere locum tepentem mammarum, & exercere mulierem, ad lactis & præcipuè boni generationem.

Et tabes frequentes.] Nomine Φθίσις, seu Phthisis consumptio omnis intelligitur, quamnam causam indicet docere dignatus est, dicens præ violentia enim ruptiones ac vulsuras habent. Dicebat Hippocr. in 1. (pag.16. de Morbis mulier.) fiunt vlcera in vteris à partu, purgamentis putrefactis, vnde periculum est ne maiora euadant, & moriatur aut sterilis fiat: signa autem sunt cum purgatio per vteros prodit, tanquam spina videtur transire: & prodeunt excrementa maligna, purulenta, graueolentia, (pag.18.) inde etiam dolor ad tactum apparet, & calor sentitur, & febris debilis, demum etiam dolores inualescunt. Et post. Si vlcera vteri fuerint, nec purgamenta processerint omnia, dolebit: sed si magna non sint vlcera breui sanescet: quamvis vterus non multis morbis consentiat ventriculo atque sincipite: vnde mens percellitur & improba fit, & non intelligit. Inde paulo post (pag.19.) si puerperij purgatio non processerit, sed ad caput ascendat, tussis & anhelationes prouenient, & impleto pulmone ex sanguine dolebit latus & dorsum & tussiet siccè, & nunnunquam spumosa eiiciet, tandem concludit, (pag.25.) quod putrefacto sputo moritur plerunque in 21. die. Rursus infra: si vteri vlcerati fuerint, & sanguis & pus & serosa sanies effluxerit (putrescentibus enim vteris morbus ab ipsis fit) & venter intus aleuatur, & attenuatur, & ad contactum dolet, velut vlcere præsente, & febris ac fremitus ipsam occupat, & dolor acutus ac vehemens inuadit pudenda & pubem & imum ventrem & lateris mollitudinem & lumbos. Id autem maximè accidit ex partu & abortu, si quid diuulsum computruerit, nonnunquam etiam sponte, (pag.26.) Si verò vehementer exulcerati fuerint, sanguis & pus purgatur, & dolor fit grauis. Et cum dolor apprehenderit, velut à partus dolore fiunt, & quæ circa fluxum contingere solent. Et quum tempus affuerit, crura & pedes intumescunt. Et curan medici hunc morbum tanquam hydropem, verùm non est talis. Inde paulo post subiungit. Quæcunque vlcerationes in vteris fiunt ex abortu aut alia causa vel ab ipsis vel à toto corpore proueniunt. Indicium autem distinctionis est, quoniam quæ ab vteris fit, purgationem habet purulentam & compactam, quæ verò ab vniuerso corpore, tenuem & saricosam, id est, quia non potest erodi vterus nisi à tenui fluxione. Et huic quidem si iungantur verba ex libro de sterilibus, habebimus intentum, dum inquit (pag. 2.) si vlcus in vteris factum fuerit ex affectione quadam ex relatis, & non statim sanatum, sed impurum factum fuerit, permanet vlcus ad multum tempus, quemadmodum & id quod in aure existit, & malè olet mulier, & quandoque sanies illi ex pudendo fluit, & curata autem fœcunda fit, verum curationis exigua spes est, & in secundo de Prædictionibus, (pag.12.) Quibus porrò vlcus factum fuerit in vtero, siue ex partu, siue ex tuberculo, siue ex quadam alia causa, his febres & inguinum tumores & dolores in his locis succedere necesse est. Et rursus eadem repetit. Sed generaliter in primo de Morbis mulierum, (pag.28.) vbi docet duo alia, quod vlcera quæ proueniunt ex partus difficultate, eadem patiuntur quæ illa quæ fiunt ex corruptione fœtus. Et quod in eiusmodi vlceribus, vinum dare non oportet. Vbi notandum quod semper repetit id, talia vlcera esse sanatu facilia, modo citò curentur, (pag.24.) Signa verò magis propria antea declarata sunt luculenter ab eodem, inter quæ est dolor inguinis & lumborum. Oportet autem diligenter animaduertere quod dicebat Hippocrates ibidem, (pag.7.) scilicet quod vteri in graues morbos incidunt ab vlceribus seu à partu, seu à quauis causa, quoniam ex illis contingunt inflammationes. Et quoniam in hunc sermonem incidimus de vlceribus, cæteri plerumque coniunguntur eis, aut inflammatio, aut contortio aut luxatio, seu malus situs in coxam, de quo Hippocrates in Aphorismis (5.part.45.) & ideo signum contortionis est, quod collum eius sit vigosum: loco mouetur sursum deorsum ante, & procidit retro in dextram & sinistram partem. Iam ergo primum doceamus quod ex nostris commentariis ibidem declaratum est, scilicet ἑλμοτορ fieri, id est vlcus, quod solis obliquis linamentis curatur, non digitis, non rectis specillis, non igne. Vnde si prolapsus vlceri accedat, fiet huiusmodi vlceris genus, idque in tabem desinere solet: cum enim vix curabile sit, nec febrem magnam adducat, tum ob vigilias, tum ob dolores, tum ob defluxionem copiosam, tum etiam ob febres, ob appetitus deiectionem, contabescit corpus. Ergo de huiusmodi lapsibus varij non solum vt diuersis, sed eiusmodi & vnius generis locutus est, vt in libro de Natura muliebri, (pag.5.) eius qui fit ad lumbos in medio proponens quatuor signa: dolorem ad imum ventrem, suppressionem alui & vrinæ, crurium contractionem & lipothomiam. Vult autem digito posse dignosci, non solum meti duritiem, sed & ceruicis eius, & prolapsum ad latus, (pag.7.) Atque in his maximè tria seu quatuor obseruat ad curationem, velut situm super latus sanum, & pedes elatos ad crura, si infra delabatur: odorata in oppositam partem applicata, purgationem per inferna & lactis asinini vsum, tum seminum pæoniæ & lauti. Memento autem quòd aliud est os, vteri esse corrugatum, aliud asperum, hoc enim proprium est duritiei non solum prolapsus, vt pòst docet, (pag.15.) Generalia autem prolapsus sunt dolor loci, in quem descendit & tumor & mensium

men sium descensus iuxta rationem impeditus. Et cum ad latus descenderit tussit & contabescit mulier. Addit paulo post, (pagina 16.) quòd vbi intorquetur vterus, os eius recedit, nec tangi potest, præter reliqua signa: sunt enim prolapsus citra contorsionem, atque cum illa qui deteriores sunt, (pag. 17.) Sed si ad ventrem inflectatur, dolor fit ad coxas, & etiam claudicat crus, bifariam ergo coxæ in hoc casu dolent, vel cum incumbit illi, vel quia annexa trahit vincula, & diuellit locum. Distinctio ex tumore habetur. Sic etiam operationes impediuntur, vt post docet, (pag. 18.) cum in rectum intestinum incumbuerit. Vt sint tria, tumor, dolor & operatio læsa. At nullibi melius quam in secundo de Morbis mulierum, (pag. 11.) dum inquit: Quibuscunque vteri ad coxam collabuntur, si non breui discedant, & rursus ad locum suum redeant ad coxam resficantur, necessarium est autem osculum auersum esse, & in supernis detineri: Quum verò auersum fuerit conclusum esse: ex auersione verò atque conclusione durum fieri & mutilatum, cum autem menses retinentur, ad superiora redeunt. Quod si contingant coxam, & incumbunt dura & solida fit coxa (dicebat, pag. 15. non multo pòst) ad lateris mollitudinem & dolores imi ventris, & ad crura dolor incidit & extenditur & suppurant, & linamentis opus habent & pereunt, nisi quid seces aut vras. Docet autem facilè etiam ex puerperio transmoueri, cuius causa hæc adiecimus, scilicet vt intelligatur vlcerari vterum non solùm in puerperio laborioso, sed etiam frequentius prolabi in coxas, quod declaratur ex illis verbis (pag. 17.) Ruptiones & vulsuras. Atque ibi torporem inter signa connumerat. Verùm qui volet, penè totam hanc historiam in vnum collectam videre, legat ibi (pag. 23.) si os vterorum conclusum fuerit, fit spissum, velut grossus, & si digito contigeris, deprehendes durum ac conuolutum, & digitum nec genituram admittit, neque menses profluunt & dolor habet imum ventrem & lumbos ac laterum mollitudinem, quandoque verò etiam sursum ascendit & suffocat, vt intelligatis quomodo etiam antequam diuturna tabes occidat, perire possint. At persæpe ad cancros conuertuntur hæc vlcera, velut cum antea dixit (pag. 11.) ora amarescunt, & quicquid ederint amarum videtur: & si plura offerantur, renuunt, oculíque duri fiunt, nec acutè vident, & mente percelluntur: Et ex mammis dolores ad ingulum transiliunt, & sub scapulas, & sitis tenet, & ipsæ mulieres attenuatæ toto corpore, maximè autem mamillis gracilescunt, & nares siccæ & obstrictæ, nec leuantur: spiritus imminutus, & nihil omnino olfaciunt: & in auribus persæpe etiam callosa concretio, quamuis non doleant ea parte, gignitur. Quum igitur ad hoc temporis progressæ fuerint, sanari nequeunt: sed ex his morbis pereunt, vt de his maximè hîc Hippocrates intellexisse videatur. Quatuor denique modis tabificas fieri ac interire contingit, vno quidem sanguine ad superiora tendente, vt verè, sed breui tempore ex vlcere pulmonis intereunt, ex primo de Morbis mulierum (pag. 19.) Secundo, vlcere in fistulam redacto permulta incommoda quæ dicentur, vt hoc ex libro de Sterilibus (pag. 2.) Tertio, adiuncto prolapsu vteri qui facilè succedit ob dolores, inflammationes & vincula laxata, tum tabescunt ex symptomatibus assiduis, febricula, dolore, vigilia, deiectione appetitus, astrictione alui, demum si materia ad superiora repat. Vltimò si vertatur in cancrum, atque hi duo modi habentur ex secundo de Morbis mulierum (pag. 11.) & quinta Aphorismorum 45.

Pueris autem hydropes.] Cruditatis aquarum hoc est proprium, vt maximè noceant testibus: quoniam locus ille decliuis est, & flatus in ipsum impellitur: accidítque infantibus ob nixum, vt ibi velut tibicinibus & corniculariis, vt eò flatus & materia aquosa delegetur, si ergo viri ea ætate & robore, & sicci in hos morbos ex impulsu transeunt, quantò facilius infantes humidi, hora partus, & post, flatu loco dilatato, vt dixi superius ex libro de Flatibus: sanantur, tamen postquam nati fuerint, contractis membris, & siccata pituita, & flatu resoluto, maximè si non fleuerint. Ideo caueant nutrices, ne per incuriam aut duritiem morum permittant flere infantes, sed causam inquirant, cunis agitent, accinant, & papillis admoueant: aliter, præsertim in his qui iam læsas habent eas partes, augetur hernia, aut etiam non iam antea cœpta gignitur, vt ex bona cura sanantur. In quibusdam etiam hæc accidit iuxta vmbilicum, quæ est deterior, vt sæpe vidi, & credo quòd sit magis dolorosa.

Pubescunt autem serò.] Trifariam dicitur pubescere puer: vel venere iuxta illud legis, Masculi & fœminæ viri potentes: vel quia pudenda pilosa fiant, vel quoniam barba: omnibus ergo his modis intelligitur, sed hoc tertio modo præcipuè vt notissimo, causa est, quoniam genitalia membra exuberanti calore indigent, vt quæ functioni vltra metum caloris proprij sint delegata: & non sunt potentia, quum non sint principalia, nec ad illa delegentur venæ, aut arteriæ magnæ, & sunt exposita frigori: penis enim & testiculi in masculis quoniam externa, vterus in fœminis, quia semper hiat etiam in virginibus per fistulam hymenis: quare hæ partes maximè obnoxiæ sunt frigori. Et ideo etiam omnes homines ea parte primùm fiunt imbecilles, & senescunt: & in illis quæ ab his pendent, velut in barba, canescunt enim ibi prius quàm in capite, quoniam pili in mento manifestè gignuntur à calore testium, quod apparet ex tempore generationis eorum, & varietate coëuntium. Quum ergo in his regionibus aër frigidus, & aquæ frigidæ dominentur, meritò in eis pubertas retardatur.

LECTIO

LECTIO XXV.

Super

TEXT. IX. & X.

QVæcunque verò ciuitates sitæ sunt inter æstiuos ac hybernos Solis ortus, & quæcunque ex opposito harum, de his ita habet.

QVatuor imaginatur puncta Hippocrates, *b* orientem æstiuum, *a* occidentem æstiuum, *d* orientem hyemalem, *e* occiden-



tem hyemalem. Primùm igitur locutus est de vrbibus & locis respicientibus spatium *c d*, pòst *a b*, tunc *d e* respicientibus *b d*, id est, totam orientis partem, sicut demùm *d e* respicientibus *a c* occidentem. Dico ergo quod in sphæra recta arcus *b d*, & *a c*, sunt æquales duplo maximæ declinationis, & ideo ferè partes xlvij. at arcus *d b a* est clxxx. igitur arcus *a b* & *c d*, qui sunt semper æquales, ibi sunt cxxxiij. fermè, proportio ergo *a b* ad *b d* & *c d*, ad eundem, seu *a c*: nam *a c*, & *b d*, vbicunque locorum sunt æquales, erit vt decem septem ad sextas: quare quasi dupla superpartiens quinque sextus, hoc igitur in habitantibus in sphæra recta. In sphæra autem obliqua arcus *a c* & *bd*, licet sint inuicem semper æquales, mutant tamen magnitudinem: & quum arcus *a b*, sit semper eo maior, quo eleuatio poli maior est, & arcus *c d* minor, oportebit hoc scire de tribus arcubus *a b*, *b d*, *d c*, quanti sint: & hoc per tabulas Ioannis Monteregij, de Primo mobili, quamuis hoc non sit expressum in eius canonibus.

Præsupponit in omnibus, quòd contraria sint contrariorum affectuum causæ: non possumus autem dicere quòd omnino: quoniam ambo sunt media eorundem, ergo in hoc conueniunt contraria, quæ sunt media duorum aliorum contrariorum. Et forsan hoc genus contrarij non inuenitur nisi in situ, & dignum consideratione. Et eadem quæstio fermè est de boreali & australi situ: ipse enim est medius inter orientalem & occidentalem: vnde punctum *a* dicimus esse simile puncto *c*: quoniam vtrumque est occidentale, quoniam si punctum est medium inter *a b*, & *a c*, & ideo particeps vtriusque, ideo quatenus est particeps *a c*, (non enim exuit naturam prorsus *a c*, quum non retineat exquisitè naturam *a b*, aliter non esset terminus *a c*) igitur communicat cum *c*, quatenus est termina *a c*, ideo sunt ex parte similes, & partim contrarij. Porrò quinam venti ab his partibus spirent, aliàs declaraui, & nunc breuiter in vnaquaque parte ascripsi, iuxta diuisionem duodecim ventorum sumptam ab Aristotele. In prima igitur constitutione amplexus est quicquid continetur à Vulturno ad Africum, in secunda à cæcia ad corum: hic à cæcia ad Vulturnum in postrema amplectetur à coro ad Arcticum.

TEXT. X.

QVæ quidem ad orientem Solem sitæ sunt, eas par est esse salubriores his, quæ ad septentrionem conuersæ sunt, & his quæ ad calidos ventos sitæ sunt, etiam si stadium solum intersit. Primùm enim moderatior est caliditas ac frigiditas: deinde aquas, quæ ad Solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est, & odoratas, & molles, & amabiles, oriri in hac ciuitate. Sol enim emergens ac illustrans ipsas castigat. Matutinum enim tempus ipse aër vtplurimùm semper occupat. Et hominum formæ boni coloris sunt, & magis floridæ, si non quis alius morbus prohibeat. Et clara voce præditi sunt homines, & ad iram ac intelligentiam præstantiores septentrionalibus: siquidem & alia, quæ in ipsa nascuntur, meliora existunt. Et ciuitas, quæ hoc modo sita est, veri maximè similis est, iuxta caliditatis ac frigiditatis moderationem. Et morbi pauciores fiunt, ac debiliores, similésque sunt morbis, qui in ciuitatibus ad ventos calidos conuersis oriuntur. Et fœminæ isthic valde fœcundæ sunt, ac facilè pariunt. Et de his quidem ita habet.

QVæ quidem ad orientem Solem.] Ostendit ex nouem indiciis, hanc regionem esse temperatissimam, nec est difficultas, nisi in illis verbis primæ partis (etiam si stadium solum intersit) & in octaua parte, reliqua sunt solùm simpliciter explicanda. Circa primum ergo dico, quòd in omnibus quatuor constitutionibus Hippocrates tria considerat, ascensum Solis, seu tempus illustrationis, moram & qualitatem ventorum, & in duobus primis est arcanum, quod non fuit intellectum ab Alemano, neque credo quod venerit in mentem Galeno, & vulgatum dogma ergo est, quod nimia mora Solis nimis calefacit, & pauca mora nimis

nimis refrigerat, & vtrumque est vitiosum, & imprimit effectus nimij caloris & frigoris, qui sunt æstus consumptio humidi, pulvis aër turbulentus & vaporosus, resolutio caloris, putredo, sitis, vigilia, generatio animalculorum, mala coctio, & est totus morbificus, frigiditatis autem aquarum cruditas & frigiditas, sterilitas, niues, tusses, destillationes, læsiones mulierum, & pudendorum in vtroque sexu, vasorum rupturæ, vulsuræ, constrictio, fluxiones vndequaque, ergo vbi mora Solis est temperata, nihil horum erit. Arcanum autem est, quia hæc omnia conuenirent regioni & ciuitati respicienti occidentem, vult ergo Hippocrates quòd in Sole sint duo genera caloris, vnum per se primò, & illud est cœleste, diuinum, mite, suaue, fœcundum, humidum, causa generationis, quod attenuat, purgat, & hoc est Solis, vt prouenit à cœlo ex radiis non reflexis, alius est elementaris, qui fit ex reflexione Solis, seu radiorum eius, qui est siccus, aridus, corrumpens, asper, & omnino malus. Quum ergo Sol oritur in quauis parte sit, seu in hyeme, seu in vere, seu æstate, seu autumno, proiicit primos radios non reflexos, & ideo efficit opera salutis absque vlla exustione. At verò si regio respiciat boream, non calefacit omnino eam, neque repurgatur aër, neque attenuatur, in duabus autem aliis partibus, id est, in meridie, & in occidente Solis radij iam reflexi fuerunt opera caloris ignei & cœlestis, quæ dixi suprà: ergo radij Solis corrumpunt aërem, & sata & plantas omnes, & aquas, & animalia, & homines, ergo primùm hoc est clarissimum, patet etiam quòd regio quæ aspicit austrum habet ambo mala, id est, calorem exuberantem, & inæqualitatem. Sed occidentalis quum non habeat nisi inæqualitatem, tamen quia prorsus caret vtilitate Solis orientis, ideo est deterior meridiana, in hoc licet possit dici temperatior. Sed de hoc suo loco. Quòd ad ventos attinet, orientales sunt temperati, & etiam æquales, vnde fœcundi, mites, & hæc est causa quòd oriens tot bona generat, aurum & argentum, aromata, gemmas, herbas salutares, pabula multa, & segetes, fructus bonos, animalia pulchra, equos magnos, & homines sapientes. Sed quis diceret venti à cæcia ad vulturnum deberent esse calidiores austro, libico & phænitio, quoniam illi veniunt ex torrida zona: sed aër sub torrida zona est calidissimus: ergo deberent esse calidiores illis qui veniunt à parte australi. Respondeo, quòd primùm sensus in hoc deberet sufficere, qui docet esse ventos satis temperatos cæciam, subsolanum, & vulturnum: ratio etiam ostendit, quia orientem Sol illustrat vno modo, solùm per tres horas, vel circa, scilicet radiis rectis, postmodum illustratio variatur, ac continuè permutatur, & ideo aër non potest incalescere, at in parte meridiana illustratio est eodem modo: ergo pars quæ est sub torrida versus meridiem, est longè calidior: quum ergo ventus procedat ab ea, quòd ad nos attinet, etiam quod ex regione frigida veniret, quòd ad nos attinet, incalescit in itinere, aut forsan ibi præscinditur, vt videtur Aristoteli: ergo vtroque modo, siue meridionalis oriantur ex regionibus oppositis sub antarctico, siue sub torrida zona è regione meridie, constat eos esse calidiores.

Deinde dicit, quòd interuallum vnius stadij sufficit, quia illud interuallum propter montem, vel vallem poterit esse causa, vt pars vna vrbis excipiat radios orientales Solis, & sit protecta à meridie, & ita erit salubris, ex eo quòd calor cœlestis abundabit in ea, & erit immunis à calore igneo, alia verò regio vrbis erit subiecta calori igneo, & non recipiet calorem cœlestem, & ita erit infœlix: non poterit tamen in tam paruo spatio esse magnum discrimen caloris & frigoris propter consensum aëris simul: sed bene erit discrimen in aquis maius: non tamen adeò magnum, sicut in valde distantibus regionibus, ideo ipse innuit tria genera discriminis, maximum in magnis distantiis, & vario situ valde magnum in aquis vario situ & pari distantia, magnum simpliciter in parua distantia, & vario situ comparatione aëris.

Postmodum loquitur de aquis, & dicit, quòd sunt claræ, molles, id est, concoctæ & amicæ visceribus. Sunt autem concoctæ propter causam dictam, quia neque à nimio calore igneo corrumpuntur, neque à frigore, & ita patet etiam causa quare sint lucidæ & perspicuæ: quum enim intelligatur defluentibus, nam neque à calore pars terrea ex imo trahitur & repurgatur, optimè non concretæ à frigore, non repurgantur autem à Sole, sed à motu, & à seipsis. Frigus enim propter crassitiem impedit purgationem illarum, quum vapores in eis contenti & partes limosæ non possint descendere, dicebat Plinius lib. 31. quòd proprium aquæ est, vt sit similima aëri, sed quomodo sit odorata, dico quòd mens ipsius Hippocratis (cap. 3. pagina prima, est quòd Sol efficiat aquas odoratas, sicut etiam de iride dicebat Plinius, libro 17. capite 5. quod vbi incideret, efficeret herbas odoratas, quasi iris aliquid sit, & non potius imago quædam ex reflexione. Inquit enim lib. 3. Metheororum, cap. 2. in quo loco arcus cœlestis deiecerit capita sua, quasi aliquid sit, & non imago tantum, vt demonstrat Aristoteles, cap. 14. eadem repetit libro 12. de aspalato loquens, idem de vulgari spina repetit libro 24. capite 13. Non ergo arcus capita, sed vbi nubes conglobata est, ibi incidentes radij Solis odoratam reddunt nebulam rosidam, vnde odor in frutetis: eadem igitur ratione & ros ipse odoratus non redditur, quoniam non expectat Solis calorem, meminisset enim Plinius libro 2. capite 60. vbi de eo loquitur, quòd etiam experientia testatur: hoc igitur ostensum sit, ne non demonstremus quomodo aqua odorata sit, sed cur ros non sit odoratus. An verò aqua odorata sit melior non odorata, vide libro 4. Contradicentium, capite 98. Nunc solùm sufficiat docuisse quomodo aqua quum sit res simplex à solo calore Solis, & radiis illis puris possit reddi odorata. Dico ergo quòd aqua concocta perfecto & optimo calore redditur odoràta, quoniam odor fit bonus à calore optimo & puro, prauus à putrido, grauis à remisso & debili, nullus à calore igneo exiguo, fumosus ab igneo humido, exustus ab igneo

igneo valido, mistus à misto, vt sint septem in vniuersum odorum genera, quum ergo Sol exoriens purum & optimum calorem imprimat, liquet quòd aquæ illæ erunt odoratæ.

LECTIO XXVI.

Super eodem

TEXT. X.

EX præcedentibus sequitur, quòd in quavis regione aliquæ vrbes sunt melius dispositæ, aliæ deterius: & similiter oppida. Et in eadem vrbe domus domo: & in eadem domo cubiculum cubiculo. Et quod plurimùm refert, si quis habeat cubiculum in quod non ingrediatur Sol oriens, & regio tamen sit orientalis, & aperiat fenestras ab ortu Solis, ad quartam partem diei, & maximè flante vento, purgabitur aër, ac si Sol exoriens ingrederetur, aut paulò minus: quoniam ea hora aër est repurgatus in vrbe: igitur admissus à quauis parte, idem fermè operabitur, licet admitteretur à fenestra occidentali, melius tamen esset vt esset orientalis. Idem dico de vento orientali: & iste etiam est melior in horis tribus primis diei: sed post orientalem fenestram melior est meridiano, quia borealis est inefficax & occidentalis non est adeò particeps vigoris Solis. Et tunc oportet tenere clausum cubiculum reliquis nouem horis diei. Dubium verò est de Bononia, quæ respicit boream, an bonum sit aperire fenestras respicientes meridiem: & dico quòd sic, quia ille aër est melior, tum quia optimus illa hora, tum quia non est malus quum sit posita ad boream, tertio, quia regio in quovis tempore est exposita Soli orientali. Et si solùm esset in æstate, melius tunc esset, quàm in hyeme aperire fenestras.

Aliud corollarium quod tempore senero & matutino, maximè æstiuo & vernali bonum est ambulare in hortis & locis amoenis, ac liberis, non ita ante coenam, vt multi solent. Aliud corollarium est, quòd habitantes in æstuariis, seu caldariis, vt in Germania, tempore hyemis, abbreuiant vitam, & præparant se ad morbos plures & prauos: quoniam calor ille est inimicus naturæ humanæ, secundum Hippocratem. Quartum, quòd aquæ coctæ & destillatæ sunt malæ, si crudæ iam bonæ sint, in malis tamen bonæ sunt ob tenuitatem & separationem partium corruptarum, & maximè destillatæ: & hoc, quia calor igneus in nullo vtilis est viuentibus, præcipuè sanguineis, nisi in tribus, in superfluo frigore ad tollendum illius detrimenta: tollendo putredinem, & consumendo vapores putridos, & in attenuando. Et si quis dicat, Caro & poma cocta, assata, quum sint meliora crudis, in quo sunt meliora? in pomis sanè auferendo superfluum humidum, & etiam in carne, sed hoc non continetur sub illis tribus: quinimò si dicas, quòd resoluat humidum, dico quòd caro siccata trium horum facit, caro etiam assata acquirit bonum valde & potentem odorem, vt trahat canes & pueros ad se: igitur etiam à calore igneo fit bonus odor. Dico quòd non, sed calor igneus tria facit in carne & pomis, resoluit humidum superfluum, & ita adiuuat ad coctionem: & quoniam attenuat partes, reducit odorem, qui erat poma ad actum, quod expresse videmus in suffitibus, ergo quatenus dissoluit, frigidum attenuat substantiam, & facit vt spargatur per aërem, & quatenus resoluit humidum aqueum purum, reddit humidum concoctum, & ita efficit odorem, qui erat potestate odor, vt actu sit odor, & raro faciendo mutat substantiam lentam in friabilem, duram in mollem, crassam in tenuem, inodoratam in odoratam. Quintum dubium est, an in regione quæ omnino est contecta ab oriente, bonum sit aperire fenestras, vel spaciari in hortis hora matutina de hoc in sequenti lectione vbi est locus.

Et hominum forma boni coloris sunt.] Hæc est tertia pars, & est quòd situs est similis regioni temperatæ: sed in regione temperata homines sunt huiusmodi boni coloris, & floridi: ergo etiam in situ. Et hoc est, quia comparat regiones, situs & tempora: & in temporibus assimilatur veri, ergo homines tales erunt boni temperamenti, vt in arte Medica, cap. 8.

Et clara voce præditi.] Hoc est quartum quod consequitur, & est magni momenti quoniam ad hoc vt vox clara sit, requiruntur asperæ arteriæ gutturis, faucium & linguæ, tum musculorum eas partes mouentium leuitas & robur: vt colligitur secundo in primum de Morbis vulgaribus, Comm. 78. Verùm dico, quòd præter hæc, etiam necesse est vt palatum, & nasus, & dentes anteriores, & labia sint bene disposita: quoniam videmus, vt in morbo Gallico maximè voces corrumpi, corrupto palato, quod est tanquam fornix ad reddendam vocem canoram, æqualem & claram. Idem apparet in naribus: vnde sunt quidam, quos vocamus loquentes per nares. Quum igitur omnes partes hæ fuerint perfectæ, leues, robustæ, erunt voces claræ: & ideo plus est habere voces claras, quàm esse temperaturæ bonæ, & plus est esse temperaturæ bonæ, quàm habere voces claras, quia temperatura bona est magis communis toti corpori, & vox clara significat supra membra spiritualia exactè sana, vt habetur etiam in arte Medica, capite 68. vnde ibi leuis vox arteriæ lenitatem consequitur, quæ à moderata procedit temperatura.

Et ad iram, & ad intelligentiam.] Hæc est quinta pars, quæ intelligitur ex præcedentibus: dixerat enim superius, quòd in regione respiciente boream mores sunt magis feri. Vult ergo quòd sint mansuetiores, quia prudentiores, & sanguinem minus feruentem habent: propterea in regionibus temperatis homines sunt præstantioris ingenij, & humaniores, quod suo loco videbitur, dum de regionibus tractabimus.

Septentrionalibus siquidem.] Comparat in hac sexta parte melioribus, non dixerat septentrionales esse longioris vitæ & robustiores, hîc verò docet necessarium esse, vt hi sint

ſint præſtantioris ingenij, & humanioris, & melioris temperaturæ, quia dicit, Quæ ibi oriuntur herbæ, piſces, animalia, ſunt minus bona, quàm in regione temperata: ergo etiam homines erunt minus bene temperati & minus ſani, & minus bonorum morum, quod etiam declarabat Galenus in lib. quod animi mor. cor. temp. ſeq. per longum proceſſum, & ideo iſta ſunt per ſe clara.

Et ciuitas quæ hoc.] Comparat Hippocrates regiones, ſitus & tempora anni, adeò quòd regiones temperatas comparat ſitui expoſito ad orientem, & vento orientali & veri, & ſimiliter ſitum ad auſtrum regioni auſtrali, æſtati ventis auſtralibus. Sed vt habetur 3 Aphoriſmorum 9. ver ſaluberrimum & minus vitiale. Ergo homines habitantes in hac regione ſunt maximè ſani. Poſtmodum ſubiicit.

Et morbi fiunt pauciores.] Hoc declaratum eſt in præcedenti parte, ſicut & illud, quòd ſint imbecilliores, generatur enim bonus ſanguis, à quo nulli poſſunt contingere morbi, niſi ex plenitudine: quamuis enim ſit mala temperies in iecore, & in ventriculo, calor tamen cordis & vniuerſarum partium bene temperatus, & plurimùm habens de calore cœleſti adiuuat coctiones, temperat membra, aufert malum ſenſum & dolores, tollit flatus: námque flatus fiunt à calore præter naturam acuto, & naturali diminuto, & ideo permutatio aëris ad valde bonum, eſt valde vtilis in omnibus morbis longis, & quantum poſſit aër declarabat Galenus, capite de terra Samia, in fine in 9. de ſimplicibus medicamentis, adeò vt velit quòd in regione calida & ſicca, velut in Africa, laborantes phthoë, & ſi non liberentur, degant abſque detrimento, & per multos annos. Sed quia dicit, quòd ſunt ſimiles morbis, qui fiunt in regionibus calidis, ideo hoc videtur implicare contradictionem cum dictis ſuperius. Propterea Alemanus ex ſexto Epidemiorum, vbi videtur velle Hippocrates Par. 8. text. 31. quòd difficile ſit ex ſimilibus coniecturam facere, vbi Galenus, comm. 36. ſub diuiſione alia videtur exponere, quòd difficile ſit ſimilitudines cognoſcere, quæ parum ad hoc propoſitum faciunt, quum ibi velint expoſitores quòd decipiantur in morbis ſimilibus, exiſtimantes eſſe ſimiles, qui non ſint, hîc verò iam ſupponit eſſe ſimiles, & ideo ſententia eſt clara, meo iudicio: quia comparat hanc regionem boreali, in eo quòd habeant meliorem temperaturam homines, quàm in illa, non autem in morbis, quoniam morbi in ea ſunt ſæui: hîc verò non comparat auſtrali in temperatura & compoſitione, quam conſtat eſſe deteriorem boreali, neque in numero morborum, quem apertum eſt eſſe maiorem, quoad ægros, omitto de ſpecialibus illorum, quàm etiam in boreali, ſed comparat quoad lenitatem morborum: ſunt enim leuiores morbi in ſitu auſtrali, quàm boreali, & ideò artificioſè vtrique parti in ea, in quæ eſt melior, & magis probata, ſicut ſi vellet probare quòd eſſet deterrima, compararet vtrique parti his in conditionibus, in quibus eſſent: magis deteſtandæ, veluti auſtrali in breuitate vitæ, in imbecillitate corporum, boreali in morborum magnitudinem: nam reliquæ duæ comparationes non concludunt, & ſunt abſurdæ.

Et fœminæ hiſtericæ.] Hæc eſt vltima pars, & colligitur quinta particula Aphoriſmorum, Comm. 60. vbi dicit Hippocrates, quòd quæ habent temperatum vterum fœcundæ ſunt: quæ autem habent temperatum totum corpus, habent etiam temperatum vterum, non ſolùm quia conſtitutio totius pendeat ex conſtitutione partium, ſed etiam quia ſi cor eſt temperatum, & iecur eſt temperatum, & cerebrum temperatum, fieri non poteſt, vt ventriculus non ſit temperatus: & ideo omnia membra alia tum propter nutrimentum, quod aduenit eis ab illis, tum etiam propter calorem influentem, qui perpetuò mutat illa. Et hæc fuit ſententia Galeni in libro Artis Medicæ, cap. 50. vbi dicit, quòd temperatura totius prouenit ex temperatura cordis & iecoris: & ſimiliter patet cauſa cur facilè pariant.

LECTIO XXVII.

Super

TEXT. IX.


QVæ verò ad occaſus ſitæ ſunt, & ipſæ à ventis ab oriente ſpirantibus protectæ ſunt, & tum calidi venti leuiter afflant, tum frigidi ab vrſis præterflant: eas vrbes neceſſe eſt ſitu morboſiſſimo poſitas eſſe.

PRoponit vltimum ſitum vrbium ac locorum ad occidentem ſpectantium, qui etſi videantur natura temperati, eo quòd calidi venti leuiter, tum frigidi moderatè: id eſt, dupliciter, & quantitate, quia non diu, & non quotidie, & qualitate, quia lenes: & tertiò, ſeu quartò, quia viciſſim: quæ omnia temperamentum afferre poſſent, nihilominus eſſe morboſiſſimos. Alemanus, Auerrois, & non verorum explanatorum more, quæ debentur ſequenti textui pro expoſitione præcedentis affert, quod ille vt vbique ſeruat, ita vitioſiſſimus eſt. Dico ergo quòd hoc debet referri ad eos, qui bonis etiam vtuntur cibis abſque ordine, velut ſi carnem pulli quis edat, inde ferculum ex pane vel alica, demùm oua: ſi quis ſe à cibo exerceat, ſi venere vtatur: ſi fricetur, poſt ſe exerceat: nam his qui orientem reſpiciunt veſpertina hora frigior eſt, matutina calidior, iſtis autem contrarium accidit.

Secundò obſeruandum eſt, quòd vult ſolùm vrbes eas eſſe protectas ab oriente: licet enim præter occidentem etiam pateant meridiei & ſeptentrioni, vult eas appellari Occidentales: qua ratione ergo dicemus Bononiam proculdubio boreæ eſſe expoſitam. Vnde errauit apertè author Dialogi Melaphronis, qui putabat Bononiam non debere dici expoſitam boreæ, quòd orienti etiam & occidenti eſſet expoſita. Et in hoc auget admirationem

rationem, quasi dicat, Etiam & si sit afflata leuiter calidis ac frigidis ventis, vt vere etiam deberet: saluberrima est tamen cum hoc etiam morbosissima.

Tertiò considerandum cur ventos illos, scilicet boreales & australes velit leniter afflare, constet ex quauis parte ventos validos flare, licet non sint cardinales. Ideò dico, quòd ventorum ratio constat in quatuor causis cœlestibus, terrestribus, & ex aqua, ex ipso aëre, locis. Animaduertendum quòd venti procedunt diuersis in regionibus diuersi, tribus de causis: vel quoniam eodem tempore possunt oriri diuersi in diuersis locis, aut impediri: vel quoniam ortus se habet ad lo-



ca diuerso modo: velut ventus oriens ex *a* ad *b*, videtur orientalis æstiuus: ex *a* in *c* orientalis hyemalis. Vel quia in vno loco calor, in alio frigus vigeat. Variantur etiam in eodem loco, vel ob tempora, vel ob astrorum configurationem. Quum ergo de his plures scripserint, amplectar solùm sententiam Aristotelis, Theophrasti & Alchindi, quorum meritò rationes fidem augent. Existimat ergo Alchindus, quòd Sol dum est in capricorni initio, facit ventos boreales, donec peruenerit ad instium arietis, ita à cancri initio ad libræ initium australes. Et quòd planetæ retrogradi sunt calidiores directis, & mouentur plus quàm trecentis sexaginta gradibus in die naturali: quoniam paruus circulus mouetur tantundem & ipse, planeta mouetur ab oriente in occidentem tantùm, quantum motus epicycli fert: igitur mouebitur planeta in vna die motu mobilis primi plus trecentis sexaginta partibus, & hoc est quod quærimus. Alia causa est, quoniam planetæ sunt propinquiores aëri tunc: Sol autem est imbecillior in vltima quarta: id est, ab initio capricorni ad initium arietis: tamen glacies dissoluitur. Et similiter erit minus calidus & magis siccus planeta, in secunda quarta retrocessus: id est, post Solis oppositionem quàm antè. Quartò dicemus, quòd planeta erit calidior ab initio cancri ad initium libræ, & dum est in opposito absidis, & hæ regulæ omnes pendent ex vna, scilicet quòd dum appropinquat nobis planeta est calidior: quum remouetur, est frigidior, & hoc conuenit cum eo quod est iuxta nostra principia, scilicet quòd elementa sunt frigida omnia, & stellæ omnes calidæ, & ideo Saturnus & Luna sunt calidi: vocatur tamen ille planeta, vel stella frigida, quæ non reducit elementa ad temperamentum suo calore, quæ autem reducit temperata: quæ vlterius excalefacit, calida. At quum ex astrorum motu fit ventus, & Sol superuenit, & dissoluitur ventus, & fit serenitas: quum verò luna, fit nubes & pluuia. Et quoniam hæc vera sunt principia, reliqua quæ subiiciuntur falsa, ideo proponam ea quæ vera sunt: nam forsan liber ille non est Alchindi. Dico ergo quòd venti & differentiæ procedunt ab astris ob motũ & lumẽ, & qualitates quæ efficiunt ventos sunt, calor & humidum, temperata frigiditas autẽ & siccitas & calor exuberans, aut concoquẽs, tollunt illos. Et sumitur primùm ratio à planetis, Ioue & Mercurio: & his luminaria succedunt. Secundò, vt sint proximi terræ, seu in eccentrio, seu epicyclo, & tunc sunt retrogradi. Et in mutatione omni ab ascensu, descensu in vtroq; à meridie ad boreã in eclypticã & æquinoctij circulo ab exitu è Solis radiis, vt sint quinq; & cum conuersis decem. Quartò, à loco iuxta partes Zodiaci ab ariete ad cancrum calidi & humidi, à cancro ad libram calidi & sicci. Quintò, à Luna, quæ in quadratis est proxima terræ, & ideo calefacit, & humectat: in coniunctione autem refrigerat, & exsiccat, vt etiam in oppositione: sed tunc parum siccat, velut etiam in quadruto secundo minus humectat, adeò vt specie sicut & in oppositione humectet. Sed humido ad putredinem parato & externo. Sextò, ex natura fixarum cœli, velut orionis & asinorum, ac similium. Septimò, ex natura originis, velut punctorum cardinalium, & coniunctionis, vel oppositionis luminarium & Eclypsiũ. Octauò, ex natura locorum iuxta situm in comparatione eorum, vel ad originem ipsorum, & in his omnibus obseruare oportet, quæ contingant illo loco, & quoniam origo venti est alio in loco, ideo res est perdifficilis, quò ad prædictionem, & hoc maximè si verum est quòd origo ventorum sit ab exhalatione terræ circulari: nam dato quod ex astris possem cognoscere, quòd orietur exhalatio borealis, quum simpliciter boreale possit esse orientale, vel occidentale Bononiæ, non potero scire vndenam processurus sit ventus, ergo neque de ventis, neq; de pluuis possumus quicquam specialiter prædicere: per coniecturam autem possumus, maximè dum occidunt & mutantur, præcipuè duo inferiores.

Aristoteles autem libro 2. Metheor. capite 4. reducit ventorum causas in exhalationem siccam, quæ euenit in locis frigidioribus: quapropter quum Sol nunquam ad austrum, vel boream tendat, hîc inde: ideo fiunt (inquit) validissimi venti, non ab oriente, vel occidente, quoniam à Solis calore dissipantur. Alia ratio est, quòd vbi Sol accedit, multam moram ibi ducens, multum incalescit aër, & vbi remouetur, refrigeratur: adeò vt sit maior distantia æstatis ab hyeme, quàm meridiei à media nocte: sed vbi maior calor & maius frigus, ibi maiores pluuiæ: quia calor attrahit, frigus remittit: & vbi maiores pluuiæ, ibi maior exhalatio, & vbi maior exhalatio, ibi validiores venti: sed

sed ab austro & borea contingit hæc varietas: igitur ab austro & borea flant venti maximi.

Contingunt ergo duæ dubitationes, vna ab Aristotele proposita,& est necessaria hîc: cur cùm ventus sit exhalatio à terra, & circum circa feratur, magis dicatur borealis, quàm orientalis, vel cæcias, vel alius, & ad partem illam validior fiet. Secunda est, cur quum maior sit differentia inter meridiem & mediam noctem,scilicet dimidium circuli, à tropico autem ad tropicum paulò plus octaua parte circulo, & ideo quarta illius differentiæ nihilominus maior contingat varietas caloris & frigoris ex hac, quàm ex illa. Et si dicas,quòd hoc contingit, quoniam illa magis permanet: dico quòd etiam illa variatur singulis diebus, adeò quòd mora vigoris est breuis, tantùm enim deberet posse varietas à meridie ad mediam noctem multiplicata per varietatem æstatis & hyemis, quantum varietas æstatis & hyemis per varietatem meridiei & mediæ noctis, & ideo dico,quòd hoc concludit, & est verissimum: sed tunc comparatur calor meridiei æstatis ad frigiditatem mediæ noctis hyemis. Sed simpliciter non concludit:quoniam differentia meridie à media nocte non est multiplicanda per differentiam Solis in tropicis contrariis,causa ergo vera est declarata suprà, & est non ratione aëris solius,quia etiam argumentum concluderet, sed caliditatis terræ, quia in vna die terræ calor parum potest variari: ideo ratione solius aëris concluderet solùm ratio, nam in transitu à tropico ad tropicum variatur multum calor terræ. Circa hoc est notandum, quòd ventus dupliciter dicitur Borealis,vel Australis, vel ratione partis ex qua venit,vel comparatione eorum ad quos peruenit. Ad primam autem dico, quòd ventus iuxta Aristotelis opinionem quum moueatur in circuitu, validior, tamen redditur, vbi valles fuerint arctæ, vnde acquisito impetu seruatur motus.Vnde qui ducunt aquas violenter retinent, & per loca angusta ducunt, vt celerius ferantur pòst quum deducitur per loca lata, pòst quum per campos, pòst quum frangitur ab inæqualitate collium, velut si ventus oriatur in *a*,& sint montes, *d* & *e*, erunt australis ad *f*, & orientalis ad *g*, leuissimi: validissimus autem medius per vallem vulturnus inter meridiem & orientem. Si verò oriatur ex , erit orientalis validissimus vulturnus, & cæcias imbecillissimi, quum ergo quovis constituto loco ex infinitis locis contingat fieri exhalationem, contingent in viuentorum diuersitates innumeræ, quoad loca diuersa, & etiam iuxta eundem locum.Sed quare boreas & auster sunt calidiores in quovis loco quum sumpti fuerint, secundum rectam lineam? Dico quòd mens Aristotelis est,quòd sint validiores,quia causa est validior, vt dixit, & est terra madefacta, & ideo imaginatur Aristoteles, quòd vapores illi prodeant secundum circulum, parallelum, qui deferatur à Polo secundum rectitudinem, qualis secundum centrum, & ideo à loco propinquiore erit validior ventus,& ille est in vna linea recta à polo per locum exhalationis ad locum habitationis. Verùm hæc responsio plures habet difficultates. Prima est, quia ventus quanto plus elongatur à suo principio, tanto validior est, hic autem supponit contrarium. Secunda, quia oporteret totum parallelum affici,quod esse non potest. Præterea quoniam Aristoteles vigesimasexta Problematum 38. vult quòd venti oriantur ex vno fonte velut aquæ, expargantur circum circa,& ideo dico, quòd istud contingit ex natura meridianorum: quia sicut Sol est validior quum est in meridiano & qualibet stella etiam non solùm Sol, quia percutit secundum rectum,ita & ventus, & ideo benefecit Aristoteles loco allegato, qui licet non soluerit quæstionem, tamen proposuit eam. Ipse etiam docuit duo, vnum in Metheoris, scilicet quòd ventus oritur ex plurimis ramis à terra originem ducentibus loco diuersis: sicut etiam flumina quæ componuntur ex pluribus ramis, quorum singuli rursus componuntur ex diuersis riuulis. Alterum est quod in Problematibus loco allegato dicitur, quòd venti assimilantur fontibus, qui non possunt ascendere vltra certam metam altitudinis, & ideo dicit, quòd in cacumine montis Athos nulla apparent vestigia ventorum, neque etiam in cacuminibus aliorum montium altissimorum, etiam per hæc innuit, quòd venti fiant ab exhalatione terræ, & non ab ipso aëre, de quo dictum est suprà. Sed dicet aliquis: Si venti hi fiunt ex terra madefacta, vapore remittente, ergo sunt ex exhalatione humida,& non sicca. Respondeo breuiter,quòd comparatiuè dictum est, ventus enim & pluuia fiunt ab exhalatione humida, sed ventus à sicciore, quia minus humida, & ideo omnes venti humectant, & Aristoteles confessus est de austro,Hippocrates autem de borea: &, vt dictum est suprà, vtrique siccant, propter motum,vtrique humectant propter substantiam, & ita de omnibus ventis, ideòque ventus validissimus semper maximè exsiccat, & quod motus, sicut ostenditur ex vlceribus & scabie,quæ siccantur & sanantur, positis cruribus in aqua currente, & est auxilium pulchrum & suauissimum, & quia curatio vulnerum est exsiccatio,ideo etiam sanantur. Tertia causa ventorum est ex aëre, vt apparet in rimis ostiorum & fenestrarum. Quarta ex propinquitate faucium montium. Circa ventorum etiam distributionem non leuis est differentia inter Ptolemæum & Hippocratem, lib.2. text.13. nam Ptolemæus aquilonem tribuit Ioui,australem Veneri, orientalem Saturno, occidentalem Marti igitur primùm orientalis erit insalubris, & meridionalis salubris: hic enim à benefica exorietur stella, ille autem à malefica.

Videtur etiam borealis non conuenire Ioui, cuius natura est calida & humida, quum ventus sit frigidus & siccus,& ideo ratio Hippocratis videtur magis secundum naturam. Nec maleficis adeò mites venti conuenire videntur, quum sint planetæ valde intemperati: neque temperatis stellis tam acres venti. Sed potius Marti auster, boreas Saturno, orientalis Ioui, occidentalis Veneri. Verum dico, quòd aliud est mouere ventos, aliud est

natura

natura ventorum. Saturnus quidem dominatur orienti, quoniam temperatur calore & humido illius: & etiam quia vis eius est, quum est orientalis, sicut Mars ab humido & frigore occidentis. Iupiter autem aërem serenat, ideo borea gaudet, & Venus austro, quoniam in illam latitudinem plus quàm in borealem inclinat. Et generaliter scopus Ptolemæi considerare mores & euentus, Hippocratis salubritatem locorum. Et hæc cognouisse sufficiat. Diximus & de his ibi. Sed ad Philosophos modò deuenio.

Relinquebatur autem quæstio valde pulchra, adeò vt multi circa eam hallucinati sint nec ad hanc vsque diem potui inuenire solutionem, nisi ex parte. Etiam quæstio est hæc: An aër liber quantumcunque malus, sit melior aëre concluso: vtpote in tempore pestis, an sit melius spaciari in aëre aperto & libero, an concludere se in conclaui cum igne? & an melius sit habitare in locis humilibus, an excelsis? de hoc consuletis quartum librum Contradicentium, capite nonagesimooctauo. Pro nunc ego distinguo trifariam hoc modo: Tempore pestis melius est habitare in locis conclusis semper, quàm apertis, quatuor ex rationibus. Prima, quia videmus quòd reges & principes id agunt & seruantur, plebs periit, & vix vnquam rex vllus inuenitur, qui peste obierit: præter Marcum Antonium Imperatorem Philosophum, & Lucium secundum Pontificem, & Zoen Imperatricem cum marito, & Ludouicum Gallorum regem, & Alphonsum vndecimum Regem Hispaniæ, & Furium Camillum, & Michaëlem Maurocenum ducem Venetorum, vt Rauisius refert. Et hi quidem potius ex incuria & inscitia, quàm vi pestis obiêre. Secunda, quia ignis consumit & tollit vitia aëris: impossibile est enim quicquam resistere igni inter res mortales, nisi forsan propter circulum vnum aliquod, sicut declaratur in libris de Arcanis æternitatis, vt non sit initium neque finis alicuius rei. Tertia, quia in cubiculo conclusi iuuantur à suffitibus, qui possunt permutare omnem malam qualitatem impressam in corde & cerebro. Quarta, quia in aëre libero à vaporibus possunt statim interire, & maximè quia Ptolemæus in principio Apoteles, vult quòd tales influxus communicentur nobis per aërem, & non absolutè & ex proprietate. Ergo emendato aëre tollitur periculum. Secundo dico, quòd in regionibus malè positus tutius est quiescere in cubiculo, flantibus ventis, quam exponere se aëri libero, & ratio est, quoniam inueniuntur aliqui venti, qui statim occidunt omnes, qui sibi obuiant: & etiam, quoniam est manifesta causa, scilicet motus qui auget impressionem qualitatis plus quàm ad decuplum: Tertio dico, quòd si aër sit secundum naturam regionis, quantumuis pessimus, vbi nec venti adsint, & Sol matutinus luceat, quòd melius est spaciari in loco sicco, quàm semper manere in cubiculo, tum quia homo iuuatur ab aspectu, tum à qualitate aëris, & etiam quoniam in cubiculo perpetuò agere perinde esset ac in carcere esse, & ideo videas incommoda miserorum, qui in vinculis deguntvitam, & nisi multa abstinentia se tueantur, intereunt. Vnum scitote, quòd in aëre libero quantumcunque malo aër semper est melior, quòd ad substantiam attinet & propriam naturam: deterior autem quòd ad vapores: in locis autem conclusis contrarium accidit. Ex dictis etiam in Problemate apparent, quòd habitare in cacuminibus altissimorum montium est tutissimum, in quauis causa aëris mali, seu pestilentis, seu alterius naturæ: quia substantia aëris non putrescit.

LECTIO XXVIII.

Super

TEXT. XII.

PRimùm enim aquæ non sunt splendidæ: causa verò est, quòd aër matutinum tempus vtplurimùm occupat, qui aquæ immixtus, claritatem eius disperdit. Sol enim prius, quàm eleuetur, non illustrat. Æstate verò, manè quidem, auræ frigidæ spirant, & ros decidit.

IN præsenti textu ostendit duas causas quare situs hic sit omnium supradictorum pessimus, quarum primam *sumpsit ab* aquis, secundam ab aëre: quoniam causas omnes huius libri, quæ ad salubritatem aut morbos pertinent, ad hæc duo elementa reducere oportet: quia hæc ambo ingrediuntur nostrum corpus, & sunt etiam causa omnium eorum quæ ingrediuntur, velut plantarum, piscium, quadrupedum auium, & talium. Proponit autem in hoc textu, quem frustra diuisit Alemanus hoc modo, sed melius est separare epilogum à tractatione: vt nos fecimus. Proponit autem tria incommoda generalia, signum prauum, vt sint decolores: affectum prauum in habitu, vt sint morbosi: & morbos ipsos generaliter omnes qui accidunt borealibus & australibus. Specialiter autem meminit grauis & raucæ vocis. Sed de hac in sequenti lectione. Primùm igitur ostendit aquas esse prauas: quoniam matutinum tempus solus aër impurus occupat, quum sit regio priuata lumine Solis, ea hora deficit impurus, vel loco ἀὴρ lege ἀτμὸς, id est, vapor: vel deficit ἀκάθαρτος, id est, impurus. Quomodo autem Sol clarum reddat aërem, quum vapores à terra trahat, docendum est. Clarum est ergo quòd Sol exoriens rarefacit aërem: quocirca vapores ipsos dissoluit, si sint aquei, sin crassi, decidunt in terram: sin autem terrei ac tenues, excitatur aura: vnde exoriente Sole tum ob id, tum ob motum aëris, tum quia fiunt exhalationes, excitantur venti. Sed quia, vt habetur à Philosopho libro primo Metheororum, capite vndecimo, à Sole excitantur ros, pruina, nubes & nebulæ,

ideo videtur Sol potius obfuſcare aërem, quàm reddere eum clarum: ob id reſpondeo, quod Sol eleuat vapores à terra, quando illam calefecerit: hoc autem fit horis meridianis, & per radios refractos: & hic eſt primus quo fiunt ros & pruina & nebulæ, alter eſt ex humido terræ, & Sole debili, vt in matutino hyemalium dierum, quum terra eſt humida: nam ſi fuerit ſicca & arida, aut concreta gelu dies redditur ſerena. Sed dicetis etiam, quòd terra ſit humida, quomodo ab imbecilli calore Solis poteſt eleuari nebula, vel pluuia? & dico quòd iſtud eſſet magis mirum de niue: propterea declarato de illa aperta erit cauſa pruinæ & nebulæ. Ariſtoteles autem forſan ob id libro primo Metheororum, capite vndecimo, refert in cauſam aliam calidam ſuperiorem: ſed ego legerem potius inferiorem: tum quia illud repetit in Problematibus, quum dixit quòd cauſa exhalationum eſt calor Solis, aut à terra: tum quia experimentum id docet: nam in regionibus borealibus terra eſt bituminoſa, & apud nos etiam ſalſa: & videmus matutino in profunda hyeme aſcendere vapores velut denſum fumum, aut nubem ex aquis: quia calor abditus & recluſus latitat in terra: tum quia nos ſentiremus illum calorem, ſi deſuper diffunderetur, & ita aër non eſſet frigidiſſimus. Ergo cum terra fuerit madida in hyeme, Sol obtenabrabit aërem primis radiis, ſi fuerit imbecillis, & fiet nebula: ſi validus, vt in æſtate, fiet pluuia, & aër erit interim bonus & clarus: *vt etiam poſt* pluuiam ipſam: obtenebrabitur verò vtroque tempore à radiis Solis, refractis in proceſſu diei ad medium, & à medio vſque ad veſperam. Et hoc ergo de aëre matutino erit in regionibus orientem reſpicientibus: ſed in reſpicientibus occidentem non erit hoc: igitur tam aër quàm aqua in huiuſmodi regionibus erunt turbida & mala. Et hæc magis ad hyemem pertinent, quàm ad æſtatem de aquis: propterea ſubdit.

Æſtate verò manè quidem auræ frigidæ ſpirant, & ros decidit.] Ad generationem roris Ariſtoteles libro pro Metheororum, capite vndecimo, proponit quinque cauſas neceſſarias, prima, vt fiat eleuatio vaporis: vnde Auerroes dixit in eodem libro, capite primo, quòd tria aſcendunt è terra ob Solis calorem (ſed vt dixi nonnunquam & perſæpe etiam ob terræ ſolum calorem) vapor & exhalatio ſicut fumus, quam vocant fumoſum: & quod exhalatio eſt calida & ſicca, vapor autem duplex calidus & humidus, & frigidus & humidus. Et exhalatio eſt materia ventorum & earum viſionum ignearum, quæ in aëre apparent, velut cometarum, ſtellarum cadentium, caprarum ſaltantium, trabium ignitorum, & talium: vapor autem calidus & humidus eſt cauſa roris, ſi parum aſcendat: ſin multum pluuiæ, frigidus autem & humidus eſt materia pruinæ, ſi parum aſcendat, niuis autem ſi multum, ideo nix & pluuia fiunt eodem modo, & ros & pruina ratione loci: ratione autem materiæ & agentis, ros & pluuia fiunt eodem modo, ſicut & nix, & pruina. Secunda cauſa roris eſt calor: nam ſi fuerit frigus, in pruinam vertitur: ergo neceſſe eſt vt à calore quodammodo concoquatur, & à frigore condenſetur, & decidat, & propterea ab auſtris decidit ros, non à borea, dicit Philoſophus, præterquam in puncto, vbi à borea fit ros, ab auſtro non fit, quum verò ros calidior ſit aqua, eſt enim factus ex aqua calefacta, & ex tenuiore parte eius, vt coaunetur, maiore frigore indiget, ros igitur magis quàm pluuia frigore indiget, & frigidior eſt quàm pluuia, & pruina maiore frigore ſimiliter indiget quàm his, & frigidior eſt: & cum hoc tamen tenuiorum partium. Tertia cauſa eſt ſerenitas: non enim in tempore nubiloſo ros gignitur, nam humidum ſurſum attractum eſt ad nubem. Ariſtoteles autem putat fieri, quia dum nubilus eſt aër, cogi non poſſit, quoniam non refrigeretur adeò. Mihi autem videntur noctes nubiloſæ & frigidæ, quare non ſegregatur ros, quia aër craſſior eſt, non quia frigidus non ſit ſimiliter, & pruina non niſi tempore ſereno fit, etſi frigidiſſimus ſit aër, quia etiam humidus eſt. At neque quum flant venti fit ros, aut pruina, vapor enim à vento diſpergitur, & aliò defertur, ob id ſi plenilunium incidat quum ſata florent, id eſt, dum Sol eſt in Tauro, & nox ſit tranquilla & ſerena, maximum imminet periculum, ne in ipſa nocte pruina decidat, & fruges, & fructus, & vites quæ germinare incœperint, omnia abſumantur & pereant, ſequatúrque magna inopia tritici & fructuum, ac vini. Quinta verò cauſa, quæ à Philoſopho affertur, eſt, quòd ros & pruina non attolluntur, & hoc, quia ſingulo die eleuantur vapores, & ſingulo die decidunt, indicio eſt, dicit Philoſophus, quoniam in iugis montium neque ros, neque pruina decidit, quamvis ea loca ſint frigidiſſima, quum ergo eleuetur ſingulo die & decidat, ad locum nubium peruenire non poteſt. Apparet ergo ibi ros in æſtate ex frigiditate auræ, quæ ſpirat, & ideo regio illa videtur eſſe ſalubris & læta, quum tamen non ſit.

Ex hoc habetur generatio mannæ, quia fit ex rore congelato, & eam agnouit Theophraſtus, libro 3. de Hiſtor. plant. capite 9. in princip.) & congelatur ſuper frondes, dicit ibi quercus maximè, & dicitur melleus humor è cœlo cadens, alij vocant mel roridum, alij mel aëreum, & non dicitur mel, vt quidam putant à calore, ſed à dulcedine, neque tamen eſt adeò dulcis manna vt mel & ſaccharum. Eius ſunt tres ſpecies ſiracoſi nobiliſſima & dura, terrenia in medio mollis, quam ferunt naſci ſuper ſpinas, & oritur etiam in Africa, ſed magis in oriente naſcitur, & in Creta, quam vidi apud Cardinalem Paleotum, quæ eſt melior, & ſuauior, & purior noſtra, & eſt ſplendidior, non tamen magis purgat Italica, quæ eſt tertium genus & munus nobile. Colligitur in Calabria, & defertur per totam Europam, cuius ſunt tres ſpecies, à loci differentia ſumptæ. Alia enim vocatur frondis, quæ eſt pura, ſplendida, viridis,

quum

quum reliquæ species sint mistæ ex flauo & albo, & sunt longè deteriores: sed pessima ex his est, quæ colligitur à terra: quæ autem in truncis arborum, est melior, dulcescit ergo, quia concoctum est humidum, tenue à calore Solis. Solis enim vires sunt attenuare & condensare: redditur autem dulcis, quia concrescit, vel potius quia tale est, vt concrescere possit: vnde neque ros dulcis est, neque sanguis, neque pluuia, nix tamen subdulcis est, & manna, & lac, & quæcunque dulcia sunt, minus dulcia videntur dum sunt calida, vt mel & saccharum liquefactum, nix autem non est dulcis, quoniam substantia eius non est concocta: & etiam quia frigus adeò magnum est, vt linguam feriat, ergo quod concoquitur à Sole & est aqueum & aëreum, & concrescit à frigore necesse est vt sit dulce, vt etiam ficus & vuæ. Causa verò cur manna concrescat, & ros non concrescat, est tenuitas substantiæ: nam in Apulia & regionibus vicinis manna generatur, non in frigidiore cœlo: aqua etiam concrescit feruefacta, vt inquit Aristoteles, ergo tenuia facilius concrescunt: manna igitur est ros tenuissimus, verisimile est igitur mannam esse tenuioris substantiæ quàm sit ros, cur autem purget, contingere potest triplici ratione, vel quia dulce: nam & mel, & saccharum, & lac, & fructus præmaturi, dulces velut ficus, vuæ & pruna, hi enim solùm apud nos multum dulcescunt, purgare solent: vel quoniam subiici nequeant, velut prima Problematum, (43.) aut quoniam salsuginosam quandam habeant qualitatem, vt ros omnis purgare valeat, (libro de Aliment. Comment. 49. (Sed de hoc aliàs.

Sequitur vt causam reddamus, quare quum æstas sit & regio exposita occidenti, manè potius debeat spirare aura frigida, quàm calida, quum sit ex æquo exposita tam austro, quàm Boreæ. Et respondeo quòd quum ventus spiret iuxta qualitatem aëris plerunque, & aër iam sit refrigeratus per totam noctem ex absentia Solis, necesse est, vt fermè semper matutino spiret aura frigida, quoniam nullum tempus noctis magis distat ab occasu Solis, quàm aurora: & ideo nullum tempus noctis est frigidius, quàm sub aurora, & motus auget qualitatem seu sensum qualitatis, & ideo ventus apparet frigidior aëre, quando aër est frigidus, & etiam quia ille aër comparatur ad aërem meridiei, qui est valde calidus in æstate: ergo quilibet aër mediocris, seu ventus, videbitur frigidus in æstate, & in hyeme videbitur esse calidus, sicut de aquis puteorum.

LECTIO XXIX.

Super eodem

TEXT. XIII.

De cætero verò Sol ad ipsas occidens quam maximè homines percoquit. Quapropter etiam decolores ac infirmos ipsos esse par est, & ex omnibus prædictis morbis participare. Nulla enim re ab ipsis separantur.

Declarat causam habituum morbosorum & morborum: & est quod corpora hominum iuxta vespertinam horam torrentur & ideo duas subeunt vicissitudines à frigore ad calorem, & à calore ad frigus in magna differentia, adeò vt si corpora essent adamantina, necesse esset infirmari, & breuis vita esse: propterea amplificate istum textum ad regiones, quibus hoc est proprium, propter ventos modò calidos, modò frigidos, seu constitutionem cum ventis, velut Romæ, vbi æstate torrentur media die, vesperi refrigerantur à ventis, vnde febres pestilentes & mortes subitaneæ, vel ob situm, velut in omnibus vallibus fermè tempore æstatis, vel ob regiones præcipuè propter aquas, vt in India occidentali, maximè vbi à mari & fluminibus spirant auræ frigidæ, & peius si crassæ sint, & regio ibi torrida est, & ad eos qui exercentur, inde refrigerantur, & ab eos qui bibunt vina potentia, inde aquas frigidissimas, & ad illos similiter qui bidunt vina refrigerata niue & glacie, & ad eos qui ex pluma dormiunt super herbas ob delitias, aut super terram in castris, & ad repentinas mutationes temporum, vt si ver sit valdè calidum, aut æstas valde temperata, inde fiat calidissima, vel si autumnus sit frigidissimus, & generaliter natura humana non fert repentinas mutationes, vt secunda Aphorismorum. Hi & quantò magis breues sunt, & quanto frequentiores sunt, & in calido & in frigido magis, & in corporibus imbecillibus, delicatis, cacochymis. Hæc enim persæpe statim pereunt, vt senes, infantes, adolescentes, qui parum dormiunt, qui multis & prauis cibis vtuntur. Dicit ergo quòd sint decolores: nam, vt suprà visum est, color significat temperamentum totius, velut compositio robur operationum aut corruptionum: & ideo dicit quòd sint infirmi & praui coloris, infirmi enim redduntur propter malam compositionem magis, quàm ob intemperiem, veluti ob obstructiones iecoris, tubercula, parua œdœmata, corruptiones substantiæ, nodos in ventriculo, ganglia in mesaræo, sicchos in liene, putredines in pulmone, obturationes venarum & meatuum arenam lapidis in renibus, in pulmone, in iecore gibbositates, contorsiones, durities, mollitiem, præter naturam tabefactiones in diuersis locis, hydrocelas, enterocelas, sarcocelas & sexcenta huiusmodi, velut etiam vermes, pilos, vlcera interiora, fistulas, exesa, hæmorrhoides non secundum naturam, sed aut cæcas, aut nimis amplas, aut corruptas, aut obliquas: ossium præterea corruptionem, & quam Arabes vocant ventositatem spinæ, & caries, & obturationes aurium & narium, & ædæmata palati & cerebri sphacelum: ista sunt ex quibus proueniunt magni morbi potius quàm ex intemperie, quoniam proueniunt per se, ex intemperie autem quasi per accidens, & propterea dicebat Galenus in libro

libro Artis medicæ (capite 99.) quòd intemperies generant morbos per materiam, nam intemperies si parua sit, non efficit morbum, & si magna, etiam vix lædit operationem, nisi per generationem humorum, & humores faciunt morbum in compositione, adeò vt morbus in intemperie vix dignoscatur, nisi in iecore & ventriculo, & adeò vt sit cum imbecillitate caloris naturalis: propterea morbi ob intemperiem potius sunt digni appellatione causarum quàm morborum, & intemperies quæ in pluribus diebus generat humorem, quia non dedit operationem, vt sentiatur esse dispositio neutra, cùm exuberauerit humor morbus. Et ideo intemperies respectu temporum mutat nomen, vel dicas quod est causa morbi.

Dixit ergo quòd sunt subiecti morbis prioribus regionum australium, velut phagedenis, ventris exturbationibus, asitiæ destillationibus, sterilitati mulierum, sacro morbo, dysenteriis puerorum, profluuiis alui, febribus diuturnis, hæmorrhoidibus, & in senibus, paraplexiis, præterea duritiei alui, maximè in hyeme, rupturis vasorum, fluxionibus sanguinis narium, pleuritides etiam & suppurationes his erunt familiares, propter tot genera morborum, tam acutorum, quàm diuturnorum placuit vnum tantùm huic regioni peculiare subiungere ideo dicit:

TEXT. XIII.

VErisimiléque est ipsos graui voce præditos, ac raucosos esse, propter aërem, eo quòd impurus plerunque isthic est, & morbosus. Neque enim ab aquilonaribus valde expurgatur. Non enim perseuerant venti. Qui verò perseuerant, ac ipsis incumbunt, aquosissimi existunt. Nam venti occidentales similes sunt autumno. Et huiusmodi ciuitatis situs est ad diei mutationes, eo quòd multum temporis inter matutinum ac vespertinum intercedit. Et de ventis quidem, qui commodi sunt ac incommodi, ita se res habet.

DOcet hic peculiarem dispositionem regionis, & cum hoc etiam reddit rationem huius, scilicet quòd tales habeant graues & raucas voces, scilicet propter aërem impurum: reddit autem rationem aëris impuri, & quum possint esse tres venti, à quibus possit expurgari, scilicet meridionalis, occidentalis, & borealis: de meridionali mentionem non facit, quia ille non expurgat aërem, sed corrumpit, vt visum est de septentrionali. Reddit duas causas: prima, quia dicit, Non perseuerat, id est, quoniam paucas habet vires: non enim exposita ciuitas seu locus ad boream, sed ad occidentem, deinde dicit, Est aquosus, ergo non expurgat aërem, imò potius replet, primum autem, & tertium ex his est per se manifestum, etiam 3. Aphorismorum, cap. 15. & 16. quòd autem occidentalis, borealis sit aquosus patet, quia Thrasias & Argestes, seu corus, tales sunt. Intendit ergo duos ventos, non vnum borealem, verùm & hic dicit, Non perseuerat, alij verò qui perseuerare, possunt. Sed dicetis, Argestes & eurus ei contrarius sunt sicci, 2. Metheor. cap. 6. dico quòd ibi thrasiam & argestem vult esse grandinosos, igitur humidos, eurum quoque siccum in initio, humidum in fine, ergo & argestem, qui ei contrarius est, quia ibi dat vnam regulam, quod venti contrarij omnes, non principales, vt sunt contrarij in qualitatibus actiuis, ita sunt similes in passiuis. Præterea possumus demonstrare quòd argestes & thrasias sint venti aquosi, comparatione Europæorum, eo quòd omnis ventus mollis & lenis, qui venit ex locis humidis, est aquosus, quia defert nebulas, & non potest eas auferre. Sed tales venti prodeunt ex locis humidis, & maximè thrasias, & sunt lenes, & non validi, tum quia ex obliquo feruntur, non vt boreas & auster, & qui ab oriente, vel ab occidente feruntur, æqui distantes motui diurno Solis & stellarum, & etiam quia mouentur contrario motu ipsius aëris, qui, vt aliàs declaratum est, naturaliter mouetur ab oriente in occidentem, & sunt prope nos, ergo habent quatuor causas vt sint omnium ventorum aquosissimi, præter ceciam qui est aquosus, proprietate quadam, quia mouetur secundum circuitum, vt refert Aristoteles 26. Problem. 32. fiunt & pluuiæ à ventis validis, quando sunt humidi & contrarij, quia nubes retinentur, & condensantur: ideo fit tempestas, & tonitrua, & grando, & fulgura, & si ventus calidus desinat in lenem, fit pluuia: & si lenis in validum, ex nubilo serenitas. Nec illud omittendum, corum siccum appellatum ab initio quòd tunc maximè possit abigere nubes, sed in fine humidus est, remissa enim in nubes retinentur, quum ex septentrione veniat, humidúsque sit, ita concors est Aristoteles & Plinius.

Tertium venti genus erat Fauonius, siue Zephyrus, à quo par erat expurgari aërem. Dicit Hippocrates, quòd hoc non facit, quia his ventus assimilatur autumno, velut orientalis veri. Si enim orientalis est veri similis, occidentalis erit similis autumno, & borealis hyemi, & australis æstati. De hoc ergo erit quæstio in 10. Contradicentium, 68. an zephyrus ventus sit salutaris, vt Homerus & Aristoteles, an morbosus: quanquam & de hoc suprà dictum sit.

De ventorum vtilitate quatuor enumerat Seneca libro 5. capite vltim. Aëris conseruationem, pluuiarum alternationem, satorum & frugum vtilitatem & nauigationem.

Quòd habeant verò voces graues, non est vt aliunde quæramus causam, nisi ab ipso infrà, vbi inquit, cap. 8. qui circa Phasim fluuium habitant homines, quum regio palustris sit, calida, aquosa & densa, imbrésque in eam decidant omnibus temporibus magni & impetuosi, ipsi verò domos habeant

ex arundinibus in ipſa aqua & lignis extructas à quibus etiam rarò prodeant, & ſi modò exeant ex illis non itinere terreſtri, ſed nauiculis per foſſas, quibus plurimum abundant, vehuntur, bibúntque aquas calidas, & ſtagnantes, & à Sole putrefactas, & ab imbribus auctas. Ipſéque Phaſis fluuiorum omnium lentiſſimè fluit, ideóque & fructus qui ibi proueniunt inſalubres ſunt, & voces eorum, ſi hominum vllorum grauiſſimæ ſunt, & diſtinctius voces graues cauſam ſortiuntur cum muſculi aſperæ arteriæ & epiglotidis, ſeu potius laryngis & intercoſtales moueri non bene poſſunt. Vnde & res ipſa & cauſa experimento deprehenditur in his qui diu clamarunt, & magna voce: nam debilitatis muſculis, & diuulſa tunica interiere arteriæ, & dilatata larynga, ſeu fiſtula ſupra modum, vt 4. de Locis, cap. 6. poſt principium, fit vox grauis: ipſe verò qui vertit obſcuram appellauit, non tamen prorſus idem ſunt vox obſcura & grauis, ſed grauem exemplo declaraui: de obſcura non eſt hîc ſermo. In libro etiam de Voce & anhelitu Tract. 2. qui licet inter ſpurios referatur Galeni, tamen eſt, quamuis ex Arabico conuerſus, nam ad illos tranſlatus eſt ex Græco, proponit duas cauſas grauitatis vocis dilationem arteriæ aſperæ & fiſtulæ, & humidam ſubſtantiam inſtrumenti: quia certè minus reſonat: ſed hoc tamen, vt dixi, magis ad obſcuritatem pertinet, quàm ad grauitatem. Palam autem eſt, quòd humidum deſcendens pòſt in cauitatem arteriæ raucam reddit vocem, propter inæqualitatem. Rauca autem à clangoſa differt (appello autem raucam eandem cum aſpera) dicebat ergo Galenus ſecundo in primum Epidemiorum, Comment. 78. quòd vox aſpera fit ob aſperitatem membrorum voci deſeruientium, & enumerat aſperam arteriam, guttur, fauces: clangoſæ verò ſecundo in primum Prorchetici, dicens, Comment. 12. quòd eſt querula, plorabunda, ſed quòd debent, &c. deterior tamen plorabunda, & quòd ex clangoſa fit à ſiccitate, intelligit ergo per aſperam inæqualem, quæ fit aliquando ob pituitam ſolam, & aliquando quum partes aliquæ ſunt ſiccæ valde, aliquæ in pituita plenæ, & ideo duplex eſt hæc aſperitas, vt patet, & ſignificat caput imbecille, diſtillationem ab illo, & debilitatem membrorum ſpiritualium, & ideo neceſſe eſt vt ſint ſubiecti morbis peſſimis.

Et huiuſmodi ciuitatis ſitu.] Difficultas huius textus eſt ex defectu vnius verbi, aut mutatione: nam quum dicat Hippocrates, Οτι πολύ τε μέσον γίγνεται τοῦ τε ἐνθινοῦ καὶ πρὸς τοῦ τὴν δείλην: quorum verborum ſententia hæc eſt: Quoniam multum inter matutinum & veſpertinum medij intercedit, adiunxere temporis pro medij: quo ſenſu nihil abſurdius, quaſi loca quæ occidentem reſpiciunt longiorem habeant diem: hoc enim pertinet ad vrbes, in quibus polus mundi multum eleuatur ſupra orizontem. Multò minus ad ſenſum hic pertinet: quamobrem ad μέσον, quod eſt medium adiicere, vel intelligere oportet in qualitate, ſeu varietatis: id eſt, quoniam multum differt calor veſpertinus à frigore matutino, & eſt clarus ſenſus, & fundatus in duobus Aphoriſmis, 4. & 8. tertiæ particulæ, Quando eadem die modò calor, modò frigus, & inconſtantibus temporibus.

Et de ventis quidem.] Epilogum proponit eorum quæ dicta ſunt in hoc 2. cap. & eſt quod ipſe tractauit, de ventis ſiquidem per quatuor extremos intelligit medios: atque hîc dubium non eſt, quin eadem ſit ratio, quæ extremorum, verùm contingit dubitatio, quoniam apud Vitruuium lib. 1. cap. 6. iubet vrbes exædificari, ita vt vix non ſint expoſitæ principalibus ventis. Quæritur igitur an ea ratio etiam multum faciat. Certè Vitruuius ſolùm intendit, vt moleſta vis ventorum tollatur, iuuabit ergo aliquid quoad ad qualitatem prauam, non tamen multum in occulta, appello occultam conſtitutionem, quæ accidit ex ventis de cauſis eorum, vide lib. 8. cap. 2. & 5. eiuſdem, & Philandrum explanatorem. Sed & de ventorum cauſis & generatione, in eodem quinto ſecreta multa explicat: & cenſet duas eſſe, vnam naturam aëris, cuius partes moueantur, vt in animalibus & aqua maris: ſed hoc de mari non nouerat, de aqua generaliter cognouit, & concoctionum eorum quæ concluſa ſunt in viſceribus terræ, noſtro exemplo. Modum tradit de aëre, quòd ſpiſſet ſe, ac expandat, contrahat, ac diducat, ergo à ſolis exortu antequam illuceſcat radiis ſuperioribus aër diffunditur, quo dilatato, diſſipatur aër qui ſurſum eſt, & ventus generatur. Sole aſcendente diſſipatur: quum autem de ventis egiſſe dicat, plus hoc poſſe quàm Solis aſpectum ex radiis decreuit Hippocrates.

LECTIO XXX.

Super 1.

TEXT. III. LIBRI

CÆterùm de aquis deinceps narrare volo, quæ morboſæ ſint, & quæ ſaluberrimæ, & quæ mala ab aqua fieri veriſimile eſt, itémque quæ bona. Plurimam enim partem conferunt ad ſanitatem.

HIc proponit rurſus quoddam procemiũ, poſtquam tractauit de ventis tranſit ad aquas, oſtenſurus duo quæ morboſæ ſint & ſaluberrimæ: hoc ad eſſentiam pertinet: quantum etiam poſſint aquæ, & quæ mala ac bona efficere valeant, hoc ad operationem, dicit tertio, quòd omnia hæc plurimum conferunt ad medicinam, non videtur dicere quòd ſit neceſſaria, quomodo autem vtilia ſint hæc medico patet, quoniam aquæ pluribus modis: primum vt potus: ſecundum vt condimentum: tertium vt nutrimentum herbarum & fructuum, vt infrà videbitur, cap. 8. quartum, vt aërem mutat: quintum, vt medicamentum tam interius, quam exterius, quomodo autem duæ hæ intentiones diſtingui debeant

debeant dicendum est, bifariam ergo ex ratione cognitionis & operationis, & generalis & specialis. Cognitionis ergo, quia multum differt scire an aqua sit bona, vel mala, & quid conferat boni, & quid mali, velut cognoscere vinum bonum, aut prauum, aliud longè est, quam scire proprietates eius, aliud est etiam cognoscere in genere, quòd bona sit, aut mala: hoc enim generale est omnibus, & quòd bona sit huic morbo, vel illi, aut quòd conferat huic operationi, vel illi. Diximus enim in superioribus quòd aqua plurimum nocet, aut iuuat in operationibus & morbis membrorum naturalium: aër autem spiritualium & animalium, & hoc est per se clarum, sed in genere: in specie autem, veluti si dicamus, quòd aquæ malæ efficiunt hydropem, splenes duros, dysenterias, & similia, & propterea videtur Hippocrates præposuisse detrimenta aëris detrimentis aquarum: vel quoniam aër noceat ventribus superioribus, aqua inferioribus, vel quia detrimenta aëris sint plura in numero ratione generis, vel quoniam sint maiora: homo enim potest statim mori, percusso cerebro, vel corde, non ita de iecore, vel quia aër sit communis, aqua non ita. De aquarum igitur origine atque natura primum dicere oportet, tum differentiis earum generalibus, ortu sitúque, vtilitate, ac eiusmodi, seu enim ad vitam illius, seu ad magnitudinem, seu ad vsum respicimus, haud indignum fuerit facere lectionem de ea, quum multi de longè vilioribus libros conscripserint. Primùm ergo dico, quòd aqua est elementum liquidum humidum, temperatum. Quod enim sit elementum Aristoteles dixit, & alij antiqui, & nos fatemur, non vt de igne, quòd sit liquida, sensu patet: quòd humidum à liquido differat, patet: nam sal in aquam resolutum, & chalcanthum, acetum & vinum etiam sunt liquida, non tamen potestate humida: sed de aqua quòd humida sit, patet ex balneo: nam corpus molle redditur, sitis extinguitur, somnus conciliatur, ex potu autem humectatur homo, & sitis sedatur.

At quòd non sit frigida, sicut dicunt, saltem in comparatione ad hominis vsum potestate (nam de actu talis est, qualis fit, vt vinum, etiam oleum & similia) ostenditur ex operatione: neque enim refrigerat iecur, aut pulmonem, aut ventriculum excalefactum, velut succus portulacæ, aut endiuiæ: quinimò bilescit & amarescit: grauat autem & flatus gignit, & neque posset facere quod Galenus fatetur, vt excalefactos refrigeraret, infrigidatos excalefaceret, nec transiret ex minimis portionibus medicamentorum calidorum, vt modici piperis aut pytethri ad caliditatem, si esset frigida, lib. de Marco, cap. 7. in fin. Hoc quanti est in opere quum secundum istos aqua illa refrigeret, constat autem experimento, quòd manifestè calefacit, & omissis argumentis coniecturalibus Aristotelis, de coniugationibus, quum elementum sit manifestè frigidum, id est, caliditate destitutum sua natura, adducam solùm id quod videtur verisimile, scilicet quòd aqua calefacta breui semetipsam ad propriam frigiditatem reducit, igitur non nisi ob naturalem frigiditatem. Sed quum hoc accidat in vino, pudet me eorum, reducunt enim se ad actum naturalem, quum omnia elementaria sint actu frigida, & à substantia & continente reducantur ad propriam qualitatem. Dico autem aquam esse frigidam, solùm comparatione ad hominem leuiter, etiam non simpliciter, quia est facta ad nutrimentum, & tale debet esse temperatum, & simile ei quod nutritur, frigida autem actu quum sit elementum, aër autem potestate non indiguit, actu autem frigidus: tamen quia tenuius, tum vt calorem animalium refrigeraret.

Primæ aquarum differentiæ sunt tres, imbrifera, quæ ex aëre: marina, quæ salsa est, & è terra orta, cuius duæ sunt species, naturalis, quam vocamus dulcem, & metallica vt aluminosa, ferrea, sulphurea. Imbriferæ sunt quinque species, pluuialis, grandinosa, niuosa, pruina & ros. At verò marium solùm vnum, quod Caspium vocatur, non communicat reliquis: sunt autem quinque, Sud, siue oceanus borealis: Nort, siue oceanus australis: ista tamen duo maria committuntur inter se, angustiis freti Margaliani iuxta antarcticum circulum, iuxta verò æquinoctialem magis minimo isthmo diuiduntur, adeò vt naues traducant Hispani ex vno in aliud mare Quartum est rubrum iuxta sinum Persicum & Arabicum. Quintum Mediterraneum, in quo Sicilia, Sardinia, Rhodus, Creta, Cyprus. Sextum est Pontus Euxinus, pars tamen huius maris, sed sita vltra paludem Mæoticam, ita Caspium seorsum est, oceani tres & duo Mediterranei, seu partes illius. Meritò igitur quæritur cum aqua marina & salsa langè maior sit quam dulcis: quare non potius aqua marina vera aqua censenda sit quam dulcis, seu fluminum, & lacuum: nempe & hoc membrum aqua quod à terra oritur, diuiditur in fluuios, & lacus, & stagna, & paludes, & fontes, & puteos, & cisternas, & riuos, & aquam collectitiam. Sub puteali plus continetur aquarum, quam omnibus aliis membris, quoniam tota aqua, quæ sub terra est. Dicemus ergo aquam maris non magis esse aquam quam terram, sed mixtum quoddam, sicut etiam terra mixtum est quoddam ex terra & aqua, in hoc superante terræ substantia in mari aquæ: quum ergo aqua etiam pura sit, scilicet quæ fluit: nam pura conseruari non poterat nisi flueret, idcirco verisimile est & terram puram esse, quam ex coniectura existimamus esse circa centrum duram, ponderosam, & vt dicebat Galenus, similem adamanti. De situ autem aquæ, quomodo permixta sit terræ opportunum est. Si enim aqua terræ permixta est, cur non descendit, cur non putrescit, & si fluit sub terra, cur non truduntur meatus illi, experimentum docet, quòd ipsa aqua sub terra fluit, vbi cauitatem habeat, sicut videmus in puteis: & propterea verisimile est quòd aqua perpetuò destillet sub terra, & vbi cauitates inuenerit sensim erodat, & humus dehiscat, quod verò est in mari, eleuetur à Solo & à ventis dispergatur, & descendat cum pluuia, & erit quinta vtilitas ventorum, non quòd aqua maris, vt quidam dicunt, per cauernas transeat sub terram, cum mare sit in humiliori loco, & vt

pars

pars ad partem, ita totum ad totum, partes ergo maris sunt humiliores partibus terræ, inditio est quod vidi in Scotia iuxta Endiburgum. Nam erat ibi fons prope mare, per vnum miliare dulcissimæ aquæ, & poterat deriuari à mari, vt dicunt, quia primùm ascendisset, si per latas venas etiam delata fuisset, non poterat esse dulcis: palam est ergo, quòd veniebat è montibus, & ita ascendebat, ergo aqua maris non diffunditur sub terra nisi paucis in locis, nisi quis dicat quòd descendat versus centrum in ambitu maris, & tunc non poterit ascendere vsque ad terræ superficiem, aqua præterea quæ est mixta terræ, est dulcis, & ideo terra non efficit eam salsam. Aristoteles autem censet in Metheoris, mare esse in maximè cauo loco, terram esse altiorem iuxta polos, atque ita paulò pòst docet quomodo conseruetur mare perpetuò in salsedine & magnitudine, in salsedine quidem, quoniam eleuatur dulcis aqua ad nubes. Salsi enim minima pars propter grauitatem ascendere potest: ergo quod relinquitur, perpetuò fit salsius: sed flumina influentia perpetuò faciunt dilutius, ergo mare remanet in suo statu, simili ratione quantum decrescit mare per id quod absumitur in pluuias, tantum crescit per id quod accedit ei ex fluminibus, ergo necesse est vt aquario descendat per terram, quoniam si dilueretur per aquas dulces, & quod salsum est detraheretur, dulcesceret semper, igitur in æterno tempore iam mare factum esset dulce. Supersunt pro generali cognitione aquarum duo, vires & natura, & de viribus tractat Hippocr. hîc: natura autem dignoscitur octo modis, ab ortu, & sic etiam de hoc tractat Hippocr. in isto libro: reliquos autem modos cognoscendi aquas Hippocrates non attingit hoc in loco, verum in Aphoris. & Galen. plenius in libro de Ptisana, ergo operæ pretium erit, vt hîc de illarum natura & modis cognoscendi generaliter loquamur. Dignoscuntur ergo aquæ ex quinque sensibus, experimento & ratione, ergo primum de experimento, quæ pota aggrauat, & non descendit, nec facilè sudorem excitat, mala est, contrà bona. Secundum experimentum, illa in qua coquuntur legumina, & reliqua facilè, bona est, in qua difficulter mala: tertium in qua descendunt grauia plus, vt ligna, illa bona est, in qua supernatant mala: quarta, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, bona est, quæ tardè, mala: quinta, quæ tardè putrescit, bona, quæ vix vnquam, vbi aër est bonus, vbi nulla animalia exanguia, vbi viscera animalium quadrupedium alba, vel rubra, i. pinguedo alba & rubra caro, & sine lapillis, vel arena, vbi pisces squamosi, candidi, viuidi, vbi ripæ multo gramine & valde viridi cum splendore, & flores odorati, & plantæ salubres, & boni odoris, nullæ noxiæ proueniunt vbi homines bene colorati & incolumes, bona: vbi verò locus expositus ad orientem, vel septentrionem, & aër est malus, vel homines vitiosi coloris & morbosi, & animalia plura exanguia, præcipuè pulices, & ranæ, & vermes, & animalia quadrupedia viscera habent malè colorata, vel vitiosa in compositione, ibi aquæ sunt malæ, ex sensibus autem à visu, quòd aqua sit clara, splendida omnino, pura, nullum præferens colorem, in qua non sint vermes, à gustu quòd sit suauis, frigida moderatè, nullum præferens prorsus alium saporem, quòd sit mollis, quòd palatum corruget & astringat: ab odore, quòd sit expers omnis odoris: ab auditu, quòd effusa multum strepat: à tactu, quòd sit leuis.

LECTIO XXXI.

Super

TEXT. XX.

QVæcunque igitur palustres sunt & stabiles, ac lacustres, eas necesse est æstate esse calidas, ac crassas, & olentes. Cum enim non defluant, sed aqua pluuia semper noua inferatur, & Sol vrat, necesse est ipsas decolores esse, & prauas ac biliosas: hyeme verò glaciatas & frigidas, ac turbatas præ niue ac glacie, vt pituitosissimæ ac raucosissimæ existant.

INcipit ergo tractare de ortu aquarum, vt dixi, & est octauum genus dignotionis, & totum sumitur ab immobilitate earum, ex qua fit, vt non repurgentur, nec refrigerentur, quæ duo sunt capita conseruandarum aquarum: refrigeratio enim conseruat substantiam earum, & motus repurgat, ergo si sunt sine refrigeratione & motu, necesse est vt perturbentur & corrumpantur, & à pluuia, & etiam à Sole, & à nimio frigore constringantur in hyeme, quibus tribus incommodis palam est nihil posse esse deterius. Sed dubium videtur quomodo ex motu debeant repurgari, quoniam motus impedit ne descendant partes crassæ ad imum: quinimò videmus per experimentum, quòd qui volunt clarificare aquas, sinunt eas quiescere diu, & sunt tres modi quies, destillatio & percolatio, ob id videtis quantis tenebris mundus vsque ad hanc diem redundauerit: & tamen videmus experimentum in oppositum ex aduerso, quoniam aquæ stantes sunt turbidæ manifestè, & quæ fluunt sunt claræ, & quanto velocius fluunt, vnde aqua Padi est turbida, quia leniter fluit: aqua Ticini est clarior, sed aqua Abduæ quia velocius fluit, quam aqua Ticini, est adhuc clarior, & ideo hæc difficultas est pulcherrima, tum ob contemplationem, tum ob vsum, scilicet quia quærimus quænam sit salubrior. Dico ergo quòd aquæ, quæ fluunt velociter, sunt per se turbidiores, sed per accidens, i. casu, vt ita dicam, clariores: nam in eo quòd aqua fluit certè remanet turbida, quia partes terrestres limosæ, cœnosæ, crudæ, pingues, & fila illa alba non possunt descendere, sicut etiam aëre flante flocci remanent in aëre, & similiter homines non ita merguntur in aquis currentibus, sicut in quietis. Sed quia in longo cursu aquarum fundus totus repurgatur à

partibus tenuibus, limosis, cœnosis, turbidis, crudis, relinquitur fundus, seu alueus fluminis solum refertus arena crassa & nitida & calculis atque lapillis. Et ideo aqua illa tota splendet & clarissima est, sicut experimentum docet. Quies ergo, vt quies est causa claritatis in aqua, quia quod limosum est residet, & sic repurgamus aquam permittendo eam quiescere. Sed tamen aqua quæ fluit velocissimo cursu, solum illa est pura & munda. Oportet tamen circa hoc duo animaduertere, primum quòd aqua, vt latior est & magis profunda, minus clara est, vnde riuuli sunt clarissimi, quia stricti & parum profundi, de aqua autem pura & impura, limosa & cœnosa locutus est Plin. lib. 31. cap. 3. vt non repetam amplius locum, maximè cum non dignus sit, vt in hoc argumento plurimum ei tribuamus, cuius non fuit institutum docere causas & diligentius prosequi medicinam. Sed tamen cuncta complecti & historiã scribere rerum naturalium, tum etiam humanarum, vt secum causas naturales afferunt, ergo aquæ istæ stantes, vt optimæ sunt in doliis, quoniam repurgantur, ita pessimæ in terra, atque ideo meliores facere oportet. Sunt autem, vt dixi, partim crassæ, partim turbulentæ, & partim corruptæ, omnia hæc tria vitia destilatione emendantur, & ideo dixit Doc. 2. cap. 16. Princeps secunda primi, vbi tractatur hæc materia, velut etiam tertia primi Doc. 2. cap. 7 & 8. inquit enim in priore authoritate. Aqua enim cocta, sicut testificati fuerunt sapientes, minoris est inflationis, & velocioris descensionis. Et torpidi quidem medicorum existimant, quòd aquæ coctæ subtile resoluatur, & ipsius remaneat spissum: vnde in coquendo ipsam non existit iuuamentum, quoniam spissitudinem in aqua augmentat. Et loquitur hìc de aqua cocta non destilata, coctio enim non repurgat eam, sed raram reddit, & ex corrupta meliorem, adeò vt destilatio in duobus melior sit coctione, quia repurgat eam, & magis immutat substantiam eius putridam, coctio autem rursus superat percolationem in duobus, & quòd substantiam eius immutat ex prauitate in bonitatem, & ex crassitie in tenuitatem, quòd ad repurgationem attinet, non adeò repurgat, vt percolatio, nisi auxilio quietis. Quies autem est inferior omnibus in purgando & corrigendo aquam, aliquid tamen prodest: debet autem destillari vitro, & coqui in vasis terreis, vitro oblitis, & etiam subsidere in illis. Percolatio autem, vt experimentum docet, quantò tardior, tantò melior: fit autem linteis & spongiis, & arena: sed quæ arena fit, melior est, adeóque valida & potens, vt si sæpius fiat, & per arenam tenuem densatam, sed prius bene lotam, vt sit immunis à puluere, inde siccatam in aliquot vicibus reddat aquam salsam ducem. De detrimentis igitur huiusmodi aquarum locutus est specialiter Galen. 1. de Tuenda sanit. cap. 11. Quum ergo tales aquæ sint paruæ trifariam, substantia corrupta, crassitie & putredine. Crassities autem substantiæ abundat in hyeme, vt ipse declarat: minus ergo detrimentum est talium aquarum in hyeme longè quam in æstate: tum quia minus malum est vt aqua sit crassa quam corrupta, vel terra referta cœno. Est enim triplex mixtio, quæ enim arena referta est, obstruit & generat arenam, sed non facilè lapides, quia non potest coalescere in lapidem: verum eiicitur sub forma arenæ, quæ verò est cœnosa, cogitur, quia lenta est, in lapides: & præterea gignit obstructiones, deteriores & febres, & hydropem, pessima limosa, i, cœno corrupto mista, tum quia coctione non facilè emendatur in vsu præparationis ciborum, quod non accidit in aliis. Quum ergo sint tres species simplices, densa est minus mala, seu crassa, deinde limosa: deinde peior est corrupta in substantia, quia generat febres pestilentes, & potest interficere breui. His omnibus derior est crassa & turbida, inde crassa & corrupta: pòst corrupta & turbida. Vltima est omnium pessima, est quæ est simul crassa, turbida & corrupta, vt sint septem species malæ aquæ, imò pessimæ: quanquam in hoc ordine etiam sit excessus & differentia maxima. Ostendit autem quòd tales sint ab odore, quia malè olent, & à calore, & à substantia, Adducit autem tria præcipua detrimenta hìc in isto textu, calidarum quidem, quòd biliosissimæ sint, frigidarum verò, quòd sint pituitosissimæ & raucosissimæ. Ergo de biliosissimis dicebat Hippoc. 3. de Victu in acut. text. 40. quòd aqua amarescit in febribus, & in biliosis transit in bilem: hic autem non supponitur quòd sint biliosi natura, sed solum quòd per corruptionem fiat biliosa: quod enim accidit in febrientibus à calore interiore, scilicet vt corrumpatur, & corrupta transeat in bilem, id accidit hic à calore externo. Circa quod notandum est, quietem facere in passo ad augendam actionem, sed in agente quoad qualitatem & per se: verùm ex consequentia quadam: &, vt dicunt barbari, per accidens natus est, causa augendi actionem, dum comminuit substantiam in minima: & hoc bifariam, velut in agente, vt magis penetret, & ita magis immutet, velut patientis substantia dissoluatur in minima: & ita magis recipiat mutationem & qualitatem ab ipso agente. Dico ergo quòd aqua transit in bilem facilem, plus quam vinum, licet sit calidius, quoniam primum vino est diuersarum partium: ideo ab igne & calore separantur, aqua autem est similium, & ideo putrescit. Igneus enim calor dissoluit heterogenea, & congregat homogenea. Vinum ergo, dissolutis partibus per calorem transit in acetum, aqua autem putrescit. Alia causa est, quòd calor externus efficit putredinem, naturalis prohibet: aqua ergo cum sit expers omnis caloris perfectè putrescit, in vino accidit actio mista ex vtroque calore, ideo vinum acescit, aqua perturbatur, aqua autem putrescit: putrida autem amara fiunt. Dicunt autem biliosum bifariam, & quod videtur tale ob saporem, & quòd verè biliosum est, i. calidum, siccum, corruptum, in quo sensu hic est intelligendum, vt in 1. lib. de Vict. in acut. Sed cum dicit, quòd hyeme tales aquæ sunt pituitosissimæ, palam est dum immorentur in præcordiis, quoniam sunt graues admodum, iecori inimicæ: iecur enim amat vinum, & odit aquas, nisi sit superca-

lefactum:

lesactum: in quo casu etiam peius est, quòd crudæ sint, vel quòd sint optimæ, aut dulces, veluti lacti saccharo, aut melli permistæ, & eædem pessimæ sunt. Ventriculus autem non eiicit illas, cùm sint ei familiares, neque enim reiicit quicquam, nisi concoctum prius, aut odiosum: & odiosum eiicit per vomitum: ideo tales non solet eiicere, cum verò fuerint pituitosissimæ, fiunt & homines raucosissimi, non solùm ob descensum crudi humoris ad arteriam asperam, sed ob impedimentum quod illi accidit ex simplici consensu gulæ cum aspera arteria & ventriculi cum pectore: licet Medici credant solùm ob primam causam id contingere, cum contingat maiore ex parte, & maximè supposito, vt hîc facit Hippocrates, hyemali tempore ex refrigeratione membrorum spiritualium, & illi attinentium. Circa verò aquas stantes quatuor præcipuè sunt earum genera, lacus, stagnum, palus, & collectitia quæ ex imbribus colligitur in cauis locis, quam nemo sani sensus etiam in ardentissima siti bibat, cum non solùm mala sit, sed pessima & horrida, aliarum lacustris minus mala est, quæ motum aliquem habeat, & à piscibus expurgetur: pessima palustris, quæ motu caret, neque temporis siccescit aliquando spatio: neque enim partes habet intercapedine distinctas, in quibus plantæ & terra eminent, his duobus à lacu palus distinguitur. Medium horum est stagnum, quod oritur à terra, & in hoc à palude differt, in quam aliunde influunt aquæ, & à lacu magnitudine, vt ita dicam, tantum: est enim stagnum exigua res, sed & in stagnum non influunt, nec effluunt aquæ, velut è lacubus solent, quanquam sint aliqui lacus, quibus nihil influit, neque effluit. Sunt tamen perpetua hæc omnia, licet, vt dixi, palus persæpe maxima ex parte siccetur, & ob id omnium pessima est, collectitia autem non est adeò mala, quia pauca est, nec est perpetua, sed in longis siccitatibus euanescit. Grammatici tamen ista confundunt nomina, sed sic propriè distinguuntur, & hic capi debent.

LECTIO XXXII.

Super

TEXT. III.

Bibentibus autem splenes semper sunt magni ac pleni, & ventres duri, tenues ac calidi: humeri verò & clauiculæ, & facies attenuata: in splenem enim carnes colliquantur, quapropter graciles existunt. Edaces autem esse tales, & siticulosos par est, ventrésque tum supernos, tum infernos calidissimos habere, vt etiam fortioribus medicamentis opus habeant. Atque hic morbus ipsis & æstate & hyeme familiaris est. Ad hæc etiam hydropes plurimi, ac lethalissimi fiunt.

Incipit docere specialiter morbos, eósque distinguit trifariam, vt in superioribus in Endemios, seu proprios ciuitati: communes tamen vtrique tempori, scilicet æstiuo & hyemi, & proprios æstati, & proprios hyemi: & quando iungit æstatem hyemi, seu commemorat communes, patet quòd intelligit etiam de vere & autumno, sed quando separat æstatem ab hyeme, pars morborum æstiuorum magis attinet ad autumnum, quam ad ver, aliæ ad ver magis, quam autumnum, & similiter hyemales. Ad distinguendum autem eos maximè oportet considerare materi m & prauitatem, & prauitas extenditur, vt sint lethales ac diurni: qui ergo sunt lethales magis ex æstiuis & longi ex hyemalibus magis pertinent ad autumnum: qui autem mites & breues ex vtrisque, ad ver: humida etiam materia & sicca maius & certius discrimen afferunt calida & frigida, morbi ergo sanguinei ad ver magis pertinebunt, & etiam pituitosi, quam ad autumnum, melancholici & biliosi ad æstatem magis quam ver: licet in actiuis sint dissimiles: non tantum quia calor & frigus facilius inuicem commutentur quam humidum & siccum: verum quoniam calor fouetur ab vtraque causa vt calore ob similitudinem, & à frigore ob antiperistasim & similiter frigus. Enumerat ergo inter morbos primi generis sex: nec ignoro in plures & pauciores posse deduci. Primum igitur proponit splenis seu lienis magnitudinem ac densitatem, scilicet quòd pleni sint. Lien, vt habetur lib. 4. de Vsu part. cap. 15. trahit quidquid feculenti est, excernente ad ipsum iecore, & nil mirum est cum imbecillis fuerit, quòd non trahat, licet tamen iecur transmittat: quod igitur antequam debilitetur in causa est vt plus trahat, quam conueniat, & vbi traxerit, vt non reiiciat & expurget: hæc duo enim necessaria sunt, si debet intumescere ac impleri, scilicet vt trahat plus quam debet, & attractum non emittat. Vtinam Galen. hæc ipsa nobis declarasset: sed facilè est secundam diluere dubitationem, modò primam admittamus, cum enim plurimum fuerit, quod attraxerit, in debito tempore concoquere non potest, quare repletum diutius manet, neque enim secernit antequam separauerit, nec separare potest, donec assimilauerit, nec assimilare, donec concoxerit: ergo cum antequam secernatur alia portio, superueniat necesse est impleri & tumescere, ac maiorem fieri. Cur verò attrahat, plus quam necesse sit, non id ab initio in causa est, quod solum iecur transmittat, cum Hippocrat. doceat, hos motus fieri ab vtroque membro, vno impellente, altero attrahente. Et rursus Galen. idem fatetur de ventriculo erga iecur, tum etiam de iecore erga cor: videtur tamen vbique subterfugisse Galenus hoc, vt fateretur membrum membro transmittere aliquid, sed solum expellere superflua, aut per loca exitus, vt ventriculum ad intestina: aut per villos non propria vi expultrice: vt iecur ipsum non ad renes quicquam aut ad lienem transmittat. Dignus sanè qui à tota posteritate odio habeatur, cùm vt ne Erasistrato subscriberet, expultricem facultatem principium transmittendi vrinam ad renes asserenti, tam pulchrum & necessarium dogma prodiderit,

prodiderit, scilicet membra membris mittere, & si non ad exitum properet, quod secernitur simul, & ab illis trahi, vt ex illis duobus motibus, vt de fabris secantibus ligna serra, vna operatio perficeretur. Quærendum est igitur quomodo trahat membrum cùm adhuc valet plus quam illi conueniat, neque subterfugiendum, vt dicamus solùm id accidere, quod iecur plus iusto illuc transmittat: nam si lien recipere non vellet, imò non traheret ad alia loca iecur, quod superfluum esset, impelleret, scilicet intestina, cutim: nam hæc, etsi non adiuuarent attractionem, saltem illam non impedirent: at lieni si succus ille odiosus esset, lien repelleret, ob id ergo trahit, vt emptor malas merces: è quibus plus emit quia debita quantitas ob impuritatem & vitia non ei satisfaciat, ergo ita est de liene, cùm sanguis limosus plurimus est, non ob id lien ipsum trahit quod ei non expedit, sed quoniam debita quantitas ei non sufficit, neque solita plus trahit: vúltque potius superesse quod reiiciat, quam deficere proprium alimentum. Cum verò iam imbecille factum fuerit, tum multipliciter vitiatur, & intumescit: attrahat enim plus ob concoquendi imbecillitatem, & ob alimentum vitiosum, quod quantum opus est non subministrat, & diutius retinet, & non expellit tempestiuè, sed à nona fece impletur, cúmque fex adhuc deterior sit, aut nimia, expellitur per aluum, nec lien tamen exoneratur, prauum signum est: scilicet maximæ corruptionis iecoris id generantis, & lienis recipere non potentis: & ideo res iam est in præcipiti: fit autem hoc sensim, confertim autem cum lien se expurgat.

Et ventres duri, tenues & calidi.] Dici solet lienem esse Fisci instar, qui cum ditescit, exhaurit ciuitatem: ita lien cùm intumescit, cum sanguis corruptus sit, contabescit corpus, vt in lib. de Locis in hom. Ex iisdem splen efflorescit, & corpus contabescit, non quod ob lienem hoc accidat, quanquam & id ad hoc adiuuet, sed cum lien intumescat ob id quòd sanguis corrumpitur, primum venter gracilescit omento, dicit, extenuato, & in eo pinguedine colliquata, sanguis enim putrida ex aqua genitus, in adipem concrescere non potest: fit enim adeps ex sanguine frigido humido, puro & dulci, præcipuè bonus & candidus adeps, vt in iumentorum extis. Cum verò adeps euanuerit, & sanguis concalefactus fuerit, concalescit venter, & à calore putrescentium humorum in liene quod ibi est per venas exprimitur, partim non receptus humor limosus à iecore transmissus non recipitur ab eodem liene, sed dispersus per venas mæsaræi, quæ à caua iecoris veniunt, durum efficiunt ventrem. Cum ergo multis modis contingat imaginari hæc tria contingere, velut vt calor sit causa gracilitatis & duritiei, vel durities gracilitatis & caloris, aut gracilitas & calor duritiei, vel septimo modo, vt omnia hæc ex intemperie & prauitate aquarum pendeant, sed solum: vel quòd omnia hæc ex prauitate aquarum fiant, tamen à liene & mutuò se adiuuent, hic modus vltimus omnium verissimus est, nam etsi à splene omnia deducas vt sit nona hæc expositio, assentiátque id quod dicitur 6. Epidem part. 2. text. 40. quibus lien est decliuis, pedes & genua calida sunt: sed non de ventre primum loquitur. Deinde constat putredinem sanguinis esse causam caloris, & etiam extenuationis, & calor duritiei alui, resoluto humido. Liquet igitur, cum huiusmodi habeant plures sensus ac multiplices, omnes vero esse, ideóque etiam defendi posse, túmque præferendum illum, qui cum litera conuenit, atque ex ea pendet: scilicet vt ob aquarum corruptionem atque crassitiem id eueniat, nam si ad solam crassitiem referretur, esset morbus hic hyemalis.

Humeri verò & claviculæ, & facies attenuata: in splene enim carnes colliquantur.] Ostendit aliud est eisdem: scilicet quòd liene aucto hæc membra extenuantur. Galen. in lib. de Marcore, cap. 5. dicit, quòd in maxima & diuturna fame membra omnia interiora extenuantur, præter cor & iecur. Quòd autem citius absumatur, non dixit: verùm videtur innuere quòd cor sit vltimum: quoniam quicquid est boni, prius ad se trahit, quam animal pereat, & hoc etiam verisimile videtur, cùm sit vltimum quod pereat, teste Philosopho. Videmus enim sanguinem totum ad cor contrahi, & in iugulatis animalibus iecur sanguine vacuum inuenitur: cor etiam, vt in suibus, quanquam vulneratum, non est prorsus sanguine vacuum. Attamen, vt dixi, in fame non plus iecur extenuatum inuenitur ipso corde. Sed iecur quidem persæpe corruptum inuenire licet, cor numquam. Quòd ergo Galenus aliena recitet, haud dubium est: & ob id progressus est eousque, quousque & illi à quibus accepit progressi sunt: nos autem dicimus cor minus extenuari quouis alio membro, & hoc quoniam cum motu magno & calore multo præditum sit, cum ad mediocrem peruenerit extenuationem interit, iecur autem viuere potest: non ergo iecur magis extenuatur, quia imbecillius: sed quoniam longiorem extenuationem, ac maiorem sustinet, cor enim etsi iecore in attrahendo validius sit, non tamen cor procul validus trahit à iecore quam iecur quod habet retinet. Et ob id in his qui à venarum lethali sectione restituuntur, vt Paulina Senecæ vxor, in posterum pallor in vultu, & imbecillitas in iecore perpetuò conspicua sunt: adeò vt si non recta victus ratione vtantur in ascitem facilè transeant. Primum ergo robore membrum est cor, secundum iecur: hæc enim calida sunt, & sanguinem concoquunt etiam aliis: tertium est ventriculus, quoniam & ipse concoquit aliis, & cibo primo vtitur. Quartum est cerebrum, ob nobilitatem ac respirationis necessitatem, sine qua homo viuere non potest, tum sensus, & rationem, & motum, & multitudinem venarum, & arteriarum, ac earum magnitudinem: pòst pulmo tum ob necessitatem, tam cordis à quo duo vasa recipit propinquitatem. Sexto loco sunt lien, renes & intestina, sed intestina serius ab inedia, lien à sanguinis profluuio exinaniuntur renes celerius vtriusque & vtroque modo. Septimo loco sunt vesica vrinæ & membranæ pectoris & cerebri, & vesica fellis. Octauo

musculi.

musculi, quod ad illos veniant venæ grandiores. Nono, caro propinqua ossibus, tenuis, qualis dicta est humerorum & clauicularum, ideo hæ primum partes attenuantur, quòd id quo nutriri debeant ad lienem mittatur, & ab eo trahatur & colliquescat: ita ergo ordine conuerso singulæ partes magis extenuabuntur, hæ musculosis musculi membranis interioribus, membranæ renibus, renes liene, si non patiatur aliquid & intestinis, hæc pulmonibus, atque ita deinceps. Sed de facie aliam peculiarem oportet inire rationem, cum octauo loco, non nono collocanda esset. Facies enim macilescit celerius, quoniam sanguine tenui nutritur: hîc autem celeriter resoluitur: vnde splenetici omnes etiam mali coloris sunt.

Edaces hos autem esse & siticulosos.] Dictum est superius text. 8. lib. 2. quod qui multum edunt, non possunt esse bibaces, aut ergo intelligit, quod hyeme sint edaces, æstate bibaces, aut solùm habeant affectum, non effectum. Constat sanè plerosque lienosos esse edaces: fuit enim mihi parasitus lienosus admodum edax, quod contingit refrigerato ventriculo. Si enim lien repletus sit naturali melancholica, esuriunt multum: si horrida & putrida prorsus abhorrent cibos fœtidos atque corruptos, quod verum est, etiam de quartana laborantibus atque insanis, adeò vt in his fermè nunquam seruetur mediocritas. Sunt etiam siticulosi eadem ratione qua hydropici: non ergo absurdum est laborare illos vtroque appetitu, sed corrupto. Hippocrates autem vult, non licere vt sint edaces & bibaces secundum naturam. Sicut enim homo simul calidus & frigidus esse non potest secundum naturam, præter naturam autem rigent homines, & vruntur, vt in epialis, lipyriis, vstione post gelu, ita & de fame naturali & siti, ac præternaturali dicendum erit: vt sit tertia expositio, cui nihil repugnat, quòd sitis æstate, fames hyeme augeatur.

LECTIO XXXIII.

Super eodem

TEXT. III.

V*Entrésque tam supernos quàm infernos calidissimos habere.*] Docet quòd tales habent ventres supernos, id est, caput & pectus quam infernos, qui sunt infra septum transuersum, ventriculum scilicet, & intestina calidos & duros, adeò vt medicamentis validioribus indigeant: siquidem errhinis apophtegmatismis, catapotiis pro cerebro, eclegmatibus & potionibus pro pectore expurgando, cæterísque pharmacis tam purgantibus quam lenientibus vsque ad enemata & glandes.

Hoc primum videtur contrarium his quæ dicta sunt superius: quoniam lienosi habent partes inferiores calidas, superiores frigidas: sed hoc, vt dictum est, declarat, non auget dubitationem, scilicet quòd eiusmodi hominum sanguis ex putredine incalescit, ideóque ventres fiunt calidiores, ergo febricitant, non est vt credas hoc, est enim modus putredinis absque febre, cum humor crassus & lentus incipit corrumpi, vt in huiusmodi lienosis accidit. Sunt & qui per atrophiam toto corpore incalescant: hi autem atrophia laborant, vel etiam vera hectica: cùm ergo sint tria genera hominum lienosorum, verum erit de omnibus quòd erunt calidi iuxta omnes ventres. At dices, Si calidi non habebunt aluos duros, hoc enim proprium est refrigeratorum, vt superius visum est. Et enim dicit text. 7. lib. 2. quòd ciuitates expositæ ventis frigidis, habent aluos duras, & si dicas quòd eiusmodi habent ventres calidos, vt in Aphor. 15. part. 1. tunc incidis in aliam cassidem: nam in authoritate superiori, de regione quæ respicit boream & ventos frigidos, dicit quòd habent ventres superiores fluidos, ergo non duros. Respondeo quòd calor est quintuplex: naturalis magnus, qui efficit omnia opera naturæ optimè, & ideo mediocriter, vt 1. Aphor. Comment. 14. contra naturam, putridus, aut semiputridus, vt in præsenti casu & febribus ardentibus, vel hecticis: & hic magnus semper est, quantumuis paruus, quia præter naturam: & ideo astringit ventres, cum exsiccet illos. Venenosus, & hic etiam semper est magnus eadem causa: & tot habet proprietates molliendi, vel astringendi hunc, vel illum ventrem, quot sunt venenorum genera, seu species. Quartum genus est caloris ab aëre frigido cogente calorem intrò: & hic mollit ventres superiores liquando, & duros reddit inferiores, tum quia siccat, tum quia opus musculorum comprimentium impedit. Quintum & vltimum genus est caloris aërei, & hic per se humidus reddit aluos, quia colliquat: si tamen siccitati iungatur, exsiccat, idem dico de ventribus superioribus. Quòd verò subiicit indigere illos medicamentis validis, per se perspicuum est: nam si durum habent aluum, medicamentis ad mouendum quod difficile mouetur, indigent. Qui ergo eiusmodi indigent medicamentis, operæ prætium quasi per ocium erit edocere. Primum igitur qui splenem habent magnum & durum, duram habent aluum, tum ob putredinem: tum quia splen refrigerat intestina & musculos epigastrij. Secundò, melancholici omnes, quoniam in eis frigus & siccitas dominantur: & quoniam humor ille difficulter eiicitur: & quoniam quia durities alui plerunque est causa melancholiæ. Tertiò, qui habitant in locis ventosis: siccant enim venti corpora interius, & maximè feces, vt exterius. Et ita qui in montibus habitant, tum ob id, tum ob frigus, tum ob cibos duros, & aquas crudas, & quia multum exercentur, duras habent aluos. Quartò, qui multum exercentur, & maximè iuxta ignem, fabri ferrarij: vel in Sole, vt rustici & venatores, duras habent aluos. Quintò, qui habitant in regionibus aridis, aluos habent duras, vnde Hispani & Afri. Sextò, qui habitant in locis valde frigidis, & potissimè borealibus, hi habent duras aluos: velut Germani & Sarmati. Septimo, qui vtuntur cibis crudis ac duris, vt Iudæi. Vnde dicit

dicit Barsauolus, qui plures ex illis curabat, duplo illos ac maiori etiam pondere indigere. Octauò, senes maximè decrepiti, quoniam à siccitate siccantur, à frigiditate constringuntur, ab imbecillitate redduntur immobiles. Nonum est, cum materia fuerit lenta & crassa. Decimum, cùm fuerit procul, vt in articulis, vtero & pulmone, & etiam cerebro. Vndecimum est eorum, qui omnino non se exercent, sed perpetuò sedent, vt textores, tum maximè quòd exercent membra superiora. Duodecimò, in his qui pauco cibo vtuntur, & pauciore potu. Vltimum est proprietas quorundam hominum & familiarium.

Ad hæc etiam hydropes plurimæ, & lethalissimæ. [Dicit illa consequi æstate & hyeme, quæ non numerantur propriè inter morbos: hîc verò docet propriè de morbo maximè lethali, genere toto, tum etiam in his, ob id hæc adiecit lethalissimæ. Propterea de quo genere primum intelligat, dicendum est. Videtur autem de ascite intelligere, tum quia ab aqua nomen hæc sumpsit, vnde hydrops dicta sit, tum quia tympanitem siccam appellare consueuit, vt in illo Aph. 4. part. 11. quibus tormina & circa vmbilicum dolores, tum etiam quòd hæc species propriè vitio lienis procreari solet, tum demum, quòd eadem sit lethalisma. An quòd de omnibus generibus lethalismis intelligat, scilicet ascite & tympanite? nam ascites fit liene iecur impediente, tympanites eodem refrigerante ventriculum atque idem amplecti sensum & res Hippocratis, non verba. Quispiam ergo iure merito dubitabit, cur cum hydrops, maximè ascites, fiat iecoris vitio, imò non nisi iecore affecto, 5. de Locis, cap. 7. pag. 2. ex liene dicat plures fieri hydropes, ac maximè lethales. Igitur quòd hydrops quæ cum liene duro est, aut pleno, aut magno sit periculosior, quam quæ à iecoris vitio fit, qui ignorat, sit logicæ expers saltem nostræ, haud dubium esse potest, nec est ratio perquirenda medica, sed dialectica. Supposito enim quòd hydrops non sit nisi vitiato iecore, seu scirrho, seu imbecillitate, seu quauis alia causa cum adiungitur, præter id lienis vitium quoduis tanto necesse est morbum fieri grauiorem: nam & si addas lienis morbum, non tamen tollit vitium iecoris illud quòd est causa ascitis, seu durities, seu quoduis aliud. Duo ergo adduntur mala, ipsum lienis vitium, quod curare oportet, & consensus cum iecore, vt curari non tam facilè queat, & vt celerius perimat ægrum. Iam & si hæc tamen clara sint, duo tamen dubia restant: vnum quòd plurimæ fiant hypropes, quódque non necesse sit eas esse lethalissimas: vtpote quæ pendere possint ex affectu in liene, non per se, sed per lienis consensum: at tum minus erunt periculosæ. Propter hoc igitur dicimus, iecur etiam in his affici: atque idem cum dixit, iam ventres duri, tenues & calidi. Sed cur non appellauit iecorarios, vt splenericos? quoniam splen manifestè quidem eleuatur, iecur non ita, sed raró, & in paucis admodum. Vnde apud Hippocr. inuenies in Epid. 25. spleneticos, iecorarios vix 3. aut 5. Quid ergo est in causa cum latera parua sint, dextra atque sinistra? quoniam primum splen magnis tumoribus celerius afficitur, quod excrementoso sanguine repleatur, ac nutriatur, iecur autem bono & longè tenuiore. Est etiam lien minus atque magis suspensum mendosis costis, iecur autem reconditum: & si scirrhus in vtroque fiat in iecoris substantia densiore & crassiore magis latere potest: in liene non potest. Et etiam quia qui iecur durum habent antequam eò perueniant, vt adeò durescat, & attollatur, in hydropem perueniunt: vnde tumor absconditur & & latet in profundo. Quibuscunq; ergo vitium iam est in iecore, his cum accedat ascites, adiecto tumore lienis, hi magis periclitantur, & totidem numero sunt, quot qui lienis vitio vacant, & sunt ascitici, qui verò ex consensu solùm iecoris cum liene in asciten deuenerunt hi iam priori numero adiiciuntur: sunt ergo plures numero, quam si sine lienis, vitio ascites fieret. Sed & periculosiores, quoniam qui ex iecore in asciten decidunt, periclitantur solùm vel cum scirrhus in iecore confirmatus fuerit, aut cum morbo acuto ascites successerit: seruantur autem ex fluxione aut retentione hæmorrhoidarum, ex malâ victus ratione, ex fluxu epatico sanato, ex imbecillitate iecoris non magna, quæ propter diuturnum morbum accidit: at ex consensu lienis si fiat cum iecoris proprio affectu adhuc sumus in casu duplicis causæ ascitis, & periculo maiore: si autem sit ex solo consensu, cum oporteat causam esse magnam & iecoris vitium, erit necessariò lienis vitium maximum. Si ergo tale iam fuit, vt posset euertere iecur cùm sanum erat, multò magis illud lapsum iam impedire poterit ne sanetur, habebimus autem tria difficillima, morbum qui genere est contumacissimus, quíque impedit curationem suæ causæ, & causam causæ maximam, vt diximus: tumores enim lienis non nisi longo tempore sanantur: impediuntur autem ab aqua iam effusa: quod igitur pauci animaduertunt, & pauci rursus credunt, ascites vitio lienis orta frequentissima est, & periculosissima, euenit in his regionibus atque id totum pendet ex hoc iā quòd habet causam necessariā secum, id est vitium iecoris. Vnde reliqua quæ adiiciuntur non commutant causam, sed sunt tanquam additamenta. Colligitur autem in ascite aqua, in tympanite autem flatus, in eisdem locis, scilicet inter peritoneum & omentum: & vtroque modo redditur periculosissimâ: si ea quæ de iecore diximus in ascite, dicamus de ventriculo in tympanite. An verò ascites sit tympanite periculosior, minimè locus est vt hîc disputem, sed in contradictionibus dictum, sed de hyposarca constat quòd leuior sit, & ob id de ea non intelligere perspicuum est. Fiunt ergo ascitici, quoniam morbus hic contingit calore naturali, imbecilli, & præter naturam inducto, vt in Commentariis super Prognostica dictum est: at hi habent durum & gracilem ventrem, igitur calorem natiuum, imbecillem, cum verò calidum etiam, vt diximus, & non natiuo calore, patet hanc vnam esse causam ascitis, 13. Art. vi, cap. 16. altera est ob lienis tumorem, qui cum non possit recipere limosum sanguinem iecoris amplius, & ipse calefactus calefaciat iecur, tū venulas omnes & arterias

ipsum

ipsum corrumpit, & vt aquam prauam & putridam generet, efficit vtq; ea non recipiatur ob id à renibus, atque ita collecta effluat in spatium ventris, & ascitem generet. Tympanites verò calefacto similiter ventriculo, & calore naturali euanescente: siquidem dictum est de ventre, quòd sit durus & gracilis, eodem modo flatum gignit, non aquam, nam ex quauis materia flatus efficitur, non auté aqua corrupta, ideo ad tympanitem perueniunt, non quidem flatu in ventriculo genito: ille enim extrudi solet ructibus & peditibus, sed humido quodam tenui per substantiam ventriculi defluente. Afficiuntur autem, vt manifestum est in hoc casu vtraque membra, & ideo etiam ascites fit tympaniti iuncta est tympanites non sine ascitide: quod contingit in his qui ex lienis vitio in hydropem deueniunt: secus autem à iecore ascites, à ventriculo tympanites: non tamen prorsus sine aqua contingit, rariúsque tympanites ob id sine aqua, quam ascites sine flatu fit: quanquam conuersa ratione, rarius ascites cum multo flatu fiat, quam tympanites cum multa aqua: interdum tamen quasi ex æquo fiunt.

LECTIO XXXIV.

Super

TEXT. IV.

AEstate enim dyssenteriæ multæ ac alui profluuia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropas deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi ipsis æstate fiunt.

AN tormina Latinè sint dyssenteriæ Græcè, vt credam non facilè adducar, sed potius difficultas intestinorum dicenda est dyssenteria, vt etiam nomen ipsum significat.

An etiam omnis cruenta excretio seclusis hęmorrhoidibus debeat appellari dyssenteria hoc non admodum se offert, sed disquisitione opus habet, eámque diligenti. Galenus 12. Methodi, cap. 7. proponit duos morbos esse maximè notos, dicens, non idem in aliis exigi, & dicit esse morbum lateralem, & dyssenteriam: ergo dyssenteria, vt Iachinus existimat, cap. 58. exposit. super Almansorem ob id laborem intestinorum significat, quia cæteris morbis intestinorum & si acrius laboré coli dolore, velut & ilei, nullus tamen morbus commune nomen omnibus intestinis habet, qui sit illi proprius, vt dyssenteria.

Est ergo vlcus intestinorum propriè, seu dum factum est, seu dum fit impropriè, vt 3. de Sympt. causis, cap. 2. triplex, vnóque nomine omnes comprehenduntur: scilicet non legitimæ, seu cruentæ. Prima est quum sanguis purus exit tempore, & per circuitus, plerunque coaceruatur, quòd aliter antea soleret distribui, vt suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus, vel sanguine narium, vel abscisso crure, aut brachio, aut fistula sanata, aut scabie, vel lepra, ídque annotandum in hoc casu, quòd huiusmodi dyssenteriæ sanguinem saniosum euacuant, & non purum, súntque deteriores, in scabiosa autem adest serosa pars ac tenuis multa, atque erodens. Secunda est, quum ex liene defertur sanguis splendidus, ac niger, non tamen erodens à liene. Tertia, quum sanguis aquosus cum fecibus in epatico fluxu. De vera quum sit cum vlcere intestinorum, dubium non est quin faciat dolorem, neque mirum est. Et erosio fit vel à flaua bile, vel à bile quauis exusta, vel à pituita salsa. Dicebat Princeps 16. tertij, tract. pr. cap. 2. pag. 3. vlcera fiunt in intestinis à bile flaua in duabus hebdomadibus, & à salsa pituita diebus xxx. & à melancholia diebus xl. & sumpsit hoc à Rhasi, 13. contin. tract. pr. & quomodo ergo potest incipere dyssenteria statim ab atra bile, vt 4. Aphor. 24. id ergo plerunque contingere solet.

Arabibus connixis ad quandam methodum res redigere, & possunt quidem sed non adeò facilem & ordinatam, vt ipsi rebantur. Galenus autem Comm. 2. & 3. putat quatuor esse causas dyssenteriæ: duas, quas ibidem expressit, tertiam verò & quartam in sexta particula eorundem Aphorismorum bilem flauam, & bilem exustam, ac atram, ichores maximè biliosos & pituitam salsam. Illud verè refertur à Iachino quod & à Galeno 6. Aphorismor. Comment. 1. sumptum est, tinesmum scilicet & dyssenteriam ab eisdem causis fieri, atque in tinesmo vlcerari [illegible] in dyssenteria intestina. [illegible] etiam valdè ad rem, vnamquámq; dyssenteriæ veræ speciem tres habere ordines, cum mucus sanguinolentus exit, & hoc est initium: cum interioris tunicæ pars cum multo sanguine educitur, túncque iam magnus est morbus, & confirmatus: quum exit tertia tunica, & tunc est tempus vltimum, & æger fermè conclamatus. Curari ergo debet æger primo tempore: sed hoc rarò succedit, quòd tum causa valde viget: plerique curantur in secundo tempore nam in tertio exigua est spes. Iam verò dubium est cur etiam in dyssenteriis epaticis quum sint citra vlcus, doleant intestina. Causa est, quoniam licet non sit vlcus, magna tamen vi contenta exprimuntur, & quæ exprimuntur, cruda sunt, ideo tum propter conatum, tum intemperiem, quæ eiiciuntur dolorem mouent: nam & in plerisque diarrhæis dolores adsunt ob eandem causam, quæ enim expelluntur, sunt immodicè calida, vel frigida, vel sicca, & ideo ab initio quandoque sunt sine dolore, post autem dysséteriæ & alui profluuia dolorem pariunt: quia intemperies augetur, vnde eadem causa transeunt profluuia successu temporis in dyssenterias.

Quum verò sit intentio in hoc textu docere de tribus morbis, qui æstate ob potum huius aquæ abundare solent, dyssenteria, alui profluuium, quartana diuturna: secūdò, quòd hi morbi producti hydropem generant: tertiò, quod ex hydrope pereant: & prima pars, vt dixi, contineat tres morbos, quorum generationem explicare oportet, fiet vt explanatio ipsa exigat sex partes. Profluuia verò alui dicuntur, quum multa materia deiicitur

deiicitur pro quantitate ingestorum & sine sanguine: nam genus illud iam explicatum est. Pleraque autem alui profluuia sunt, cum multiplici numero deiiciendi, maiore quantitate & liquidioribus excrementis. An autem multitudo secum non multiplicato numero, nec substantia variata, vt quum corpus est siccum & parum nutritur, debeat appellari fluxus ventris, vel profluuium: istiusmodi magis pertinent ad nominum quàm rerum inquisitionem, in declaratione autem causarum fiet manifestum. Diuiditur autem alui profluuium in intestinorum leuitatem & diarrhæam: quia vel illud quod eiicitur est humor, & fit diarrhæa, vel cibus incoctus & sic est leuitas intestinorum: & diarrhæe quidem materia defluit: aut ob causam externam, venenum, cibum, aut potum, & aërem: aut ob crisim: aut à membris, quæ sunt quatuor principaliter, ibid. 3. tract. 1. capit. 2. in princ. iecur, lien, caput, & totum corpus, nam à mesaræo, intestinis & ventriculo est quasi mixtus. Dico quòd à ventriculo vt chilosus attinet ad intestinorum leuitatem: ab intestinis similiter à mesaræo est similis epatico: & raro spoliatur à sanguine. Et qui fit à cerebro, est similis chiloso: qui à iecore plerunque fit ex flaua bile, & est duplex densa, & est periculosior, & vt icchor, & est difficilis sanationis, & à liene cum nigra deiiciuntur multa, & sæpè: à toto autem humores continet plerunque, licet quandoque vnus tantùm appareat, qui superabundat: est etiam diarrhæa *pinguis*, quum corpus non nutritur, & est à toto & exitialis, leuitas intestinorum simplex est quum humidus cibus ante coctionem, quam antiqui putrefactionem appellant, deiicitur. Et sæpe sociantur hæc duo genera, vt fluxu cerebri, ventriculi, & in fine longarum diarrhæarum & leuitatum intestinorum, quorum prioris est causa manifesta, debilitato ventriculo ob intemperiem iecoris & humoris illuc transmissi: sed & post longas intestinorum leuitates solet sequi diarrhæa, huius causa (licet obscurior) est quòd exinanitum iecur cogitur trahere cruda, licet inepta, quæ dum conatur concoquere, transmutat in formam quandam humoris fœtidi.

Et quartanæ diuturnæ accidunt ex his aquis. Sunt diuturnæ per se, quoniam qua ratione quartanæ fiunt ex humore terreo, qui non potest putrescere nisi in circuitu septuaginta horarum: igitur nec celeriter conquoqui, difflari, atq; expelli, omnis enim quartana longa est natura. Sed quum dixit quartanas longas, aliquid plus voluit quàm naturæ omnium quartanarum longitudinem significare, velut in Aphorismo 25. illo, æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt: autumnales verò longæ, & maximè quæ ad hyemem tendunt. Sunt autem quartanæ breues trifariam per se: ex casu autem & arte vno alio modo. Natura quum ex flaua bile tenui, pauca, exusta fuerint, vt in fine quarundam tertianarum, adeò vt persæpe finiatur in viginti accessionibus, vel si calor æstiuus colliquet materias, vt dictum est, vel si materia pauca admodum sit, & corpus robustum, & origo non naturalis. Fit etiam breuis quum semel intermittitur, vt in magnis timoribus, & exercitatione corporis: hoc enim aliàs est declaratum: Communis autem terminus est centum viginti accessionum: sin pauciorum breuis, si plurium longa, liquet ergo quum dixit diuturnæ, intelligere illas esse ex materia haud calida exustáve multum, sed crassa, ac lenta.

Qui autem horum omnium rationem venari voluerit, ad ea verba se reuoluat superius posita: text. 2. Necesse est ipsas decolores esse, & prauas, & biliosas. Et generaliter hæc consequantur, quoniam tales aquæ corrumpunt actionem ventriculi & mesaræi, & iecoris: & ideo corrumpentur etiam humores, nec bonus sanguis generabitur: qui secernentur aut acredinis expertes, & fient alui profluuia: aut quum acres sint dyssenteriæ, aut retinebunt donec putrescant: atque ita aucto liene tandem putrescent, generabúntque quartanas & diuturnas, omnes enim in hoc authores consentiunt, quòd vitiato liene si fiant quartanæ, continuè affluente materia erunt diuturnæ. Nec in hoc est difficultas, nisi quòd aliquis dicere posset, Nonne alij etiam morbi possent generari, vtpote laterales, peripneumoniæ, phrenitides & hemitritrei? Dico quòd ipse distinxit, vt etiam ab initio docui, morbos aëris qui sunt communes pectori & capiti, à morbis aquarum qui propriè conueniunt membris naturalibus. Sed & febres acutæ ab aquis non solent fieri, quoniam generantur humores frigidi: febres autem acutæ fiunt ex humoribus calidis, atque relinquuntur quotidianæ. Sed hæ sunt rariores, vt tandem res redigatur in hos tres morbos, quos generant aquarum vitia. Aquæ enim corruptæ propriè corrumpunt omnes humores, & augent ichores in illis, etsi natura robustior fit, exonerat se profluuio ventris, si humores acres dyssenteria: aliter generant tumores splenis ex quibus quartanæ exitiales.

Commutantur hi tres morbi in hydropes, videndum an vna ratione, an diuersis: an in vnum genus, an in plura, neque primùm dubium esse potest, quia plerisque hæc commutatio non fiat ex aquis corruptis in ascitem, cùm aqueum excrementum ob corruptionem non trahatur à renibus, & ideo vel miscetur sanguini, & illum totum vitiat, ideóque corpora horum, qui sic tendunt ad hydropem grauantur, contabescunt, fiunt mali coloris, & sitiunt, vel retinetur in iecore, & generat vesicas illas, de quibus Hippocr. 7. Aphorismor. 49. Quibus iecur aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur. Vnde hoc genus priore lethalius est. Sed & illud pro constanti haberi debet, harum omnium hydropum initium esse ab alba pituita: quum enim, vt dixi, vitiatus color, sitis infestat, corpus attenuatur, homo grauis redditur, iam par est non bene nutriri pedes & tumere, ac ædemati simile quippiam pati, omnibus igitur hæc sunt communia, permisceri autem flatum aut plus, aut minus, vt vis ventriculo fuerit imbecillior: hoc est non omnibus commune, nam flatus propriè consequitur primam coctionem,

coctionem, quæ in ventriculo celebratur, & consequentia, vt quæ in intestinis: iecoris autem imbecillitas generat aquam, ideo si vtraque careat prauitate, ructus & crepitus ventris ex prima, vermia multa ex secunda generantur. Sed si vitiosum fuerit, & cum caliditate externa iunctum quod gignitur in prima coctione non iam aër & flatus, sed vapor densus, qui venas & arterias permeat, fit in secunda ichores, qui à renibus non recipiuntur ob corruptionem: vnde tympanites ex vno, ascites ex altero accidit. Cur autem primam coctionem aër aut flatus, aut vapor consequatur, in secunda autem aqua, non est arduum inuenire: nam flatus fit à materia tenui & calore vehementi: nam etsi castaneæ in igne crepitum edant, humor tamen earum ignis comparatione non solùm tenuis est, sed tenuissimus: vtraque autem ventriculi coctionem conueniunt: vnde etiam locus ventriculi multò calidior est coctionis tempore quàm iecoris: in iecore autem ebullitio non fit, neque, feruor, sed calor multus, remissus, quod concoquitur viscidum & crassum adeò, vt antequam homo resoluat in flatum cùm indigeat calore feruido, qui non adest, absumitur ab eodem. At diarrhϾ præsertim, aut epaticæ, & à toto, & à liene in hydropem terminatur rarius quæ à cerebri destillatione pendet, quoniam iecur à caliditate humoris corrupti vitiatur, & ab exitu ac mala nutritione debilitatur: vnde fit hydrops, omnium enim facultatum nulla est cuius opus tantùm obsit iecori quam expultrix: cui proprium potius est retinere atque concoquere, quàm expellere. Et, vt breuiter rem peragam, si ascites, de qua magis est sermo, fieri debeat, oportet vt aqua intra peritoneum colligatur, igitur vt non tota trahatur à renibus. Quare quum renes neque fatigentur, quia facultas est naturalis, non animalis, & trahitur guttatim, nec iecur eisdem rationibus in expellendo (vt Princeps quamdam methodum fictam, vt nunc etiam solent, secutus somniat) necesse est vt non trahatur, quia corruptus ichor & sanguis ei permistus, corruptio autem fit à calore præternaturali: ille igitur cum naturali debilitato ascitem generat. Si ergo non trahitur, & est modicè prauus, expellitur à iecore per mesaræum, & fit profluuium ventris, quod nisi curetur, transit in ascitem necessario, vides causam. Et quodnam profluuium, scilicet aquosum cum humoribus, & aliquando cum vestigiis sanguinis, & quandoque subruptum, quandoque sine hoc inde vt fiat per circuitus, maximè in nocte, & vt sit diuturnum. Si verò retinetur, vel ob prauitatem, vel multitudinem expellatur, tamen aduenas fit ascites, ex pedibus inchoans specie leocophlegmatiæ, & ascendit ad scrotum & ventrem, & difficilius sanatur prima. Si enim verò ob multitudinem & prauitatem non possit omnino expelli, fiunt vesicæ circa iecur, inde ruptis eis ascites lethalis. Si verò dysenteria contenta sit, indicium est corrupti multi sanguinis, qui dum retinetur similitudinem refert eorum, qui decoxerunt, dum tamen viuunt ob authoritatem & solertiam non patiuntur bonorum venundationem vbi mortui fuerint, statim omnia hìc inde distrahuntur effuso enim sanguine, licet maxima ex parte malo vires quæ antea coctionem substentabant quum aliquid boni semper cum malo euacuetur, collabuntur, & loco sanguinis malus ichor generatur. Sed & si dysenteria vera sit, causam docuit ipse, dum dixit: Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, hi superueniente longa intestinorum difficultate aqua intercus, aut leuitas intestinorum aduenit, & moriuntur. Diximus ergo de hoc in Commentariis suis.

Apparet igitur causa quare pereant eiusmodi homines ex regula generali: quoties enim morbus aliquis lethalis est valde natura propria, & idem fit ex commutatione praua, redditur lethalissimus. At eiusmodi hydropes aut fiunt ex quantauis male liene affecto, nec tamen liene sanato, aut ex iecoris imbecillitate ac intemperie, nec eo etiam restituto, igitur tales hypropes valde lethales erunt.

LECTIO XXXV.

Super

TEXTV V.

HYeme verò iunioribus quidem peripneumoniæ, & insaniæ, morbi: senioribus verò febres ardentes propter ventris duritiem.

OPortet reuocare in mentem quæ superiùs dixerat (Text. 21.) Hyeme vero glaciatas & frigidas ac turbatas præ niue & glacie, vt pituitosissimæ sint ac raucosissimæ existant. Docet ergo morborum aduentum per ætates non simpliciter vt in æstate, namque iuuenibus peripneumonias & insanias, senioribus autem febres ardentes, quasi peruerso ordine aduenturas docet. Vnde Alemanus dubitat de hoc Textu. Et quidem dubitare de Hippocratis sententia plane stultum est, præsertim explanatorem, cum iam non habeat quo se tueatur qui librum exponat eius authoris, de cuius fide ipse dubitet, tum quia Hippocrati in medicina saltem summum iudicium fuit? credendúmque est hæc non obiter, vel sola ratione confisum scripsisse: sed an hoc scripserit & ne mendum in tot transcriptionibus, in tot seculis irrepserit in illius libros, quo etiam modo Alemanum dubitasse reor, non insulsi viri est, cum amentis foret obdurata opinione relinquere rerum varietatem, vt mordici falsam literam si contingat tueamur, quod vitium in ipsis Galenicis nos toties reprehendimus. Ergo ille primum dubitat quod febres ardentes senibus tribuat, cum idem dixerit prima Aphorismorum (14.) Propterea senibus non similiter acutæ febres fiunt, frigidum enim eorum corpus. (3. Apharism. 21.) Et rursus ardentes febres nemo ignorat morbos

morbos esse æstiuos. (Ibid. 30.) Peripneumoniæ etiam parum conueniunt iuuenibus, sed potius ætati constitutæ, vt ab eodem habemus. (Ibid. 23.) sicut neque insaniam hyemis morbum, sed potius veris aut autumni. Itaque sufficiat in his de quibus iure dubitamus verisimilia dixisse. Peripneumoniæ fiunt (vt ipse docuit) cum calefacta pituita (1. de Mor. pag. 17.) ac bile & commota pulmo ob caliditatem traxerit ad seipsum ex vicinis locis ad ea quæ iã sunt in se ipso, & percalefacit quidem totum corpus ac dolorem exhibet: maxime autem dorso & costis & humeris ac spina, nimium ab his in seipsum attrahens humidi, & super exsiccantur hæ partes, & nimium calescunt, postquam autem attraxit in seipsum, & tum bilis tum pituita sedem in pulmone occupauit, putrescit ac suppuratur. In his ergo tum propter aquas, tum propter aërem hyemalem fiunt peripneumoniæ, nam hic morbus ex aqua & aëre pendet, vt lateralis & phrenitis ab aëre solo prorsus. Iuuenibus ergo calor magnus & cruda pituita abundans peripneumoniam pariunt, iuuenes enim pulmonem habent calidissimum; hyeme autem fiunt destillationes, quapropter de hoc non valde mirum est.

At quomodo insaniæ hyeme & quartanæ æstate? istud magis mirum videtur, cum potius insaniæ æstate exustis humoribus, quartanæ hyeme fieri deberent. Hippocrates libro *de Sacro* morbo (pag. penult.) videtur tangere quatuor genera insaniæ, à calore ac bile dum vociferantur, exiliunt & multa intempestiue agunt: si vero terrores ac timores accedant non solum incaluit, sed bilis ipsa defertur ad cerebrum, dum enim cerebrum incalescit non timet homo, nec terretur, sed furit & agitatur, similiter à frigiditate, seu à pituita angitur, & inquietus euadit ob timorem. Ab humido etiam ob motum agitantur species (dicit) atque ita sensibus recepta menti perperam repræsentantur. Et breuiter duo sunt prima genera insaniæ, quietum & tumultuosum, hoc à calore aduenit, illud à frigore. Et quod est à frigore est cum obliuione & emotione mentis. Quinta quoque Aphorismorum dixit, (62.) quod dum disparent tumores in vlceribus repente, siquidem retrò fiunt, conuulsiones & tentiones: si verò ante, insaniæ: vt insania fiat affecta anteriore parte cerebri, vbi cognitio viget: conuulsio & tentio posteriore, vbi motus & neruorum origo & spinalis medullæ, & quod fit à materia collecta ibidem præter naturam atque corrupta. Et sexta eiusdem (23.) Quod si timor & tristitia longo tempore perseuerent, quod id est melancholicum. Vnde à terrea qualitate hæc fieri constat, seu cum materia sit seu non. Quod exponens Galenus (capit. 5.) tertio De locis dicit, quod timor & tristitia melancholicorum est, sicut timor eorum qui sunt in tenebris, illud autem fit à vapore vel humore atro in cerebro, vt repræsententur tenebræ. Idem quinto De locis (cap. 4.) dicit, quod & in magnis febribus atque biliosis præcipuè, solent ægri delyrare atque in phrenitide adeò constanter, vt ne in morbi quidem declinatione cessare soleant. Et quod homo ante insaniam solet videre primum per somnia dum nondum morbo correptus est, quæ exporrectus, & iam morbo laborans proferre solet. Tertio quod inflammationibus septi transuersi post phrenitidem hoc contingit: nonnunquam in laterali morbo, peripneumonia & oris ventriculi abcessu. Sed & illud quod confirmata phrenitide dum oculi caui fiunt & aridi, lachrymis præter voluntatem fluentibus, venæque eorum ex rubore lucescunt, sanguis è naribus paucus stillat, tum nil sani respondent. Quinto quod delyria, vigiliæ præcedunt, & vigiliæ causa sunt delyrij, atque id est frequentissimum. Sunt etiam cibi ac potus qui statim insaniam faciunt, quin quod sola ebrietas hoc agit ferme semper, sed & ira & tristitia, hoc enim frequenti experimento etiam didicimus. Admonet etiam tertio, (cap. 5.) de locis, quod cum quis in insaniam deuenit duo esse præcipuè aduertenda, an dormiat iusto plus aut minus, aut vt solebat, & similiter narium excrementa: nam frigidam aut calidam aut humidam vel siccam intemperiem deprehendens, frigidæ autem proprium est obliuiosos facere. Iidem etiam amentes dicuntur & fatui: etsi pauca defluant, & tamen dormiant frigida & sicca: & si multa & vigilet, humida & calida aut acria. Et si plurimum dormit, & multa defluant frigida & humida, vt in primo super tertium Epidemiorum (Comment. 2.) explicuit etiam Hippocratem magnitudinem desipientiæ verbo declarasse ληρῆσαι nugatum esse, παραληρῆσαι, delirasse, παραφρονῆσαι desipuisse, παρενεχθῆναι, dementem fuisse, παρακόψαι vesanum fuisse, ἐκπῆναι amentem fuisse, μανῆναι insaniuisse, ἐκμανῆναι furore fuisse exagitatum. Ibidem dicit (Comm. 5. ante finem,) si humores cum vaporibus caput petant, dolores & vigiliæ fiunt: si etiam acres illi sint, delyrij periculum est. Clarè autem docuit libro de Symptomatum differentiis (capit. 3.) differentiam corruptionis rationis & facultatis imaginandi per duos ægrotantes, quorum alter quærebatur quod tibicines pulsarent in cubiculo, alter vasa proiiciebat.

LECTIO XXXVI.

Super eodem

TEXT V.

Ergo primum distinguamus genera insaniæ in sex, cum incipit nugari, cum desipit, cum est fatuus, cum stultus, cum est insanus, & cum est cum furore. Insania est ergo delyrium perpetuum sine febre ac furore. Et est ex ea quæ est per essentiam in cerebro, & quæ per consensum aut totius aut partis, præcipuè lienis, præcordiorum & septi transuersi. Et est à materia, à vaporibus, & à sola intemperie calida vel frigida vel sicca vel humida, quæ facilè sanatur, velut ea quæ

est

est in pueris quam non nominamus insaniam propter consuetudinem & frequentiam. Et quæ aduenit subito est propter humoris motum, quæ sensim & intermittit propter humoris generationem, quæ autem sensim & est continua ob intemperiem, quæ autem ob vapores subito fit, & intermittit magis ac liberius quàm quæ ob materiæ motum. Et si fiat à calore delyrium, vt in febribus, etiam potest fieri à flaua bile, sed non est insania. Et causæ eius sunt aut animi perturbationes, præcipuè tristitia, timor & ira. Vel vigiliæ vel aër vel cibi & potus aut medicamenta, vel studia diuturna, vel abscessus geniti, vel retentio solitæ purgationis, vt hæmorrhoidarum, lepræ. Et generaliter etiam omnis valida intentio & animi cogitatio, vt spei facit ad insaniam, velut in chymistis. Et homines robustæ animæ & sapientes valde euitant illius aduentum, non solum Philosophiæ præceptis superando calamitatum memoriam tum auxiliis inædiæ quæ summum præsidium est in hoc casu, vt etiam plerunque aliorum grauiorum morborum, somni, balneorum & curarum placidarum ac mitiorum, sed quoniam spiritus in his sunt melioris temperamenti & densiores substantiæ, & magis obedientes animæ: cum insania nil aliud sit quàm spirituum ad animam inobedientia: contrà mulieres & pusilanimes facile ac frequenter insaniunt. Et inter viros qui balbutiunt, & non possunt proferre verba, iracundi, nigri & pilosi valde aut rubra facie, & oculis mobilibus, ac palpitantibus perpetuò. Et bene dixit Princeps (prima 3. Tract. 4. capit. 10.) quod hic morbus maximè fit à corde, nam aduenit ex vehementibus eius affectibus, inde communicatur cerebro: & ideo etiam qui pectus habent refertum pilis magnis & crassis, & viri fortes vt Hercules fuit, frequenter ad insaniam (quæ tamen est cum furore) vertuntur, vt mulieres & timidi ad fatuitatem, & quædam species insaniæ videntur esse cum dæmonio, & hic non est locus disputandi de hoc, signa autem futuræ insaniæ proponuntur à Principe ibidem (cap. 19.) & primum sunt cogitationes malæ, non consuetæ, & timor & tristitia & solitudinis desiderium & facilitas ad iram. Post quæ sunt circa caput, dolor, vertigo, tinnitus & sonitus in præcordiis, pòst vigilia magna & inquies & risus & verba multa, pòst timor & tristitia confirmata & terrores sine causa: cum autem incipit, oculi aspectus mutatur & intuentur fixè & toruè aut hilaribus nimis oculis, post incipiunt ab vno ex his tribus aut pluribus ex his appellant vnam rem pro alia, & post statim redeunt, aut nugantur multa quamuis satis ad propositum, sed celeriter loquuntur præter solitum, aut fiunt taciturni, & interrogant timentes, aut iudicium in eis sensim corrumpitur, & ex his sunt qui Venerem valde appetunt. Et licet obliuio accidat persæpe absque insania, plerique tamen ex his fiunt obliuiosi ab initio cum incipiunt insanire. Initium autem in omnibus primum fit ab ordinis agendorum perturbatione, quod id facillimum sit.

Supponamus ergo primùm animam nihil pati, sed instrumentum velut solis radij in fœdam aquam sparsi turbulentum reddunt aërem, non tamen ipsi patiuntur, sed instrumentum & id quod recipit. Præterea insania sapientiæ contraria est: sapientia autem constat in eligendo rectè, & electa ordinando: vt eligamus rectè pro opportunitate causæ & congruentia: tria igitur requiruntur ad sapientiam, vt sciat quo opus est, vt ea tribuat quæ ad id faciunt, vt ordinatè velut in conuiuio, quod hilaritas requiritur, quæ ad hilaritatem facetiæ & ioci: ea autem pro ratione personæ, temporis, loco & eo ordine, quæ disponi debent. At non aberrare contingit bifariam, vel obliuione vel ignoratione vel iudicio, & primus modus ad insaniam non pertinet, modo quis eam cognoscat & abstineat, reliqui pertinent. Sapientia ergo constat in hoc, vt ratio demonstretur docens disponere ea quæ agenda sunt iuxta hominum consuetudinem. Oportet igitur vt cognoscat cuius gratia, & quid agendum, & quibus & quomodo. At hæc indigens famulitio triplici, cognitionis per memoriam per vim imaginandi per sensum: vbi aliquod horum desit & abutitur, insania est: si autem desit, sed non abutitur, dicitur obliuio, vel defectus sensus, vel vis illius quæ imaginamur. Vt vero ratio dominetur, & hæc agat necesse est, vt possit vti instrumento quod est spiritus, & ideo frigiditas efficit insaniam, secundo vt ordinatè ergo oportet vt sit quietus: & ob hanc causam vigiliæ insaniam pariunt. Tertio vt oportuna offerantur velut condiendi cibum, si postquam salitus est denuo pro pipere sal offeratur fiet salsior, & non acris, & ita perturbabitur condiendi ratio.

Illud quoque præsupponendum est, cognitionem ac rationem fieri hoc modo animo lumen habet, quo cuncta cognoscit etiam ante sensum, imo sensu ipsa non indiget, quandoquidem ipsa vel afficiatur ab ipsis, sed antequam ad ipsam deferantur, quæ sentiuntur iudicat nomen hoc, vt recipitur à corpore præparato per alias animæ facultates, & cœlestem inter reliqua vim mouet spiritum, & hoc habet formas sensilium, & seruat eas: neque enim ad animas vsque perueniunt, constant ergo formæ illæ luce animæ, à qua prodit lumen: & lumine quod est receptum in corpore quodam, seu potius substantia corporis: quoniam non est cum quantitate sed velut nutrimentum, vt potentia non actu est, & formis sensilium receptis per instrumentum, & ideo neque sunt ante sensum, nec manent post mortem. Sed illud quod est in anima æternum & ingenitum, vt conuersa ad causam suam incorpoream. Actio autem deliberationis fit contemplante homine per illud lumen formas sensilium per spiritum: & circumuertitur voluntatis imperio spiritu modò huc modò illuc quærens exitum rei: apprehensóque fine ordinat necessaria ad illum: mittitque spiritum in circuitum ad excipiendas formas iam seruatas in lumine illo, nam si seruarentur in anima,

non corrumperentur instrumenti corruptione. Et si dicas quod anima non operatur nisi cum instrumento, dico quod vbi post longum morbum cerebrum redit ad sanitatem, non tamen nisi denuo discat, memoratur eorum quæ oblita sunt nisi per memoriam æternam, vt olim diximus. Requiritur ergo vt homo per lumen illud velut principium mouens proprium, vt in actionibus per primas qualitates cognoscat finem, & necessaria ad finem, & quæ sint & ordinem collocandi ea, sicut homo generat per virgam, & gustat per linguam quæ sunt corpora: & in virga calor est causa tensionis, in lingua vis gustandi. Si ergo primum lumen sit corruptum non cognoscit, neque finem neque necessaria ad finem, nec quæ sint, neque ordinem, & est prorsus insanus: quia spiritus nihil possunt recipere: sin autem lumen recte se habeat, sed spiritus non recipiunt lumen, quoniam mouentur, vel quoniam sunt terrei, vt non possint recipere imaginem, sicut lapis aut terra loco ceræ pro sigillo, tunc ignorant finem & ratio perit ex nimio quidem motu, & fit à calore vel ex substantia, & est à frigore, & est ineptia, & est deterius. At vero quia homines diiudicant per sensus cum vident aliquem aberrare circa sensum, nec hoc cognoscere dicunt eum esse stultum: non dicunt si aberrare se intelligat, ergo cognitio requirit duo, vt sensus comprehendat, & vt se habet, & vt imaginandi vis sic recipiat, vt olim nec fallatur. Velut si videt hominem, imaginetur se videre simile homini olim viso, & non asino: igitur si aberrat in hoc secundo, dicitur stultus in comprehensione. Circa hoc igitur notandum quod duplex est comprehensio simplex interior, & est ab imaginandi vi & memorandi, sed memoria est potius habitus quàm comprehensio, quia fit etiam nobis non cogitantibus, sicut etiam digiti lyram pulsantis: nihil autem quod comprehendat fit nobis non cogitantibus, nec fieri potest, sensus etiam exterioris cognitio simplex est: sed vt dixi cùm insania fit error facultatis interioris quæ cognoscit, relinquitur iam vt sint tantum duæ principes facultates, in quibus fiat vis rationis pro compositione & resiliendo, & vis imaginandi pro simplici comprehensione. Et in ratione quidem comprehenditur, est autem hoc leuius quàm perturbatio rationis, eo quòd iudicium peruertitur leuiore causa quæ est, aut cum coniungit homo separata, aut separat coniuncta, aut maiora minora, vel minora maiora esse putat, id ergo accidit, quia nimis celeriter spiritus mouetur & deliberat, aut quia non perfectè quantitatem rerum quas comprehendit assequitur, videamus igitur quomodo sensus error inseruiat insaniæ, cum non possit esse principalis causa, vt dictum est etiam si aberret: & num insani aberrent in sensu exteriore. Cum rgo, vt res pateat exemplo facilius, homo vult edere gladium panis loco: quinque modis id contingere quisquam imaginari potest. Primus vt gladius oculis tanquam panis representetur, hoc est valde rarum vt sensus exterior adeò aberret, & maxime constanti errore: etsi adhuc contingeret esset oculi non mentis error neque insania. Secundus vt gladium panem nominet: sed hoc non efficit, vt eo velit pro pane vti: quoniam electio sequitur cognitionem rei non nominis, obstant præterea multa alia. Tertius vt arbitretur panem esse gladium, sed tunc cum gladius non panis offeratur, non pertinebit hoc ad præsentem disputationem. Præterea non gladium deuorare volet, sed cum pane potius lignum scindere velit ac iudicet gladium esse edendum, hoc vt patet ad rationem, non simplicem comprehensionem, pertinet, & est compositionis error. Vltimus modus est vt cognoscat sensu gladium, sed antequam imago deferatur ad lumen illud præoccupet spiritus, vt dixi, vel ob celeritatem motus spiritus comprehendentis, vel ob naturam corruptam recipientis: vel ob perturbationem alterutrius quæ potest contingere, non solum à vapore, sed etiam perturbatione & cogitatione. Cum ergo vult comedere gladium panis loco, potest contingere duobus modis, velut dixi, quòd existimet gladium esse panem indiuisa operatione: vel quod sensus ad edendum impellat, ipse verò non cognoscat quod in manibus habeat, vel quia aliud cogitet, vel quia non cognoscat. Et igitur modus erroris in simplici comprehensione duplex: vel non cognoscere & appetere: vel peruersè cognoscere, & secundus modus habet tres causas dictas: primus prauam dispositionem spiritus cum omnino nihil recipit: in secundo mala recipit: & non est adeò insuperabile malum. Cum ergo aberrat in ratione seu resiliendo seu cogitando, non videtur aberrare in sensu. Et quia operatio composita præsupponit simplicem, vis imaginandi recipit delata ad sensum absque motu prauo & intemperie & perturbatione, sed lumen animæ & spiritus intimus alienus factus est ob vnam ex tribus illis causis à consuetudine propria. Est autem omnis vis resiliendi & coniungendi cum motu, igitur si ratio perit, perit & motus: perit autem bifariam, vel quia non coniungit *a* cum *b*, & est fatuitas, vel tardius quam è re sit, & tunc est hebetudo, & hæc ambo fiunt à frigiditate: vel iungit *a* cum *c* loco *b*, & est insania, & fit à calore. Ideo solemus senes bifariam delyros vocare, id est fatuos aut ineptos seu hebetes ob frigiditatem spiritus, etiam terreus minus recipit impressionem, ideo sunt obliuiosi rerum nouarum præcipui: & aberrant in comprehensione ob eandem causam. Incidunt & in insaniam veram, vt dicebat Hippocrates primo Epidemiorum, (Part. 2. Text. 59.) Natu maioribus & quos calor iam deficit, paraplexiæ, insaniæ, cæcitates, dicit ibi Galenus, quoniam non sunt adeo apti ob naturæ imbecillitatem expurgare caput per sanguinem narium, neque ventriculum per vomitum. Cæterum iuniores ob motum sanguinis & spiritus ac feruorem & exustionem sunt magis obnoxij insaniæ, longè magis furori: adeo vt vix senes furori corripiantur. Et si quis dicat lienis tumor deberet prohibere insaniam, respondeo quòd dum augetur splen, non adeò sunt in periculo: dum auctus est multipliciter sunt in maiore periculo:

culo: & ex materia quæ defluit & quæ coaceruata est.

Ex his patet quòd causa insaniæ maximè est terreus spiritus & motus concitatior & vapores. Ideò ira & vigilia furorem pariunt spiritum mouendo, timor & tristitia refrigerando: & ob id senes his duobus ad insaniam stultam deueniunt, iuuenes ad furorem illis duobus aliis.

Communia ferme cibi crassi, terrei, acres, vinum potens, nigrum, multa venus, legumina, sal & salsa etiam, & oliuæ præcipuè: tenebræ autem conueniunt in furibunda, velut claritas in veterno, dicebat Galenus in libro ad Thrasybulum (cap. 22.) Sed dicetis, si tenebræ est causa in illis timoris ac tristitiæ, & ob id timent ob humorem illum nigrum in cerebro tenebras repræsentantem, quomodo conueniant tenebræ melancholicis? Et dico quòd tenebræ externæ cohibent impetum motus spirituum, & licet timeant, & tristentur, cura tamen curam & timor timorem dissoluit: adeò vt etiam in placidis mediæ tenebræ & dubia lux magis conueniant quàm locus lucidus aut omnino tenebricosus. Et si quis dicat, furiosi non videntur omnes timere nec mœrere? Respondeo, quod aliud est fateri omnes melancholicos timere ac mœrere: aliud quod semper timeant. Et quamuis etiam dici potest, quod melancholicos à furiosis distinguat Hippocrates, vt supradictum est, μανιακὰ vocans & μελαγχολικὰ, nihilominus constat omnes quantumuis furiosos tandem timere, & licet sæpe hilares, etiam tristari & mœrere. Vnde etiam non melius tractantur quàm minis ac verberibus, vt parere discant, & mentem ad rectas cogitationes reuocant. Est etiam illud notatu dignum, insaniam & rationem atque scientiam esse in actu primo, dum lumen illud in quo est, absque motione est, in secundo autem actu cum est cum motione aut mutatione quæ fit per spiritus, nec communicatur homini per spiritus tamen, sed per lumen in quo residet. Ideo proprium eius fundamentum est lumen illud per quod toti communicatur.

Senioribus verò febres ardentes propter ventris duritiem.] Docet causam quare fiant febres ardentes, aquæ enim illæ frigidæ & niuales cogunt feces, & multam pituitam gignunt, & intestina debilitant ac ventris musculos, vnde obduratis fecibus bilis, quæ per ventrem euacuari solebat, febres ardentes gignit.

LECTIO XXXVII.

Super

TEXT. VI.

MVlieribus autem tumores oboriuntur & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnos ac tumidos, deinde ex alimentis tabescentes ac deprauati fiunt. Et purgatio commoda post partum mulieribus non contingit.

DIuiditur hic Textus à superiore, quia non amplius de morbis agit qui hyeme incolis adueniunt, sed tam hyeme quàm æstate, nam in præcedenti & anteriore de morbis temporum egit, (Text. 4. & 5.) antea verò egit non de morbis, sed affectibus & corporis dispositionibus, velut lienis tumor, macies ventris, attenuatio clauicularum, proponit ergo septem morborum genera quæ fœminis contingunt & eorum fœtibus. Primum œdemata, per œdemata Hippocrates (1. Prognost. 29.) tumores laxos omnes intellexit: Galenus verò censet omnem tumorem simpliciter qualiscunque sit, eo nomine ab Hippocrate significari, (5. Aphorism 63.) at capiamus in proprio significatu, ita vt doceamur œdemata pro tumore albo, laxo & molli, quæ à pituita fiunt, ab alba pituita distinguere, commune est vt sint tumores albi, laxi, molles, non elati sed ampli, digitis cedentes, nec in idem redeuntes, in cruribus & circa pedes maximè & ventrem geniti, citra febrem atque dolorem cum malo faciei colore, adeò tot similitudinibus contendunt etiam egregij Medici, quis debeat dici œdema quis alba pituita, nam discrimen successu temporis magnum est. Ex alba pituita transitur in ascitem, septima Aphorismorum, inde ad mortem: œdema in pedibus adeo leuis morbus est vt contemni soleat, sed in alba pituita vrina est cruda & praua, non in œdemate, œdema ab aliis morbis, vtpote vlceribus, percussione oritur, alba pituita non, alba pituita augescit sensim, œdema non ita: alba pituita amplectitur totum membrum, œdema non ita: alba pituita ambo crura licet non æqualiter vexat, œdema vnum tantum, alba etiam pituita crassiorem cutem reddit & sæpe nigriorem, œdema tenuem & aliquando rubicundiorem. Et in vniuersum pituita alba originem ducit à iecore, œdema à propria particula, in mulieribus vtrumque facile gignitur ob tres causas proprias, scilicet menses qui non bene purgantur, vt in Textu dicit, & propter pituitæ abundantiam & humorem crudum, mensium autem retentio refrigerat corpus. Est enim sanguis menstruus, vt inquit Aristoteles, sanguis crudus, & quia mulieres sunt natura frigidiores, & ob otium.

Et in ventre vix concipiunt.] Causa concipiendi est robur vteri, temperies & puritas, quibus omnibus carent cum abundent multa pituita in ventre, & plena sint acetabula muco, & sint refrigerati loci. Et humectata vincula atque laxata, nec possit vterus exacte constringi vt requiritur in conceptione. Tertio de Facultatibus naturalibus (Capite 3.)

Et difficulter pariunt.] In partu facili requiruntur robur fœtus, vt in libro de Natura pueri, (Cap. 12.) robur matris & locus satis amplus, cum ergo in huiusmodi vtero etiam fœtus sint debiles & loca transitus impedita & contracta à frigore aquarum, meritò fiunt partus difficiles.

Et fœtus magni ac tumidi.] Hoc sequitur ex antecedenti: cum enim infantes oriuntur laborioso partu, intumescunt & inflantur. Dicebat Hippocrates libro de octimestri partu (Pag.1.) Quicunque infantes tutò prodierint & in conspicuum exierint, de repente ex necessitate in ventre liberati, & crassiores ac maiores quàm pro ratione statim existunt, his non ex augumento sed laxo tumore, id contingit:& multi sani ex his pereunt, si enim tumor non rescidat citius quàm tertio die aut paulo serius, morbi ex his fiunt. Dico ergo quod ex partu difficili infantes tumidi ac magni sed infirmi oriuntur: vnde etiam nisi tumor ille breui residat, moriuntur. Cum verò subiicit:

Deinde ex alimentis tabescentes, &c.] Hoc totum videtur translatum ferme ex superioribus, (Lib.2. Text.6.) ad vnguem, ideo explanationem illinc habebis, nisi quòd ibi adiicit, non facile abortiunt: reliqua tria, vix concipere, ibi dicit steriles difficilè pariunt & quòd lac non habent quo nutriantur, non tamen dicit quòd magni & tumidi oriantur: sed intellexit ex eo quòd subiecit maiorem morbum, dicens pueris autem hydropes in testibus fiunt: adeò vt non plenè liberentur.

Et purgatio commoda mulieribus non contingit.] Hoc est vltimum ex his quæ ad mulieres pertinent. Et est, vt dixi, superius declaratum. Causæ autem quod menses male fluant, id est vt cessent ante tempus vel vt fluant rarius quàm oporteat, vel minus quàm oporteat, vel cum dolore, vel minori tempore, vel vt sint non bene sanguinei (omnes enim hi modi ad impedimentum pertinent) sunt paucitas sanguinis vel crassities, aut lentor sanguinis ipsius, aut venarum angustia. Videamus ergo in his quibus modis dicatur impeditus & quomodo, certum est enim quod à crassitie aquarum & frigiditate, quod enim turbatæ sint, liquet eas esse crassas, cum enim terreum miscet aqueo fit turbulentum, differt tamen crassum in substantia à crasso per mistionem, hæ autem sunt crassæ vtroque modo, secundum substantiam quia frigidæ & glaciatæ, & secundum contenta quia turbidæ. Dicemus etiam quòd per hæc insinuauit Hippocrates omnes morbos qui ad mensium retentionem subsequi solent. Ergo circa primum scire debetis quod Aristoteles secundo de generatione Animalium inquit. (Cap.4.) Cæterùm menstrua nullo circuitu certo describuntur: tendunt tamen moueri decrescente mense. Et paulo pòst: Mensium autem coitus frigidi sunt propter lunæ defectum: iámque fit vt fines mensium quàm media sint frigidiores: igitur postquam excrementum mutatum in sanguinem est, menstrua moueri tendunt eo quem modo dixi circuitu (Cap.29. in fine,) & dixit Auerroes in Tertio collectaneorum quod tempus breue purgationis est vnius diei, longum septem: & intermissionis viginti dierum & longum triginta. Et debet legi nouem pro septem, vt si ei numero addantur viginti, fiunt vigintinouem, vel sub triginta vno comprehenso remanent triginta Et est quod terminus, est à coniunctione ad coniunctionem & sunt dies XXIX. horæ XIV. fermè. Et si sint extra illos terminos, scilicet vnius & septem viginti duorum & septem sunt morbifici. Et in quibus terminus circuitus producitur, menses etiam plerunque breui fluunt tum ob temporis circuitus breuitatem, tum ob paucitatem sanguinis & crassitiem seu lentorem. Et quibus celerius etiam copiosiores & diutius ob caussas contrarias. Longitudinem autem purgationis quandoque consequitur multitudo cùm spatium intermissionis breue fuerit: sin autem longum ægrè purgatur, & tunc parum purgatur & cum dolore & menses atri sunt. Et fit mala purgatio in his ob sanguinis crassitiem & venarum angustiam, ob sanguinis autem paucitatem non fit in his, aquæ enim crudæ sanguinem multum generant licet malum. Terminus autem in quo finiuntur est quandoque, dicit Princeps, annus XXXV. & quandoque extendit ad L. & ego vidi vsque ad LVI.

Morbi autem qui sequuntur retentionem mensium describuntur à Principe: (21. tertij Tract.3. cap.1.) Et sunt præcipuè, sputum sanguinis, sterilitas, præfocatio vteri, febres, abscessus, visus perturbatio, dolor capitis & hydrops. Hic tamen Hippocrates videtur loqui de purgatione tantum, quæ fit à partu, licet possit transferri ad eam quæ est familiaris omni mensi, non semper autem contingunt omnibus in nouilunio, sed plerisque tamen menses fiunt luna decrescente. Et causa est, quoniam si ante, oporteret vt repeteretur bis in mense vno.

LECTIO XXXVIII.

Super

TEXT. VII. & VIII.

PVeris verò herniæ accedunt, & viris varices & vlcera in tibia. Quare fieri non potest, vt tales naturæ longæuæ sint, sed ante temporis aduentum senescunt.

TRia in hoc textu ab Hippocrate declarantur, lib.2. Text.) primum quod, vt dixi, etiam supra declaratum est dum de Aëre ac regione Boreali loqueretur: scilicet pueris accidere hernias, quæ sunt plurium generum, enterocele cum in scrotum descendunt intestina, epiplocele cum omentum, hydrocele cum aqua, sarcocele cum caro ibidem generatur, & multæ aliæ, quæ conueniunt omnes in duobus quòd locus earum est scrutum intra didymum seu peritonei partem, quæ illuc extenditur: & quod materia descendit per peritoneum ipsum dilatatum aut disruptum, raro tamen accidit vt disrumpatur, frequenter autem vt dilatetur: atque vt dixi hydrops hæc hydrocele dicitur.

Secundum est quod viris accidunt varices & vlcera in tibiis, sunt autem varices quas Arabes vocant venam Medici Dicebat Galenus in libro. De tumoribus præter naturam,

curam, (cap. 16.) Dilatatio venarum ex earum imbecillitate vbicunque sit ac repletio ex sanguine crasso variè dicitur, sed propriè in scroto & cruribus. Dicebat Paulus libro sexto, (cap. 82.) nam fit etiam in temporum venis & sub vmbilico. Vbi illarum curam pulcherrime docet, vt prius excidantur, inde sinatur fluere sanguis diuisa vena superius per vinculum ligata, inde etiam sanguis inferius contentus exprimatur, demum præcidatur: quod & Princeps docet, (22. tertij Tract. 1. cap. 18.) addens quòd nigra non debet excindi nisi prius bene expurgato corpore, sed tantum rubra. Verùm melius est consilium Galeni, quod ipse dum sequi se putat non intellexit, is enim in libro de Atra bile dicit, (cap. 4. in fine,) quod varices fiunt redundante & decumbente melancholico sanguine in venas. Et quod quidem habebat vlcus in tibia cum varicosa vena, & excidit illam, & sanatum est vlcus antiquum. Sed nouum venæ excisæ non est sanatum, verum superueniente Stratonico medico discipulo Sabini & magistro Galeni, ter aut quater secta vena brachij eductóque sanguine nigro prima die in copia magna, inde pauco post purgato corpore sanatum est etiam vlcus oportet ergo primum euacuare sanguinem collectum, post secare venam brachij & purgare, atque ita sanare ægrum, & hæc fuit etiam sententia eiusdem quarto de Medicamentis secundum genera, (cap. 2.) Cura autem quæ ponitur in libro cui titulus est Introductorius siue Medicus, vbi non meminit quòd debeamus sinere effluere sanguinem est cura solum chirurgice non prospiciens sanationi ægri. Dicebat tamen Galenus in libro de Sectione venæ contra Erasistratum, (cap. 8. in fine) Dicit ex tali tamen sanatione varicum solent aduenire insania, & morbi attoniti & laterales & vomitus sanguinis, & sputum sanguinis atque hydrops, & dolor renalis. At in secundo ad Glauconem, (cap. 6. & 10.) enumerat alios morbos, qui sequuntur ad abundantiam atri humoris cum effunditur ex venis in membrum aliquod, & venæ cum hoc sunt nigræ, & sub forma pedum cancri, vocatur carcinoma: si extra corpus hæmorrhoides: si lien est robustum tumor lienis: nam reliqui morbi, inquit, accidunt cum lien est imbecille. Si vero in totum corpus elephantiasis: si in venis retineatur varices, in scroto aut cruribus aut tibiis, aut in aliis venis, vt dictum est. Quarta autem Aphorismorum adiicit, (Comm. 2.) postulas quartanam & delyrium quod est cum furore & inanitate. Præterea sexta Aphorismorum, (54.) adiicitur cæcitas, sed & comitialis. Tertio de locis, (cap. 7.) vt videantur in vniuersum esse decem & septem, insania delyrium atrox, Attonitus morbus, comitialis, cæcitas, vomitus, sanguinis sputum sanguinis, morbus lateralis, dolor renalis, hydrops, quartana, lien, carcinoma, elephantiasis, varices hæmorrhoides, pustulæ nigræ. Quicunque autem morbi ex eadem materia fiunt mutuò se soluunt: sed non verè dicitur solui morbus grauiore morbo. Propterea ex his decem & septem quatuor solum dicuntur solutiones morborum, varices, hæmorrhoides, quartanæ & pustulæ. De varicibus ergo dicit quod soluunt insaniam, sexta Aphorismorum, (12.) idem dici potest de dolore renum. Sed & caluitiem ibidem, & quæ in scroto, vocis gracilitatem, secundo Epidemiorum, (33.) & gibbositatem quæ fit infra septum transuersum: vbi dicit, (Par. 5. in initio,) quod varices fiunt ab humore, non solum melancholico sed quouis crudo & crasso, etsi fuerit valde crassus fiunt in scroto, quia venæ istæ sunt latiores) & etiam quia minus longè natura potest protrudere) si minus in cruribus. Dico si minus etiam in tibiis, & si minus etiam in pedibus, vt mihi in iuuenta accidit. Docet autem distinguere eas quæ à melancholico humore fiunt, (cap. 14.) & quæ à crudo, libro De cibis boni & mali succi ex colore. Dicebat autem sexto Epidemiorum, Par. 6. comm. 8.) quod varices curant etiam podagram & articulorum dolores, scilicet cum fiunt varices ab humore crudo, & sunt rubræ, vt dixi, & subalbidæ. Solutio autem morborum per hæmorrhoidas est melior, quia materia educitur extra corpus: sed longe plures morbi sanantur per varices quam per hæmorrhoidas, nam vbi materia sit valde crassa, non potest duci ad hæmorrhoidas: & si ducatur non potest effluere, sed torquet hominem magnis doloribus. Et persæpe producit ad abscessum: & si educatur etiam ægri non ob id liberantur. Quartanæ vero meliores sunt hæmorrhoidibus & securiores varicibus, ideo quasi mediæ. Pustulæ si finiant morbum, à tenuiore humore fiunt. Et similiter vlcera quæ in insanientibus cum morbus ex his non finitur, lethale signum sunt. Notandum autem quod à solutione ad generationem semper valet per se, & per accidens, sed à generatione ad solutionem non nisi per se: velut si dicamus, ex aduentu varicum soluitur renum dolor, ergo sanatis varicibus dolor renum potest subsequi sanationem, varicum ergo ex aduentu ascites poterit sanari: non valet, quia ascites per accidens subsequitur varices, cum ascites ex aquea materia, varices ex crassa generentur, valet etiam si dolor renum per accidens sequeretur sanationem varicum. Sed non valet ascites subsequitur, & vlcera in tibiis, si humor fuerit tenuior & acrior.

Quare fieri non potest vt tales natura sint longæua vita.] Constat enim quod abundant humore pessimo, & vitæ contrario, & à quo sæuissimi morbi fiunt, senescunt enim ante tempus. Et non solum propter hoc, sed quoniam generantur multa excrementa, vt quæ sunt contraria vitæ longitudini, vt ab Aristotele libro. De longitudine & breuitate vitæ, (cap. 2.) & primo De tuenda sanitate.

TEXT. VIII.

PRæterea fœminæ se in vtero habere putant, & vbi partus tempus adest, ventris moles illa ac plenitudo euanescit. Hoc autem contingit ex aqua, cum vteri ex aqua concepta laborant.

laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas esse censeo.

POstquam locutus est de pueris ac viris, & ideo de ætatibus, cum dixit quòd ante tempus senescunt, vt intelligamus etiam quod ægram habent senectam, hic loquitur de sexu. Proponit ergo casum de mulieribus in vtero cum non sint prægnantes, habere putant, vt habetur in libro De natura muliebri his verbis: si vteri inflammati fuerint menses omnino no prodeunt, aut praui & pauci: & cum ieiuna est, vomitus ipsam corripit. Vbi verò quid ederit vomit cibos, & dolor imum ventrem ac lumbos habet, & animi deliquium inuadit. Venter autem aliquando durus, aliquando mollis est & inflatur, ac magnus fit: & putat se in ventre habere. Si verò contigerit plenitudo illa vacua fit, huic vsque ad decimum mensem plenitudo illa augetur velut in ventre habenti. Vbi verò decem menses præterierint, venter aqua impletur, & vmbilicus eminet, & si digitum admoueris os vteri collapsum & gracile inuenies. Et vbi menses apparuerint pauci sunt & praui, (pagina 7.) Et clauiculæ ac collum attenuatur, & pedes intumescunt.

In primo etiam De mulierum morbis, dum agit de aqua intercute, adiicit hæc verba: (pag. 24.) Et venter ipsi magnus erit, & grauitas intus erit, velut in ventre habenti: & velut puer in ventre ipsius moueri videbitur, nimirum dum vteri aqua pleni sunt, & aqua moritur. Aliàs enim atque aliàs aqua fluctuat in ipsis velut in vere: & pars infra vmbilicum dolet, & clauiculæ & facies & thorax, & oculi attenuantur, & mammæ attolluntur. De cognitione verò an vtero gerat infantem, docuit in libro. De superfœtatione, (pag. 3.) & quinta Aphorism. de mulsa (47.) Ideo sunt tria similia vteri, hydrops, fœtus mortuus, & infans qui moritur. Discernitur autem certo experimento cum lintea frigida vino rubro astringenti madefacta, & in manu leuiter expressa paululúmque concalefacta diuersis in locis imponuntur super ventrem: vbi enim fœtus trimestri maior est mouetur hicinde: si non mouetur, non est fœtus, sed morbus, aut non viuit.

Atque has quidem aquas.] Docet huiusmodi aquas omnino prauas esse: Vt etiam Columella ait (1. de Re Rustic. cap. 5.) Nec paludem quidem oportet esse iunctam ædificiis quòd caloribus noxium virus eructat, & infestis aculeis armata gignat animalia, quæ in nos densissimis examinibus inuolant, tum etiam nauicum serpentiúmque pestes hyberna destitutas vligine, cœno, & fermentata colluuie venenatas emittit: ex quibus sæpe contrahuntur morbi cæci, quorum causas ne medici quidem perspicere queunt. Itaque patet ratio dictorum Hippocratis. Adiicit ille quod hyeme licet semper pestilens, minus tamen mala est imbribus edomita palustris aqua.

LECTIO XXXIX.

Super

TEXT. IX. & X.

SEcundo verò loco eas quarum fontes è petris scaturiunt. Duras enim esse necesse est.

AQuas huiusmodi crudas esse necesse est ob frigiditatem. Si enim à calido omnis coctio procedit, & hæ feruntur per loca frigida, & inter saxa, & oriuntur à locis frigidis, necesse est crudas esse, nec turbidas tamen, vt suprà docuimus, quare ad distributionem inepte & ad coctionem similiter, præsertim si versus septentrionem aut occidentem ferantur. Quæ verò ex his accidant mala supra (Text. 8.) secundo libro dictum est. Durities alui, fluxiones ad pectus, edaces homines, morbi acuti, & hernia gulæ quam quidam vocant Broncocelem. Præterea aquæ omnes eiusmodi malæ sunt, & inimicæ pectori ac neruis, & tormina mouent: & tandem in hydropem terminantur, mouent & hernias quoniam flatuosæ sunt, hæc Oribasius in quinto Collectaneorum (cap. 3.) infra etiam docet, quod tales aquæ difficulter minguntur, & potest etiam transferri ad sudores, & ideò veniunt etiam ad suppressionem vrinæ, ad calculum & maxime metallicæ, & generaliter nullum non morbum procreare possunt, sed sunt seges omnium malorum & ægritudinum. Et propriæ longarum vel humidarum, vt destillationum & huiusmodi. Suppressio enim vrinæ in partibus superioribus corrumpit sanguinem. Sed quomodo dixit eas esse secundo loco, nam si de bonis agit, nequaquam primum inter bonas sunt connumerandæ: & etiam quia sermo non proprius esset cum de bonis hucusque locutus sit: si de malis deteriores videntur esse calidæ, de quibus mox acturus est. Et ideò oportet verba illa transferre etiam ad sequentem textum, vt sub eo comprehendatur, quod nunc subiicit, adeò vt malarum aquarum non tria, sed duo tantum genera commemoret. Et maximè quia hæ & sequentes, vt infra docebit, vna sub ratione continentur, quod non sint simpliciter malè, sed quibusdam malæ, quibusdam bonæ, ideò sunt secundi generis, & tamen malæ appellandæ.

TEXT. X.

AVt istic, vbi calidæ aquæ existunt, aut ferrum nascitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia præ violentia caloris nascuntur. Non itaque ex huiusmodi terra aquæ bonæ prodeunt, sed duræ & æstuosæ quæ & difficulter

ficulter minguntur, & ad alui egestionem contrariæ sunt.

ENumerat octo genera aquarum calentium, quæ omnia damnat quoad vsum cibi, in duobus quod sint duræ & calidæ: enumerat quatuor ex his à metallis, ferream, æream, argenteam, auream: à metallicis totidem: sulphur, bitumen, nitrum, & alumen. Et ideo aqua aurea licet sit bona inter reliquas, & argentea post illam, tamen non possunt imbui in has absque magno calore, sed magnus calor non naturalis, id est à terra, non à sole ac stellis profectus est inimicus naturæ humanæ, igitur tales aquæ non sunt bonæ pro vsu humano. Ex quo patet quomodo etiam sint crudæ, nam cum calor præter naturam non concoquat, sed potius corrumpat, tales aquæ sunt necessariò malæ, ex quo colligitur quòd aqua impura quæ coquitur nisi percoletur fit deterior. Aquæ autem coctæ puræ sunt tenuiores, & meliores destillatæ, ideò imbrifera cum sit similis, ei est melior omnibus, tum quia cocta à calore solis.

Ex hoc Textu videter sumi illud dogma, quòd omnes aquæ thermarum excalefaciant, tum ob authoritatem Hippocratis, tum eius rationem, tum Galeni sententiam, de quo in libro 5. Contradicentium, capite 18. ideo sufficiat adiecisse distinctionem hîc de quadruplici calore: scilicet à Sole, & hoc modo sunt crudæ, quia sub terra perpetuò manent: à calore sensili, vt emergant tales. Et ita clarum est, quasdam ex his quæ vim habent metallicam frigidas nasci, imò etiam valde frigidas à calore qui misceat, & eiusmodi calidam potestatem nanciscuntur. Quum enim nihil prohibeat frigidas aquas contrahere absque calore vim metallorum, vt videmus in ductibus aquarum per fistulas plumbeas & æreas, quum illæ ventriculo valde noxiæ sint, hæ etiam medicamentosæ, quantò magis quæ transeunt per gypsum, at gypsum frigidissimum est. Eiusmodique aquas habemus Bononiæ plus quàm vellemus, etiam quas palam est caloris esse expertes. Etsi quis dicat, fistulas esse continuas, non metalla aut metallica thermarum, respondemus, & moram esse diuturniorem, & cursum tardiorem, & materiam dissolutam magis: adeò vt dubium non sit quin talis aqua sit frigida. Sed in metallicis solùm calida commemorauit Hippocrates: nam alumen antiquorum à modò aliud est, & est calidum, dicente Dioscoride libro 5. capite octauo, Omne alumen calefacit: metalla verò adeò non possunt abundare, vt perpetuus sit decursus per illa sub terra, & vt ob id vim eorum recipiant, ni à calore comminuantur. De gypso Hippocrates non negaret esse frigidam, quia gypsum lapis est: ideo continentur tales aquæ sub genere antedicto, quæ à petris scaturiunt. Quartum genus caloris est ex vi imbuta à materia, & ita ferreæ sunt frigidæ & argenteæ, aureæ autem sunt temperatæ. Et quoniam in hos sermones incidimus, scripsere autem satis copiosè & diligenter in huiusmodi materia tres viri, Michaël Sauonarola, Bartholomeus Cliuolus, & Gabriel Fullopius. Dicamus ergo primùm quòd omnia balnea calida ob ignem accensum sub terra sunt: quæ autem fomenta sunt, ignis sub terra tria sunt, sulphur maximè, imbecillissimum nitrum, nec id antiquorum, sed nouum medium bitumen, omnia ergo balnea calida sulphure, aut bitumine, aut nitro abundant: sed priorum duorum plura sunt exempla, tertij nulla, aut admodum pauca.

Sulphur igitur, teste Galeno libro 9. de Simplicibus medicamentis, calidum est, tenue, & trahens, hæc cognouit Galenus, præterea etiam siccat, & vtrumque in tertio ordine, non in quarto: præterea purgat per aluum, & vomitum valde excitat. Aquæ autem thermarum, teste Galeno, libro de Tuenda sanitate, capite nono, omnes calido capiti sunt inimicissimæ: quoniam bituminosæ & sulphureæ calidæ sunt, aluminosæ astringunt: hæ igitur si calidæ sint, duplici ratione excalefaciunt: quæ ergo sulphureæ sunt, dum attrahunt & digerunt, scabiei sunt vtilissimæ. Expurgant etiam humidos humores & crassos attenuant, aduersantur etiam venenis, & ob id membris naturalibus plurimùm conferunt, & imbecillitati ventriculi, quæ ex huiusmodi causa pendet. Quantitatem autem sulphuris deprehendes ex caliditate, ex odore, ex sapore, ex operatione, ex substantiæ turbulentia ac destillatione. Quum autem sulphur optimum natiuum sit, quod splendet, quod perspicuum est & subuiride cum flauo misto, absque terra ac lapillis, quæ lucidior est, melior est. Vehementer autem calida necessariò mala est: quoniam partes plurimas exustas habet. Est autem balnearum omnium quintuplex vsus, potus, balneum, stilla, lutum, & fit ex recremento fundi balnei, & in eo sunt partes semper præter materiam propriam exustæ, & aliæ terreæ, aliæ aqueæ. Iuuat etiam in morbo Indico & in doloribus antiquis.

Bitumen verò calidum est & siccum in secundo ordine, libro vndecimo, de Simplicibus medicamentis, iuxta finem. Tria habet propria, emollit, si quid aliud sanguinem intus congelatum dissoluit, & saniem educit ex pectore, hæcque duo sunt à Principe, secundo Canone, capite proprio, commemorata. Propter hæc ad scirrhos iecoris & lienis & phthisicos multis modis vtile est. Et eius etiam potio vterinis morbis tum fine doloribus vtilis est: & generaliter vt sulphur ad attenuandum ita bitumen ad emolliendum, & alumen ad astringendum, & aphronitrum ad incidendum, sed nitro vtimur eius loco, quoniam aphronitrum ventriculo inimicissimum est. Bituminis autem duo præcipua genera, Iudaicum ad medicamenta, & naphta quæ maximè ardet: & in Italia inuenitur, præcipuè Muttinæ, vbi etiam fontes aquarum bituminosarum, & vt olim in Baiano agro, & Lipari insula. Sunt autem splendidæ, molles, oleosæ, coloris sublutei & subpurpurei, & graue olentes. Oleum quod ex his colligitur, de Saxo appellatur. Proprium est bituminis non secus ardere in aqua, quàm extra, quod etiam caphuræ conuenit, experimento mirabili. Aquæ ergo bituminosæ ex sicco bitumine sunt, quæ exhiberi possunt

in

in potu, non illæ in quibus oleum supernatat, quum ferri nequeant.

Nitrum calidum est & siccum in secundo ordine, & est magis siccum quàm calidum, vt sit in initio tertij, incidit & attenuat, & ad aperiendum iecoris obstructiones vtile est, & purgat ac siccat vterum: & sistit fluxiones, sed ventriculo, vt dixi, est inimicum.

Dignoscitur autem difficulter huiusmodi aqua, propter magnam permistionem & saporis leuitatem, quum etiam odore careat. Est tamen aliquantulum cærulea, & quum tenetur in ore acris est, & linguam totam permeat, & amara est. Salsa autem solùm amara, & salsa est, & non acris, nec adeò permeat linguam. Purgat potenter, & à remotis & varios humores, vt etiam bilem nigram, licet præcipuè pituitam, sed cit vomitum. Aquæ autem thermarum trifariam mistæ sunt: aliæ secundum qualitatem & substantiam, & tenuissimam, vt metallicæ, præcipuè aureæ & argenteæ, inde nitrosæ. Aliæ permistæ cum substantia mediocri: ita tamen, vt possint igne separari, & non difficulter. Aliæ permistæ cum crassa materia, quæ solo linteo & longa percolatione separantur: sicut quæ cum arena & sulphuræ crasso mistæ sunt.

LECTIO XL.

Super eodem

TEXT. X.

Aluminosę autem astringunt omnes fluxiones, & sanguinem vndequaque manantem, & omnes calefaciunt, sed magis etiam resiccant. Non cognoscuntur odore, nec colore, sed solo gustu: immodicè enim astringunt, vt etiam palatum & dentes, non solùm linguam, sed absque acerbitate. Dentibus verò stuporem adiicit: verùm quia & aliæ astringunt, non aluminosæ. Faloppius modum dignoscendi quid in vnaquaque aqua contineatur, edocuit. Filtrum triangulum longioris isocelis forma parte basis madefactum simplici aqua extra vas suspendito: caput ipsum intus in aquam immergito, quam vis explorare: tota enim ascendet, & fex in imo vasis subsidebit. Quæcunque verò aquæ acidæ sunt, incidendi facultatem tantò maiorem habent, quantò sapor in his exuberat. Sed & ab alumine & calcantho sapor is fit, comminuunt autem lapidem, maximè aquæ Anticolis, iuxta Romam XXX.M.P. circiter, adeò vt etiam vesicæ. Sed quum sint tria genera aluminis, scissile quod vocant scariolam, differtque parum ab amiantho specie, & quòd vtrunque accensum non vritur, sed minus amianthus: at hic ligneis schidiis interstinguitur, non alumen, & rotundum natura, medium inter scissile & liquidum, quod existimant esse Roche, id est, ab arce deducto nomine inuenta, nam ab initio liquidum est, concrescit arte, & rursus liquescit, & aqua & igne, hoc crassius est. Valet aqua propriæ sputo sanguinis, licet non prorsus, quum calida sit, constringit omnia membra interna, & ventriculum roborat.

Aurea aqua viribus optimis prædita est, nec apud nos inuenitur, sed vbi thermæ apud Indos in auri fodinis scaturiunt. Hippocrates ponit, ratio suadet: nil natura intentatum reliquit, optima non deserit, raro præbet. Vitam producit, lætitiam gignit, dolorem cordis tollit, & eos qui soli loquuntur, curat. Nec Fallopio credo, qui non putat esse: multò minus his qui eas damnant, dicentes quòd aurum & argentum sulphure & argento viuo constant: hoc enim inane est. Optima est & immortalis appellanda, quæ lapide cœruleo & auro constat: hæc enim liberat ab omnibus morbis perniciosis, & iuuentutem reuocat, canos retardat, sensus acuit: nam eum humorem purgat, qui senij & omnium malorum causa est.

Argentea pariter confert palpitationi cordis, non adeò efficax vt aurea. Roborat omnes sensus & facultates, refrigerat. Reperitur in agro Liuentino, vt Fallopius refert, loco appellato Tretto, sed ille negat aquæ metalli quicquam immistum esse. Multis aliis in locis in Germania inuenitur. Fallopius est huius sententiæ, quòd nulla aqua inueniatur imbuta metallica vi, quæ quæstio pendet ex distinctione data superius, nam aliud est de viribus, aliud de substantia, quæ non potest separari, aliud de ea, quæ potest separari. De viribus dubium non est, si fateamur aquas, quæ transeant per plumbum & æs, esse maleficas. Et de hoc habemus experimentum & anthoritatem omnium doctorum saltem, quod aqua chalybeata astringit, dicit aliquis, Etiam si in ea carbo ligneus accensus extinguatur, ideo meo iudicio hæc quæstio habet plura capita: primùm an à chalybe, vel ære ignita in aquam vis aliqua decidat? secunda, an citra ignem communicetur: tertia an illa vis possit esse prorsus absque substantia? quarta an concesso quòd aliquid decidatur ex ære & ferro, quæ metalla comminuuntur, an idem sit dicendum de argento & auro? Inde oritur quinta dubitatio, an aurum prorsus non comminuatur in igne, vt aurifices dicunt, vel minimum id fit, quod comminuitur in eo aliorum comparatione, vt Plinius sentit, & ratio dictat, quum sit mistum & res corruptioni obnoxia. Stultum enim videtur concedere velle, aurum esse incorruptibile, cum nil prorsus corporeum infra lunam tale sit: nisi forsan elementa. Sexta, an concesso quòd vis metallica communicetur aquæ per moram, aut per ignem: an naturaliter id fiat, nam Falloppius negat, quia dicit nullo experimento deprehendere potius se aliquam substantiam metallicam, neque etiam ferri, neque æris, neque plumbi, neque argenti viui, in aqua vlla balnei explorasse Lucensem Villæ, & Caldarinam Veronensem, in qua pro confesso, omnes habent esse substantiam ferri, & nihil omnino inuenisse. Hic quædam supponere oportet, primum quod quæstiones hæ tractandæ sunt, medica ratione & non vt à Philosopho. Ex quo duo sequuntur, primum quod vbi ex sensu non deprehendatur aliqua substantia metalli, debet Medicus dicere apertè, non adesse,

adesse, quoniam dirigit rationem totam suam ad opus. Secundum quod cum deprehenditur vis metalli, apud medicum parum refert, an sit metalli substantia an non sit. Secundum suppositum est, quod aliud est succus alicuius rei, aliud res ipsa. Et nomen succi etiam est homonymum, aliud re est dicere, succus lapideus, & succus succi nominis communis, nomine intelligimus quicquid est perspicue substantiæ, & in qua liquari potest, tale enim ab initio fuit liquidum, & hunc humorem vocat Aristoteles. Et est duorum generum quod inuenitur liquidum propriè, vt alumen liquidum, seu roche, & quod iam concreuit, vt sal. Succus autem huius aut illius rei vt pote marmoris, dicitur qui eius naturæ est, perspicuum & soluitur aqua vel igne, vt succus christalli qui inuenitur cum argento, quem ego sæpe vidi: is licet non soluatur aqua, soluitur igne. Chalchantum igitur, & quæ sunt eius generis vt misy, sorij, chalcitis, vt Galenus refert (9. de Simpl. Med. iuxta finem,) sunt eius generis & succi simpliciter. Est etiam succus quidam in metallis pars scilicet aquea, quæ ab illis defluit tenuis quæque prius consumitur, vnde referunt in ventriculo gallinarum, comminui metalla etiam aurum, & id testatur Auerrois. Quibus intellectis, dico nullam aquam propriè metallicam esse, tum quia sensus ostendit, si vera sunt aquæ Falloppius refert: tum etiam quia ratio suadet: cum enim sit multo grauius metallum, vt aliàs ostendi, aqua in ea diu quiescente sustineri non posset, sed descenderet. Esse tamen in ea facultatem liquet, quoniam aqua chalybeata est potentior: ad roborandum ventriculum & intestina & iecur, non solùm ad sistendam aluum quam aqua carbonis accensi in ea extincti. Dico tertiò quòd inueniuntur aquæ imbutæ succis metallorum, quia difficile est ponere vires in aliquo sine aliqua substantia. Primæ enim qualitates etiam permeant, cum substantia vaporosa. Et si illæ sine ea permeant vt in adamante posito in ignem, & in auro quod etiam difficile est admittere, tunc non succedet aliqua qualitas, secunda aut tertia in illo: Medicus enim non debet concedere qualitates secundas aut tertias permeare sine substantia, cum videat semper coniunctas cum illa: secus de primis, cum videat in cœlestibus hoc, sol enim calefacit hæc inferiora, absque hoc quod substantiam suam communicet. Et quamuis sol trahat & rarefaciat per caliditatem: hoc est quia illa est in actu non sola potestate. At in aqua chalybeata quomodo astringetur. Postquam refrigerata fuerit, cum calor non astringat sed laxet: Si dicas quia exsiccauit, eam iam non astringet, sed minus laxabit cum vel sic sit humidissima. Portio ergo succi chalybis admista aquæ, est illa quæ astringit, quoniam transiuit & colliquata est, dum chalybs canderet in aquam: & cum portione terræ tenuissima, & non prohibet quod non sit succus: quia in succis est etiam portio terrea, aliter non concrescerent: sed sufficit ad hoc vt sit succus, vt portio terrea non sit tanta vt prohibeat perspicuitatem. Ideo metalla non dicuntur succi, licet ab igne liquescant, quia non habent tam parum terræ, vt vel concreta, vel etiam liquata sint perspicua. Quod autem in aqua villæ sit aliquid succi ferrei liquet: quoniam nil aliud est metallicum, vt patet per singula quod habeat vim eam, quam illa præter ferrum & chalybem, vtpote quod sistat sanguinem vndequaque fluentem, maximè mensium & hæmorrhoidarum, prohibeat conceptionem & sanguinis mictum & sputum, & confirmet ventriculum laxum admodum, vt etiam facit substantia eius, & scobs cum vino, vt narrat Princeps Secundo Canonis (Cap. 688.) vnde vsus exhibendi vinum cum scoria ferri in oliuis, & cum hoc refrigeret & venerem iuuet, & lienem imminuat & extenuet, qui effectus penè contrarij sunt. Et causa etiam est huius, quoniam succus cum sit potestate aqueus, & ab initio metallum imperfectum miscetur, in thermis ab initio vt materia metallica non vt metallum, hoc enim est generale vt principia in omnibus ab ipsa generatione misceantur, cum autem perfecta sint tunc secernuntur: & hoc est verisimile, & verum etiam, & congruit omnibus experimentis, & si quis dicat, quod nulla materia talis inuenitur in experimento destillationis neque per filtrum neque per ignem: dico quod inuenitur plus de aqua clara quàm in aliis: quia illa est admista succo ferri, vel est ipsemet succus, & ideo experimentum concludit oppositum. Ideo dico quod idem contingit de argento, licet multo rarius, & de auro etiam sed rarissimè, non enim aqua quæ transit per aurum, sed quæ per loca vbi generatur, & quando prius succus est, eas vires habet, nam inter tempus dum succus est, & dum perficitur aurum multa secula interueniunt, & iam desinunt aquæ illæ dum aurum perfectum est. Sit *a* locus generationis auri, nunc quod perficietur in duobus millibus annorum, & aqua *c*, fluat per locum illum, *b* autem locus vbi est aurum, & *d*. Aqua fluat per eum, dico quod aqua quæ fluit per *c*, est eligenda nunc non *d*: *d*, autem iam duobus millibus abhinc annis poterat dici aqua aurea, sed forsan tunc nulla fluebat. Est etiam istud difficile in aqua calida, quia calor ille præter naturam impediret generationem auri, seu perfectionem illius: idem dico de aquis argenteis, ferreis & æreis, ideo frigidæ sunt meliores & tutiores, imò cum hoc vbi transeunt, metallum non perficitur: sed partes succi metalli quæ sunt propè in aquam per terram descendunt, & aqua eluit terram ita inficitur illo succo. Et licet modus videatur difficilis: nihil tamen difficile in tanta magnitudine terræ, & tanta profunditate, & tam variis locis, atque tanta seculorum multitudine, imò tanto verior est æstimanda hæc ratio quo nobis difficilior videtur, nam, vt rectè dicebat Philosophus (2. Prin. Philosophiæ initio,) quæ nobis sunt obscurissima perspicientibus mente, tanquam noctuæ lucem solis, ea sunt naturæ clarissima, ideóque etiam facillima & consueta.

Aëreæ verò aquæ vomitum prouocant, corruptum habitum corrigunt, & aquam hydropicorum soluunt, & lienem sanant, & iecur

iecur robustum reddunt, ac ad bonam temperiem reducunt. Est enim æs calore simile valde substantiæ iecoris, & Princeps hoc affirmat (2. Canonis cap. 235.) & experimentum id docet, sanant etiam vlcera maligna interiora, & astringunt, vnde etiam roborant viscera, sunt tamen calidiores ferreis, & tamen cum hoc non procul à temperamento, reliquarum nulla est antedictis præstantior: nam ex metallis hæc sunt temperatiora, robustiora & præstantiora, ac magis cocta ex metallicis quæ retulimus singula habent præstantiorem quamdam facultatem, & proprietates nobiles, & sunt magis innoxia cæteris: vnde etiam meritò ab Hippocrate relata & sola connumerata.

LECTIO XLI.

Super eodem

TEXT. X. & XI.

Circa vsum earum Archigenes, vt ab Ætio habetur, incipiebat ab heminis tribus, & sunt prope XL. vnciæ, & finis erat duplum, vnciæ scilicet LXXX. vel circa, inde regrediuntur sensim ad eandem quantitatem, quamuis Herodotus de mora balnei loquatur, non de quantitate potus, neque etiam regulæ aliorum sunt habendæ pro norma, nisi rationem prodant, aut ab Hippocrate proditæ. Sed neque de temporis longitudine prodiderunt quicquam, quidam de tempore anni, sed omnia sine ratione & plerunque nocitura: sumuntur ergo aquæ thermarum ad educendum, ad sistendum, ad mutandum temperiem, ad molliendum, ad aperiendum. Quæ ad educendum humores biliosos iuxta finem veris, antequam exurantur (nam semper calido tempore indigent propter quantitatem immodicam) quæ ad pituitosos initio æstatis: nam sub cane & ante canem difficiles sunt medicationes, (4. Aphorism. 5.) Ad sistendum sub fine veris, vel in fine æstatis, ad mutandum intemperiem si calida sit, tempus frigidissimum requiritur, vt aër non prohibeat opus, ideo in medio veris ad frigidam, in calidam finis veris: nam aër adiuuabit. Ad molliendum finis veris, & si materia crassa sit, & æger robustus initium æstatis. Ad aperiendum aut detergendum pauca quantitas sufficit, cúmque mora in his noxam afferat statim, vbi occasio adfuerit. Tempus donec finem consecutus fueris perfectè, solet breuius reddi, vel quoniam vires non ferant, vel quia noceant, vel quoniam non iuuent, vel cum suspicio est magni periculi, quo scopo omisso aliqui ægros etiam ex leui morbo occiderunt. Semper autem cum non exit, aut non pro ratione metuere oportet. Quantitatem metieris ab exitu, ab operatione, à facilitate ferenda, si bene prodeat, facile feratur & sufficienter operetur, debita est: si feratur facile minus tamen operetur, augenda est: contra si bene operetur, & non prodeat, aut non facile feratur minuere oportet, si non facile feratur, & non prodeat, aut augenda est, aut desistendum: nunquam minuenda est, nam minus prodibit nec magis operabitur. Quantitas ergo maxima vnius diei est librarum duodecim, si lenis sit vt villæ, octo si mediocris vt Aquarij, quinque cum sulphurea fuerit, & potentissima vt Patauinæ pleræque. Ab initio (quoniam præterquam in educendo tempus producere melius est, seu mutare temperaturam velimus melius, & sine periculo longo id quod breui tempore facere licet: seu aperire meatus, seu sistere fluxiones, seu mollire) à quarta parte incipiamus: nam & in mutanda intemperie aliquando sufficiet, vt maxima quantitas vnius diei sit quatuor librarum, totam ergo quantitatem definiemus præterquam in aperiendis obstructionibus à libris sexaginta ad centum, quam diuidemus sic vt in purgando medium sit duplum initio, in cæteris quadruplum. Non enim multum producere tempus licet ob periculosam illius mutationem, reliqua, vt dixi, ex fine definire oportet. Calidam assumere oportet præsertim cum purgare volumus, aut ad calidum mutare intemperiem, tepidam cum volumus mollire aut aperire vel detergere: temperatam cum sistere aut refrigerare. Quæ valde mistæ sunt deferri in longas regiones, possunt & diu seruantur, vt Lucenses, Veronenses, quæ turbidæ sunt & sulphureæ in loco ipso eas bibere oporteat. Euanescit enim vis earum & corrumpuntur.

Cum purgare volueris ab initio exhibent aquam Montis Catini, quæ vulgo dicitur Tettucij, aut salsam aquam, aut mannam: ego autem soleo addere Sacchari rubri, quod in panibus vendi solet, & est manifestè salsum & parum dulce, vncias duas aut tres, & nunquam voto frustratus sum. Sin autem per vrinam ducere velimus, syrupum Bysantinum aut acetosum de duabus radicibus sub eadem quantitate ab initio dabimus aquæ mistum. In prandio parum aut nihil assumat ob ventriculi laborem, vitellum oui & modicum panis ex iure: neque enim dormire potest, neque cœnare poterit, sed in cœna quæ erit sex horis post prandium, assumet carnes pulli cum omphacio, panem valde leuem nec multum, vinúmque album, leue sumat, aquam crudam, & fructus & olera cæteráque huiusmodi deuitet.

Sed sunt qui aquis thermarum cibum incoquunt, sed hoc non videtur esse conueniens rationi: nam substantia illa corrumpitur, & cibus etiam corrumpitur à qualitate medicamenti: nihilominus vsus docuit posse in morbis contagiosis, imo debere cibos esse imbutos vi medicamenti, vt in Indica lue. Difficultas ergo solum est de corruptione virium aquæ ab igne, non de corruptione cibi ab aqua. Et sicut incoquimus cum cibis herbas, ita etiam aquas thermarum: sed quia ignis separat coniuncta, & coniungit separata ideò aqua thermarum, quam constat facile separari, & per destillationem & filtrum ex coctione corrumpitur. Sed neque cum cibo sumenda, námque parum inutilis est, quid enim confert libra vna aquæ

Lucensis

Lucensis aut duæ cum cibo? Sin autem valida corrumpet cibum & vomitum excitabit, vt sulphurea, dixi enim quod omnis materia terrea vomitum excitat, non est autem idem iudicium de aqua ligni Indi aut vino, quoniam neque lignum neque cortex sunt inimica naturæ nostræ, neque vomitum excitant, ideo vtiliter exhibentur. Relinquitur solum aqua quæ mista esset succo potenti, velut lapidis alicuius aut quæ plurimum succi argenti aut ferri contineret: sed hanc quæ sit ignoramus, illa enim si haberetur posset commodè exhibita prodesse.

TEXT. XI.

Optimæ verò sunt quæ ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt. Hæ enim & dulces sunt, & claræ, & vinum modicum ferre possunt, & hyeme calidæ, fiunt, æstate verò frigidæ. Tales enim fuerunt ex profundissimis fontibus. Maxime verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad solis exortus erumpũnt, & præsertim ad æstiuos. Necesse est enim splendidiores esse, odoratas ac leues.

Cum aquas à quatuor generibus distinxerit, à natura loci vnde oriuntur, ab aspectu, ab origine & transmutatione seu materia ex qua fiunt, proposuissetque pessimas primi generis tum malas, scilicet ratione loci & terrarum vnde oriuntur, nunc optimam proponit quam probat ex tribus conditionibus, prima quod ex sublimi loco descendat, moderatè tamen, id est ex collibus. Secunda, quod fluat per terram & arenam, non lapides aut lutum, tertia quod fons respiciat orientem & feratur ad occidentem.

Probat autem ex quinque conditionibus à colore, vt sint albæ, ita interpres transtulit, à sapore dulces, ab accidenti quodam quod vinum paucum ferant: à mutatione quod æstate frigidæ, hyeme calidæ sint, demum quod ex profundis fontibus, singula non leuem difficultatem habent, primum quod albæ sint: nam declaratum est à nobis in libro de Coloribus & gemmis, quod nullum perspicuum potest esse album, nec vllum album perspicuum: album enim est in quo lux retinetur, vt in niue, cerusa, calce, lacte, & vbi multa videtur ibi manifestè, at in perspicuo non retinetur, ideo nullum album potest esse perspicuum: cum ergo aqua bona non sit nisi etiam sit perspicua, hæc enim aquæ prima conditio, aqua alba planè corrupta erit, λευκὴ significat & album & clarum etiam & serenum, & ideo debemus legere clara non alba. Candida etiam vocatur ac pura & nitida. Vnde λευκάσπιν Sophocles diem vocat serenum & candidum. Splendidam denique interpretari oportet, si ad sensum respicimus medium inter verum sensum, at qui ad dictionis significatum pertinet, est clarum seu serenum seu candidum. Nonnius λευκὰς φονὴ vox candida & aperta, nam alba nullo modo esse potest, nitida etiam optime aqua significatur.

Dulcis autem non propriè est aqua bona, sed iucunda & grata gustui, nam in libro de Ptisana dicebat, (capite secundo) vt neque dulcis, nec salsa nec acida nec acris, sed omnis prorsus sit qualitatis expers, quod Græci ἄποιον vocant. Et quarto in sextum Epidemiorum. (Comment. 10) Dico autem optimam aquam, & omni vitio carentem, quæ neque limi quicquam habet, neque malè olet & gustantibus nullam qualitatem præ se fert. Quocirca eam probabimus quæ dulcis est, quoniam sitientibus expers saporis dulce non leuiter videtur: nam quæ alienæ particeps est qualitatis nunquam dulcis aut suauis, prorsus etiam sitientibus videbitur.

Et vinum modicum ferunt.] Imo forsitan vinum ipsum dicemus parum aquæ ferre quod leue est: Alemanus exponit quod vinum illam citissimè penetret, & ei permisceatur. Sed quid hoc ad Hippocratis verba? oportet ergo interpretari: quæ à modico vini vincitur, vt iam non sentiatur: hoc est aquam modicum vinum ferre: nam à plurimo, imò etiam mediocri adeo immutatur cum optima fuerit, vt prorsus aquam permistam illi esse non iudices, at si salsa sit etiam quod multum vini miscueris subsalsum totum fiet, idem si limosa aut malè odorata fuerit.

Et hyeme calidæ sunt, æstate autem frigidæ.] Hippocrates in libro de Natura pueri (Pag. 8. & 9.) inquit, quòd profunda pars terræ calidior est in hyeme quam in æstate: suprema autem contrario modo. De hac secunda parte ratio clara est, quia aër talis est. Et ob id etiam aquæ quæ non sunt porfundæ, sunt terræ & aëri similes. Sed de profunda parte reddit rationem, quia ima terræ calida sunt, hyeme autem calor refrigerari non potest, quoniam densata est terra, tum quia imbuta aquâ, tum quia constricta à frigore: in æstate autem cum fit: ara terra, & calor expirat, & spiritus frigidus ingreditur, refrigerata terra refrigerantur aquæ quæ in illa continentur: veluti vase & contentis in eo. Et ideò quanto profundior est fons seu puteus, eo magis incalescit aqua hyeme, & hoc certum est: sed dubium relinquitur, quia æstate etiam calidor esse deberet. Et reddit testimonium ex exemplo quod conculcata & constricta magis incalescant quam rara exemplo firmi: & dicit quod vidit vestes pelliceas constrictas, quæ exustæ sunt perinde, ac si ab igne. Et dicit quòd humida magis incalescunt, quoniam magis in eis prohibetur spiritus. Dico quod ratio hæc est, omnia elementa participant calore, sed terra minus omnibus ob siccitatem, & quia rarior est, & aër ob tenuitatem: aqua vero multum caloris continet, sed quia est in perpetuo motu, ideò frigida est. Et vult quòd aqua vt profundior est æstate, tanto est frigidior, &

quanto magis mouetur. Sed hoc tam æstate quam hyeme : adeò vt causa frigiditatis aquæ sit duplex, vna generalis motus, alia tempori æstatis propria profunditas: Quies autem caloris semper, & quòd non sit profunda: sed hoc in æstate tantum, nam hyeme quæ profunda non est, est frigidior profunda. Nam motus ex causa frigiditatis, profunditas autem vt sit aëri dissimilis. Humidum ergo prohibet, ne à ventis ima terræ imò intimum cuiusque rei refrigeretur, cum autem non refrigeretur, rarescit humidum à calore, & attenuatur, & incalescit magis inde putrescit & accenditur. Verùm inquit spiritus, id est vapor qui calidus est, & hyeme cum non possit exire redit ad aquam, & calefacit eam, & eam etiam adauget, ideo fontes & putei magis aqua abundant hyeme quàm æstate. Adiicit quod talis aqua cum sit copiosior, & semper moueatur, & descendat, magis descendit hyeme quam æstate, & profundior fit, & magis dilatat terram. Si enim spiritus prodiret aquæ minuerentur. In æstate contraria ratione spiritus exhalat, & ideo aquæ minuuntur, & terra perfrigeratur. Quòd autem spiritus ex aquis fiat declarat, quoniam videmus hoc in fluminibus & nebulis, dico & fontibus atque omnibus huiusmodi spiritus, ac quasi firmus ascendit hyeme paucior, sed videtur ob crassitiem, paucior tamen, quia aquæ minus decrescunt : æstate copiosior. Sed non videtur. Ideo dicit talis fumus seu nebula, nil aliud est quàm aqua attenuata & rarefacta, quod ego aliàs docui. Et dat exemplum de vtre perforato subtiliter comparans ipsum hyeme, ex quo nihil effluit: & perforato late ex quo effluit spiritus, vt in æstate. Suspendit enim vtrunque aqua semiplenum dicens, potius aqua exit per foramen angustum quam spiritus, per latum autem spiritus facilius quam aqua. Inde docet aliud vtile ex hoc, quod motus refrigerat dicens, putei ex quibus aqua hauritur frigidiorem illam remittunt, quam ex quibus non hauritur, quia spiritus non retinetur. Eadem autem sed breuius Alexander prima Problematum (56.) habet.

Cum ergo eiusmodi fontes sint profundi, quia terra mollis aquam excipit. Vel quia supponit eos esse profundos, ideo calor hyeme circa suum principium & refrigerantur æstate, adeo vt hoc de profunditate possit esse, vel suppositum quartum, vel sequens & conditio.

Tertia conditio est, quod habeat fontem ad orientem positum, non quòd ad orientem fluat, hoc autem ostenditur, nam & ventos orientales vocat, qui ex oriente veniunt, non qui ad orientem tendunt, igitur male fecisset Hippocrates, si eodem nomine contrario sub sensu locutus fuisset. Secundo, quia tales fontes effugiunt radiorum solis vim immoderatam, & excipiunt moderatam. Verùm dicet quis in ventis cum procul veniant causa manifesta videtur diuersitatis : in tam paruo autem spatio quomodo poterit esse varietas? Præterea quomodo dicemus fontem situm esse ad orientem, cum vbicunque sit & ad orientem & ad occidentem constitutus, & ad meridiem & boream dici potest. Ideò dico quod comparat fontem aquarum decursui : ille fons dicitur ad orientem positus, cuius aquæ ex orientaliore parte decurrunt, exemplo etiam ventorum, qui similiter initium ducunt ex parte eiusmodi. Ex terreis collibus, non possunt montes esse terrei, nam longo temporis spatio dehiscunt : lapidei esse possunt, & quòd non subsidant, & quod perpetuò lapides augeantur, terra autem non augetur, idcirco non adeò magno impetu feruntur, neque duræ & frigidæ euadunt, tum quia motus, vt dixi, non adeò vehemens sit, tum quia non refrigeretur à lapidum frigiditate, cur ergo aliquæ quæ per terram fluunt turbidæ sint, aliæ claræ? Id verò euenit ex natura terrarum, quæ enim argillosæ sunt aut lutosæ turbidas efficiunt: & cœnum inde lutum, minus autem argilla. Aqua vero per terram fluens excauat eam, & efficit turbidam, ac ripæ descendunt quo fit vt perpetuò turbida sit, at si arenosa, iterum cadente arena remanet alueus arenosus, atque ideo clara aqua efficitur elota primum sorde. Si ergo præceps ruat, creda & turbida manet in cœno & luctu, verùm ob frigiditatem cogit lebas in lapides, & quanto riuus fuerit minor, & tunc clarescit, multa ergo aqua leniter fluens per cœnosam terram semper manet turbida, vt Padi qui iam tot seculis talis fluit. Sed & multa rapido cursu (ex collibus cum non possit ferri quod humiles sint) nullam habet rationem, nulla enim talis est pauca, durat alueum in lapides tandem, si lento feratur cursu profundior fit solum, sed alueum in lapillos non vertit: quæ per arenam fluit clara manet, quoniam totum eiusmodi est, pars autem totum vincere non potest.

LECTIO XLII.

Super

TEXT. XII. & XIII.

QVæcunque verò salsæ & crudæ ac duræ sunt, ad hoc quidem vt eas omnes bibant non bonæ sunt. Sunt tamen aliquæ naturæ, & morbi quibus tales aquæ in potu commodæ sunt, de quibus statim dicam.

DIxit superiùs has aquas esse secundo loco, quia neque bonæ sunt, neque prorsus malæ, quoniam non omnibus noxiæ sunt, generaliter tamen dicit non sunt vtiles in communi vsu. Verùm non de his tractat, sed statim se confert ad tractanda secundam aquarum differentiam ab aspectu. Et circa præsentem Textum sufficiat adduxisse Galenum in libro de Cibis boni & mali succi, (capite decimo,) dicentem: Qui alimentorum facultatem materiæ exactè teneat, nisi idem corporum, naturas cognitas habeat, quibus adhibenda ea sint, cum nondum

nondum neque auxiliorum, neque vero victus salubris rationis scientiam assecutum. Sunt enim corporum quædam densa nec perspirabilia, quædam rara & quæ facile difflentur: at prima quidem alimento opus habent humidiore: altera verò sicciore: & hæc quidem glutinosiore, illa tenuiore: hæc minore illa vberiore. Ad eundem planè modum, quincunque sanguinem habent plus iusto melancholicum, his alimentis opus est temperamento calidis, & humidis: sicuti frigidis & humidis iis qui biliosiorem: qui pituitosum, calidis & siccis. Quibuscunque verò sanguis bonus multitudine excedit, iis alimenta ex vsu fuerint pauciora illa quidem, sed quæ facultate nulla prædita sint manifesta quæque medium teneant, vt nec euidenter calefaciant nec frigefaciant, neque verò humectent, aut exciccent: eodémque modi crassitiei, ac tenuitatis in medio consistant, nec non glutinositatis, qualitatúmque huic ipsi contrariarum, Augilitatis scilicet, & friabilitatis.


TEXT. XIII.

HAbet autem & de his hoc modo, quæ quidem aquæ fontes suos ad orientes habent, hæ præ omnibus optimæ sunt. Secundum ab his locum habent quæ inter æstiuos solis exortus ac occasus emergunt, & magis hæ quæ ad orientes, tertio loco sunt quæ inter occasus æstiuos ac hybernos scaturiunt. Pessimæ verò quæ ad austrum, & quæ inter æstiuum ortum & occasum. Et hæ quidem ad Australes partes valde prauæ sunt, ad boreales vero meliores.

CVm incœpisset tractare de vi aquarum iuxta rationem habitus ad plagas cœli, nunc prosequitur singula membra. Alias diximus (tertio Contrad 53.) quomodo Galenus abberrat in Hippocrate interpretando: siquidem primo de Tuenda sanitate inquit: praua & dura est cuius fons est ad meridiem decursus ad septentriones, contrà cuius fons ad orientem tendit, quoniã illa à sole non cõcoquitur, hæc autem concoquitur, igitur si quæ tendit ad boreã cruda est, quoniam soli non obuiat, quæ ad orientem concocta quia soli obuiat, igitur per fontẽ ad orientem versum intelligit eum, cuius aquæ ad orientem tendunt. Sed cum possimus seruata veritate, & Hippocratis sententia etiam bene interpretari Galenum, melius esse reor quàm accusando vanam gloriam quærere, perturbata tota ratione aquarum. Dicemus ergo quod aqua cuius fons est positus ad orientem, & quæ deffluit occidentem versus, solis radios ab oriente excipit. Sed dices pariter & quæ à meridie ad septentrionem? Dico quòd non, quoniam obliquè excipit, non enim in eadem linea consistit, sed eam quæ tendit ad occidentem semper sub eodem angulo latitudinis prosequitur. Oribasius videtur in quinto Collectaneorum interpretari, vt Galenus (capite tertio,) dicens: Fontanæ aquæ ad orientem vergentes, humidiores, tenuiores, synceriores odore, & moderatæ in calore & frigore sunt: quæ ad septentrionem dulces illæ quidem sunt, sed immoderatæ refrigerant, quæ ad meridiem spectant magis salsæ sunt & calidiores, & ad mendum non idoneæ, sed ad descendendum præstantiores sunt. Quanquam tamen aquas quæ ad meridiem sunt non laudem, Nilum tamen ita commendo, vt aquæ bonitate paucorum fluminum potus ei possit comparari: nam & aluum subducit, & purgationes mulieribus ciet, si in puerperio bibatur. Quin cùm lacustres omnes aquæ prauæ sint, Nili tamen solæ salubres habentur, quod hyeme ob frigus minime putrescant: Autumno verò incrementis suis veteres eluit aquas & nouis explet. Quem sermonem nemo est qui iure non admiretur: nam de æstiua rationem par erat reddere, cùm æstas ante Autumnum sit: & tum calida est, ob id ne vitium tanto authori frustra impingantur, Æstate pro Autumno legerem. Nilus enim incipit ab initio æstatis excrescere, decrescit autem per Autumnum, ita vt quadraginta diebus exundet, viginti aliis prorsus restituatur, & tunc sementum incipiunt. Recentiores totidem reponunt dies in decremento quot incremento, vt sint omnes LXXX. Causa sunt niues è montibus, tum pluuiæ sequentes, & reditus aquarum sub terra per circuitum, tum humilitas terræ Ægypti & altius mare, nam & materiam adesse necesse est, & vt retineatur nec effundi possit. Ad id etiam iuuant Etesiæ quæ à septentrione veniunt (nam & aliæ ab occidente) retinent enim tumore maris aquas fluminis: sed hæ potius in tempus decrementi incidunt, quàm incrementi. Dissoluuntur autem niues ibi post solstitium hybernum: si autem pluuia sola fieret incrementum, maderet tota Æthiopia ante, non solum Ægyptus, at inhabitabiles iam redditæ essent, ob id diuersas necesse est esse magnitudines incrementorum & tempora etiam variari, tametsi ergo nondum repletæ sint fossæ ac paludes noua aqua veteri educta, tamen incipiunt tum moueri cum nondum supercalefactæ sint: ideóque minimè putrescunt. Quanquam ego causam aliam esse arbitror. Sed puduit veteres adeò ambitionis & fucatæ sapientiæ amatores dicere, nescio vt falsas causas pro veris subiiciant. Et si hoc non sufficiat, etiam historiam rei corrumpunt, quemadmodum hic, nam & ante solstitium æstiuum adeò calet aër, vt quamcunque aquam stantem corrumpere possit: & mense Martij fabas habent & rosas & cerasa, & quæ nos habere solemus Iunij initio, Aprilis autem mense & pepones & reliqua æstatis feræ præmia: Maio autem & ante Nili inctementa non solum triticum, sed & legumina & milium & vuas colligunt, secúsque male ageretur cum dum inundat victus, omnia trahantur quæ in

in agris relicta sunt, vt necesse sit eis hyemem pro vere, ver pro æstate esse: æstatis initium pro Autumno, quandoquidem æstatis mediæ & autumni nullus prorsus sit vsus ad rem rusticam ob tantam inundationem. Siquidem referunt mediocria Nili incrementa esse decem & septem cubitorum, quæ altitudo excedit trium hominum quantumcunque magnorum longitudinem. (Vide Strabonem libro decimoseptimo, & Diodorum Siculum libro primo, capite quarto, & Fracast. in primo vol. itinerum.) Et ratio etiam suadet, cum nobis summa æstas est, Sol prope per viginti duos gradus accedit, at Ægyptiis quorum partes maximè boreales non accedunt ad triginta duas, cum Sol peragrauit Arietem, Sol minus distat viginti duabus partibus à vertice eorum, multo minus autem his qui interiora eius incolunt, velut Nitriotæ: nam hi solum vigintiseptem partibus distant ab Æquinoctij circulo. Et auriga meus nunc quamuis Alexandrinus sit, quæ vrbs omnium Ægypti vrbium magis vergit ad septentrionem nigerrimus est, quamuis non omnes tales esse existimem, adeo vt nil prohiberet quin Martio & Aprili putrescerent hæ aquæ, si causa quòd non putrescant ad frigus esset referenda. Quin etiam aqua Tyberis Romæ etiam per multos annos in doliis per maximos calores non putrescit. Et aquæ igne destillatæ non putrescunt. Esset autem durissima quam saluberrimam fatentur Nili aquas, si ob frigus solum seruaretur à putredine, quamobrem aliam causam quare non putrescat aqua in fossis illis seruata statuere oportet. Quin etiam subiicit statim, sed plæreque ex aquis ad meridiem resides sunt, quibus duplex est noxa coniuncta vna à regione contracta, altera quod non affluant, liquet hic quod non effluxum versus regionem accipit, sed fontem. Nam si Nilum ad meridiem spectare ait, cum ille palam feratur ad septentrionem, clarum est de fonte non effluxu, quemadmodum Hippocrates & nos illum interpretamur, intelligendum esse, vt sit positus ad orientem, id est cuius fons ad orientem positus sit, effluxus autem ad occidentem. Quòd si exemplum de Nilo non subieciisset verba potius in contrarium sensum recipienda fuissent. Vide modo quanta caligine obductæ sint sententiæ antiquorum: vt fateri cogaris illos, vel non intellexisse quid dicerent, neque authorum priorum mentem, aut explicare quæ dicere vellent nesciuisse. Ergo melius in omnibus his atque tutissimum, primum res ipsas contemplari: nam illæ neque errore vllo authoris aut interpretis aut scriptoris interuerti possunt.

Secundum ab his locum habent.] Intelligit vt dixi (quoniam veritas veritati astipulatur) orientem *a* vel *b*, ita, vt habitantibus in *m a* sit oriens: in *n b*: & ita in *p c*, & hæ aquæ dicuntur habere fontes ab oriente. Dupliciter autem intelligitur fons ab oriente vel à situ, id est quod comparatione loci ad orientem positus sit, licet sit in eodem loco: & simpliciter, id est quod procul aqua veniat, velut ex Istro aut Pado aut Nilo, quorum fontes sint sub æstiuo aut hyemali ortu aut occasu, & ita sub zo-



na torrida. Dico ergo quòd posito circulo Arctico *s t*, tropico cancri *h c*, pars tota *c t* dicitur oriens, *c e* autem quod est inter hybernum orientem & æstiuum. Et cum aquæ veniant ad *m* vel *o* vel *p*, non tam vadunt ad occidentem, quàm ad boream, & ideò non sunt adeò bonæ: vt ergo sint bonæ, oportet vt recta veniant ab oriente, id est iuxta solis motum, aut saltem ab ortu æstiuo, quia rectius tendunt ad occidentem: est enim *c m* proximior *a m* quam *e m*. Et magis quæ ad orientes, id est quanto proximiores *c t*: ob causam dictam. Manifestum est ergo quòd omnes aquæ quæ simpliciter oriuntur à partibus orientis & tendunt ad vrbem illam, etiam comparatiue debent appellari ortæ ab oriente. Idem dico de ortis ab æstiuo oriente seu hyberno, transuersim enim feruntur, vt etiam oriuntur in parte illa.

Tertio loco sunt quæ.] Proponit has quæ non sunt adeò excoctæ, non tamen sunt putridæ neque crudæ: quia moderatè excipiunt radios solares licet præposterè. Cum autem in ventis alium ordinem seruet ac regionibus: nam occidentales Autumno comparat, & pessimos ac deteriores Borealibus facit atque Australibus: hic verò occidentales aquas præponit Borealibus atque Australibus, rationem afferre expedit, scilicet quod aër minus vitiatur à manifestis qualitatibus quàm aqua, cum neque crudus dici possit cum coctione non indigeat, neque putrescere possit. Sed à qualitatibus occultis magis afficitur cum penetret ad cor & cerebrum, aqua contrario modo, quoniam oportet vt concoquatur, ideò seu cruda sit seu putrida totum negotium peruertitur, igitur cum ab occidentali parte inæqualitas, & mala qualitas occulta magis prodeant, à meridie & septentrione calor & frigus, putredo atque corruptio tum cruditas aqua pessima erit quæ Austrum aut Boream versus tendit: aër qui ab occidente venit.

Pessimæ verò quæ ad Austrum.] Scilicet fontes suos habent: nam hæ immodico calore torrentur: nam de ortu simpliciter non comparatiuè intelligendum est.

Et quæ inter æstiuum ortum, & occasum.] Hoc est clarius: cum hæ non sint adeò exustæ, sed prope tropicum cancri exoriuntur,

ideoque minus salsæ & corruptioni obnoxiæ, hæ igitur sunt in quinto ordine. Sed harum quæ nobis sunt Borealiores, meliores sunt quam quæ ad Austrum, duplici causa: prima quòd sunt minus calidæ, & melius coquuntur à Sole cum pergant versus meridiem, quæ autem oriuntur à meridie, sunt magis calidæ ob situm & crudiores, quoniam tendunt ad Boream.

Eiusmodi in Italia sunt Hosa & Rubicon fluuij: nam Rubiconis aqua longè deterior est: cum Rubicon in Sinum Adraticum, Hosa in Tyrrhenum pelagus deuoluantur, quasi è regione positi.

LECTIO XLIII.

Super

TEXT. XIV.

HIs autem hoc modo vti conuenit. Quisquis sanus est ac valet, is nullum discrimen faciat, sed semper eam, quæ præsens est bibat. Quicunque verò morbi gratia eam, quæ commodissima est, bib ere volet, is, si ita fecerit maximè sanitatem assequi poterit. Quorum quidem vetres duri sunt, & idonei ad hoc vt amburātur, his dulcissimæ & leuissimæ ac splendidissimæ conducunt. quorum verò molles ventres & humidi ac pituosi sunt, his durissimæ, & crudissimæ, ac subsalsæ aquæ conferunt, sic enim maximè resiccari poterunt. Quæcunque enim aquæ optimæ coctu sunt, ac facillimè liquescūt, eas par est & ventrem maxime exoluere ac eliquare. Quæ vero crudæ sunt, & minime coctu bonæ, hæ magis constringunt ventres ac resiccant. At enim mentiuntur homines de salsis aquis propter imperitiam, in eo, quod per aluum secedere eamque soluere putantur. Maximè enim contrariæ sunt ad alui egestionem ac secessum, sunt enim crudæ & coqui non possunt. Quare venter magis ab ipsis adstringitur, quàm eliquatur. Et de fontanis quidem aquis hoc modo se res habet.

DOcet in præsenti Textu, quæ aquæ vnicuique magis conueniant: & optimè sanis optimas conuenire docet: sed cum dicat quod eam quæ est præsens bibat, videtur velle quod non intersit quam bibat seu malam, quod absurdum videtur. Ideo dico quod vult vt non assuescant se obligare cuipiam aquæ dum sunt sani: quapropter consulit, secundo Aphorismorum, (50.) vt ad inconsueta transeat, non ergo de continuo vsu, sed quotidiano & familiari, quod etiam consulit Celsus (in principio sui Operis) Melius est enim longè abrupta sæpius consuetudo si necessitas eueniat maximum periculum mutandæ consuetudinis euadere, quam continuando etiam si non cogaris vnquam mutare facilitatis emolumentum perfectæ apathiæ sentire. At qui iam morbosus est aquis prauis pro medicamento commodè ita vtetur, vt malum ei bene cedat, commoda autem bonæ aquæ vt vino comparatur, & tanguntur ab Aëtio (libro tertio, capite 165.) ad duodecim genera: capitis morbis sensuum, vt etiam per se sunt, maximè visus, neruorum & flauæ & nigræ bili, vteri affectibus, febri cuilibet vt febris est, pueris. Quibus robustus est venter & intestina, exudantibus, carnosis ac pinguibus: nimium purgatis, & calidis naturis. Vult ergo Hippocrates quod aqua optima bona sit his qui ventres habent calidos & duros: qualiscunque autem non pro vsu perpetuo, sed interdum his qui perfectè sani sunt, nam qui duras aluos habent & calidum ventrem, hi quasi medij sunt inter perfectè sanos, & habentes ventres humidos, molles ac pituitosos, hi enim morbosi iam sunt quibus aquæ dulces, & leues morbum adaugent.

Quomodo autem aquæ subsalsæ (nam de his loquitur) & crudæ conferant huiusmodi hominum generi, si velimus cognoscere, scire oportet qualis sit earum natura prius: & si hoc, etiam qualis ortus earum. visum est autem supra cum dixit (libro secundo, Textu primo,) aquæ vero eius multæ & subsalsæ, hyeme frigidæ. Et loquitur de regione exposita Austro & à Borea protecta. Quomodo autem aqua illa salsa fiat exemplo ex Galeno, (capite vndecimo, decimosexto, & vigesimoprimo,) sumpto declarabimus. Galenus enim in quarto de Simplicibus Medicamentis docet duo præcipua. Primum, quod salsus & amarus sapor fiunt per vlteriorem excoctionem, & ex salso si diutius excoquere perseueres mutatur in aurum. Secundum, quòd amarus sapor differt à salso quòd hic in sicca & humida substantia pariter sit amarus in prorsus sicca. Docet etiam quod aliqui sapores temporis vetustate sponte exsoluuntur, quidam augentur acris & amarus dicit, vt in vino & absynthio exsoluitur maxime austerus, inde dulcis, adeò vt mel vetustate, inquit, (capite decimo & vndecimo,) interdum amarescat. Dico inter salsum & amarum aliud discrimen est: nam amarum in crassa, salsum in tenui est substantia, nunc comparatiue loquor non simpliciter. Propter contrarium & alia, nam si metallica plantis comparaueris alia ratio erit. Propterea etiam Philosophus in libro de Sensu & sensili dicit, (capite quarto,) quòd salsum & amarum fermè idem sunt, & in altero extremo, scilicet non nutrientium: nutriunt enim dulcia & pinguia, nil amara & salsa: in medio inquit acria, arida, austera, astringentia. Et ob id salem addimus, ipsis dulcibus & pinguibus, vt adeò nutriant & ad remouendum fastidium, ne supernatent. Sal verò per se, inquit, terreum est. Idem paulo pòst inquit, (capite quinto,) salem habere odo-

rem & mare etiam, & magis quam nitrum, quia intus oleum continet. Proprium salis, quarto Metheororum, (Tex.45.) est liquescere, non mollescere, vt adeò transferri possit qui nullis flectuntur precibus sed vi, aut vt postmodum pœniteat acerbitatis ac duritiei. Causa autem salsedinis est humidum coniunctum siccitati. Vnde secundo de Anima, (Tex. com. 102.) salsum non sentitur nisi quia proximum habet humidum, quod liquescit: ideo natura coniunxit linguæ saliuam, vt per eam sapores discerneret. Amarum autem qui nil habet humidi, non per se percipitur, sed vt in saliua: propterea non statim vt siccum est, vt quilibet experiri potest, sed vbi dissolutum est per saliuam ipsam. Et causa salsedinis in mari, inquit Auerrois, secundo Metheororum com. primo.) est exhalatio exusta aqueo admista. Et dicit quod vnum mare etiam est altero salsius: Et credendum est quod intelligat etiam de partibus: nam maria omnia præter Caspium communicant inuicem, nec est verisimile quod gustauerit Caspium: ideo per maria intelligit partes maris, vt Oceanum, Adriaticum, Tyrrhenum, Rubrum, & eiusmodi. Et dat exemplum de vrina, sudore ex cibo & potu, & sumpsit ab Aristotele in libro de Sensu & sensili. Docet autem ibidem Philosophus, (cap. 3. in fine) non solum maria sed & fontes quosdam salsos esse, vt in chaonia: & modum conficiendi salem vt in Vmbria, & est pars Italiæ, quam vocamus Abrutium, esse fontem vbi arundines & iunci abundant, qui exusti vertuntur in cineres, ex quibus multum salis colligunt. Et quod non solum ex exustione terræ fit sal, sed etiam aluminis & calcis ac talium scilicet metallicorum. Et quod pluuia aqua maxime Austris collecta ob exhalationem terream exustam etiam salsa redditur. Ex his non obscurum est quædam non omnia salsa etiam fieri ob putredinem, nam & putredo quædam occurrit. De proprietate autem salsedinis dicebat Galenus quarto de Simplicibus Medicamentis, (cap. 20. in fine) quòd omni sali est vis obscura astringendi densátque maximè fossilis & siccat, idem fermè tertio de Alimentis, (cap.41. (vbi adiicit quod attenuat & digerit. Verum in nono de Simplicibus Medicamentis dicit, (cap. proprio,) quod tantum astringit quantum detergit. Idem secundo de Compositione Medicamentorum secundum locos inquit, (cap.5.) Sal hoc habet eximium vt magis astringat quàm purget. Sed ibi loquitur de externa vi vt per modum emplastri. Et tamen in sexto de Compositione Medicamentorum per genera, (cap. 2. sec. 2.) inquit scilicet Atramentum plurimum habet astrictionis, sal autem modicum. In vniuersum ergo aqua salsa & cruda ob cruditatem non facile expellitur, sed remoratur in ventriculo donec coctio perficiatur. Et ob siccitatem exsiccat superfluum humidum: ob caliditatem attenuat & resoluit: Detergit præterea ac digerit humidum ac pituitam & humorem crudum, demum astringit & corroborat ipsa membra naturalia, illa condensando vt ad futura munera coctionis & expulsionis tum retentionis sint magis idonea. Inde reddit rationem contra illos qui purgare aiunt. Sed ad Dioscoridem dicimus, (lib. 5. cap. 12.) quod aqua marina mouet aluum, & quia multum salis habet, & seorsum non cum cibo exhibetur & multa.

LECTIO XLIX.

Super

TEXT. XV. & XVI.

De pluuialibus autem, & quæ à niue fiunt, vt habeat, deinceps dicam. Aquæ igitur pluuiales leuissimæ, & dulcissimæ & tenuissimæ ac splendidissimæ sunt.

Antequam autem tractationem de aquis sponte nascentibus prætereamus, adiiciam quid de herbis illis innascentibus sentiat Oribasius, (lib.5. cap.3.) Inquit enim herbæ salutares, sicut præcipuum sium, nepita & adianthum prauis aquis si innascuntur minuunt illarum prauitatem: optimas tamen & inculpatas vitiant & reddunt deteriores: nam de herbis prauis aut malè olentibus, aut saporis ingrati dubium esse non debet quin omnibus obsint tam malis quàm bonis.

Hæc est tertia aquarum differentia sumpta à materia, constat enim pluuiam, niuem & grandinem fieri à vapore humido ascendente vi solis: tribuit autem ei quatuor præcipuas conditiones, quod sint leuissimæ, tenuissimæ, splendidissimæ & dulcissimæ. Interest tamen plurimum quomodo cadat, nam quæ cum tempestate cadit, vt infra videbitur, melior est: Melior etiam quæ vere cadit, & hyeme post Autumnum atque in eo, & noctu quàm interdiu, quæ autem guttis minutis cadit, & post caniculam eiusque tempore, & post brumam & maximè in die, mala est, nam quæ post brunam nix est liquefacta, quæ in diebus canicularibus multum habet terrei exusti, quæ guttatim cadit haud repurgata est, vt infra docebit: Discrimen de die ac nocte exiguum esse puto.

TEXT. XVI.

Primùm enim sol, quod tenuissimum & leuissimum est in aqua, educit ac sursum rapit. Clarum autem hoc, ipsum mare facit. Quod enim salsum est, isthic relinquitur præ crassitudine ac grauitate, & fit mare. Quod verò tenuissimum est, sol sursum rapit præ leuitate. Rapit autem tale non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex ipso mari, & ex omnibus in quibus aliquid humoris inest. Inest autem in omnibus rebus. Et ex ipsis

ipsis hominibus tenuissimum ac leuissimum humorem ducit. Eius rei maximum signum inde sumere licet, vbi homo vestibus indutus in sole iter fecerit, aut sederit. Quascunque enim corporis partes sol aspicit, hæ non exudant. Sol enim, quicquid compareret sudoris, sursum rapit. Quæ verò sub veste contextæ sunt, aut sub aliqua alia re hæ exudant. Educitur enim ac domatur à sole sudor, seruatur autem ex tegmentis, vt ne disperdatur à sole. Cum verò in vmbram deuenerit, totum corpus similiter sudore perfluit. Non enim amplius sol affulget.

Reddit rationem quoniam aqua eleuatur à sole sub vaporis forma, sed sol quod leuissimum est, semper eleuat: nam leuis solius est ascendere: quod autem leuissimum est, idem etiam est tenuissimum: hoc igitur probat inducendo singula à stagnis, à mari, dicit à quibusuis rebus, non hoc adiicit quod necessarium esset ad id quod sumpserat demonstrandum, sed ad id quod postmodum subiungit, scilicet quod aqua pluuia est collecta ex diuersis partibus, licet in vniuersum leuioribus & repurgatis.

Dicebat igitur in secundo de Diæta (pag. 9.) Idem quòd hic, sol & ignis corpora siccant. Verùm vbi non sint solis radij, vt in vmbra aut sub vestibus sudor seruatur. Quòd vero dicit: Quæ vero sub veste contectæ sunt, aut sub aliqua alia re exudant & reliqua. Sensus est clarus licet verba videantur obscura & interuersa: & est sensus huiusmodi partes quæ soli detectæ sunt non exsudant, quoniam sol enim quicquid trahitur extra consumit, quæ vero sub veste contectæ sunt, cum homo est in sole etiam exsudant, educitur enim sudor à sole atque domatur, non tamen absumitur quia integumenta illum seruant, cum verò ad vmbram peruenerit sudor asseruatus confertim effluit. Ex qua sententia duo habentur: primum quod facit ad eius intellectum. Primo de Tuenda sanitate, (cap. 12.) vbi dicit: Reliquum excrementorum genus in singulis animalis nascitur particulis ex ipso vnde aluntur succo: aliud quidem ceu semitectæ quæpiam reliquiæ quæ assimilari nutriendæ parti nequiuerunt: aliud quod prius transmittendi alimenti fuit vehiculum nunc functum officio humidum tenuéque superest: quale nimirum serosum illud iam dictum quod ex vasis, id est venis & arteriis in vesicam defluit. Huic excremento nullus certus à natura præscriptus meatus est, expellitur tamen partim actum per ipsa molliora corpora, quæ fluentis eius violentiæ cedunt, potissimum cum à spiritu maiore impetu irruente impellitur: partim etiam per exiguos omnes corporeæ molis meatus, πόρους Græci vocant: quorum non modo reliquum corpus vniuersum, sed etiam tota cutis plena est. Dictum autem nobis de generatione, horum est in libris quos de Temperamentis edidimus. Ergo tenuissimum huius generis excrementum facile sanè eiicitur, partim in speciem halitus ab insito calore solutum, partim vero lento motu confertim erumpens. Appellant vero quòd ita excernitur sudorem. Alterum verò, cui nullum publicè nomen est, quòd videlicet nec vulgò est cognitum vt quod conspectum præ tenuitate effugiat ab iis, qui id ratione contemplati sunt, ἄδηλος αἰσθήσει διαπνοὴ Græce, id est transpiratio vel perspiratio vel perflatus sensum latens vocatur. In hoc insensibili perflatu etiam crassioris excrementi nonnihil excernitur. Huic autem & vehementiore deducente calore, & impetu impellente maiore opus est, cum alioqui periculum sit, ne ante itineris finem sistatur saltem ad cutim. Secundum est quod Aristoteles dicit secunda Problematum: (37.) Cur ad solem acrius calefacientem corpora quæ nullo indumento teguntur, nihil penè sudant, quæ autem veste intecta sunt copiosissimè sudant? nam non vult quòd non sudent, sed quod sudor asseruetur sub vestibus & immergatur, Aristoteles autem considerat solum effectum quòd sudent: Hippocrates quod appareat: Vt sit sensus hic, corpora in sole nuda non sudant, quia tenuissimum absumitur: contecta autem pannis sudant, licet non appareat sudor, quia & sol extrahit quod tenue est, & integumenta prohibent resolui: sed cum ad vmbram venerit tunc effluit. Sol ergo leuissimum attrahit ergo tenuissimum, igitur aqua pluuialis est leuissima & tenuissima, igitur splendidissima, quare etiam dulcissima, non enim idem est de aqua pluuia, quod de aqua fontium aut fluminum, nam pluuia potest esse dulcis reliquæ non ita, cum enim tota sit aërea ac, vt ita dicam, aquæ spuma dulcis esse potest, nec suspicio est de ea vt illa dulcedo sit ob terræ mistionem, aut alterius rei vitiosæ.

Nunc superest vt videamus quomodo fiat pluuia, grando & nix. H. Fracastoreus in sua disputatione, (Itinerum vol. 1. fol. 284.) de pluuia dicit, quinque sunt necessaria ad pluuiæ generationem, primum est materia ipsa aquea, quæ colligitur à mari non solum & stagnis, paludibus, lacubus, fluminibus, fontibus ac riuulis, tum alia aqua collecta, ex puteorum exhalatione, quam hyeme perpetua videmus, sed à terra madefacta & humida, adde in magnis caloribus etiam ab aqua ipsa quæ sub terra fluit etiam profundissimè latitante. Secundum est calor solis ac stellarum dissoluentium aquas in tenues partes quas vapores appellamus, vnde tum ob leuitatem tum ob motum ascendunt quasi relisa à loco inferiore, hoc ipsum non declarat: sed solum quod dissoluatur ob raritatem, quæ à calore proficiscitur. Quod autem relisi & non attracti, & proprio impetu elati ascendant, ostendit experimentum, nam flante vento eleuantur paleæ, festucæ, puluis, pluuiæ: calor verò impellit humidum in contrariam partem, quia humidum cupit conseruari, & calor illud dissoluit. Et si ponatur ignis à latere, aqua ab alio, vapores secedunt in contrariam partem

tem ignis, sed ascendentes sponte ab aqua, aut terra humida retinent illum impetum dum exeunt. Et inde resiliunt moti à sole versus terram. Et si hoc non esset quid prohiberet, ne ascenderent vsque ad cœlum lunæ, aut saltem multo altius? Vix enim ascendunt ad tria millia passuum cum maximè ascendunt. Et si dicas quod balneum euocat sudorem, cucurbitula trahit: sed non quia calor trahat, sed motu vacui vt appellant seu continuitate. Calor autem attrahit ad se, quoniam materia subiecta rarescit, & occupando maiorem locum non minus intrò pellit quam extrà ducat, vnde qui in balneo sunt & tempore æstatis suffocari videntur: quod nullo modo fieri possit nisi vapor etiam intropelleretur. Natura etiam animalis ob hoc detrimentum extrapellit. Vnde aliqui moriuntur in balneo suffocati, vt ille iam triennio elapso Bononiæ, cum fuerint vires imbecilles, & humidum multum, & cor calidum. Nec est quicquam certius experimento, cum videamus vaporem vbi locus pateat refugere à calore. Tertium est, vt vapores illi in vnum coeant, idque partim à sympathia materiæ vnius generis, partim à frigore in aëre quod refugiunt vapores, vt dixi iam quodatenus calidi, seu etiam manifestè calidi, quod frigus ipse ad quandam antiperistasim cum aliis Peripateticis reducit: nos ad aëris naturam propriam traducimus. Quartum est vt coacti vapores in vnum nubémque, quam vocamus efficientes in aquam transeant. Et tunc nubes ipsa ob opacitatem nigricat: dum candida est aut rubea non descendit pluuia nisi per guttas magnas & raras, potest enim alba esse & guttis constare, sed ob raritatem à sole necessariò illuminatis: aliter non esset alba neque rubra, cum ergo nigricat iam tunc densata est in guttas, & guttæ etiam inuicem coactæ sunt, quare grauior effecta descendit, & hoc est signum certum imminentis pluuiæ. Et tum etiam si coeat nebula vt æqualis sit seu plana, seu caua & solis radij ex aduerso ad illam perueniant iris repræsentatur. Et propterea Iris serenitatem futuram nunciat, quia claritatem solis ex parte vbi est, id verò signum serenitatis certum. Et ob id dixit Moses, quod illam posuit Deus signum fœderis Dei cum genere humano, quia significat aërem humidum præsentem & futuram serenitatem: & ideo securitatem à diluuio & conflagratione. Demum, vt descendat & hoc efficit grauitate, sed prius si dissoluatur, magis liberè descendit, ostendimus enim aliàs Germanos colligatis brachiis tranare flumina: quod graue diuisum in minima velocius descendit cum sphærula vnius æquali velocitate feratur ad terram vt decem librarum, si sint ex eadem materia.

His visis superest, vt videamus cur nix fiat grando aut pluuia? cur pluuia vtrique sociari possit grando, & nix non simul? Cur nix hyeme solum, grando solum æstate? Cur nix in glaciem transire nequeat: cum flumina & lacus ac mare glacientur? Ergo materia horum trium vna est vapor humidus à calore sursum attractus: qui si mediocriter cogatur fit pluuia: si cogatur nimis, & vt durescat, grando: si non cogatur sed antea geletur, nix, cum ergo pluuia media sit inter niuem & grandinem, ideo extrema illa inuicem sociari non possunt: medium vtrique extremo seorsum potest, habes primorum duorum Problematum causam. Vt vero geletur antequam cogatur tria sunt necessaria, vt geletur antequam consistat, hoc accidit hyeme cum aër hic frigidus sit: cuius inditio est pruina, ideo nix & pruina necessariò eisdem temporibus fiunt. Et pruina iuxta terram, nix altius, pluuia altius, grando verò altissimo loco, vt iam constiterit. Secunda vt non cogatur à ventis: nam venti trudunt vapores, & nubem veram efficiunt: at hyeme silent venti, vt aliàs ex Aristotele docui. Ideo cum nix futura est, tempus est tranquillum. Tertia vt frigiditas tanta sit, postquàm vapor qui coactus est adeò leuis est, vt potius sursum ferre natus sit quàm descendere vt magis cogatur, vtque ob id grauior factus descendat: id fit iam multitudine ipsa & frigore proprio, vt dissolutæ partes iam incipiant cogi, & non descendit præsertim quod à ventis, nullis sustineatur. Nebula autem niuis, non propriè nebula est quia rara est, nigrescit tamen ob immensam altitudinem, sicut omnes aquæ altissimæ, etsi splendidissimæ sint videntur opacæ. Contrariis ergo causis fit grando: nam & vapor ad altissimam regionem cogitur, quæ cum frigida per se sit, vt aliâs ostendimus, quia aër talis est, bifariam etiam secus refrigeratur, & per Antiperistasim ob calorem solis vndique locum ambientem: Vnde nunquam potest esse grando eadem hora quæ totam prouinciam occupet: quoniam adeò refrigerari ille aër non posset ab Antiperistasi. Secunda est ventus: vnde sine ventis imò magnis & contrariis inuicem grando decidere non potest. Venti enim contrarij tria efficiunt, cogunt nubem in guttas: frigus ipsum constringendo adaugent, & terream partem grandini, vt magis durescat, intrudunt. Hæ igitur duæ causæ cum non nisi æstate esse possint, eo solo tempore grandinem generari contingit, cur autem nix non in glaciem transire possit, nec à frigore hyemis quamuis gelata in guttas coeat, causa est quoniam si motus non adsit quanto maius est frigus, eo magis gelascit, & non potest neque dissolui in vaporem mollem, neque verti in aquam. Si venti superueniant etiam quòd sint frigidi, val abducitur vel cogitur in aquam: sed cum est conuersa in aquam descendit: & hæc est causa quod quandoque transit nix in pluuiam. Si vero dum conuersa est in aquam per ventos, venti illi cogant eam altius resilire cogitur in grandinem. Et tum media hyeme grandinat. Et quoniam omnis grando ex altiore loco venit, descendit etiam magno cum impetu.

LECTIO

LECTIO XLV.

Super

TEXT. XVII.

QVapropter etiam ex omnibus aquis hæ citissimæ putrescunt, & odorem malum pluuialis aqua habet, eo quòd ex plurimis congregata est ac permixta, vt citissimè putrescat.

CVm docuisset formam aquæ pluuialis quæ optima est, scilicet quoniam tenuissima, leuissima, splendidissima atque dulcissima: declarat modò materiam quæ est obnoxia putredini, & malo odori, velut collectam ex pluribus natura dissidentibus, cadaueribus, mari, cloacis, lacubus, paludibus, stagnis, luto, cœno, sordibus, aquis crudis, metallicis. Vnde constat primum post magnas clades neque ventos neque pluuias esse tutas, vt neque post interitum locustarum, & post terræ motus. Ac rursus aquas destillatas vim habere, eorum à quibus destillantur. Inæqualitas hæc atque natura substantiæ diuersa, est causa putredinis, cur autem id contingat vt mista non loco sed substantia varia, facile putrescant, duabus contingit id potissimum rationibus: tum primum quia quæ facillimè pars putrescit, ea omnes alias in consortium trahit. Secunda quod quæ diuersa substantia constant, aut vt in generationem coëant necesse est: aut in corruptionem, cum igitur calores sint diuersi, vnusquisque alteri materiæ externus erit, putredo autem fit à calore externo, vt quarto Metheororum habetur, (cap.2.) Experimentum etiam docet, nam si cerasa, poma & carnes confuderis, singula celerius putrescent, quàm si per se & seorsum disponantur. Vnde fit odor prauus, velut bonus à concoctione, ita malus à corruptione, est enim concordia magna sensuum, & maximè eorum quæ ad salutem spectant. Boni odoris aqua nulla tamen est, (lib.31.cap.3.) vt dixi, quoniam alienam refert qualitatem, præterquam Caburæ fontis in Mesopotamia. Quòd autem dulcissimam appellauerit, forsan in dubium reuocari posset, quoniam est simplex elementum, quomodo ergo dulce esse potest? Respondeo quod nisi videremus Mannam adeò dulcem magis quàm lac, licet minus quàm mel & saccharum, & tamen constat solo rore cœli, vt manifestum est, possemus dubitare, nunc cum videamus concoctionem tantum posse, & in eadem materia scilicet vapore aqueo, non est vt dubitemus. De causa autem aliud est, vt Plinius refert. In vniuersum ergo vult Hippocrates vt aqua pluuia statim bibatur cum cecidit, (lib.3. cap.16. quod etiam testatur Aëtius. Debet autem colari. Sed ille addit præter hæc, Febricitantibus tamen & his qui bilem superne ac inferne reddunt, & regio morbo laborantibus incommoda. Igitur hoc penè modo ferme reddetur inutilis, quoniam quis vsus eius erit nisi quotidie pluat. hanc difficultatem vt reliqua sicco pede transeunt. Cæterum & illud grauius Oribasij, (lib.5.cap.3.) accedit testimonium dicentis: De aquis pluuiis ita statuo: aquæ pluuiæ leues sunt, tenues, puræ, & gustanti dulces: sique in eis aliquid elixes, celerrimè elixabitur: sique eas calefacias celerrimè calefient, & vino perexiguo temperantur, quo circa bonæ sunt, & ad concoctionem, & ad vrinarum excretionem, itémq; accommodatæ iecori, lieni renibus, pulmoni neruisque: cum enim vis non admodum refrigerans in eis sit, idcirco benigniores hisce partibus fiunt. Vernæ igitur atque hybernæ maximè oportunæ sunt atque optimæ, quas ego laudo vel maximè, autumnales verò atque æstiuæ fuerint quidem aliis meliores, sed non omnes omnibus, nam viribus quidem antecellunt eas, quæ sunt in terra, verum quantum superentur à vernis atque hybernis ne dici quidem potest: nam æstate atque autumno terra ficciores vapores edit aërque multas terræ sordes habet quæ pluuia expurgantur. Idcirco fit, vt tales aquæ ficciores & nitriosiores sint, & ad astringendum, ac per intestina descendendum accommodatæ, sed neque renibus neque pulmoni neque arteriæ, idoneæ, quin etiam plus vini has ferre necesse est, vt nitrosa facultas vincatur. Iam vero aquæ non parua differentia ex ventris aquilonaribus, & austrinis accedit: nam flantibus aquilonaribus, dulcior pluit quidem, sed frigidior: austrinis vero spirantibus minus dulcis sed calidior. Quin etiam Galenus quarto de Tuenda sanitate, (cap.6.) in compositione oximellitis negat sibi placere aquam pluuiam. Princeps secunda primi, (Doct.2.cap.16.) dicit illam excoquendam. Versamur ob id inter plurimas difficultates: verùm vna est responsio: duo insinuat Hippocrates quæ sit optima aqua pluuialis respondet: eámque optimè seruandam ac curiosissimè quod facillimè putrescat, indicio esse malum odorem, quandocunque ergo occasio dabitur, vt superius dixit, ea excolata vtemur, seruabimúsque donec corrumpatur loco perspirato & frigido: indicium erit odor. Quod verò hoc vel illo tempore decidat licet intersit, melior tamen semper est fontana, fluuiali & cisterna, propter rationes adductas: cocta autem, aut potius destillata diutius seruabitur, & erit melior etiam fontana, non tamen ea quæ nuper decidit. Et hoc docebit inferius. (Tex.21.)

Hinc subit recordatio earum quæ in cisternis colliguntur quæ non putrescunt, maxime si frequenter hauriendo agitentur, & hæ sunt pluuiales non corruptæ neque ab igne mutatæ, has ergo constat optimas esse inter omnes, quamuis Plinius (lib.31.cap.3. in initio,) ab hac opinione dissentiat, construuntur vt ipse docet arenæ partibus quinque calcis quam vehementis partes duæ, silicis fragmenta miscentur: sed nostra ætas spongias addit, vt sordes in iis colligantur. Io. Brunerius (lib.36. cap.23.) multa tamen his aquis obiicit: quòd limosæ sint, quòd animalia

animalia parua innaſcantur fœda & odioſa, quòd pigræ ſint, quòd calcis viroſum ſaporem retineant, (lib. 16. cap. 9.) At hæc omnia non aquas damnant, ſed cuſtodire eas docent, quippe ex vetuſta ciſterna virus nullum manet, ſi perpetuo hauriatur non putreſcit: ſi piſces candidi in ea nutriantur, animalculis carebit. Si ædificium conſtruatur argilla, topho, arena carbunculoſa, ſabulum maſculum etiam & glarea & rubra ſaxa probantur, quæ ratio eſt obſeruanda etiam in riuulis, fontibus, ac fluuiis tum puteis. Hæc igitur Hippocrates non illis quæ pluuia decidunt, ſed ad oſtendendum quod optimæ ſint, dixit: Propterea adiicit.

LETTIO XLVI.

Super

TEXT. XVIII. & XIX.

Ad hæc verò, vbi rapta eſt & in ſublime eleuata, dum circumfertur & ad aërem permiſcetur, & quod turbidum eſt in ipſa ac noctem refert, id excernitur ac decedit, & fit aër, & nebula: quod verò tenuiſſimum eſt ac leuiſſimum in ipſa, hoc relinquitur ac dulceſcit, dum à ſole vritur ac coquitur, fiunt autem & alia omnia, quæ coquuntur, ſemper dulcia.

Tria ſunt quæ difficultatem magnam pariunt in hoc Textu: primum eſt relatio ad præcedentem, cum enim ſenſus ſit exhalatione in ſublime rapta quod turbidum eſt, & terreum dum circumagitur ab aqueo & leui ſecedens in aërem & nebulam. Sic oſtendit non de eiſdem partibus loqui, ſed pluuiam ex aquea & tenui, terreum verò abire in aërem, ἠὴρ enim caliginem etiam ſignificat & obſcuritatem, vt Homerus ἐκάλυψε δ' ἄρ ἠέρι πολλῆ, id eſt, texit multa caligine. Æther verò apud antiquos liquida & clara pars aëris ipſius intelligitur, ídque ſecundum. Tertium eſt maioris ponderis vox ὀμίχλη, Ariſtoteles (lib. de Mundo.) Ὀμίχλη ἐστὶ δὲ ἀτμώδης ἀναθυμίασις τις ἄγονος ὕδατος, ἀέρος μὲν παχύτερα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα. Id eſt ὀμίχλη, quam pro nebula interpretantur eſt expiratio quædam roſcida aquæ nequaquam genitrix, aëre craſſior, nube autem rarior. Intereſt inter nubem & nebulam quod inter νέφεον & ὀμίχλην. Eſt autem nebula vapor qui non dum concreuit in nubem: Mediolanenſes proprio nomine nebiam vocant Veneti Caligo: Vnd Virgilius.

At Venus obſcuro gradientes aëre ſepſit.
Et multo nebulæ circum Dea fundit amictu.

Nubes autem vapor humidus in ſublime elatus qui ſolem obumbrat. Vnde Cicero, (ſecundo de Diuin.) Si autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen. Adeò vt inter nubem & nebulam duo interſint: nubes altior eſt atque inde denſior nebula humilior & rarior, cuius cauſa eſt quòd nebulæ materia aut terrea eſt aut nimis arida, vt vel ob grauitatem poſſit aſcendere, aut ob ſiccitatem concreſcere, ideò diuiſa manet, nebula autem tenuis & humida, ideóque aſcendit atque concreſcit. Dicebat Galenus primo in primum Epidem. (Comment. 8.) Nebula noctu deſcendit in rorem, & ſimiliter ſi aſcendat fit nubes quam ſi ſol illuſtret, & radiis pertranſeat fit alba, ſin autem plane excludat eos atra. Quibus intellectis non eſt obſcura ſententia Hippocratis quæ talis eſt: Pars vaporis nigra & terrea, quæ ſurſum trahitur in aërem tranſit, & ipſum obſcurum reddit æſtate, hyeme autem efficit nebulam, quod verò tenue eſt, & humidum concoquitur altius attractum atque dulceſcit, nam & alia omnia eiuſmodi dum coquuntur dulcia euadunt. Quocirca notanda eſt vna regula dialectica, quæ eſt, quòd propoſitio per ſe quatenus ſimpliciter recipitur fit vniuerſalis. Velut in hoc caſu, omne aqueum coctione dulceſcit, id eſt donec manſerit aqueum dulceſcit: nam & mel ab initio dulceſcit, vera eſt ergo propoſitio Hippocratis generaliter, quia & ſi mel dum vlterius coquitur amareſcat, cum amareſcit amplius non erit aqueum, verum eſt ergo dictum Hippocratis. Et ideo melius etiam ad propoſitionem per ſe deducetur, ſi modo Galeni quarto de Simplicibus (cap. 17.) medicamentis eam determinauerimus ſic, omne quod non eſt maxime dulce à calore dulceſcit, nam mel aliquando fiet coctione dulciſſimum, & tunc amplius dulceſcere non poterit. Sed quoniam ſaccharum aliquod eſt, quod neque maximè eſt dulce, nec coctione dulceſcit: ideo præſtiterit ad propoſitionem per ſe eam reducere ſcilicet: omne aqueum coctione dulceſcit: quia cum non dulceſcit deſinit eſſe aqueum.

Dubitat Alemanus ex Theophraſto, qui dicit ſexto de Cauſis plantarum, (cap. 3.) & ſumpſit ab Ariſtotele, quod ſapor & odor non ſunt niſi miſtorum, quomodo aqua in nubibus dulceſcere poſſit, cum aqua ſit ſimplex? Sed facile eſt reſpondere, nam argillam dulcem eſſe ait, quia parum miſta, ideo ſubdulcis eſt, velut etiam aqua. Quouſque autem aquam coquere expediat artificioſa coctione declarat Galenus quarto in ſextum Epidemiorum (Com. 10.) dicens: tum aquam eſſe coctam cum aërem admittat, quemadmodum dicit Hippocrates in Textu: verùm ego interpretor cum in ſpumam tota conuerſa fuerit non pleno vaſe ne diſrumpatur & cum operculo, ſic enim melius & tota æqualiter coquitur, nam ſi ſine operculo quamuis bulliat in ſummo, in fundo frigida eſt, vt experimentum docet.

TEXT. XIX.

Qvandiu igitur diſperſa fuerit, & nondum congregata fertur ſublimis. Vbi verò coaceruata fuerit, ac

ac simul congregata derepente à ventis inter se aduersariis, tunc deorsum prorumpit, qua parte plurima collecta fuerit. Tunc enim hoc magis fieri verisimile est, cum nebulas à vento stabilitatem non habente concitatas ac procedentes, derepente ventus contrarius, ac aliæ nebulæ reliserint: atque tunc quidem prima ipsius pars congregatur, quæ verò à posteriore parte sunt, insuper accedunt, & sic crassescunt, ac simul congregantur, & præ grauitate deorsum prorumpunt, & pluuiæ fiunt.

OStendit quomodo aqua descendat, & qua parte descendat, & causas cur congregetur, & quod non tota descendat, cur igitur descendat dicit, quia congregata, fit enim grauis, & omne graue deorsum tendit: ideóque descendit, congregatur autem ob ventos contrarios qui eam constringunt: nam simplices venti transferunt nubem. Et qua parte primum congregatur, eadem primum descendit. Vnde sequitur, quod tota vnquam vix descendat, quia vix etiam fieri potest, ne vnius venti impetus desinat ante alium: aut saltem vt non sit è regione oppositi, & tunc reliquiæ nubium transferuntur in aliam partem: quod videmus aperte in finibus æstiuorum nimborum manifestè. Et quia huius proposuerat duos modos subiicit secundum.

Tunc enim hoc magis fieri.] Proponit alium, vt dixi, modum qui frequentior est, rarò enim accidit vt venti contrarij simul oriantur, sed post instabilem & varium frequenter suboritur vnus qui incertum vagantes nubes cogat & collidat, ac tum descendit pluuia. Et dicit quod tunc primum prima pars, id est vento propior congregatur cum aliæ anteriores hincinde ferantur, & fit nigra, inde descendit, post statim pluit: perseuerante autem vento illa pars & sequentes præoccupant & superueniunt quasi fugientibus, si venti alij non propriè contrarij sint & imbecilles, & tunc augetur nubes atra & pluuia. Ideo ex hoc etiã facile est cõiectari procul vbi nubes moueri non conspicimus, qua parte vẽtus veniat, nam & hoc ad salubritatem corporum, & forsan etiam aquarum aliquid potest. Hinc colligitur nubem non totam fieri, sed sensim vt pluuia decidit.

Hic licebit exquire quomodo fiant fulgura? scilicet, an verum sit quod ex concursu ventorum, de quo hic in litera, vt aiunt Philosophi. Nam Aristoteles secundo. Metheororum, (cap. penult. toto & vlt. in fin.) Proponit tria principalia quæsita, cur coruscatio? cur descendat & non ascendat, cum sit de natura ignis? cur tonitru? alia tria minùs principalia: cur non sereno tempore? cur non semper dum nubes adsunt? dicitque duas esse corruscationes? Addo ego totidem, cur cum tanto impetu? Et cur aliquando lapis & an adsit? & cur redoleat sulphur? Fulgur appellant tenuiorem corruscationem, fulmen crassiorem, & de hoc est libellus filij mei: ex quo colligam quæ de his proponuntur. Aristoteles, cum ex similibus ad similia processerit, vnum præsupponit quod est verum. Exhalationem seu vaporem siccum ac terreum eundem esse causam terremotus in terra: & ventorum in aëre, & fulguris ac tonitrui in nebulis. Sed in hoc aberrarunt Peripatetici omnes, quoniam conantur reducere in ventorum vim tonitrui sonum & impetum fulminis. Narrat autẽ Auerroës ex authoritate Principis, (2. Metheor. com. vlt.) quod fuerũt inuenta frusta quædã similia ferro & æri quę deciderunt ex fulminibus quæ ipse igne conatus est liquefacere, & non potuit, sed corrumpebantur ab igne. De descensu dicit Philosophus & rectè quod relisitur à superiore parte, tanquam à contrario quia frigida, cum exhalatio sit calida & delata ab inferiore parte ad superiorem: ideo pari impetu extruditur, & si leuis sit ignis ad inferiorem: & dat exemplum pulchrum de nucleis exclusis à digitis, qui superius tendunt ob impetum quamuis graues sint. Auerroës autem vult quod ad hoc etiam faciat grauitas partis terreæ in fulmine: nam fulgura videtur sentire quod non semper ad terræ descendant: & est ratio non leuis pro ipso, quoniam tametsi & fulmina sursum aut in transuersum ferantur, tamen tandem cum graue semper necessario in fine inferius tendat, necesse est cum impetus ob velocitatem maximam non possit multũ decedere, vt feratur demum ad terram cum impetu magno etiã, causa quòd accendatur exhalatio, est frigus contrariũ cogens eam: vt de calce & aqua, tum motus ob ventos: vnde accẽsa occupat longe maius spacium, ipso Philosopho & experiẽtia testibus, & cum accendatur statim magna pars illius exhalationis dissecat aërem & nebulã velociter, & cum nebula non possit adeò celeriter loco cedere, vt quæ quãto magis cedit, eo minus cedere possit ob densitatẽ, eo deuenit vt pars superior & latera sint immobilia, & habeant hæ partes rationem culi & laterũ machinæ ignee, & non fit hoc infra, quoniã natura ignis est, vt tendat sursum. Ergo tanquã ex machina pendente defertur fulmen, quod aliquando est sola coruscatio, aliquando vt arena & frustula lapillorum, & aliquando lapis palmi longitudine aut maior, frequentius minor, aut lapides, adeò vt sint fulmina triũ generum, defertur deorsum cũ illo impetu & bõbo, sicut videmus hic in machinis ad vnguem, quas bombardas vocamus, & ideò olẽt sulphur omnia fulgura, vt etiã visum est in Palatio Bononiæ cũ cecidit fulmẽ: & de arena: nã perfodit muros in pluribus locis & palmi, aut amplius longitudine, & non penetrauit nisi in vno aut duobus locis, pars ea quæ erat lapidea & parua, vt ex foramine deprehendebatur, in aliis erãt foramina quæ stylũ tenuẽ vix caperent & tamẽ lõga. Ex quo patet quod sereno tempore nõ potest fieri, quia & si fiat ignis non cõcluditur inter nubes, sed exhalatur ad superiora & ad latera. Et si nubes sit rara, vt niuis tẽpore in hyeme, non fit, nam rara est vt superius dixi, nec exhalatio terrea tunc sursum ferri potest. Solum remanet illud admiratione dignũ, quomodo possit in tam breui spacio pars illa sulphurea: verti

ac præparari in formam pyrij lapidis, vt totus simul possit accendi, ad hoc sublato neque fulmen neque tonitru fieri posset.

LECTIO XLVII.

Super

TEXT. XX.

ATque hæ quidem aquæ optimæ sunt secundum hanc rationem. Verum opus habent vt decoquantur, ac excolentur; Sin minus, odorem prauum habent, & raucedines & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par est.

OStendit aquas pluuias quæ hoc modo descendunt optimas esse: quod tamen his aduersari videtur, quæ dixit quarta particula sexti Epidemiorum (Tex. 19.) Aquarum arte carentium quæ ab Æthere excreta est, aut cum tonitru temporaria: procellosa verò mala. Vbi videtur naturali præponere etiam artificiosam, cum dixit (arte carentium) quasi velit non simpliciter pluuiam etiam si ab æthere excernatur optimam esse. Proponit autem tria illius genera: quæ ab Æthere, id est quasi sereno tempore nubibus albis excerni solet: aut cum decidit sine tonitru guttatim, ac quasi repente, vt in æstate fieri solet, cum hæc purissima sit, alia quæ cum tonitru decidit temporaria, id est repentina aut temporaria, id est repentina aut temporaria, respondens tempori vt in fine veris principio Autumni & per totam æstatem, non autem in fine Autumni, vel per hyemem, aut etiam à principio veris: tunc enim hæc temporum perturbationes cum sint præter naturam, fiunt à violentis exhalationibuss, vt aquæ illæ non sint adeò tutæ. Sed redeo ad Textum illum: dicit procellosa vero mala. Sed quæ est procellosa illa? Græcus codex habet λαιλαπῶδες à λαίλαψ, quod est imber cũ turbine, id est delatus impetu ventorum. Propterea Galenus, qui tot ibi dicit, vellem vt hoc saltem explicaret, in quo differat ab ea quæ cum tonitru venit: nam procellæ tonitrua habent. Dubium non est, illum tres aquas describere pluuias: quarum, quæ ab æthere est, id est puro aëre optima est, cum pars cœli serena est, pars non admodum nigra nube tenetur: alia quæ est conueniens tempori, & cum tonitru, liquet ergo cum procellosam temporariæ opponat, hanc vocare quæ solitis temporibus euenit, & moderata est: vituperare eam quæ insolito tempore, & confestim ac breui tempore perdurans effunditur, quasi immoderatis ventis concretam, nec à sole concoctam cum tempus vndequaque serenum extiterit, ipsa vero repente proruens exciderit è cœlo. Vt procellosa tempestiue è directo opponatur. Est ergo tempestiua quæ verno tempore aduenit tum æstatis initio, & sub arcturo, & in ortu & occasu signorum, velut pleiadum aquas effudentium procellosa intempestiua. Sed & quæ cum grandine venit, omnis procellosa est, quoniam frigida & altius concreta, vbi fit grando, vitare etiam oportet aquas quæ à tegulis fluunt, & maximè ab initio pluuiæ: nam cum eas abluant sunt sordidissimæ & nigræ etiam. Quæ igitur hic dicuntur de duobus primis generibus aquarum, scilicet quæ à puro Æthere, & cum tonitru temporaria sunt intelligenda, nam prima est absque exhalatione terrea prorsus quia sine tonitru, secunda concocta cum sit temporaria & præcedentibus nubibus.

Reliquum est vt videamus an tales aquæ debeant statim excoqui: & si iam putrescant, an excoquendo emendentur: & quomodo, seu qua parte decrescente sint excoquendæ? & cur noceant præcipuè voci, raucedinem etiam excitando? Alemanus (lib. 31. cap. 3.) consulit aquam vsque ad dimidium excoquendam ex Plinio, sed melius cum Diocle apud Oribasium dicat, (lib. 5 collect. cap. 4.) vt tertia pars decedat admiscétque alba ouorum, & in amphoram aquæ argillæ siccæ semisexturium, id est partem XXVII. imponit, nam amphora pro mensura XXXVI. continet sexturios. Aquam præterea malè olentem iam calefactam manu sub vento agitando in magno vase inde in parua transfundendo corrigere docet. Galenus quarto in Epidem. (Com. 10.) proponit duos primum vsus excalefaciendæ aquæ, vnum cum est lutulenta, sordida, fœtida, ad remouendum has prauas qualitates: alterum cum etsi bona sit, ventriculo noxia est aut quia tardè descendat aut percellat aut quia laxet aut prægrauet ipsum, in vtroque casu meminit solum vt calefiat non vt decoquatur ad dimidium, nam ex calefactione dicit, duplex accedit commodum vt tenuior, & ideo concoctu facilior, & minus inflans euadat, alterum vt quæ in ea mista sunt sponte descendant, dum permanet quieta, & ita purgetur, dico quod potest addi tertium exhalatio vaporum tenuiorum, & ita vt abscedat malus sapor & odor: Et si quis dicat, quod etiam absque refrigeratione quiescendo poterunt descendere partes terreæ, & ita purgari: dico quod non, quia calor illas in aqua sustinet. Dicit ergo ibi, aquas coqui in vsum vt reliqua. Et ideo duplex est vsus coctionis maxime herbarum. Sed & carnium vnius, vt res quæ coquitur melior & suauior reddatur: alter vt vis eius quod coquitur in aquam transfundatur, vnde etiam fiunt iura. Docet præterea vsum duplicem talis aquæ calidæ & frigidæ: frigidæ dicit, vbi nil noceat, est enim iucundior gustu, sitim magis sedat, & nauseam non mouet: contra calida maximè tepida non solum nauseam, sed etiam vomitum cit, vt in vita Æsopi, seu historia seu fabula sit, de illo qui ficus deuorârat. Iuuat autẽ calida primum in vomitu ciendo, vtemur & in doloribus, vt quinta Aphoris. (22.) & vbi pectus laboret, & sputum emittere opus sit, nam frigida astringit & cohibet: iuuat autẽ frigida in tribus casibus præcipuè, in animi deliquio & virium defectu, in sanguinis effluxione, & in erysipelate interiore non vlcerato, cum ergo dicat Galenus bis quod sufficiat

sufficiat excalefacere, (23.) intelligendum tamen est vt ab Hippocrate in Textu, quod bulliat, non est vt coctionem requiramus ad dimidium.

Quod verò aquæ tales efficiant grauitatem vocis ac raucedinem: Alemanus exponit causam, quia concoctionem corrumpunt, inde ex hac caput prægrauant, atque ita per destillationes efficiunt grauitatem vocis ac raucedinem. Hic est error maximus, dixisset enim expresse quòd sunt noxiæ ventriculo, iecori, capiti, & ideo cum oppositum dicat, & velit quòd sint maximè leues & tenues, ideo aliam oportet requirere causam, quæ est, quòd eiusmodi aqua cum bibendo transeat ad asperam arteriam, propter loci propinquitatem, vt primum docuit Plutarchus (pag. 34.) in libro cui titulus est Stoicorum contrariorum dicens, Platonem hoc docuisse fuisséque sententiam Hippocratis, Philistionis ac etiam Dioxippi Hippocratici, tum inter poëtas Euripidis, Alcæi, Eupolis & Eratosthenis. Quin etiam illud idem à Galeno, (cap. vlt.) tribuitur octauo de Placitis Hippocratis & Platonis, & clarius in secundo de Simplicibus medicamentis, (cap. 17.) & magis mirabile: inquiens, Percolatur autem aliquid perpetuò ex potu per asperam arteriam in pulmones, quod si salsum fuerit illam exasperat, sin autem mordax etiam tussim excitat, talis autem aqua pluuia non purgata præcipuè neque colata scilicet neque cocta, cum subsalsa sit, quare præstiterit omnem pluuiam prius percolare, securius etiam ab initio coquere.

An verò aqua corrupta per coctionem possit emendari? Respondemus, primum illud accidere ei quod de vinis, secunda Aphorismorum dicebat Galenus, (Com. 17. in fine.) quando corruptio fuerit modica, & in initio iam transuasata corriguntur, corrupta prorsus nequaquam: idem de aqua, remanet tamen imbecillior quasi resoluta compage. Quantumuis autem corruptum fit, minus mala tribus rationibus tum quia leuior nam rarior, ideò facilius penetrat, & magis mouet excrementa, præcipuè vrinas. Secundo quia minus putrida fit exhalantibus vaporibus: Tertio quoniam descendit in ea pars commista, cum sit attenuata. Et potest addi quartum, quòd si calida bibatur, minus sentitur sapor & odor malus: quia minus redditur abominabilis: Indicio est potus calidarum sponte nascentium quæ frigidæ vix bibi possunt. (Secunda primi Doct. secunda, capite decimosexto.) Et Princeps dicit, quod acida si edantur prohibent aquarum pluuialium corruptionem. Et hoc confert, nihilominus magis gutturi & pulmoni nocent, nec sufficiunt ad prohibendum corruptionem: ideò melius est insistere percolationi atque coctioni, sed hoc in casu necessitatis.

LECTIO XLVIII.

Super

TEXT. XXI.

At verò aquæ ex niue ac glacie fientes, omnes malæ sunt, cum enim semel concretæ fuerint, non amplius in pristinam naturam restituuntur, sed quod quidem in ipsa clarum ac leue, & dulce est, excernitur ac disperditur. Quòd verò turbidissimum est ac ponderosissimum, relinquitur. Hoc verò cognoueris hoc modo, si enim volueris hyemis tempore vasculum certa aquæ mensura infusa sub Dio exponere, quo maxime congeletur, deinde postridie in locum calidum deportatum sinere, quo maxime glacies liquescat, & vbi exoluta fuerit, aquam metiri, reperies aquam multo pauciorem. Atque hoc signum est, quòd à congelatione id, quod leuissimum ac tenuissimum est, disperditur, & non quod grauissimum ac crassissimum existit. Non enim hoc disperdi poterit. Hac igitur de causa has aquas, quæ à niue ac glacie eliquantur, pessimas esse puto ad omnes res: Itémque eas, quæ ad has sequuntur. Atque sic quidem de pluuialibus & niualibus, ac glacialibus aquis res se habet.

Aquæ quæ ex niue & glacie fiunt opponuntur è regione pluuiis, vt par est, quoniam sub eodem genere continentur, in illis enim assumitur solum quod tenuissimum est, leuissimum atque dulcissimum relinquitur, crassum, ponderosum, crudum, at in glacie & niue contrarium ad vnguem accidit, cum dum fit nix aut glacies tenuissimum, leuissimum ac dulce euanescat, quod relinquitur & concrescit est crudum, crassum, turbidum. Duo autem genera iacturæ sequuntur generale ac primarium: & speciale ac secundarium. Palam enim est eiusmodi aquas esse frigidissimas, quoniam à frigore concretæ, crassas, quia tenuis pars & leuis exhalauit, & terreas, quoniam glacies fit à terreo aliquo, vt etiam dixi de grandine.

Glacies enim seu gelu potius infestat, & aquam & terream & concreta ex ipsis, vt quinto de Causis plantarum docet,) capite 18. 19. & 20.) vnde plantæ gelascunt vel propter aquam, & hoc est minus, vel propter terream gelatam, aut propter ipsas, & hoc est pessimum. Cur autem pruina congelascat, nix non, quod satis experimento constat, cum ratio vera esset satis

tis manifesta quasdam recipit valde leues, tertiam dubiam & forsitan falsam, scilicet quod pruina sit tenuior niue: constat enim, id est in materiam niuis esse vaporem qui ascendit, & ob id leuiorem, pruinæ, humilem ac crassum, ratio ergo est, quod in niue cum sit tenuior minus imprimit quam pruina, velut è diuerso minus palea accendit, quam ferrum aut lignum, quia rarior illa, hæc densiora, at nix tenuior est, quia materia eius altiore loco constitit, & plus habet aëris. Neque idem est à frigido aëre atque aliis corporibus congelari quæ non penetrant, sed exterius manent, vt ferrum, glacies, nix pruina, hæc enim vt densiora sunt magis cogunt in glaciem quæ tangunt, aër vt tenuior est ac siccior pari frigiditate maius frigus induit, & in gelu cogit, quia magis intus penetrat, quamuis vt gelascit omne etiam magis concrescat. Et ideo à sereno tempore maiores fiunt ac duriores glacies quàm nubiloso. Similiter quod gelascit vt tenuius est, licet gelu concretione constet, celerius gelascit, quæ etiam crassiora sunt in maiorem duritiem concrescunt, vt terra aqua: & celerius, inquit, cum diuersa fuerit substantia aut pari ratione: nam in rariora magis penetrat frigus, & quæcunque natura frigida etiam celerius, vt Galenus inquit primo de Simplicibus medicamentis, (capite decimosexto & decimoseptimo,) Inter refrigerationem autem & congelationem hoc interesse putat, quod in refrigeratione sola qualitas mutatur, in congelatione non solum qualitas, sed etiam substantia concrescit atque durescit. Et congelatio etiam duplex est, alia cum calidum à mediocri frigore concrescit, vt plumbum æs, & fere omnia metalla, ferrum enim congelatur, sed vix perfectè liquescit: alia à superfluo frigore velut glacies. Quæcunque autem à mediocri frigore congelantur ea sensim duriora euadunt vt metalla dicta, & ossa, quæ autem ab extremo vt glacies & grando ex aqua in duritiem, ex duritie in aquam fermè sine medio transeunt. Auerroes quoque quarto Meteororum in commento magno, (col. 19.) inquit, Causa autem quòd non congelantur à frigido, cum hoc quòd frigidi est congelare res aquosas, videtur quòd sit quia calor naturalis non separatur per frigiditatem, sicut in aceto & aqua lactis, aut quia pars terrea est valde pauca, vnde difficile est illa exsiccare. Cum ergo in aqua resoluta ex glacie aut niue, nam & nix est quædam species congelationis, remaneat priuatio caloris proprij, & crassities substantiæ, ob partem tenuem & leuem resolutam, & pars terrea, nam & lutulentæ aquæ celerius concrescunt in glaciem, sequitur necessario vt tales aquæ sistant aluum & vrinas, & obstruant meatus omnes, & ideò vt generentur morbi omnium generum, & maximè ex retentione bilis: nam si illa flueret ad aluum, aluus flueret, cum ergo non fluat, necesse est consistere bilem, & ideo plena vesica illa corrumpet temperaturam iecoris, atque inde etiam spargetur per venas, & generabit morbum regium: & inde rapietur ad cerebrum, & gignet phrenitidem, aut putrescet & generabit febres acutas: & generabunt etiam aliquando anginas, quæ citò præfocabunt, & si aduratur, melancholiam, & ita erit seges & lerna malorum.

Propria autem mala scribuntur quinta particula Aphorismorum, (24.) his verbis, (Tex. 2.) Frigida qualis nix & glacies pectori inimica, tusses mouent & sanguinem & destillationes. Et hoc est quod dixit, & quæ ad has sequuntur: id est quæ ad primas iam dictas suprà de aquis crudis, vbi dixit quod tales quæ sunt turbatæ præ niue ac glacie pituitosissimæ sunt ac raucosissimæ hi enim primi sunt morbi ex quibus alij progignuntur. Quod autem dignum est obseruatione, & à nobis vsu cognitum, est quod talibus maximè contingunt scirrhi in iecore, & hoc est frequentissimum inter magna mala, & pessimum inter ea quæ frequenter eueniunt. Secundum est ventriculi læsio magna, adeò vt perueniant ad interceptionem pulsus, & hoc contingit ex aquis illis niue aut glacie infrigidatis. Tertium est, dolor coli, quartum lapis renum, in aliquibus vesicæ. Hocque obseruaui de duobus primis in purpuratis Romæ, qui consueuerunt refrigerare aquas niue vel glacie, & quod maiorem inducit frigiditatem, halinitro vt etiam in libris de subtilitate docui.

Hoc verò cognoueris hoc modo.] Vult ostendere, quod in aquis quæ congelantur pars tenuissima & leuissima exhalet, relicta crassa ac grauissima, & vtitur hoc argumento euidentissimo & pulcherrimo, dicens: aqua quæ fit dissoluta glacie si comparetur ad illam ex qua glacie, facta est, minus occupat spacium longè quàm antea, ergo resoluta est non occultè, quare non cum pars crassior & grauior sit resoluta, quoniam semper quod leuius est ac tenuius, celerius resoluitur, ergo aqua dum facta est glacies, resoluta est pars tenuior. Ad hoc quispossit dicere, quod non minus argumentum probat de dissolutione quàm congelatione, quia dum congelata est, non videtur facta minor, nec minus occupare spacium quam antea: & quamuis aliquantulum decrescat à lateribus nihilominus fit humidior in medio, nec est discrimen notatu dignum inter aquam priorem & glaciem, sed inter aquam dissolutam potius & glaciem antecedentem. At hoc diceret Hippocrates, quod glacies licet fiat coacta aqua & resoluta parte, tenui: tamen loco eius subingeredi aërem, & ideo aqua calida facilius & celerius congelatur quàm frigida, quia aër qui est intus antequam prodeat gelascit ab exteriore aëre ob substantiæ tenuitatem & similitudinem: idem refrigeratur coquit aquam: quia aër ob tenuitatem non potest adeò spiscessere vt fiat durus, & ideò neque vt gelascat: nam glacies, vt dixi, est dura.

Propter hoc dico quòd glaciei generatio sic fit, partes aëreæ quæ sunt intra aquam, id est vapores: nam sub aqua aër esse non potest nisi vi etiam magna contentus (velut si vesica inflata sub aqua alligaretur, aut

magno

magno pondere sub aqua contineretur) coguntur auxilio partis terreæ, & densantur & transeunt in materiam spissam, & ideo inspissant aquam propinquam:& fit res quæ est sicut pasta, & quoniam actio quæ fit ab agente quod manet semper intenditur & augetur, & ob id dicit Aristoteles, (1.Cæli. Tex 89.) quod motus naturalis est velocior in fine quam in principio, & ista propositio quæ adeò fuit probata, etiam est vera, non tamen est per se, quia non quatenus naturalis hoc accidit ei, sed est commune etiam omnibus motibus violentis & voluntariis, & quorum causa agens non diminuitur, nec debilitatur in agendo: vt in scindendo ligna. Et causa est, vt dixi in libro de Proportionibus, (Ex cor. 30. Propos. Et demonstratione eius & 31.) quoniam agens omne quod agit aliquid, præparat illud ad actionem vlteriorem, sicut in actione initium præcedit medium & finem, partes igitur remotiores sentiunt initium actionis, sed hoc est vt præparatio ad medium illius, & medium ad finem:igitur omne agens tam violentum, quàm voluntarium aut naturale præparat passum: sed in passum præparatum actio semper intenditur: ergo omne agens auget suam actionem eis quanto magis operatur, quando vis eadem manserit. At frigus externum quod est agens principale congelationis manet: igitur à media concretione ad perfectam duritiem longè breuior fit transitus, quàm ab aquæ substantia ad mediam concretionem longe plus temporis intterponitur quàm à concretione ad glaciem:Et hæc est causa quod glacies videtur fieri in instanti seu momento:& forsan hæc est causa, vt generatio videatur fieri in instanti, & tamen fiat in momento in tempore breui, non tamen in instanti. Et partes non æqualiter congelantur, sed absque forma coguntur hincinde, deinde reliquum adiicitur, nam cùm dissimilitudo partium fit communis omni corpori, adeò vt etiam cœlestibus, vt videmus in via lactea, & docuimus in libro de Proportionibus, (Propos. 218.) de luna, necesse est vt in aqua hoc idem sit: & inter reliquas causas pars superior aquæ & proxima aëri est leuior, ima crassior & media loco, media etiam substantia, & ideò partes supremæ celerius gelascunt, sed minus duræ euadunt, quoniam sunt tenuiores & proximæ frigori magno, inde mediæ fiunt duriores sed tardius gelascunt: inferiores aliquando non gelascunt, quoniam calor intrò refugit, & ibi se tuetur. Et remanet persæpe aliquid non congelatum in suprema parte, & in infima aliquando, & rarius in medio: in inferiore parte, vt dixi, quoniam calor illuc se condidit in superiore ob motum, motus autem refugit impressionem:sed in medio ob puritatem. Et ideo etiam in crystallo illud accidit maximè si aër adsit: nam aër diuidit aquam & eam gelascere non finit, siquidem non solum concrescere sed durescere oportet quod gelascit.

LECTIO XLIX.

Super

TEXT. XXII.

CAlculo verò maxime laborant homines, & ex renum affectionibus, & vrinæ stillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus in quæ alia deferuntur, & de stagno, in quod fluxiones multæ ac omnis generis deueniunt.

HOc est quartum genus aquarum, nam primum fuit sumptum ab ortu, secundum ab aspectu, tertium à descensu, quartum à mistione. Proponit ergo duo genera mistionis ex errore, cum quis modo bibit fontanam, modo pluuialem, modo ex flumine, modo ex puteo: Secundum cum bibit aquam per se mistam ex pluribus, vt Tyberis, Padi, Istri, in quos fluuios plurimi alij influunt, inde subiiciet genus non syncerum conducticiarum aquarum per canales, quales Romæ plures olim erant:atque omnes has aquas damnat, & proponit morbos prauos, qui ex potu earum oriuntur, & enumerat quinque præcipuos, omnes qui cum pudendis habent commercium, calculum, dolores renum, vrinæ difficultatem, herniam & coxendicum dolores.

Primum igitur videndum esset: quod hi morbi inuicem haberent commune, sed quia id nesciri potest, cum sint sede diuersi, nisi sciamus quomodo ex hac aquarum dispositione pendeant: hoc etiam non sciri potest cur potus aquarum diuersarum procreet hos morbos, nisi prius sciamus cur sit noxius, ideo primum scire decet cur potus aquarum diuersarum sit adeò noxius, vt deterius, sit bibere aquas, modo prauas modo bonas, quam prauas non multum & semper. Causa igitur huius est quod si varietur potus natura non concoquit adeò bene, sicut de cibo etiam, vt secunda Aphorismorum, (38. & 50.) nam & consueta vt eiusmodi, vt quia suauiora facilius concoquuntur insuetis. Et si dicas quòd aliud est de potu qui non concoquitur, dico quod potus eadem est ratio, nam si aqua bona sit & facile distribui apta, alia mala & quæ non sit apta distributioni, seu simul seu diuersis in cibis sumantur, natura hæret, & multum facit in cibo, & bona trahit malam extra ventriculum, & lutosam ad iecur ante separationem, & fiunt in ventriculo turbationes & inflationes: Et idem dicendum est de variis vinis: de vino præter consuetudinem cum aqua misto. Sed istud est minus malum ob duas causas: prima quia aufertur caliditas vini: secundo quia vinum mutat aquam in sui naturam, & hæc

hæc magis refert: tertia etiam poteſt addi, & eſt quod miſtio eſt ex duobus bonis. In conſuetis etiam accedit quarta. Sed de duobus vinis eſt valde malum, & quanto plura fuerint. Vt Epidaurij qui ob vectigal quod Turcæ perſoluunt quotidie vina mutant: cum tota ciuitas ex eodem vino bibere cogatur.

Hoc igitur ſuppoſito, videtur principium omnium morborum, aut ventriculus, aut iecur, aut renes: nam veſica non poteſt eſſe principium niſi ſtillicidij & lapidis, non doloris coxendicis, aut renum aut herniæ. Sed iecori cum hernia nil ferme commune eſt, videtur ergo alterum duorum, aut vt læſio fiat in renibus aut in neruoſo genere, ſcilicet in ventriculo, vt communicat partibus illis. Et hoc etiam de renibus videretur ſufficere, niſi eſſet quod adiectum eſt de hernia: & non dixit etiam de quo genere illius cum tot ſint, aut igitur intelligit de grauiori aut generaliori, & ita eſt enterocele: quamuis varicoſa & carnoſa, ſcilicet ſarcocele difficilius ſanetur, aut quòd omnes proueniant ab eadem cauſa, & ita intelligat de genere earum: aut quoniam ad vnam reliqua ſequantur. Et videntur hæc omnino ex ſequentibus potius deducenda quàm certa ratione cum difficillima ſit. Dicit enim poſt: (Text. 25.) Quòd autem non omnibus (ſcilicet eadem eueniant) conſequenter declarabo. Quorum quidem aluus ſatis fluida eſt, ac ſana & veſica non ardens, neque ſtomachus veſicæ valde coardeſcit, hi facile vrinam deiiciunt, & nihil in veſica eis congregatur. Vnde patet ipſum intelligere de lapide veſicæ & comparatione ventriculi ad membra ſub eo quæ afficiuntur: dico veſicam & renes & didymum ac ſcrotum. Et de veſica cauſa eſt: ſi enim impura vrina eo deriuatur & ardens fit lapis in veſica: ſin autem ardens & non craſſa nec lenta, aut lenta vel craſſa, ſed non ardens fit difficultas vrinæ abſque lapide. Et ſi fuerit lenta & craſſa, ſed non vrens, erit difficultas vrinæ, ſed abſque dolore, ſi vrens non lenta nec craſſa erit dolor, difficultas autem meiendi parua. Ex quo patet quòd lapis cum conficiatur ex vtraque cauſa adducit etiam difficultatem meiendi & dolorem. Et ſi adſit craſſities ſine lentore fiunt arenæ non lapis. Cauſa enim lapidis eſt maximè lentor inde craſſities aut calor vehemens, nam etſi deſit calor etiam poteſt generari lapis à frigiditate ob veſicæ imbecillitatem, ſicut videmus in alueis aquarum frigidarum. Similiter patet cauſa doloris renum, nam iuuenibus & adultis conuertuntur hæ materiæ in renibus in lapidem & arenam ob vehementiam caloris, etiam quod mora non adſit: quia loca ibi ſunt anguſta: veſica autem non cogit lapidem ob robur muſculorum eam comprimentium: vnde exprimere in mictu veſicam validè (quod etiam aliàs dixi) ſecuros nos reddit à lapidis generatione. Supereſt vt dicamus de cauſa generationis herniæ, an ſit ex inteſtinis, an in vaſis ſeminariis, an in inani. Et de enterocele cauſa eſt potius in flatu comprimenti inteſtina inferius: vt in clamoribus & inflatione cornuum: ſed hic motus eſt voluntarius, & fit à valida compreſſione muſculorum ventris & ſepti tranſuerſi: idem de epiplocele: ſed nullus cibus aut potus poteſt eſſe cauſa huiuſmodi compreſſionis: ergo nullus potus poteſt hac ratione facere herniam: nam neque flatus ipſe interiectus inter interſtina & ſeptem tranſuerſum: vehementem enim faceret dolorem, at herniæ adueniunt ſine dolore, vt experimento docemur, atque adeò vt incautè nos aggrediantur. Multo minus hæc poteſt eſſe cauſa rupturæ dydimi, cum illa fiat ex caſu potius, ex vehementi clamore, ex ponderum eleuatione. Simul etiam verba illa eſſent interpretanda, ſtomachus veſicæ, coardeſcit: ſed hæc ſuo loco cum erunt declarata, non eſt vt hic laboremus. Sicut neque cur coxendicis dolor, nam planum eſt ex renibus ad coxendices deuenire venas & arterias, & ob propinquitatem etiam maximum eſſe conſenſum renum & coxendicum, dextri ad dextrum, ſiniſtri ad ſiniſtrum. Vt & à Veſalio in tertio libro delineatæ ſunt, (Fig. ſexti cap. littera ε, & 12. cap. ο.) venæ quidem & arteriæ. Arteria enim ad coxendicem veniens, propago eſt exterior interioris rami poſt diuiſionem arteriæ magnæ deſcendentis, (literis vtrinque iuxta truncum in magnis ramis η & θ.) cum ad renes perueniat multo altius ex magnis ramis à nondum diuiſo trunco. Et de vena quidem clarius agit his verbis: Præter hos ramos vnus etiam articulum coxendicis accedit proprio ſinu coxendicis oſſis acetabulum priuatim ſubitus. Et ibi in margine ad literam κ eſt ad adiectum. Ad regionem ei, apparet igitur conſenſus ſpecialis. Generalis autem etiam adeſt in omnibus membris propinquis: vel ſolum ſimplex: vt cum dente dolente os etiam mandibulæ, id eſt partes illi adiacentes dolent: licet nulla materia tranſfuſa. Eſt & tertia ratio ſumpta ab Hippocrate (cap. 9. pag. 4. poſt med.) cum materiæ permeant per totum corpus, cum totum ſit conſpirabile inuicem, licet etiam non per vaſa. Verùm id potiſſimum accidere liquet ob attractionem ex ſimilitudine factam, membra enim neruea, vt inquit Galenus, (2. Aphoriſ.) ex lentis & frigidis humoribus nutriuntur. Sed reuertor ad herniam, veriſimile eſt bifariam ex hoc potu aquarum illam contingere, & ex duorum generum, altero ſcilicet hydrocelem & enterocelem, nam ſeroſum illud in ſanguine cum fuerit cum qualitatibus, vt non ſuperetur & ſit corruptum, tunc efficit hydrocelem, ſi fuerit locus anguſtus & materia plurima, ſin autem pauca & locus latus laxat peritoneum & fluunt inteſtina aut omentum: & ideo eſt ſpecies aquæ intercutis, ſed non vitio iecoris factæ, & in hoc differt ab aqua intercute: quia in illa cauſa & vitium eſt in agente, id eſt in iecore, & non in potu, in hac autem eſt in potu non in agente ſeu iecore. Conueniunt autem in tribus: quia in aqua intercute, & hydrocele non eſt ſuperatus ille ichor à calore naturali, & eſt corrupta ſubſtantia per calorem non naturalem, & ex his duobus ſequitur, vt à renibus non trahatur. In aqua ergo intercute vel retine-

tur

tur in iecore, vel primum spargitur in venas, quia iecoris facultas expultrix est debilis, in hernia cum sit illa facultas integra, conatur iecur expellere ad intestina, sed ob prauitatem effunditur in cauitatem quæ est inter omentum & peritoneum, ideo non relinquitur locus ibi in quem possit effundi nisi scrotum & didymus, ergo peruenit eò & fit hydrocele.

Nunc quærenda est causa causarum horum omnium, scilicet, quare ichor ille non separetur, seu postmodum non expellatur nisi ad concauitatem prædictam inter omentum & peritoneum, quia sit pessimus, seu sit magis terreus, & non adeò putris, & retineatur quod terreum est in renibus, seu natura renum sit valida, & materia non terrea, & transmittatur ad coxendices, seu sit materia crassa & non lenta & vesica ardens aut lenta solum, sed valde, & tunc, vt dixi, accidat difficultas vrinæ: seu sit materia crassa lenta & vesica ardens, & fiat lapis. Et causa omnium est obstructio & clausio meatuum, atque interceptio propter coctionem impeditam. Impeditur ergo coctio ex ista aquarum varietate, quia primum aqua mista, aut miscetur ex bonis aut malis aut vtrisque. Ex bonis nulla esse potest, quoniam optimum consistit circa medium, medium non est nisi vnum ideò nulla aqua talis est, & si aliqua talis esset, esset bona, nec de hac sermo est Hippocratis, aut malæ inuicem miscentur, & tunc vna non est peruia, alia nauseam mouet, alia flatus, alia fastidium parit: neque dubium est quin deteriora sint plura mala quàm vnum? Quod si mista sit ex bonis ac malis, cum bona aqua sit quæ cito descendit aluum mouet vrinas, cito hæc descendens trahet malas secum, & coctionem impediet & corrumpet iecur & viscera: ideo aqua hæc maximè noxia erit.

Et de magnis fluminibus.] Hic dubitari solet propter Nilum cuius aqua saluberrima est, cum tamen sit maximus ferme fluminum præter Indum Gangem & Macagnonum. Et in ipsum influunt etiam Astapus & Astaborus fluuij, qui à meridie orientali veniunt, vt Ptolemæus docet, (Tab. 4. Africæ.) Dico breuiter quòd terra illa est vniusmodi, vt etiam fluuij: & quòd postmodum cum Nilo diu deferuntur: & Nilus eorum comparatione est valde magnus, ideo non possunt mutare aquas illius. Forsan quòd si Hippocrates nouisset Nilum hæc non adeò absque exceptione scripsisset. Nam quòd non nouerit eum declarat inferius, vbi de Ægypto tractans non meminit illius. Et indicio huic sunt verba Strabonis, (lib. 1.) Verum enimvero eius nomen (scilicet Nili) ea ætate necdum cognitum fuisse credibile est: ostia vero tum obscura tum paucis nota (lib. 17.) Alibi autem sub nomine alio:

Ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο.

Et vt Gregorius Trifernas vertit.

Rursus ad Ægypti cœlestem nauigat amnem.

Non forsan ad hoc aduertit Hippocrates. Vnde Aristoteles in primo Metheororum, (cap. vlt.) inquit, Thebæ Homero notæ fuere. Memphis autem non, seu quòd nondum esset, seu non tanta. Est autem Thebe versus Æthiopiam, & suprahabita ratione decursus Nili, Memphis autem iuxta mare mediterraneum, quasi dicat quod mare occupabat eam partem, vt terra paulatim detegi cœperit: non tamen dicit quòd Nili fecerit mentionem. Difficultates etiam esset de Choaspe & Euleo, de quibus solis Parthorum reges bibunt, cum sint magni fluuij. Sed de his etiam infrà.

Et de stagno.] Damnat nunc alia ratione stagna, non quia aquæ immobiles sint, sed quoniam ex pluribus aquis conflata sint. Noster Alemanus putat non omnino malam esse aquam, quæ in stagnis habetur: nam si in eis nascantur anguillæ frequentes, non erunt incommodæ.

LECTIO L.

Super

TEXT. XXIII. XXIV. & XXV.

ET qui aquis inuectitiis vtuntur, quæ ex longo, & non breui locorum interuallo afferuntur. Non enim fieri potest, vt alia aqua similis sit alij. Sed aliæ dulces sunt, aliæ salsæ, & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt. Vbi verò hæ simul inter se miscentur, dissident: & quæ fortissima est, semper superat. Præualet autem non semper eadem, sed aliàs alia.

HIc est tertius modus mistionis artificiosus aquarum. Et non est promptum diuinare quid per aquas inuectitias ἐπακτοῖσιν intelligat: an inuectas canalibus ac fistulis, an fossis deriuatas, an nauibus aut iumentis delatas, omnes malæ sunt forsan, & quam excipies in vna, excipies, & in alia ratione atque interpretatione ἀγομένοισι afferuntur, vertit Cornarius & Alemanus. Sed magis ad rem, quoniam verbum id amittit aduehuntur, nam tales per terras multas transire necesse est, ideo variè affici, nam subiicit si prope id non accidere, id etiam valde absurdum est, cum de populis loquatur, quæ enim vrbs aquis, quæ procul afferantur potest sustentari? Pudeat tandem huius stultæ consuetudinis, vt grammaticam potius quam Philosophiam sciscitentur in interpretandis veterum sententiis: & in litera vel syllaba facilius lapsum posse fieri existiment quàm in ipso rerum naturæ ordine. Modus verò est, vt Romæ atque exemplum, plurimæ enim tum fossis tum canalibus inducebantur. Bartolomeus Marlianus in quarto Typographiæ, (capite decimo. Romæ nouem aquas inuectitias enumerat, quarum quædam altiores, vt Anio nouus, altissima omni, vt Alsietina humillima, ex his sex via latina excipiebantur piscinis, septimo ab vrbe lapide vbi limum deponerent, purioresque in vrbem ingrederentur;

derentur : tres conceptaculis caruere Alsietina, Appia Virgo. Duas deducit Claudius à Caio Caligula inchoatas, Claudiam & Anionem nouum. In his solet erigi machina quam vocant castellum in vrbe vbi aqua excipitur. Et cum dicat ex his esse dulces, salsas, aluminosas, & calidas miscerique inuicem, stultum est credere delatas humeris sic misceri, sed intelligit de inuectis, vt dixi. Tria ergo incommoda docet, primum quod est commune, esse mistas è pluribus, secundum vnam præualere, adeo vt etiam hoc deterius sit: Tertium quod est omnium pessimum modo vnam modo aliam : animaduertens quòd non omnes aquæ eodem tempore augentur, igitur quæ ex pluribus miscentur modo hæ modo illæ præualebunt: atque ita ab eadem aqua diuersimodè afficiuntur tanquam diuersis: adeò vt duplex sit hæc mistio, tum comparatione eiusdem temporis tum diuersorum. Quis enim adeò absurdus est, vt velit credere incolas aquas salsas & aluminosas ac calidas dulcibus coniuncturos pro potu, nisi desipiant. Sed cum deducuntur excipiunt riuulos diuersos, quia procul veniunt: necesse est enim ob id vt sint diuersæ naturæ.

1 Alsietinas
2 Anio vetus
3 Anio nouus
4 Appia
5 Claudia
6 Iulia
7 Martia
8 Tepula
9 Virgo

TEXT. XXIV.

SEd & ex ventis, alij quidem Boreas robur exhibet, alij verò Auster, & de reliquis eadem ratio existit. Talibus igitur necesse est limum & arenam in vasis subsidere, & ab his, si potentur, morbi prædicti fiunt.

ET hic locus obscurus est: nam superius si ad regionem spectemus de illis egit: sin autem de vento intelligatur quid potest Boreas aut Auster? Dico ergo quòd quæ rectà feruntur versus Boream vel Austrum qui venti potentissimi sunt, turbantur à ventis aduersis, & ex ripis etiam implentur, terra præsertim æstate & tempore puluerulento: ideò in talibus aquis subsidet limus & arena. Et ideò iubebat Vitruuius vt nullius vrbis viæ respicerent ventos principales, idem dico de aquis & fluminibus: & est quartus modus mistionis. Ex hoc collige, non esse bonum vti aquis post ventos validos, nam etiam hyeme à ripis & alueo conturbantur. Præterea limosæ aquæ peculiaria habent mala longè deteriora quàm quæ narrata sunt de aliis. Primum quia corrumpunt coctionem, terra enim incoctilis est prorsus & reliqua concoqui prohibet. Secundum quia obstructiones validas inter ventriculum & iecur gignit & malum habitum. Tertium quoniam generat arenas & lapides. Idem etiam dicendum est de his qui cibos eiusmodi edunt, vt tubera conchas, chamos, & aliquando ostrea: in quibus soliciti esse debemus. Sed quispiam dicet, quare excolare eas non præcipit. Dico quòd si subsidant melius erit. nam excolando neque ita claræ euadunt, nec mala qualitas impressa ex limo abo-letur. Ideo melius erit excolare eas prius inde excoquere eas, vt tertia pars decedat, inde reponere eas loco haud frigido, & purgatas à limo qui subsidet iterum excolare.

TEXT. XXV.

QVod autem non omnibus, consequenter declarabo. Quorum quidem aluus satis fluida est ac sana & vesica non ardens, neque stomachus vesicæ valde coardescit, hi facile vrinam eiiciunt, & in vesica nihil ipsis congregatur. Quorum verò aluus ardens & feruida fuerit, in his necesse est etiam vesicam idem perpeti. Cum enim magis quam pro natura fuerit calefacta, stomachus ipsius inflammatur.

QVia aliquis dicere posset in quibusdam regionibus omnes deberent laborare calculo? Dicit non, sed solum hi quibus vesica & ventriculus ardens fuerit. Sed primum difficultas est in hac dictione ὀςόμαχος. Est enim stomachus vesicæ, vt ait, os: adeò vt duplicem sensum habere possit: sitque littera huiusmodi: Vesica non ardens, neque stomachus vesicæ coardescit ni facile vrinam deiiciunt: & in vesica nihil ipsis congregatur. Quam verò aluus ardens fuerit, in his necesse est vesicam idem perpeti? Vt supersint reliqua verba huius Textus. Et stomachus significet os ventriculi à ςόμα, quod est os deductum. Et sensus est clarissimus, alius est vt in littera, qui duas patitur difficultates, vnam quòd non inuenio apud Hippocratem vllibi, neque Galenum, neque Rufum Ephesium, aut alium antiquorum, quòd stomachus possit significare os vesicæ. Secunda quod non video quid faciat calor ceruicis ad generationem lapidis, nam non incipit difficultas vrinæ ante lapidis generationem imò post, generatur enim lapis in vesica, quia vesica imbecillis non potest protrudere quod crassum est & lentum in imo ad ipsius vesicæ collum: nam si protruserit expellitur: quoniam collum vesicæ est validum. Deinde est nimis inuolutus sensus, & ex longinquo petitus, præter morem Hippocratis, aluus feruens facit, vt vesica ferueat, qua feruente etiam collum illius feruet: quasi lapis generetur ob colli vesicæ feruorem, & non ipsius vesicæ. Imò lapis, si modò velis contendere, generatur ob feruorem vesicæ & impedimentum in collo illius, suspicor igitur literam deprauatam, & totum illud superfluum esse. Sensus ergo primus & noster est, aluo & ventriculo excalefactis, vesica etiam exardescit, & lapis generatur in ea. Quod si vesica ob stomachum non exardescat vrina deiicitur, nec aliquid congregatur in ea, quare nec lapis generatur. Secundus

cundus est cum ventriculo & aluo excalefactis coardescit vesica, inde stomachus, id est illius os & vrina retinetur, & congregatur materia, & fit lapis, at si aluus & ventriculus non sint supercalefacti, vesica non supercalescit, nec stomachus eius, sed libere vrina profluit, & non generatur lapis.

Interest inter hos duos sensus, quòd in primo supponitur lapidem generari, inde sequi retentionem vrinæ: in secundo retentionem vrinæ necessario præcedere ad lapidis generationem. Habet autem prima opinio scilicet quæ literæ adhæret quatuor fundamenta, quorum primum ex ipsa fide codicis habetur. Secundum ex his quæ mox dicet, vbi appellat expresse στόμαχον τῆς κύστιος, scilicet stomachum vesicæ. Reliqua duo non inepte adducit Alemanus. (Text. 26.) Primum ex quarto de Vsu partium, vbi inquit, (capite 1.) Nomen autem huius ingressus proprium quidem æsophagus, commune autem est stomachus, omni enim ventri collum præpositum instar isthmi cuiusdam angustum sic nominatur. Quæ verba postm dum quinto de Locis affectis sic interpretantur, (cap. 5. in princip. (Eam partem quæ inter fauces & ventriculi os media est, quam veteres æsophagon nominabant, qui post Aristotelis seculum scripserunt stomachum appellare consueuere, quamuis Aristoteles prisco nomine semper hanc animalis particulam nominauit. Hoc tamen potius prædictis repugnat quàm consentiat ideo sufficiat inhæsisse primæ authoritati quæ satis clarè propositum astruit Ratio altera sumitur ex quinta Aphorismorum. (Comm. 58.) In recti intestini inflammatione Galenus inquit, vesicam pati ob vicinitatem est necessarium, vt quæ intemperiem participet & inflammationem, & etiam prematur atque constringatur à tumore qui in eo præter naturam existat. Verùm & hoc non omnino concludit de tumore in collo vesicæ, sed in eius ventre tantum: de intemperie autem aliquid potest, de inflammatione autem cum nulla supponatur non est sermo. At in contrarium est inepta ratio literæ, & vt dixi, rei ordo qui quasi repugnat, vterque tamen sensus verus est.

Ex his colligitur modus præseruandi homines à calculo, dimittere lenta, crassa & calida valde: dormire super stuppa serici aut lino, vel palea aut frondibus aut typhæ lanuginæ, nam alga humidior est, sed & cum mingitur exprimere quod retinet: Et si non sufficiunt gestare laminam argenti puri super renes, & vsus raphani viridis est præcipuus.

LECTIO LI.

Super

TEXT. XXVI.

VBi verò hæc perpetitur, vrinam non dimittit, sed in seipsa concoquit, & adurit, & quod quidem tenuissimum in ipsa est, excernitur: Et quod purissimum est, transit & emingitur. Quod verò crassissimum ac turbidissimum est, coaceruatur, & concrescit, primum quidem parum, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina, quicquid crassum compactum fuerit, ad seipsum adaptat, atque sic augescit, & in totum concrescit. Et cum vrinam emittit, ad vesicæ stomachum allabitur ab vrina impulsum, & vrinæ emissionem impedit, & dolorem vehementem exhibet.

IN præsenti Textu docet clarè generationem lapidis in vesica quomodo fiat: seu ardente illius conceptaculo seu stomacho: & quamuis videatur ob interceptionem potius de illius stomacho quàm de ventre intelligere, tamen verbum ἀφίησιν, quod est dimittit, de cauitate docet illum non collo intelligere, nam dixisset non omittit. Dimittere enim continenti opponitur: vesicæ autem collum non continet, sed vel retinet, aut non recipit, nihilominus, vt dixi, etiam hæc opinio defendi potest: vt existimet duo genera retentionis, vnum ante generationem lapidis cum tenuiter mingitur, nec affatim & crassa & sine cruciatu aut exiguo, & ideo caueant qui habent carnem in meatu vesicæ, & procrastinant curam, hi enim sunt paratissimi ad generationem lapidis in vesica, aliud cum post lapidem retinetur vrina illo impacto in illius collum, & tunc nil mingitur aut guttatim, & dolorem vehementem exhibet, vt in littera. Quomodo ergo ex recremento illo generetur lapis, exquisitè nunc declarandum est. Et primum supponamus quæ sensu patent non in omnibus generari: adeo vt in quibusdam qui etiam laborant retentione maxima vrinæ propter carnem in collo vesicæ, non tamen lapis generetur vnquam, aliis quibus est libera & expedita eiectio vrinæ, attamen generetur, cur infantibus & senibus maximè, cum hi sint frigidi, illi calidi? De lapidum differentia: De Arenæ differentia: & an mictus arenæ significet factum aut futurum lapidem? De signis autem lapidis etiam dicemus. Demum de modo quo lapides in vesica concrescunt. Ergo Philosophus duo affert impedimenta duritiei humidum & spiritum: humidum resoluitur à calore: spiritus exprimitur à frigore. In quibus ergo durities facta est, tum à calore tum à frigore, tam humidum quàm spiritus ablata sunt, & ideo nec à calido nec à frigido dissoluuntur velut lateres, & huius generis calculos seu in renibus, seu in vesica genitos esse constat. Quæ autem coagulata sunt à frigore, vt metalla & cera, à calore dissoluuntur: sicut quæ à calore solo, velut sal, à frigore dissoluuntur: quoniam in eo relictus est spiritus, per quem refrigeratum, calor qui humidum continet dissoluitur, atque ita liquescit sal: maximè quod cum frigido humidum copulatur. Indicio est quod sal in igne positum crepat vehementer, sicut etiam castaneæ, quoniam plurimum spiritus continet, ergo cur & in pueris & in senibus gignatur lapis

dubitauit

dubitauit Alexander (1. Problem. 110.) his verbis: Quam ob causam cum calculus per calorem consistant (pueri namque calidi sunt) & in senibus non nisi per illam eandem causam concrescit? Haud enim tantam refrigerationem esse in illis putandum quantum nix & gelu contrahunt. Quippe cum summum frigus renes omnino interimere possit, cur inquam si ita est non medicamentis contrariis ad resoluendam calculi concretionem vtamur sed similibus, id est calidis, vt saxapio & fœniculo, & eiusmodi cæteris? Ipsum per nimiam vstionem exussationémque incidit, vt calculus in arenam frangatur modo pulueris, qui ex fictilibus immodicè terrefactis dilabitur. Itaque minuti calculi facile, cum arena minguntur, fieri tamen potest vt etiam per frigidam potionem calculus expellatur: videlicet cum renes ita corroborentur, vt bonis admodum viribus per vim excernendi eiiciant, nec non renum feruorem immodicum, qui calculorum concrescendorum causa est, frigida potio extinguit. Ergo sententia Alexandri est, quòd Aristoteles cum dixit quæ concrescunt à calore dissoluuntur à frigore, de liquefactione intelligit: at aliud est de contritione: nam atteruntur sicca ab immodico calore, humore consumpto, per quem consistebat, non possunt autem dissolui per frigus: primum ob causam ab Aristotele traditam, quia sunt calculi concreti simul à calore, & à frigore: secundo ob redditam ab ipso Alexandro, quoniam tantum frigoris in humano corpore inueniri non potest. Docet igitur causam cur à calore necessariò si modo dissolui possit, dissoluatur: Demum subiicit modum quo iuuari possint à frigido: ne omnino labefactetur dictum illud quod est pro axiomate in medicina, contraria contrariis curantur: atque id bifariam, primum quidem vt à frigore ipso prohibeatur ipsa calculi generatio, quæ à calore fiebat: secundo, vt iam concretus à renibus expellatur, dum sublata per frigus intemperie & robustiores effecti genitum calculum exprimere possunt, sed redeo ad primam dubitationem, retenta vrina, non facile concrescit lapis, quoniam ab humido multo impeditur liberè effusa concrescit, quia limus residet in imo, & rursus retenta vrina concrescit limus, si libere effluat etiam non concrescit: Quid hoc? Dico si non libere effluat & tenuiter, hoc semper malum est, quoniam pars crassa necessario retinetur, & diu retenta generat necessariò lapidem: at prorsus retenta vbi eiicitur cum impetu exit, & expurgatur vesica: atque sic non generatur lapis: & similiter eiecta libere cum expurgat, lapis non generatur. Et contra cum libere eiicitur vrina, quod est in fundo concrescit, vel quia non constringitur, vel quia profundus est sinus in imo, vel quia collum sinuatur vt gruis. Vidi etiam in his quibus excisus erat lapis ob callum. Sed si fluat parum libere vt retineatur, & postmodum debiliter eiiciatur non purgatur vesicâ, generatur lapis. Causa igitur generationis lapidis in vesica est imbecillitas eius: & ideò est communis senibus & infantibus: & maxime quia non mouent corpus validis motibus, & hæc est causa quod generatur in sedentariis artibus, maxime in scriptoribus, tertia, est strictus meatus vel obliquus: quarta, materia crassa ac lenta, & quinta est feruor tam loci quam materiæ. In materia autem vt generetur cum est immobilis quanto maior quantitas tanto celerius magnus lapis generatur: sed in his in quibus mouetur quanto paucior cum minima diuisa & homogenea, vt lapis saltem durus generetur? Generatur ergo hoc modo materia, lenta crassæ substantiæ, & ad minima diuisæ, cum à calore concreuerit in formam luti, iam non indiget vlteriore calore seorsum, sed tum vel etiam ante à frigore exiguo calori misto cogitur: ita vt frigus exprimat flatum & calor consumat humidum, atque sic lapis generatur, quandoque calor magnus cogit in lapidem in lateribus, quos ferreos vocamus, prorsus coniuncto humido aqueo, cum terra, & tunc superueniens frigus cogit in vnum: Et ob id si diutius permaneant in fornace franguntur. Qui verò magis durescunt à calore temperatiore, & frigori melius admisto coguntur, sed indigent longiore tempore. Cum verò non fuerint partes ad minima diuisæ, nec fuerit humidum pingue, velut in argilla non concrescunt. Causa igitur est substantia terrea tenuissimè diuisa, & bene admista humido pingui, & calor temperatus bene cum frigore & mora diuturna. Modus autem quo lapides concrescunt in vesica, cum sint plures modi, scilicet vt in aquis à frigore multo, vt in fornace ab immodico calore, vt in montibus à sicco & frigore, quasi auctus, nullo sanè istorum modorum, nam neque in corporis humani vlla parte, tantus est calor vt fornacis: neque frigus vt in imo fluuiorum: neque siccitas vt in montibus, sed per viam expressionis humidi tenuioris, sicut etiam generatur frequens in pulmonibus & iecore & renibus bonum: qui enim gignitur in capitibus corni piscis, & gobij fluuialis & multorum aliorum gignitur, à frigore vt in alueo fluminis, est ergo his quartus aut quintus modus, dico quartum per expressionem & concretionem à calore temperato: quintum à solo calore temperato absque expressione vlla. Et sic etiam generantur in arboribus, sed à frigore moderato. Dico ergo quod omnis materia liquida pinguis per expressionem & etiam sine illa, cogitur à calore temperato in lapidem, velut ouum super pluteum camini maximè rubrum, quod enim humidum est, si à calore concrescat vel à frigore, aut permiscetur, si pingue sit, aut euanescit si aqueum: & si pingue aut putrescit, aut exprimitur, aut cogitur, fient ergo quatuor veri modi: aut enim exprimitur aqueum tam à calore quam à frigore: aut pingue exprimitur à frigore, quia putrescere non potest à frigore, aut quoniam à calore putrescit, demum quia concrescit, cur ergo dicet aliquis, ligna non concrescant in lapides, cum habeant humidum pingue. Dico quod præuenit putredo, & vertuntur in animal & in cariem. Quod ergo lapidescere oportet, oportet vt lapidescat à frigore, aut pingue careat humido aqueo vt putrescere non possit. In vniuersum ergo omne humidum tempore,

pore, aut vertitur in puluerem absque putredine si sit aqueum solum, seu à frigore, seu à calore: aut putrescit si sit pingue admistum aqueo: aut concrescit in lapidem si sit purum aut mistum aqueo, & à frigore cogatur. Similis est ergo generatio, hæc lapidum in æstate sub terra à sole. Aër autem prohibet in terræ superficie generationem lapidis ob motum, vnde exsiccat humidum & efficit puluerem.

Differentiæ autem lapidum à generatione sunt tres: vel enim lapis generatur in lapide, & hic est durissimus, & plerunque gemma cum eo peruenerit, vt vel limæ resistat, vel vt magnum nitorem accipiat: vel accrescit lapidi paulatim sui generis, & tunc si æqualis sit substantiæ, dicitur marmor, si non leuis cossi inæqualis silex. Si autem generentur alio modo, dicuntur lapides, seu in terra, seu aqua, seu ligno, vel animali, & sunt molliores his. Et sunt ex his qui in vesica & renibus nascuntur plures differentiæ, cùm omnes sint ex vno genere molles, duri priores, asperi qui deteriores sunt & leues: magni similiter priores paruis & hæc nota omnibus. Duæ sunt differentiæ aliæ, non pariter notæ omnibus annexi, scilicet qui sunt insanabiles tam in renibus quàm in vesica, sed in renibus celerius occidunt, vtrique insanabiles, & si etiam comminuantur medicamentis, denuo accrescunt vt necessariò interimant. Est aliud discrimen à calore, albi qui omnium molliores, inde rubri raro duri, nigri duriores, sed ferruginei & misti sunt omnibus peiores, sunt enim plerunque durissimæ. Arena autem rubra à renibus fit, alba quandoque fit à lapide vesicæ: ideo aduertite si rotunda sit, est minus periculosa si minuta & quasi derasa est periculosior.

Relinquitur dicendum de lapidis signis, cum ergo sint tres præcipuè differentiæ, nam calor & durities vum parum refert, aliud est explicatum & est situs vt sit annexus vel non: magnus vel paruus, asper aut leuis. Oportet igitur scire signa omnia quæ possunt alicui speciei conuenire propriè, primum est igitur impedimentum meiendi, cum lapis ad collum vesicæ se exporrexerit. Vt id agat oportet vt sit mobilis, & magis id agit, cum fuerit paruus, sed non adeò vt emitti queat. Istud signum est certum, nisi in constrictione enormi: quia si lapis tendit deorsum & os vesicæ est in imo eius, ergo homine stante vrina supprimitur si fuerit paruus, si magnus, guttatim elabetur, non tamen est proprium conuerso modo, nam potest supprimi vrina & tamen non aderit lapis, velut à carne in meatu virgæ & collo vesicæ, & est frequens ab arena, à sanguinis grumis, & à pituita crassa, & hi sunt modi frequentiores. Secundum est grauitas: hoc in magno solum est euidens, aut saltem euidentius. Tertium vt sentiatur motus eius: hoc non est in annexo, nec dum quiescit in imo vesicæ, parúmque sentitur vesica plena. Ideò sentitur in ascensu, in concussione alterius pedis vehementi, in repentina sessione, sed vt dixi, hæc debent fieri exactè euacuata vesica. Quartum est vrigo excoriata vesica, hoc non sentitur in coniuncto nec perfectè leui: sed oportet vt sit mobilis & asper. Quintum est ab vrina alba, crassa, turbida, tanquam à causa, aut purulenta ab vlcere iam facto, vel aquosa prorsus ob imbecillitatem vesicæ, factam à frigore lapidis & materia limosa, quæ adhæret lapidi. Sextum est arena quæ deciditur, vt in Aphorismo (4. Par. 79.) Quibus in vrinis arenosa subsident his vesica calculo laborat.

Diximus aliàs quomodo sit intelligendum, nunc etiam exquisitius declarabimus, oportet subsidere & non adhærere matulæ, nam eiusmodi à renibus solent excerni. Si autem subsidant à vesica calculo laborante, aut tanquam materia calculi erunt, at istud raro admodum contingit: incrementum enim fieri solet in omnibus ab his quæ potestate talia sunt, vt planta à succo non ligno aut ramis vel frondibus, idque semper fermè verum est in his quæ verè generantur. Vinculis enim contingit arctis alligari arborem arbori, aut lachrymam fortuito adhærescere, sed hæc casu fiunt & raro, nec sunt vera incrementa. At in huiusmodi quæ non generantur sed concrescunt, non sunt enim veri lapides: etiam difficile est vt sic augeantur, arena enim dura non adhæret lapidi, nisi per limum: & cum limo etiam facile motu exteritur, vnde facile est motu & saltibus prohibere lapidis generationem: solo autem limo lapis augetur, vt etiam cum lapidem eximimus res ipsa docet, plerunque enim limo inuolutus inuenitur. Si verò sit arena pars lapidis iam facti: necessario tophus erit & alba, & motu ac medicamentis & saltibus dissoluetur, vnde non nisi (quod sæpe etiam euenire solet) cum plures fuerint lapides, tum enim si vnus alterum atterat, arena prodit cum vrina, secus rarissimè id accidit vt in vrina propter lapidem in vesica arenosa frequentius subsidant: nam semel aut bis terue quaterve in anno casu contingere potest: sed neque tum necessarium est lapidis in vesica contenti signum, cum enim lapis trifariam in vesica generetur, vel ex limo vt dictum est, vel ex lapide renum in vesicam delato inde superaucto, vel ex arena coacta & inuicem glutinata, hic tertius modus rarissimè contingit, quoniam partes se inuicem exterunt: Et ideo arena potius apparet post medicamenta atterentia lapidem, vel post motum assiduum & validum: & oportet vt sit tenuis, & in imo non adhærens matulæ: & hæc vt ibi docui significat lapidem, aliæ arenæ species non sunt signum lapidis, sed potius vrina crassa cum sedimento crasso, lento & multo & albo, cum substantia parum pura & non bene colorata, aut quæ prodeat cum magna vrigine & dolore: Vel quod sit aquea & pura. Septimum est quasi mistum signum, & est compositum ex tribus, pruritus qui fit in præputio & tentio virgæ & maxime in pueris: voluntas egerendi quasi perpetua & molestia & similiter mictio frequens, quorum ratio est vesica, quæ incidet recto intestino pondere lapidis vexat ipsum: mictio verò frequens à vesica, partim fit vlcerata cum vlcerata est, & ab irritatione lapidis & vrinæ putredine. Virgæ autem pruritus ille & tentio fit, quoniam partes illæ

natura

natura ad hoc institutæ sunt vt ex titilatione arrigatur penis, ideo neque in senibus fit hoc, neque si lapis sit magnus. Vrigo illa immensa in præputio (quæ tanta est, vt nihil maius, contingit ob inflammationem partium quæ sequitur, ad vlcus in vesica, & tunc dolor maximus est, nam & ob id & ob sensus acumen qui in glande viget, oritur: & plerunque exulceratur cauitas illa facta in glande retenta arena, sanie & vrina putrida, vt sit ibi inflammatio & vlcus simul. Ista omnia signa per se non concludunt adesse lapidem, grauitas tamen & repentinum impedimentum in vrina, ac rursus repentina liberatio & quæ multis diebus perseuerant, sunt præcipua signa: nam humor crudus non tam facilè redit & recedit, & pars eius apparet in lotio: nec talia afferunt grauitatem adeò manifestam vt lapis, sed & motus est magis proprius lapidis post illa duo: De lapide tamen immobili licet sectores affirment, vix tamen credo & est res rara & parum ratio ei subscribit. Reliqua signa præter id quod possunt habere alias causas vt tria prædicta vix possunt distingui, ita vt doceant certè adesse lapidem, nam flagrantia potest procedere, & ab vlcere & à materia acuti. Si autem sit vrina splendida, ad vices absque sedimento cum his poterit poni pro quarto signo & similiter arenulæ tenues, valde vt puluis fusci coloris aut varij pro quinto: Sed hoc signum per se est nullum: vt etiam si non adsit, securitatem non affert. Cathetera autem est laboriosa, sed certa si non fidas illis qui secant. Sed in ipso tangas in infantibus etiam tangunt digito medio illi per anum immisso absque noxa. Quidam etiam gloriatur se tangere posse in viris: quod si verum esset, esset certum, & ideo valde vtile.

LETTIO LII.

Super

TEXT. XXVII. & XXVIII.

QVare pueri calculosi fricant ac trahunt pudenda. Videtur enim ipsis causa mictionis eo loco.

SI omnes huius libri partes tam pulchrè explicasset noster Alemanus, velut hunc Textum, satis nos à graui labore liberasset, propterea illius commentarium ad verbum iussi exscribi eo contentus, nisi quod loca authorum ab ipso citatorum neglecta in margine adieci, simúlque annexi admonitionem non parum necessariam, & salutarem ad præseruandum à lapide ex motibus sumptum. Hæc igitur est illius expositio. Nominat potius pueros quam ætatis alterius homines, quòd calculo vesicæ cæteris sint magis obnoxij, Teste Aëtio (lib. 11. cap. 9.) hunc in modum scribente: Generantur etiam in vesica lapides pueris frequentius quàm ætate prouectis, voraces enim pueri sunt, & perpetui motus & cibis vtrinque oblatis & nociuis vtuntur, & neque horam cibum capiendi seruant ordinatam, quin etiam prius quàm prior assumptus cibus coquatur, alium ingerunt: & cum vehementius à cibo moueantur, crudus & incoctus in venas cibus distribuitur, mollia autem sunt ipsorum corpora, & quæ facilè cedant: eiúsque rei gratia obturationem circa renes non perferunt, cum verò crassissima lotia in vesicæ amplitudinem perferantur, ibidem veluti vini fex & limus aquæ subsistunt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescunt. His consentit Alexander, (1. Problem. 109.) sic quærens: cur pueris calculi in vesica nascuntur, senibus vero in renibus? Quoniam renes puerorum meatus continent præangustos, hinc enim terrena crassáque permeans materia per renes, vi arctioris meatus ab vrina & renibus caniculatísque propellitur ad vesicam, hæc locum præ sua amplitudine dat, tum exercendi, quia affluat vrina, tum consistendi quia materia subsideat calculi. At seniorum renes, quoniam meatu sunt ampliori, locum & vrinæ effluendi præbere possunt, & terrenæ materiæ subsedendi & concrescendi. Colore autem calculi, quænam materia sit quæ peperit, nosci potest. Hinc Hippocrates (3. Aphorism. 26.) inter puerorum morbos calculum ponit. Deprehendimus autem pueros calculosos ex sabulosis vrinæ subsidentiis, & quod ipsis virilia sæpius arriguntur, quando enim meiunt, dolent, tractant attrahúntque pudenda, tanquam calculum cum vesica exempturi, inquit Aëtius (lib. 6. cap. 60.) cui Paulus assentitur his verbis: Pruriunt laborantes, & confricant pudenda, intendúntque & continuè in vrinam propellunt, ac stillicidio vexantur, anus quoque vitij particeps redditur pruritu laborans. Prominet verò, & rectum intestinum vi & contentionibus, imaginatione perinde, ac si lapis excernatur. Ambo enim inter se copulantur, anus & vesica: quorum vno affecto, & alterum afficiatur est necesse. Propterea inflammato podice vrinæ exitus clauditur, & vesica exacerbata sedes non deiicit: licet aluus admodum sicca non sit idem scribit Trallianus (lib. 9. cap. 7.) hæc adferens signa calculi. Vrinæ crudæ, & colore subalbidæ conspiciuntur, sedimentum est arenosum & scabiei simile, præterea ægri naturalia scalpere, aut ea violenter & sæpe distendere solent, atque tunc magis, cum ad vrinarum excretionem vrgentur, trahunt pudenda, vt à calculo comprimente sphincterem separent: vel pruritu ad id ipsos cogente: vel propter titillationem, putant enim causam mictionis laboriosæ esse circa radicem pudendi, proinde tollere conantur illud ipsum contrectantes.

Hic tamen quædam relinquuntur consideranda: primum circa motum: quia enim motus calefacit renes, ideò crediderunt quidam quòd quies sit melior motu & lentè etiam deambulandum ante cibum. Et verum est quod quiescere & abstinere à decubitu calido, & à potu vini potentis & vsu aromatum & rerum pinguium & terrearum & lentarum: & ideò à caseo qui omnes habet conditiones: à cibis ex farina & à radicibus calidis, in quibus sunt duę conditiones, plurimum iuuat

iuuat ad præseruandum à lapide. Sed tamen quod à ieiuno sit lente deambulandum, id minimè verum est, imò inæqualiter & magna cum agitatione & celeriter motibus quidem validis sed breuibus, sic enim non cogitur lapis, & nil est quod magis eius impediat generationem, licet quies non sit causa generationis: contrà, in cibis calida & terrea generant lapidem & lenta, illis tamen non vti minime hominem reddit securum ab illius generatione. Quædam etiam damnata ab Actio, scilicet valde calida & quædam terrea dissoluunt lapidem: tria præcipuè lapidum genera, lapilli albi qui inueniuntur in oculis æstacorum rumpunt lapillos tophaceos in vesica: lapis Iudaicus fœmina, authore Galeno: & lapis inuentus in vesica fellis tauri: Princeps tamen laudat solum in arenalis hunc. Sed de radice & surculis radiculæ, quam vocamus raphanum, ipsa est calidissima, & nihil magis prohibet lapidis generationem: etiam teste Principe, dico quod non intelligitur de hac, & maximè de surculis qui sunt optimi, foliis potentiores, radicibus suauiores, ciunt autem lachrymas: & cum considerau super hoc, nihil est melius his & surculis lapathi acuti, & maximè nati inter petras & succo limoniorum. Sed hic est noxius ventriculo, ideo debet coqui & esse in vsu, his tribus essem contentus, vsus quoque aceti & olei prohibet generationem eius. Sed in lapatho huiusmodi, & quadam eius alia specie non adeo lati folij est, vis ad vriginem vrinæ cum hoc: Testis etiam omnium horum est Dioscorides, (lib. 2. cap. 106.) mouet etiam aluum hæc herba, & non meminit raphani ad lapillum, neque eam inter salutares commemorat. Quid diuturnus vsus efficere possit, non dico nec despero, vt etiam de vesica. Quantum verò aluus astricta noceat, non est facile dicere, primum enim calefacit vesicam & renes, vt materiam terream cogant: similiter iecur vt exurat humores, & sanguinem præparetque materiam pro generando lapide: demum retentis partibus excrementi terrei, illæ trahuntur ad iecur & ad vesicam, & cum sint lentæ generatur facile lapis. Tertia dubitatio est, quia hic videtur de infantibus maxime loqui, vt etiam videbimus paulo post. At tertia Aphor. (Text. 29) tribuit calculum ætati tertiæ puerili, quā Galenus (26.) extendit ad duodecimum aut tertiumdecimum annum. Ego autem vidi in vtrisque, scilicet infantibus lactantibus, & pueris prope pubertatem, nec hoc negat hic Hippocrates, quinimo proponit hanc pro alia causa generationis lapidis, & pro exemplo succedentis ætatis, quasi à maiori sumpta comparatione. Dicet aliquis, meiere sæpius an iuuet? dico quod neque nimis sæpe, cum lapis generetur potius tempore quo vesica est vacua ab vrina quam quo est plena, sed si plena sit incalescit nimium, & etiam separantur partes, igitur bonum est obseruare hæc vt prohibeatur lapidis in vesica generatio, primum vt non retineatur nimium vrina, propter causas dictas, & etiam ne distendatur & debilitetur: secundum vt moueatur & agitetur cum vult mingere, vt fex ascendat & misceatur cum vrina: tertium vt corpus aptetur, ita vt os colli vesicæ sit in inferiore loco comparatione ad totam vesicam, quartum vt permittatur perfectè expurgari, & maximè comprimendo vehementer vesicam cùm homo mingit, adeò vt sentiat vesicam perfectè euacuatam & liberam, & mingere à vectione in carpento non parum iuuat. Et similiter confert madefacere renes & lumbos sæpe aqua rosacea. Quarta dubitatio est circa cibos, qui & si plurimi sint, modo parum nutriant, minus nocent paucis multum nutrientibus. Quid enim refert quod multum sumat sibi. Cum parum ex eo transeat ad iecur pro lapidis generatione? Vitanda ergo sunt pinguia, crassa, lenta, terrea, mista è pluribus, vt tortæ cum aromatibus multis. Sed quia contingit multis quod dum minxerint, in matula apparet materia arenosa iuncta cum materia lenta, & adhæret matulæ, & fit crasta dura vt lapis, & tamen illis non generatur lapis in vesica, ideo quæritur causa? Et dico quòd talis vrina non fit eiusmodi nisi cum refrigeratur & corrumpitur, id est perturbatur: quamdiu autem manet calida hoc non fit: cum ergo in corpore non refrigeretur eousque, & per motum partes quæ adhæserunt parietibus vesicæ separentur & diuidantur, ideò tale sedimentum non est causa generationis lapidis nec signum: tametsi res non sit absque periculo, & motus affert duo commoda. Sed in quibus non perturbatur vrina si aliquid tale in fundo resideat nihilominus non ob aliud residet quam quod sit refrigerata: & ideò cum non refrigeretur in vesica, non potest etiam cogi in lapidem. Ideo in talibus oportet cauere valde calida, nam ex illis cogitur materia, & etiam quia talia frigerantur necessario in vesicam, sicut aqua feruens in caldario sufficit, aut quòd refrigerentur non exigitur vt refrigerata sint. Velut in plumbo & ferro, congelantur enim & concrescunt cum adhuc calidissima sunt, ideóqae semper antequam refrigerata sint.

TEXT. XXVIII.

SIgnum autem eius, quòd hæc ita se habent, hoc est, vrinam splendidissimam calculosi mingunt ad similitudinem seri, eo quòd id, quod crassissimum est ac biliosissimum, isthic manet, & coaceruatur ac concrescit. Et plerique sane hoc modo lapidem & calculum contrahunt.

DOcet calculum fieri ex limo vrinæ, quoniam qui calculum habent, vrinam claram mingunt, & ideo signum est quod pars crassa retinetur dicit & biliosa. Quomodo crassissimum esse potest, quod est biliosissimum. Præterea dicit Alemanus vnum aliud quod si interpretemur vt iacet, verum nō est, dicit enim quod cum lapis annexus est vesicę, ęger mingit crassa, alba, turbida, mucosa, quia materia crassa euacuatur, & non abit in lapidem. Ex quo ergo genitur esset autem auctus? Dico ergo quòd tales lapides connexi tardius

tardius augentur, quia maior pars materiæ crassæ effluit per vrinam: at hæc fuit sententia illius. Quod autem Hippocrates dicat biliosissimum & crassissimum id potius experimento quàm pura ratione comprobatur. Nisi enim crassissimum esset non concresceret à calore, quod vero sit biliosissimum apparet ex colore ipsorum lapidum qui non solum sunt flaui sed etiam fusci, quasi exusta bile. Et hæc fuit sententia illius quasi in huiusmodi viris multum flauæ bilis ex sua vesica defluat ad vesicam, quod mistum est terreæ & crassissimæ parti humorum conuertatur in lapidem. Addit Alemanus ex Principe interdum in his qui lapidem habent vesicæ connexum adesse vrinam cum arenulis & hypostasi furfurea.

LECTIO LIII.

Super

TEXT. XXIX. & XXX.

FIt autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit, sed valde calidum & biliosum. Ventrem enim percalefacit, & vesicam. Quare vrina, dum adurit, hæc patitur.

RVrsus hic ex quarto de Morbis hæc recte inquam ab Alemano citantur, (pag. 15.) & cum tota illius serie adiecimus, nam & quæ Alemanus addit hic opportuna sunt. Cæterum calculi morbo principium oboritur à lacte, vbi puer lac sugit, lac autem in nutrice, impurum fit, si pituitosis cibis ac potibus & alimentis impuris nutrix vtatur, conferunt enim omnia in ventriculum illabentia ad lac. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malum puero generat. Consentiunt enim corpus & ventriculus. Plurimum verò ipsi ad lac cedit de eo quod ipsa plurimum in se ipsa habuerit. Et puer si de nutricæ lac purum non suxerit, sed biliosum, velut dixi, morbosus fit ac debilis, & in præsens maxime affligitur, quandiu lac prauum ac morbosum suxerit. At vbi non suxerit lac non purum, sed terreum & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes amplas ac attrahentes. Procedit autem & quod bibit nutrix & lac in ventriculum pueri tale, quale trahit à ventriculo de lacte, in totum similiter provt venæ in ventriculum detrudere possunt. Si quid sanè in lacte non purum fuerit, id quod vesica fruitur, lapis fit hoc modo, velut in aqua non pura in calice aut vase æneo turbata & rursus sedata, fœx aceruata fit in medio, sic sanè & in vesica de vrina non pura existente. Et non per vrinam eiicitur, vt quæ in cauo sit loco, & maximè cum aceruatur: præ dolore per mictionem non pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glutinum enim fit pituita ad fecem admixta. Et primum parua lanugo superstat, deinde quod accedit fit arenosum, glutino fiente pituita quæ est in vesica de lacte, & augetur: & quicquid humoris in glutinatione accesserit emingitur. Rursus autem fœx solida fit, & lapidis speciem accipit, quemadmodum ferrum ex lapidibus ac terra dum comburuntur fit, & in prima quidem in ignem immissione conglutinati sunt lapides, cum terra adferri recrementum. At vbi iterum atque iterum in ignem immissa fuerint, recrementum quidem foras decedit liquescens ex ferro, id quod ita fieri oculis videmus. Ferrum autem in igne relinquitur, & recremento recedente subsidet, fitque solidum ac densum, sic profecto etiam fex in vesica, dum pituita glutinum fit, emingitur id quod ab vrina liquescit, fœx autem subsidet & densatur, ac solida fit velut ferrum, vbi vero subsedit, ac solida facta est, sursum ac deorsum in vesica volutatur, & feriens vesicam dolorem inducit, & si vehementer feriat, aculceret, aliquid de ipsâ aufert. Verum id quod insuper affertur adhuc magis quam id quod arenosum decessit, concretionem efficit, atque tali modo lapis fit de lacte in vesica: & si puero anxietas aliqua ab hoc oboriatur, aliàs atque aliàs vbi meiere vult vrinæ meatum apprehendit. At si puero iam adulto lapis gignatur ex terræ esu, dolor non adest nisi prius quàm ipse sibi ipsi cibum deligat. Cæterum morbus signa quinque habet, nam vbi meiere vult, dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, velut in vrinæ stillicidio: & est subcruenta nimirum vesica à lapide exulcerata, & vesica inflammata est. Verum hoc signum inconspicuum est, indicat tamen summa pars præputij, quandoque mingit arenosa, eiicit aliquando lapides duos, aut etiam plures paruos eodem modo generatos, vt de vno dixi. Hactenus Hippocratis verba quod ad huius sententæ intellectum mirum conducere videatur recensere volui, ex quibus colligere licet, nutrices nigras, biliosas cæteris non esse præferendas, harum lac cum fit calidum & biliosum, facilè vesicam & cæteras partes calefacit, qua vrinæ aduruntur, cuius & loci admistione pars crassior lapidescit. De lacte Dioscorides, (libro 2. capite 63.) probat lac candidum mediocre, & quod vngui impositum non diffluat: Paulus septem notas boni lactis ponit: quod mediocre sit & laudabile substantia, colore, odore, sapore, copia, quod impositum vngui claritatem habeat æqualem, ac mediocriter diffluat, denique quod coagulo in vitreo vase coactum, tam serosum quàm & solidæ substantiæ mediocritatem obtineat. Aristoteles inquit, 3. de Natur. animal. capit. 21.) His qui lactantur vtilis lac est, quod ad liuorem trahat quam candidum, lac igitur quod optimum atque mediocriter spissum, non candidissimum est vt nix: sed nec liuidum, at quasi ad liuorem declinans, quod enim obscurum quoquomodo est, non adeò est aquosum. Sed omissa de lacte disputatione, dicimus calculos interdum à renibus in vesicam descendere, ibique ob crassitiem retineri, & temporis progressu augeri aliis humoribus crassis & lentis qui se illis in vesica coniungunt, adiectis atque induratis.

Quomodo ergo fiant calculi adhuc diligentius est considerandum, fiunt enim conglomerata in vesica materia nec eiecta: adeò vt vix generari calculus possit si totum quod in vesica continetur singulo die excernatur. Retinetur ergo materia calculi, antequam calculus fiat, non autem calculus fit antequam non excerni & retineri incipiat. Hoc autem initium est huius contemplationis, quod fex illa pluribus diebus retinetur antequam lapidescat, & cogitur primum, inde durescit, pòst concrescit, demum fit vt lapis, túncque bifariam retinetur, & ob situm & ob crassitiem fit autem duobus modis, primum in imo vesicæ idque frequentius, & est durior, alio modo adhærens parietibus vesicæ, & est mollior, concrescit enim in crustam, inde decidit fitque lapis. Ideóque & oleum & succi dissecantes prosunt maximè in huiusmodi, & aqua cinerum destillata. Sed quoniam Fernelius contendit in sexto de Morbis & symptomatibus, (cap. 13.) omnem lapidem in vesicâ habere originem à lapide in renibus orto, & adducit duas rationes, prima, quòd nullum vidit hoc morbo conflictatum qui non laborauerit calculo renum: secunda, quod in medio talium lapidum inuenitur quasi nucleus alterius substantiæ. Quid dicam ad hæc non habeo, constant argumenta singula singulis experimentis. At ille sibi fidem abrogauit, cum referat masculos nasci alio modo quàm fœminas, cum dum in vtero sunt circumuoluantur vt exeant: facie autem respiciunt dorsum, ideo vt circumuerso fuerint omnes, vt etiam testatur Iulius Cæsar Arantius in suo libello de Humano fœtu, (cap. 8.) ventrem respicit & propriè de puellis agit. Sic cum in tot libris Aristotelis, Galeni, ac nostris non inuentum fuerit mendacium, ipse in insigni inueniatur, videtur homo quæsisse gloriam sine pudore aut conscientiæ respectu, cum non haberet aliam viam qua sibi nomen compararet, plurimum enim ac plurimum hoc refert ad salutem multorum, an hoc sit verum vel falsum. Ideò tales homines scribunt admiranda, sine vllo respectu imò prodigiosa. Quid etiam prohibet ne non arena aggeneretur vt etiam lapidi. De secundo experimento non tentaui, concludo quòd vtinam verum sit, magnam enim lucem in hac causa attulisset. Illud mihi suspectum est, quod etiam est cum Hippocrate, quod multis pueris hoc accidit absque renum calculo. Si tamen ita sit licebit coniectari certa ratione tempus, & quandiu sit quòd lapis in vesica esse cœperit.

Circa lactationem puerorum meminisse oportet sex quæ colliguntur, aut saltem quinque à Galeno in tertio de alimentis. (cap. 15) Primum quod lac nocet præcipuè quatuor membris, iecori obstruendo, renibus & vesicæ lapillos generando, capiti si sit imbecille: sed maxime dentibus. Secundum quod mel est ferme alexipharmachum lactis, cum hoc etiam prohibens ne in ventriculo congeletur. Tertium quòd lac coniunctum cibis ex farina, licet non sit adeò flatuosum, magis tamen obstruit & gignit lapides. Quartum quod lac inficitur qualitatibus non solum animalium & mulierum, sed etiam ciborum. Vnde dicit lac mulieris aut capræ quæ ediderit tithymalum purgabit infantem, & etiam adultum. Ex quo patet quòd in timore calculi si nutrici dederimus rumicem & vrticam, & eiusmodi vt linamnia & raphanos, reddemus ipsum tutum ab hoc periculo de quo Hippocr. in littera. Quintum quod cùm omnes cibi agant pro ratione qua assumuntur, solum lac cùm sit cibus vnicus simul & potus in infantibus plurimum potest in huiusmodi causis ad iuuandum ac nocendum. Sextum quòd pars sola casei est illa quæ gignit lapidem, butyrosa potius impedit: ideo ab asinino lacte nullum est periculum, mirum est autem quòd cum dicant lac camelinum esse tenuissimum post equinum, inde asininum, vtantur tamen medici camelino & asinino, equino autem quod est in medio eorum nunquam.

TEXT. XXX.

ET sanè sentio melius esse pueris vinum quam aquosissimum dare, minus enim venas adurit ac resiccat.

PVeris negant omnes vinum, Plato, (2. de Legibus) Aristoteles & Galenus. Sed & Aristoteles in septimo Politicorum dicit, non exhibendum ob valetudinem, (de Somno & vigil. cap. 2.) Certe Hippocrates (1. de Tuend. san. cap. 1.) videtur varius etiam in tertio de Victu in Acutis, (vlt. in princip.) pro quibus contradictionem exegimus in quarto libro (100) Ideo his omissis relinquitur illud de detrimento vini in pueris, quod est multiplex, primum quia lædit illorum capita, inde etiam neruos & mentem, quia nimis exsiccat & deducit materiam ad superiora, & ob id est valde malum. Propter aquam enim ardentem quam continet hæc eueniunt, præterea male commiscetur, cum vinum statim penetret, & lac secum incoctum trahat. Quomodo autem suadeat vinum dari pueris, vel loco lactis vel aquæ: si lactis, hoc videtur absurdum: quoniam vinum est potus, & non potest supplere vicem lactis: si aquæ, videtur esse extra propositum, primum cum sermo nunc fit de lacte, non aqua. Præterea non solum pueris, sed longe magis iuuenibus & senibus hoc consilium conueniret. Propterea dico quòd loquitur de pueris, & comparat ad lactis potum non simpliciter, sed qui cum cibo solet administrari pueris. Et ideo in hoc casu vult conuenire vinum aquosissimum seu naturâ seu etiam mistum bonæ aquæ. Et ideo pars hæc cum præcedenti Textu est κῶλα, vt dicunt Græci, abscissum à reliquo, est enim extra tractationem, & ob similitudinem solum hic adiectum, ideo reddebat ancipitem interpretationem. Est ergo sensus, vbi lac sit calidissimum & biliosissimum, tunc seu propinetur cum cibo, melius est dare vinum aquosum valde: seu natura si aquæ malæ sint, vt in proposito ante, seu dilutum si sint bonæ: seu lac detur sine cibo alio,

melius est adiungere modicum vini oligophori, ad vitandum tantum periculum, quale contingit genito lapide in vesica. Et hoc quia tale vinum purgat vesicam, vt habetur tertio de Victu in acutis, (Text.8.) & etiam quia tum minus redditur biliosum ob separationem partium & celerem expulsionem ex vesica. Infantes enim non purgant vesicam bene ob duas causas, quæ non sunt in pueris, nec iuuenibus, nec senibus, scilicet ob imbecillitatem musculorum & ignorantiam comprimendi bene vesicam cum mingunt, ideo illis est necessarium hoc auxilium.

LECTIO LIV.

Super


TEXT. XXXI.

MVlieribus autem pudendis non similiter contingit, meatus enim vrinæ in vesica breuis est & amplus, vt facile vrina impellatur. Neque enim manu pudendum fricat veluti masculus, neque vrinæ in vesica meatum contingit. Ad pudenda enim perforatus est. Et quia meatus sunt ampli, etiam plus bibunt, quam pueri. Et de his quidem sic res se habet, aut his quam proxime.


HVius Textus partem explicuit Alexander 2. Problem. hoc modo: Cur fœminæ omnes calculum sua in vesica lente concipiant? Quoniam ceruicem vesicæ ampliorem quàm mares habeant, hinc enim fieri potest, vt cum vrina excrementum quoque eiiciatur, quod calculum contrahit. Hic ad Hippocratis verba seu sententiam intelligendam declaranda est triplex colli vesicæ ad genitalia comparatio: in fœminis quidem vna, in masculis autem duplex, seu cum erigitur penis, seu cum flaccessit. Ergo cum masculo penis pendet vesicam intellige *a b*,



quæ longior est quam lata, cuius ceruicis initium sub osse pubis inchoat, quod dicatur inde ascendit, quantum est altitudo ossis pubis, & ibi se exerit, vt in foramen commune penis ingrediatur, figuram ergo *d* efficiet, ita tamen vt iacentem non erectam fingas vt *d*, at si penis erectus sit ad corporis perpendiculum vt *e*, sin vero eoúsque vt ventri ferme adhæreat, vt adolescentibus & rigidis viris in hanc formam, (Vasal. lib.5. cap.11. in fine, sed obscurè & concisè.) Sin verò simplicius rem accipias, & ceruicem solam describas, licet non σ Græcum sed ς describere, potius quod differt à σ, quia non clauditur inferius, & tunc Latino *s* assimilari poterit. Sit ergo figura eiusmodi magna vbi *a* finis vesicæ, *b* ossis pubis, pars ima *c* suprema quo inseritur peni os, vt ita dicam, ceruicis dum est inclinatus penis: dum est erectus ad perpendiculum, vt in secunda figura: & dum ad ventrem in tertia: in partem igitur *a* intruditur lapis, sed vt ascendat ad *b*, atque inde ad *c*, non nisi per vim vesicæ se com-



primentis, atque impetum vrinæ fieri potest, lata autem est ceruix iuxta ortum initio quantum fermè pollex patientis exeritur duorum digitorum non plenè latitudine ab ipso osse. Excinditur lapis à sinistra parte sub osse pubis inde immissa cathetera, & è regione illius vbi collo vesicæ intruditur, à sinistra autem quoniam illa pars est è regione dextræ operantis: & etiam quia si à dextra manus artificis impingeret forcipem non in lapidem, sed in vesicam solam, & in latus sinistrum, aut cogeretur auerso brachio & manu operari. Ideo necessarium est hoc, & non ex natura rei, sed ex comparatione, diuisa carne inter musculos obliquè parum, manifestum est ergo quod ad ceruicem peruenitur tum, quam etiam diuidunt. Si magnus est frangitur, si paruus extrahitur, inde cocleari vesica purgatur. In fœminis autem supra collum vteri inseritur ceruix vesicæ, & parum immergitur, & est satis ampla nec reflectitur, inquit Vesalius, vt vix possit lapis in eis generari, generatur tamen & in eis quandoque cum ceruix arcta fuerit, & os ceruicis non exquisitè in imo vesicæ, quod ferme ita se habere necesse est, cum vteri collum rectà tendat inferius, & ceruix in ipsum inseratur, fieri non potest, vt ceruix vesicæ illi inseratur citra hoc vt flectatur, & simul os ceruicis sit in imo vesicæ totius corporis fœminei comparatione, aliter duæ rectæ lineæ concluderent superficiem. Velut sit os pudendi *c*, os colli vteri *b*, os ceruicis vesicæ *a*, inseratur collo vteri in *d*, quia ergo non obliqua est, linea



ad

ad *c* & *a c* recta est, quia ceruix vesicæ est ad rectum posita *c*, est enim in imo oris pudendi comparatione *a c* & *a d c* recte continebunt superficiem. Quæras ergo, cur in viris non effecerit os vesicæ cum collo rectum? Sic enim lapidis nllum esset periculum? at sic penis non potuisset arrigi & homo velut mulier, solum inter crura mingere cogeretur, hac de causa collum vesicæ factum est obtortum, vt tamen vesica exactè purgari posset, factum est os eius in imo: at cum lapis aut arena in collo erant, vt expellerentur, facit vrina tota incumbens, & vis qua se constringit hoc enim perspicuum est, quòd cum amplum in arctum cogitur, totum incumbit illi, ergo necesse fuit os ceruicis vesicæ in imo esse, ipsam vesicam minimè.

Neque enim manu pudendum fricant.] Alemanus exponit contrario modo quo dicit Hippocrates. Primum enim sentitur pruritus, inde dolor seu vrigo, incipiente erosione pruriunt pueri, facta sentiunt flagrantiam seu vriginem, & ideo pruritus est via à sanitate ad vlcus, & vicissim. Vnde vulnera cum sanantur pruriunt. Est tamen alia causa non adeò propria, vt vinculum & maximè ob retentionem vaporum: vide quomodo pruritus in dolorem, dolor vicissim in pruritum conuertatur, (2. De locis, cap. 7. pag. 4.) primo de Fracturis, non ergo pudendum non fricant, quia non exulceretur, si adsit lapis, os vesicæ. Sed quoniam collum inquit (Com. 41. (vesicæ exporrigitur ad pudenda muliebria, ideo dicit.

Neque vrina in vesica meatum contingit.] Hoc videtur contrarium causæ quam adducit, seu ei quod accidit, sed tamen sensus est clarior si quis consideret quæ à Vesalio traduntur lib. 5. (Fig. 27. litera l.) si quidem non communicat dicit vrina genitali muliebri vt in viris bifariam, tum quia vesicæ ceruix non aptatur collo vteri, sed duntaxat transit ipsum: secundo quia est lata ceruix vesicæ & vteri, & ideo non afficitur vterus pruritu vt penis in masculo. Et si loco pruritus agas de dolore, tunc manifesta erit differentia, cum pruritus sit initium, vt dixi, vlceris: cum ergo non queat vlcerari ceruix in fœmina à lapide vesicæ: tum quia collum vesicæ non iungitur longo tractu collo vteri, tum quia vtrunque collum est latum, vt ibi moram vrina acris trahere non possit, liquebit totum quod dicitur. Vult ergo dicere quod vrina in vesica non tangit vteri ceruicem, nam vesica ipsa est super vterum non vteri ceruicem.

Ad pudenda enim perforata est.] Scilicet ceruix vteri adeò vt vrina statim prodeat, vbi ad collum vteri venerit, & ideò sedere non potest, & est tertia causa. Subiicit quòd quia meatus vrinarij sunt ampli, ideo mulieres plus bibunt quam pueri. Dico etiam quod ob hoc ex quauis causa, maximè ob risum, se commingunt mulieres, nam situs & constitutio ipsa hoc docent. Hic succurrit mihi in mentem historia illa de muliere quæ cum pateretur vriginem in meiendo, aduocato circumforaneo Spoletino dixit, adesse lapidem: illa verbis eius non credens voluit me adesse, cum iterum tangeretur, illo tangente audiebatur lapidis cum ferro strepitus: sed cum ego vellem tangere dixit lapidem subterfugisse: tandem cum non inueniretur abiit: ego autem intelligens fraudem illius, breui tamen curaui.

Et de his ita se habet.] Verecundæ Hippocrates docet quod talia contingunt vt plurimum aut proxima dictis, velut pro calculis tophi aiemus, capilli generantur, etiam mihi vermes, alia etiam velut lentes nigræ, & est certè sentina immunditiarum.





PROOEMIVM IN QVARTVM LIBRVM.

HVCVSQVE diligenter conſcripſimus commentaria tria ſuper librum hunc de Aëre, aquis, ac locis. Quartus hic liber quoniam non leui ex parte declaramus eſt in tertia Aphoriſmorum, propterea in eo aliquanto pro breuior, cum nihil repetere ſoleam. Agam igitur tantum de his quæ alibi non attigimus, quamquam quæ ſuperſunt hîc ad explanationem, adeò vtilia ſint vt qui medicinæ operam dant non leuem fructum ſint conſecuturi. Sed & hæc pars (vt ſecunda & tertia cum Philoſophis naturalibus plura habuit communia) multa cum Aſtrologis, & vt reliquæ ſequentes cum Geographis tractanda ex æquo habet. Verùm dixi non leui ex parte declaratam eſſe hanc quartam partem in tertia Aphoriſmorum imò verè ferme totam, cum enim in partes quatuor diuidatur. Primam ſolum explicat, quæ totum librum præſentem ferme implet: De reliquis ſolum agit per epilogum. Vt hac in parte prima doceat tempora, quomodo ſanitatis aut morborum & quorum cauſæ ſint. In ſecunda verò docet has temporum viciſſitudines atque mutationes plurimum eſſe obſeruandas in opere medici. At in tertia declarat idem ex Aſtrorum curſu, quòd ad ſolis attinet puncta cardinalia, ſcilicet ſolſtitia atque æquinoctia: Idem poſt obſeruandum docet, ſed commutata ratione, vt mos eſt antiquorum in naturæ operibus ac morborum fine, adeò compendioſè & ſufficienter, vt quod ad generalem attinet tractationem, nequicquam deſit aut ſuperfluum exiſtimari poſſit.



LIBER QVARTVS.

LECTIO LV.

Super

TEXTV I. & II.


Et eſt initium quarti libri.

CÆterum de annis hoc modo conſideratione facta, quis cognoſcere poſſit, qualiſnam annus ſit futurus, ſalubris ne an morboſus.

IN præcedentibus duobus libris egit de habitationibus & natura aquarum, hæc autem vnicuique propria ſunt, hæc eſt tanto magis communis quòd ſingulæ differentiæ temporum vnicuique regioni conuenire poſſunt. Regio enim borealis nunquam fiet orientalis

orientalis aut australis, tempora autem variantur singulis annis. tempora etiam magis mutant corpora quam habitationes, aut aquæ quod ad mortem aut salutem attinet: moriuntur enim homines in malis constitutionibus breui, non ita in habitationibus aut propter aquas familiares, contra melius possumus occurrere iniuriis temporum quam aquarum aut habitationum. Demum cognitio temporum diuinior est, & magis varia pulchriorque aliis duabus: ob id hæc tractatio præstantior aliis haberi debet.

Quoniam verò de statu temporum agit, necessarium est scire quot & quando tempora anni incipiant, manifestum est autem quod hac in parte prima tempora vniuersa in quatuor solum distinguit ratione, stultum est autem quærere aliam diuisionem, quam quæ facit ad intellectum eorum quæ ab eo dicuntur, quare oportet vt sit diuisio ab ipso proposita, & congruens isti loco. In tertio ergo, (pag.2.) de Dieta diuidit tempora in hæc quatuor, sed alia ratione initia finesque eorum distribuit: ver si quidem ab Æquinoctio ad Pleiadum ortum, à quo æstas vsque ad ortum Arcturi, ab hoc Autumnus ad occasum. Pleiadum, à quo hyems, hic autem cum æquinoctiorum & solstitiorum meminerit, verisimile est æqualiter illa distribuere: maximè cum Hippocratis regio hoc ferret, vt tempora anni cum solis cardinibus conuenirent, scilicet æquinoctiis atque solstitiis. Vt non sit audiendus Galenus, qui aliter illa diuiserit tum in plures dissecando partes, tum ab aliis causis terminos eorum constituendo. Hic sanè malefecisset Hippocrates tot de temporibus scribendo, & aliter illa definiendo quàm solerent Græci, præsertim cum, vt dixi, solstitia & æquinoctia nosceret. Erit igitur Æquinoctij initium decima Martij Æstatis vndecima Iunij. Autumni tertia decima Septembris, brumæ seu hyemis duodecima Decembris, ostendunt præter hæc hoc ipsa verba eius primo Epidemiorum,(in primis Ver.) Autumno & circa Æquinoctium, & sub pleiadas. Inde etiam in eodem libro, (Constit.3.in initio,) paulò ante Arcturum, & sub Æquinoctio, & vsque ad pleiadas. Et in tertio de Constitutione pestilenti, Prope Æquinoctium feræ hyemes: Et iam circa Æquinoctium Aquilonares venti vel rursus, Austrinum cœlum sine ventis. Vt dubium non sit statim ab Æquinoctio voluisse inchoare ver, & Autumnum quod infrà docebimus. Illud etiam ostendimus ex Hesiodo poëta antiquissimo, quem plane secutum Hippocratem, (Com.8.) haud dubium est in opere inscripto Ἔργα καὶ ἡμέραι: Ισῦσθαι νύκτας τε καὶ



ἤματα εὐτόκον ἄφθες Γῆ πάντων μήτης, καρπὸν σύμμικτον ἐνείκη.

Æquantur nox atque dies, redeuntia rursus
Omnia, terra parens fert frondes, germina, fructus.

Quòd verò annus dicatur salubris, tres conditiones requiruntur, quòd pauci ægrotent, pauci moriantur, pauci corripiantur morbis insuetis. Morbosus autem cùm multi sunt ægri: si verò multi moriantur, pestilens, si pauci ægrotent ex his tamen plerique pereant, aut si non multi ex morbis tamen insuetis nomen non habet, dicitur tamen morbosus, quoniam si ægrotant morbis insuetis, ergo laborant peregrina impressione: Igitur annus non est secundum rationem temporum, & ortus syderum & reliquorum igitur non est salubris genere. Ita fient quinque annorum differentiæ, cum tamen pauci ægrotant sed sanantur, sub salubri continetur, si pereant sub pestilenti.

Vtilitas huius cognitionis est ipsi medico gloria: ipsis autem incolis vt possint obstare futuris morbis, præparando corpora. Et quoniam, vt dicebat Galenus in libro Artis medicæ, (cap. 99.) intemperies generant morbos genitis humoribus, oportebit tripliciter occurrere his venturis casibus, primum ratione causæ, Secundò ratione intemperiei aquisitæ membri aut membrorum, Tertio ratione transitus ad causam morborum per generationem humorum. Et causæ quidem obstabimus primum ipse, secundò ratione nostri, ipsi quidem immutando aërem: & hoc fit igne & aquæ & odoribus: Ratione nostri, vitando ipsum, admittendo ventos & solem, vitando crespuscula & aërem nocturnum: fugiendo è regione, & relinquendo vrbem, habitando in nemoribus vel inter equos, & incolendo cubilia sublimia. Ratione temperiei membri occurrendo cibis, potibus contrariis, tum aliis rebus non naturalibus. Ratione generationis humorum, sectione venæ, purgatione, abstinentia à cibis, abstinentia ab his quæ multum alunt, à vino, & si putredo adsit, his quæ ei resistunt, & sunt acetum, succus limmiorum, mel, succinum, vuæ passæ, carnes cerui & pauonis, & odorata temperata, vt santhali, rosæ, myrtus, inde prolixus somnus, exercitatio multa, sine frigore, mundicies. Ita etiam decrepitos ab imminenti periculo liberare poterimus. Si coluuies sit à terra, aquis, serpentibus, exhalationibus, nihil edatur quod non sit præparatum cum igne & odoratis.

TEXT. II.

SI secundum rationem fiant signa in astris occidentibus ac orientibus: & in autumno aquæ fiant: & hyems sit moderata, & neque valde clemens, neque modum excedens frigiditate: & in vere ac in æstate tempestiuè pluat, sic sane saluberrimum esse annum par est.

TRia proponit quæ anni qualitatem debeant ostendere, tempora anni quatuor;

tuor: ortum & occasum syderum, & rationem eorum quæ fiunt, calorem & frigus, tempestates ventorum aut silentem aërem, & pluuias aut serenitatem vel nubilosum tempus, aut nebulosum aut niuosum. Et ad tempora anni tria hæc comparat, ad ortus autem & occasus duo vltima, primum non ita. Sed & hæc comparatio fieri potest ad tempora singillatim & seorsum: & rursus per coniunctionem, vt dixi in libello de anni constitutione dignoscenda aliàs edito. Sunt autem qualitates quatuor: & ex ventis vna differentia seu duo membra, sed multiplicantur ratione specierum vt Aquilonaris aut Australis, & quinque sumptæ ab his quæ aëri adueniunt, vt in vniuersum sint vndecim. Quinque autem quæ aëri commiscentur sunt nubes, pluuia, nebulæ, nix & serenitas, nam grando & fulgur & similia non mutant aërem propriè.

Quòd ad qualitates attinet non vult illas esse nullas, neque immodicas, nullas quidem quia cum necessarium sit vbique locorum non solum solem, sed astra moueri in signifero & accedere atque recedere, atque ob id incalescere aërem ac refrigerari, dicemus annum esse naturalem qui seruat qualitates imbutas à sole & in errantibus stellis. Concursus autem errantium & luminarium deliquia sunt causæ præter naturam constituti anni & nimij frigoris aut caloris aut temporis perseuerantis, vbi autem qualitates non prædominantur non fit generatio, quoniam frigus efficit prolificum semen confirmando calorem animæ proprium, qui est eius instrumentum, calor autem qui fit ab astris est causa communis: ex quibus fiunt omnes generationes. Excessus autem corrumpunt genita Et vtrique scilicet tam defectus quàm excessus sunt causæ morborum. Vt autem ex astrorum ortibus & occasibus procedant, & niues & pluuiæ & nubes & huiusmodi iuxta solitum, quoniam natura humana assueta edere certa hora, alia dormire, alia aluum demittere, si suis commodis destituatur, perturbatur, & quemadmodum in die ita & in anno: hoc ergo tempore cum sit assueta sentire aquam aut ventos aut frigus, & senserit contrarium, læditur grauiter: & maximè in debilioribus corporibus & longa mutatione, idem dico de anni temporibus, vt ad constitutiones aëris comparantur. Non tamen considerat ortus & occasus syderum nisi bifariam, non autem simpliciter sed in comparatione ad opus medici, & ad statum aëris.

Et similiter considerat statum aëris propter se: vt necessario oporteat nos scire statum naturalem aëris iuxta singulas regiones: & ideò oportet comparare vnumquemque statum prærernaturalem aëris ad naturalem illius regionis. In Italia ver temperatum & humidum, pluuiis lenibus à kalendis Aprilis ad Maij kalendas, antea ab Æquinoctio ventosum: à caniculæ ortu etesiæ, antea decem diebus Prodromi: Cæterum æstus magnus & siccitas: coronæ exortus imbres efficit, vt Plinius docet, contingit hoc nouis Octobris, vt aiunt. Tota æstas procellis cum tonitruis & fulguribus subdita est.

Arcturus quoque cum oritur circa initium Septembris, ortus autem Vergiliarum Austros mouet & pluuias: Iuxta finem Octoris etiam occidunt, & ipsæ pluuias mouent. Et vt breuiter dicam, omnia astra insignia dum oriuntur & occidunt mouent ventos: venti australes & orientales aquas apud nos mouent: Boreas & Fauonius sereni sunt. Constant ista obseruatione quæ varia est etiam in eadem prouincia & regione, & in paruo interuallo, ob montes qui loco imminent tum maris situm & paludum & lacuum, vt in Beuaco lacu videmus. Non statuo tempus talium exortuum, quoniam decretum est solum de æternis habere rationem, hæc autem non sunt æterna, sed pro seculis variantur. Solum quod est perpetuum adieci: omnia clara sydera seu numero seu magnitudine seu lumine variare tempora exortu & occasu cosmico, seu heliaco vel potius latinè & clarius, matutino & vespertino ortu vel occasu, vel etiam cum oriuntur vel occidunt, id est apparent aut occultantur. Et quoniam huiusmodi conditio annorum est comparanda ad vnamquámque regionem. Ideo præter hæc animaduertes in singulis regionibus annos vere salubres quales fuerint. Etsi moderata sint tempora licet venti plurimi flauerint, dices illum statum esse salubrem per se ei regioni, & reliquos illi comparabis. Sin autem fuerint tempora anni valde inæqualia, & tamen annus salubris, dices esse salubrem per accidens, ideò non facies comparationem cum illo nec ab eo sumes indicationem.



LECTIO LVI.


Super Eodem

TEXT. II.

CÆterum videndum est quis status sit veris sub Æquinoctij circulo, an sit discrimen ibi temporum & quis extremarum gentium, quæ sub polis habitant generaliter, nam specialiter agetur inferius: deinde quid ferant dies caniculares an humidi an sicci sint: demum de annis intemperatis generaliter cum in sequentibus specialiter agat Hippocrates de illis. Primùm ergo dico quod, vt enarrat Ioan. Baptista Turrianus Veronensis, sub Æquinoctij circulo insula est B. Thomæ è regione, vt scribunt Tusciæ (id est à Fortunatis orientem versus partibus XXXIII. aut prope) saltem Italiæ, qua parte maxime ad orientem extenditur. In ea igitur duæ sunt hyemes & ver atque æstas, insulæ forma ferme circuli, cuius dimetiens LX. M. P. id est gradum vnum continet, subducta ratione quadrata continebit MM. DCC. M. passuum, hyemes ergo in Æquinoctiis fiunt, scilicet Martio mense atque Septembri.

Cum enim Sol immineat illorum capitibus, & ipsa insula exigua ambitus maris comparatione, perpetuò aër impletur nebulis inde nubibus & assidui decidunt imbres,

at Solis radiis prohibitis, & pluuia deciden- te refrigeretur, non tamen hyemi frigore sed humido vtrumque tempus persimile est. Mensibus autem Maij, Iunij, Iulij & Augusti ver est, flant enim tunc Euri, Austri, Africi. Inuenio apud Vitruuium, quem Philander vir (vt ex lectione deprehendi) doctus & accuratus Africus, vt per ph scribatur, hos vocant materna lingua Siroccum, ostrũ atque Garbinum, vt Siroccus medius sit inter orientem & meridiem, velut Gherbinus seu Garbinus inter meridiem & occidentem. Hos ventos in ea regione constat ob propinquitatem & auersam terram, quippe qui illis sint Boreales refrigerare, & serenitatem inducere. Quanquam addubitari possit, qualem vocet Africum, qualemve Eurum,



nam ratio ex situ commutatur. Sit, gratia exempli, Italia A è regione eius, vt dixi, Insula B. Thomæ, B. Æquinoctij circulus ex dictis qui per B. transit C. Africa ab oriente in occidentem extensa inter Italiam & Insulam erit ergo E necessario meridies: Italiæ Eurus F inter orientem & Austrum, Africus G inter meridiem & occidentem ex Africa, id est à parte D veniens. Et de Euro quidem in Austro eadem erunt B, insulæ Africus tamen non idem erit G quoniam, non ex Africa venit, sed tendit potius ad illam: sed materna lingua non eandem forsan patitur ambiguitatem, non ergo ex H Africus seu Garbim flat in insulam, sed ex G ut etiam Italis. Hæc dicta sint vt intelligamus quosnam ille author dixerit ventos esse frigidos & serenos vtrque adducentes. Tum, præsertim cum dicat quod ab aliis ventis, scilicet Borealibus Africa ea regio integitur. Describatur ergo portio Borealis signiferi, CHK, ita vt C sit initium libræ, H cancri, K arietis, dum ergo procedit Sol ab C ad K per H, flant venti ex L E M: igitur Sol mouet ventos ab opposita parte, cúmque fuerit in Australi non mouet ex A nec F neque G propter Africam D interpositam. Flantibus ergo ventis in vere pereunt, aut infirmantur indigenæ: quoniam macilenti nimis læduntur à ventis frigidis: inquilini Europei bene habent, quoniam carnosi sunt & pleni: at contra dum Sol est ab initio capricorni ad initium ferme arietis, tunc est æstas humida & calor præfocans, adeò vt sub terra inquilini lateant, & moriuntur, aut grauiter infirmantur, quoniam calorem cum humido perferre non possunt. At indigenæ bene se habent cum sicci sint & exangues, ita in vniuersum indigenæ centum annos persæpe excedunt, inquilini vix quinquagesimum attingunt: vt monstrosum sit in ea regione videre canum hominem, cum ante canitiem moriantur. Egrotant inquilini singulis ferme octo diebus die vna, quod est corripi vt reor Ephemera: sed cum primum quis insulam aut vrbem illius habitare cœperit, quam vocant Pouoasan, morbo acuto adeò laborant, vt vel quarta aut septima, aut ad summum quartadecima intereant, quos si effugerint conualescunt nisi admodum postea deliquerint in ratione victus: quam tenuissimam exquisitè seruant: tum quia salutarem eam experiuntur, tum quòd per se oderint cibum ob morbi prauitatem, & aëris summam intemperiem, quæ tamen viget calidissima & humidissima, semper quidem huiusmodi, sed præcipuè mensibus à Bruma, scilicet Decembri, Ianuario & Februario, atque hoc tempus æstatis est sed præhumidæ: in qua tamen indigenæ qui natura frigidi sunt & sicci & macilenti optimè degunt. Hæc volui adiecisse, vt ex regionibus tempora & morbos illorum & victus rationem, & vicissim ex temporum cum regionibus similitudine, morbos, successus, victum atque alia præcognoscere aut intelligere liceret. Hoc solum mirum & dissimile quod ea Insula peste minimè laborat, ob hoc igitur nil mirum, si curatio etiam morbo causæque eius respondet, mittunt enim sanguinis in vna vice libras duas saltem, & vsque ad tres iuxta hominis vires: atque id merito, sectio venæ siccat atque refrigerat & euacuat, morbus autem ex intemperie calida & humida & plenitudine, mittunt etiam sanguinem cucurbitulis super tempora appositis, & in spatulis vel prope: sanguis enim ille ad superiora fertur, ideo non ab initio conuenirent, sed consistente morbo. Corripiuntur & facile Indica lue, idque merito calida enim & humida facilè putrescunt, ideóque etiam facilè sanantur, vt in Aphorismo. Frumentum, vuæ, & qui nucleum continent fructus, vt persica, oliuæ, amygdalæ, minimè fructum pariunt, aut si edant non perficiunt, quamuis plantæ ipsæ luxurient, indigent enim frigore cogente quo siccentur, hic autem calor abundat & humidum exuperans prohibet ne siccentur. Prouenit palmæ genus quod coccum fert, musa, ignamus seu batatu radix, cuius plurimus vsus est pro pane. Est autem nigra exterius, alba intus, rapæ magnitudine, sed cum multis appendicibus sapore castaneæ, sed longe melior ac tenerior: cuius planta è genere est serpentium, vt vitis, hedera, flammula, lupus salictarius, folio mali medici nitidiore etiam sed minore, radix ipsa in frusta diuisa plantatur, ita vt aliquid nigri corticis adhæreat: quinque mensibus crescit: facile concoquitur seu elixa seu sub cineribus cocta, neque calefacit, neque refrigerat: ob id panis vicem dabit, præsertim quod multum alat & satiat, cuius quatuor sunt species benim, cichorerum, manicongium & croceum: duæ priores sunt nobiliores, prima ob suauitatem, secunda quoniam multis mensibus seruatur integra, ncorrupta

rupta etiam vltra annum ob id pro annona in nauibus seruatur vtilior pane. Est etiam aliud genus panis, quem ex loba conficiunt, granum ciceris magnitudine. Ideo loba Italica maius. Vere suo atque æstate vites fructum qualemcunque edunt, dico Iulio & Augusto tum Ianuario & Februario melones, & pleraque alia vere proueniunt: quòd aëris immodicæ pluuiæ non obstent, & nihilominus aër etiam calidus sit: cucurbitæ toto anno. Cancri plures magni sed montani meliores, mons enim in medio insulæ est qui plurimum attollitur, cacumen tegitur arboribus altissimis rectis viridibus, sed fructu tamen carentibus, adeò autem densa sylua est, vt aditum pene prohibeat: medius aër perpetuò diùque ac noctu densa nebula tegitur, vnde collectus in aquam super frondibus vapor, ac ex illis cadens riuulos efficit frequentes, quibus campi veris tempore irrigantur. Scaturiunt etiam aquæ multis in locis: per vrbem fons transit, cuius aqua omnium consensu saluberrima est. Abundant præterea piscibus marinis & optimis, & auibus omnis generis tum suibus quos impinguant expressis arundinibus sacchari atque iidem fiunt saluberrimi, suaues. Vexantur culicibus maioribus quam Europæi, & inquilini pulicibus, indigenæ pediculis nec secus. Habitant ibi quoniam admittuntur viri cuiusuis regionis modo sint Christiani: serui, & indigenæ nudi incedunt: operam autem quinque dierum domino mancipatam habent, sibi ac filiis sabbato libera relinquitur.

Totus ager reditus ex sacchato cuius colligunt libras magnas quater millies quingenties mille, qui numerus ex vectigalibus regis habetur, cũ sit pro decima quadringenties quinquagies mille librarũ, quibus si addideris dimidium habebis numerum librarũ communium. Sed id saccharum neq; album est, neque dulce, vt reliqua genera, nec seruatur. Ideo longè vilioris precij. Didicerunt seruare suppositis prunnis è ligno sicco absque flamma fumóque. Sata ex herbis proueniunt sed semen inutile, vt cogantur in singulos aduehere, vt lactucarum, betarum, brassicæ, petroselini: omnia hæc cum principiis nostris conueniunt, adeò enim abundat humidum, vt non concoquatur quicquam iusta ratione. De floribus nihil, sed plantæ cum aliæ aliis temporibus florent, aut vbi calor adsit verisimile est nunquam deesse flores. Vrbs ipsa portum habet, estque mari imminens. Insula tota, vt dictum est, à septentrione Africam habet, ab oriente Indiam intra Gangem: partibus reliquis mari amplo Oceanóque parte circundatur.

Moluchis verò paruæ & ipsæ sunt ad Æquinoctij circulum positæ Mutir, siquidem sub ipso æquinoctio Tidore Borealior XXX. minutis Machian XV. minutis ad Austrum Terenate XL. Bachian gradu vno longitudo partium CLXXI. sed alia ratione expositæ, siquidem mare habet liberum vndequaque, sed orientem præcipuè & austrum, quanquam nec prope terras alias. In his autem omnia meliora, vt aromata præcipua ibi generentur. Vita, robur, hominum conuersatio, ventis enim perflata regio, calore & humido non deficiente, necesse est vt omnia bene proueniant, tria enim hæc sunt principia omnium, calor vt agens, humidum vt materia, venti vt quæ ex actione proueniunt incommoda tollantur, & operatio ipsa perficiatur, ob id duas hi præbent vtilitates.

In maioribus autem insulis velut Sumatra, Gicolo Burnei, Maumoro, terra minus habet humidi, & ob id animalibus melius consultum est: non tamen adeo viget vis ventorum, propterea non tanta copia odoratorum medicamentorum prouenit, sed & gemmæ melius, vt etiam in continenti, vt Malacu Quito Peru prouincia, & Æthiopia præcipuè iuxta Zolam vrbem, salubrior vita ac gemmarum copia nisi obstet quod occidentalis sit regio vt in Æthiopia, Fœcunditatem tamen gemmarum auget natura loci montuosa, vt in Maluchis. Quocirca dubitatione dignum est quomodo in his insulis natura montes fabricauerit, montes enim frigidi & sicci, maris autem temperatura humida est, cœli autem calida. Quocirca seu mundus æternus sit, vt censet Aristoteles, seu factus vt Plato, aliique multi, non leuis dubitatio contingit, an cum in plerisque insulis montes sint, montes prius fuerint quàm locus mari circundaretur, an contra? Constat enim vel adnatum mare monti, insulam cum monte efficere, aut insulam montem genuisse: aut vtrumque simul emersisse, vt de Thia, Plinius (lib. 2. cap. 12.) refert. Emergunt enim insulæ vel mari se inclinante in diuersam partem, vbi altior fundus fuerit: aut intumescere flatu terram oportet vt super aquam emineat: aut accedente quasi alimento ex mari atque arena. Si autem fierent montes ex marina substantia à frigore non cogerentur: sed essent montes è sale, cuiusmodi narrat Plinius (lib. 31. cap. 7.) de Oromeno: Et in Gerra Africæ, Turres ex salis quadratis molibus, quamuis ambiat V M. pass. vt idem author est. (lib. 6. cap. 28.) Et rursus (lib. 5. cap. 5.) de Cyrene domos sale montibus suis excisis ceu lapide construunt. Haud tamen possunt montes lapidei constare ex maris materia. Verisimilius est ergo insulas cum montibus natas, simul cum antea laterent inclinante in aduersam partem mari aliquando ex impetu fluminum digesta arena: nam si extumesceret spiritu cum motus esset facile disrumperetur, & mare introrsum ferretur, nec scaturirent fontes dulcis aquæ, sed essent quasi insulæ natantes, vt in Tarquiniensi Italiæ lacu, (Plin. lib. 2. cap. 95.) Insulæ ergo plerumque fiunt inclinato mari, cuius indicium est quòd vix vlla careat scopulis, scopuli autem non pauci sunt absque insulis, imo frequentes, qui necessariò vel fatiscunt corrupti vel submerguntur à mari incumbente in illos, aut tandem in insulam commutantur. Ergo cur insula B. Thomæ adeò sit infelix, causa nota est: cur in aliis minoribus atque maioribus, & continenti alia aliis meliora, & id perspicuum: vltimum autem laudis earum est vitæ hominum longitudo, vnde etiam amænitas aëris & aquarum salubritas, tum

lapidum

lapidum precioſorum magnitudo : hi enim à calore potenti admodum & bene temperato proueniunt. Tempora verò in his diuerſa poteſtate & ſimilitudine quadam reſpondentia temporibus inæqualium regionum, ſed non tamen adeò contraria velut in noſtra Europa, quanquam dicat Berthomanus (lib.3.cap.30.) in Giaua maiore, quæ ſub torrida eſt parum differre frigus eorum à frigore Italiæ, quod ob ſitum inſulæ & montes accidit, tum comparationem cuius ratione nonnunquam minima etiam magna videntur, & leuia grauia. Minus ergo in his regionibus contraria ſunt tempora, quia minus eſt frigus eorum, magis tamen diuerſa, quoniam maior eſt longe calor. Quòd verò ad flores cùm hi quouis tempore naſcantur præterquàm hyeme vera ob frigus, ibi autem, dico in planitie frigus nullum eiuſmodi ſit, perpetuò neceſſe eſt apparere flores, quod quaſi Genuæ videmus ac magis Neapoli, magis etiam Rhodi, tum verò maximè in Alexandria, cumque flores quidam gaudeant vere frigidiore, vt violæ purpureæ & primula veris, hos atque huiuſmodi fundet hyems ſua : at quæ vere ſaturo gaudent ibi ver ipſum, vt roſas quæ autem æſtate apud nos ibidem æſtate, ſed in initio velut lilia, quæ verò hic autumno florent vt verbaſcum, vbi æſtate media, modo locis non ſitientibus.

LECTIO LVII.

Super Eodem

TEXT. II.

AT contra in regionibus quæ ſub polis ſunt, hyems frigida eſt, varietas tamen eadem & maior etiam, ſed non adeò contraria tempora, quoniam calor abeſt. Primùm igitur ſcire decet nos qui à capricorni circulo diſtamus partibus LXVIII. tum gelu maximo corripi, cum Sol ibi fuerit : cum ergo Sol ſub circulo æſtiuo diſtet à polo partibus LXVI. cum dimidia, antea verò ac poſt longius ſemper, non videtur veriſimile, vt tepor ibi aliquis adſit. Altera cauſa eſt quod nox ibi longior ſit, & vt ratio ſphæræ docet partibus LXXI. altitudinis Poli nox bimeſtris cum ſit, quomodo poterit habitari. Tertio quod Petrus Martyr refert, Antonium Cabetum menſe Iulio incidiſſe, in mare concretum gelu ac glacie, Gulielmus Giglierus tamen in contrarium nititur ſex rationibus. Prima quod experientia id doceat, conſtat enim ibi eſſe Lapones & Biarmios, Finmarchios atque Scricfinnos, Biarmij autem vſque ad polum ferme extenduntur. Alia quòd Romæ Sol brumæ die diſtat penè LXVI. partibus ab eius vertice, & cum naſcuntur roſæ & alij flores beneficio decem horarum tantum, quibus Sol ſuperſtat terræ per menſem vel etiam plus? Tertia ratio eſt quod ibi proueniunt metalla quæ coctione valida indigent, ſed ad hoc facilè poteſt reſponderi quòd calor generans metalla eſt mortifer hominibus, ſicut etiam pleraque ex ipſis metallis. Et etiam quòd ille calor prouenit ex bitumine profundo : homines autem habitant ſupra terram. Et ideo vel carent calore, vel habent corruptum, conſtat enim quòd ille non eſt amicus humanæ naturæ. Quarta etiam vt quæ eſt de bitumine reſponſum eſt. Ideò ſolum recipiemus pro conſtanti primam ac ſecundam. Addit vnum notatu dignum in hæc verba.

Inquit Vpſalienſis, Noctes æſtiuas ſuſtinemus in Gothia graues quas Romæ ſenſimus refrigeratas. Sexta quod iuxta mare ob ſalem quod oleum continet non adeò friget aër, indicio eſt abundantia piſcium, & quod in ſale quod manifeſte calidum eſt, continetur. Vnde Annibal cum per ſummam hyemem & per paludes iturus, & nocte vt Flaminium cum exercitu inuaderet (quod & ei bene ceſſit) veſperi ad ignem iuſſit milites inungi oleo, & ſumpto cibo, oppreſſit incautos. Ad tertiam reſpondet Giglierus in anguſtiis & in ſinubus manere glaciem, vel quòd non excipiant radios ſolares, nec aqua poſſit moueri, vel quod excipiant ventos horridos à Boreæ partibus, vel vbi ſunt ſaxa quæ natura frigida ſunt, aut montes plurimum attolluntur. In vniuerſum dico quòd vbi habitamus, de frigore nulla eſt maior ratio, quàm quæ à nobis tradita eſt, ſæpeque repetentibus non poſſe quequam reddere rationem, niſi iuxta principia noſtra, ſiquidem cuique regioni vt propriæ plantæ, ita & animalia & homines adnaſcuntur : nam homo genus eſt non ſpecies, vt plerique credunt, & ideo etiam tales moribus plurimum à nobis differunt, quin quod maius eſt cum nullum in itineribus habeant hoſpitium ſub diuo dormiunt, gens effera. Quod ad noctes attinet primum longum habent crepuſculum quod ferme menſem totum implet antecedendo, atque aliud ſequendo. Deinde dicit, luna lucens & luminibus plena, ſiquidem longius tanto abeſt à ſole, quo Sol ab illo cum vertice recedit dimidium temporis illuſtrat, reliquum ſtellæ multæ claræque dum ſerena non fuerit.

Habent & inter cætera commoda animal quod Reen vocant, magnitudine mulæ, pilo aſini ſed hirſuto, vngula bifida, cornibus ramoſis cerui inſtar, ſed tamen breuioribus & minus ramis denſis, non fert hominem, ſed antilena impoſita vehiculum iungunt, trahítque vix creditu facile die vna atque nocte CL. millibus paſſuum, tantæ eſt pernicitatis, roboris, tolerantiæ. Porrò regiones quæ ibi ſunt Norduegia, id eſt Septemtrionalis via Gothia, id eſt bona Dania, quæque & Suecia, & aliæ plures, de quibus dictum eſt his magis ad polum poſitæ. Inſulæ præclaræ, Scandia ſeu Scandinauia, id eſt Dania amæna : Gronlandia virens terra : Iſlaudia id eſt glacialis terra : Hethlandia, landia enim terram ſignificat : Lapouia à Laponibus quaſi ineptis dicta. Habent præterea regiones hæ animalia plura & magna, præcipuè Vros & Biſontes boum fetorum ſpecies, & Onagros valde magnos quod mirum eſt, tum quia in regionibus calidis abundent, vt rarò calidiores & frigidiores regiones idem ferant animal. Et aſini etiam

in

in frigidioribus locis non viuunt, cum ex eadem specie censeantur. Habent & vrsos. Est & Finlandia, id est pulchra terra. De horum populorum magia mira feruntur, sed hic extra propositum. Ver ergo longum istis, æstas breuis, breuior Autumnus, hyeme raptim ipsum præoccupante. Ver igitur licet temperatum sit, indigenis tamen vicem quandam subit: in pratis duntaxat & syluis ver est. Ideo ibi fructus admodum pauci, & qui maturescant longe pauciores, qui autem boni sint paucissimi. Ideo sicut fructus aliqui & semina & plantæ & animalia proueniunt, aliqua non, quia specie inter se differunt: cum homo etiam æquetur vniuerso viuentium generi, igitur homines aliqui ibi viuere poterunt, tametsi alij non possint, idque præsertim accedente humana industria, præcipuè igne & habitationibus & vestibus. De caniculæ autem tempore, an sit siccum vel humidum, dubitatio magna est apud Philosophos: constat enim cuncta tum arescere tum exuri quæ omnia munia sunt siccitatis adiunctæ calori. At si putredines, febres, intestinorum profluuia quis animaduertat, constitutionem humidam appellet necesse est, mihi verò horum nil repugnans adeò videtur, vt etiam vnum ex altero sequi necessarium existimem. Id sic se habet, calor siccus nulli vsui concoctionis vtilis est, teste Galeno 5. de Tuenda sanit. (cap. vlt.) cum ergo non concoquitur humor, neque in substantiam hominis mutatur, quare redundat in venis, quæ causa est vt hecticis multis plus sanguinis in venis sit quam sanis, quod eorum corpora tabescant: & hecticis etiam aqua intercus accidit: quamobrem sub cane vtrumque malum & exitiosum abundat inopia humidi vitalis & abundantia lethiferi. Verum & ratio loci & temporum ad hoc multum facit: si enim pluuiæ tum abundent, aut locus paludosus aut stagnum seu lacus aut palus ipsa aër humidus erit & plantæ & animalia & homines ipsi: at contra si aridus aut siccus & perflatus, non enim quiescunt vapores donec in arctum cogantur, vnde loci caui & angusti proprios & alienos excipiunt vapores, liber rarò suis inficitur, alienis nunquam, propterea in montium cacuminibus bene se habent. Cum verò Etesiæ aliæ à mari adueniant, aliæ à terra, contrarios etiam pariunt affectus. Sunt & qui existiment quasdam ab Austro proficisci, quæ omnino erunt insalubres. Vtcunque sit ratio tota æstiui caloris eiusmodi est non solum caniculæ.

Restat vt dicamus de temporibus intemperatis quæ non semper sunt mala, sed bifariam contingit illa esse bona, primum cum opponuntur naturæ loci aut temperaturæ, vt 2. de Caus. plant. (cap. 4.) Æstate & in Ægypto venti frigidi & sicci succedentes pluuiis & inundationibus & calidioribus humidioribus temperaturis, velut Auster senibus melior quam Boreas, ille enim quandoque tum salutaris repente occidit exhaustos viribus atque calore: contra Germanis & hyeme calidus & siccus. Et ratione quidem frigida & sicca ad putredinem minus faciunt, non ergo adeò inconsultè pronuntiandum de anni temporibus quæ salubres sint constitutiones. Velut Hippocrates in 3. Aphoris. (18.) Æstate verò & Autumno vsque ad aliquid senes. Est etiam consideranda ratio loci, nam vbi ventus exitum non habet malus fit, vt etiam si respiciat orientem. Propterea regionis situs bonus semper, bonus venti non ita. Vnde dissoluitur contradictio de vento Boreali, an sit salubrior orientali, & dico quod in morbosis constitutionibus est salubrior, scilicet in pestilentibus bifariam, & quod simpliciter magis resistit putredini, & quod contrarius, orientalis autem melior sanis.

Item per quæ veniant venti & mos regionis, qui experimento constat, considerandus, vt Mediolani febres pestilentes & profluuia alui in æstate. Circa tractanda cum sint sex constitutiones de quibus tractat Aristot. 1. Probl. & de quinque hic Hippocrates tantum tractat omittens vnam illam adiecimus, cùm verò ex quinque tantum quatuor exposuerit in Aphorismis, solum illa quæ ibi posita non est neque exposita, hic ex toto exponetur: in reliquis quatuor solum quæ hic superadduntur, vel in quo euariant ne repetam.

LECTIO LVIII.

Super

TEXT. III.

Si verò hyems quidem sicca sit & borealis, ver autem pluuiosum & australe, necesse est æstatem febriculosam fieri & lippitudines inducere. Cum enim æstus derepente accedat terra humida existente à vernis imbribus, & ab austro, necesse est æstum duplicatum esse & à terra irrigua ac calida, & à sole vrente: cum ventres in hominibus nondum constricti sint, neque cerebrum reficcatum. Non enim fieri potest cum ver tale existat, vt corpus & caro non humore fluida fiant, adeò vt febres acutissimæ in omnes irruant, maximè autem in pituitosos. At dysenterias par est fieri & mulieribus & vinis humidioribus. Et siquidem circa canis exortum accedat aqua ac tempestas Etesiæ spirauerint, spes est cessationis, & vt autumnus salubris fiat, sin minus, periculum est ne & pueri & mulieres moriantur, minimè verò senes: Et neque qui superstites euadunt in quartanas desinant, & ex quartanis in hydropas.

Hoc totum est expositum in 3. Aphoris. Solum restat vt declarem vnum generale, quod est maximi momenti, sine quo mentem

mentem Hippocratis assequi non licet. Et est cum dicimus ver pluuiosum aut hyemem, aut ventosum, aut australe, non intelligimus quod semper pluat aut flet auster, hoc enim forsan nunquam accidet. Sed neque in quo plus solito, nam nimis esset frequens, nec essent veræ tales prædictiones. Neque in quo plurimum pluit, hoc enim est indefinitum, nec habet determinationem. Intelligitur ergo ver pluuiosum, aut hyems cum terra ita madescit vt antequam siccetur iterum pluat, & hoc in profundo, vtpote si ante aduentum æstatis plueret per quindecim dies continuos, & postmodum succederet serenitas per duodecim dies antequam adueniret æstas, nihilominus dicitur tempus illud pluuiosum, quia terra est madida in profundo, & eadem ratione in hyeme facilius dicetur pluuiosa quàm in vere, Sol etenim cum incenduerit, æstas haurit ex profundo terræ aquam & vapores, & ita corrumpit aërem, & aliquando seruatur illa aqua in terra, & aliquando in aëre, & tunc celerius operatur. Memento etiam quod omnia ista, vtpote calor, frigus, siccum, & humidum, summuntur à qualitate terræ plusquàm ab aliis. Et ideo cum terra fuerit intus putrefacta generabuntur animalia fœda plurima, ac erucæ, vermes, ranæ: & si fuerint innoxia, significat solum morbos vulgares: si autem venenosum habuerint ictum, significat pestem. Et anno M.D.XXVII. cum apparuisset tanta renarum multitudo in Solcensi agro, vt equus cogeretur calcare nonnullas earum, successerunt eadem æstate profluuia ventris fere in omnibus indigenis, ex quibus neminem periisse puto. Si autem sint fœdiora, vt scorpij, serpentes, & pestis in animalibus, significat pestem: quia, vt dixi, terræ corruptio mala est. Et de ventis eodem modo, dicetur australis constitutio, in qua proxime ad æstatem ita flant venti australes, vt non impediantur, neque ab aliis ventis validis, neque à calore solis immodico, neque à frigore, neque ab imbribus. Intelligendum est etiam, quod si post pluuias quamuis longas antequam succedat æstas, succedat constitutio frigida, & sicca cum ventis borealibus, fiet irrita prædictio tota aut magna ex parte. Et similiter vbi æstas non seruaret suam naturam, & ideo sunt aliquæ vrbes vbi hæc non sunt vera adeo manifestè. Hippocrates autem fuit in regionibus perflatis, & iuxta mare, seu non procul, & locis fermè temperatis. Exemplum autem præsentis constitutionis habemus hoc ann. M.D.LXVIII. Bononiæ.

Et si quidem.] Addit hic duo quæ non sunt ibi exposita, primum, quod si circa canis exortum exoriantur tempestates & Etesiæ, scilicet venti Boreales flent, ita vt temperetur aër in frigido & sicco propter ventos (Vnde patet quod illud verum est quod dixi, scilicet boreales ventos in constitutionibus plerisque pestilentibus & etiam popularibus, & si pestilentes non sint, esse salubriores orientalibus: hos autem vt rursus dixi sanis) Autumnum futurum salubrem cum fuerit temperatus. pluuiæ enim illæ alioquin insalubres, & per se etiam si venti non adiungerentur, hic fiunt salubres succedente tempore immodicè sicco. Et non meminit mortis vsque nunc, tum quia non adeò processit ætas vt putredo adeò magna concipi potuerit. Secundo, quia nondum aduenerunt dies caniculares qui occidunt ob vehementiam caloris & iunctam siccitatem: tertio, quoniam, vt dicit Philosophus in Problematibus, (1. Par. 26) multi pereunt à solstitiis per centum dies, non ita ante. Hoc autem anno M.D.LVVIII. vidimus annum ad vnguem huiusmodi cum hyeme siccissima, vere humidissimo & adeò pluuioso vt fænum colligi nequiuerit, & succedente æstate quidem iam cœperant febres acutæ & pestilentes, sed statim sub canicula apparuerunt imbres copiosi cum borealibus ventis adeò assiduis & potentibus, vt hic annus dici possit planè portentosus, & cessarunt statim febres, & non ægrotabant homines prorsus, & qui ægrotabant, ægrotabant tertianis simplicibus aut duplicibus: & quorum status morbi nondum transierat sanabantur, quamuis ab initio febris pestilens visa fuisset. Vnde colligitur quod in huiusmodi febribus si quis spargat aquam quotidie ter aut quater, & frondes salicis, vitis, alni, malorum cotoneorum & aliorum & pyrorum & rosarum & rubi germina & flores vtriusque nymphææ, inde assiduis flabellis diu noctúque præsertim in Euripo agro pannis bene contecto, aërem refrigeret, seruabit ægros, velut in mutatione aëris naturali, sed hoc est laboriosum, tamen in Principibus non solum potest, sed & debet fieri. Apparuerunt etiam eodem anno sub caniculæ temporibus loco ægrorum tot erucæ Bononiæ, vt omnia redderentur immunda, & morsus earum ruborem afferebat, refrigerato aëre interierunt. Et impostores solent talia conuertere in sua commenta, dicentes iram diuinam quæ morbos minabatur eorum loco erucas misisse, atque sic exoneratam.

Sed vbi contingat vt annus sequatur secundum consuetudinem, dicit quod adueniunt mortes in pueris & mulieribus, non autem senibus exponit hoc Alemanus (c.8.) quia senes non sunt adeò humidi, vt pueri & mulieres hoc est falsum, quinto de Tuenda sanitate, imò sunt humidiores senes & humido aquoso. Dico ergo quod hoc est, quia humidum senum est frigidum, ideo non aptum putredini, tum quia aquosum tum ob imbecillitatem caloris innati.

Et ne qui superstites.] Hoc est secundum vt superstites, scilicet pueri & mulieres præcipuè, cum autem sanos incidant in quartanas, hoc conuenit pulchrè ob vehementiam putredinis, aduruntur enim humores, fiunt ob abundantiam humidi febres continuæ valde longæ, ideo intelligitur solum de febricitantibus. Et ex quartanis in hydropas Alemanus exponit pulchrè causam in huiusmodi patientibus, quoniam ex immodico calore & humido corrumpuntur membra, & quasi rimas contrahunt scilicet iecur, lien, ventriculus, masaræum, renes, intestina, omentum: & adhuc superest copia magna humoris aquosi & putridi, ideò stante adhuc febre quartana fatiscentia admittunt

humorem illum in cauitates, & ita generantur hydropes aut ascites, si multa aqua & exiguus calor: aut tympanites si paucus humor, calor autem maior & prauus. Et hoc est quod dixi de morbis compositionis, quod sunt illi qui sunt periculosi. Et sæpe etiam latitant, vt in his qui solum quartana laborare videbantur.

LECTIO LIX.

Super

TEXT. IV. & V.

SI verò hyems australis fiat, & pluuiosa, & clemens, ver autem boreale & siccum & tempestuosum, primum quidem mulieres, quæ vterum gestant & partus ipsis ad ver instat, abortum facturas esse verisimile est. Quæ verò etiam pepererint, impotentes ac morbosos pueros parere ita, vt aut statim pereant, aut tenues & debiles ac morbosi viuant. Atque hæc quidem mulieribus: reliquis verò dysenterias & lippitudines siccas & aliquibus defluxiones à capite in pulmonem. Pituitosis igitur dysenterias fieri verisimile est &, mulieribus pituita de cerebro defluente propter naturæ humiditatem. Biliosis verò lippitudines siccas propter carnis caliditatem ac siccitatem: Valde autem senibus defluxiones, propter raritatem ac eliquationem venarum, adeò vt aliqui quidem derepente pereant, aliqui verò semisyderati, aut dextra aut sinistra parte fiant.

MAgna pars huius Textus declarata est Tertia Aphorismorum (Com. 12.) Quæ verò reliqua sunt hæc. Primum quòd pituitosis & mulieribus dysenteriæ fiũt propter pituitam è cerebro defluentem, ita dicit Hippocrates: non simpliciter fiunt dysenteriæ, ob pituitam à cerebro descendentem, cum enim fuerit noua defluxio, non quasi naturalis, tum præcipuè in hyeme australi falsa erit: ab hac autem, vt demonstratum est suprà, fit difficultas intestinorum. Declarat Galenus sexto de Tuendo sanitate (Cap. 10.) grauem esse defluxionem pituitæ, à capite ad ventriculum bifariam, vel cùm caput & pituita frigida fuerint, & ventriculus calidus: vel cum in tali defluxione ventriculus ad vomitum difficilis fuerit, & aluus astricta. Vnde accidit paradoxum, vt facilius incidant in dysenteriam qui habent duram aluum, quàm qui lenem & mollem, propterea quòd, vt inquit ille, pituita retenta putrescit, & putrefacta erodit: & erodens parit difficultatem intestinorum. Diximus sæpe astrictam aluum huiusmodi morborum esse indicium: tum quia significat retineri bilem, quæ immista aliis succis errodit & putrefacit: aut si non permeet, fertur ad renes & cutim, sin minus etiam inducit febres: sin autem neque hoc repit ad caput, túmque est summa malorum. Est etiam causa quoniam quæ retinetur putrescunt, & erodunt atque hæc maximè in pituitosis inter quos mulieres & pueri numerantur, sed non semper.

Biliosis verò lippitudines siccas.] Dicit (3. Par. Aphorismorum Com. 12.) ob carnis caliditatem ac siccitatem: sed Galenus hoc non declarat, verum alia tametsi bona ac vera, scilicet quòd collecta materia in cerebro, seu calida & biliosa, seu frigida & pituitosa, caloris tamen patticipe exprimitur, à frigore veris ad oculos, & non exit propter aëris frigiditatem, sed non dicit Hippocrates sic, sed ob carnium potiùs caliditatem & siccitatem. Galenus exponit pro eodem, sed modum non docet. Dico quòd tempus frigidum & siccum reddit carnes calidas & siccas, vt in Aphorismo (17. Par. 3.) exprimendo enim sicut in cerebro ita pari ratione in carnibus, quòd est frigidum & humidum reddit eas calidas & siccas. Vt etiam in libro de Sacro morbo (Pag. 8.) Intelligit autem & sub biliosis iuuenes.

Senioribus tantum.] Vt in antecedentibus pituitosis pueros, in biliosis iuuenes comprehendit, ita commemorat senes & sub his melancholicos & exangues. Sunt enim melancholicorum duo genera, sanguineorum & bene carnosorum, qui non continentur sub his, & exanguium ac macilentorum, quorum habitus senili persimilis est. Senibus ergo accidit vt aliqui phrenitide pereant, aliqui resoluantur parte dextra aut sinistra. Quomodo autem Phrenitide? id est, quòd materia biliosa & crassa retinetur, neque fluit tum ob imbecillitatem, tum ob prauitatem, ideò vertitur morbus in phrenitiem, sed si pituitosa sit, & vires robustiores, propellitur in neruos, & fit resolutio.

Aristoteles tamen prima Problematum vbi hunc recitat Aphorismum (1. Par. 9.) attonitos potius, quàm phreniticos legit, vbi hunc recitans Aphorismum dicit, morbos fieri in vtero gerentibus, vere cæteros vt lippitudines siccas, dysenterias & attonitum ad æstatem refert: Sed Galenus de solo vere intellexisse videtur ob Aphorismum qui inutilis est, atque concisus. Fallitur etiam Alemanus, quod per phrenitidem intelligit inflammationem, vt etiam Arabes intelligunt: sed phrenitis Græcorum non est, vt in Quarto contradicentium (80.) sed cur hæc in senibus? non solum ob caloris imbecillitatem & virium inopiam, sed quia venæ in illis angustæ sunt, ideo cogitur natura per alias transmittere vias, (lib. De Tumoribus præter naturam cap. 10.

TEXT. V.

CVm enim hyems sit australis & pluuiosa ac calida, & corpus non adstringatur, neque venæ vere accedente boreali & sicco ac frigido, cerebrum postquam ipsum dissolui, ac purgari contigit, à grauedine ac raucedine, tunc simul cum vere stabilitur ac constringitur. Quare derepente æstate accedente & ardore ac mutatione contingente, hi morbi incidunt, & intestinorum leuitates, & aqua intercus ferè, reliquis morbis desinentibus superuenit, cum non queant facile ventriculi à concepta humiditate exsiccari.

REddit rationem diuersam à præcedenti, adiiciens etiam morbos alios, de quibus non dixit, æstati quidem proprios, sed vt ad rem deueniam, videtur Hippocrates in præcedenti Aphorismo ita reddere rationem, veris & æstatis, vt frustra hyems addita videatur sicca & borealis, cùm omnia referantur ad ver pluuiosum & australe, tum æstatis calorem: cum quis etiam meritò quærere possit, quid faciat hyems sicca & aquilonia? nunquid hoc sit in causa, vt ver sit pluuiosum & australe? Et certè talia omittunt, non solum scriptores nostræ ætatis, quæ ad rem ipsam pertinent, sed etiam Galenus ipse (11. Par. 3.) quanquam videatur in commento Aphorismi aliquo modo causam assignare dicens, quod Per hyemem siccam & aquiloniam corpora quidem tali modo afficerentur, quali ipse dixit per hæc verba (3. Aphorism. 5.) Si verò aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, vrinæ difficultates, horrores, dolores laterum, pectoris, non tamen effatu dignus morbus contrahitur, nam & alioquin sicciores constitutiones sunt salubriores. Ex toto enim ait siccitas esse, pluuiosis temporibus salubriores, & minus mortiferas. Hyems quidem aquilonia & sicca nocebit rectis stantibus hominibus ad tusses & alui suppressionem & vrinæ difficultatem & dolorem locorum ad thoracem attinentium, non tamen febres vel difficultates intestinorum, aut tale quiddam operabitur, cur igitur non etiam in vere pluuioso atque australi morbi vulgantur? quoniam antecessit hyems sufficienter frigida atque sicca, ipse verò dixerat non simpliciter constitutiones præsentes fore considerandas, sed ex qualibus ad quales fiant permutationes. Præexsiccatum itaque corpus per hyemem siccam, atque aquiloniam quæ præcessit, non modo nihil ex vernis pluuiis patietur, sed potius aliqua ex parte iuuabitur, ad naturalem rediens mediocritatem. Si verò totum ver humidum fuit, ad contrariam ducetur constitutionem, ei, quæ antea inerat, id est siccæ transcendens illam, quæ medium tenet mediocritatem. Quare æstas subsequens paratum excipiet offensioni, cum terra adhuc humida sit atque ob hanc causam suffocationem efficiat, nondum spirantibus etesiis. Videtur enim inniti huic responsioni: quod consideranda sit constitutio, aliquando simpliciter cum fuerit perseuerans, & ad nocendum valida, tunc enim contingent velut in cranone morbi, præsertim si constitutio fuit etiam prona ad morbos, vt æstas aut autumnus: quod si constitutio leuis sit ad morbos & perseueret, aut etiam permutetur, poterit in sequenti tempore generare morbos: sed si deterior sequatur, & tamen comparatione prioris efficere videatur quoddam temperamentum, succedente tamen tempore morboso valde, generabuntur morbi omnino. Propterea ibi addidit, necesse esse vt sequantur. Et tempora quidem bifariam diuiduntnr, in salubria & morbosa: salubria sunt ver & hyems, vt Aristoteles (1. Probl. 25. 28. & Hippocrat. (3. Aphor. 9.) docent: morbosa æstas & autumnus, alio modo ineffectiua morborum per transmutationem, & non effectiua. Et sic effectiui sunt æstas & hyems, per qualitates exuperantes scilicet calorem & frigus, vt ipsi ambo docent, præsertim Aristoteles (1. Prob. 8. & 20.) Quibus constitutis si æstas calida fuerit, & pluuiosa sufficiet ad morbos generandos vt in cranone dictum est. Sed si hyemem calidam & humidam ver frigidum & siccum excipiat, non hyems morbos generabit ob frigus quod calorem contemperat & vincit, sed ver ob frigiditatem: si autem hyemem frigidam & siccam, ver calidum & humidum excipiat, temperatis vtrisque, nec ver morbosum erit, sed æstas subsequens. Videns quando in primo tempore, quando in secundo, quando in tertio generentur morbi: quandoque in quarto, vt etiam prima Probl. (19) cur si hyems Aquilonia, ver Austrinum & pluuiosum, æstas sicca admodum fuerit, perniciosus omnibus sed magis tamen pueris Autumnus accedat? Dicit quòd in illis maximè cum sint calidi & humidi, cum nec à vere nec ab æstate refrigerentur, collectum copiosum humidum per ver putrescet in partibus superioribus ob leuitatem, & descendet ad pulmones, ac statim illos præfocabit, quia calido & humido sunt corpore, & angustiis viis in illis, parum norunt quæ sibi expediant, aut in graues incident lippitudines.

Quibus intellectis venio ad declarationem præsentis loci (tum maximè quod in lib. de Constitutione temporum hæc sunt à nobis vberius declarata) dicit, inquam, quod corpus in ea hyeme non potest constringi: quia causæ astrictionis sunt calori, & humido contrariæ, scilicet frigus & siccitas, quę non possunt adesse vbi constructio sit calida & humida, tunc eo tempore quo deberet purgari atque senescere à grauedine & raucedine, scilicet propter ver constringitur materia, & constringitur intra cerebrum, quare postmodum superueniente æstate dissoluitur hæc materia, contingúntque morbi supradicti, scilicet lippitudines siccæ, dysenteriæ destillationes ad pulmonem ac

ac pectus præfocantes, tum paralyses. Vnde patet Galenum non adeo bene intellexisse Hippocratem cum hæc omnia ad ver referat, velut Aristotelem qui omnia ad æstatem refert, præter vtero gerentium affectus.

Et intestinorum leuitates.] Vult quod morbi supradicti, si non interimant aut lippitudines obcæcant, quod transmutentur in vnum ex duobus morbis, qui sunt leuitas intestinorum & aqua intercus: & hi sunt morbi qui cum aduenerint post longos morbos interimunt. Videamus ergo de lienteria, est Aphorismus in septima particula (57.) & ibi docemus causas, dolorem scilicet & imbecillitatem ventriculi & intestinorum. Propriè autem est symptoma huius affectus raro phrenitidis, lippitudinum, resolutionis, sed febrium ad eas affectiones consequentium. Ibidem ponitur aqua intercus, vt accidens consequens ad lienteriam, tertia causa lienteriæ est causa dysenteriæ, velut pituita salsa & acris humor & similia. Aquam autem intercutem sequi ad lienteriam procliuum est, & non absonum ab his quæ hic dicuntur. Sed enim facto imbecilli iecore, ob vitium concoctionis & obstructionibus, multis eo laborante ob cruditatem, mirum non est eam ad lienteriam subsequi. Ad dysenteriam verò iam declaratum est suprà.

Sed dubium incidit, quoniam Philosophus in eadem particula loquitur de æstatis morbis & Autumni, comparando illius dicta: nam hoc in libro in superioribus (8. & 19.) meminit tantum de æstiuis morbis, nec transit ad Autumnum quamuis præsupponat non pluere in diebus illis canicularibus. Dico quòd interrogatio fuit facta imperfecta iuxta Aphorismum (Tex. 3.) & post perfecta vt in libro isto: & concordant cum vtrique loquantur de quartanis succedentibus in Autumno, quare verba illa Hippocratis ita legenda essent. Sin minus periculum est, vt pueri & mulieres ex fluxionibus ad pectus breui periclitentur.

LECTIO LX.

Super

TEXT. VI. & VII.

SI autem æstas pluuiosa sit, & austro multum perfletur, similisque sequatur autumnus, necesse est hyemem morbidam esse, & iis, qui pituita abundant, & qui quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est: qui verò bile abundant costarum abscessus & pulmonis.

HIc Textus euariat à præcedentibus in quatuor, primum quod non scribitur in Aphorismis, secundum quod non redditur causa illius, tertium quod ostendit mutationem ex calidis in frigidum statum; quartum quod præsupponit statum similem duorum temporum: subiicit ergo tria, vnum generale, scilicet hyemem esse morbosam, duo specialia, vt pituitosis & his qui sunt post vigorem, quem statuit finiri ad quadragesimum annum, succedere febres ardentes, qui vero bile abundant Peripneumonias & morbos laterales. Alemanus suo modo hunc exponit locum, sed Aristoteles (1. Probl. 20.) Secus inquit enim cum ex æstate sensim per Autumnum frigidum esset transeundum & Autumnus sit similiter calidus, transimus ad hyemem repente ex calido in frigidum & natura percellitur. Ideò qui raro sunt corpore, id est molli & pituitosi febribus ardentibus corripiuntur, nam fit febris ardens nota, de qua Hippocrates Quarto de Victu in acutis, (Tex. 13.) causæ genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua sicca, aspera, salsa. Vbi Galen. eo modo quo prior febris ardens ex bile fiebat ita posterior fit ex salsa pituita. Dicit autem Philosophus ibi, quod qui denso sunt corpore cum minus redundent in his humores, minus colligunt ex his & fiunt morbi laterales & pulmonis inflammationes. Priores enim constat fieri à bile, teste Galeno sexta Aphorismor. At de pulmonis inflammationibus, fiunt à pauca bile & multa pituita aut sanguine, & hæc fit potius à sanguine. Adest præterea, vt dixi (Com. 33.) causa alia, scilicet immoderantia humidi collecti, per duo tempora æstatem & autumnum. Sed Philosophus considerauit qualitates solum, æstiuas vt magis efficaces. Hanc coniugationem Hippocrates (Aphor. 14.) non transtulit in Aphorismos, vt ne tam ex sua contraria quæ ab eo ibi posita est, quoniam autumnus Austrinus est, ideo natura percellitur.

TEXT. VII.

SI verò æstas sicca existat, & austro perfletur, sequens verò autumnus pluuiosus, ac ventis Septentrionalibus agitatus, capitis dolores ad hyemem expectare conuenit, & cerebri concussiones, ampliusque raucedines, grauedines, & tusses, aliquibus etiam tabes.

HIc textus positus est in tertia Aphorismorum (13.) Adiicitur solum hic, quod ibi non est (& cerebri corruptiones) sed & hoc ibi comprehensum est in declaratione. Adiiciam ergo, primum cur hic addatur, ibi relinquatur, quoniam hic comprehensum est, ideo adiicitur: ibi omittitur quia raro accidit, cerebri autem corruptiones σφακέλυ τ̃ ἐγκεφάλου plurium sunt generum, tria enim ponuntur in secundo de morbis (Pag. 2. & 3. & 8.) nam qui prius positi sunt ad verbum repetuntur in eodem libro. Alterius meminit tertio libro (Pag. 7. quæ tamen non multum distat à prioribus. Sed

dubitatio

dubitatio emergit, cur hanc constitutionem faciat præcedenti deteriorem, quæ deberet esse mitior, cum sit minus intemperata? Respondeo quod in priore plures interibunt homines, in hac tamen constitutione cum siccitatem habeat admistam, fient morbi aliqui acutiores, causam habes Tertia Aphorismorum (Pag. 2.7.) cum dixit, In siccitatibus febres acutæ fiunt: In temporibus siccis accidunt, quandoque morbi acutissimi, licet sit tempus salubrius, quàm in pluuiis. Oportet autem docere modum: Aristoteles prima Problematum (10.) videtur referre in collectionem pituitæ, quoniam autumnus humidus multam colligit pituitam, quæ si retineatur syderationem mouet, seu cerebri corruptionem. Est autem sphacelismus corruptio quæ etiam in plantis accidit quam syderationem vocat Theophrastus Quinto de Causis Plantarum (Cap. 11.) retenta ergo pituita ob frigiditatem & multitudinem iuxta Philosophum, potius quam putredinem mouet, syderationem, id est morbum attonitum. At nos cum videamus quod principale est omitti, id est, æstatis statum, cogimur iuxta Hippocratis sententiam illud exponere, seu eius reddere rationem, ab initio igitur huius libri dictum est (Tex. 1.) tempora & annum esse salubria, cum iuxta rationem successerint, velut æstas calida & sicca moderatè: contra hyems, & suis temporibus pluat, & ita transitus fiat, non ex contrario in contrarium. Ergo cum hic supponatur æstas sicca & Borealis, id est, frigida etiam patet corpora præter naturam affici: tum verò & mutationes non esse repentinas, vt dictum est: at hic sunt repentinæ ex immodica siccitate æstatis in humidum valde autumnum, igitur præter rationem communem, quòd autumnus calidus mutetur in hyemem frigidam, & humidum in corpore per frigus contineatur in illo, quæ duo sunt communia, præcedenti etiam constitutioni, hæc duo sunt in hac contra naturam, quare nil mirum si morbi attoniti, & tabes etiam accidant. Hæc ergo ob oppositionem habet grauiores morbos, sed paucis in præcedenti ob humidi & calidi copiam plures, non tamen adeò acutos, quia non adest oppositio, qua natura maximè percellitur.

At Galenus negat in commento hanc partem inueniri in codice Hippocratis, sed dignus est venia, pleraque enim interuersa sunt per illam conflagrationem C. Cæsaris, qui non minus ea quàm sæua cæde humano generi fuit hostis, sed hunc tamen legit Aristoteles in Problematibus. Constat enim quod assimulatione Aristoteles ex hoc libro hæc intexuit in suum.

LECTIO LXI.

Super

TEXT. VIII. & IX.

QVòd si borealis sit æstas, ac neque sub caniculam, neque sub Arcturum pluuiosa, confert pituitosis natura, & maximè qui natura sunt humida, & mulieribus. Biliosis autem infestissimum hoc tempus existit. Valde enim exsiccantur, acciduntque eis lippitudines aridæ, & febres acutæ, ac diuturnæ: nonnullis etiam bilis atra, siquidem quòd liquidissimum & aquosissimum in bile est, consumitur, densissimum vero & acerrimum relinquitur, quod idem accidit secundum eandem rationem & circa sanguinem. Vnde repentini hi morbi his accidunt: pituitosis autem hæc omnia commoda sunt. Exiccantur enim & in hyemem perducuntur, ab aliis in alia resiccari. Si vero hyems Borealis sit & sicca, ver autem austrinum & pluuiosum, æstate lippitudines fient fortes, pueris & mulieribus febres.

PRoponitur hæc sententia, à Philosopho tanquam diuisa Prima Problematum (11. & 12.) In priore quid humidis, in posteriore de biliosis tractat corporibus, & est quod si tam æstas quàm Autumnus siccus fuerit (Per hoc quod dixit neque sub canicula, neque arcturo manifestum est, quòd supra diximus Arcturi ortum pertinere ad æstatem vt Autumnus ab Æquinoctio incipiat) mulieribus & natura humidis atque pituitosis confert. Vnde peruersè interpretatus est Alemanus: & corrupit literam Græcam, & contra Cornarium addens Occasum, dum de Arcturo loquitur, cum Hippocrates de eius ortu intelligat. Planum est quod tria genera humidorum corporum explicat, mulieres quæ ob sexum sunt humidæ, hoc videtur planum, sed non est, cum alio modo pueri humidi censeantur: quare pueri optimo humido abundant, qui verò humida natura diutius viuunt, hi densius habent humidum: pueri abundantius scilicet hoc, & illud mulieres humidius, id est liquidius: at humidi temperatura, neque densiore, neque plurimo, neque liquidiore, sed potestate eiusmodi, vt intelligamus qualitatem sine substantia, quoniam minus terrei adest. Exemplo non aliter intelligi potest: Vrceus sit in quo dimidium sit olei, dimidium terræ: hoc est eorum qui diutius viuunt. Fingamus esse terræ vncias quatuor & duas diluti pinguis, sex olei, hic puer est: & sit dimidium terræ, tantundem aquæ non est adeò densa, vt oleum sed liquidior: hoc est fœminæ temperamentum vbi hoc adipiscatur à membris genitalibus si verò à solis principalibus, tunc est humidum corpus, at vero sit corpus, quod ob humidam intemperiem abundet pituita aut humore crudo, hoc iam ex naturali intemperie in aduentitiam transiuit. Mulier autem quæ diu viuit vt Terentia Ciceronis, cum vir humidus ob dilutam humidi substantiam diu viuere nequeat, humidum habet densum sed impurum ex superueniente non ingenitum. Reliqua in expositione Aphorismorum (Par. 3. com. 14.) animaduertendum est autem, quod vbi hic dicit, Biliosis

autem in Aphorismo loquitur, generaliter dicens, reliquis, vt de omnibus intelligatur, sed præcipuè tamen de biliosis.

Siquidem quod liquidissimum.] Oportebat reddere rationem posteriorum, cum de pituitosis & mulieribus esset perspicua, & etiam ab Aristotele, scilicet quòd ad temperamentum talia corpora reducuntur, pugnante cum temperatura corporis aëris natura, quæ semper in temperatis contraria esse debet, cum cibi & potus sæpe similes exigantur, modo reddit rationem quam ex Aristotele accipere licebit (12.) inquit enim ille cum corpora exsiccantur, quantum in his dulcedinis est euaporat, vt necesse sit illa vehementer incalescere, vt dum humor consumitur, aridæ lippitudines oriuntur: residuo quod biliosum remanserit, eodémque recalescente, febres acutæ, vtpote ex syncera bile inuadant, nonnullos insania rapit, quorum scilicet natura atra bile abundat, hæc etenim largè superest, cum eius humores contrarij resiccescat. Vult ergo tres partes resiccari vbi dulce euanuerit, vaporosum quo lippitudines, biliosum, ex quo acutæ febres, feculentum ex quo mania, nam & hoc apud Aristotelem legitur insaniæ loco. Animaduerte quod licet Philosophus videatur loqui de eisdem, loquitur tamen de diuersis: nam absurdum est credere, quod eisdem hominibus accidant, primum lippitudines, inde acutæ febres, & post etiam insaniæ, cum vix vnquam hoc accidat, sed in quibus humor ille vaporosus, lippitudines accidunt, quibus biliosus & aqueus, febres, quibus terreus ex operatione tamen in omnibus siccitate insaniæ. Et hoc plerunque ordine suo ab initio lippitudines & reliqua. Vnde qui purgant cum educentibus tenues humores, vt rhabarbaro prouocanti insaniam: sicut illa non fit nisi à siccitate prius tenui resoluta parte.

TEXT. XI.

HÆc igitur si quis mente concipiet & considerabit, is præcognoscet plurima omnino quæ ex huiusmodi mutationibus sint futura.

HIc satis grauiter inuehitur Alemanus in Hippocratem, de quo non habeo quid dicam, puto enim non semel obseruatas ab Hippocrate, cum maioris partis exempla pateant in libris Epidemiorum. Cæterum de coniugationibus illis in Aphorismorum commentariis (14.) abunde dictum est.

LECTIO LXII.

Super TEXT. X.

MAximè autem obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illas libentes exhibeamus, neque vramus, quæ circa ventrem, neque secemus priusquam prætereant dies decem aut plures, & non pauciores.

IN præsenti parte conuertit sermonem ad medici operationem, in qua euidentius apparent errata illius, cum nulli alij soleant successus mali imputari. Et dicit, quòd mutationes temporum maximè cauere oportet. Alemanus hoc interpretatur de qualitatibus efficacibus, vt pote magnos æstus & magna frigora, quod etiam ostendit ex Hippocrate quarta Aphorismorum, (5.) sub cane & ante canem molestè sunt medicationes. Et clarius in primo ad Glauconem, (cap. 14. post princ.) Cauendæ sunt medicationes in constitutione exquisitè calida & sicca, qualis est inter exortum canis & Arcturi, vt qui sanguinem tum miserint omnes perierint. Et similiter in immodicè frigida mittere sanguinem est formidandum. Vbi animaduertendum quod magis nos à venæ sectione prohibet quam purgatione: Et magis in maximo calore ac siccitate quàm frigore, quia ibi duæ sunt qualitates contrariæ, hic vna: Et etiam quia calor est maioris in agendo vis quam frigus. Et cum dicit quòd omnes perierunt, supponit quòd sit in regione calida, saltem vt Roma, & quod ea æstas sit pura, vt neque à pluuiis neque ventis sit refrigerata: & sectio venæ sit ad quantitatem euacuationis quam ipsæ præcipit, quæ saltem debet esse Rotuli vnius, id est duodecim vnciarum, demum quod magis refert, vt fit in febre sola & non in abscessu. Et hæc omnia quæ Alemanus dicit vera sunt. Sed tamen non sunt ad propositum hic.

Et mirum est quòd adducit Aristotelem, (prima Problem. 3.) pro se, cum sit contra ipsum è regione, & quod exponat per mutationes temporum qualitates excellentes cum Aristoteles explicet ventos, ac similia idque sit contra rationem verbi τὰς μεταβολὰς, quod est mutatio seu quouis modo noua aliqua introductio: sit etiam contra Hippocratis demonstrationem, nam vtitur hac ratione ille, vt in sequenti Textu deprehenditur: Periculosissima sunt solstitia & æquinoctia, in quibus mutationes fiunt: neque enim aliud est commune, quia in æquinoctiis non sunt qualitates immodicæ, ergo omnes mutationes sunt periculosæ. Idem dixit tertia Aphorismorum, (1.) Mutationes temporum potissimum pariunt morbos? Et in temporibus quibusdam magnæ mutationes frigoris aut caloris. Ideo vno dicto admisit tres errores. Sed tamen omnia quæ hic dicit vera sunt, vtilia & culta, non tamen, vt dixi, explicat Hippocratis sententiam. Alius error principalis est, quod non probat illud in quo nititur ratio Hippocratis, scilicet temporum mutationes potissimum pariunt morbos, ergo in temporum mutationibus maximè cauere oportet omnia valida auxilia, cognitis erroribus circa expositionem prosequamur in illa.

Et est ergo sensus, In omnibus magnis temporum

temporum mutationibus saltem per decem dies post cauere oportet ab auxiliis magnis quæ sunt præcipuè tria, medicatio, sectio ventris, & vstio eius. Et si sint maiores mutationes, aut æger sit debilis, aut nulla cogat necessitas, cauendum erit per multo plures dies. Et hæc est pura & nuda sententia. Primum igitur in mutationibus corpora debilitantur: sed medicamenta & huiusmodi affligunt, igitur in his mutationes sunt periculosæ. Et hoc habetur à Galeno secunda Aphorismum, (2. de Vict. in acut. Text. 31.) duas causas debilitantes naturam non debemus simul iungere. Secundò, mutatio temporum mouet humores: igitur vel motu simili motui artis, & tunc nimium opus intendetur, aut contrario, & tunc medicus cum natura pugnabit, igitur vtroque modo periclitabitur, (lib. de Medic. purg.) Dici solet, turpis calamitas dato medicamento expurgante dato hominem occidere. Sed si contingat præter id magnitudinem qualitatis accedere, tunc erit deterius. Sed hoc adiicit alibi, vt dixi, & etiam in sequenti. Et quanquam cassia nigra & rhabarbarum sint mitiora & temperiæ æqualitati propiora, nocent tamen. Vnde notandum quod Alemanus hoc non animaduertit, sed duo tantum intemperiem medicamenti & robur, sed est tertium quod proprium humorem trahat, quia non potest trahere nisi separet, quarta Aphorismorum, (Comment. 12.) sed non potest separare nisi cum magno nixu, præsertim materia non concocta, ideo in mutationibus temporum hoc est periculosum.

De secundo & tertio auxilio illi fuerunt in vsu antiquo tempore, nec est necesse vt commemorem loca in quibus de his agit in libro de Internis affectionibus, & in secundo & tertio de Morbis, pag. 13. (Et in septima Aphorismorum (42. & 43.) nec est vt dicam quomodo & quando, sed vt aliquid lucremini, dico, quòd Hippocrates præcipue vrebat aut secabat tria membra, & in sex morbis, membra erant pectus, lien & iecur. Morbi autem Purulentus seu suppuratio, ascites, iecoris suppuratio & tumor durus, quod magno malo omittunt medici nostræ ætatis, & lien etiam durus, & in doloribus vehementibus. Demum in carie ossis vt in libro de Fracturis, (6. Part. 6. Epid. Text. 7.) inter reliquos apponam quæ scribit de ascite, libro de Locis in homine, (pag. 10. (Vbi licet videatur loqui de lienis vitio, tamen, vt deprehenditur ex sensu verborum, de ascite agit. Verba igitur sunt hæc: Medicamenti in potu exhibenda sunt quæ aquam purgent, & edulia quàm pituitosissima offerenda. Si verò neque sic leuior fiat inurendæ sunt crustæ quam tenuissimæ, & quam maximè in superficie, quo aquam continere possis circumcirca vmbilicum, & vna in vmbilicum, & emittere singulis diebus. Cum enim morbus periculosissimus sit in his periclitari oportet. Si enim successerit sanum facies: Sin minus quod etiam aliàs futurum erat idipsum perpetitur. Cæterum in puero hydropem sic curare oportet. Partes tumidæ & aqua plenæ aperiendæ sunt scalpello, & frequenter ac parum educendum est. Educendum autem est à singulis corporis partibus & fomentis vtendum, & semper locum apertum vnde eduxeris calfactorio medicamento illines.

Quod vero ad decem dies extendatur hæc custodia, morem videtur sequutus Philosophi qui quærit, cur homines ad decem tantum numerent? & multa cum adducat circa hoc, nihil tamen est proprium, neque enim alij numeri in se ducti rotundi euadunt, sed formam mutant, præter quinarium, senarium & denarium, hi enim soli in seipsos redeunt. Ergo quæstio hæc mathematica est, nec ad præsentem disputationem attinet. Hippocrates autem statuit numerum hunc, quoniam ad Solis cursum pertinet, cuius tertia pars est dies CXX. Huius tertia pars terminat acutos morbos, quem numerum si diuiseris per quatuor, qui est numerus temporum anni, prodibunt dies decem. Est enim sapientis, vt Philosophus ait, & artificis vniuscuiusque proprium reddere rationem ex principiis artis: medicus autem à naturali Philosopho accipit principia suæ artis, non à mathematico, ideò debet respondere per principia Philosophi naturalis ad quæsitum.

Restant modò difficultates duæ magis necessariæ, quoniam in præcedenti solum quærebatur causa, in his ignota est causa & effectus: scilicet an istud idem sit intelligendum de venæ sectione, quæ est quartum præsidium potens. Et an vstio sit periculosior sectione: ista plurimum faciunt ad medicinam. Hippocrates primum prætermisit, secundum breuitate inuoluit. Dico ergo quòd cum Hippocrates sua ætate magis reformidaret sectionem venæ, quàm purgationem: ergo multo minus illam fecisset in his temporibus, quàm medicamentum purgans exhibuisset, quoniam vt aliàs declaratum est, (2. de Fract. Text. 27. & 29. Et 3. eiusdem Text. 48. & 49.) neque in febribus, neque in magnis fracturis mittebat sanguinem, sed potius exhibebat elleborum & inedia summa vtebatur quam vellet sanguinem mittere. At in interioribus inflammationibus sanguinem mittebat ob maximam necessitatem, sed necessitas nulli legi subiicitur, ergo quanquam abstineat à medicamento in his temporibus & decem proximis diebus: & medicamentum sit minus verendum quam sectio venæ: tamen in his temporibus ac terminis licebit mittere sanguinem. Atque ita habes difficillimæ quæstionis solutionem, quæ oritur ex necessitatis maioris causa. In senectute tamen Hippocratis magis adhæsit sectione venæ, quia videbat ægros nolle pati exquisitam illam inædiam. Vnde etiam in periculo Phlegmonis mittebat sanguinem. Et ex hoc patet concordia Hippocratis, Galeni, & etiam Erasistrati: omnes enim bene dicebant & bene faciebant, sed diuersa ratione: scilicet iuxta ægrorum abstinentiam. Sed ex hac rursus alia deriuat. Dices enim, quomodo sectio venæ in quartana. (In sua Empirica cap. de Quartana,) fit in hora coitus lunæ, vt multi ex hoc auxilio B. Fauentini seruati sint? Dico primum quod illa coniunctio non est hic nec alibi posita ab Hippocrate, nam certum est quod eam nouit, vt in libro de Septimestri partu, & vulgus omne

& populi & Hebræi, nec ipsam excipit, ergo illam non voluit esse obseruandam, aut non adeò vt impediret. Secundò dico quòd sectio illa venæ parua est, imò exigua, vt non possit corpus debilitare. Dico demum quod hæc est cura propria, in qua aliquando facimus totum oppositum eius quod facere conuenit, licet omnia habeant causam, & si habent causam, habent etiam rationem, ratio enim est causæ inuentio: sicut de sectione venæ saluatellæ sinistræ manus hora aduentus accessionis in eadem febre: quæ si sæpius fiat curat eam, vt refert Valesius de Taranta, (lib. 7. cap. 12.) Per hoc enim intercipitur putredo & calor dissoluitur pro accessione futura. Demonstratum est autem aliàs quod febris intermittens cum vna accessione deserit, sanatur homo ex ea nisi aberrauerit: & vt medicus diligenter caueat. De incisione verò & vstione dico, quod vstio est deterior propter circumiacentia, nam in incisione incidimus & præcidimus quod volumus, in igne vrimus etiam quod nolumus: & ideò est valde periculosa prope neruos: & est sententia Hippocratis in libro de Articulis, pag 6. Pro loco autem ipso tria sunt detrimenta communia tam vstioni quam incisioni, dolor & conuulsio & amissio operationis membri.

Ex dolore autem contingunt febris, delyrium & vigilia, & quamuis dolor sit etiam causa conuulsionis, tamen qualitas causæ doloris magis effectrix est conuulsionis, quam magnitudo. Et dolor à frigore magis efficit conuulsionem quam à calore. Et ideo ignis minus efficit conuulsionem quam incisio. Et licet videatur Hippocrates post vstionem loco adducto timere conuulsionem, intelligit, vt ibi se declarat, superueniente frigore, aliter non. Præcisio ergo est deterior ratione priuationis operationis & conuulsionis: vstio autem quoad doloris magnitudinem. Animaduerte autem quod licet loquatur de operatione medici, tamen intellige ex consequenti, quòd hæc etiam tempora sunt per se periculosa.

LECTIO LXIII.

Super

TEXT. XXI.

Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maxime verò æstiuum. Periculosum etiam æquinoctium vtrunque, magis verò autumnale.

Insinuauit tria periculosa, magnum cum operationes quæ plurimum debilitant vires, fiunt sub mutationibus temporum etiam fortuitis. Sed maius longè cum fiunt sub mutationibus temporum naturalibus, atque maximum cum fuerit hæc mutatio, vel in solstitio æstiuo, vel æquinoctio autumnali. Multa hic dicit Alemanus vera, sed non ad propositum principale, nam propositum est, vt dixi, loqui de operatione medici: ideò oportet ad illam saltem primo sermonem dirigere: & dico quòd quæsita quæ sunt annexa literæ semper debent esse prima. Ergo talia sunt: cur solstitium æstiuum sit periculosius hyemali? quòd Plinius & cæteri solent appellare brumam. Secundum est: cur æquinoctium Autumnale sit vernali periculosius? Tertium, an solstitia sint periculosiora æquinoctiis? & cur? Quartum, an bruma sit periculosior Æquinoctio Autumnali? dato quod solstitia sint periculosiora æquinoctiis, & componitur dubitatio ex secunda & tertia. Vltima quæ ad rem pertinet, est quod videmus plures mori inter hæc tempora quam in ipsis temporibus, scilicet sub diebus caniculæ & mense Octobri, quæ tempora sunt intermedia inter hæc & non ex ipsis.

Ad primum solet dici, quòd ad eam mutationem accedit intemperies aëris, quæ in vno calida est, in alio frigida, ideo deterius est solstitium æstiuum quam bruma, quoniam calor magis agit quam frigus, & si quis dicat, quod Aristoteles vult, quòd plures ex languentibus moriantur hyeme quam æstate, vt in 1. Probl. (25.) Istud tamen contingit bifariam, per accidens (vt dici solet) nam per se primum quia materia minus difflatur in hyeme quàm æstate, secundo quoniam corpora quæ ægrotant hyeme, si sint robustiora ægrotant à maiori causa, ideò sunt in maiore periculo. Si autem sint imbecilliora, sunt valde imbecillia, quia ventres hyeme & vere natura calidissimi, dicebat Hippocrates 1. Aphorism. (15.) Ideo plures ægri quod ad numerum ægrorum pereunt in hyeme quàm æstate, simpliciter tamen plures ægri fiunt sub solstitio æstiuo quam sub bruma, & simpliciter accipiendo plures homines tunc quàm tempore brumæ moriuntur. Et ex hoc sequitur vt solstitium æstiuum sit deterius natura, & inde quoad opus medici periculosius, & hoc postmodum est Hippocratis intentum.

Quare autem Autumnale Æquinoctium vernali sit periculosius duæ sunt causæ, vna cœlestis, alia sumpta ex ipsis inferioribus. A cœlo quoniam sol recedit à nobis in autumnali, tunc omnia tristantur & folia cadunt, & fit transitus ex calore ad frigus, ex amico naturæ animalium præfectorum ad inimicum Ex inferioribus: quoniam corpora nostra sunt languida, plena malis humoribus, vt Galenus 3. Aphorism. (Comm. 9.) & etiam quia tempus illud est magis inæquale, & siccum cui frigus superuenit: in vere ab humido transitus fit ad calidum & humidum, & causa inæqualitatis aliàs à nobis declarata fuit. Tertia difficultas est an solstitia sint periculosiora æquinoctiis? Et videtur constans ratio quòd sic, nam Galenus non meminit de Æquinoctiis vllibi, sed de immenso calore & frigore, 1. ad Glauc. (cap. 14. post princ.) & in Aphor. 4. particulæ, quamuis de cane potius quàm de solstitio meminerit. Est postmodum authoritas Philosophi in 1. Probl. (5.) qui expresse meminit solstitiorum, & vsque ad centum dies post, igitur multo validiora existimat (26.) solstitia æquinoctiis. In oppositum ille idem inquit paulo post (27.) cur ver & Autumnus morbis infectent? Idem

in 5. Aphorism. dixit de Autumno non de æstate Hippocrates. Præterea in 3. Aphorism. magnæ mutationes morborum causa sunt, vt etiam 1. Problem. (9) sed maiores fiunt mutationes in temporibus æquinoctiorum, (1.) siquidem sol in septem diebus circa æquinoctium plus perambulat quam in triginta quatuor circa solstitium, (3.) siquidem in septem diebus circa æquinoctium, perambulat declinationis partes tris & duo minuta, in triginta autem quatuor diebus à solstitio partes tres minus totidem minutis, id est minus duobus minutis declinationis: & hoc supponendo quòd perambularet vnam partem signiferi singulo die. Et ideo ego soleo dicere quòd quemadmodum in arboribus videmus expresse maiorem mutationem ex æquinoctiis quàm solstitiis: in calore autem & frigore maiorem in solstitiis quàm æquinoctiis, ita solstitium æstiuum plures parit morbos, & cum maiore impetu quam æquinoctium Autumnale, sed æquinoctium Autumnale deteriores & acutiores quam solstitium æstiuum. Æquinoctium autem vernum plures facit morbos quàm solstitium hyemale, sed mitiores. Animaduertendum quod artificiose Aristoteles, cum dixit fieri plures morbos post solstitia per centum dies, inclusit etiam æquinoctia, & vsque ad decem illos dies quos commemorauit Hippocrates hic.

Quarta quæstio sic solui debet. Bruma non efficit morbos adeo lethales, sed tamen difficilioris sanationis, sed iam dictum est quòd Autumnus est lethalior omnibus temporibus anni. Ideo potest potius hyems comparari veri: sed ver est salubrius longè hyeme, plures tamen efficit morbos, hac causa solum comparatur cæteris temporibus. Sed dicetis, cur ergo comparatur ver Autumno si est saluberrimum? in eo enim tempore non debemus vereri, neque purgationes neque vstiones? dico quod verum est nisi in tempore æquinoctij: de reliqua parte veris dicit oppositum 6. Aphorism. (45.) Vltima quæstio fuit de eo quod videmus plura immutata, & inter reliqua hoc, aut forsan id intendit Philosophus cum dixit, à solstitio per centum dies homines maxime ægrotare, non sub eo quod verum est admodum, vt sub magnis caloribus homines moriantur: nam de bruma disputare hoc in loco non duxi: Certè Hippocrates tradidit principia rerum, quæ post adiiciantur cum periculo sunt, vt ita dicam. Videmus enim multa promiscuè misceri, morbos, mortes, salutem, parum differentibus temporibus: non eodem anno eadem: neque diuersis eodem tempore eadem: neque in diuersis regionibus eadem, videmus nostra ætate ferri morbos quasi per successionem, etiam non contagiosos ex vna vrbe in aliam, ex regione in regionem, & maxime aboriente in occidentem, hæc obseruata antiquitus an sint non scio, nec credo postquam de hoc non nisi ab vno authore, & semel nec medico factam mentionem vidi. Quæ verò obseruata ab illis sunt, siue ob magnam locorum varietatem, cum illi mari propiores essent, & regio calidior, siue ob temporum varietatem, cum etiam in nonnullis speciebus mutatio facta videatur, balsamum, laser, ita familiare illi habuerunt, vt nos florem garyophilum & moschum, atque zibettum illis ignotum, non adeò respondent exquisite nostra ætate, & nostris in regionibus respondent. Quinimo coniugationes ipsas locorum cum temporibus quis obseruare poterit. Alia Bononiæ, alia Mediolani ratio temporum & morborum. Hic destillationes multæ, melancholici morbi & laterales: in patria febres pestilentes, alui profluuia, & persæpe eadem constitutio. In vniuersum nullo tempore fermè pauciores morbi quàm sub solstitiis videntur? Et ratio hoc suadet: nam quod ad solis motum in latitudinem mundi, quam declinationem vocamus penè nullus est calor aut frigus, tum primum solum incipit sæuire, vt neutra causarum possit efficere tot morbos multo minus mortes, neque hoc dixit Hippocrates, sed solum iubet medicum prospicere operando, quoniam in temporibus maxime natura nostra labefactatur, non tamen statim ægrotat, neque enim eodem tempore laboramus, fatigamur, calescimus, refrigeramur, replemur, vigilamus, concumbimus nimium, edimus pepones, cucumeres & ægrotamus, neque cum ægrotamus morimur, sed aliud est tempus initij morbi, aliud initij mortis, aut decreti, aliud mortis, nonnunquam enim causa morbi distat ab eius aduentu, duobus aut tribus, aut etiam decem & amplius annis, vt in robustis corporibus, qui cucumeres copiosè ederunt, affliċtantur ergo ipsa die solstitij, aut paulo post ægrotant caniculæ temporibus. Ergo vt ad rem redeam, cum æstate calor immodicus ferueat plures contingunt morbi, vires tamen dissoluuntur sic solstitio ipso tanquam inustione facta tum candenti ferro, licet diebus sequentibus augeatur morbus, idem in bruma rigescit, & in coitu generatur fœtus, licet sequenti tempore magis ac manifestius augeatur. Et in veris initio humores liquantur, & corpus incalescit, in Autumno refrigeratur, quæ mutatio est manifestè periculosior quam reliqua, vt videmus in his qui ab exercitatione frigori se exponunt, nam generantur in eis febres & inflammationes: ex frigore autem si quis in caldarium ingrediatur aut se exerceat, non solum non læditur, sed sentit manifestam vtilitatem, ob id cum in vtroque æquinoctio corpora nostra debilitentur, in Autumnali etiam læduntur, in vernali minime aut valde parum. Atque hæc fuit sententia Philosophi (1. Problemat. 27.) etiam. Et ex hoc discemus temporibus æquinoctiorum & solstitiorum, quinam sint ægrotaturi, & leuiter aut grauiter, aut ad mortem & qui sani victuri.

LECTIO

LECTIO LXIV.

Super

TEXT. XII.

OPortet autem & astrorum exortus considerare: præcipuè canis, deinde Arcturi & Pleiadum occasum.

SIdera dicta sunt, teste Varrone, (Aduersariorum lib.23.cap.14.) vt Tornelius author est, quod terris insidat & vt candens ferrum in pecude inurat. Constat autem pluribus stellis Astrum in sidere præclarior stella: quanquam & per sydus Astrum intelligas, vt apud Virgilium, mineruæ sydus pro Arcturo, committitur autem amphibologia, cum quinque recipiat sensus primus: Considerare oportet maximè canis ortum & Arctum occasum ac Pleiadum: Secundus Canis & Arcturi ortum & Pleiadum occasum: Tertius canis Arcturi & Pleiadum ortum, deinde etiam occasum, sed hic non conuenit ob propositionē deinde interpositam. Verùm potius canis & Arcturi & Pleiadum ortum & Pleiadum occasum, etiam vel Arcturi & Pleiadum. Et tamen hi etiam parum legitimi videntur aut amphibologia ad duos primos tota reduci videatur. In tribus sensibus ortus ad tria refertur occasus, ad tertium solum aut secundum cum tertio aut ad omnia. In duobus primis, ortus vel ad primum occasus duo sequentia, vel ortus ad duo prima occasus ad sequentia. Sed enim tres primas interpretationes explodit vnum ꝝ seu quod deficit ibi ante (occasum) legeretur enim Arcturi Pleiadúmque & occasum, aut tum occasum. Et his duobus vt intelligamus sub quo sensu sit accipiendum, non vt Alemanus simpliciter significata ortus & occasus distinguere oportet quæ tria sunt, sed eo modo quo intelligebat Hippocrates. Hippocrates enim teste Galeno, nihil vulgare tradidit(2.diff.spir.7. (locutus est tamen vulgari modo, illud enim est eorum qui gloriæ suæ student: hoc eius qui humano generi benefacere cupiat, quorum vtrumque ille præstitit. Neque verò bifariam vt isti dicunt, sed vno modo ortum accipit, vno itidem modo occasum. Ergo de caniculæ ortu contentio non est cum eodem tempore & Heliace & verè oriatur, id est, & ante solem quòd est verè oriri seu cosmice, scilicet ortu matutino qui est præstantissimus vt Heliace, id est à sole relinqui: at de occasu supponere oportet Pleiadum occasum Autumno fieri, quod ab Hippocrate dictum est, in primo Epidemiorum (Sec. 2. Text.2.) vbi Calenus hæc habet quæ ad plenam huius textus interpretationem faciunt: Vergiliarum occasum finire Autumnum antea diximus. Præterea etiam duos esse menses ab Arcturo ad Vergilias. Atque vnam esse significationem in aëre ab Arcturo duas à Vergiliis alteram quando autumno hyems committitur cum in fine sit, alteram quando ver æstati. Arcturi autem mentionem non nisi solus ortus facere Hippocrates solet, quandoquidem sub eo incipit autumnus, æstas terminatur. Diffinita igitur est quæstio prima quoniam in secundo sit intelligendus, id est canis & Arcturi ortus & pleiadum occasus considerandus. Hæc obstat quod etiam ortus Pleiadum dignus sit consideratione, quoniam & si verum sit, magis tamen occasus. Adeo vt ordo eiusmodi sit, ortus caniculæ, ortus Arcturi, occasus Pleiadum, nunc secundam diffinire oportet quæstionem, scilicet de quo occasu intelligat, cum sit triplex: clarum est ex dictis inter Arcturi ortum & Pleiadum occasum intercedere duos menses. Et quod hoc tempore quo hæc scribimus XXIII. Maij scilicet anni M.D.LXVIII. oritur Arcturus Mediolani tum Bononiæ vbi sumus, cum sol est in sexta, parte libræ ob magnam latitudinem borealem, scilicet partium XXXI. min.XXX. licet sit in fine XVIII. partis libræ, & est stella Primæ magnitudinis inter crura Bootis naturæ Iouis iuxta Ptolomæum, atque ita incipit oriri die XX. Augusti, ortus enim talium stellarum præclariorum mense integro fermè definitur. Inclarescit igitur à die XX. Septempris ortus Arcturi, sicut canis (& intelligitur de stella quæ est in ore maioris canis, quàm Syrium vocant, non de sydere) cum sol est in decima parte leonis: scilicet die XXIII. Iulij: numerando igitur vt ab initio proposuimus menses duos, ab ortu Arcturi, id est à XIX. die Septempris incidet finis eorum in XIX. diem Nouembris, tunc igitur fit occasus Pleiadum nostra ætate & nostris in regionibus, & sol est in septima parte sagittarij, sed hoc minimè congruit regioni nostræ nostrísque temporibus.

Dico ergo pro intellectu primum horum quod sunt duo crepuscula, vnum matutinum, quod aurora vocatur, alterum vespertinum, quod nomine proprio significatur. Vtriusque sunt duæ partes crepusculum clarum in quo multa videntur, latent astra omnia, præter ea quæ sunt lucidissima, vt vtraque canicula & Arcturus & bellatrix in humero sinistro Orionis, Iupiter & Venus, & cingulus orionis qui ex tribus constat stellis, & aliæ primæ magnitudinis stellæ claræ, sed in crepusculo obscuro astra omnia insignia videntur, habent autem se contrario modo in ortu solis crepusculum obscurum præcedit clarum, in occasu autem sequitur, est autem diuersum iuxta regiones & tempora, æstate & in regionibus vbi purus est aër, vt in Ægypto crepuscula sunt clariora & longiora hyeme, & Germania breuiora & obscuriora, generaliter autem est circa vnam horam in Italia, quæ est quasi media inter Ægyptum & Germaniam dimidium cuius claro crepusculo & aliquanto plus æstate aliquanto minus hyeme tribuitur reliquum obscuro. Cum ergo Sol sit per dimidium horæ sub orizonte, vtpote in secunda parte crepusculi matutini ascendent, partes octo fermè ex æquinoctij circulo, sed quoniam initium Arietis tam ex æquinoctij quàm signiferi circulo

circulo secat orizontem obliquum quemuis ad angulos non rectos, nisi æquinoctialis in sphæra recta semper suum orizontem, & signiferum orizon, qui est sub torrida zona, in duobus tamen punctis solum qui non sunt iidem vbique, sed iuxta poli altitudinem à sphæra recta vsque ad partes XXIII. minutas XXX. vltra citraque æquinoctialem, ideo cum recta via sit breuior obliqua necesse est, vt crepusculum clarum matutinum incipiat cum celerrime dum Sol appropinquat per circulum magnum secantem ad perpendiculum orizontem iuxta sex partes, antea ergo cum videntur Pleiades, quæ sunt iuxta XXIV. partem Tauri, & cum latitudine boreali quinque aut sex partium, oportet vt sit Sol in initio Sagittarij, id est in secunda saltem parte vt sit crepusculum obscurum orientis illis cadentibus in occidente antequam Sol oriatur per mediam horam. Cum ergo ascendit gratia exempli prima pars Scorpij & Sol est in decima eiusdem, Pleiades bene videntur, quia sunt supra orizontem vigintiquatuor partibus, & vix incœpit crepusculum obscurum, ideo non dicuntur occidere cum bene cernantur. Sed neque cum Sol ipse tum ascendit, dicuntur occidere, quia adhuc procul sunt ab orizonte, ergo non ea causa occidere dicuntur. Sed neque quia tum non videantur, quia hoc non contingit eis solis sed omnibus astris vt oriente Sole occultentur, igitur nullo modo occidunt Vergiliæ, dum Sol est in decima parte Scorpij. Ponamus modo quod Sol processerit ad vigesimam partem eiusdem, & ascendat prima pars Scorpij, non dicentur occidere imò minus cum nullum tunc futurum sit crepusculum, & tamen stellæ erunt in eadem altitudine. In ortu quoque Solis non dicentur occidere, quoniam licet occidant tamen ob crepusculum clarum seu auroram non videbuntur: igitur, vt dixi, cum Sol transierit oppositum earum per sex gradus, vt in initio Sagittarij, id est die 13. Nouembris ante dimidium horæ quam Sol oriturus sit, ipsæ videbuntur in occidente, & tunc occidere dicentur. Hicque occasus perseuerabit per decem dies vt dictum est. Et occasus hic non propriè neque Chronicus neque Heliacus nec Cosmicus sed mistus, ideò illa diuisio non est bona neque exacta ortuum atque occasuum. Sed quia etiam ortus Vergiliarum in consyderatione venit dico quod cum sit vt Canis & Arcturi, scilicet Heliacus erit cum initio ferme geminorum. Io. Stadius autem posuit solum ortum & occasum obliquum propter geneses, orientur ergo Pleiades ratione dicta in die solstij, vel circa diem XII. Iunij: & perseuerabunt vsque in finem mensis, quia non sunt ex lucidioribus astris. Ex quo patet quod æstas incipit serius nunc quam olim cum tunc ante solstitium, quamuis esset etiam tempestiuus, & propter diuersitatem regionis. Quantum valeant hi ortus & occasus dicebat Plinius, (lib. 2. cap. 40. (nam caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cuius syderis effectus amplissimi in terra sentiantur, feruent maria ex oriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna. Ori-

Ortus Pleiadum Iunij XII. finis
Iunij XXX.
Ortus Caniculæ Iunij XXIII.
finis August. XXII.
Ortus Arcturi Septembr. XIX.
finis Octob. XIV.
Occasus Pleiadum Nouembr. XIII.
finis Nouemb. XXIII.

zem appellat Ægyptus feram, quam in exortu eius contra stare & contueri tradit, ac velut adorare cum sternuerit. Canes quidem toto eo spatio maximè in rabiem agi non est dubium, cætera quæ addit Alemanus ad benebiliosam pertinent non ad hunc locum. Vnum addam Arcturum haberi tempestuosum apud omnes antiquos, nec scio cur Marti & Mercurio tribuatur à Ptolemæo, sed forsan in Ægypto eiusmodi est aut loco Mercurij, Veneris sit legendum, nam notæ quibus scribebantur penè similis. Vel quoniam penè vertici nobis immineat: aut quia quasi non recidat confici Sydus dicitur cum plerie oritur, aut occidit postquam occiderit vt apud oppidum de Bello Africo, namque Vergiliarum signo confecto circiter Vigiliam noctis secundam nimbus cum saxorum grandine subito est exortus ingens. Constat hoc anno cum luminarium coitio (scilicet M. D. LXVIII.) in Arcturi partem incidissent præter temporis rationem singulo die sequentis mensis pluisse, fuitque coitus die XXVI. Maij, hora VII. post meridiem, ideo in occasu.

LECTIO LXV.

Super

TEXT. XIII.

MOrbi enim in his maximè diebus iudicantur, aliique perimunt, alij vero desinunt, reliqui verò omnes in aliam speciem aliúmque statum transmutantur. Et hæc quidem, sicut dixi, ita se habent.

PRoponit vim talium ortuum & occasuum quadruplici exemplo, quia aliqui iudicantur, aliqui perimunt, quidam desinunt, aut in aliam spem aut statum transmutantur, iudicari proprie est per motum velocem liberari à morbo, Hippocrates enim hoc nomine vtitur passim in Epidemiis (1. Lang. 3. 5. & 6.) in Herophonte, Epicratis vxore, & Cleanactide, & in tertio de Pythione (Lang. 1. & 3.) & eo qui in Dealtis horto decumbebat, nec licet in his duobus libris inuenire ægrum qui mortuus sit, & volenti hoc significare dixerit esse iudicatum. Hæc duo igitur liquent, scilicet quod subita mutatio ad salutem dicitur iudicatio, subita mutatio ad mortem non dicitur iudicatio. Tertium, quod dubitatione dignum est, quod in morbo lethali subita mutatio quæ æger in melius commutari videtur. Iudicatio etiam appellatur,

appellatur, vt in 3. Epidem. (Lang. 2. ord.) de Hermocrate qui iudicatur est in vigesima, obiit tum in vigesima septima, ergo iudicatio duo habet significata re, licet nomine videatur vnum tantum habere significatum, id est mutationem in melius, adeò vt liber à morbo videatur. Hoc idem repetit ne quis existimet errorem fuisse scribentium in Entyanoctis filia (Lang. 6. eiusdem,) inquit, sexta die à febre libera non sudauit, iudicata est, quod vero circa sedem erat parum suppuratum est: erupit vnà cum iudicatione. Post iudicationem septima die riguit, parum incaluit, sudauit post iudicationem, octaua die riguit non multum, & tamen mortua est, supputatione facta die trigesima ab initio morbi, vt de hoc dubium non sit quin Iudicationem vocet etiam solutionem morbi repentinam quamcumque. Verùm in 3. Prognost. videtur comprehendere sub crisis nomine, & subitam mutationem ad mortem vt ad salutem inquit enim (Text. 1. Οἱ δὲ πυρετοὶ κρίνονται ἐν τῇσιν αὐτέῃσιν ἡμέρῃσιν τὸν ἀριθμὸν ἐξ ὧν τε περιγίνονται οἱ ἄνθρωποι καὶ ἐξ ὧν ἀπόλλυνται. Id est febres iudicantur in iisdem dierum numeris, ex quibus supersunt, & ex quibus moriuntur. Galenus exponit quod seruantur & moriantur per crises in pari dierum numero. Sed hoc non demonstratur ex Hippocr. verbis his: Verùm quia lis est solum in verbis concedamus hoc illi. Sub hoc sensu verbi κρίνεται, siue limus declarare erit alia diuisio in tria tantum membra, scilicet, morbi iudicantur imparibus temporibus, alij ad mortem, alij ad salutem, alij mutant speciem ac constitutionem. Ergo permutatio speciei est velut ex angina in Peripneumoniam. Et de his tractat Hippocr. 3. Prognost. (Text. 20.) permutatio constitutionis est cum locus idem manet, vt ex laterali morbo in suppurationem 3. Prognost. (Text. 52.) & 5. Aphorism. aut ex suppuratione in tabem, vt ibidem habetur, (8.) Manifestum est autem quod hæc transmutatio est etiam duplex ad mortem aut salutem. Vt redeat res rursus ad quatuor membra.

Circa causam huius Alemanus nihil dicit, sed multa tamen (15.) è quibus vnum ridiculum, quod data cassia nigra cum manna dum luna esset in XV. parte Capricorni mulier vna in operatione periit. Sed melius fuisset quærere causam in medicamento aut in morbo, & non in astris, fieri potest vt materia veneni non expers mota sit, aut quod inclitum sit venenum, aut quod laboraret abscessu aliquo prope cor aut in cerebro ei incognito, è tribus enim vnum fuit non ex astris, neque enim nouit vim astrorum quomodo sit sumenda, vt video ex omnibus primum aut saltem potentioribus & conuenientibus inter se, & postmodum comparatis ad hominem hunc, & in hoc tempore: dico iuxta genethliacè, vt quatuor necesse sit concurrere ad tales effectus repentinos. Et licet hoc acciderit anno M.D.LI. vt colligitur ab eo, quia dicit quod fuit die XI. Augusti, & tum Mars esset infelix in libra respiciens quadrato Lunam, est tamen causa absurda & indigna tanto viro, cum mille homines acceperint medicamenta ea die ex scammonio, etiam quine vngue quidem læsi sunt. Ideò doleo illius causa quod occasionem dederit imperitis irridendi cum alioquin sit peritus, nam non solum se sed artem ipsam exponit his improbis illudenda, sumamus ergo causam à Philosopho in 1. Probl. (3.) & pro exemplo accipiamus Orionem, cuius ortus est circiter XVIII. diem Iunij, quoniam appellatur nimbosus à Virgilio (Æn. 1.) quanquam splendidæ quæ sunt in humeris positæ sint naturæ Martis & Mercurij, & reliquæ Iouiales ac Saturnæ, Ptolemæo teste, sed neque hæ videntur accommodatæ. Sed iam accipiamus, omissa causæ inquisitione, quod pro constanti habentur Orionis stellas, quæ nunc cum cancro oriuntur esse pluuiarum causas, & ideò mutationis temporum & humidas, qua ratione primum fient sudores multi ob hanc constitutionem, vt Hipp. (3. Aphor. 6.) dicebat: Quando æstas fit veri similis sudores in febribus expectare oportet. Ratione ergo qualitatis spirituum iuxta illud, (3. Aphorismorum 7.) In siccitatibus febres acutæ fiunt, harum igitur indicia celeriter adueniunt. Præterea ex qualitate premente cogitur, velut in incremento caloris aut frigoris magno natura decernere. Est tertia causa mutatio ipsa, redeo ad Philosophum cum eo melius dicere me posse non confidam. Verba eius sunt hæc: Cur temporum flatuúmque mutationes morbos intendant, tollantve iudicent, vel committantur? An quod aut frigidæ aut calidæ aut humidæ aut siccæ sunt? morbúsque qualitatum huiusmodi excessum committit? Secunda & enim valetudo mediocritas quædam est, quod si per humidam, frigidamve materiam morbus constiterit, tempus accedens contrarium tollere illum poterit, sed si minus contrarium subsecutum sit, qui similis status temporis subuenerit, intendet sanè atque interimet, quo etiam fit vt qui bene valent ægrotare tempore mutato incipiant corporis enim proinde temperamentum soluatur necesse est, quippe quod non nisi temporum, ætatum locorúmque statu idoneo aptum fit augeri seruaríque. Quamobrem cum tempora eueniant ratio tunc valetudinis habenda diligentius est. Illud autem illud pro causa particulatim etiam adest, quod in vniuersum proposui de temporibus mutationes, etenim flatuum, ætatum atque locorum pro temporis cuiusdam mutatione accipi debent. Quapropter hæc etiam intendendi vel tollendi vel iudicandi vel contrahendi morbum vim habent, quemadmodum tempora & syderum ortus Orionis, Arcturi, Vergiliarum, Caniculæ, qui flatus imbrésque, excitant, qui serenitates, frigora, teporésve solent adferre. Verbo autem vno dicam, validæ mutationes aut contrariæ sunt causis morborum, & concoquunt soluúntque morbum, aut similes intendúntque morbos & occidunt, si vires sint imbecilles aut similes sunt, & vires validæ, & tunc non possunt concoquere quia similes: neque occidere quia vires validæ, relinquitur vt trasmutentur, quæ transmutatio duplex est, vt supra dictum est. Ex hoc autem loco antequam me recipiam, illud prætermittere nolim, quod quemadmodum in

solstitiis

solstitiis & æquinoctiis anni, quicunque imbecilli sunt corpore aut cacochymo (partes enim diei vt anni secundo Epidemiorum) vitare debent ortum solis & occasum eius, tum meridiem & mediam noctem, & tamen mireris non satis medicos Principum, qui eis consulant cum equitandum quod aër minimè calidus sit.

Catholica Syderum.

Antequam autem ad finem cognitionis eorum quæ temporum statûs decernunt perueniamus, status quidem temporum morbosos aut salubres definit Hippocrates mutationibus temporum, atque trifariam, aut cognitis iam, aut occulta ratione aut cognoscendis. Et cognitis quidem cum dixit: Si verò æstas sicca sit, & Aquiloni & cauere oportet temporum mutationes magnas, occulta ratione à solstitiis & æquinoctiis, futuris autem ab ortu & occasu stellarum insignium. De his ergo non tractat nisi vt mutant, nam si ritè processerint, vt in Epidemiis, nihil promittunt. Velut cum dicit, sub Arcturi ortu aqua pluit multa. Quæ sint autem mutationes hæ quas animaduertit simplices sunt per genera quinque, quæ colliguntur 3. Aphoris. (5.) iuxta ventos præsentes & perseuerantes & pluuias & siccitates (17.) temporúmque mutationes ipsas, cum dietim tum per vicissitudines & per calorem & frigus, vt in 4. Aphorism. (15. & 16.) & tertia (48.) etiam eiusdem. Vt ergo præcognoscamus pluuias maxime, quoniam hæ ad morbos sunt potentes valde, vt 2. Epidem. (4. 5. 6. 7.) Ex syderibus inerrantibus atque errantibus, de quibus diximus in comment. Ptolem. (18.) & lib. de Natura Planet. (Sec. 1. in prin.) At hic volumus quærere generaliter naturas inerrantium quarum effectus fiunt quadrupliciter velut ortu, vel occasu, vel quia vertici insideant, vel quoniam in nouiluniis & pleniluniis, vt præcipuè in deliquiis simul adsint vel oriantur aut occidant: aut quoniam erraticæ maximè Luna eis copuletur. Quæ igitur procellas mouent sunt de natura Martis & Lunæ. Et quæ de natura Martis & Veneris: etiam omnes quæ sunt ex natura Martis cum Luna aut Venus ei iungitur, demum cũ Mercurius occidentalis effæminatus Marti iungitur, & demum quandoque congressus Iouis & Mercurij cum Luna eis miscetur ob ventos validos. Pluuias longas & cum frigore stellæ ex natura Saturni & Lunæ, & ex natura Saturni & Veneris. Et cum stellæ ex natura Lunæ aut Veneris iunguntur Saturno aut Mercurio occidentali & effæminato. Pluuias multas stellæ ex natura Veneris ac Lunæ, aut cum fuerint ex natura vnius & alteri iunguntur, omnes autem modi sunt duodecim sex quatuor & duo. Et in meridiano procellas in occidente longas, & cum frigore: Multas & suaues in oriente.



LIBER QVINTVS.

LECTIO LXVI.

Super

TEXTV I.

Et est initium quinti libri



VOLO autem & de Asia & Europa demonstrare, quantum differant inter se per omnia, & de gentium formis, quid distent, vt nihil inuicem simile habeant. Verum de omnibus si quis dicere velit, in immensum excresceret sermo: quare de maximis, & plurimum differentibus dicam, quantum saltem mihi in ea re est compertum.

HVnc librum si quis bene animaduertat in tres partes principales commodè Hippocr. diuisit primam in qua est proœmium, secundam quæ est de generalibus iudiciis omnium gentium, tertiam quæ est de his quæ singulis gentibus propria sunt. Vt cum secundum in tres partes diuiserimus iuxta tractationem trium elementorum terræ, & est de habitationibus & situ, & aquarum & aëris, & est de anni partibus. Tertium verò in quatuor partes, iuxta quatuor etiam partes terræ habitabilis ab Hippocrate descriptæ, scilicet Europæ, Africæ, Asiæ atque Scythiæ, meritò hæc commentaria in octo libros diuisimus. Neque verò rectum est, quod est vt se habet docere velle omissa authoris sententia, vt facit Iulius Scaliger dum Theophrastum exponit: neque ita sequi authorem, vt rei ipsius historiam omittas, seu quia ille deceptus sit, seu quia post plura longè innotuerint, alterum enim est nimis ambitiosi imò stulti, cum præstitisset per se commentari, non alium interpretari: in altero frustramur fine ipso propter quem scribimus, scilicet inquisitione veritatis, quæ dulcissima est, vt Aristoteles dixit. Primum igitur mente Hippocratis explicare decet, quæ mens ei, qui sensus: Deinde quomodo res se habeat vniuersa declarare: demum vnum alij coaptare: vt rem ipsam per Hippocratem intelligamus, & Hippocrati rem ipsam accommodemus. Principio dicit se velle de Asia & Europa differere, per has etiam intelligens Africam atque Scythiam, quantum differant inter se per omnia, sunt autem dicta superius, id est situm, aquas, ventos, naturam locorum & anni tempora, hæc enim quinque principaliter superius attigit: vnde etiam morbos. Et quantum

quantum differant in formis: est autem duplex forma corporum atque animorum, & sub animorum forma leges, mores, consuetudines, & ratio Reipub. continetur, quæ & si violenta sit nec subiiciatur moribus, mores tamen ab illa immutantur. Vt sub tyrannis necesse sit, aut in perpetuò metu, aut ob id semper tristes viuere, aut negligere cuncta chariora, vxores, filios, opes atque existimationem: vt vtrouis modo agas, & vitam reddas breuem & valetudinem infirmam. Medicum autem decet omnia contemplari. Aristoteles refert Dionysium Tyrannum seniorem scilicet, omnes ciues Syracusanos quinquennio bonis omnibus spoliasse. Non omnia autem cum prosequi, sed præcipua tantum testetur Geographiam imitari velle se docet, quam Ptolemæus sic diffinit. Geographia est vnam eandem habitabilem terram nobis cognitam ostendere, quomodo natura situque se habent: circáque ea tantum intendit qua per descriptiones orbis magis generales sibi iunguntur. Sunt autem talia distantia in longitudine: sumítque initium à Fortunatis insulis: & in latitudine, sumítque principium ab æquinoctij circulo in vtranque partem: inde vt terminos prouinciarum præfigat: demum vt doceat insigniores partes, montes, insulas, vrbes, maria, paludes & flumina. Vt sint in vniuersum partes sex huius quartæ considerationis, & sane nondum comperta diuisione prouincierum sub Asia & Lybiam & Ægyptum, sub Europa Scythiam comprehendit, quorum vtrumque alienum à Ptolemæi descriptione est, nam Scythiam vtranque in Asiam collocat, Lybiam & Ægyptum in Africa. Verùm Hippocrates hanc diuisionem in tres partes non nouit. Exequamur igitur primum Ptolemæi diuisionem (Tabula 7. & 8.) de partibus orbis habitabilibus. Diuidit ergo totam in tres partes, Europam, Africam, Asiam, quam longè maiorem facit vnaquaque aliarum, sed Africa maior est Europa. Verùm quoniam parum habitata ideo paucioribus tabulis quam Europa contenta est. In Europa decem sunt tabulæ, in Africa quatuor, in Asia duodecim, sicque erunt omnes tabulæ viginti sex. Vt vero in regiones tabulæ distinguuntur. Europa continet XXXIV. Africa XI. Asia XLIX. omnès ergo regiones habitabilis terræ notæ tempore Ptolamæi fuerunt XCIV. Termini Europæ ab Africæ parte fretum Herculeum, ab Asia mare Medi terraneum, Pontificum, Palus Meotis & Tanais & Meridianus, qui per hæc loca fertur. Africa autem ab Asia disterminatur sinu Arabico & Prasso, (Vide quartam Africæ tabulã,) per raptum, promontoria & Trogloditas, & per Isthmum Heroum, in quo vrbes leneze & sues inter Ægyptum & Arabiam Petream. Sed cur Scythiam Ptolemæus in Asia constituit, in Europæ Hippocrates? Quoniam Ptolemæus ad longitudinem respexit, ideo cum Scythia sit maxime orientalis, nec possit sub Africa contineri, ideo necessario venit Asiæ ascribenda. Hippocrates cum Borealem partem totam Europæ ascribat, quia longitudinem non curat quæ non variat qualitatem aëris, Scythiæ autem sint sub Borea, ideo Scythæ Europæ sunt adnumerandi.

Hactenus de diuisione partis orbis cognitæ secundum Hippocratem & Ptolemæum suis temporibus: quæ faciunt ad intellectum sententiæ illius in hoc libro: nunc de totius orbis diuisione agamus iuxta Hippocratem & etiam Ptolemæum, vt res melius intelligatur. Dico ergo quod cum Hippocrates consideret solum latitudinem ad vnguem, eadem statuet de tota medietate, quæ ad Antarcticum spectat, quæ statuit de illa quæ ad Arcticum: & in ea quæ ad Arcticum spectat, diuidit eam in duas partes, in frigidam quam attribuit Europeis, & calidam quam Asianis, frigidam diuidit in frigidissimam quam tribuit Scythis, & temperatam quam proprie vocat Europam, Ptolemæus autem partem suam quæ occidentalis est maxime, & Borealis, Eurodam vocat: quæ verò ad Austrum posita, & occidentem vsque ad LX. partes vel circa, tribuit Africæ, vt è regione Africa Europæ opponatur. Quæ verò à LX. gradibus ad CLXXX. fermè orientem versus seu boreale sit, seu ad meridiem positum id totum Asiæ tribuit: ex quo patet quod iuxta illum Asia est Europæ & Africæ pene duplæ: singulis autem earum quadruplæ. Quarta pars iuxta eum erit in distantia pene partium CCXLVIII. breuior & ob occidente CXLII. Et vocant Armeniam totam: sed iuxta Ptolemæum finietur ad isthmum. Pamana iuxta longitudinem CCXC. partium seu propiore via LXX. partium, & hoc fit nauigando, per Hayn insulam, quam vocant Hispaniolam, ex Palo portu Hispaniæ, qui est iuxta Gades Isthmi autem latitudo borealis partium circiter sex aut septem. Partes autem Boreales iuxta illum tribuentur vnicuique parti, quæ est è regione illius vt fluuius Boeer in Groelandia. Termini eius in longitudine à CCLII. ad CCCXLII. scilicet ex partium in latitudine autem à VII. parte ab Æquinoctij circulo ad LXX. fermè vt vt partium V. In ea est Hispania noua ad meridiem optima prouincia sub Rege Hispaniarum ad Borream Bacchalaos & Florida & Gallia noua deserta ferme sub Rege Gallorum. Quintam partem constitueret Ptolemæus Peru vocatam amplissimam sanè, longitudo huius initium ducit à parte CCLXXXV. & finis extenditur ad CCCXLIX. tota partium LXIV. latitudo vt dixi à VII. parte citra Æquinoctij circulum extenditur vltra ipsum partibus circiter LVI. aut LVII. ad fretum vsque Magallianum, vbi prorsus à terra quæ sub Antarctico posita est diuiditur, latitudo igitur partes continet circiter LXIII. At rursus sextam partem constitueret, quæ ad Antarcticum circumcirca posita est, nõ plane etiam nunc notam: planè notant prouinciam Auriferam quam Beach appellant, quæ propè circulum Capricorni peruenit. Igitur tantundem quod ad numerum partium attinet innotuit beneficio Hispanorum quantum antea cognitum fuit Ptolemæo, quantitas autem fermè etiam par nisi quod ex tribus illis partibus etiam quæ Ptolemæi tempore innotuerant portiones

portiones quædam remanſerunt incognitæ, quæ nunc innotuerunt. Ex Europa quidem quicquid ad Boream poſitum eſt vltra LXIII. partes diſtantiæ ab Æquinoctij circulo ſcilicet vltra Danos, Getas, & Sarmatas, ſunt autem Suetia & Tilemanchia & Helſingia, Finlandia, Inlandia, Bothmia, vtraque Nidroſia, Lapponia, Tornia, Trondanes, Finmarchia, Scrifinia, Biarmia, latuerunt Ptolemæum eo tempore, eo quod procul eſſet à Borreali regione cum habitaret in Ægypto. Ex Aſia autem vltra CLXXX. partes quod longius abeſſet cum Alexandria ſolum à Fortunatis diſtet partibus LX. ideo diſtabat à Metropoli quæ eſt iuxta Cattigaram in India vltra Gangem. Ex Africa autem ignorauit quicquid fuit vltra Lunæ montes eſtque XVII. partium, cuius finis eſt Caput bonæ ſpei. Sed neque hoc præter rationem, nam terra ob vaſtas ſolitudines & mare arenoſum nullus patebat aditus per mare nondum inuenta pyxide prorſus impoſſibile: quandoquidem Luſitani per multos annos non potuerunt promontorium Aromata ſuperare. Primúſque Gilianus ex ea gente hanc laudem tulit, vt refert Ioan. Barros (Dec. 1. hiſt. lib. 1.) Partes ergo hæ additæ incognitis Ptolemæo detractæ à partibus cognitis efficiunt, vt pars cognita poſt Ptolemæum ſe fere ſexquitertia, ſi non maior parte ab illo cognita. Diuiſio autem noſtra propriè eſt in ſeptem partes, nam Aſia à Scythia ob magnitudinem & ſitum ſuperamus, vt ſit quicquid à LX. parte vel circa ab æquinoctij circulo diſtat per totum ambitum, reliquæ vt à Ptolemæo. Illud ſanè mirum eſt tamen non inueniri in hac tota terra, quæ à Ptolemæo citra inuenta eſt duodecim vrbes. Magnam vnam eſſe referunt in noua Hiſpania, quam vocant Themiſtitan, aliam in Peru prouincia, nomine Chuſe. Sed iam videamus quid velit Hippocrates per illa verba.

Quare de maximis.) Has magnas differentias ſumit à corporum forma, à valetudine, à moribus, à pecoribus, plantis & aquis. Sed hæ rationem obtinent & differentiæ & cauſarum locorum. Et cauſas ſumit à tribus, à loco, ſitu generali & proprio, dicemus autem de his omnib. opportune in ſequentibus.

LECTIO LXVII.

Super

TEXT. II. & III.

AC dico quidem plurimum differre Aſiam ab Europe ſecundum naturas omnium ex terra naſcentium, itémque hominum, longe enim pulchriora & maiora omnia naſcuntur in Aſia. Eſtque regio ipſa, hac noſtra multo manſuetior, ſunt etiam hominum gentes benigniores & cultiores.

NOn ſatis opportunè hic Alemanus Europam laudat, cum Hippocratis mens ſit, in quibuſdam Africam præferre, ſed maximè eam partem quæ ad Ægyptum pertinet Europæ, atque hoc in magnitudine corporum eorum quæ è terra naſcuntur, & etiam hominum tum manſuetudine morum, & ſunt, dicit, benigniores & cultiores. De differentia cultus & benignitatis haud obſcurum eſt. Sed de differentia benignitatis & manſuetudinis dico, quod benignitas conſiſtit in actione, manſuetudo in paſſione, fuit autem Hippocrates Aſianus, ſed medius quaſi inter Europæum & Aſianum, intelligendo ergo ſub Aſia etiam Africam, fuit medius inter has duas regiones. Præponit Aſiam Europæ beneficio naturæ & probitatis, Europam roboris. Appellata eſt Aſia, ſi quid facit ad rem, à filia Oceâni & Tethyos, vt quidam volunt: Vt ergo cognoſcamus regionem præſtantem, debemus inſpicere præter loci ſitum, hæc tria, homines, animalia magna & plantas. In hominibus, vt ſint proceræ ſtaturæ, pulchræ formæ, boni coloris, robuſti, ſi multi ſenes ac longa ſenecta & integri, ſi partus incolumes ac non monſtroſi: mores autem boni, tum inſtituta ac reliqua ad ſocietatem comparata, in animalibus vt ſint pinguia, magna, cum viſceribus ſanis. In ſatis vt abundent, & magna & boni ſaporis, & diu durent, & odoratæ herbæ plures, & validè boni odoris, & fructus magni, ſuaues & qui minimè corrumpântur, abſint herbæ mali odoris, & quæ ferunt lac & venenoſa. Et ſimiliter reptilia: iſta enim ſignificant ſemper facilem corruptionem. Ita numero non ſolum, ſed ſpecie maiora naſcuntur animalia, & plantæ ſeu arbores ſeu herbæ in regione bona, velut maximè in India, quam in temperata, nimis æſtuoſa aut frigida.

Demonſtratio huius affertur ab ipſo in ſequenti Textu, cum dixit:

TEXT. III.

CAuſa verò horum eſt temporum anni temperatura. Si quidem in medio ſolis exortu ſita eſt ad auroram, à frigiditate omni remota: Incrementum autem & benignitas inde omnium maxime proficiſcitur, cum nihil ſit præcellens, & cogeris violenter, ſed per omnia æqualitas vigeat, quanquam non habeant vbique per omnem Aſiam, omnia ſecundum eundem modum.

OPortet ad intellectum eorum quæ dicuntur ab Hippocrate, hanc illius rationem interpretari hoc modo. In Aſia, cum ſit magis ad orientem poſita (eo enim diſtinguitur ab aliis partibus, vt viſum eſt ſupra) & ſub æquinoctij circulo quadam parte: minorem recipiunt varietatem quam in Europa, imò abſolutè fermè ſunt temperatæ, ſcilicet quæ mediæ ſunt naturæ in calore & frigore, & variantur niſi per ortum ſolis, aut non vt ille intelligit quæ ſub æquinoctij

circulo sunt, comprehendit autem Ægyptum & Libyam, nos autem vtramque etiam Indiam, igitur cum calor & humidum nunquam desint neque abundent Asiani, sunt temperatiores: & eorum regiones meliores Europæis.

Quanquam non habeant.] Intendit modo reliquum rationis hoc modo, sed partes Asiæ sunt propiores his temperatis quàm Europæ, & ideo tota Asia generaliter est temperatior & melior tota Europa, licet non tota Asia sit eodem modo temperata. Sed quomodo Asia cum sit soli proxima est temperata, aduertit hoc Hippocrates quod Asia à parte occidentis habet mare, & ideo non incalescit ab ea parte, nisi calore temperato, quia calor magnus prouenit à caliditate terræ. Præterea sol exoriens eas terras purgat aura orientali quam secum adducit, ideo Asia ipsa est temperata. Propter propinquitatem igitur solis non potest esse frigida, & propter mare ab occidente non potest esse calida, ergo in vniuersum erit temperata. Pars enim quæ debet incalescere multum, oporteret vt esset occidentalis, quoniam dum sol oritur, & ad multum diei accedit ad eam, orientalis autem non incalescit, dum est in oriente quia non refrangantur radij ab ea, sed fugiunt & dilabuntur, occidentalis autem non incalescit ob mare, & ideo pars orientalis est magis temperata. Et hæc est causa quod Africa sit calidior Asia & Libya, Ægypto. Asia enim & Ægyptus habent mare ab occidente, Libya & Africa ab oriente comparando totum toti, & partem parti.

Quonam pacto autem hi homines bonis moribus sint præditi 5. mansueti, benigni ac culti, supposita bona temperatura ob regionis situm dicebat Galenus eo in libro (cap. 2.) qui inscribitur? Quod animi mores corporis sequantur temperamentum, quod qui sunt temperamenti alicuius habent mores pro natura eius: & probat hoc à pueris animosi, timidi, incontinentes, impudentes, verecundi, & quod spectat ad medicum hæc scire, quoniam est morbus hominum mores mali, sunt etiam quia corrumpunt temperamentum, tum per se vt ira & timor & tristitia, tum per accidens vt incontinentia. Sed mutato temperamento mutantur & mores, mutatur autem temperamentum cibis & potibus, vt in lib. de Assuetudinibus (cap. 1.) docuisse affirmat: igitur hoc ostendre ad medicum spectat tanquam pertinens ad finem. Et ita habes causam quare Hippocr. hoc doceat. Adiicit autem vnum admirabile, scilicet quod pueri differant substantiis animarum, quod omnino falsum est in via Philosophorum. Deinde ponit tres animas concupiscibilem generalem in cerebro, irascibilem in corde, concupiscibilem voluptatem in iecore. Quæ autem in cerebro est, est concupiscibilis bonorum verorum, & vocatur rationalis: sicut tertia non verorum, (cap. 3.) Aliud argumentum quod satis efficax est (mirum tamen quod ad id asseruandum quædam recipit falsa, plura dubia, omnia sane non necessaria) quia qualitates ipsæ vel sunt anima, vel animæ instrumentum quatenus corpus constat ex eis vtrouis modo, & ab humoribus, & à medicamentis videmus animam à corpore disiungi, alios furere, alios melancholicos fieri, alia lætum reddere, velut à κωνείω, seu cicuta, stulti à vino læti: si ergo temperamentum in totam animam potest, vt eam disiungat, si in præcipuam sui partem vt amentes lætos tristes faciat, igitur temperamentum erit causa morum & operationum animæ. Idem quod in actiuis antea in passiuis post declarat, (cap. 4.) adiiciens vnum quod siccitas est causa sapientiæ, sicut humidum ignorantiæ. Vt nullum mortale corpus possit omnino esse prudentissimum, quia nullum tale est exquisitè siccum: astra autem sunt prudentissima quia siccissima. Hæc iuxta Platonem, iuxta Stoicos, in his mortalibus prudentiam temperamento qualitatum constare, iuxta vero Chrysippum ex illarum concinnitate, id est debita mensura, quam Princeps ad Iustitiam vocat. Inde ponit quartam opinionem Heracliti, quod à splendore sicco, (cap. 5.) Addit etiam ibi tertiam rationem, senes & delyri priuantur propriis facultatibus, & memoriæ & prudentiæ, & transeunt in contrarios prorsus affectus: igitur temperamentum corporis est causa operationum animæ atque morum. Id verò ostendit exemplo pestis, & maxime Thucydidis, sicut etiam in morbis oculorum vitiari operationem animæ & instrumentum, & secundum Galenum facultatem & substantiam, quod tamen minime verum est. Inde adducit quartam rationem à Platonis, Aristotelis, & Hippocratis authoritate, (cap. 6. 7. & 8.) Et de Aristotele quidem ponit, quod causa prudentiæ est tenuitas & puritas ipsius humoris: vnde animalia quæ sanguinem habent fibris refertum solida sunt, velut taurorum, nam in quibus calor magnus inest illa sunt animosa: damarum autem & ceruorum, quia sanguis fibris caret, mores sunt timidi & non ingeniosi: exanguium autem plura vt apum solertia sunt, quia humor tenuis & purus. Propterea exanguia ob timorem, alia quidem à motu desinunt: alia etiam feces omittunt: alia colorem mutāt, vt chameleon. Adducit etiam quintam rationem: quoniam Aristoteles docet cognoscere mores hominum ex Physiognomia, (cap. 8. 9. & 10.) Primo de Historia animalium, hęc autem corporis forma pendet ex qualitatibus, igitur etiam mores & natura hominum ex qualitatibus primis deriuantur. Inde cum adducit Hippocratis authoritatem, eas ex præsenti libro adducit. Sed & aliam selectam ex secundo tum sexto Epidemiorum, nam vtrobique scribitur. Quorum venæ in cubito pulsat hi furiosi sunt iræque præcipitis: Quorum autem immota typhælcis, id est succenso stupori opportuni, vt constet ob calorem aut frigus tales euadere. Sexta subiicitur sumpta primum ab Hippocrate ibidem, & ex eo libro, (cap 9.) inde vberius in sequentibus explicatum: scilicet quod animi mores mutantur ex calore, frigore, ventis, aquis & cibis. Pollicetúrque ex ratione vitæ mutaturum mores & vires animi, non solum ex temperantia in quantitate, sed ex natura in qualitate. (cap. 10.) Quæ

verò

verò ſequuntur ex Platone prodita ſunt: quod vinum efficiat audaces, inconſtantes, quandoquidem idem efficiat furioſos. Concludit demum tum ex ipſa generatione quæ originem à temperamento, tum ex ipſis quæ ei ſuccedunt, tamen inſtitutione homines fieri bonos aut malos: adeò vt apud Scythas vnus fuerit, ſcilicet Anacharſis, Athenis autem plures: contrà Athenis ſtulti pauci, apud Abderitas autem multi.

Superſunt tria hic, primum vt oſtendamus Galeni rationes vanas eſſe prorſus, quibus conuellere animi immortalitatem nititur: Perinde enim eſt ac ſi dicat opus lucis ſolis ex aëre nubiloſo, aut muro mutatur, & in videndo erroris cauſam præbet & impeditur, igitur lux ipſa ſolis pendet ex aëre & mortalis eſt: cum vel ipſo iudice vtrumque falſum ſit. Ego verò demonſtrabo totum oppoſitum vno argumento: facultates ipſæ omnes, & anima eſt indiuidua, etiam iuxta eos qui animam exiſtimant eſſe mortalem, igitur non vitiari poſſunt neque minui, ſed earum tantum opus: aut omnino deſinent. Non animaduertit memoriam, rationem, vim videndi, audiendi, mouendi voluntatem, non ſolum per ſe, ſed ſimul eſſe indiuiduas, ſed iunctas ſimul, quare non mutantur niſi ratione inſtrumenti, inſtrumentum autem mutatur à qualitatibus, & à compoſitione etiam magis. Sed quòd ad rationes attinet, illæ omnes nil plus concludunt de qualitatibus quam de falce: ergo falx immutat animi qualitates, multæ ſunt quæ corrumpunt animi operationes, lux, ſonus, timor, crapula, dolor, puluis, non video quid hoc ad aſtruendum opinionem ſuam, nam ira & cæteræ perturbationes animi & obliuio & dementia, & timor, & amor importunus non ſunt operationes, vt credit Galenus, vt ſunt vitioſæ, ſed ſolum vt habent perfectam partem in ſe, anima enim videndi, habet audiendi, cogitandi, plenam vim, communicat corpori, & vt eſt vitium & inſtrumento, ita etiam operatio redditur vitioſa. Sed error ſuus manifeſtus eſt, quod putat primum eam vim eſſe in corpore, & non ad animа in illud communicari. Secundus eſt quoniam etiam quod facultas prodiret à corpore, non tamen prodiret vitioſa à corporeis qualitatibus. Sed anima ipſa eſt perfecta: opera autem perſæpe impedita. Dico ergo quod pueri non habent, operationes perfectas, quia inſtrumenta nondum didicere obedire animæ. Et quod qualitates poſſunt corrumpere operationes, vt dixi, animæ, ratione inſtrumenti. De Authoritatibus ſapientium nil tale vel ſomniarunt. Verum volunt cum hanc manare ab anima in corpus vt de tonſore & opere nouaculæ.

Ac Phyſiognomiam, indicium eſt inſtrumenti perfecti aut imperfecti, adeò vt tota vis operationis ſit in anima, executio indiget inſtrumento. Vltimum verum eſt quod Hippocrates intendit in hoc libro. Pro cuius intellectu dico quod operationes animæ aliæ ſunt corporeæ, vt videre & currere, quà totæ pendent à corpore, quoniam cuiuſque animæ eſt integra, ideo quia defectus proueniunt à corpore, exiſtimarunt quod etiam origo operationum, quanquam etiam tales vſu plurimum perficiantur. Aliæ fiunt ex præcedentibus operationibus, vt ſcire & cogitare ac cauere, iſtæ ab inſtitutione præter inſtrumentum pendent. Aliæ fiunt à voluntate quæ ex intellectis deliberat: & ideò operatur iuxta intellecta & inſtitutionem: nec pendet à corpore: niſi quatenus præcedentes operationes ab illo pendent. Inſtitutio autem in his plurimum poteſt, hæc inſtitutio pendet ex tribus, legibus, conſuetudine propria, & præceptis Philoſophiæ. At verò cum homo dominetur ſibi ipſi, vt dixi, per voluntatem, cauſa legum & Philoſophiæ præceptis ſibi imperat. Sed quoniam populorum maxima pars Philoſophiæ eſt expers, naturalem habitum & conſuetudinem & leges ſequitur. Hippocrates igitur cum videat motum aëris, & conſtitutionem mutare animorum operationes, ſcilicet vt dixi corrumpendo, & noſceret imperitiam vulgi & quod de conſuetudine ſequuntur, naturam imo augent illam, pronunciauit liberè de moribus gentium per diſpoſitiones locorum, & victus rationem ac reliqua, & quanquam à legibus hæc poſſent impediri, raro tamen impediuntur, quoniam clam etiam multa perpetiantur: de quibus non laborat ipſe. In vniuerſum ergo dico, quod ex his abſque tanta machina quam ſtruit Galenus, qui ex paſſere voluit facere elephantem, multa falſa, plura dubia, pene omnia impertinentia addens, vt ex tenui dogmate atque vnico totum librum conderet, concluditur ab Hippocrate diuerſarum gentium, diuerſa eſſe ac propria ingenia atque mores.

LECTIO LXVIII.

Super

TEXT. IV. V. & VI.

QVæcunque enim in ea regio in medio ſita eſt, calidi & frigidi, ea omnium fertiliſſima exiſtit, & arboribus infertiſſima; & maxime ſerena aquiſque maxime vtitur & cœleſtibus & ex terra promanantibus. Neque etiam à calore combuſta eſt valde, neque à ſquallore & aquarum inopia exſiccatur, neque à frigore oblæditur. Verum auſtris perfluatur, & irrigua eſt tum propter imbres multos, tum propter niues.

NVllam præſcribit regionem, ſed qualiſcunque dicit quæ ad orientem poſita ſit, velut Africæ pars Ægyptus & ei contermina Arabia felix, modo ſit in calore ac frigore media, hæc omnia habebit vt aër clarus ſit, hoc eſt quod dixit ἐυδιεστάται, aquis etiam cœleſtibus vtatur tum ex terra promanantibus ſcilicet optimis: & vt fertiliſſima atque arboribus denſa, quæ quatuor conditiones terræ ſunt optimæ & fœliciſſimæ.

Neque enim à calore combusta est.] Scilicet quod nullam qualitatem à qua lædatur excellentem habeat, non calorem à qua vratur: non aquarum penuriam qua sterilescat, non frigus à quo geletur. Indicans has esse tres partes regionum, quibus etiam aliis afficiuntur malis.

Verum & austris perflatur.] Hic duo mirabilia docet, scilicet austros & niues laudans. Hic cum non animaduertat Hippocratem loqui perpetuo de Africa multa, adiicit Alemanus de regione Hippocratis & Galeni, quæ nullo modo ad Africam pertinent. Quædam tamen ad propositum sunt, vt illud de Tarape Vrbe Africa, iuxta Plinium (Libro 18. cap. 22.) vbi ob aquarum irriguarum abundantiam cœlique temperiem & soli fertilitatem sub grandi palma oleam sub olea, ficum sub ficu, punicam sub punica, vitem fructum edere in vmbra singulis annis docuit, sed & sub vite dicit frumentum prouenit, post quod eodem anno legumen, quo collecto olus etiam seritur & decerpitur, tanta est soli fœcunditas, iuxta Leptim, hæc vrbs est tanto miraculo digna, hócque bene animaduertit Alemanus. Cæterum vbi sit quomodo nunc vocetur, non docuit. Est ergo iuxta Tritonem fluuium qui quasi per lacus effusus in mare se prouoluit, Libyæ prouincia est vrbs maritima, cum portu hodie Cape vocata, prope Neapolim seu Leptim magnam, seu paruæ propior inter vtranque. Estque Tuneto orientalior (Secunda Africæ Tabula,) Capen. vocat Ioannes Leo in Quinta parte Africæ historiæ: verum ego reor non Capem esse Tacapam Plinij, sed Tacapam nunc dirutam fluménque tantum esse Cape orientalius. Verum relictis quæ haberi non possunt, dico in Africa esse regiones maximè amœnas, vt recitat Ioannes Leo, præcipuè Heam seu Maritaniam Tingitanam, sub qua Temesma prouincia & regnum Fessæ olim Volubilis appellatæ. Sed & Tuneti regnum & ora illa tota maritima, quæ Boream spectat, etiam Numidiæ, nam Tunetum in Numidia est & Ægyptus tota, quid enim iucundius aut amœnius. Et vt breuiter referam, quæ mens fuit Hippocratis, Africa innumeris abundat montibus è quibus præcipuus est Atlas, qui radicibus suis seu ramis (est enim instar arboris) maiorem Africæ occupat partem, & vbique montes hi sunt, aut regio cum fluminibus respicit Boream maréque mediterraneum, aut pluuiis irrigatur, tota est qualis hic prædicatur ab Hippocrate, nam & niuibus abundat, ob montes & irrigua, etiam ob id & temperata & fertilissima & amœnissima est. Velut inter reliquas vrbes Tagodast, Tesegdilt, Marochus, Azaamur, Elmadina, Elgimuha, Efra, Tedde, Eithiad, Fessa, & præterea Secsiua & Denimagher montes, de Ægypto (Libro 1. cap. 9.) Pomponius Mela inquit, Ægyptus mirè fertilis, sed & Solinus vnius ficus Ægyptiæ exemplo illius declarat, fœcunditatem dicens, (Cap. 45.) in anno septies fructum ferre. Vt verò specialiter de hoc agam, miras laudes Plinij testimonio discite, (Libro 7. cap. 9.) etiam primum de hominibus, septenos in Ægypto gigni Trogus author est. Et de hoc non pauca est dubitatio, vtrum plures quam tres filij vno partu editi possint viuere? Quæstio autem est duplex, an omnes scilicet? an aliqui? addamus & tertiam an in Ægypto? Vlpianus aliàs Iulianus lege, si pater meus. Digestis De Solutionibus (Titul. 3. lib. 46.) & liberationibus, hæc habent. Aut sextam quia quinq; nam & Aristotelem scripsisse quinque nasci posse (Titulo De Hist. Animal. cap. 4.) quia vuluæ mulierum totidem receptacula habere possint: & esse mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto, quæ quinque simul peperit, & tum habuerit incolumes, & hoc in Ægypto affirmatum est mihi. At deceptum in hoc Iurisconsultum multifariam dubium non est. Quæ enim adducuntur à Gellio (Libro atticarum noctium cap. 2.) in hanc partem de muliere tempore Augusti in contrarium faciunt, cum illa cum filiis omnibus obierit. Quæ etiam scribit Cælius Rhodiginus (Libro 4. cap. 23. Lec. An.) etiam ex Alberto qui modo viginti, modo septuaginta, sed etiam centum quinquaginta ait natas vno partu, nihil ad rem, cum etiam obierint omnes. Nec quod Aristoteli tribuunt vt vterus in quinque diuidatur cellulas verum est, nec ille dicit, quin potius consentaneum, pari si modo diuideretur esse distributas. At quanto magis Ptolemæo credendum erit, (Cap. 7.) qui cum Ægyptius esset, solum tres asserit posse nasci vitales, cuius etiam causam reddit in Tertio Apotelesmatum (Lib. 10. cap. 54.) cum etiam id acciderit in Horatiis Romæ & cariatiis, Sabinus & nos totidem vidimus iuuenes vno partu editos (Lib. 17. cap. 18.) At de animalibus oua nasci in frinetis, idem narrat nullo fotu: quod quamuis magnum sit, tamen esse potest. Quod verò ad sata attinet dicebat idem (Lib. 18. cap. 18.) quod quouis mense anni in Ægypto serunt, quod etiam commune est omnibus regionibus, vbi imbres æstiui non sunt vt in Æthiopia & India. Constat enim iuxta omnium sententiam in Ægypto æstate non pluere. Serunt etiam ibi sine ratione dicit. (Cap. 15.) nam Nilus vices inquit coloni agit (Lib. 2. cap. 97.) At verò nullibi clarius in vigesimo primo libro, dum de aculeatis plãtis agit. Ægyptus frugum quidem fertilissima, sed vt sola his carere possit, tanta est ciborum ex herbis abundantia nobilissima (libro quarto, capite decimo,) è quibus est colocasia caule, cum certus est arenoso thyrso, qui inter folia emicat, spectabili foliis latissimis etiam si ad arboreis comparentur, ex Nilo eam metunt. Theophrastus & Dioscorides describunt digiti crassitudine, calamo molli, rimas intus habente, non geniculato lilij instar, flos duplo maior quam papaueris, rosei coloris, qui vbi defloruerit caput, apparet fauo vesperum orbiculato simile, in cuius singulis cellulis singulæ fabæ continentur, paulum supereminentes circiter triginta numero, radix crassissima arundine plenior, spinosa, rimas vt caulis habens, folium magnitudine non absimile nymphea, & ipsum supernatat aquis, vsus tamen est radicis, & crudæ, & elixatæ & assatæ.

Amatus

Amatus existimat esse Batatam seu Iuhæmæ Indorum, quod aut verum est aut simile, nam de fructu Iuhæmæ nil compertum habeo. In tam claris rebus insignes hi scriptores nil certi reddunt, hic tamen melius cum antiquis, sed & post colocasiam secunda laus cichorio in Ægypto, tertia Authalio, quarta aracidus. Illud sanè mirum cum dicat Italis, non esse nisi fraga, ruscum, batin marinam & hortensent, tanum, pastinacam & lupum salictarium: cum faba melior sit omnibus his præterquam fragis assata elixa crudaue estur, ob id animaduerti ex Trago (Libro 2. cap. 14.) à quo postmodum sumpsere Amatus Lusitanus (Libro 2. cap. 99.) & Rembertus Dodoneus (Cap. 32.) fabam antiquorum esse potius similem ciceri arietino, scilicet valde paruam & rotundam & leuis ponderis vt oboli, quæ omnia ostendunt ex Galeno vndecimo de simplicibus medicamentis, ex Scribonio Largo, ex Paulo in septimo dum dicunt, oniscos contractos esse fabis similes, ex libro de Ponderibus, ex Celso libro Quinto (Cap. 28.) Addit Rembertus ex Aristotele sexto de Historia animalium loquente de oculis Gallinaceis quos decima die à fota maiores fabis esse scribit, vt liqueat fabam Græcorum fuisse admodum pusillam. Atque in hoc (proh dolor) animaduerti quosdam à quibus tot & tanta sperabamus, adeò fuisse pertinaces vt ne faterentur oscitantiam quæ leue est peccatum, & homini proprium, neque mutasse sententiam, nec respondisse obiectis, cum iam quindecim pene annis Tragus Lusitanus, nouem Rembertus & ipse ante vltimam illius editionem euulgauerit librum suum. Quid igitur modo eis credas in aliis: O miseram mortalium ambitionem? nonne satius fuisset, si non poterant argumentis quæ certè sunt nimis (meo iudicio) multa & valida satisfacere, leuem ignorantiam ingenui, tum maximè ob publicum fateri beneficium, quàm tot labores vna falsa, vel erroris suspicione fœdare? nam non vidisse quis dicere possit cum vicissim expostulauerint. Inde laudant eos à quibus iactatur nil suum esse. Sed ad Hippocratem redeo.

Et generaliter vult Hippocrates hoc vnum esse considerandum, quod ad orientem regio posita sit, nam si Borealis erit, non erit ad orientem posita: Vbi verò hoc adsit, facilè temperabitur: vel quia natura media sit inter Austrum & Boream, vel quia ex abundantia pluuiarum, aut montium, aut fluminum, qui ab orientali parte esse solent, ob vim temperamenti primorum radiorum reddetur temperata, atque hic est primus sensus. Vel dic quod per regionem positam ad orientem intelligit, quæ est versus orientem, media inter torridam Zonam & Borealem, atque sic comprehendunt omnes conditiones. Etsi dicas, tota Asia non est sub hoc situ, respondebit Hippocrates: quod neque totam Asiam dicit esse temperatam: sed quod temperata regio in eo includitur. Hic sensus est clarior, & defendi potest facilius, sed primus est magis generalis, & artificiosior Hippocratique dignior, ac literæ magis conuenit. De Austris dico, quod in Africa vim habent refrigerandi, vt docet Philosophus (Vigesima secunda Problematum 51.) Igitur vt ad primum sensum redeam, regio calida vehementer redditur amœna, salubris & fertilis tribus modis, vel vbi sunt montes, nam ibi niues & aquæ & flatus. Vel vbi flumina magna, nam illorum aquis irrigantur terræ, & vrbs riuulis abundat, & pisces non desunt, & merces aduehuntur, vel vbi mare à parte Boreæ, aut occidentis, nam pluuiæ & venti frigidi, temperant regionem & terra ea ex parte non potest incalescere, & merces confluunt, & reliqua ad vitam, & locus est salubris & aer humidus.

TEXT. V.

FRuctus autem suo tempore maturos, multos in ea nasci par est, siue ex sparsis seminibus hi proueniant, siue terra ipsa per se sponte producat eorum plantas, quarum fructibus vtuntur homines, eas ex agrestibus cicures, & domesticas facientes, & pro commoditate sua transplantantes.

DOcet nos plantas omnes olim fuisse agrestes, inde cura hominum domesticas effectas, & vbi temperata regio est oriri omnia seu sponte seu culta. Theophrastus in primo de Causis Plantarum (cap. 1.) docet omnes plantas quæ semen edunt, etiam à semine proprio posse propagari: aliter dicit natura fecisset illud semen frustra, tamen dicit eædem plantæ possunt prouenire sine semine: & dicit quæ semen non edunt illas etiam absque semine oriri nemo dubitat, adeo vt velit plantas solum, quæ semen edunt oriri ex semine, & neque has semper sic sed etiam sponte, oriuntur autem plantæ quinque modis, semine, sponte, radice, surculis plantatis, & insitæ, nam nux persica edit nucem, & ita nux illa nata dici potest, ac si in terra esset plantata. Et quæ ex radice nascuntur, aut euulsa seu diuisa, vt lilium iris, colocasia, & quædam dilatata non euulsa, vt corylus & rutus ac rosa. Similiter plantæ notæ ex truncis bifariam oriuntur aut euulsæ vt salix, sambucus & vitis: eædem alio modo terræ sepulta dum adhuc priori radici hærent, & dum fuderint radices, præciduntur ab antiqua matre.

In his igitur duo spectare oportet operam & cultum: per operam enim seruntur, aut alio modo propagantur: per cultum trāsplantantur, præciduntur mortuæ partes solum, impinguantur, irrigantur, sarriuntur, hyeme palea circundantur quæ imbecilles sunt. Hic solum dubium est de his quæ euulsis radicibus aut ramis insitæ propagantur: nam cum hæc sint hominis opera non naturæ, nec aliorum animalium, constat autem necesse fore, vt natura ad hominum operam respiciat, vel quod verisimilius est, ita nata esse vt non auulsa augerentur: atque id in radicibus facile est persuadere: at in ramis

 quomodo

quomodo transibunt in plantam absque opera humana? ob id dicendum quod generale est per se, quod autem conueniat parti, id est ramis est per accidens, ideóque necesse est quod planta quæ prouenit surculis plantatis, vt oliua, vitis, salix, & quæcunque humidiores sunt etiam euulsis radicibus propagetur, sed non conuertitur. Ex his modis cum miscentur videntur fieri alij, sed sunt iidem. Et similiter quia latent. Velut viscus oritur ex semine visci, quod sturni edunt incoctum, & videtur ea planta sponte innasci quercui, vel alij plantæ cum ex semine oriatur. Et ita plures plantæ nascuntur ex stercore auium, aliæ boum, dum herbas edendo deuorant semina, deinde non corrupta egerunt, alia mistione, vel si cineri acetum acre misceas, inde alia contusa, & sub dio exponas ex imbribus nascentur plantæ quasi noui generis: imbriferia enim aqua multa noua gignit maximè plantas, metallica etiam, & lapides, & animalia exanguia, vt etiam ranas quamuis sanguineæ etiam ipsæ sint, tum pisces multos, præcipuè cyprinos. In huiusmodi ergo regionibus talia plura homini vtilia generabuntur, sicut & quadrupedia. Vnde dicit.

TEXT. VI.

PEcora etiam ipsa pleniora prouenire illic maximè est consentaneum, quæ & pariunt sæpius, & pulcherrimè educantur.

NOn signa propriè sed effectus connumerat. Vt eiusmodi animalia quæ sunt nobiliora, & natura homini magis similia pinguiora proueniunt, & sæpius pariunt, quod visum est in India, etiam quamuis occidentali, & feliciter educantur ob aëris, aquarum, & pabulorum salubritatem, quibus omnia educantur. Verum dubitabit aliquis, an & hæc regio feris animalibus, vt pantheris, leonibus & lupis magis fauebit? De serpentibus cum sint sicci, vt declaratum est, & reptilibus cum sint frigida, erunt pauciora & innoxia magis: sed de animalibus feris cum sint quasi media, dubium relinquitur, & dico quod & hæc abundant: sed quia sunt loca culta ab hominibus, ideò ab illis destruuntur, ideò talia magis abundant in desertis, licet maiore incommodo viuant, nam vt aliàs declaraui, homo est genus quoddam quod regnat super animalia, sicut animalia super plantas, & plantæ super elemenmenta: sunt enim quatuor hæc genera, & intermedia etiam.

LECTIO LXIX.

Super

TEXT. VII. & VIII.

QVin & homines habiliores esse, ac specie pulcherrimos, & magnitudinis eximiæ, minimeque differentes, quantum ad formam ac corporum proceritatem attinet, constat.

COmmendat homines à quinque conditionibus corporeis, quod sint firma valetudine, pulchri, magni, similes, & vocem habeant claram sonorámque, similes, id est plures qui sint huiusmodi, non enim solum aliquot sed plures tales eiusmodi gignit, namque Gabbaras temporibus Claudij fuit & ipse Arabs, non tamen cum multis, (Plin. 7. lib.) Sed quærit Aristoteles cur non in temperatis regionibus, (14. Problem. 8.) sed potius calidis aut frigidis valde homines proceres euadant? vt non idem cum Hippocrate censere videatur. Verum Philosophus de enormi proceritate loquitur, vt Hippocrates comparet ad modice calidam & frigidam: Aristoteles ad valde calidam ac frigidam. Inquit enim quod qui in calida regione habitant nullo frigore percelluntur, hoc solum verum est de his qui in calidissima regione habitant. Hippocrates cum de Libya & Ægypto agat, (12. lib. 12.) de calidis per se regionibus intelligit. Diximus autem de hoc in Contradicentibus satis. De firma valetudine dicebat Galenus in secundo de Tuenda sanitate, (cap. 7.) in intemperata regione non possunt esse homines temperati, quod & ratió & experimentum docet, nam in calida sunt aridi & sicci, in frigida exterius nimis frigidi, interius nimis calidi: & certe videntur biliosi & iracundi. Quæritur igitur meritò cur regio frigida generet biliosum sanguinem, tempus autem anni pituitosum? hoc enim etiam experientia docet. Causa est quia regio dum perseuerat ex longa condensatione augetur calor, non solum quantitate, vt in hyeme, prima Aphorismorum (15) sed etiam qualitate, & ita fiunt biliosi.

De voce etiam etiam diximus suprà quod ex pluribus fit. ideo est magnum signum in temperamento corporis. Exigit enim vox clara & magna primum robur masculorum mouentium pectus, & ita facultatis animalis. Secundum latitudinem pectoris & pulmonis, quæ fit à calore vitali potenti cum origine ex cerebro non deficiente. Tertio, asperæ arteriæ incolumitatem & puritatem, quæ exigit bonam coctionem: igitur vox magna & splendida est argumentum roboris omnium facultatum.

TEXT. II.

CErtúmque est hanc regionem proxime accedere ad naturam ac mediocritatem anni temporum.

HIc noster Alemanus enumerat pulchra ingenia Asiatica, at non sunt illa, sed potius Africana commemoranda, licet de hoc Hippocrates nihil dicat in Textu, sed solum quod huiusmodi regio est proxima temperamento: quare dixit proxima? quoniam

niam ſciebat illam eſſe iuſto calidiorem: propterea enumerabimus viros celebres ex ea & rationem victus eorum. Præcipui fuere Ptolemæus, Princeps, Raſis, Geber Mahumetus, Alchindus, afferam iudicium de his ſi ad ingenij ſubtilitatem reſpicias nulli meliores: ſi ad iudicium, præſtantiſſimus Ptolemæus & Raſis. De Doctrina Græcos præponam. Ptolemæus Alexandrinus ex Pheludo oppido Aſtrologiæ & Geographiæ Princeps, in Arithmetica, Geometria & Muſica ſingularis. Raſis aggregator eorum quæ in medica arte ſcripta ſunt, Arabs, Almanſori Marocco Regi libros ſuos dedicauit, quòd eſſet illius medicus. Princeps filius fuit viri Perſæ, vt quod ad hoc attinet inter Aſiaticos cõnumerari poſſet, oriundus eſt Buccharam regione, Arabs tamen ſermone & Medicus & Philoſophus inſignis vt perſpicuum eſt, aſſerunt & mathematicum inſignem atque magum. Mahumetes Algebræ author Geometra & arithmeticus inſignis: Geber Aſtrologus admirabilis, Ptolemæi inuenta in longè faciliorem viam redegit. Inferior omnibus Alchindus ingenij ſubtilitate Europæis omnibus anteferri hac in parte poſſet: ſed non in reliquis adeò præſtat.

De regionibus ergo & victu Afrorum Ioannes Leo (Par. 1. hiſt. Afric.) primum ita ſcriptum reliquit. Africa diuiditur in quinque regiones, Africa propriè dictam Numidiam, Libyam, Æthiopiam & Ægyptum. Africa propriè Tingitana appellatur, quæ ab occidente ad fretum Herculeum terminatur, à meridie Atlante monte, poſt quem eſt Libya, à ſeptentrione Mediterraneo, ab oriente vltima parte Atlantis, quam vocant Meies. Hæc nobiliſſima eſt vrbibus, agri fæcunditate, hominum copia, hícque ſolum candidi ſunt ex Africanis moribuſque præſtantes, & diuitiis abundat ſalubriorque eſt, in qua Feſſæ regnum. Poſt ad meridiem & vſque ad mare Getulia & Libyam, quarum maxima ſunt deſerta. At orientem Tingitanæ eſt Numidia, quæ incipit à Mauritania Cæſarienſi quæ ſub Tingitana comprehenditur, & ab Ampſaca fluuio à ſeptentrione mare idem habet quòd Tingitana: ſed eo ſolum calidior & aridior & incultior,

Merid.



quod ibi terra ſe ad meridiem contrahit, mare illam inuadit, vt à latere vides, ab occidente igitur ex ipſa Tingitana cingitur, à meridie Libya: ab oriente Libya culta, vbi Elocat vrbs eſt. Libya ergo à ſeptentrione coextenſam habet Tingitanam Africam & Mauritaniam Cæſarienſem, & quam vocant Africam minorem & Numidiam & Libyam cultam, ab occidente mare Oceanum & fretum Herculeum, à meridie ad æquinoctij circulum extenditur, & deſerta multa habet & magna. Poſt has ſunt Ægyptus & Æthiopia, Ægyptus ad Boream & mare Mediterraneum reſpicit, Æthiopia ad meridiem: vtraque maximè orientalis à Libycis montibus initium ducens: qui ab occidente paulo plus LX. partibus diſtantes tendunt quaſi rectà à meridie in ſeptentrionem, atque ſimiliter Nilus quaſi ei æquidiſtans eodem modo fertur per has duas regiones. Æthiopia igitur ſub Ægypto incipit à circulo æſtiuo, & ſub Libya ab æquinoctij circulo, & à meridie atque occidente mari Oceano terminatur: ab oriente mari quod vbi Larius eſt, vocatur ſinus Barbaricus, vbi in anguſtum tendit dicitur Mare Rubrum, vbi anguſtiſſimum ſinus Arabicus: ita Ptolemæus digeſſit hanc partem Oceani: ſed noſtra ætate Maris rubri nomine intelligimus, quicquid ex hoc ſinu in anguſtum tendit: ſed lis eſt de nomine tantum: à ſeptentrione, vt dixi, Libya deſerta aut Ægyptus.



Accidit ergo & Libyæ & Æthiopiæ, vt formam quamdam mallei referant hoc modo: Ægyptus ergo terminatur ab oriente ſinu illo triplici & anguſtiis quibus Arabiæ Petreæ iungitur, in quibus eſt Sirbonia Palus, & vt illi Arabia Petrea è regione eſt, ita ſinui illo Fœlix vocata coextenditur ab oriente, vt dixi, Libyci montes à ſeptentrione mare Mediterraneum, à meridie Arabes vocati Adæi poſt quas, vt dixi locata eſt Æthiopia ſub Ægypto. Arabiæ autem pars illa non admodum magna eſt. Hæc eſt diuiſio fineſque partium quinque Africæ, & olim & nunc diuiſarum.

Mores autem & victus eiuſmodi eſt, Numidæ viliſſimo veſtitu vtuntur, dormiunt in iunctis ſtoreis, famis patientiſſimi, camelis vehuntur, quorum lac mane bibunt, nec quicquam aliud pro cibo aut potu illis eſt: idque exiguum ad vncias ſcilicet duodecim: veſperi carne ſicca in eodem lacte cocta, vel alio veſcuntur: bibúntque lac quod ſuperfuit inde puri lactis libram circiter mediam, neque panem neque vinum neque aliis veſcuntur, nec niſi lac deficiat aqua vtuntur. Velant faciem totam ſandalio nigro, præter oculos, Dactylis præterea abundant, eorum vita venatio aut latrocinium. Arabes qui

incolis

incolis Africæ ſuperuenerunt inquilinique nunc ſunt, pauperes & ipſi vagi, perfidi, venationibus dediti & latrociniis, inopes omnium: filios ſiculis vendunt vt tritici (quod etiam non ſatis eſt) tum aliis, vt dactylos habeant. Et ipſi lacte & modico pane dactyliſque veſcuntur. Tingitana vt ditior ac magis ciuilis tum Ægyptus & Æthiopes, vbi deſerta non ſunt ſimiliore victu cum Europæis ac cultiore vtuntur, non tamen illos æquare poſſunt. Generaliter lac & caro ſicca: qui molliore vita vtuntur lacte cum farina & dactylis & carne ſicca veſcuntur: qui adhuc meliorem panem edunt abſque fermento tamen, & placentarum forma: Qui verò omnino ciuiles ſunt & opibus præſtant ad victum, vt dixi, Europæorum accedunt, fructus, piſces, ebiya, aſſa, panem intinctúſque habent.

In Africa tempora ſunt ferme, vt in Europa, ſed Fauoniis & Borea florent arbores: Fructuum & ſeminum prouentus anticipat, præter punicæ & oliuæ quæ prægrãdis ſupra fidem eſſe ſolet, vt ſcalis non tuto colligi poſſint. Ver quoque anticipat: incipit in medio Februarij, finitur medio Maij, vt hoc indicium maximè ſit eius quod dicit hic Hippocrates. In Atlante monte duo tantum tempora ab Octobri ad Aprilem perpetua hyems, ab Aprili rurſus ad Octobrem æſtas, iuga illius perpetua niue premuntur, fontes plures ſunt in illo, in quibus adeò gelida eſt aqua, vt ſi quis in ea manus contineat depereant, inde nigreſcant & decidant, vt in reliquis frigore corruptis.

In Numidia niſi pluat ſicceſcunt pleráque flumina, & in Libya multi ſunt lacus. Libyam inundat Niger fluuius, non ſecus atque Ægyptum Nilus. Habétque eaſdem viciſſitudines & incrementi ac decrementi tempora.

Afri planiciem incolentes vix ſexageſimum aut ſexageſimum quintum annum attingunt, ſicut & Libes, qui autem montes ad centeſimum peruenire ſolent: velut & Numidæ ob eſum dactylorum aſſiduum: ſed dentibus ob eundem vſum carent, & breui viſus acie ſunt ob ventos malos, qui arenam oculis immittunt. At Æthiopes nigri etiam Afris ſunt breuioris vitæ quicunque montana non incolunt. Torquentur capitis, ventriculi & inteſtinorum doloribus tum etiam dentium qui in eis putreſcunt, ſolent enim edere fercula calidiſſima, inde frigidiſſimam aquam bibere, vnde dentes percelluntur. Mulieribus & pueris alòpecia, & quam vocant tineam familiares ſunt, coxendicum etiam morbis & tuſſi atque ſcabie confli-ctantur. In numidia & Æthiopia Indicam luem pauci patiuntur, curantur enim aut ſeruantur ab aëre & dactylorum eſu: aliis in regionibus Africæ præterquam in montibus ferme ad vnum omnes laborant, cum iam ad ſcabiem & cutis vlcera & fœdam luem & contagium & tuſſim natura pronus ſit aër. Comitialis in Africa mulieribus & pueris familiaris, viris minimè, vt neque hernia quæ tamen in Ægypto eſt frequens.

Creditur hoc contingere quod Ægyptij caſeo ſalſo & gummis veſcantur. In Africa & Ægypto ſæpe peſtis aduenit: in Numidia raro, in Æthiopia & Libya deſerta nunquam, lingua Africana communis eſt omnibus partibus, cenſétque culta, & eſt antiqua, in qua non ſolum multi libri pulchri ſunt Afrorum, ſed ex Latina lingua in eam conuerſi habentur, qui apud nos non ſunt, at verò ea eſt qua Arabicam vulgus vocat, vulgaris eſt & alienigena incomptáque: vt nomen ſit immutatum, cum per Arabicam priorem intelligant vere quæ Africana, vt dixi, eſſe appellanda non Arabica, nam in Arabica libri ſcripti non ſunt.

LECTIO LXX.

Super

TEXT. IX. X. & XI.

VErùm virilitatem, ærumnarum ac laboris tollerantiam, ac audaciam, non veriſimile eſt huic naturæ innaſci.

QValitates animi tripliciter variantur, iudicio, natura & corporis habitu. Iudicio quidem quoniam bonum appetimus, malum timemus, ſi nondum adſint triſtamur aut lætamur. Quare hi affectus maximè nobis dominantur & nos mouent. Et memoria quidem illorum trifariam nos afficit iuxta tres modos quibus memoramus: aut vt prorſus deſiere, atque commutant nos in contrarium malorum, lætamur iuxta illud:

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum.

Et reliqua: ita bona nos præterita quæ euanuere nos contriſtant, cumque plus contriſtent mala, quam bonis lætemur ob id amiſſio & opum ſemper miſera eſt, etiam ſi aliquando antea dum his carebas non eſſes miſer, ſi autem maneat aliquid bonorum, vt par eſt, læta memoria eſt, malorum triſtis, namque quòd doleat quis amiſſa bonorum parte ob id contingit, vt dixi, quòd in amiſſione maior eſt dolor quam in aquiſitione lætitia. Et in malo maior triſtitia quàm in bono gaudium. Et ideò in recuperatione maior voluptas quàm in aquiſitione: propterea quòd malo maiore ex hac caremus. Si verò nihil maneat bonorum quidem memoria bona eſt, malorum mala, cum natura talia ſunt, vt non manſura ſint. Natura verò affectiones mutantur, vt in iracundis & mollibus, illi enim facile excandeſcunt, hi dolent ac conqueruntur. Corporis habitu non conſueti, & imbecilles aliter afficiuntur quàm robuſti & aſſueti. Perturbantur ergo cum horum aliquod fuerit vitiatum, velut cum quis vel ab alio deceptus, vel ignorantia vel cupiditate vel conſuetudine bona eſſe putat, quæ mala ſunt, aut mala quæ bona. Sic natura timidi grauiora pericula faciunt quàm ſint: atque ita auari aut iracundi ad actiones hominum ſe habent. Cur igitur Africani cum ſint temperati, ſint timidi & laborum impatientes, & in aduerſis non

adeò

adeò constantes (animaduertendum quod non loquitur de institutione hic, sed natura ipsa quoniam id non esset verum semper, & esset extra artem) dico quod exclusa prima causa, relinquuntur duæ quæ sunt sanguinis natura & corporis, cum Europæi sini firmiores corpore eo quòd à mutationibus magnis caloris & frigoris magis percelluntur, & sint iusto fortiores ob caliditatem, ideò illi superantur non in virtute sed in vitio, hoc autem vitium in Europæis ad virtutem traducitur ob vtilitatem Reipub. Ideo Europæi liberi manent, Asiani seruiunt regibus, vt 7. Polit. (cap. 7.) docet Philosophus.

TEXT. X.

SVnt neque eiusdem, neque diuersi generis constantes, ac perpetui sunt amatores. Vincit enim in ipsis voluptas, quæ ratio est multiformes generari partus, præcipue in feris.

DEclarat non solum indigenas sed etiam alienigenas ibi effœminari, & de indigenis satis compertum habeo, De alienigenis tres sunt causæ, exemplum, auxilium & initium. Initium quoniam cum ob voluptatem effœminantur corpora, & ipsis alienigenis promptæ sint voluptatum occasiones, eodem modo erunt in alienigenis & efficatiores, quia noua magis mouent, & incognita videntur esse maiora. De exemplo non est dubium. De auxilio clarum est, quoniam alienigenæ multis sunt destituti præsidiis, vtpote affinibus & cæteris coniunctis atque amicis, & consuetudine cum magistratibus peritia locorum, legum municipalium atque huiusmodi. Dicit quod voluptate vincuntur sanè voluptas virtutem pellit: fuerunt tamen homines voluptatibus dediti, & in bello acerrimi: velut M. Antonius Triumuir, quid Fortius Cæsare? & quid eo profligatius in omni luxuriæ & libidinis genere? similiter & Maumethes Ottomanus. Deinde quid intemperantiæ cum timore? Respondeo quod aliud est de vno homine, aliud de pluribus seu populo & gente. Fieri minimè potest vt vna gens sit luxui dedita & fortis: quoniam populi sunt ignaui, & non pugnant ob virtutem, sed ob educationem & necessitatem, quorum vtrumque tollit copia rerum, hæc autem adest vbi voluptas, neque enim voluptates expleri possunt absque rerum abundantia. Ipsa etiam voluptas dupliciter per se obest, & memoria sui reuocando ab officiis militaribus, & eneruando corpus. Et ideò dicebat rectè Plutarchus, quòd vita Lacedæmoniorum erat adeò dura in castris, vt diem pugnæ semper optarent, mortem vitæ præferentes. Cum ergo in temperatis regionibus adsit abundantia, deerunt omnes causæ pugnandi, scilicet necessitas & consuetudo, & ex voluptate corpora effœminata, & memoria iucunditatis. Et ideò fieri non potest, vt in his regionibus sint viri fortes, & in aduersis patientes. Ideò Plinius dixit, Italiam luxuria Asiatica esse corruptam. Eadem de Ægypto dicenda sunt: fuit enim Ægyptus diues semper opum: quia in ipsam ex tota Asia & Africa merces conuehuntur, gemmæ metalla, aromata, sericum, fruges, & fructus, tum opera omnis generis, picturæ, texturæ cælata, sculpta aliaque eiusmodi tum medicaméta, animalia rara: Sed de his in libris de Arcanis æternitatis, tum alibi sæpe dictum est. De vno autem homine aliud est, quidam enim sunt fortes expectatione boni, vt Christiani, Turcæ, Iudæi, alij fuga mali vt Gentiles: velut de Cassio & M. Antonio Triumuiro: qui seipsos ob desperationem morti deuouerunt. Et est insigne exemplum de Sardanapalo, olim de Ottone multo post, qui cum essent effœminati in vita, in morte fuere fortes, talis etiam fuit C. Cæsar, Mahumetes, vt dixi, & alij innumeri. Ideo distinguitur fortitudo, tertio Ethicorum, (cap. 7.) in eam quæ est ad mortem, ad dolores corporis, ad animi cruciatum, & ad labores. Et circa illam peccant trifariam, vel timendo quæ non debent timeri, aut nimis quam oporteat timeri, aut quando non oportet timeri. Ideo dicit, quòd quandoque timemus magis reliqua tria quam mortem: sed causam, nec quomodo, non docet. Qui ergo sunt duri corpore natura, & molles animo, præferunt cruciatus, qui duri corpore consuetudine, sed fiunt molles animo labores: qui fortes animo & puri molles corpore mortem potius quàm corporis cruciatus: qui fortes animo sed morbosi, ob vitia mortem facilius perferunt animi cruciatibus. Asiani ergo sunt etiam molliores corpore quam animo. Sed addit multiformes fieri partus præcipuè in feris, allusit ad illud, semper aliquid noui affert Africa, cum sermo de illa sit: miscentur enim ob libidinem multarum specierum animalia in concubitu ob libidinis incendium, quanto magis in hominibus. Et ita clarissima est littera. Addit vnum Alemanus quod licet sit extra propositum, hic est tamen per se pulchrum: scilicet quod si fæmina pauonis linteo candido integatur, dum cum masculus init generari pauones albos. Et pauones albos vidi aliquando, an verò sic geniti essent ignoro.

TEXT. XI.

ATque sic quidem de Ægyptiis ac Libycis mihi habere videtur.

INsignem prouinciam fuisse, & esse Ægyptum haud dubium est, fæcunditate soli primum, de qua dictum est supra, Cœli clementia, vt diu etiam viuant Ægyptij, sintque saluberrimi ob ver, quod ferme est ibi perpetuum, teste Herodoto (lib. 2.) nec vnquam ibi pluat. Est & præcipuum quod ab Aristotele scribitur vigesimasexta Problematum, (46.) Cur Auster oris terræ Ægypti non afflat: nec interius itinere vnius diei & no-

ctis, super Memphim vero vel per iter diei ac noctis ingenuus spirat, nec verò occasum versus, itinere duorum dierum, sed & montes Libyci illustres, & Nilus fluuius: tum vrbes immensæ, Thebæ olim & Babylon, Alexandria & Memphis, quæ Damiata dicitur etiam nunc: & Chairum amplissima nostris temporibus iuxta Sebeniticum Nili ramum valde mediterranea ciuitas: quam Alemanus nescio qua ratione vocat Alcio: septem paludibus, septem pyramidibus, septem Nili ostiis portus eximius: Mari Rubro ab oriente cincta: antiquitate nobilis. Mari Mediterraneo Europam respicit ab oriente post mare Asiam & optimas habet regiones Arabiam felicem & Iudæam: à meridie & occidente Africam, vnde ditissima prouinciarum semper fuit, nec tantum tyrannide Principum & Romanorum auaritia exhauriri potuit, quantum repositum est fertilitate propria, situs commoditate, atque incolarum industria. Incolæ aliqui albi aliqui nigri, plures fusci. Dubitat Alemanus quomodo cum Ægyptij & Libes sint Afri ab Hippocrate sub Asia collocentur? Et multa dicit, sed res ipsa difficultatem non habet: nam constat eas regiones pertinere ad Africam diuidendo habitabilem terram in tres partes, in duas autem, vt facit Hippocrates, qui Europæ quicquid est frigidum, seu orientale seu occidentale Europæ ascribit: reliquum totum Asiæ. Et ob id Libya & Ægyptus sub Asia eo modo intellecta continebuntur. Rem tamen esse secretam Africam ab Asia declarant hæc verba superius apposita: vt quæstio sit de solo nomine.

Per Libyam autem totum Africæ reliquum intelligit: sub quo, vt dictum est, propriè Libya vtraque inferior, & culta & Tingitana & Numidia & Æthyopia continetur, liquet autem in Æthyopia calorem non adeò esse molestum vt in Libya, neque desertis adeò esse fœdam: idque accidit, ob locorum inæqualitatem: montibus enim atque collibus referta est, tum nemoribus atque syluis, sed præcipuè quia Æthyophia à meridie mari cingitur. Animalibus feris abundat, tigribúsque maximè, gens rudis ac dura, tum præcipuè ob cultum religionis superstitiosum, alij enim Mahumetem colunt, alij Christum, sed sicut etiam Iudaicam legem obseruent. Sabbatum, & à cibis abstinent quibus etiam Iudæi: velut à suibus, fructuum deliciis carent, non tam quòd ager natura non sit ferax, sed quòd sint viri, vt dixi, rudes & simplices. Ipse Rex Christianus Negu vocatur: totus circa ceremonias intentus, bellicam autem negligit: vnde iam ob dissidia quædam religionis ab annis circiter octo in Turcarum potestatem deuenit regulis Maumethanis fauentibus, inde ex aduerso Lusitanis contra Turcas pugnantibus, paucæ vrbes, nullæ arces, sed vici & villæ plurimæ. Tertiam partem hominum ac mulierum cœnobia & sacerdotia obtinent: id factum est vt facilius regnum in obsequio contineatur: nam illi populos, illos facile (assuetos iam vni parere, non vagari, pœnis subiici, vitam ducere asperam (Rex continet, ne tamen tot sacerdotio astrictis periret gens, factum est vt sacerdotes Iudæorum more vxores ducant, educéntque filios. Triticum habent & vuas, sed vino carent: seu quod arte conficiendi careant, seu quòd non seruetur, ideo illud ex passis vuis aqua infusis conficiunt. Viuunt longissimo tempore: postquàm inquilini quidam velut Armeni & Lusitani prope centum annos peruenere: quòd si indigenæ eo non adueniant dubium non est, quin hoc eis ex mala victus ratione contingat, nam vbi aër malus est, nulla ratione possunt homines ad longam ætatem peruenire. Abundat locus aquis, quia montibus atque collibus: raro pluit: noctes, vt ratio dictat, cum habeant diebus penè pares frigidas valde experiuntur. Incultum solum & totum sylua, negligentia & paucitate incolarum, non solis ardoribus. Gens non magna, sed potius parua, infida, contumax. Auro satis abundat, sed totum ferme est regis, incolæ non pauperes, sed miseri ac penè nudi, vnde fama diuitiarum regis re ipsa maior. Sericea longius aduehuntur. Solum fertile sed sine gemmis & aromatibus prorsus: vel ob ignauiam incolarum & imperitiam, vel quia non talium feraces montes.



LIBER



LIBER SEXTVS.


LECTIO LXXI.

TEXTVS I.

Et eſt initium ſexti libri.

DE iis verò, qui ad dexteram hyberni ortus Solis vſque ad Mæotidem paludem habitant (hic eſt enim Europæ & Aſiæ terminus) ſic habet. Multo maior diuerſitas eſt inter illas ipſas gentes, quam de quibus iam dixi, cum propter varias temporum mutationes tum ob regionis naturam.

QVi verò ad dextram. Hyberni ortus homonymia fecit, vt non intelligeretur ab Almano: ſed nec mihi facile fuit prima frontem ex verbis genuinum ſenſum deprehendere, verum vbi ad rem ipſam aſpexi illico ſententia innotuit quæ eius modi figura primum indiguit. Sit finitor ſeu orizon in ſphæra recta *b c b d*: circulus Arcticus *c d*, polus Acticus *b*, Antarcticus *k*, Æquinoctij circulus *e f*: Tropicus cancri *g h*,



Tropicus capricorni ſint circulus hyemalis *l m* pars orientis *h f m* occidentis ergo *g e l* Coos inſula Hippocratis patria *a*: *p* verò palus Mæotis diſtinguens linea Europam, quæ eſt ad ſeptentrionem poſita ab Aſia linea *p q*: homo poſitus in à reſpiciens *b* polum Borealem, manifeſtum eſt, quod à dextra habebit orientem & paludem Mæotidem, quæ eſt orientalior Coo inſula. Siquidem Coos diſtat à Fortunatis inſulis (Prima & ſecunda Aſiæ Tabula.) partibus 56. Palus autem Mæotis 62. vbi occidentalior, vbi orientalior 68. patent igitur omnia claráque eſt litera, ideo hybernus ortus bifariam dicitur, comparatiuè quo ad regionem aliquam, vt hic Coon Hippocratis & ſimpliciter, ſimpliciter etiam bifariam, hæc autem nondum liquet: ſcilicet, quomodo palus Mæotis ſit poſita ad Hybernum ortum hybernus enim ortus, id eſt vbi Sol hyeme oritur eſt punctum *m*. *m* autem eſt in regione calidiſſima, & maximè procul à *p*. *p* autem eſt propè ſeptentrionem cum ei *a* leuetur Polus Borealis partibus 49. & vbi Borealior eſt partibus 55. Vitruuius (lib. 1. cap. 2.) Balneis, & Hybernaculis lumina ab occidente hyberno, manifeſtum eſt cum temperaturæ caloris ſtudeat intelligere per occidens hybernum *l*, punctum, ſic enim occidens Sol ſicut locum: & noctem tepidiorem reddit. Vt ergo occidens ita oriens obſeruandus. Quin quod maius eſt hoc in opere: Ad ventos frigidos inter occaſum Solis æſtiuum, & orientem æſtiuum: liquet (lib. 2. Text. 7. (quod per oriens & occidens æſtiuum intelligit, vbi Sol æſtate oritur & occidit, & vbi initium Cancri ſecat Orizontem: igitur contraria ratione intelligemus hybernum ortum & occaſum. Plinius quoque in eandem ſententiam: Saba regio ſpectat ortus Solis æſtiui. Propterea tamen res non amittere ob verba decet, etiam ſi Græca lectio ſuffragetur, ſed vt ſenſus rectè ſe habet illa ſunt interpretanda, per Hybernum (lib. 12. cap. 14. poſt prin.) ortum intelligit partem hybernam, id eſt ſeptentrionem qua parte Sol oritur: id eſt partem *b d q* totam & vſque ad 5. ad diſtinctionem partis hybernæ *b c g*, quæ eſt occidentalis. Et ideò illud explicat per dextram partem, quoniam dextra non intelligitur torrida regio, ſed poſt terga Coum inhabitantibus multo maiores habent diuerſitates his de quibus dictum eſt, nam modo frigore modo calore agitatur, non ſicut Numidæ, de quibus ait Appianus quod diu viuunt, quoniam apud illos nunquam ſentitur frigus. Duas ergo cauſas recitat quod maiorem recipiunt diuerſitatem, quam priores regiones naturam & temporum varietatem.

Eſt Palus Mæotis omnium orbis ampliſſima: quippe cuius ambitus eſt MCCC. M.P. Inſula habebat olim dicta Alopecia quaſi Vulpium inſula, hodie vocatur Palus Tabac inſulis exiguis referta, quod iam ſiccetur, & terra fiat. (2. Metheor. cap. 1. in fine) Ab oriente ſunt Circaſſi, ab occidente Rhuteni rubri, à ſeptentrione Moſcouitæ, à meridie Pontus Euxinus.

Ergo hic non leuis dubitatio emergit, an loquatur Hippocrates de Aſia, an de Europa. Phaſidem inter locos enumerat, qui fluuius eſt in Cholchide. (Tab. 3. Aſiæ) ſtatuítque ab oriente, in occidentem ferme rectà ſe in Pontum Euxinum rouoluens, ſub altitudine poli XLV. partium, ex aduerſo Cyri, qui ex occidente in orientem in Caſpium ſe prouoluit, cum vterque ex eodem monte naſcatur Molthico. De hoc dicit Strabo (libro 11.) quod oritur ex Armenia, & circa illum LXX.

alias C C C. nationes diuersis linguis inhabitat, & est certè colluuies gentium. Diuersi mores, feri, formis absurdis, & terribilibus, anguntur enim Ponto Mæthodi Hircano mari, Ripheis montibus & Hyperboreis.

Quod si regio Hippocratis censeatur temperamenta, atque hæc sit nouem partibus Borrealior, manifestum est quod non parum frigida, & in parallelo Galliæ togatæ, & regionis Italiæ, quæ est in Europæ intima parte, ne dum simpliciter in Europa. Prope enim Phasim flumen in Ponti littore vrbs est eiusdem nominis cum flumine: vt videantur hic loqui potius de Europæis quam de Asianis. Inferius etiam dicit. De natura, ergo ac diuersitate & forma eorum qui Asiam & Europam incolunt sic se habet. Cum ergo de Europæis sermonem nullum alium habuerit, præterquam de his qui in hoc capite ascribuntur, (Text. 9.) si illi sub Asianis collocentur, falsus erit Hippocratis sermo, sed in oppositum est quod tribuit illis temperamentum veris citra mutationem, & quoniam post Europeis longo sermone agit nec plus de Asianis. Ideo dico quod in præsenti parte cui sextus nostrorum Comment. lib. dicatus est, loquitur de mediis inter Europeos & Asianos, vt sub neutris illos fermè collocet, aut sub ambobus, quod etiam sensit & benè Alemanus. Sed ob id exponi debet: Qui inter Asiam & Europam loco Asiam & Europam incolunt, aut expungere, & Europam. Ob regionis diuersitatem alij imminet. Ponto alij paludi, alij vbi arcta est, alij in montibus, alij in planicie, quidā in mediterraneis, quidam ab oriente aquam habent, quidam ab occidente, quidam à meridie, quidam sunt propiores Austro, quidam Borrealiores: par est igitur omnes hos inter se differre non parum. Qui ergo olim ab oriente ad finem Mæotidis paludis habitabant Sarmatæ Assamatæ vsque ad Siracenos, dicebantur in 2. Asiæ tabula, vbi plura insignia quasi virorum fortium termini habentur, Portæ Sarmaticæ, Pilæ Albanicæ, Binæ Alexandri Columnæ, Cæsaris Aræ, & Alexandri Aræ insignes fabricæ. Nunc pro Sarmatis Moscouitæ, pro Assamatis Cercassi habentur. Et vbi Borapar vrbs olim nunc Bossaga locus, siue potius palus habetur, nunc omnes Tartarorum nomine intelligantur (10. tab. Nouarum.) Ciuitas nobilis *m* maris Pontici littore Lopeso. Ibidem Taurici Chersonesus, Cimerius quoque Bosphorus: hæc omnia vt intelligatis hanc mundi partem, non solum Hippocrati sed antiquis omnibus, & nostra etiam ætate in magna fuisse consideratione. Scribit distinctè de hoc Sigismundus liber in hist. Moschouitarum, (cap. de Tanais flumine.) Inter reliqua singularia huius regionis est emporium Soph, alias Asoph dictum, vbi liberum est cuique vt velit viuere. Principi tamen Turcarum tributum pendit. Aras nunc Alexandri aut Cæsaris non extare compertum est. Polus in Moschouia quinquaginta partibus eleuatur gens fallacissima. Propè paludem Tanais Schosnam flumen recipit. Refert Iosapha Barbarus Patritius Venetus, inueniri in Sarmatia passim herbam nomine Baltracanum, folio rapæ, caule cubitali, atque maiore, crassitudine digiti foliato, sed ita vt palmo folia inuicem distent semine fœniculi, sed maiore, sapore acri, sed iucundo, caulis ipse præciditur, quantum ex eo teneri est, & alignosa parte mundatur odore arancij, per se editur nec sale indiget cortex, caulis viridis & subcroceus, cum maturus est caulis intus paululum inanis est. Vnicam habet radicem. Coquuntur folia, & vbi aqua refrigerata fuerit ex ea bibunt vini loco, dicúntque se ab ea non parum refrigerari. In Hordas Tartari diuiduntur, (Tartaria ab iis Scythia, sed etiam Parthis commune nomen est, ac respondent. Vt Moschouitarum Rex, & Sarmatis, & Scytharum parti præest, & sub eo Tartarorum pars continetur,) hæ sunt societates velut Ciuium, sed non eodem loco constiterint. Christiani sunt Sarmatæ, sed institutum Græcorum retinent ac mores. Verum de Circhassis seu Tichis Georgius Interianus abundè scripsit. (2. Vol. Itinerum.) Patet & gens in littore D.MP, in Mediterranea versus orientē extenditur. Christiani & ipsi habentur: vt in nomine addunt, vt Paulus Paulus, Petrus Petrus seu commutant, rapto viuunt. Venatores autem, latrones, milites, statura magni, & agiles atque robusti sturionibus, quorum maxima est copia ob flumina illa, & venatione vescuntur. Vino carent & tritico, milij vsus pro pane tum Tetho: cúmque nullam fidem inter se seruent, in hospites tamen sunt humanissimi atque officiosissimi.

Tum ob varias temporum mutationes,] In regionibus mediis magis mutantur tempora quam sub torrida Zona, quoniam cum fiat transitus á calore ad frigus, & contra à longitudine diei ad noctis longitudinem & contra, necesse est, vt fiat magna mutatio: & hoc est clarum in comparatione mediæ regionis & Zonæ torridæ, sed in comparatione ad regionem quæ sub polo est contingit dubitatio, ratione enim longitudinis diei ac noctis maior fit varietas in frigidissima regione quàm in media: ratione frigoris perpetui, maior fit varietas in media. Propterea videtur accipere Hippocrates regionem temperatam, in qua est minor inæqualitas, & tamen cum calore, nam cum præponat Lybiam & Ægyptum, vbi homines sunt nigri suæ regioni, palam est quod per regionem temperatam intelligit magis æqualem, & tamen quæ non sit admodum calida. Illa ergo quæ erit frigidissima tum ob frigus tum ob maiorem inæqualitatem diei & noctis erit minus temperata quàm media, licet in media sit maior mutatio quàm in frigidissima ratione ergo finis, qui est vbertas, sanitas corporum & morum bonitas, media erit præstantior frigidissima, quod etiam ostendit dum reliquum Europæ præponit Scythiæ, liquet igitur quod primum loquutus est de Asia, inde de mediis inter Asiam & Europam, post de Scythis, vltimo loquetur de reliquis Europeis.

LECTIO LXXII.

Super eodem

TEXT. I.

Ratio sphæræ hoc expostulat, vt quanto Sol est propinquior æquinoctij circulo, eo maior fiat declinatio in dies, vt vides iuxta Arietis, initium & finem Libræ, contra quanto magis iuxta Tropicos Cancri aut Capricorni, eo minor suis augeatur siue minuatur: At contra quanto magis Sol iuxta Tropicos est tunc magis augentur dies aut noctes sub differentia æqualis declinationis, minimè verò iuxta æquinoctij circulum: adeo vt cum iuxta æquinoctij circulum maximè declinatio varietur, minimè tamen pro tanta varietate dies augeatur, minuaturve: iuxta Tropicos verò quamuis declinatio parum varietur, illius tamen habita ratione dies ac noctes variantur. Vtrisque autem simul comparatis plus facit ad magnitudinem diei ac noctis variandam Solis iuxta æquinoctium declinationis incrementum, quàm paruitas circulorum tropicorum in comparatione, ad æquinoctialem. Ex quo sequitur, quòd in Zona torrida magis variatur magnitudo dierum, dum Sol est sub æquinoctij circulo, quam cum est iuxta Tropicos, non simpliciter autem in aliis, nam in regionibus Scythiæ seu Slelocthe vrbe Islandiæ Insulæ, aut Stat ciuitate Noruegiæ, ad gradus scilicet LXVI. minuta XXX. altitudinis poli maxi-

♈		Sep.		♉		Sep.		♊		Sep.	
♎		Mer.		♏		Mer.	♐	♐		Mer.	
G	G	G	M	G	G	G	M	G	G	G	M
0	30	0	0	0	30	12	16	0	30	20	38
1	29	0	26	1	29	12	37	1	29	20	50
2	28	0	52	2	28	12	58	2	28	21	0
3	27	1	18	3	27	13	19	3	27	21	11
4	26	1	44	4	26	13	40	4	26	22	11
5	25	2	10	5	25	14	0	5	25	21	31
6	24	2	36	6	24	14	10	6	42	21	40
7	23	3	2	7	23	14	49	7	23	21	49
8	22	3	28	8	22	14	59	8	22	21	58
9	21	3	53	9	21	15	18	9	21	22	6
10	20	4	19	10	20	15	37	10	20	22	14
11	19	4	45	11	19	15	55	11	19	22	21
12	18	5	10	12	18	16	13	12	18	22	28
13	17	5	35	13	17	16	31	13	17	22	35
14	16	6	0	14	16	16	48	14	16	22	45
15	15	6	25	15	15	17	5	15	15	22	47
16	14	6	50	16	14	17	22	16	14	22	52
17	13	7	15	17	13	17	38	27	13	22	57
18	12	7	39	18	12	17	54	18	12	23	2
19	11	8	3	19	11	18	10	19	11	23	7
20	10	8	27	20	10	18	25	20	10	23	11
21	9	8	51	21	9	18	40	21	9	23	15
22	8	9	15	22	8	18	55	22	8	23	18
23	7	9	94	23	7	19	9	23	7	23	21
24	6	10	2	24	6	19	23	24	6	23	23
25	5	10	25	25	5	19	36	25	5	23	25
26	4	10	48	26	4	19	49	26	4	23	27
27	3	11	10	27	3	20	2	27	3	23	28
28	2	11	32	28	2	20	14	28	2	23	29
29	1	11	54	29	1	20	26	29	1	23	30
30	0	12	16	30	0	20	38	30	0	23	30
	♍	Sep.			♌	Sep.			♋	Sep.	
	♓	Mer.			♒	Mer.			♑	Mer.	

ma dies sub æstiuo solstitio est horarum XXIV. vt etiam nox sub Bruma, & ideo in LXVI. par. XXX. min. distantiæ ab æquinoctij circulo aucti sunt dies seu nox XII. tantum horis: & cum sub polo dies ac nox illis temporibus sint plusquam sex mensium, & hoc propter incrementum altitudinis poli XXIII. partium, XXX. minutorum, liquet quanto plus possit alibi inclinatio sphæræ ad varietatem longitudinis dierum & noctium motu Solis per declinationem ab Æquinoctij circulo.

Vt autem hoc totum recte intelligatur apponamus tabulam declinationem generalem, cuius vsus est duplex: primum vt intelligamus quantum variatur Solis propinquitas ex motu illius proprio. Exemplum circa æquinoctia variatur per vnam partem, & plus quarta in tribus diebus, & circa solstitia per vnam partem in diebus, XVIII. & circa media loca per vnam partem in V. diebus. Cum hoc habemus magnam mutationem occultam in plantis, vt pullulent vt crescant vt frondes & flores mittant aut amittant aut paruam. Ideò circa solstitia vix planta vlla viuit si seratur aut inoculetur seu inseratur, aut semine proiecto nasci debeat, cum enim non possit extendi nisi in XVIII. diebus antea putrescit & moritur. Alter vsus est, vt sciamus vltra partes LXVI. min. XXX. quanta sit maxima dies seu nox, veluti in S. Thoma, Zenobio quod est in Gronlandia partibus LXXIV. min. XXX. altitudinis poli Borealis, volo scire quantus sit dies sub solstitio, & quanta sit nox sub Bruma, detraho LXXIV. à XC. remanent XV. quæro XV. in tabula declinationis, inuenio XV. XVIII. & XV. XXXVII. sumo partem iuxta proportionem, erit è regione IX. XL. ♍ & XX. XX. ♒ numero, quot sint partes inter hæc puncta, & sunt partes C. minuta XL. & tanta erit nox, quia sumpsi signa Australia, si sumpsero Borealia, erunt puncta IX. XL. Tauri ex XX. XX. Leonis: quorum differentia est vt prius partium C. minutorum XL. & tantus erit dies scilicet maxima nox C. dierum naturalium, maxima dies C. dierum itidem naturalium. Hoc interest quòd cum absis Solis sit in initio Cancri, & oppositum absidis in initio Capricorni, partes illas C. ex XL. minuta in Borealibus signis, scilicet à Tauro ad Leonem perficiet in diebus CIII. naturalibus, id est horarum XXIV. pro singulis, & tantus est maximus dies, vbi nox autem maxima est dierum naturalium CI. tantum. Et ita in tota parte Boreali incipiendo ab æquinoctij circulo vsque ad polum dies vnius anni supersunt noctes eiusdem simul sumptas in horis XLVIII. vel circa: sed secundum Copernicum, multo minus superant, tamen dies artificiales, vt vocant noctes, & vltra æquinoctialem noctes superant dies tantundem. Constat igitur quod ex inclinatione sphæræ & orizontis in VIII. partibus, quibus distat S. Thomas Gronlandiæ, à Stat ciuitate Noruegiæ auctus est dies maximus per CII. dies aut saltem centum. Modo ponamus in Biarmia regione exemplum aliud, vbi polus eleuetur partibus LXXXIX. detraho à XC. relinquitur pars vna quam quæro in tabula, inuenio è regione secundæ partis Arietis ex XXVIII. Libræ minut. LII. è regione III. Arietis & XXVII. virginis Par. I. min. XVIII. sumpta parte iuxta rationem inueniemus II. partes & XIX. minuta Arietis & Virginis par. XXVII. min. XLI. quæ iunctæ efficiunt semper signi integrum, quod est XXX. partium, igitur cum à par. II. min. XIX. Arietis ad par. XXVII. min. XLI. Virginis intercedant partes CLXXXV. min. XXII. tantus erit dies maximus, scilicet dierum naturaliũ CLXXVIII. nox maxima CLXXVI. dierum naturalium: reliquum anni alternabit, velut apud nos, sub æquinoctiis singulis per VI. tantum dies, sed maioribus incrementis. Ex quo patet quod in vno gradu eleuationis, non fiet varietas nisi quatuor dierum, vel circa, & ita non secundum rationem eandem augebitur. Velut in altitudine poli LXIX. Partium cum tertia detraho ex CX. relinquuntur partium XX. minut. XL. è regione finis Tauri, & initij Leonis, & ita erit maior dies LXI. dierum, maxima nox LX. dierum. In paucioribus ergo partibus quam sint tres aucta est dies LX. diebus, & in partibus plusquã quinq; non est aucta dies nisi per XL. vel circa dies: igitur maxima varietas

GM	4.15	HM	12.15	1	GM	45.0	HM	15.30	14
GM	8.20	HM	12.30	2	GM	48.30	HM	16.0	15
GM	12.30	HMM	12.45	3	GM	51.40	HM	16.30	16
GM	16.30	H	13.0	4	GM	54.0	HM	17.0	17
GM	20.15	HM	13.15	5	GM	56.10	HM	17.30	18
GM	24.0	HM	13.30	6	GM	58.0	HM	18.0	19
GM	27.40	HM	13.45	7	GM	61.0	HM	19.0	20
GM	30.20	HM	14.0	8	GM	63.0	HM	20.0	21
GM	33.20	HM	14.15	9	GM	64.30	HM	21.0	22
GM	36.0	HM	14.30	10	GM	65.30	HM	22.0	23
GM	38.40	HM	14.45	11	GM	66.15	HM	23.0	24
GM	41.0	HM	15.0	12	GM	66.30	HM	24.0	25
GM	43.10	HM	15.15	13					

sic

fit ibi circa circulum Arcticum propter tarditatem motus Solis iuxta tropicos in comparatione ad declinationem, quia ante illum Horizon non continebatur sub torrida Zona.. Pro regionibus autem intermediis inter tropicos, & circulos brumales tam vltra quam citra æquinoctialem ratio magnitudinis dierum sufficiat ponere tabulam incrementi dierum seu noctium per declinationem ab æquinoctij circulo.

Fructus autem binus scientiæ est, quoniam vbi est magna varietas dierum atque noctium, ibi etiam est magna varietas naturæ hominum & morum & frugum, & cæteras plantarum & animalium quadrupedium & piscium, sed non tanta, & auium, sed & ipsa minor, hæ auolãt, illi non in aëre viuunt. Talis autem mutatio proculdubio erit, vt dictum est iuxta Stat Noruegiæ vrbem.

LECTIO LXXIV.

Super

TEXT. II. III. & IV.

HAbet autem eodem planè modo, quemadmodum & circa aliorum hominum terras accidit. Vbi enim tempora magnas mutationes faciunt & frequentissimas, illic & regio agrestis, & maximè inæqualis existit, inueniásque & montes plurimos & densos, itémque campos & prata. Vbi autem non valdè variant tempora illic æqualissima regio est, quod idem & de hominibus ipsis est intelligendum.

OStendit quod inæqualitas temporum in duobus consistit, in magnitudine & frequentia, ea autem producit inæqualitatem in terra, inquit: sunt enim ibi montes, & vbi montes ibi valles & campi & prata, quasi duorum generum, nam campi qui sunt pro segetibus, sunt minus humidi pratis, quia semina indigent coctione, non tanta herbæ. Et ideò non leui prouidentia qui orizam inuenit, quæ in vallibus & locis aqua refectis, imò in paludibus oriretur, nec parua laude dignus inuentor eiusmodi compendij. Genuensis fuit qui hoc in nostra patria docuit, cum enim proueniat id semen locis humidissimis, est tamen actu & facultate aridissimum. Quod autem dixit montes densos, potest intelligi de moribus, sed melius est vt intelligatur quòd quamuis plurimi sint, sunt etiam densi, id est magni, cum enim fuerint plures & magni, necessario erunt etiam densi: non si magni & pauci aut plurimi, sed parui. Erunt autem agrestes & inculti quia partim aridi, partim etiam syluis pleni: ob frigiditatem enim & siccitatem est magis natura montium apta ferre nemora, & ligneam materiam quam herbas. Etenim arbores sunt ficciores herbis, ideò melius proueniunt in locis siccis: & sunt robustiores, ideò melius resistunt frigori, tertio quoniam à ventis non adeò prosternuntur? hísque de causis omnibus melius proueniunt ligna in montibus, qui omnino aridi non sunt quam herbæ: & præsertim quàm ex natura segetum, cum etiam grana excuti soleant: desitque calor ad semina perficienda, & humidum est aquosius quam pro seminibus sit opportunum. Contraria ergo in regione quæ tempora non mutat, sed & hominum natura est huiusmodi: quoniam vbi regio agrestis coguntur homines exercere se plus iusto, & non bene nutriri, quare generatur in illis multa atra bilis, & ob id fiunt moribus agrestes. Vt enim è regione pugnat atra bilis cum sanguine, ita mores agrestium virorum cum ciuilibus. Atque hæc est prima causa, secunda quoniam non congregati possunt commodè, & cum paucis vnde destituuntur legibus, & non discere possunt mores ciuiles. Tertio quia ob solitudinem redduntur timidi, & timidi sunt agrestes, vnde animalium exanguium nullum mansuescit ob eam causam. Cum verò regio non habet mutationem temporum, vel prorsus fit inhabitabilis, vt in arenosa Libyæ, & montibus Noruegiæ, atque sic sermo de ea non est, aut si bona, oportet vt sit calida & humida, & tunc est duplex aut intemperata, & est fertilis sed insalubris, aut temperata, & tunc est & fertilis & salubris, & hæc est optima. Expedit autem dubitare circa hoc, quare terra fiat inæqualis ex temporum magna mutatione? & respondeo quod ob calorem vehementem cauatur terra, & à frigore congelatur, & fiunt saxa, & ita montes ac valles & plana. Sed dicet quis sub Borea sunt plures montes, & in Libya, quam in temperatis regionibus. Aristoteles (14. Probl. 1.) etiam feritatem tribuit nimio calori aut frigori, non temporum mutationi. Et ideo qui solùm ad verba respiciunt, in magnos incidunt errores. Dico ergo, quod Hippocrates vult, vt intelligamus regionem esse intemperatam, vel ob qualitatem, vel ob mutationes, vel ob vtrunque, nam temperata est quæ vtroque incommodo caret. At de montibus in feruidis regionibus censendum est, quod calore dissoluente humidum à noctis frigore cogitur in lapidem, inde cauata reliqua parte prodeunt montes. Imò montes magis abundant in regionibus calidissimis ac frigidissimis quam mediocribus, velut aliàs dixi de Imao, Causaco & Athlante, sed magnitudine etiam Taurus in Asia insignis est, & in Peru Indiæ, sed Olympus nomen ab altitudine sortitus, & Athos in teredia regione sunt. Ideò non debemus diuagari à litera, ne fortè incidamus in errores: dicimus ergo magnas varietates sequi ob talium regionum situm, quàm situm ob varietates (reliqua enim disputatio ad libros de Arcanis æternitatis pertinet) cuius demonstratio est, nam vbi adsunt montes densi, colligitur calor tempore æstatis, & hyemis tempore ob saxorum frigiditatem & vmbram montium & ventorum vehementiam, & frequentiam frigus: & similiter niues, pluuiæ, & eiusmodi, igitur talis regio habebit tempora inæqualia, & erit intemperata. Præterea qui habitabunt in montibus, erunt frigidi & sicci: & qui in vallibus calidi & humidi, & qui in pratis

pratis & campis, multis ventis agitabuntur ideo regio hæc inæqualis erit, sed difficultatem hoc habet ex sequenti Textu, cum dicit:

TEXT. III.

SI quis enim recte consideret, videbit quorundam naturam montibus syluosis, ac aqua carentibus similem esse, aliorum verò aquosa ac exilia loca referre, sicut quidam pratorum ac paludum naturam præ se ferunt, atque alij quorum planitiebus nudísque ac siccis terris constitutio similis existit. Tempora enim quæ formarum natura variant sunt diuersa: cum ergo inter sese sint maximè diuersa, varias & multiplices formas producunt.

COmparat naturam hominum, naturæ locorum, eámque quadruplici exemplo ostendit. Dicit enim quod quorundam hominum natura est similis montanis, syluosis atque asperis locis, atque ita de aliis, videndum est igitur qualis sit hæc comparatio quæ è prima fronte absurda videtur. Dicam autem quæ Alemanus scribit, hoc ipso mihi fœlicior, quod in quo alij tristantur & dolent, ego lætor cum laudare hominem plenè possum: vt contra inuitus cogor malè dicta damnare, si in quempiam impegerim, quæ ob nominis celebritatem præterire non possum. Verba igitur eius sunt. Homines incultis moribus atque horrendo aspectu referunt naturam montanorum, syluosorum & asperorum locorum, quòd si montes sint à parte orientis & septentrionis erunt morbosi, effæminati, si verò regio his partibus sit exposita montes verò sint ab occidente & meridie, erunt incolumes, viribus firmi, armis dediti, feroces, artium minutarum contemptores, Homines molles, mites, redolent aquosa & exilia loca, qui sæpe diuites, compti artiúmque cultores, somnolenti, pratorum & paludum naturam præ se ferũt. Arenosa regio facit robustiores, homines sanos, industrios. Argilla facit opulentiores sed infirmiores. Vbi verò opulentia, ibi mores sunt mitiores, & cultus artium viget propter præmia. Qui habitant in planitie magis equitant, qui verò in montibus agiliores & firmiores. Habitantes in regionibus insalubribus sunt imbecilliores minus fortes, minus crudeles, misericordes, astuti, fallaces, laboriosi, auari, verbis blandi. Regionem vocat planam nudam, quæ lucis & arboribus condita & obsepta non est, quam qui incolunt parui sunt & flaui, animo rigido & contumaci. Tempora enim & aër diuersus formarum naturam variant, & mores facile immutant. Frigentibus locis præstant corpora moderatis & calidis excellunt ingenia inquit Aristoteles. Demiror sanè Galenum non solum suorum temporum viros, sed neque antiquorum vllum inuenisse, cuius in exponendo dicta probare posset? Sed iam duas quæstiones soluere expedit, quorum vna iam proposita est, sine altera nihil agere licet. Propositum est quomodo ex temporum mutationibus regiones varientur, vtque inæquales euadant. Dicimúsque tempora mutari, vel ob cœlum vel situm: ob cœlum quia vel dies longior æstate vel nox hyeme. Quid hoc? si dies æstate terra plana exeditur, hyeme nox, fiunt montes: quicquid enim decedit vni parti exaggeratum per aquas & decliuem situm acquiritur alteri & congelatur. Latet hoc rudes & indoctos, & in breui temporis spatio, sed non in multis annis, & Hippocratem latere potuit, si ex terra ob ventorum naturam & situm loci, itaque montes fiunt aut arena aut campi paludesve, vt licet experimento videre, aliis enim influit mare, aliis flumen ingens retinetur, ita & de aliis hæc nota, quorum affectus breui succedunt, illa latent, quoniam tardius perficiuntur. Alterum est, quomodo locorum naturis hominum qualitates assimilari possint: vt homines paludosi, syluosi arenosique inueniantur? hoc quidem verum est, sed qualiter interpretari conueniat non adeò pronum. Id tamen ex hoc pendet, quod effigies proportione quadam respondent, non quod ita sint. Videmus enim homines in nemoribus educatos capillis longis, facie longa, taciturnos laceris vestibus, mœstos & obscuros calore atque aspectu. Montanos autem rigidos, duros, contumaces, alacriores tamen, nihil curantes. In paludibus ignauos, mali habitus & coloris, ægros in arena siccos, leues terreos totos. Et si quos quod sine medio facit Hippocrates, cum medio comparet animantium iam res clara habebitur, rana terrestris si inter terram humidam, & hominem in regione habitantem humida, non tamen in qua aqua dominetur, & vmbrosa tamen collocetur facile hominis naturam declarabit, ipsa autem sui ipsius per terram aut penu viuarium vel terram vmbrosam atque maceriem.

TEXT. IV.

POrrò quæ parum inter se differunt gentes relinquam. Quæ autem plurimum non natura solum, sed & legibus discrepant de illis referam quomodo habent.

ARtes bifariam diuiduntur, quædam sunt speciales, vt Geometria, Arithmetica, Musica, Astrologia, coriaria, & pleræque mechanicæ vocatæ: quædam generales, vt Grammatica, Iurisprudentia, pictura, sculptura, cælatura, architectura, è quarum numero est medicina. In huiusmodi enim artibus est necessarium aliquid de omni scientia accipere: velut Grammaticus nomina debet scire instrumentorum fabrilium, & partes horologij & militiæ necessaria, & Astrologorum tractationis, & musicæ instrumenta, & rei rusticæ, tamen eatenus vsque. Vnde Vitruuius (libro 1. capit. 1.) primus post

Rythium

Rythium inquit: Non enim debet nec potest esse Architectus Grammaticus, vt fuit Aristarchus, sed non Agrammatos: nec musicus vt Aristoxenus, sed non amusos: nec pictor vt Appelles sed graphidos non imperitus: nec plastes quemadmodum Mizon aut Polycletus, sed rationis plasticæ non ignarus: nec denuo medicus vt Hippocrates, sed non Aniatrologetos, nec in cæteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus. Quod officium adeò pulchrè in Grammatica præstitit Priscianus, vt cum illius legis institutiones, & Philosophiam & Historiam & Rhetoricam nullámque non artium legere videaris. Cum ergo hæc quæ hic scribuntur, partim ad naturalem Philosophum & magis Geographum aut Corographum spectent hic medico generalia, & magis diffidentia agnouisse sufficiat quatenus ad medicinam scilicet pertinent.

LECTIO LXXIV.

Super

TEXT. V.

AC primum omnium de Macrocephalis, cum nulla omnino alia gens sit quæ similia capita habeat. A principio quidem consuetudo in causa fuit, vt tam longis capitibus essent. Nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspiratur. Si quidem generosissimum apud eos putant caput habere, quam maximè longum, consuetudinis autem hoc initium fuit. Cum recens infans natus est, capût eius adhuc tenerum ac molle existens quam celerrimè constringunt manibus captantes cogunt in longitudinem augeri: quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. Ea consuetudo tantum effecit, vt eiusmodi natura capitum existeret. Temporis verò progressu natura quoque tales produxit, vt non esset necesse consuetudine priore cogere.

THemiscyra Regio (In prima Asiæ Tabula longit. 66. $\frac{1}{3}$ lat. 43. $\frac{1}{3}$) est atque cum ea vrbs in littore Ponti Euxini Cappadociæ Prouinciæ, inter Isim & Thermodonta fluuios: In ea gens Macrocephali (inquit Plinius lib. 6. cap. 4.) oppidum Cerasus, portus Cordulæ, ab oriente Scordisci montes, ab occidente Galatia. In eo verò tractu littoris Ponti fuisse Macrocephalos, narrat C. Rhodiginus decimoseptimo historiæ antiquæ lib. (cap. 3.) inde etiam Macronem dictam gentem, Coloniam olim ex Eubœa insula deductam. Suidas quoque ex septimo libro historiæ rerum Troianorum Palephari scribit, Macrocephalorum gentem habitasse supra Colchos: dicit in Libya (in secunda Asiæ Tabula,) sed legi debet Hyberia, quæ Colchidi ab oriente adiacet. Colchis enim maritima regio est ad Pontum conuersa, Coracem à septentrione montem habens, quamuis non parum distet à Themiscyra, quæ in Ponti littore est australi. Pomponius Mela loquens (lib. 1. cap. 21. post principium,) de gente Chalybeorum, deinde minus fieri ne cùm & hi inconditis moribus Macrocephali, Dischari, Buxeri, raræ vrbes Cerasus & Trapezus maximè illustres. Constat autem ratio cum priori, nam Trapezus in eodem maris littore cum Themiscyra posita est. Chalybes aut Paphlagoniæ populi. Sed Them scyrum oppidum iuxta Themodontem campum, qui Hali fluuio adiacet ponit. Vt in Chalybarum regione sit constitutum, non ergo à Paphlagonibus alienum erit. Vtcunque sit in maritima Ponti, & inter Cappadociam & Paphlagoniam, ac iuxta castra Amazonum, qui ex Scythia per paludem Mæotim & Pontum nauigauere omnium ferme consensu fuere Machrocephali. Bizares Discheri, id est inconditis moribus dicti, nunc etiam tales homines Bizares dicimus, cum vero hi populi in parallelo sint qui per Italiæ medium transit, sed orientales tantum, liquet quantum situs & multo magis institutio & leges possint.

Sed cum reliqua clara sint, vt expositione non indigeant hoc solum dubium relinquitur, quomodo in informem figuram semine producta degenerare possint. Palam enim est ex Galeno (libro Artis Medicæ cap. 11.) quòd optima capitis forma est: Veluti si excogitares sphæram exquisitè rotundam ex cera constructam leniter vtrinque depressam. In hac enim necesse est vt posteriores prioresque partes magis gibbæ fiant, quam sphæræ conueniat, quæ verò vtrinque consistunt magis rete. Improbat autem ibidem caput in quo ea additamenta deficiunt, nisi robustas habeat operationes & orta secundum illam partem Capitum horum figuram fastigiatorum seu Ροτῶν dicit, nomine appellat Hippocrates (9. de Vsu Par. cap. 17.) quorum tres sunt species, vel cum anterior apophisis tantum adest, vel cum posterior sola, istæ duæ cum capite in quo sunt vtroque naturales esse possunt, at vt neutra adsit, & id esse potest modo tum vt rotundum sit ab anteriore parte ad posteriorem, æquale ei quod est à latere ad latas spatio, vt sit quarta figura seu capitum fastigiatorum, & quinta omnes connumerando excogitari mente quidem potest, à natura fieri non potest: vt vtraque sublata apophyside latius sit caput à dextro latere in sinistrum quam ab ante retro. Hanc tamen licet raro admodum, & vt monstrosam visam referunt, vt in Commentariis Artis Medicæ docuimus. In vniuersum mola vt qualecunque sit caput, & cuiusuis figuræ plus sit à parte anteriore in posteriorem spatij quam à latere in latus. Hoc igitur à parte anteriore in posteriorem vocat Galenus capitis longitudinem, à dextro in sinistrum latitudinem. At Hippocrates Macrocephalos

hic non sic intelligit, sed fastigio capite, & in acutum tendente, & alto atque oblongo. Et si sunt quorum meminit in sexto Epidemiorum (Par. 1. Tex. 3.) dicens: Acutum habentes caput, si quidem valida ceruice fiet & aliis robusti sunt. Vbi Galenus ait, verùm acuta capita (nam & ex his quædam non esse improbanda affirmauimus) optima figura aliquantulum permutata fieri dicimus. Et paulò post docet, quòd tales homines sunt robusti, vt dubium non sit de his intelligere Hippocratem vtque bona sit, sed tamen non esse optimam quæ fastigiata sit. Dubium est ergo, quomodo possit per hanc vim adhibitam, forma succedentium variari. Atque id dubium est duplex, primum quia oportet semen non à testibus solis, neque à principalibus membris decidi, sed à singulis membris, de quo actum est in tertio Contradicentium, aliud est maius, quod non videretur formari corpus ab illa virtute, quam toties prædicat Galenus præcipuè in secundo de Temperamentis, (cap. 6. circa medium,) & in libro (cap. 6. in fine,) de Fœtuum formatione, vbi quasi hanc mouet dubitationem. Videtur enim simile potius à simili generari, nec vlla nisi similitudinis obseruatione opus esse sapientia. Propterea dico quod simile à simili generetur, quia forma illa & si materia careat, vtile tamen principio à materia sumpto, velut tonsor nouacula. Vt sit prima fabrica à mente, quæ autem succedunt à similitudine. Et si dicas quod non est prius atque posterius cum sit ab æterno, igitur semper operabitur anima aut nunquam: si semper, igitur materia nihil proderit ad constructionem: præsertim quod materia quæ deciditur cum sit semen, & res liquida non potest esse vitiata in figura: sinúmque igitur fiet forma solum à similitudine, atque ita non poterit reddi ratio vsus partium. Propterea dico quod forma prius operatur, & hoc ab æterno & ante, quia generaliter vt omnia incorporea in materiam: materia imbuta vi incorporea, vt est in hac parte, vel illa generat sibi simile in actu, quale est in potentia. Et quod hæc est eadem difficultas cum illa, cur filij parentibus assimilentur, quoniam neque illi perfecti sunt, nec vnus inter mille, siue ergo casu seu arte degenerauerint nihil refert. Eadem ergo cum sit ratio de vno quæ de alio, constat, quod filij assimilantur patri, quia semen est validius per se: matri autem quia semen deductum à patre ad vim actiuam est validius in matre. Operatur ergo semen secundum rectam vim, quæ est ab immateriali principio, sed cupit in genere assimilari formæ speciei, propriè autem materiei in qua est: quia forma quæ est principium, est absque materia: quæ verò agit pro hoc homine generando est forma in materia, quia etiam concurrit vt materia, vt etiam dicunt medici. Veluti forma in graui est, vt recta descendat ad imum: quia tamen illa forma non operatur nisi per materiam, si illa fit circumscripta, ab obliquo mouebitur per obliquum, velut aqua per riuulum, nam & illa vellet descendere rectè ad centrum, & nemo sapiens hoc non animaduertit, vt cum in materia est, & non solum in illa, sed illa circumscripta est, etiam ab alia materia mouetur recta quidem à principio incorporeo, & non vitiato ad centrum: tamen motus ille est fermè æquidistans centro tum propter materiam, in qua est principium, quòd est natura, tum magis illud à quo circumscribitur. Dicemus igitur quod principium primum generationis hominis est natura, quæ est forma animæ & vitæ impressa in materia medio caloris naturalis. Et sicut forma sigilli recipitur non sub forma cunei simpliciter, sed vt in materia cera molli, dura argilla, gypse, marmore, ligno, ferro, auro, ita & hæc. Ergo neque anima vitiata est, neque materia est causa vitij in generatione hominis, sed natura quæ vitiata est propter materiam, id est membrum in generatione seminis, & post vitiat opus ipsam non semen. Vtrumque igitur est vitiatum semen, & membrum ideo vtriusque natura quia non recipit, vt nec mel aut cera cruda sigilli speciem delineatam, atque ideò nec eam reddere potest. Cum ergo non vitiatur membrum arte vel casu res ad optimam formam reducitur ab anima, principio incorporeo non errante. Cum ergo materia non recipit vitiatur principium corporeum qualecunque sit, seu natura seu calor solis, seu vita, sicut: si sol debilis generaret vermem, quia materia non reciperet perfectam vim solis, ille vermis alium vermem debilem generaret: si materia melior fieret, & vt calorem solis melius reciperet meliorem vermem. Incorporea enim virtus non potest agere sine corporea. Ergo quomodo aget prima virtus incorporea? vtpote anima si agit per vitam, quomodo vitam inducit? Si per naturam, quomodo naturam in corpore efficit? Eadem enim videtur esse dubitatio? Quapropter dicendum, quod natura intelligendo eam, vt est principium motus in elementis in animatis est prior, quia manent primæ qualitates, & grauitas in misto, & est ab anima mundi, & elementa sunt principum solum passiuum in generatione, & hoc est manifestum, postmodum. Vita verò est primum in tempore quo ad generationem seminis, sed semen non videtur viuere, igitur calor cœlestis est prior, quia hic est in semine, & quia calor non est corpus, sed res corporea, ergo ille recipit impressionem ab anima, velut corpus cœleste ab anima, vt fiat ei natura, & non vt agat in corpus cœleste: & statim natura agit mouendo corpus, & ideò per vitam mouetur cœlum, & semen ad generationem, & calor ille variatur ex materia, in qua susceptus est non meritò animæ nisi in specie, calor igitur vt genus suscipit formam, cuiusuis animati ab anima mundi, aut singulis animabus, & principium generandi animatum, & vt est calor addictus huic materiæ speciem animæ hominis aut asini aut plantæ, & principium generandi hoc animatum, & vt est in hac materia principium generandi hoc animatum: & ideò simile ei quod generat, & est calor cum animæ specie impressa & materia, & ideò corpus tenue totam quod agit assimilando toti, id est corpori: & non ab initio, sed iuxta id quod etiam patitur: & est crassior pars seminum masculini & fœminini, &

est

est vt vas quod recipit ab initio mutationem, ideò totum necessario fit simile illi materiæ secundum figuram vitiatam: & non est vitium vllum, neque in anima, neque in calore, neque in primo subiecto, quod est calor scilicet corpus tenue seu spiritus seminis, sed in parte crassa solum seminis quæ extenditur, vt sub delineamentis patris aut matris à calore animato, qui extendit solum cum proportione speciei & delineamentis ac figura conuenienti illi: atque ideò optima & perfecta. Error ergo est solum ex corpulentia quæ recipit, velut si optimus plastes ex luto inelaborato fingeret hominis imaginem, aut in vase informi ei præparato. Et in animalibus quæ ex putri materia generantur, cum fit calor instrumentum animæ secundum speciem quæ præparauit illud loco seminis, non ab anima connexa parentum, sed connexa præparationi partis illius idem omnino accidit. Quærere autem de differentia præparationis huius ad tractationem aliam pertinet, (4. scilicet librum Theognosti,) & virtus incorporea licet sit infinita, & ideò contrarium non habet, est tamen quod non recipit velut lutum lumen. Differt autem à corporea, quia corporea aucta operatur vt calor in ferro, lux autem quantumuis magna non magis lutum intus illuminat quam exigua. Ideo non valet, hoc est infinitum ergo omnia potest.

LECTIO LXXV.

Super

TEXT. VI. & VII.

QVum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiatque vt ex caluis calui gignantur, & cæsiis cæsij, & vt plurimum distortus distortum generat, eadémque ratio sit circa reliquas formas. Quid prohiberet vt non ex macrocephalis macrocephali gignerentur. Nunc autem non nascuntur ita magnis capitibus quemadmodum prius, cum consuetudo non amplius duret per incuriam hominum intercepta, & de his quidem hæc mea est sententia.

HOc totum est clarum ex contradictione adducta, & hoc est manifestius in intemperie quam in aliis, siquidem frigidi ventriculo & calidi iecore sibi similes generant, scilicet ventriculo frigidos, iecore calidos. Secundo in forma calui caluos, vt dicit in littera, cæsij cæsios, distorti distortos plerunque non semper. Tertio in morbis qui sunt podagrici, aut qui nondum sunt cum generant, paulo post autem futuri sunt podagrici, & laboraturi eo morbo grauiter, aut attonito, aut cæcitate, aut surditate, vel hydrope aut morbo regio, his qui ab eis generantur, imminent tales morbi: vt etiam casus dentium & phthoe. Quidam verò fermè semper, vt contagiosi quales impetigo, vitiligo, lepra, elephantiasis, vix enim quisquam ex filiis euadit, vt etiam in lue Indica. Duo ergo supersunt, primum vt declarẽ conclusionem contradictione id est sensum huius loci: secundum cur & quando ex claudis claudi generantur. Et circa hoc etiam an claudi ex vulnere absciso pede (non de aliis quibus est solum læsio, in neruo nulla est dubitatio, nascuntur enim integri) generent claudos. Dico igitur quod semen potest intelligi, vel vt colliquamen totius corporis, aut excrementum aut neutrum, sed sanguis purus transmutatus à testibus in eam naturam. Aristoteles sentit esse excrementum, tribuit autem Hippocrati, quem veterum nomine comprehendit, quod censuerit esse colliquamen, at hoc si quis neget forsan Hippocrati inustam falso notam iure tollet. Est ergo alimenti vltimi, vtile excrementum iuxta illum & Hippocratem, qui quia non dixit tanquam secus dixerit iniustè coarguitur (1. de Con. anim. cap. 19.) Causam verò similitudinis esse censet, quòd velut in tectorio opere aliquid decidit, ita etiam aliquid cum excremento deciditur alimenti, & tunc vitiosa ex vitiosis nascuntur, alterno: Ideo quod vltimum alimentum idem est, cum primo excremento & verba illa. (Idem enim vltimum excrementum cum primo excremento est) sic legi debent (idem enim vltimum alimentum) ob id ergo habemus cur mutili aliquando ex mutilis, aliquando integri oriantur. In violentiori enim concubitu magis fiunt similes, neque est excrementum purum cum sit sanguini admistum, sed à toto membro quicquid deciditur, quod secundum formam tale est, materia autem sanguinis vterque sed præcipuè arterialis. Qui ergo claudi sunt, alij contracto vitio ex ventre matris, aut in infantia nuper nati aliquo casu fiunt, tum conformati in naturalem modum, sed alienum naturæ membri hoc efficere possunt, vt scilicet infantes trahant vitium, quoniam iam forma membri similitudinem incremento parit, vt longè post ortum claudi, claudos non efficiunt, quoniam forma illa non est tanquam naturalis, multo minus si leuis sit, & sine incremento & diminutione partis, velut contracto modicè neruo. Apparet igitur Aristotelem coactum esse à veritate, vt in Hippocratis sententiam descenderet. Hac autem in parte cum rationes Aristotelis Alemanus ex nostris contradictionibus deprompsisset dissimulato nomine eam sibi sagacitatem ascripsit, ita sumus omnes adeò gloriæ auidi.

TEXT. VII.

DE illis autem qui Phasim accolunt adiiciam. Regio eorum palustris est, calida, aquosa & densa, imbrésque in eam decidunt omnibus temporibus,

temporibus, & magni & impetuosi. Homines verò ipsi vitam agunt in paludibus domósque ligneas & ex arundinibus in ipsis aquis habent extructas: neque multum inde prodeunt, vt adeant vel emporia vel vrbes, verum nauiculis ex vno ligno fabrefactis, permeant sursum ac deorsum: habent enim fossas ac ductus aquarum plurimos.

CLarissimúsque Ponti Phasis, dicebat Plinius (libro 6. cap. 4.) ideò de his mentionem fecit Hippocrates de hoc flumine. Strabo inquit (lib. 11.) de Colchide regione loquens: Hanc Phasis illabitur ingens flumen, quod ortum ex Armenia ducens, Glaucum in se recipit atque Hippum ex vicinis montibus cadentes. Nauigatur autem vsque ad Sarapanos, quæ munitio vrbis habitatores recipere posset. Ex ea pedestri itinere curribus vecti, quatriduo in Cyrum proficiscuntur. Ad Phasim vrbs iacet eiusdem nominis. Colchorum emporium quòd ex alia parte amni procingitur ex alia lacu ex alia mari. Hinc biduo triduove Amisum Sinopem nauigatur. Hæc littora & fluminis ostia amœnissima sunt, regio fructibus, & omnibus quæ ad fabricandas naues pertinent opportuna, nam multa producit ac fluminibus deffert. Mel tamen frequentius amarum est, sed præcipuè linum, canabem, ceram ac picem gignit, linificium quidem vulgatum est, nam & in peregrina exportatur loca. Vnde quidam cognationem Colchorum cum Ægyptiis ostendere volentes fidem ex iis captant. Ab hac gente seu flumine Phasianus dictus est, auis locupletum mensis familiaris.

Regio eorum palustris est.] Hoc est maius quam si dicat paludem habet vicinam, totam enim palustrem esse vult: hoc ad magnitudinem effectus pertinet. Sed cum palustrem dicat aquam docet esse immobilem. Post subiicit calida. Declarat, non adiicit calida, aquosa & densa. Palustris aquosa est densa plantis, non eadem omnibus displicent, paludibus proueniunt plantæ, & maximè certi generis, præcipuè salix, populus, culnus, ex herbis plantabo, coronopus, scordion, ranumculus, sphondylium, eleoselinum, pentaphilon, verbena, tussilago, Hydropiper, cyperus, typha, iuncus, nymphea, lotos, colocasia, oriza, tribulus, oleander, adianthum, & multæ aliæ, his densa fit species loci, & calida, tum ob vapores assiduos qui ex putredine quadam cœni ascendunt, tum ob impedimentum ventorum: sed dices, cur valida est regio, cum sit potius tecta à meridie (3. Asiæ Tabula.) Mosthicis montibus, ab oriente Molthicis, quam à septentrione vel occidente? Dico quod vt à Ptolemæo colligitur (2. Asiæ Tabula.) Colchis regio cuius pars meridiei exposita est, Phasiana contegitur à septentrione Corace monte, ab occidente palus adest Mæoticæ.

Imbrésque in eam decidunt.] Ponit tria, magnos imbres, & magno cum impetu, & omni tempore, & trifariam hoc causam habere potest, seu vt paludosa sit quia imbrifera: seu imbrifera quia paludosa, seu vt neutrum sit, sed annexum alterum alteri. Ex mari multos imbres, ex arida nullos generari, constat: igitur ex paludibus etiam generabuntur, & maximè propinqua maxima alia palude Mæotidæ. Sol etiam tepidus qui eleuat & non spargit, causa est, facilius etiam est dicere quod talia fiunt generaliter quam in hoc loco, nisi locum eum diligenter perspexerit. Ergo quod pluuiæ faciant, aut conseruent paludes, paludes vicissim pluuias, iam puto exemplo mauis declaratum esse ab Aristotele, & authoritate confirmatum, & ratione qua constant, (2. Metheororum cap. 2. & 3. iuxta finem.) Quod verò paludes sub montibus consistant & illud paulò ante. (1. Metheororum cap. 14. (Iam paludes non consistunt vbi defluxus locum habeant, velut inter montes vbi vallis adiaceat, coguntur enim in riuos aut torrentes fossis excauatis, vt in Ægypto paludes Nili, & in Italia, vnde multi magnas opes exiguo labore sibi parauerunt: nec vlla res ad opes honestè parandas promptior quàm siccare paludes præcipuè syluosas: nam sunt quædam aridæ atque maleficæ, vbi siccatæ fuerint, aut siccis locis inducere aquas, vel in montibus inuenisse metalla: præcipuè argentum quod frequentius contingit quàm de auro, præsertim in Europa, & plus valet cæteris metallis dico auro excepto. Cum ergo paludosa sint quæ circa Phasim, nil mirum sit adesse pluuias, & ob pluuias manere paludes & locum fluminis regione esse elatiorem, aliter effunderetur omnis aqua breui in Mæotidem paludem, ex illa in Pontum, ex Ponto in Ægeum mare, ex Ægeo in Siculum, quod est profundius, ex Siculo in Sardoum & Tyrrhenicum, quæ sunt profundissima, aliæ autem altiora, vt habetur secundo Metheororum. Recitat autem Polybius (cap. 1.) sua ætate Mæotidem paludem iam concreuisse vt vix nauigia admitteret aquámque penè dulcem, vt quæ in Ponto Euxino media fit tanto dulcior ea quæ nostri maris quanto paludis salsa magis. Sed & idem author Pharum Siciliæ iuxta Rhegium MD, passibus distare, nunc videtur Pharum Rhegio non è regione esse distaréque pass. M. vtrinque, mare autem Tabachum, quod olim Pontus Euxinus vocabatur, insulam vnicam habebat quam Heroum seu Achillis appellabant, teste Tyrio Philosopho (Quæst. 27.) è regione Istri, vt nunc plures sunt in eo iam insulæ. In palude autem olim vna insula quæ dicebatur Alopecia, forsan à vulpium copia vel forma ipsius, verùm nunc tota referta est insulis, quanquam paruis cum illa vna magna esset: sed tamen hæ multitudine superant illius magnitudinem, vt videatur terra inclinari, seu motu quodam simili stellarum, & tardo admodum, seu quod fit vt in aqua sphæra reuoluatur, id tamen minus verisimile: seu absumptis ab aqua & calore terris inde ex aduerso restitutis ob absidum motum, & si concentrici sint orbes ob longiorem moram & Solis & Planetarum in vna medietate signiferi quàm in alia. Ex his autem constat.

Italiam

Italiam intra V.M. annorum ſpacium mari mergendam, qua parte magna Græcia eſt. Hæc ad aërem tranſit modo ad homines.

Homines verò ipſi vitam agunt.] Hæc eſt ſecunda pars ex quatuor quibus probat vitam illorum eſſe quo ad ſanitatem miſerrimam deducta ab habitatione & exercitatione: nam vehuntur ſolum nauiculis, & fraudantur commodo exercitationis quod eſt multiplex. Intereſt autem ſcire quid ſit exercitatio, ſecunda igitur de Tuenda ſanitate, dicit exercitationem eſſe motum, quo reſpiratio mutatur: eum, laborem ſolet Hippocrates appellare: cuius ibi enarrat tria commoda, membrorum duritiem, caloris incrementum, ſpiritus concitatiorem motum, ex quibus multa alia bona proueniunt, non ergo in nauiculis illis exercentur, tametſi aliquo modo corpus turbetur, vt quarta Aphoriſmorum (14.) & aëri nouo occurrant exhilareturque mens & viſus, dicebat igitur quod exercitatio confert vtentibus lentis & craſſis cibis, non tamen à cibo per accidens (primo de Aliment. Iac. capit. 2.) & in malis cibis conciliando longos & profundos ſomnos, quibus cibi concoquuntur. Propterea dicebat in libro (capite 3.) de Cibis boni & mali ſucci. Qui commodum non habent vt ſe exerceant, abſtinere debent ab omnibus cibis lenti & craſſi ſucci, neque etiam vrbani, id eſt homines qui ciuilem vitam agunt, quoniam facile in dextri hypochondrij grauitatem aut ſaltem tenſionem incidunt, nihil ergo peius, quod cum illi viri vix vitare poſſent, conſtat inſida valetudine ſemper vſos, quanquam in hoc vt moderatam & æqualem & nullius ſumptus, aut curæ laudauerit exercitationem paruæ pilæ, ego prætulerim longè tum quod etiam decentior ſit atque honeſtior illa quæ fit cum ſphærulis ex abaco cum phiteris, ſe teniis, & ferreis circulis, de quibus alias etiam locutus ſum, (capite 2.) Dicebat in libro de Conſuetudinibus, (capite 4.) ſingula membra fiunt ſolidiora & robuſtiora quæ exercentur, (Idem ſecunda Aphoriſmorum 49. de Singulis partibus) nec ſolum membra robuſtiora euadunt, ſed & mens & animi vires, vt de memoria, ingenio, imaginandi vi, ratione, cogitatione, iudicio, quod etiam intelligendum eſt de ſenſibus ipſis viſu, auditu, olfactu, guſtu: ſi enim exerceantur fiunt acutiores & meliores. Specialiter autem docet primo de Tuenda ſanitate (capite 8.) qui nam motus cuique infanti expediat. Dicit ergo vbi primum obrepere cœperint, id eſt poſt quadraginta dies plerunque cunis & vlnis non ante ſunt exercendi: à tertio & quarto anno ventriculis & nauigio modicè: à ſeptimo etiam autem equitatione. Dicit vis videre quanta ſit cognatio naturæ noſtræ cum exercitiis, concludе pueros loco aliquo, diſcurrent ac laſciuient, pullorum & vitulorum ritu, quanto magis ergo iuuenibus de quibus dubium non eſt. Senibus magis etiam expedirent ob excrementa multa, ſed neque ferunt ob imbecillitatem, & nocent eis ob ſiccitatem, ob hæc iubet contentos eſſe (libro ſecundo capite duodecimo,) inambulatione & geſtatione, multos etiam qui vrgebantur morbis in quibuſdam particulis ob earum imbecillitatem, (libro quinto capite 3.) gymnaſticæ artis ope reſtituimus ſanitati atque robori. Iamdudum verò docuerat (cap. 10.) quænam ſint robuſtæ exercitationes tum mediocres, & robuſtam quidem diuiſerat in validam ac celerem: robuſta quidem ſecurior, celer ſi moderata ſit vtilior: ita nil ex quaque parte beatum. Obſeruandum autem quod omnia ad mediocritatem comparari debent, vbi ſalus ſolùm pro ſcopo, vbi robur ad validas ac celeres tranſeundum, atque in his etiam mediocritas quædam ſeruanda eſt, vt in tertio docet, (capite 1.) Semper autem memor eſto melius vbi delinquene in alterutro verearis eſſe, per metam debitam ſubſiſtere quam vlterius progredi. Sunt præterea duo genera exercitationis ſeorſum & propria, quorum meminit (capit. 11.) ibidem, Apotherapiâ, & Præparatoria, quæ non ob celeritatem & vehementiam calorem excitat, ſed habitum etiam conſtringit. Oſtendit autem vt in quinto libro cap. 3.) vbi ſupra citauimus, quod celer exercitatio corpus tenuat, tarda craſſum reddit, multa ſiccum, mediocris autem obeſum. Dicit ergo (capit. 11.) quod ſi per exercitationem intelligamus ſolùm veram exercitationem, id eſt motum validum, quod illa non eſt neceſſaria cuique, vt dictum eſt de ſenibus, ſed ſi quemuis motum, quòd eſt neceſſaria cuique: & probat etiam exemplo eorum qui vincti ſunt in carcere: licet enim aliquandiu poſſint reſiſtere per victus moderationem, tamen tandem ægrotant. Dico non tam ob hoc, quam ob aëris corruptionem, nam conſtat multos eremitas ſine exercitatione ad extremam ſenectutem vixiſſe, modo habuerint liberum aërem. Dicebat in ſexto de Vulgaribus morbis (Comment. 2.) exercitationis proprium eſt calorem naturalem duobus motibus meliorem reddere, vt per ſe illius ſubſtantia accendatur, & vt copioſiorem aërem trahendo ventiletur, expurgetur ac refrigeretur. Dicebat in tertio de Articulis (Comment. 81.) nerui & fibræ pleniores non ſolum robuſtiores euadunt, ſed etiam pleniores ab exercitatione, carnes autem extenuantur: at ab ocio carnes quidem pleniores euadunt, ſed fibræ non ſolum molliores, ſed magis exiles euadunt, quanquam hoc non addat. Verum dicit caro muſculorum in non exercitatis ſimilis eſt caſeo non integrè coagulato: exercitatorum autem integrè & benè coagulato. His igitur omnibus incolæ illius loco deſtituti erant, ſed videamus iam quid ex domibus paterentur.

Domóſque ligneas ex arundinibus.] Arundines ſalubris alioquin ſunt, ſtoreis enim arundinaceis munimus portas, parietes ſolum ad ſalubritatem cubiculi, neque quicquam melius eſt, non tantum forte tapeta proſunt: attamen nec quantum oportet aërem maximè noxium arcent, & rimis fatiſcunt, adeò vt frigus non arceant hyeme, nec æſtate calorem. Sed & Vitruuius (libro 2. capite 8. iuxta finem,) inquit, Cræticij parietes vtinam non inuenti eſſent, quantum enim ad facilitatem

facilitatem vtiles sunt tantundem ignibus obnoxij. His ergo omnibus vno auxilio in Anglia, vbi etiam vrbium domibus sunt familiares, in crustatione gypsi succurritur, nam neque fatiscunt, neque admittunt aërem, neque ignibus obnoxij sunt: sed tamen insalubres sunt, gypsum enim cerebro, pulmoni & cordi ac iecori, tum etiam neruis inimicum est, argenti viui enim naturam seu plumbi retinet. At verò illi ipsi etiam hoc præsidio carebant, vnde difficillimam vitam ducere cogebant inter tot incommoda. Lapidei autem muri calce & arena fabricati lateritiis meliores post silicei, inde marmorei. Vnde diuites Romæ deterius habitabant pauperibus, quod diuitum triclinia & cubicula marmore incrustari solerent. Cæterum, vt dixi, storeis iunceis nil salubrius. Vtuntur tamen nobiles pannis variegatis & nobiliores pictis ex lana & serico qui perpetui sunt, lineis frigidioribus, & sunt parui sumptus æstate meliores quia frigidiores: at nobiles coriaceis, sunt enim longè pulchriores aurúmque & argentum referunt: & pinguntur mira arte. Variegati etiam fiunt ex lana sola aut gossipio obnoxij valdè teredinibus, ex his nobiliores purpurei: remedium singulis octo diebus excutere puluerem tenuibus & longis virgulis sed leuiter. Sed & hoc atteruntur: auxilium igitur duplex velut ex stuppa serici fiant velut tingantur humore qui blattis non sit obnoxius.

LECTIO LXXVI.

Super Reliquo

TEXT. VII.

Bibunt autem aquas calidas & stagnantes, quæ & à Sole sunt putrefactæ, & ab imbrium cursu auctæ. Ipsæque fluuius Phasis omnium fluuiorum stagnantissimus est, & qui lentissimo cursu profluat. Fructus autem qui illic nascuntur omnes insalubres sunt, euirati imperfectique præ multitudine aquarum, propterea neque vnquam maturescunt.

Hoc totum superius expositum est. Ipse quem fluuius Phasis.] Respondet (lib. 2. com. 3. & lib. 3. comment. 2.) tacitæ dubitationi: nam quis dicere posset, non ne relictis aquis palustribus possent bibere ex aqua fluminis dicit perinde est, quoniam ipse fluuius lentus admodum est in cursu, & stagnans propterea aquæ prauæ sunt. Si quis dicat fluuij lenti non probantur, qui feruntur præcipites, vt Tygris, & apud nos Abdua crudas habent aquas, quinam boni ergo erunt, tum cum supra etiam damnauerit aquas fluuiorum magnorum. Dico quod vt superius visum est, (lib. 3. Text. 11.) fluuij rapidi si alueum & ripas non habeant cœnosas, clari sunt, sed crudas habēt aquas ob id quòd à Sole minimè concoquuntur: lenti autem sunt turpidiores, quia non purgatur alueus, & vt breuiter colligam sunt lenti magni, spurco alueo & nitido & lenti parui spurco alueo & nitido & rapidi totidem. Pauca velox & turbida esse non potest: vt neque multa tarda & lenta, neque enim alueus purgatur cum sit magnus, & aqua lenta, qualis Phasis, nam & si per se clarus esset à pluuiis deturbaretur, quia plures exciperet. Plus igitur potest velocitas & tarditas, quam quod sit turbida aut clara, sed in paruis riuis ad claritatem velocitas: in magnis vt turbida sit tarditas motus sit autem lentus fluuius, vel ob æqualitatem regionis, vel ob aquarum nimiam copiam, vel ob ascensum quo inhibetur: vel originis humilitatem aut terræ lentorem.

Digressio de motu aquæ.

Cæterum aquæ ipsæ mouentur velocius in superficie quam in imò quod experimento eorum quæ transferuntur apparet nisi ventus impediat, aut retardet, id autem contingit quod aqua leuior sit in suprema parte, quod enim leuius est supernatat, & quod nullo ibi præmatur pondere vt quæ in fundo est, nam à superiori premitur, & à te ipse ab aqua motus, mouet aquam vicissim & currente adiuuat, vt etiam lapides funda elisos. Media medio modo. Contra quæ in imò est maiore vi mouetur, & ob id rapit secum lapides & saxa, quoniam premitur maiore pondere, & ideo quo profundior est, eo validior & onerata ob id lentius mouetur, sed maiore nixu obiecta euertit, vt de viro alium ferente alias diximus, propterea flumina ducunt saxa ingentia, riuuli lapillos ne mouent quidem. An verò tota simul, quomodo ergo diuellitur? an partes singulæ infinitúmque hoc erit: totum igitur mouetur, sed ob aërem & loci inæqualitatem sursum emergunt partes grauiores leuiores prouoluuntur, quas sursum ascendere postmodum est necessarium, ita videtur aquæ illæ motus inconditus qui impulsu adiuuatur, per se autem tota aqua vnà appetit esse, etsi diuidatur iungi cupit, eadem enim est ratio omnium quapropter ascendit etiam, vt in Physicis demonstrauimus, his principiis constat fluxus aquæ.

Fructus autem autem qui illic nascuntur.] Copia aquarum efficit, vt fructus abundent humido aqueo, & ob id vt sint excrementitij, insuaues ac minime cocti. Dicebat Theophrast. (3. de Causis plant. cap. 11.) Fructus omnium penè plantarum quæ plus aquæ capiunt deteriores redduntur. Et rursus declarat (5. de Caus. plant. cap. 21.) postmodum dicens, nam & stabilis aqua si arboris magnitudinem excesserit perdet. Vt cum imbres increbuerunt, aut loca inundationibus concreuerunt. Vbi tum possit effluere arbores melius tollerent. (2. de Caus. plant. cap. 7.) Quæ autem nec occidunt, infirmam reddunt arborem, & ob id etiam fructus deteriores efficiunt. Et similiter nitrosæ & aluminosæ & salsæ obsunt plantis: licet mistæ aliquando vtiles sint. Dicit tamen (cap. 8.) vnum quod plantæ gaudent aquarum permistione:

veluti

veluti pluuiæ cum fontana, & crudæ cum crassa & lutulenta: at verò ibi aquæ illæ corruptæ omnes penè sunt, ex putredine enim malum saporem, & temperamentum contrahunt. Vt contra dulces inquit omnibus aliis magis plantis sunt salutares. Vult tamen quòd plantæ gaudeant aquarum multitudine indicium sumens ab hoc quòd imbrium copia plerisque plantis sit vtilis: sed hoc distinguit, quoniam si boreales venti flauerint erunt robustiores, si australes imbecilliores. Sunt tamen quæ magis diligant, quæ minus, vt inter herbas, cæpe, gathyum, & omnia olera & triticum, dicebat octauo de Hist. plant. & inter arbores vitis. Tertio de Caus. plantar. (7. de Hist. plant. cap. 5. 6. & 16.) Omnia enim illi conueniunt ob quæ larga aqua præcipuè imbribus opus sit fructus multi succi, radix tum rami, qui ab aqua augescunt cum fermè nullus sit eis præstitutus magnitudinis modus: & vis magna in coquendo: est enim robusta planta & assueta multo succo concoquendo, ob quæ etiam prætensæ solum amat. Sic & salix & populus & Alnus: sed his fructus nullus considerationе dignus. Ergo sic accipere rem hanc oportet. Quædam plantæ primum siccis locis temporibus gaudent, quibus multitudo aquarum omnino noxia est, velut cappares, rosmarinus, anacardus, aliis abundantia non prodest, sed mediocritas earum vt plerisque. Quibusdam vtiles quidem sunt aquæ, sed non qualescunque, sed dulces ac frigidæ, pauculis quæ aquas multas & qualescunque perferunt, velut nymphea, iuncus, centicula, alga, colocasia, plantago aquatica, tribulus, salix, ac similia, nihilominus etiam illarum fructibus adeo nocet, vt non prorsus ferant, aut inutiles: vtilibus autem cæterarum exitialis sit.

Nunc de fructibus agendum est, vt intelligamus quomodo hæ aquæ eos diuersimodè afficiant, ergo fructum alij dicuntur horæi, alij nuces, alij glandes, dictum est de illis in opere de Tuenda sanitate, (lib. 1. cap. 113. & lib. 3. cap. 96.) sed horæi vt per se peiores sunt, maximè cucumeres & pepones, ita etiam in solo aquoso & tempore pluuioso deteriores efficiuntur: & quæ facilè putrescunt, post hæc vt cerasa, chrysomela seu Armeniaca: & quæ natura præstat contraria aquæ, vt mespila, sorba, pyra, cotonea, malus punica. Inde ficus & vuæ. Post ex nucibus auellanæ magis ponticis, quoniam vermibus magis obnoxiæ sunt: & pistacia post: parum verò pineæ & amygdalæ, nam hæ vix vermem concipiunt: pineæ nequaquam, putrent tamen vt rancidæ fiant ocyssimè. Glandium verò paruus vsus prӕterquam castanearum. Et harum parua iactura est, ni forsan ipso humore fructum exiliorem aut rariorem addant. Omnibus ergo in vnum iunctis, aëre calido & humido, sed malo neque perflato (non calido aëre & humido bono & perflato nihil melius ad seruandam & producendam vitam) habitationibus rimosis & parum à cœno distantibus, quam causam putant esse quòd Angli adeò frequenter peste sudorifica laborent, vt mirum sit phasianos nil huiusmodi passos, inde exercitationi haud deditos aquas corruptas bibentes & edentes fructus imperfectos, & semiputridos, & quod maximum est acerbos, necesse est vt pessimè corpora eorum omnibus modis afficiantur præterquam, quod sint parua: nam vbi calor est & humidum incremento non destituuntur, sed & animi languidi cum corporibus, & reliqua quæ mox subiicientur.

LECTIO LXXVII.

Super

TEXT. VIII. & IX.

At quæ cum multos aër cum aquis regionem occupet, ob hanc ipsam causam, quòd ad formam attinet Phasiani sunt à reliquis hominibus longè diuersi, Sunt enim magnitudine ingenti ac corpulentia valdè excellenti, neque iuncturæ eorum vllæ, neque venæ comparent pallidúmque præ se ferunt semper colorem, quemadmodum qui regio sunt obnoxij morbo, loquuntur autem vt si quis alij hominum grauissimè, nimirum aëre vtentes non sereno sed obscuro, & maximè humectato: sunt insuper ad laborem à natura ipsa segniores. Annique tempora non varia habent, neque ad æstum neque ad frigus permutatione.

Hic reddit causas formæ & habitus horum, & videtur magis ex quatuor causis in aërem quam alia referre: & de colore pallidum arquato similem velut galbula auis, quæ icteris dicitur pro turdo magnitudine æqualis, quæ vescitur ficubus, dum maturescunt tota viridis ac crocea, quæ dum illi maturi sunt frequenter visitur alias non adeò vel ab icti, vt Aëtius (lib. 10. cap. 17.) vult, animali quadrupede & est mustela syluestris aurij coloris habens oculos: sed non solum viuerra Latinè dicta aurij coloris oculos habet, sed totam pellem fuluam, vt eam non cognouisse Aëtius videatur, neque Alemanus, qui ab eo sumpsit, nam de oculis id commune est omni mustellarum generi & paruæ syluestri quam propriè mustellam vocamus, & magnæ syluestri, quam vocarunt viuerram, & venatur propriè cuniculos: est autem oblonga valde tenuis corporis instar columnæ, & agilis præ cæteris, adeò vt nunquam quiescat, tertium genus est vrbanum quod sub tegulis habitat, gallinis propriè infestum, saltu validius quam cursu, & ob id longa & pilosa cauda atque ampla, viuerra autem non ita, sed neque saltu multum valet, vt neque parua, hæc parum ad rem: sed adiecta vt homines intelligerent, quam obiter etiam antiquè quidam scripserint, sed de Aëtio nil mirum, qui &

Aurifaber erat & medicus fuit & Theologus, inde ob hæresim multis etiam ac diu iactatus exiliis. Sed vt ad propositum redeam, maximè huic loco conuenit quod scribitur quartadecima Problematum (12.) dicente, cur qui in nauibus degunt quamuis in aqua coloratiores sint, quam qui in paludibus? respondet quod loca commodè perspirata coloris hilaritatem præbere possunt: pallidos autem humor efficit cum putrescit, quod euenire immobilitatis causa solet, quamobrem sunt pallidi, qui loca palustria colunt. Cur autem neque articuli neque venæ appareant, causa est de venis paucitate sanguinis, & frigiditas iecoris, vt videmus in his qui alba pituita detinentur. Sed & de articulis causa est, quoniam carnosi sunt & addita capitibus ossa minora sunt velut mulieribus. Mulieres enim & qui eis assimilantur minores habent articulos & minus conspicuos. Alia causa est quòd exercitium auget partes quæ exercentur, exercentur autem maximè articuli quocirca fiunt magni in exercitatis ideóque conspicui. Et vt vno verbo dicam eorum corpora effœminata voluit declarare obscuritate venarum & articulorum. Et ideo per corpulentiam etiam pinguedinem intelligere oportet. Quæ autem de voce graui dicit, superius declarata sunt.

Sunt insuper ad laborem natura ipsa segniores.] Conuenit vt qui corpore sunt effœminato, articulis imbecillibus, corpulenti, exangues, & parum assueti exercitationi, vt etiam segniores sint ad labores, qualis enim constitutio tales mores dicebat Philosophus, (cap. 8.) Vnde physiognomia fœmina in vnoquoque animalium genere minoris capitis, angustioris faciei, gracilioris colli, pectore imbecilliori, costis minoribus: coxendices, vt costas magis carnosas marique habent: genua autem flexibiliora & crura gracilia: pedes verò pulchriores, & formam totius corporis molliorem potius quam fortiorem, minus neruosa autem sunt & molliora prædita humidioribus carnibus. Hæc igitur est tertia causa articulorum non euidentium. De consuetudine dicebat Hippocrates secunda Aphorismorum (59 & 60.) quod illa efficit, vt etiam imbecilliores natura melius laborem ferant. Dicebat Galenus nono de Dogmate Hippocratis (cap.3.) ex Platonis sententia, fœmina est idonea pugnæ & gymnasticæ & musicæ, sed non adeo vt vir. Dicemus ergo hos esse medios: nam & fœminæ ad hoc non consentur idoneæ non solum ob naturam, sed & consuetudinem.

Annique tempora non varias habent.] Huius causa est quòd cum solum sit palustre, & sint prope paludem magnam scilicet Mæotidem, vt non patiuntur magna frigora ob mare ab occidente positam dico paludem ipsam & Pontum: neque calores ob pluuias assiduas & abundantiam aquarum dulcium paludis & fluminis Phasidis. Et hoc contingit fermè omnibus habitantibus iuxta mare, coadiuuat ad hoc natura ventorum: vbi enim plurimum possunt venti frigidi, velut Aquilo & Boreas, ibi fit magna temporum vicissitudo: vbi medij & temperati non, seu idem ventus repetatur sæpius seu contrarij, sed in calore & frigore parum dissimiles.

TEXT. IX.

VEnti autem eis sunt plurimi austrini, præter vnum eius regionis proprium, & indigenam qui aliquandiu violentior ac molestior calidus existens spirat, quem cenchrana patrio vocabulo appellat. Verum Boreas non valdè ad eos pertransit, quod si aliquando spiret, debilis tamen existit ac valdè lenis.

VEnti omnes natura frigidi sunt ob motum, qui verò à regione calida veniunt, velut Auster & Africus ob vapores sunt calidi, qui verò deducunt aquas frigidi etiam sunt: sereni ergo & ab austro tepidi sunt, quia vapore constant calido & motu aëris frigido: qui ab eadem regione aquas deducunt frigidi sunt vt Africus, qui ergo à septentrione veniunt frigidissimi sunt, qui à meridie propè temperamentum tepidi aut frigidiusculi: sed ad hos non perflat nisi venti australes, igitur regio est prope calorem & sine mutatione. Ratio igitur quare ad illos non veniant venti, nisi calidi est, quia regio à Borea integitur Corace monte & Caucaso, qui est Corati continuus, & è regione illius, sed orientalior, ab oriente autem Molthicis montibus, ab occidente est Pontus Euxinus, sed dices à meridie sunt Molthici etiam montes tum Mosthici? Dico quòd est detecta in quibusdam locis cenchrana tamen flat ab oriente, vt reor ex interstitio montium Molthicorum & Caucasi ramo, qui à septentrione tendit ad austrum.

De natura ergo ac diuersitate & forma eorum qui Asiam incolunt sic habet.] Poterat tripliciter legi, vt etiam superius dictum est. (Qui Asiam & Europam incolunt) vt legit Cornarius & Alemanus. (Qui inter Asiam & Europam incolunt) & sensus rei proximior est, & Græca litera vtrunque admittit: sed si legatur, vt iacet, sensus est clarissimus vt nil desideretur: & solum subtrahimus (& Europam) quæ aliquis ignarus addidit. Vbi nam enim de Europæis egit, nisi hos inter Europæos constituat, qui neque moribus neque forma Europæis assimilantur, deinde in sequentibus longissimam facit tractationem de Europæis, his de Asianis prope nullam, cum tamen Asiam statuat maiorem Europa. Imo ne de vera Asia quidem si hos detrahas, & ad Europæos transferas verbum locutus erit. Et etiam Ptolemæus in Asia hos homines collocat, sed & verba quæ sequuntur non comparationem Asianorum cum Europæis insinuant, sed tractationem de Asianis solum, vt nunc videbimus, inquit enim:

LECTIO

LECTIO LXXVIII.

Super

TEXT. X. XI. & XII.

QVod autem timidiores, effœminatiores, ac imbelles præ Europæis Asiani existant moribúsque mansuetiores, tempora ipsa anni in causa sunt, quæ non magnas permutationes faciunt, neque caloris neque frigoris, sed semper æqualia permaneat. Vnde neque montes stupore percelluntur neque corpora fortem transmutationem incurrunt. A quibus verisimile est iram exasperari cognitionémque, & calorem amplius excitari, quam si semper in eodem statu quis persistat.

NOn, vt prima fronte videtur, comparat, Asianos Europeis, sed tanquam notam vtriusque naturam præsupponens, causam inquirit, scilicet cur Asiani sint rerum bellicarum imperitiores mansuetiores tamen moribus Europæis: Hæc pulchrè Alemanus qui Cornarij interpretationem meliorem effecit, sed in reddendo causam haluciatus est: neque enim ad calorem aut frigus regionis, sed temporum mutationem hæc refert Hippocrates. Et vnus est motus tam in anima quam in corpore, per quem ira exasperatur & calor accenditur. Vnde vt per quietiorem animum minus sunt fortes, ita contra sunt ingeniores & moribus mansuetiores. Motus ergo percellit animum & corpus vnde fiunt fortiores & ad pericula obeunda promptiores, verum tantundem stupidiores atque minus audaces sed prudentiores. Idem vulgatum est, Anima sedendo & quiescendo fit prudens, (7. Physicorum Text. comm. 20.) At dum percellitur sæpe animus fit iracundia, & ex iracundia fortitudo, hoc enim est clarum, quod sæpius calefacto sanguine arteriali qui est circa cor & in corde remanet calidior: & quod animal eo est audacius quo calidiorem habet sanguinem, vt Aristoteles (2 1. de Partib. animal. cap. 4.) docet, ideò qui sæpius irascuntur fiunt audaces. Et si iam sint natura audaces euadunt furiosi, & hoc modo disces, quomodo ex timido facias audacem, & si illud nondum perspicuum est, quomodo ex mutationibus temporum corpora permutentur ad calorem, ita vt exasperentur, & vt calor excitetur. Dico quòd mutationes temporum ad calorem & frigus, iuxta Aristotelem prima Probl. (3.) pariunt morbos, igitur cum consuetæ fuerint patient motus humorum, sine morbo: at ex motu humorum mutantur animi affectus: igitur tempora mutant animi affectus. Sed dices, fateor quòd animi affectus mutant corpora alij enim præ metu moriuntur, alij præ tristitia tabescunt: quidam ob iram incidunt in febres acutas, & pereunt: fateor etiam quod tempora mutant humores, & quòd abundantia humorum parit morbos mentis, in libro (cap. 3.) quod animi mores corporis sequantur temperaturam (cap. 7.) & quod varietas sanguinis in speciebus animalium & homine naturalis est causa varietatis morum: hoc autem non concedam quod mutatio humorum casu facta, possit mutare mores naturales. Propterea dico quod mens Hippocratis est alia quam videantur verba præferre: & est quod humores mutati perpetuo cursu multorum annorum mutant temperaturam, ita quòd postmodum per continuam generationem qui nascuntur alios aquirunt mores, nam mutare mores naturales sine morbo per solam humorum mutationem est res penè ridicula, sed sic intellecta est verissima, & præcipuè in plebe, in qua nec ratio multum potest, nec scientia historiarum aut Philosophiæ moralis. Ideò Galenus videtur hallucinari circa hanc sententiam Hippocratis malè intellectam.

TEXT. XI.

MVtationes enim sunt rerum omnium, quæ etiam hominis mentem semper excitant, neque sinunt quiescere.

ALemanus traducit ad admirationem, sed quæ admiratio caloris aut frigoris, res eo non spectat, sed neque ad naturam ipsam, vt iam dixi, nimis magnum est: est ergo referendum ad prouidentiam, velut hyemem cum expectamus, cogimur parare ligna, fœnum, triticum, tegulas obducere domibus, vestes. Venit tempus serendi aut inoculandi, quam multa oportet præparare? hæc & si vbi non veremur has mutationes non sunt negligenda, non tamen adeò solerti sunt cura comparantur. At dices artes nihilominus in Asia, potius repertæ sunt quam in Europa. Septim. Politicorum (cap. 7.) Respondeo quod ob commodum & ingenium inuentæ sunt in Asia & Ægypto magis, quamuis bellica ars, in qua opus est magis fortitudine quam sapientia magis vigeat in Europa.

TEXT. XII.

PRopter quas sanè causas imbelle vniuersum Asianorum genus existit, atque adhuc amplius propter leges. Multo maxima enim Asiæ pars sub Regibus est.

NOn obscura est hæc sententia, quoniam qui habitant in locis æqualibus, & vbi non sunt huiusmodi mutationes sunt magis imbelles, quam qui in inæqualibus & ob id in frigidis magis quam in calidis, propterea

propterea quod in frigidis necesse est, vt calor aliquando superueniat, si Regio debet habitari, at non necesse est vt in calidis frigus, quoniam, vt iam dictum est, multæ sunt regiones habitabiles, in quibus calor semper viget nullo succedente frigore. Et similiter in montibus magis quàm in planis, nam in montibus cum sint frigidiores, sunt etiam magis expositi ventis. Et ob id rectè fecit Augustus, vt narrat Lucius Florus, (in 4. Hist. cap. vlt.) qui Tarraconensis Hispaniæ accolas ob illorum feritatem & fortitudinem transtulit ex montibus ad plana, vt ea loca colerent in posterum: vt minueretur eorum ferocia, & ita haberet obsequentes imperio: quod & euenit. Vt enim nulla gens tardius est edomita, ita etiam nulla magis perstitit constantius atque diutius in Romanorum fide & obsequio.

Atque adhuc amplius propter leges.] Dubium non est quin oporteat Rempub. stare aliquibus legibus, aliter latrociniis tota breui, & indies dissiparetur: Homo enim est animal gregarium, vt vult Philosophus, & propter rationem corruptam non solum est alieni appetens, sed & propter sensus velut tigrides & aquilæ, quæ alia dilacerant animalia & pisces fermè vniuersi: homines autem & si ob solos sensus hominibus, non essent iniurij (nam & pleraque animalia fera suo generi parcunt) iniurij tamen essent in rapiendo quæ possiderent alij. At lex est mortua si parere debent homines legi, oporteret legem præesse hominibus, at per se non potest cum, vt dixi, res in animis sit: oportet igitur vt viuat: at vt viuat sufficere non potest animal aliud ab homine, tum quia intelligere legem non posset, nec exequi nec imperare: oportet igitur hominem aut homines præesse: & tunc aut vnum aut paucos aut omnes: non omnes: primum, quia multi sunt inepti ob ætatem, sexum ingenium, oportet ergo paucos, & tunc vel simpliciter & stabiles & propria authoritate, aut qui fungantur omnium vice, & sint nobiles, aut eligantur ex omnibus, vocabitur autem si omnes præsint, & bonis legibus vtantur Respublica, si prauas leges constituant (lex enim est sanctio eorum qui omnibus præsunt) status popularis. Si enim pauci & bonis vtantur legibus Aristocratia, si malis, Oligarchia, sin autem vnus & bonis itidem vtatur legibus Rex, si malis Tyrannus, cum ergo omnem societatem necessarium fit in vnam ex his sex dominationem incidere, non loquitur Hippocrates de his omnibus cum velit Europæos non parere ei, sed solum Asianos: intelligit ergo de regia tantum aut tyrannica potestate: Merito igitur quærendum est, cur imbelles magis in vnum consentiant quam fortes, quod etiam videmus in quibusdam animalibus, velut apibus, præcipuè gruibus, etiam vt ferunt & ceruis, etiam forsan elephantes, sanè & tigrides, & lupi conueniunt, vnam & in gregem, & sues etiam, sed non vni parent. Sed de ratione carentibus nil mirum, quia difficile admodum esset, vt totus grex vni pareret. Videmus enim oues & capras, & boues, & asinos, parere pastoribus illas, & hos atque illos opilionibus ac bubulcis, quoniam regere norunt vni, & suo grege minimè: non ergo quia natura parere nata non sint, sed quia Dux deest. Videtur igitur hoc necessarium, quoniam cum tales homines sint timidi & imbelles obnoxij, sunt iniuriis aliorum præsertim vicinorum, & ideo coguntur in vnum. Vires enim coactæ in vnum robustiores euadunt, tum per se vt in inanimatis, tum propter ordinem ipsum vt in exercitu, at non possunt magis arctè constringi, quam si vni soli pareant, igitur populi imbelles & timidi in vnum consentiunt, quòd & si aliquam iniuriam patiantur, non tanta esse potest cum ab vno proficiscitur, quanta si à pluribus ob hæc igitur populi singuli in vnum coëunt, pluribus autem regibus inter se pugnantibus, etiam plures reges in vnum regem inde in tyrannidem, vbi sibi per securitatem viuere posse persuasum sit, hoc autem præcipuè sex modis contingit, primum casu rebellantibus, deinde domitis subditis, vt partim experientiæ audeant, partim odio & ira exacerbati velint. Secundum ex ambitione cum plus posse se putant quam possint, quod genus periculosum est. Tertium ex pecunia congregata, ob id Respub. non debet Regem permittere, vt domimentur redditibus. Quartum est milite externo: nam tum tyrannidem necesse est cum externo milite vtitur Rex: tum propter stipendia militum, tum ob securitatem, tum etiam ob diffidia quæ inter peregrinum militem & ciues exoriri solent. Quintum ob diffidia ciuium: quæ etiam tyrannidem occupare volentes serunt. Sextum cum ab adulatoribus persuadetur: quod genus tyrannidis vt pessimum est pro ciuibus, ita periculosissimum ipsi Principi.

LECTIO LXXIX.

Super

TEXT. XIII.

VBi autem non in sua potestate viuunt homines, neque sui iuris sunt, sed dominis subiecti, ibi non multi curiosi sunt, quomodo se ad bellum apparent, imò magis hoc caueant, vt ne bellicosi videantur, pericula enim eis non æqualia instant, nam hi in militiam proficisci laborésque perferre, ac mortem oppetere pro dominis suis coguntur, relictis interim domi liberis, vxoribus, ac reliquis amicis, atque siquidem viriliter ac fœliciter bellum gesserint, dominis inde commoda accedunt, eorúmque facultates inde augentur, verum ipsis præter pericula & cædes nihil demetitur.

TExtus est per se clarissimus: non solū non cupiunt esse milites, sed etiam qui fortes sunt

sunt & exercitati occultant suas vires, quoniam emolumentum ad reges peruenit, iactura ad ipsos subditos, seu occidantur aut syderentur, seu mutili euadant, seu in seruitutem ducantur, aut spolientur, aut vrbs deripiatur, & ager deuastetur, & ægrotent & vxores violentur, & filij abducantur, & ægrotent & fatigentur, omnia mala, mala sunt eis, boni & vtilis parum aut nihil. Populus enim Romanus ei qui rem bellicam strenuè gessisset agri sæpe aliquid donabat, ita Curio qui Italia Pyrrhum exegerat iugera agri quinquaginta septem populo in singulos diuisit. Scipio à Senatu obtinuit, vt singulis militibus, qui in Hispania aut Africa militassent, quot annis à patria abfuissent totidem bina iugera dono acciperent. Præterea armillas aureas & torques & arma argentea. Vnde toties vulgatæ illæ leges Agrariæ, nisi vt hostium ager in ciues ipsos diuideretur? Quo spectabat tot vrbes, portus, regiones, occupatæ, nisi vt reditus in singulos, aut tum aut posterum descendentibus eorum diuiderentur? Mos erat præterea vt direptis vrbibus, aut acie hostium cæsa omnia in milites distribuerentur, exigua sibi portione seruata: nam Scipio Catinum argenteum solum sibi seruauit. Patri eius data dos pro filia à Senatu & alteri à Scipionum familia & Fabritio Lucino. Sic Paulus Æmilius ex tota Macedonia opulentia tantum duo vasa sustulit argentea eaque parui ponderis, reliqua, vestes, aurum argentumque, equi, arma captiui diuidebantur, qui plures accepisset quam Duci exercitus deberetur apud populum de præca accusabatur. Atque hodie etiam in nauali bello Duces sibi ex quinque partibus tres ex lege accipiunt, quartam tyrannide turpi occupant, & quicquid pulchrum est aut gratiosum. In vniuersum omnia omnium sunt sub regibus autem eximia illorum, pleraque adulatorum & eorum qui domesticis seruitiis sine sanguine & sudore aures Principum faciles habent. Nostra ætate tria aut quatuor immutata sunt: Primum seruitus ob Christianam religionem, neque enim licet Christianum à Christiano in seruitutem duci: quæ lex fermè omnium quæ apud nos habentur moralium vtilissima est: Secundum vt Coloniæ non fiant, quod etiam humanitatis est, & quanquam factum aliquando sit, id potius casu quam voluntate & lege contingit. Tertium vt spolia quisque in prælio sibi compararet, & etiam in vrbium direptionibus: hæc duo non vt primum non tam legibus quam necessitati debemus, nam colonias non deducimus ob inopiam & paucitatem hominum quæ multis causis aduenit, neque licet rapta in vnum congerere atque diuidere: quoniam non vnus populus pugnat, sed colluuies mercenariorum: inde difficile esset referre omnia in cumulum ex fide, vt possent diuidi. Quartum est quod captiui potentes sunt in potestate ducis exercitus, persoluta quantitate pecuniæ, scilicet stipendio menstruo militi qui illum cœperit: loco eius exigit quantum vult, licet lege plus non posset petere. Vnde pro redemptione tria pretia sunt constituta. Iustum quo vtuntur Duces, vt dixi, vtuntur Duces exercitus contra priuatos milites in occupando captiuos: voluntarium quòd dux à duce, vel tribuno aut præfecto exigit: mistum seu medium quòd priuatus miles à tribuno aut centurione persolui cogit subiicit autem.

Ac mortem oppetere, &c.] Inquis possit sanus mortem oppetere voluntariam dubium est propter multa, nam qui res non pondere suo metiuntur, nugantur: nam in tyrannis coguntur, & minus malum est subire periculum honestæ mortis & sine cruciatu longo, quam certam cum cruciatu longo & dedecore, & ideò à tyrannis multi transfugiunt ob periculi magnitudinem & imperij accerbitatem: non tam apud eos qui liberi viuunt, cur enim est vt cum voluntariè veniant ad militiam, deserta patria, liberis, vxoribus, parentibus, fratribus ac aliis coniunctis, cum tanta infamia se perpetuo exilio tradant? Et tamen aliqui vel ob amentiam vel iram conceptam cum ducibus vel timore suppliciorum ob flagitia ad hostes transfugiunt. Sed non est de his sermo: quandoquidem de illis dubitemus, qui sponte periculum mortis pro patria subeunt. Non est vt excusemus de gloria quæ non ad milittes gregarios pertinent nisi aliquo valdè insigni facto, sed solum ad duces pertinet, quæ neque etiam tanti esse potest, vt amissa carne, velut in adagio, vmbram sequamur. Nec vt de animi immortalitate agamus, dubium enim non est in illis qui eam credunt, velut Cæsar, (lib. 6. de Bel. Gal.) de Gallis, multum posse, at enim Græci ipsi habebant, quod testatur Homerus multis in locis, in duces morituros de inferis longos pro occasione breuis temporis serentes sermones, perinde enim est ad mortem fortiter subeundam existimare, & non esse animos immortales, ac si sint eiusmodi; sed Barbarorum multæ leges neglexerunt, alij dubium reliquere, & inter illos qui sub legibus viuunt, quæ animi immortalitatem astruunt plurimi fortes nihilo melius sunt, velut apud Virgil. de Mezentio, sed ille fugit turpiter, dum in suo sensu mansit, ô quam rectè? Excussus ratione ob mortem filij vnici, ob desperationem mortem oppetiit, nec tamen scire spe, vt vlcisceretur illum. Cassius quoque ob desperationem seipsum confecit, vt etiam Lucretius poëta. Constat tamen aliquos fortes fuisse, & mortem voluntariam oppetiisse, quāquam minimè crederent animos esse immortales: sed errore, aut enim ob inanem gloriam aut desperationem, aut temulentiam furorémque. Vnde non solum opinio immortalitatis animorum ad fortitudinem ciuium vtilis est, sed falsa opinio de gloria & temulentia vini & ita concitata ex accusatione hostium, & inconsulta temeritas militum & ludi quidam, & persuasio victoriæ adipiscendæ, maximè ob illorum virtutem, eleuatio periculi: quæ tamen ad errorem & stultitiam omnia pertinent, præter spem immortalitatis animorum, faciunt ad fortitudinem militum. Sed non est disceptatio de errore, neque exēplo quod etiam ad errorē pertinet, vt neq; de vi tyrannorum atque necessitate: & etiam de periculo non de morte: has enim tres causas omnino sublatas volumus verum sine his

an certa deliberatione aliquis possit absque sensuum vlla perturbatione ac seclusa animi immortalitate, mortem certam oppetere: vt de Curtio dicitur. Sed ille cum deuouisset se inferis, iam inferos esse sperabat & credidit. Quæstio ergo est solum de amore patriæ honesto cum morte pugnantibus. Aristot. (3. Ethic. cap. 9. in fine,) comminiscitur caussam quandam & ingeniosè valdè vt solet, & est quod quamuis se intelligat dignum vita anteponit tamen mortem illi, tum quia hæc honesta sit illa non sine dedecore, mauúltque momento viuere honestè quam diu turpiter fœdè atque cum infamia. At satis difficilia sunt hæc si subtilius examinentur. Quis enim ita moritur vt viuere turpè, mori honestum, & tamen vtrumque sit in arbitrio suo positum? si enim mori cogitur fortis dici non potest, quia non voluntariè mortuum fuisse dicere certè possumus, si voluntariè, quæ turpitudo esse potest seruare hominem Reipub. qui viuens iterum pugnare poterit consuleréque, mortuus nihil affert commodi? Sic fugit Socrates è bello, fugit & Annibal & M. Marcellus, iidem postea multum Reipub. suæ profuerunt. Cur ergo fortis viri sit nullo compendio Reipub. mori, mortuus est Paulus in cladem Cannonsi, quia seruari ex vulneribus diu non poterat. Sed fac vt mors modo afferat Reipub. vtilitatem: cuiusmodi Eleazari Machabæi aduersus Antiochum Eupatorem Syriæ Regem pugnantis, qui conspicatus elephantum insigni magnitudine & eximiè ornatum, ratus ei Regem insidere, per aduersus hostes viam si peperit, & subiens elephantem ventrem eius aperit, vt effusis visceribus corrueret, ipse verò opprimeretur, quo casu cum istud non esset Regem interficere forsan tamen cadentem sperabat, id autem prope amens fuit consilium, vt inter tot posset occidere, non tamen deerat spes vitæ, vel euasuro per vim aut casu, aut ignoscente Rege, vt in Mutio Sceuola. Ergo hoc facto rem cum Antiocho Iudas (Machab. cap. 6.) composuit: fortia enim facta terrent hostes, & illis sunt admirationi. Sed, vt dixi, nullum est tam ingens periculum, in quo sit salutis spes in fuga, non in pugna licet aliquanto minor. Dicit Solinus (cap. 15.) Thracibus inesse contemptum vitæ ex naturali quadam sapientiæ disciplina. Verum & ipsi tamen in animorum immortalitate spem habent. Verum ea sublata dubium non est mortem etiam sponte posse desiderari etiam in deplorata salute & absque desperatione: nec deceptis sensibus, nec vanis commentis, sed non ob honestum moriendi genus dicam autem quomodo, & quando, nam nonne præstaret cuique maximè extra spem filios habendi posito mori vt seruaret multos fratres aut filios, cum hi ad perpetuitatem spectent ille paucis annis sit superuicturus: at qui patriam seruat insigni facto atque exemplo coniunctos longè plures seruat & in spem æternitatis, sed & eorum quos amat progeniem, & ob id focis se mori exponere debeat in hoc casu. Primum ergo pro patria vel suis non inanis gloriæ vano studio: & maximè cum ipse sine spe fuerit suscipiendorum filiorum: vel cum omnino etiam non fortiter agendo adhuc non leue periculum mortis relinquitur, aut si vice versa vt euadere possit spes non deest. Primum ergo sufficit, hæc tria omnino adaugent occasionem, reliqua non carent crimine leuitatis aut stultitiæ, adeò vt magis ad vitium quam ad virtutem pertineant. At fortitudinis non est vt virtutis sed naturæ donum prudentioris consilij obiectum periculo fortitudine se seruasse, velut Lysimacho leone sine armis obiecto quem manu & pallio strangulasse fertur: vt imagines metallicæ testantur, nulla enim virtus dicitur cum aliunde præmium quàm ex ipso facto petitur. Ergo cum plurimum faciat ad hoc quod qui in Repub. viuunt propter se subeant pericula, tum etiam illud quod descendentibus prouisum est iustitia dominante: vt minus mori pigeat, quod etiam testatur per Valmrius de Re militari in adortatione (lib. 12. cap. 10.) Annibalis ad milites.

LECTIO LXXX.

Super

TEXT. XIV. & XV.

PRoinde neque horum hominum regionem frequenter habitatam esse necesse est. Imo eam propter inertiam bellicam ac otium à plerisque relinqui. Quocirca etsi quis à natura virilis & magnanimis est ita plurimum eius animus leges auersatur.

DVas insinuat causas cur regiones Asiæ ob effæminationem reddantur inhabitabiles, nam cum ob id Regibus seruiant qui molles sunt, & timidi mortis & laborum impatientes ne cogantur ad ea diffugiunt alio, hanc necessitatem pugnandi iniectam ab Hectore insinuat Homerus (Iliad. o. seu libro 15.) & recitantur carmina ab Aristotele tertio Ethicorum:

Si verò pugnam quem detractare videbo
Is certe nulla poterit ratione cauere
Quin auibus canibúsque obiectus præda voretur.

At vide adhortationes Græcorum ducum: Iliad. o. seu lib. 8.

Num pudor ô Danai, num vestras turpia mentes
Isthæc probra mouent? specieque & nomine tantum
Mirandi vos præcipuè sine rebus habentes
Nomina vana ducum: quo nunc recidere superbis
Verba olim iactata animis?

Et quæ sequuntur plurima sine minis, quod Agamemnon voluntariè præfectus esset Græcorum exercitui, non regio iure illis imperaret. Et vbi Teucra hortatur:

—Tibi polliceor satis ampla datarum
Munera: primus eris post me cui præmia larga
Digna feram dextra, tripodemve duósve ingules

Cum

Cum curru: aut aliquam te dignam iunge-re nympham.

Tenuis autem adhortationis si historiam mauis quam fabulam, vide apud Xenophontem (lib.4. de Cyri ascensu,) dum in Armeniam transit. Altera causa spectat ad eos qui viriles sunt, & fortes deserunt regionem cum præmia non videant pro virtute sed pro gratia proposita, aut enim suis filiis quemadmodum Antenor & Æneas indignantur regulis Priami filiis, quam ob indignationem Troia periit, vel qui adulatores sint tyrannorum, vel domestici longa seruitute chari, vel flagitiorum participes: & si nullus adesset eiusmodi (quod esse non potest) cuicunque datur ob inuidiam, velut Ventidium fraudauit munere M. Antonius Triumuir, quamuis sibi non alij vicisset, & opera sua imperium orbis sperare posset. Cum ergo effœminati ob metum, viriles ob indignationem deserant Principum prouincias, nil mirum si desolentur. At ex regibus tyrannos longa serie nepotum nasci necessarium est, quandoquidem Augusto omnes qui à stirpe successerunt tyranni fuerint & sæuissimi. Vbi etiam cohibita fuit per ephoros maximè regia potestas apud Lacedæmonios, tamen non multo post in Agide & Cleomene insurrexit impium votum imperandi per iniuriam malèque cessit vtrique, vt Plutarchus author est.

TEXT. XV.

CVius rei magnum indicium, vel inde habere licet, quòd quicunque in Asia Græci itémque Barbari dominis non subsunt, sed iure suo degunt, sibi ipsique omnes labores lucrifaciunt, illi bellicosissimi omnium existunt. Periclitantur enim ipsi sibi virilitatísque præmia ipsi reportant, sicut timiditatis ac ignauiæ pœnam luunt pariter.

DVas causas effœminationis docuerat in hominibus, vnam à natura regionis temperamentum & leges eorum qui sub regibus viuunt: hic declarat quænam sit potentior an natura regionis an lex: & docet quod lex: nam Asiani qui liberi viuunt, seu Greci seu Barbari bellicosissimi erant, quoniã & præmia & iactura erant eorum qui virtutem pugnabant. Et vrbes quidem Græcorum plurimæ erant in Asia, quarum quædam omnino in seruitutem Persarum regis degebant, aliæ planè liberæ, aliæ mediæ, velut nunc sub Turcarum Principe Epidaurij, sub Cæsare vrbes Germaniæ, quas liberas vocant, Augusta, Argentina, Vlma, Spira, Francfordia, Vormatia, aliæque plures: & in Italia Luca & Genua sub Philippo Hispaniarum Rege. In Asia verò, inuitis regibus Persarum, viuebant Mysi, Pisidæ, Lycaones, vt Xenophon (lib.3.) in ascensu Cyri author est. Et Carduchi, vt ibidem refert (in fine lib.3.) cum in montibus habitarent CXX. milia militum, qui ad eos venerant, ita ceciderant, vt ne vnus quidem superfuerit. Vnde pacem rex cum illis aqua conditione fecit. Præterea Chalybes his fortiores & Taochi & Macrones, de quibus supra actum est (lib.4.) nam de quibusdam inter reliquos Taochos refert cum saltus se frustra obsedisse intelligerent occupatósque esse à Græcis, mulieres de saxo primum pueros præcipitasse inde semetipsas, post etiam viros. Cúmque Æneas Contario Græcus conatus fuisset seruare quendam ex hostibus quòd forma & ornatu nobilis videretur ab eo tractus est in præcipitium.

Hic forsan meritò quis obiiciat, nonne sub Homero, tota Græcia sub Regibus erat? sanè, sed non Hippocratis ætate: velut Argiuis Homeri tempore Agamemnon, Lacedæmoniis Menelaus, atque aliis alij imperabant, sed non Hippocratis tempore, omnes enim fermè populi Græciæ sine regibus atque tyrannis erant, quoniam altera alteri fauebat. Athenienses, Lacedæmonij, Mantinei, Magarenses, Achei, Argiui, Bœtij, Ætoli, Acarnanes, Cretenses, Cyprij, Rhodij, Lemnij, Chij, Coi, Lesoij, Samij aliíque Phores, tum in continenti tum in insulis. Pugnabant inter se, sed in vnum conspirabant aduersus tyrannos.

Quomodo autem militiæ studerent ita omnes fermè liberi non solum à regibus & tyrannis, sed artium exercitatione viuebant: Cæsar de Bello Gallico (lib.4. in initio,) dum de Sueuis agit. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte & pecore viuunt, multúmque sunt in venationibus. Quæ res & cibi genere & quotidiana exercitatione & libertate vitæ, quòd à pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Neque separati agri quicquam habent, & infra Germania agriculturæ non student maiórque pars victus eorum in lacte, caseo, carnéque consistit. Idem fermè Tacitus post CL. annos scribit in libello de Populis Germaniæ: Nec arare terram aut sypectare annum tam facilè persuaseris quàm vocare hostes atque vulnera mereri. Quoties bella non ineunt non multum venatibus plus per otium transigunt dediti somno cibóque. Et paulo post: Nec enim cum vbertate & amplitudine soli labore contendunt, vt pomaria conserant, & prata sepiant, & hortos irrigent, sola terræ seges imperatur. Eadem de Laconibus fermè Plutarchus in libro cui Titulus est Antiqua Lacedæmoniorum instituta: Lacones vtilitatis gratia literas quidem discebant, sed reliquarum disciplinarum peregrinos non minus artifices quam artes expellebant. Iidem neque agros colebant, sed hoc negotium Elotæ serui exercebant. Author Aristoteles & refert à Rhodigino ne etiam Cretenses qui Periæcis ad hoc munus vtebantur (lib.18. cap.26.) Romani moderati vt non prorsus neglexere artes omnes sed Agriculturam amplexi sunt, & alias etiam exercuerunt artes modo non sedentanias velut fabrilem & ædificandi, cædendi ligna, construendi naues, texere autem aut suere mulierum erat officium atque seruorum. Quantum verò referat libertas ostendunt verba

Sexti Ruffi: Sub regibus numerantur anni ducenti quadraginta tres: sub consulibus quadringenti sexaginta septem, sub regibus non amplius quam vsque Portum atque Hostiam intra octauum decimum milliarium è portis vrbis Romæ processit imperium sub consulibus autem inter quos dictatores aliquando fuerunt, & quæ sequuntur, enumerat Europam penè totam & Africam Asiæque magnam partem, vt facile sit intelligere quantum profuerit libertas & militia propter seipsos exercita, nam quod subiicit de Imperatoribus adulatorium est, cum ad Valentinianum scriberet Imperatorem, satis enim constat in CCCCVII. annis, qui eousque à Consulibus fluxerat fueratque sub Imperatoribus vix retentum quantum partum erat: sed pauca accessisse potius hæreditario iure quam virtute militari parta, tantundem verò per vim subtractum. Quærat autem aliquis ob hæc meritò an vita delitiosa ad militiam sit aptior? Et dicimus quasdam artes propriè militiæ conducere, & ciues oportere, vt in illis se exerceant, maximè pro gregario milite, fodere, currere, saltare, natare, luctari armis meditari, nauigare, venari, pancratiastem esse, equos agere: aliæ artes obsunt quòd eneruent corpus, ac distrahant animum studiúmque incrementúmque retardent: demum quod maximum est vita delitiosa animos addit, postquam ea fœlicem conditionem melius est amittere quàm mutare. Ob id vita deliciis plena fortitudinem addit: ars consilium. Id verò plurimum ad hoc facit quod homines deliciis dediti generosi euadunt, hi autem fortes sunt, Nihilominus fabrilis adeò militiæ necessaria est, vt melius sit eam exercuisse quàm omnino in deliciis viuere. Secus qui vitam in delitiis agunt, & laboribus iucundis magis apti ad militiam sunt nobilitatis opinione, odio & contemptu laboriosæ vitæ & exercitationis consuetudine disciplinæque peritia cui totos se dederunt.

LECTIO LXXXI.

Super

TEXT. XVI.

INuenias autem & Asianos ipsos inter se plurimum differentes, generosiores alios, alios degeneres, quorum omnium causa ad temporum mutationes est referenda, quemadmodum & in præcedentibus dixi. Atque sic quidem habet in Asia.

HAc in parte Hippocrates declarat non esse Asianos natura omnes inter se similes, sed natura etiam plurimum differre, nam de legibus antea disseruit. Adeò vt sit triplex diuisio Asiani ab Europæis differunt natura generali & legibus. Secunda Asiani inter se differunt legibus, quia quidam viuunt liberi, quidam sub Regibus. Tertia Asiani etiam qui sub eisdem legibus viuunt inter se natura differunt. Quod in eadem igitur parte orbis plurimæ sint differentiæ, nec adeò magnæ velut inter Asianos & Africanos, palam est ex quinque rationibus. Prima, quoniam cum sint diuersæ prouinciæ & magnæ, igitur vel sui ratione vel etiam interpositarum, necesse est vt vna dicatur Australis alterius comparatione, altera Borealis, vel vna Orientalis, altera Occidentalis, vel vtrumque, & hoc magno interuallo, ob Asiæ magnitudinem. Secunda, vt montes qui vnam ab alia diuidunt, aut mare aut palus aut flumen, si vni sit à parte Orientis, alteri sint à parte Occidentis, vel si vni à parte Austri, alteri à parte Boreæ. Quantum autem intersit in his duobus superius multis declaratum est. Tertia est proprietas loci saxosa, terrea, eminens, plana aut caua, arida vel aquosa aut palustris. Terra simplex, aut bituminosa, fœcundus locus aut sterilis. Huc spectant proprietates ventorum quorundam & locorum, vt sint sex differentiæ. Quarta est à legibus & consuetudinibus municipalibus, tum religione, velut Galli pauperes sunt magis subditi nobilibus quam Hispani vel Itali: igitur miles legionarius Italus est longè melior Gallo, & Hispanus etiam Italo, quia est liberior: contra Galli equites sunt meliores Italis, & Itali Hispanis. Quia vt dixi, liberè educati quasi syluestres comparatione eorum qui seruiunt, ideóque indomiti & ob id pugnaces. Et etiam quia nolunt commutare vitam, sed malunt amittere. Et quoniam satietas vitæ huiusmodi homines facile corripit, vt tam ament sed leui causa, vt etiam pro voluptatibus eam morti exponant, & ob medietatis rem armorum & exercitationem demum propter nobilitatem. Vltima differentia est in eadem non solum parte Asiæ sed prouincia & regione vrbanorum & rusticorum. Rustici enim plurimum à ciuibus differunt etiam interuallo vnius miliaris. Primum propter aërem qui est liber in villa, inclusus in vrbe, ideò caliditatem & frigiditatem magis imprimit, dicebat Oribasius (lib. 9. cap. 5.) Differt etiam aër qui vnius ciuitatis sit ab aëre regionis, in primis enim aër ciuitatis à domibus coarctatur, quocirca non secus quàm in cauis locis calidior est & crassior. Sol enim aërem qui non perspiratur continuo calefacit, & magis accendit, & motus vacuitas crassum reddit, cum motus æquè ac ij qui follibus perflant, aërem attenuet & siccet, Cæterum aër qui ciuitate continetur crassus fit, non solum qui in sese cogatur, ex eo quòd nullo motu cieatur, sed & eo etiam quod multo tempore in vmbra sit, & multo magis quod plurima atque omnis generis exhalationes ex vrbe in aërem ipsum prodeunt & fluant: & id quoque multo magis in iis vrbibus, quæ perspirationibus omnino vacant, qui verò in regione est aër cum tenuis purusque sit, faciat vt cibi appetentiores simus, & melius etiam concoquamus, & melius alamur, & meatus magis fluxilis sint, & sensus nobis sint integriores, causa est, quia aër ciuitatis cum vndique sit conclusus, tum à multitudine domorum, tum à tectis superimpositis corpora facit, quibus succi difficulter

ficulter digerantur eámque replet, at qui in regione est cum latè pateat, & sub dio sit remisse & dissolutè, id quod superfluit excernens, & leue & probè perspirans, & promptum ad sumendos cibos corpus reddit. Dico tamen quod morbi quandoque magis sæuiunt in rusticis & villis quàm vrbibus propter tres causas. Prima est vbi pendeant à ventis qui liberius & vehementius operantur in locis apertis quàm vrbibus: & maximè si vrbes sint ædificatæ ea ratione, vt viæ non sint rectè expositæ partibus principalibus cœli, quemadmodum nos admonet Vitruuius(libro primo, capite sexto.) Secunda est summus labor & prauitas ciborum quibus vtuntur, vnde fallacem dixit illorum bonum habitum. Galenus 1.de Alimentis (cap. 2.pag.2.)Tertia est inscitia omnium,adeò vt etiam bibant ob id aquas corruptas, edant herbas venenosas, & absunt à commodis vrbanis, sunt etiam rustici magis rudes & magis duri ciuibus ob duritiem corporis. Philosophus enim dicebat 2.de Anima(Text.com. 94.) molles corpore, esse aptos mente (4. Ethic. cap.8.) Ipsi quoque ab vrbanitate & facitiis remoti sunt, sed seriis tantum operam dant. Et quanquam hoc inter vitia numeretur, est tamen vitium hoc penè virtuti simile. Constat enim rusticos esse corpore robustos, animo fortes & simplices,& ob id iustiores ciuibus,tum etiam magis temperatos, quod etiam Patritius Senensis in suo 1. lib.(cap.7.)de Institutione ciuili docet.Et de robore quidem ac patientia corporum docet experimentum,& ratio à consuetudine deducta.De simplicitate etiam animi dubium non est,cum à vafris consiliis sint magis alieni.Et si delinquunt id accidit vel ob necessitatem, sunt enim admodum pauperes, vel ob timorem: anteuertunt enim vt decipiant, quoniam à dominis non solum decipiuntur, sed & vim patiuntur, sed neque de temperantia dubitare licet,tum fomenta voluptatum illis non adsint,delitiæ in cibis, potibus, ornatu, sumptibus, mulieribus, & de fortitudinis etiam ea parte quæ ad patientiam spectat dubium non est,cum sint durati laboribus,at de ea quæ ad mortis contemptum spectat videtur Aristoteles ibidem dixisse, motiones vt corporis declarant naturam, ita etiam animi mores.Cum ergo motiones illorum declarent robur corporis, ita etiam animi atque ideò fortitudinem: est enim quale in corpore, robur & virium firmitas,ita in animo fortitudo vnde neutrum est in nostra potestate, velut iustitia & temperantia: nemo enim iniustus aut libidinosus per naturæ vim est, sed perfractis moribus at timere consueuimus vel inuiti, ad bellica igitur munera aptissimi sunt, quod etiam vitæ genus ostendit adeo militiæ conforme,vt nihil magis. Nil mirum igitur similiter omnem non solum gregarium Romani ex hoc genere, sed etiam summos duces & dictatores eligebant. Velut Fabricium & Curium Dentatum.In vniuersum ergo cum in quatuor principaliter præstent, hi qui parum in vrbe versantur, sed in rusticis operibus assiduè degunt,robore corporis,fortitudine, temperantia: & vt sint veridici, etiam in illis quæ ad hæc consequuntur plurimum valent,velut iustitia,fide,laborum patientia & perseuerantia,& vt sint humiliores, ita contra sunt magis inuidi ob paupertatem, & suspicione laborant, ob simplicitatem & magis fieri, non solum ob duritiem naturæ, sed etiam quoniam nemini facessunt negotium. Cætera quæ illis vitio vertuntur talia sunt, vt ad laudem potius quàm ad vituperationem pertineant, velut parcitas quam importunè diuites áuaritiam vocant, & interpretantur,quod sint parum compti,parum in verbis ornati, quod contemnant honores & artium cupedias, velut etiam lenocinia verborum, delitias coquorum, odorum oblectamenta,quòd facile illis imponatur atque decipiantur, quòd iniuriam patientius ferant, cum verò in aëre liberiore degenerent pueri, meliores voces habent,præcipuè quorum parentes non in summa egestate laborant,idem medicamenta valida melius ferunt, & etiam iisdem opus habent, quòd duriores alui eorum sint.Sed quod melius ferant dicebat Hippocrates sexto Epidem.(Par.4.Text.22.) non satiari cibis & impigrum esse ad labores: id est eiusmodi robustum efficiunt corpus, tales sunt rustici:sunt tamen breuis vitæ, vt in eodem volumine testatur,dicens (Text.21.Par. 5.)cibaria imbecillia breuem efficiunt vitam. Sunt ergo breuioris vitæ, salubrioris corporis, morbos si qui inuadunt validiores experiuntur: & raros quosdam tum ob humorem atrum qui in illis plurimam prædominatur: & ob tarditatem auxiliorum,imperitiam medicorum, villicorum laborum, & vigiliarum magnitudinem,& ciborum ac potus prauitatem. Sunt autem tales longi in compositione plerumque informes,varij & fermè insanabiles omnes,perferunt igitur medicamenta valida,& præcipuè montani ob ventos qui corpora siccant, & lapidum naturam, & cibos qui plerunque sunt ex castaneis,& sæpe etiam ex glandibus. Sectione autem venæ minus egent,si non sit propter labores importunos, & copiosas multo minus perferunt ciuibus ob sanguinis paucitatem quæ eis adest ob cibos qui parum alunt, & propter laborum & vigiliarum excessum: sed circa inediam cum sint assueti sæpe & multum comedere,& paucos habeant humores bonos,& etiam parum de sanguine, non habent causam vllam quin nutriatur multo cibo, & sæpe & etiam satis nutriente,nec est alia causa vt perferant commodè inediam, nisi parua resolutio quæ in illis contingit ob densitatem texturæ corporis scilicet non solum cutis sed etiam membrorum:ideo cura per epicrasim magis conuenit in illis quam in vrbe degentibus, quamuis semper in acutè febrientibus cura per epicrasim sit explodenda: & non sit cura sed veneficium,sed vbi morbus extenditur vltra viginti dies,& præcipuè ad quadragesimum, & vltra tunc tales præcipuè hoc curandi genere indigebunt. Alemanus autem hoc in textu ea scribit,quæ ad propositum faciunt,nihilominus cum sint transumpta eh Ptolemæo in secundo Apotelesmatum (Text.16.)ideo nobis ad ea relegasse lectorem sufficiat: non solum enim diuersitatem morum Asianorum iuxta quadrantes ibi describit,sed illorum naturam animi aptè depingit.

LIBER



LIBER SEPTIMVS.

LECTIO LXXXII.

TEXT. I.

Et est initium septimi libri.

IN Europa verò genus hominum est Scythicum circa Paludem habitans Mæotim, quòd à reliquis gentibus maximè differt, Sauromatæ appellantur. Horum fœminæ equites sunt, arcubus vtuntur, ac sagittas iaculantur ex equis, cum hostibus congredientes dum virgines existunt: neque deuirginantur prius quàm hostium tres confecerint: neque prius mariti cohabitant, quàm sacra Deo patrio more fecerint. Quod si qua sibi virum acceperit ab equitatu libera est, nisi necessitas cogat communi expeditione omnes exarmari.

NOn de propriis Scythis sed Sauromatis videtur Hippocrates hic loqui, tum maximè ob verba quæ adiicit (circa paludem habitans Mæotim) quorum mores atque naturam describere propositum est ei. Interpretatur Sauromatas lacertorum oculos habentes, quod præter etimum vix vllum retinet sensum, Græcæ tamen videtur iidem qui & Sarmatæ Latine. Apud Strabonem (lib. 11.) constat Sarmatas duplices esse Mæoticos, qui minus sunt Boreales: & Scythicos qui ad Polum magis vergunt. Confusa est ratio ob multitudinem gentium, qui sub eo nomine comprehenduntur. Olim conuenire soliti in Dioscaria vrbe principali, quæ ad initium Phasidis fluminis sita est, quasi media eius Isthmi (si modo Isthmi nomine dignum est interuallum tam latum) quod interiacet Caspium mare Pontúmque Euxinum, dicta Dioscurias, quòd Tyndaridis dedicata esset, sed neque nunc de his propriè agere videtur, verum potius de Amazonibus. Constat sanè tamen floruisse Amazonas, quandoquidem ad tempora vsque Alexandri Magni peruenerunt, quo antiquior satis fuit Hippocrates. Quæ igitur conueniunt sunt abscissa mamma dextra, & virgines in prælia equitando procedentes. Sed has tamen iunctas viris facit Amazonas, referunt mulieres fuisse equidem belligeras, sed sine viris, Nostro tempori Amazones non sunt Sarmatæ plures súperque quos partim Moschouitas, Russos albos & nigros, & esse volunt. Herodot. (lib. 4.) has etiam describit, & ex Asia pulsas in Europam venisse, & sedem ob pulchritudinem meruisse apud Sauromatas & Pontum Euxinum. Thalestriámque earum Reginam ad Alexándrum Magnum venisse concipiendi causa, quæ omnia Strabo refutat, & vana esse credit, cum verò probabiliorem ponit opinionem illas citra Ceraunios montes, Caucasi ramum Gargarenses vltra eos pónit, at inquit existimare illas tam acres in pugnando fuisse, gentes è propriis sedibus expulisse, vrbes condidisse, nil aliud est quàm dicere viros in fœminas, fœminas in viros commutatas, quæ res propior est fabulæ quàm historiæ, quod autem dicit Hippocrates, hic longe distat ab his, & multo verisimilius est, vt in sequentibus videbimus. Situs igitur est qui à Ptolemæo (In 2. Asiæ Tabula.) ponitur ad Ceraunios montes, inter ramos Rha fluuij & Ceraunios montes, sed vltra scilicet orientalior nostra ætate, vbi Chippiche scilicet intra Volgam & montes dictos, nam Volga idem est fluuius dubio procul, qui & Rha antiquo tempore, & alio nomine nunc Edes Satira lingua dicitur. Differt tamen descriptio Ptolemæi (In decima noua Tabula,) ab ea quæ est Strabonis & illorum qui Ptolemæo figuras addiderunt ab ipso Ptolemæo, quoniam corruptores sunt non castigatores. Scripserunt de Sarmatia satis verè & diffusè Matthias Amichon & Sigismundus Liber: verum de Scythis nunc sermonem instituimus. Duplex est intra Imaum & extra, de quibus sexto libro (Tabula 7. & 8.) agit, nominat illius interioris vrbem principalem Alpabotam, & aliam Dauben, extra autem tres, Auracian, Cauranam & Setam, & licet quinque tantum nominauerit vrbes in ambabus. In interiore tamen Scythia quadraginta numerat gentes, in exteriore autem septem tantum, non quia hæc minor, cum sit longè maior, sed vt minus nota. Et Parthos fuisse Scythas absurdum est, cum illi sint in quinta Asiæ Tabula, hi, vt dixi, in septima & octaua: illi septem in regiones diuidantur, habeántque vrbes saltem XXV. hi vero, vt dixi, vrbes quinque tantum, regiones autem XLVII. Præterea Parthi sunt australiores Italis, Scythæ longè borealiores, adeò vt inter Scythiam & Parthiam plusquam viginti partes latitudinis intercedant. Et Parthi citra mare Caspium sunt, & prope Persidem Hyrcanium & Mediam & Ariam. Dicunt tamen Parthos à Scythis originem traxisse, fuisséque exules illorum, quoniam lingua Scythica Parthus exulem significat. Sunt inter Parthos & Scythas intra Imaum montem Massagetæ, Margiani, Bactriani, Sogdiani, prope incipiunt Iassarti Scythæ, qui sunt australiores à flumine sic appellato penè distante partibus L. ab æquinoctiali. Ad Parthiam positæ sunt portæ Caspiæ inter montes, & ad Assyriam portæ Iagri eodem modo, & ad Sarmatas: at ad prohibendos Scythas nil memoratur, quòd

latissimè

latissimè pateat hæc gens. Vicit Alexander Magnus quosdam, sed excursionem potius quàm aciem: Et Nomades, id est Scythas qui in pascuis inter armenta degunt. Romani ne videre quidem, cum neque Parthos imò nec Persas supponere imperio suo potuerint, liquet igitur discrimen quatuor nationum principalium inter se Scytharum intra Imaum & extra. Etenim hi Borealiores sunt, sed qui extra orientales magis & Sauromatum qui australiores Scythis, tamen magis ad occidentem vergunt: & Parthos qui etiam australiores Sarmatis, sed & magis orientales. Sarmatæ Asiani, hi nunc sunt quos vocamus Moschouitas à Moscho flumine, vt Sigismundus Liber author est: sed & Poloni Sarmatæ sunt & Podolia & Rossia alba & rubra & nigra & Mossouia & Prusia & Liuonia atque Lituania. Ad Scythas autem pertinent Tartari, qui etiam nunc non solum nomine Parthorum intelliguntur, cum olim essent orientaliores Caspio, verumetiam inter Caspium & Paludem Mæotim Tartari appellantur. Et tam Scythia quàm Tartari si initium sumant ab LXXX. partibus longitudinis à fortunatis extendunt per CXX. partes saltem, & ita per tertiam mundi. Verum ibi terræ globus angustus est, latitudo autem inæqualis adeò vt tum propter ignorantiam locorum, tum morum feritatem etiam sub æstiuo circulo Scythas extendant, atque Tartaros. Ego enim Scythas voco homines, quales ab Hippocrate describuntur, habitantes in frigida regione valde plana, sublimi aquis mediocriter referta, qui vagantur, nec habent ciuitates, aut valde paucas, quemadmodum docuimus. Sunt Scythæ seu Tartari homines lata fronte & carnosa facie, oculis obliquis & concauis, barba horridi atque terribiles, cæteris partibus vt capite rasi: soli nobiles capillati sunt vsque ad aures, tamen nigerrimis crispisque pilis, statura sunt mediocri, robusti admodum & audaces, vigiliarum, inediæ patientissimi, & tamen voracissimi ob regionis immensum frigus, sed & ob consuetudinem, ob quam etiam in edendo sunt spurcissimi, adeò vt viscera boum & equorum illota, & vix ligno à fece purgata ac calefacta igne, nobilissimi quique ita edant vt etiam digitos lingant, hæc autem consuetudo ex inopia inualuit, quemadmodum in lupis etiam. Mira in equitando & incredibilis agilitas, nam currentibus illis è terra tollunt sagittas: sunt tam valde parui, hi verò radicibus arborum & corticibus vescuntur & ipsi famis & laborum patientissimi, acres & sæui, sed magis sub eorum imperio. Adeò amant varietatem regionum, vt filiis dum mala imprecantur dicant, Det tibi Deus vt vno loco quiescas perpetuo, vt sentias fœtorem tuarum sorditierum tuique ipsius. Nulla de furtis cognitio habetur: sufficit enim dicere ea re indigebam, rapacissimi sunt ac pauperrimi, raptáque vendunt omnia præter puellas. Raro arces aut vrbes obsident, sed neque si hominem occidat aliud à iudice patitur quàm vt equo, veste & arcu spolietur, nihilo tamen secius Scytha Scytham non occidit, nisi in regum discordia ac pugna. Vtuntur sola rerum permutatione inter se, nec nisi pecunia à mercatoribus emunt. Reginæ cum in publicum prodeunt faciem velant. Sunt præterea sæuissimi Scythæ, adeò vt comprehensos senes, aut morbosos pueris dent trahendos ad aquas ac mergendos aut sagittandos non tam ludibrio, quàm vt ab ea ætate discant esse feri: quæ gentis feritas aduenit natura, cum sint in regionibus frigidis nati & educati, & ob id calidi & sicci cordis ac cerebri: tum ob consuetudinem eo enim tendunt exemplis, vt Romani olim etiam à pueritia imbuebantur spectaculis, hi verò etiam actionibus: tum ob paupertatem & labores: coguntur enim rapto viuere & multa perpeti quæ cupiunt quasi illi causam præbuerint: in aliis vindicare: tum ob religionis impietatem, quæ nulla est aut Barbarica: velut etiam memorantur de ritu illo absurdo in Tauris immolandi hospites, & aduenas, demum ob stultitiam ipsam cum enim careant Philosophia nil habent iustum aut sanctum aut pium, sed super naturam ferinam etiam malitiam peruersi humani animi addunt, vnde referunt Anacharsim cum versatus inter Græcos & studiis Philosophiæ culto animo vellet humanitatem docere suos Scythas tum inuidia tum insueti moris odio à fratre sagitta occisum. Ex quo etiam perspicuum est quod alias dixi, animam humanam specie esse tandem, corpora autem esse affecta temperamentis singulorum animalium, & ob id imbuere homines etiam singulorum animalium mores. Vrbes nobiliores Scytharum & Sarmatis proximiores nostra ætate sunt, Astracha, Caran, Asoph, de qua superius locuti sumus emporium, Achas, Chrym, Campha. Vocatur autem Tartaria seu Scythia, quæ est propior Tauricæ Chersoneso Procopiensis, vbi etiam est Capha.

LECTIO LXXXIII.

Super

TEXT. II.

DExteram autem mammam non habent. Nam puellis adhuc infantibus matres æreo instrumento in hunc vsum parato, ignéque candefacto eam auferunt ac exurunt, ne iterum succrescere contingat, atque vt omnis vis ac robur in dextrum humerum & brachium deferatur.

REfert vsum quem constat fuisse Amazonum, nunc autem mulieres Tartarorum non hæc agunt, imo neque in pugnam veniunt, qui mos est sanè melior antiquo nam mulier bellatrix multa incommoda affert parum vtilis, quoniam & si arcu & claua valeat cum vterum gerit: prorsus est inutilis nam iaculando vel feriendo vel currente equo plerunque abortit. Virgo etiam & si forsan non inutiliter discere possit equitare & pugnare, quod hoc quandoque necessarium

sarium sit in periculis pro patria, vt mœnia defendantur ab imbelli multitudine, vt olim apud Argos, & nostra tempestate Eunei in Sabaudia, seu agro Taurino: non tamen propter hoc tanta deformitate illas afficere decet & incommodo periculóque subiicere ob tam leue & rarum commodum, neque efferare adeò puellas, vt postmodum etiam & in prolem, & in maritos sint sæuæ. Fiunt etiam contumaces natura cum iam tales sint, & iracundæ: nec partes suas bene implent: quæ sunt, humaniter tractandi sobolem & prudenter administrandi domum. Miles enim neque vltro mansuetus vnquam erit, neque prudens, at Scythis cum non haberent, habeantve domos, sed in curribus, multo minus expediebat pugnare, aut ad pugnam paratas esse. Romanis ac Lacedæmoniis forsan vtilius fuisset: Sed non tali auxilio nec defensoribus istis tempus eget. Dicebat ille, vtcúmque sit periculosæ fiebant, quæ audacia ad adulterum non parum, maximè cum serius, facit, quo nihil detestabilius. Sed dices Plato in Critia (pag. 2.) voluit mulieres ex æquo operam dare militiæ, vt etiam viros, id duplici argumento ostendens, & quòd Mineruam & deas alias armatas, vt Martem, fingerent veteres (velut & Bellonam Romani) hoc argumento significantes non minus vacare debere mulieres bellicæ disciplinæ quam viros. Et quod in omni genere animalium fœmina non minus masculo pugnax est, & in quibusdam etiam magis, maximè pro sobole, vt vrsa. Et quod omnia munia debent esse communia, tam viro quàm mulieri. Istud idem attigit in septimo de Legibus, (pag. 11.) addes aliam causam quam nuper diximus, vt si viri in expeditionem omnes bello vtiles exire cogantur, aut etiam tueri agros ne deuastentur, mulieres mœnia tueri possint, vt mulieres dicit imperent (pag. 8) virgines autem pugnent. Prius autem istius quasi loci meminisset magnam esse multitudinem talium cum viris cohabitantium: non Amazonum inquit supra Pontum quas liquet esse has. Idem in quinto de Repub. (pag. 9.) adducens nouam causam, vt filij videntes parentes pugnare discant & ipsi: Et antea mulieres non secus ac viri ad custodiendam ciuitatem idoneæ sunt, sed munera leuiora eis sunt tribuenda. Videtur autem hoc & Philosophus (pag. 4.) ad Socratem traducere secundo Politicorum, sed neque laudare neque vituperare. Et forsan si quis rectè consideret cum homo, vt alias docui, non specie tantum (cap. 4. in princip.) à cæteris animalibus differat sed genere, non est necessarium vt illius leges ac mores ab animalibus sumamus, quæ naturæ legem tantum sequuntur, neque propter rarissimos euentus, vt condamus legem. Et si bis aut ter à mulieribus defensa sint in magna solitudine virorum mœnia, neque etiam sequitur illas fuisse antea in arte militari exercitatas. Et tamen ob necessitatem tam bene se tutatæ sunt, quam si fuissent militiæ assuetæ, neque viros occiderunt qui reliqui erant, quemadmodum de Amazonibus refert Iustinus historicus (libro secundo post principium,) sed neque Romani bellicæ rei studiosissimi, neque Lacones ferocissimi, mulieres suas ad munia belli traduxere, sed potius nimis molliter hi vsi sint eis, vt ab Aristotele reprehendantur. Neque natura vt in dextra ac sinistra manu tantum discriminis posuit, vt dextra vehementiores ictus inferamus sinistra magis retineamus, in mammis differentiam fecit quam dum illi facere curarunt, non sine ingenti periculo id exequebantur. Is ergo mos feralis erat, ac nunc desiit. Amazones tamen adhuc sunt in Matityna insula antropophagæ & sagittariæ, vt Petrus Martyr Mediolanensis author est (in Epist. ad Cardin. Bembum.) sed & I. Bon. Ier. Oruedus refert iuxta Maragoorum flumen Peru esse gentem maximam instar Amazonum, quæque sub Regina viuat, nec ab Amazonibus differre, nisi quod mammam haud exurant fœminæ, sed tamen acriter pugnant. Idem in magno compendio refert Indos mulieres multas præcipuè reginas & anthropophagas ire ad bella has exercentes arcum cum sagittis, illas vice coniugum exercitui imperantes. Idem & Fer. Cortesius (Fast. de Indis Mediterraneis in fine,) in Guallacalco prouincia, atque ibidem refert (in 4. Red.) in Ciquatan prouincia insulam esse, quæ solum à mulieribus incolitur, eadem lege congressuum quæ dicta est in aliis. Volui hæc subiunxisse ne prorsus fabulosa viderentur quæ hic ab Hippocrate (libro 4.) traduntur, quæ etiam ab Herodoto referuntur, qui eadem ex præsente loco sustulisse & transtulisse videtur. Sed iam medice transeamus, quæ & si non vtiliora sunt, his aut digniora tractationi tamen consentanea proculdubio videntur, nam & de his in Politicis actum est.

Et principio quidem instituemus quæstionem de sectione mammæ, qua ætate magis conueniat? iam inclinante ætate certum est periculosiorem esse, & cum creuerint, at dubium est, an ab ipso ortu statim, an post paucos dies, ac cum iam prope septimum annum fuerint. Et certe hoc aliud est quàm infibulare aut circumcidere puerum, ad mammas enim venæ satis magnæ & multæ prodeunt, & quanto maiores extiterint, sed nerui pauci & tenues & arteriæ similiter, eòque magis in puellulis, vt author est Vesalius (libro 5. cap. 68. & figur. 25.) vbi etiam docet multas in adultis esse carnes glandosas, sed in puellis paucas, è regione tamen papillæ est glans satis magna, in cuius ambitu sunt multæ aliæ minores; & neruus maior est ex septimo pari spinalis medullæ in interuallo quartæ costæ: vt certè tanta incisio non sine incommodo fiat, ablatis tot glandibus, venis, neruis, arteriis, amplum spatium etiam occupantibus, quia tamen non sunt membra necessaria vitæ nec nerui nec vasa valdè ampla & omnia externa, & non adsunt musculi, & locus abundat carne, nec est è regione membri principalis, ideò vacat quasi periculo hæc operatio. Modus autem incisionis erat, vt tollerentur carnes omnes glandosæ.

Qua ætate tria consideranda sunt, magnitudo membri: & iuxta hoc quo citius tanto melius:

melius metus & iuxta hoc etiam à prima infantia: neque enim habent metum nisi sensuum. Est enim duplex metus sensu sub oculis & auribus per sonos & figuras terribiles, & hic non incipit nisi à XL. die sed post fit maximus inde tanto magis minuitur, quanto & rationalis metus augetur: hic autem augetur vsque ad extremam diem: ergo sensibilis tantundem minuit. Igitur magis conueniret etiam iuxta hanc rationem ante quadragesimam diem. Tertium est robur virium quod crescit vsque ad ætatem adultam, verum à septimo minus sunt obnoxij conuulsioni, ergo post initium octaui anni erat cum minore periculo, timor autem tollitur occulato facto & præparatione. Dolor vero ex vinculis ideo debet vinciri stricte mamma constringendo prius per momentum solum ne locus inflammetur: nam dolor augeretur: & post abscindi & exuri ne sanguis erumpat ex vasis, & vt nerui effugiant periculum conuulsionis, & omne incrementum partis prorsus tollatur. Dicit autem quod incisio fiebat cum ære: an putas illos caruisse ferro? certe non, sed quoniam æs cum sit calidum non mouet conuulsionem, ferrum autem mouet: secundo quia Philosophus dicit, quod vulnera ex ære facta citius sanescunt. Dubium solum relinquitur de eo quod robustiores debeant euadere ex ea parte brachij cum læsio sit facta in ea, & pars etiam refrigerata. Dico quòd in his qui iam creuerunt locus debilitaretur, sed cum illæ puellæ crescerent & exercerentur, ideo locus trahit plus materiæ pro membro, & menbrū, id est humerus & brachium, & musculi eorum augentur: quia sunt in transmutatione, & non habent certam quantitatem, sed sunt potestate tanta, quanta est materia quæ illis suggeritur crescente autem membro, crescit & robur, quia mouetur ab anima, cuius virtus est infinita, vt declaraui in libro de Proportionibus, (Propos. 46.) id est tanta vt quanto magis crescit corpus, crescit quod mouetur, eo etiam vis motus augetur, sicut etiam in graui, sunt enim vires animæ mundi. Et ipsa mouet iuxta voluntatem cum sit incorporea, ideo proportio est infinita ad hunc sensum, quia augetur & incremento subiecti, & semper manet eadem, & ita intelligendum est infinitum in comparatione incorporeorum ad corporea: alio modo vt simpliciter intelliguntur tertio modo vt inuicem comparantur.

LECTIO LXXXIV.

Super

TEXT. III. & IV.

CÆterum reliqui Scythæ quod ad formam attinet ipsi sibi similes sunt, alij dissimiles, sicut quoque Ægyptij ipsi inter se, præterquàm quod hi à vehementi calore, illi ab intenso frigore sunt compressi.

DVplicem sensum habere potest: vnus quod Scythæ sunt similes inter se omnes, sed aliis hominibus sunt dissimiles: alius quod ipsi Scythæ de quibus nunc agit & sunt prope Mæotidem paludem, sunt similes inter se, aliis autem Scythis dissimiles. Verior autem est prior sensus. Sed in aliis verbis est dubitatio, quia verbum nisi quod excipit debet contineri sub generali oratione, ac si esset sensus, Ægyptij & Scythæ sunt similes inter se, nisi quod hi à vehementi frigore sunt cōpressi, illi exusti à vehementi calore: at hoc est absurdum, quod in cæteris sint simillimi. Dicas ergo quod Scythæ & Ægyptij sunt similes inter se hac in parte quod inter se conueniunt plurimum, licet plurimum differant aliis: quamuis in hoc non conueniant etiam plene, quia differentia Ægyptiorum ab aliis est propter calorem, Scytharum ob frigus. Vnde iure merito quis dubitare posset, quis magis distet à temperato, Scytha an Ægyptius? & dico quod questio est alia de propria temperie, alia de temperamento aëris, temperies enim calida propria in qualitate stat cum multitudine caloris, si sit naturalis magis quam frigida, præternaturalis autem est deterior, quia corrumpit, cum ergo calor aëris sit medius inter calorem præter naturam & naturalem, ideo magis minuit, & magis corrumpit calorem naturalem quàm frigida quod etiam innuit Hippocrates in 1. Aphoris. (15. & 17.) & Propterea dicebat Princeps (2. primi Doc. 2. c. 10.) loca habitabilia calida nigrificant capillos, & crispos eos reddunt in modum piperis & coctionem debilitant. Et cum in eis maxima fuerit resolutio, & minuetur humidum cito adueniet senium. Velut in Abisit, illi enim in XXX. senescūt. Et eorum corda sunt timida, quia spiritus multum resoluitur. Et corpora habitantium in regionibus calidis sunt magis lenia. In frigidis autem fortiora & melius concoquunt, quæ si etiam cum hæc fuerint humida abundabunt & carne & adipe, & ideo venæ & articuli latitabunt in eis: & erunt mollia & alba, vt sunt Belgarum: & dixit hoc ex authoritate Rasis qui sumpsit hoc ab Archigene, is autē per Abisit intelligit Æthiopes quosdam, & addit quod in Germania viuunt ad centum annos. Sed tamen nos docuimus ex experimento, & Aristotele quòd homo in frigida regione, non tantum viuit quantum in calida, quoniam reliqua non sunt adeo bona, vt fructus qui non maturantur: vuæ & frumentum non proueniunt, aër est impurus nebulosus, plenus vaporibus crassis & à terra cœnosa prodeuntibus. Nihilominus si calor excedat, quia si prope æquinoctij circulum sine ventis & aquis currentibus omnia conuertentur in deterius. Erit enim aër densus, terreus, & fructus aridi, nihil virens, omnia arida, velut iuxta lacum Asphaltidem in Iudæa, in Arabia & Libya deserta, in Manicorgo & similibus. Comparando autem regionē non siccam calidam, frigidæ temperatæ. Dicebat Galenus secundo (c. 8.) de Naturalibus facul. calidam generare bilem, frigidam pituitam. Et in regionibus calidis magis exoluūtur corpora quàm in frigidis, dicebat idem secūda Aphoris. (com. 28.) Quibus propositis nondum liquet, quæ regio sit vitalior ex dictis, scilicet Scythia an Ægyptus? Et dico ex

superioribus quod absolutè Scythia esset vitalior, nisi in paucis locis, vbi Ægyptus est perflatus verum propter multa incommoda Scythæ absque dubio minus viuunt Ægyptiis quod etiam inferius innuit.

TEXT. IV.

Verum solitudo quæ Scythica dicitur in planitie sita est, pratis abundans sublimis & mediocriter aquosa. Sunt enim fluuij in ea magni, in quos aqua ex campis per riuos deducitur. In hac itaque Scythæ degunt qui Nomades vocantur, propterea quod nullas habeant domos, sed in curribus habitant. Sunt autem currus ex quibus minimi quatuor rotis, reliqui sex circumagantur. Sunt etiam luto obturati, ac instar domorum fabrefacti, aliqui simplici, aliqui etiam triplici tabulato. Angusti quoque sunt aduersus omnes iniurias aquarum, niuis ac ventorum propellendas. Trahunt currus aliquos quidem boum paria duo, aliquos tria, atque hi cornibus carent cum præ frigore regionis cornua eis non enascantur. In his itaque curribus degunt mulieres. In equis autem vehuntur viri. Sequuntur autem & simul oues, boues & equi. Tamdiu deinde in vno subsistunt loco, dum sufficit ipsis pecoribus pabulum, quo deficiente in aliam regionem commigrant. Vescuntur autem ipsi carnibus coctis, bibuntque lac equinum, commedunt etiam hippacem, id autem est caseus equinus Hactenus ergo de victu & moribus diximus. Temporibusque anni ac formis quæ reliquis hominibus longissimè sunt Scythiæ genti diuersæ. Ipsa enim sibi inter se gens similis existit, quemadmodum & gens Ægyptiorum.

Declarât quatuor quasi repugnantia inuicem de regione Scytharum, primum quod habitent in regione plana, secundum aquis abundante, tertium quæ pratensis sit, quartum quod sit sublimis, hoc autem videtur contradicere ei quod dictum est, quod sit plana & aquosa: loca enim sublimia videntur potius esse montuosa & destituta aquis, quoniam aquæ ad humillima feruntur. Ideo Aristot. dicit secundò Metheor. (cap. 1.) quod terra ad Arcticum Polum sublimis videtur, & quod ex illa parte plurimi fluuij deriuentur. Itaque situs in hoc causa est, & forsan quia à Sole minime exusta est, & ideo non excauetur velut in medio, non tamen è montuosa, quia non est inæqualis. Montium enim proprium est vt dicantur ad valles, & sint inæquales. Propterea dicit quod est aquosa, quoniam ibidem plurimi fluuij sint, quod verum est, & celebres. Velut Rha, Boristenes, Tyra, Hypanis, Axiaces, Tanais, Phasis, Charistus, aliique plurimi, præsertim quæ in Mæotim paludem influunt. Cum enim ibi multi sint montes in ambitu, nec à sole aquæ dissipentur, par est aquas & fontes, & flumina multa collegi in planitie, nam in montibus non possunt flumina ob inæqualitatem colligi. Vbi autem aquæ abundant ibi sunt prata, & hoc est quia aqua cum coquitur à Sole generat herbas: & si generat arbores oportet vt sit cocta cum terrea parte crassa, ideo validiore calore indiget, & semen indiget aerea, & terrea parte tenui cocta: ergo hic cum calor sit debilis erit regio arboribus nuda aut saltem habebit nisi salices qui sunt proximè herbis, & erunt prata. Vnde cum agri semina ferunt velut triticum maximè, ideo non erunt ibi agri sed prata, semina herbarum ex eodem fermè genere sunt, quia leuia. Et hæc est causa quod Germania fert milium & siliginem, non triticum quia pinguius. Et ideo ex tritico non ita ex milio fit oleum quod dolores sedat, pingue enim est quoniam granum est densius & ob id concoctum magis duplici causa. Vbi verò pauca aqua est & locus frigidus generantur arbores, vt in Heluetiorum montibus, & vbi terra plana est & contecta à Borea vel Meridiei exposita, vel bitumen, vt in Germaniæ magna parte, triticum gignit, non ita milium quoniam ficciore solo indiget, velut oriza humido & calido: & tamen siligo familiarior est tritico. Montes ergo qui niue minima non abundant, nemora, & arbores habent nisi nudi sint. Cum ergo Scythia grano careat coguntur vesci carnibus & lacte: neque enim fructus habent, & multo minus vinum, quod feruidiore cœlo indiget etiam quàm triticum, igitur coguntur loco siliginis & tritici vesci carnibus, caseo, loco vini bibere lac quod in promptu est, igitur magnis gregibus iumentorum & pecorum opus habent, ideo Nomades, id est pastores vocantur: at pastorum proprium est vagari, cum propter greges magnos vagari cogantur ideo Scythæ vagi sunt necessario. Et equos multos alunt, quia ab his iuuantur in itineribus in pugna, & edunt carnes eorum, & bibunt lac, quod est tenuius etiã asinino, ideo commodius ad potum. Et ob id cum debeant ducere familiam, nec habeant camelos coguntur ducere curribus, & illis ædificare casas, atque obstruere propter frigus. Et vtuntur bobus ad trahendum, quoniam sunt minoris sumptus, & quoniam caro vitulorum melior est. Omnia per se clara sunt ex textus serie adiunctis his quæ diximus nisi hoc vnum.

Cur propter frigus boues careant cornibus, cum Rhingiferi habeant maiora cornua bobus & solidiora, & sunt proprij regioni frigidiori quam Scythia, vel aquæ frigidæ. Aristoteles igitur secundo de genere Animalium docens (cap. 4. iuxta finem, seu collum. 18.) generationem vnguium, cornuum, rostrorum, vt distinguitur à generatione carnis, & à generatione ossium & neruorum, ita vt videatur facere tria genera, generationis partium

tium in corporibus animalium , dicit quod caro generatur ex eo quod reſudat ex venis, & cogitur à frigore : oſſa & nerui à calore ſucceſſente humore fiunt, dum quod terreum eſt relinquitur, cornua & vngues & roſtra ab vtroque : ſcilicet à calore reſoluente partem humidi inde reliquo à frigore congelato. Ideo fit vt caro ob ignem diſſoluatur , quoniam concreta eſt prorſus à frigore: oſſa nullo modo quia à ſolo calore coacta ſunt: cornua, vngues & roſtra molliuntur : quia non poſſit reſolui cum maneat terreum à quo reſolutum eſt, quod euaporauit: & tamen molliuntur non ratione humidi reſoluti , hoc enim non poteſt amplius diſſolui ſed relinqui. Ideo cum pars aquea ab igne diſſoluatur terrea , diſſolui non poteſt nec liquatur, vt caro nec durum manet , vt os adeo vt exuratur, ſed moleſcit quod accidit cum humidum bene miſtum terreo liqueſcit. Et ſi dicas quod oſſa molleſcunt igne, dico quod cum aqua & aliquo quod tenui tenue ſit faciat penetrare aquam, aliter non , quia ſemper remanet aliquid humidi in miſto. Et illud licet non ſit per ſe ſufficiens, vt diſſoluatur ab igne adiecto tamen humido alio liqueſcit. Cornua ergo boum in regione adeò frigida non poſſunt durari, quia ſunt parum profunda , vt 3. de hiſt. Animal. (cap. 9.) Et eadem ratione in ceruis fœminis deſunt , & capreolis, frigidiores enim ſunt & menſibus educitur materia illorum , non tamen ob id omnibus bobus ibi cornua deſunt. Et quanquam hæc de bobus ſine cornibus dicat Hippocrates , cui ego tantum tribuo quantum quiſque alius, non tamen adeò conſtat , cum in Sarmatia tota cornua habeant , vt Sigiſmundus refert : nec quod cornibus careant vllibi in Septentrione meminit Olaus Magnus de illis agens lib. 17. (cap. 4.) niſi forſan in Scythia ipſa & temporibus Hippocratis, nam & temporum curſu mutantur res, vt in libris de Arcanis æternitatis docui , adeò vt vix dignoſci poſſent : ſed ceſſaret ratio finis quod abſurdum videtur, aut quia tum gens illa ſuis bobus cornua præcideret ratione aliqua, vtpote decoris vel alia : aduenæ autem exiſtimarent , illos ſine cornibus natos : aut quod veriſimilius eſt & perfectè excuſat Hippocratem , quod ex defectu alimenti & iniuria frigoris non innati, ſed circunſtantis cum ſub ſereno ſtare cogatur , quia deſunt ſtabula & arbores, vt iam docuit Hippocrates & alij fatentur, qui nunc ſcribunt, qui etiã concedunt vngues atteri, ſed potius etiã glacie quæ frigore ipſo. Sed tamen ruſtici noſtri aliquando in magnis frigoribus cornua veſtiunt bobus palea : itaque credendum eſt in Scythia ob frigus tamen externum quæ etiã internum & alimenti boni defectum boues cornubus carere, nam in maximis frigoribus cum nudæ partes quamuis carnoſæ manifeſtè excidant, vt vngues hominibus per niues iter habentibus : certè bobus cornua exanguia nec die nec noctu cõtecta vlla modo in frigidiſſima, & maximè ventoſa regione ſtare , potius pro miraculo habendum eſſet quam quòd decidant admirari debeamus.

Ergo vt ad rem redeam. Pomponius Mela lib. 1. (lib. 2. cap. 1.) quædam ex his confirmat: dicens, Vagi Nomades equorum pabula ſequuntur, atque vt illa pecorum durant, ita diu ſtatum ſedem agunt, ſed de Hippace eiuſque confectione hæc ſcripſit (pag. 11.) Hippocr. ſeu eius libri author, ex quo quædã mutuatus eſt Herodotus in 4. de Morbis , lac equinum in vaſa lignea Scythæ concutiunt, illud autem dum turbatur ſpumeſcit ac ſecernitur , & pingue quidem quod butyrum vocant, cum leue ſit in ſuperficie cõſiſtit graue verò & craſſum deorſum ſidit, quod etiam ſecretum ſiccant. Vbi verò concretum atque ſiccatum fuerit , Hippacem eum appellant. Verum quis obiiciat ſi lac equinum tenuius eſt aſinino, vt Galen. & Ariſtot. dicunt (3. de Alim. c. 15. in princip.) cur lac equinum caſeum efficit, aſininum non , nam etiam Galen. (3. de Hiſt. anim. c. 20.) negat eam partẽ illi ineſſe, & experimentum docet non fieri caſeum ex aſinino lacte, neque medici ad hecticos, & tabeſcentes equino vtuntur vt aſinino, Et cum præferunt in cura (14. 3. cap. de cura aſcitis) aſcitis camelinum quod ſit tenuiſſimum, equinũ in noſtris regionibus eius loco vt . tenuitate proximum poſt illud eſſet probandum, cum tamen eius in hac cura nullus meminerit. Propterea res hæc maximam in ratione curandi dubitationem affert, atq; vtinam tam facile foret eam diſſoluere, præſertim cum in illa cura maximam in camelino lacte ſpem collocent etiam alij (Raſis 19. contrac. 1. c. 2.) Dicebat Princeps , quatuor ſunt genera lactis tenuis (2. can. Trac. 2. c 442.) camelinum poſt equinum , inde aſininum & ſuillum , ſed ſuillum eſt crudum, ideò nullius vſus ad medicina (niſi forſan proprietate quadam) & camelinum eſt ſalſum , non tamen numerat camelinum inter purgantia: ſed vult vt conferat hydropi proprietate quadam , ideo iubet vt æger nil ſumat, ſed pridie abſtineat , ſi poteſt, ab omni potu ei cibo, inde ſequentibus diebus ſit contentus ſolum potu eiuſdem lactis, quinimo ſi purgatur venter habetur pro malo , vult tamen vt vrinæ cum fece ſint maiora, ipſo lacte aſſumpto in pondere, ſed ſi moueat aluum eſt inditium corruptionis. Ergo vt ad rem redeam, dicit quod lac equorum eſt ſimile lacti camelarum nouiter fœtarum , ſed debet intelligi contrario modo lac equarum nouiter fœtarum eſt ſimile lacti camælino, & ideo in proceſſu non eſt adeo vtile, lactis genera ſic ſe habent, atque eodem ordine in tenuitate, & craſſitie camelinum, equinum, aſininum, ſuillum etiam poteſt camellino , vt dictum eſt, tenuitate præferri, ſed maximè crudum, poſt caprillum, ouillum, vaccinum, inde caninum, quod omnibus craſſius eſt. Verum dicit (6. de Hiſt. anim. c. 20.) quod lac leporis & ſcrofæ craſſius eſt canino, de quo alias diximus (12. contradic. 33.) Ætius (lib. 2. cap. 87.) exiſtimat lac camelinum eſſe minimè pingue, ſcilicet butyroſum aut caſeoſum. Sed tamen dicit, minime vluo ſecedit, tamenſi plurimum ſeri in ſe contineat: at equinũ & aſininum magis mouent aluum & etiam aſininũ caſei minimè continet, videtur ergo ob id equinũ tenue quod aluum, moueat. Princeps tamen fatetur (vbi ſupra,) quod lac camelarum habet minus caſei equino, equinum aſinino,

nino, omnia tamen habent. Ideo cum apud nos non sit in vsu caseus equinus neque asininus, id accidit ob copiam vaccini & ouilli, & apud Scythas est equinus in vsu ob defectum reliquorum, maximè ouilli. Et supplet defectu casei quicquid est butyrosum, adeo vt ex his duabus partibus in vnum iunctis fiat caseus hippace, de quo loquitur Hippocrates, cuius est copia ob equarum multitudinem, & quia comedunt equos paulo ante natos, loco vitulorum. Et quoniam asini non viuunt in locis frigidis, & in locis calidis temperatis est copia ouium & vaccarum, & asinæ sunt minores equabus, & multo minus comedunt ipsis, ideo non fit caseus asininus, nec equinus. Et equinus habet etiam plus butyri, asininus casei, ideo equinus est tenuior vt calidior, & minus conuenit hecticis asinino.

LECTIO LXXXV.

Super

TEXT. V.

Minimè autem fœcunda ea gens est, regióque ipsa minimas feras enutrit, neque numero neque specie insignes. Sub ipsis enim vrsis Ripheisq; motibus sita est, vnde Boreas spirat. Solque ipse supremo æstiuo solstitio deficiens proximè accedit, ac tum quidem exiguo tēpore calefacit.

Tria proponit Hippocrates in hoc textu Scythas minimè esse fœcundas: Pauca esse genera ferarum & specie & numero, & parum insignes, & causam horum, non sic simpliciter intelligere oportet causam, scilicet vt propter frigus solum non abundent. Plin. lib. 8. (cap. 15.) in hanc sententiam scripsit: Paucissima (animalia) Scythia gignit inopia fructuum: pauca contermina illi Germania. Insignia tamen boum ferorum genera iubatos, bisontes. Excellentíque & vi & velocitate caros, quibus imperitum vulgus bubalos nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius ceruiue quadam similitudine. Quam corrupta omnia exempla antiquæ synceritatis, nunc enim bubalum dicimus nec hoc nec illud, sed bouem nigrum pilo cornibúsque ferum admodum, aliquanto minorem communi. Forsan ad vsum Germanicum commodius transferri potest adulterata natura, ne non adeo insigni sit velocitate. Ergo vt ad rem redeam, defectus alimenti conuenientis non herbarum causa est, ne non maiores feræ sint, paruæ autem ob frigus non possunt esse fœcundæ contraria ratione qua in Ægypto, atque ob id neque carniuoræ vt luporum, nam leones & pantheræ & pardi, & quæ ex his non nisi feruido cœlo veniunt. Tigrides temperatius etiam partiuntur, sed plures tamen vbi calor viget. Vrsi sunt leones frigidæ plagæ: sed ob causas dictas fructibus potius quàm carnibus vescuntur, sed cur ab eodem dictum est. Ideo iuxta vastæ solitudines ferarúmque multitudo similem hominum immanitatem obsidens, lego obtinens. Plinius (lib. 6. c. 17.) Scythiæ nomine hoc in loco multas regiones etiam ad austrum tendentes intelligit, vnde Seres quasi inter Scythas adnumerat: vnde inquit, Seres mites quidem sed & ipsi feris persimiles, cœtum reliquorum mortalium fugiunt cum commertia expetant, mira res cum is mos ad hanc vsque diem maneat. Igitur & ibi magna animalia nasci possunt, & etiam in montibus syluosis nemoribusque adeò multa, sed alimentum non tam fructicis quàm & fructus arborum tum germina ac surculi, & in herbis asparagi & caules, nam & hic est alimentum cuiusdam, & copiosioris alimenti scilicet folij ipsius.

Reliquum est, vt dicamus cur regio Scythica non admodum fœcundos reddat homines, & generaliter hoc docet, vt & superius diximus, nam specialiter in sequentibus locis dicimus. Et primum quod ita sit, hoc enim supponitur cum sit numerosissima gens & hodie, vt dixi, Tartarorum nomine nota quomodo ergo numerosissima poterit esse gens quæ fœcunda non est, nisi esset longæ vitæ, & à bello abstinerent & recto victus ratione vterentur: cum nullum illorum eis adesse, & ratione & experimento compertum sit. Dico igitur quod causa est magnitudo regionis: & cursitatio in equis, sicut dici solet de vipere lingua, quæ videtur esse triceps cum sit vna ob motus velocitatem quæ sanè admirabilis est. Alia causa est quod non adsunt viri aut fœminæ, quæ castitatem nouerint, neque in pueritia tot moriuntur aut inuentute, tum ob assiduam aëris mutationem, tum ob victus parcitatem atque simplicitatem. Tertia causa est regio ipsa salubris orienti & boreæ exposita.

Regióque ipsa minimas feras emittit.] Hæc est secunda pars & ratio sic constat, in ea regione & magnitudine & numero feræ exiguæ sunt, igitur principium generationis earum est debile, scilicet calor naturalis ambienti & cœlesti comparatus. Sol enim & homo generant hominem, 2. Physic. (Tex. 26.) Sed si principia generationis animalium maiorum sunt debilia, ergo nec in homine possunt esse valida, tamensi enim homo differat specie, secūdum antiquos ab aliis animalibus imò genere, vt alias dixi, non ob temperiem sed modum mistionis, & differentiam ac distantiam ab elementis, non tamen tantum potest differre temperamento ab omnibus magnis animalibus vt bene proueniat in regionibus, in quibus nullum aliud magnum animal prouenit. Differunt enim alimalia inter se à generatione, & ab homine in quatuor: primum in temperie, velut homo est natura calidus & humidus, anguis quantumuis magnus est siccus, si sit paruus, etiam frigidus. Secundo ob mistionis modum de quo dixi alias, vt elementa lapides seu metallica metalla, plantæ, animalia exanguia, sanguinea & homines. Et ratione compositionis etiā vt anguis habet paruū caput, est siue pedibus: & homo contra, demum

anima

anima ipsa qua homo rationalis est, tametsi sus multum in tribus prioribus illi proximus plus distat ab eius natura quam canis, qui & compositione & temperamento illi dissimilior, mistione autem seu elementorum hebetatione, atque mutua fracturà par est. At dices, 1. Aphor. (com. 15.) frigus ambientis efficit calorem naturalem validiorem ad omnia opera: dico quod duplex est discrimen imò triplex Primum à magnitudine. Secundum à perseuerantia, Tertium ab ætatibus, & sexu à magnitudine, quia ibi Hippocrates, à quo Galenus sumit, loquitur de hyeme in sua regione, cuius frigus primum non est magnum in comparatione ad reliqua tempora. Sicut frigus regionis borealis ad australe, & multo minus in regione Hippocr. quæ temperata erat. Secundum quia frigus regionis est perpetuum ideo vincit temperiem humanam non autem temporis. Tertio quia frigus regionis vincit calorem naturalem in mulieribus, in pueris, in malo habitu: at non in hyeme vel tempore cum alternet, cum ergo habitantes in Scythia magnum perpetiantur frigus & assidue & in ætate puerili, & in mulieribus, in quibus refrigeratur vterus, & dum sunt prægnantes, & in curribus degant incommode satis, & plerumque absque igne certè cum pauco, necesse est vt animalia ipsa & magis homines paucam sobolem & obæsam habeant. Et ob id infœcunda illa gens sit.

Sub ipsis enim vrsis Ripheisque montibus.] Docet hoc ipso tria quod frigus maximum adest ob ventum Boream qui spirat: ob solem imbecillem: ob id autem hæc duo accidunt quoniam sub vrsa sunt cœli, & sub Ripheis montibus in terra. Vrsæ duæ sunt in cœlo, maior quam vocant currum, temo enim pro cauda habetur, mirùmque cur elegerint vrsam, quæ natura caret cauda saltem oblonga, cum in atris caudam longissimam ei tribuant. Sed hoc fecerunt, quoniam vrsi in ea regione bene degunt. Duarum vrsarum minor longè propior est polo quàm maior. Scythæ igitur tam propè polum sunt, & vtramque interiacent vrsam, indéque in frigidissima sunt regione. Ripheorum montium meminit Ptolemæus (7. Europ. Tab.) Sarmatiæ Europæ descriptione, quorum latitudinem scilicet distantiam ab æquinoctij circulo ponit par. LXIII. longitudinem à Fortunatis Insulis LVII. cum dimidio, dicti à ῥιπή, quod est ὁρμὴ seu impetus, vt Seruio in Georgicis (3. Georg.) placet, quoniam perpetuo venti fiant omnes horum meminerunt. Solinus appellat (cap. 25.) Ripheum iugum. Pomponius (cap. 1.) in 2. lib. Strabo (lib. 7.) Virgilius (Georgic. 1.) quoque hos in Scythia statuit:

Mundus vt ad Scythiam Ripheasque arduus iacet.

Potest ascribi *h* post *r* ob Græcam dictionem, Latini tamen etiam sine illa solent scribere. Apponunt & ibidem quamuis non Hippocratis Hyperborearum. Virgilius (3. Georg.)

Qualis hyperboreis aquilo cum densus ab oris.

Dicti ab Hyper & Boreas, quasi quod ab illis Boreas ventus flet, vt etiam Seruio (10. Æneid.) placet. Horum meminit Ptolem. (lib. 5. tab. 1.) in Sarmatia Asiatica & fluminum ex eis orientium, scilicet Tanais & Rha quem Volgam dici superius affirmauimus, sed posteriores negant hos ex montibus nasci, quin potius Matthias Amichou & Sigismundus ille, de quo supra actum est ex planitie, quin etiam Sebast. Munsterus (lib. 4. pag. 985.) in sua Geographia negat tales esse montes in Septentrionali plaga. Constat autem esse montes à quibus assiduè spirant Boreæ, & ideò Hyperborei, & à quibus flatus violenti defluant, forsan à posteris vocati Ceraunij, Corace. Ptolem. (2. Asiæ Tab.) hoc modo disponit tanquam



Hyperborei maximè ed Septentrionem positi tendant ab occidente in orientem recta, Riphei occidentaliores ab orientali septentrione ad occidens meridionale. Hippici quasi æquidistantes sunt Hyperboreis, sed longè magis meridionales, æquidistant Ceraunij Ripheis, sed longè orientaliores, vt differre à Cerauniis videantur. Corarum autem mons Hippicis æquidistat & Hyperboreis, cum tamen propior sit meridiei. Hæc volui dixisse vt ostenderem, & esse Hyperboreos, & Ripheos, & vbi sint & qui sint, & quomodo vocentur, nam Alani montes & Scythi Hyperboreos & Imaum interiacent, ergo illi nil habent cum Imao, qui à septentrione in meridiem fertur, existimandum est igitur neque antiquos neque Hippocratem somniasse Hyperboreos, sed eos esse qui sint ad altitudinem poli part. circiter LXVI. longitud. aut LXX. & vsque ad XC. vel eis occidentaliores & è regione Lapponum montes sine nomine hucusque quod sciam, aut Hahauei seu Hahuzani, & omnino ad Russiam albam pertinent, & supra lacum album. Moschouiæ, & proximi Oceano glaciali. De his ergo ait Plin. (lib. 4. cap. 12.) Pone eos montes vtraque Aquilonem, gens felix (si credimus) quos Hyperboreos appellauere, annoso degit æuo fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur (imò sunt) esse cardines mundi extremíque syderum ambitus semestri luce, & vna die solis auersi: non vt imperiti dixere (imò peritiores eo benè dicta ab aliis corrumpit) ab æquinoctio verno in autumnum. Semel in anno solstitio oriuntur his soles brumáque semel occidunt (In quo maximè decipitur, est enim tamen media nox sicut in altero altissima dies) Regio aprica felici temperie, omni afflatu noxio carens. Domus iit nemora lucíque & Deorum cultus viritim congregatimque discordia ignota, & ægritudo omnis. Mors non nisi satietate vitæ

epulatus, delibutisque senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus, hoc genus sepulturæ beatissimum. Huiusmodi nugis delectata est antiquitas, hinc inde apud diuersas gentes iactata miracula, quæ postmodum successu temporum & aperto mundo deprehensa sunt esse fabulosa, & tamen adhuc suos habent defensores, quæriturque sæpe non quod non est (hoc enim forsan ferri posset) sed quod nec esse potest. Verum deerat, quòd ego si interfuissem tam pulchræ fabellæ ad conciliandum somnum addidissem, dormire hos senes in arena inde tanquam vermes reuolutos cortice explicare se denuo in pueros, postquàm enim commentari libet, nil deesse ad voluptatem debet, quandoquidem & maiora referat grauissimus ille Plato, qui vbique hoc futurum aliquando affirmet. Sed omissis nugis ad seria redeamus. Si quid prope dici potest huic fabulæ, quod etiam verisimile est ei dedisse originem est Bothniæ regionis mira felicitas & super humanam, vt referunt historici fidem, audiamusque Hippocratem (solque ipse supremo æstiuo solstitio deficiens) Quomodo deficientem appellat qui diu illuc maneat & maxime vigeat? An deficientem dicit qui tamen vel sic debilis sit, nam cum plus illi à nostro vertice distent, qnam Sol in solstitio ab æquinoctij circulo, & tum nobis Sol deficiens sit & languidus hoc enim voluit significare hoc verbo τέλων, quasi finiens non enim vltra ad illos seu propius accedit. Quasi dicat in vltimo fine, cum ad eos permeat languidus est, & statim remeat, quocirca illos calefacere non potest.

LECTIO LXXXVI.

Super

TEXT. VI.

NEque verò venti à calidis locis spirantes. Valde ad eam regionem penetrant nisi parumper & debiles. Verum ab vrsis venti procedentes sunt illi perpetui frigidi à niuibus, glacie ac imbribus. Qui nunquam à montibus decedunt. Vt propterea etiam inhabitabiles fiant. Aërque ipse totum ferè diem nubilus campos occupat. Ipsi verò in humidis locis degunt. Et ferè perpetua est ipsis hyems, æstas autem paucissimis diebus, atque illis non valde multa sunt enim planities eminentiores & nudæ, neque vllis montibus circumseptæ de ferè sub ipsis vrsis accliues. Neque feræ nascuntur illic magnæ, sed quales possibile est sub ipsa terra contegi. Prohibet enim hyems & nuditas terræ, quæ & diuerticulis & vmbraculis caret.

DVobus modis incalescunt terræ, propinquitate solis, & aduentu ventorum calidorum, defectu frigidorum, contrariis maximè refrigerantur: vtraque causa ex his conuenit Scythis, igitur eorum regio frigidissima est, nam sol neque propius accedit, nec apud illos diu moratur, paulo enim distat minus L X. partibus cum illis propinquissimus est sol, qua in distantia qui ab æquinoctiali sunt frigidissimam habent regionem, & venti nulli calidi ad eos permeant, frigidissimi autem assidui, igitur regio ea inhabitabilis est: non simpliciter: nam hoc iam negauit, sed commodè inhabitabilis est & aliarum more. Ideò probat secundam partem assumptam.

Verum ab vrsis venti.] Ostendit quadrifariam ventos illos esse frigidissimos, à niuibus & glacie, scilicet veris & autumni & hyemis tempore & imbribus, scilicet æstate & à montibus perpetuò, quia sunt saxei & frigidi, & ob angustiam vallium, vnde magno impetu feruntur, & ob id frigidiores euadunt, sicut de spiritu ex sufflato ex ore & aqua currente. Sed cum hæc clara sint, dubium solum relinquitur, quomodo in sua æstate cadant pluuiæ? & quomodo aqua sit cadens refrigeret aërem, cum verè ex sententiáque nostra aqua non sit frigida. Hic quatuor sunt consideranda, primum effectus ipse ex supposito, scilicet an si aqua cadat in æstate aër refrigeretur: & ad hoc dictum est in superioribus (4. lib. com. 2.) quòd in Insula B. Thomæ quæ adeò calida est: tamen mensibus Febr. & Martij, cum cadat assiduè aqua, quamuis sol superstet eorum capitibus: tamen aër redditur frigidus, adeò vt hoc anni tempus appellent hyemem & nam ferunt vestes, & verè est hyems, & multi ægrotant. Vt omnino vel frigus superet calorem, vel saltem retundatur omnino calor, quod etiam sufficit Hippocrati his, cum supponantur reliqua tempora, hyems, autumnus, ver, frigidissima, si æstas tepida & frigida reddatur ob pluuias necesse erit, vt totus annus sit frigidus, & in prægnantibus, vt dixi, & pueris calor obtundatur tum debilibus ac mulieribus, adeò vt non sint fœcundæ, fœcunditas enim prouenit à calore maximè si cum humido iungatur, sicut videmus in Ægypto & Arabia felice & Iudæa, & plurimis etiam Asiæ prouinciis his proximis. Et non solum corpora hominum percelluntur ex hoc, sed etiam animalium & segetum terræ, ac fructuum, & generaliter omnium alimentorum, vt sint pauca & parui alimenti, & etiam mali, quæ omnia visa sunt hoc anno M.D.LXVII. Bononiæ, in quo nulla fuit æstas, prorsus, prodigioso euentu, & cum tota hyeme præcedente abundarunt pluuiæ, & non fuerunt æstate, nec vere morbi mali, sed pauci mortui sunt, cuius causam loco suo aperuimus (4. lib. com. 3.) Secundum est quomodo aqua refrigeret, vt videmus sæpe ex nostra sententia dato quod non sit frigida, sed temperata? Et dico quod tempestate temperata est, quia tamen omnia elementa sunt frigida actu & longe magis ad calorem nostrum comparata qui excedit mediocritatem, quoniam

niam sunt destituta à calore cœlesti, & magis aqua & aër, & quo magis mouentur & agitantur, & quia magis imprimunt suam qualitatem, & etiam quia quæ dura non sunt motu refrigerantur, vt docui in libris de Natura manifestè coniunctis his omnibus simul, & quod frigida sint natura elementa quoniam calor omnis, aut est violentus & non naturalis, aut à cœlo, & quod temperies humana excedat mediocre in calore, & quod in motu liquida refrigerantur, & quod per motum exuperantem qualitatem magis imprimunt palam est, tum ob id quod in pluuia, aqua vehementi motu decidit, pluuiam assiduam præcipuè refrigerare manifestè. Causam autem cur pluat in illis regionibus, & hoc est tertium reddere non debemus, nisi primum sciamus quod ita sit: quæstio enim propter quod est præsupponit, teste Philosopho (2. post Tex. cap.3.) quæstionem si est. Dicimus ergo quod iuxta ea quæ tradidit Olaus Magnus Gothus in suo 1. lib. Hist. (cap.5. & à cap. 14. ad 20. & cap.35.) rerum Septentrionalium Scricfinnos, dicit niuibus etiam per æstatem abundare, & ob id frumento neque vescuntur, neque habent sed carnibus ferarum crudis vitam ducunt. Et hoc etiam perspectum fuisse, docet Iordani Septentrionalium rerum scriptori antiquo, & Paulo Diacono. Dicuntur aut Scricfinnij à saliendo, quoniam ligno quodam adiuti feras saltu assequuntur & occidunt. Et in illis partibus in hyeme sæpius accidunt tonitrua cum fulminibus, seu ob nimium frigus infimæ regionis aëris, seu ob vaporem bituminosum cum terra bituminosa sit, & ideo in illis locis pluuia omni tempore velut & nix, habetur tamen pluuia infausta in æstate omni mense præterquàm Iunij: & in Aprili & Septembri habetur pro vtili. Adiicit etiam quod nonnunquam videntur Irides quædam mirificæ, quæ cum apparent tempestates graues ac noxias significant, & etiam præter id cædes & bella ac deuastationem portendentes, & sub fine veris solet etiam consequi pluuia sulphurea & odore grauis & specie. Addit circulos multos apparere, & circa Lunam & alios, à quibus & frigora magna & nubes proueniunt. Concluditque illud dirum esse portentum, ver sine temperie, æstate sine calore, quæ ambo, vt dixi, hoc anno M.D. LXVIII. experti sumus. Halones etiam hyeme niues, glacies, pruinam, frigoráque magna portendunt, vt in æstate pluuias & grandines, maximéque apparent circa oppositionem Lunæ. Verum de causa horum nunc dicamus, per quam & res simul & scientia ipsius rei habetur, audiamusque Hippoc. dicentem.

Et aër ipse tantam ferè diem.] Vbi aër est nebulosus, ibi cadunt pluuiæ assiduæ aut niues quoniam à calore validiore ascendunt, & in tanta copia tandem vt aër grauatus necessario demit. Et hoc est indicium eius quod dixi, scilicet non permutari aërem in aquam, neque aquam in aërem: at abundant ibi vapores humidi, quoniam solum est madens & bituminosum, ergo loca illa omnia abundant pluuiis & niuibus iuxta rationem temporis, nisi cum regio est à meridie, exposita boreis continuis qui transferunt nubes & nebulas aliò, etiam contrariæ ratione Bononia est subiecta pluuiis, nam cum venti boreales fuerint non sublimes semper collectis nubibus ac nebulis, fiet pluuia contraria ratione. Erunt ergo in perpetua hyeme occultis modis ob vehementiam frigoris & eius diuturnitatem: ob æstatem breuissimam & minimè calidam: ob abundantiam pruinæ & niuium & glaciei temporibus mediis, & magis hyemis ob abundantiam nebularum omni tempore, & ventorum borealium, ob pluuiarum & nubium copiam & assiduitatem in æstate.

Sunt enim planities eminentiores.] Non vult quod etiam testantur qui hodiernis temporibus de his referunt quod sint ibi montes, sed terra nuda arboribus, elatior versus polum, quod etiam dixit Aristot. 2. Metheor. (cap.1.) & ideo etiam ob ventos non sunt arbores sed arbusta, & quæ flectuntur, & id genus esse rubi & rosarum & vuæ crispæ & verborum, & vt plerunque plantæ spinosæ. Et ideo regio illa prorsus est frigida, & quasi inculta, ob niues præsertim.

Neque feræ magnæ inibi nascuntur.] Redit ad probandum, quod antea proposuerat, nemora & syluæ sunt domus ferarum magnarum, ergo vbi neque nemora neque syluæ sunt, non erunt feræ magnæ, nam arbores defendunt eas superius à niuibus, à lateribus, à ventis, & suppeditant illis vinum per radices & truncos & cortices & folia, quæ cum sint duriora non ita absumuntur, vt folia herbarum & niuibus superstant cum herbæ ab illis obruantur, ideo præstant feris magnis multa commoda, & ad eorum præcipuè catulos tuendos, & hæc per se clara sunt. Sed dubitatur quia assumpta ambo videntur etiam falsa, primum de nemoribus & syluis: nulla enim loca videntur feraciora syluarum, & maximarum septentrione ipso. Quæ enim famosiores, ericinia, baceniana, hircania, & apud Benos, quos vocamus Bohemos, hodie semana, & quam vocant gabretam seu, vt nostris temporibus Turingora, & in Sarmatia parte ea quæ Samogethia vocatur sylua eiusdem nominis, nam Hericinia adeò famosa est prope Russiam nigram. Quid de Asiana Sarmatia dicam, nonne apud Tanairn inter paludémque Mæotim seu Paludem Tabach, & prope Volgam seu Rha fluuium in ipsa Scythia, alia magna est sylua, & in Estia & tota Polonia seu Sarmatia Borealis plena est syluis & maximis? vt etiam apud Teretiuam flumem vbi oritur? sed nullibi plures aut maiores quam in ea parte Sarmatiæ, quam nostro tempore appellat Lieuaniam: tota enim est plena densissimis nemoribus. Est & famosa illa Heluetiorum sylua, quam vocamus nigram: ob densitatem ita appellata, & est Eremus Eluetiorum, quin memini cum illorum regionem lustrarem vidisse montes ipsos totos plenos abietibus altissimis, similibúsque arboribus aculeatorum foliorum, vt pictis & per flumina ex tota Germania trabes immensæ longitudinis &

altitudinis deferuntur, vt vidi ipse ego in mare Genuam pro conficiendis malis nauium, quas duo homines quantumcunque magni distentis brachiis amplecti nequirent: altitudo verò tanta quæ fatigat visum, ne ad arbusta forsan refugias. Quod ad animalia attinet, quænam maiora aut robustiora vris bisontibus, ringiferis, alcibus, vrsis, quæ omnia septentrio mittit. Quin ex bubalorum coriorum crassitie bouum magnitudinem illarum regionum considerare licet. Respondeo quod in Scythia & regionibus vltra Scythiam ad septentrionem positis, vel è directo eius, vt sunt Lapones & Biarmij, sunt luci arbustorum & frequentes, non tamen arborum: cuius rei & est testis Olaus Magnus: & quoniam nos ipsi hoc idem vidimus in Scotia, vbi non sunt arbores vllæ proceræ. Et ratio Hippocratis hoc demonstrat, quoniam venti sunt adeò validi vt deferant homines, & etiam homines cum equis, igitur cum ea regio sit maritima, quanto validiores erunt ex terra, cum iuxta sententiam Philosophi (Probl.) venti oriantur è terra, & tum magis ob montium fauces: ideò nisi sint arbores è genere virgultorum, scilicet flexiles vt arundines, rubi & similes, quo maiores & crassiores erunt eo citius eradicabuntur: sed valdè exiles aut flexiles non possunt in magnam altitudinem per se crescere, & erectæ manere, igitur in his regionibus non possunt esse luci arborum. Et dicam quod ego vidi Edimburgi, & non erat altitudo poli nisi LIII. partium, aut paulo plus, & magnus quidam dominus habebat hortum in quo voluit alere quasdam platanos ob similitudinem vitium, nam folio vitibus assimilantur, & quamuis platani etiam iuuenes sint aliquo modo flexiles, attamen non poterat illas plantas tueri nisi muris ad arborum altitudinem exædificatis. De animalibus concludit ratio Hippocratis ibidem: nam solum eatenus crescunt donec possint abscondi sub arbustis, ideo intelligendum est de valde magnis, vt sub elephantes, cameli, boues & similes: vrsi autem non sunt magni in comparatione harum: leones enim Indici sunt multo maiores, & multæ aliæ feræ. Ad authoritates loquuntur de Sarmatia & similibus non Scythia, & hoc tam de feris quàm de arboribus. Ideo hoc declarato transit ad homines dicens.

LECTIO LXXXVII.

Super

TEXT. VII. & VIII.

PRopter temporum anni mutationes neque multas neque fortes, sed similes semper vel parum admodum diuariantes. Vnde & formas corporum inter se similes habent cum eodem vtantur victu & amictu æstatis & hyemis tempore, attrahuntque aërem aquosum condensatum, aquamque insuper bibentes à niuibus & glacie resolutam, nullo etiam corporis exercitio accedente, cum non verisimile sit corpus aut animum vllis exercitationibus apta fieri, vbi non mutationibus temporum fuerint fortes.

HYems enim prohibet & nuditas terræ *quæ.*] Verba enim illa (neque feræ magnæ) parenthesis sunt, ideo hic textus debet iungi illis verbis sub ipsis vrsis acclives, vt sententia sit hæc, gens illa minimè fœcunda est, & corpora habet mollia, & formas similes inter se, quoniam tota regio frigida est admodum, nubilosa, humida, sine montibus, sine æstate, aut admodum breui: adeo vt etiam paucas habeat feras aut paruas, & non multum inter se differentes. Et subiicit colligendo causas rationem horum.

Quum eodem vtantur victu & vestitu.] Proponit dictorum quatuor alias causas, nam primam iam dixit planitiem vt non subiiciantur temporum mutationibus quæ accidunt ob terræ inæqualitatem cum careat montibus, reliquarum quatuor causarum prima est, quod vtantur eodem victu & vestitu æstatis & hyemis tempore, nam vt iam diximus, adhuc in æstate frigent, non enim vt apud reliquas gentes in æstate coguntur quærere loca refrigerata leuissimásque vestes. Sed dices, Olaus Magnus (lib. 7. cap. 19.) ponit magnum discrimen inter tempora anni? Et adiicit quod autumno cadunt pluuiæ multæ. Respondeo quod Historia Olai Magni cum sequatur morem quorundam temporibus nostris, qui pauca scientes multa scribere volunt pro vno singulari cognito ab ipso apposuit decem subrepta ab authoribus antiquis, maximè à Plinio, vt in illa historia legas totum penè Plinium malè transcriptum, & possis verè illud Terentianum pronuntiare: ex

Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita hic loquitur de suis regionibus, quæ multo Scythia sunt Australiores, nonnunquam etiam de Germanis: nam titulum inscripsit de Regionibus Borealibus, sed cum regiones illæ pateant in longitudine totius terræ, scilicet partium CCCLX. in latitudine autem partium XLIII. tantum enim distat Noricum Vindelicia & Rhosia tum Pannoniæ superioris atque inferioris termini ac Ister, à quibus Germania initium sumit à Polo Boreali. Recentioribusque Lim fluuius & Draua: conueniunt omnes quod Germaniæ finis incipiat à XLVII. partibus altitudinis poli, & ideo reliquum est, vt dixi, partium XLIII. Olaus tamen hoc boni adiicit (lib. 4. cap. 6.) quod in pluribus partibus maximè Noruegiæ & Gothiæ glacies durat ad finem Maij, atque in fluminibus adeò densa, vt insuper illam nundinæ celebrentur: & hoc concordat maximè cum dicto Hippocratis sic dicentis, quòd non variant victum neque vestitum æstate nec hyeme.

Attrahuntque aërem aquosum & condensatum.] Hoc est causa proprie quod corpora sint

ſint mollia & humida, & vt ſint craſſi & pingues, & humidos habeant ventres, vt docebit inferius, cum enim ſingulo die trahant tum per os & pulmones, tum per nares & cerebrum, & promiſcue ex vtroque, ad vtrunque, & per ora arteriarum cutis quantitas aëris aſſiduè die noctúque dormiendo, vigilando, quieſcendo, & maiore etiam copia ſe exercendo, aër ad quantitatem capacitatis vaſis continentis tales homines, quales ſunt qui reſpirant, nam ſunt quatuor millia ictuum pulſus in hora aut etiam plus, & quatuor ictibus pulſus correſpondeat vna reſpiratio, erunt circiter XXIV. M. reſpirationes in vna die, & reſpiratio vna, vt ex veſica plena collligitur, hauriat naribus & ore ſaltem tantum aëris, quantum contineat octaua pars phialæ bilibris, id eſt quæ duas vini libras contineat in ſpatium illud implebitur octo aëris hauſtibus nonagies hæc phiala vas implet quod hominis corpus caperet deducta inæqualitate: in DCCXX. igitur reſpirationibus tantum aëris trahitur, quantum eſt corpus pus totum hominis, at ſunt in vna die XXIIIIM. reſpirationes, diuiſo ergo vicies quater mille per vrginti inſuperque ſepties centum prodibunt XXXIII. & tot menſuræ aëris hominem capientes implebunt, vt ſingulo die præter eum qui circumcirca à ſuperficie corporis hauritur, quoniam id incertum eſt. In tanta ergo multitudine hauſti aëris, & etiam per meatus circumquaque arteriarum etiam ambientis ſuperficiem & per contactum, & tot diebus in anno, & tot antris in vita humana cõtentis, quiſnam aut victu, aut medicamentis, aut alia ratione præterquàm ingenita cœleſtis caloris diſſimilis illi euadere poterit? cum etiam illum ingenitum ignem aſſidua coniunctio materiæ, tam validis motibus per tótque ætates ac generationes mutatæ aër ipſe tantum ſuperabat, & hoc in magnis exceſſibus. Hæc volui adiecisse, quæ non ſolum ad præſentem tractationem faciunt, ſed mutuo magis ad exſequentem intelligendam. Igitur cum ſubiicit.

Aquam inſuper bibentes.] Hoc eſt tertium à potu ſumptum, de quo cum plurima ſuperius dicta ſint, non eſt vt repetant. Hoc ſufficiat ex illis commemoraſſe hos homines habere omnia membra principalia frigida & humida & imbecillia, cerebrum & cor ob aërem, iecur ob aquam: membra generationis ob cauſas quas ſubiicit, & etiam ab affectu, vt docebit, ſunt enim impotentes ad Venerem plerique & etiam quia fieri non poteſt, vt qui tria membra principalia habet imbecillia ſit robuſtus ad rem veneream, multo minus ad generatienem. Et hoc etiam ſequitur, quod ſi habent cerebrum & caput debile, quod habeant etiam oculos & auditum obtuſum, & parum etiam valeant aliis ſenſibus atque ingenio & memoria, & multo minus iudicio, quod eſt velut flos quidam qui conſurgit ex omnibus animæ viribus, in quo plures ſe credunt præſtare eo pauciores valent etiamſi perturbationibus animi, quæ plures non afficiantur. Conſtat etiam quod plures ibi erunt comitiales, vertigines, reſolutiones, deſtillationes, tuſſes, tabes, hydropes, & eo magis hæc omnia quod præter id terra illa non eſt ferax vini neque olei, quæ ſunt duo præcipua auxilia aquarum prauarum & aëris mali, & etiam tritico carent. Et neque quod deterius eſt habent vnde aduehant ex propinquis locis. Apes enim quæ mel generant aut in aluearIis artificioſis illud ſtruunt, vt apud nos, at in ſyluarum arboribus, quemadmodum in pluribus Sarmatiæ partibus mitioribus. Cum enim ſint animalia exanguia extremum omnino frigus ferre non poſſunt.

Nullo etiam corporis exercitio accedente.] Declarat quartum quod non exercentur corpore neque animo, quoniam omnia penè ſimilia ſunt apud illos, & vt dici ſolet propter admirationem Philoſophari cœperunt homines. Cum igitur non ſint cauſa admirationis quia ceſſat nouitas, omnia enim penè paria ſunt omnibus corporibus, ideò non exercentur neque corporibus ob eorum imbecillitatem. atque mollitiem. Dicemus tamen ſuo loco quomodo cum exerceantur multum equis, non dicantur exercere ſe.

Notandum etiam quod Olaus Magnus & cæteri omnes ſcriptores referunt, & ratio ipſa ſuadet & experimentum docet, quod quaſi natura æquante vices omnium in huiuſmodi regionibus, quanto pauciora ſunt animalia magna & homines, tanto & longe plura & ſuper fidem abundant animalia parua, & pellibus eximiis veſtita, velut hermelini, ſabellæ, martori, ginettæ, lincei, lardironi, medauri, viuarræ, aſpreoloſi tum feles, meles, vulpes, lupi, etiam & vrſi, qui ſe ſub terra condunt, lepores quoque in Sarmatia Europæa candidi ſunt tum etiam auiculæ paruæ & magnæ, maxima enim auis eſt comparatione quadrupedium magnorum res exigua, & murium diuerſa genera communium vlpinorum qui ſunt fermè vulpibus magnitudine æquales, ſciuri præterea, glires & lemmar patria lingua vocatus mus pelle varia, qui creditur è nubibus cum pluuiis deſcendere armelinorum pabalum, & muſtellæ & ictides ac fibri, lutri vrſique albi quos marinos eſſe putant, & è piſcibus viuere & gulones, aliáque multa eiuſmodi quorum copia tanto maior eſt in illis regionibus quanto homines pauciores, & maiores belluæ velut pardi, tigrides, leones, pantheræ, & vt obteguntur à niuibus atque ob id à lupis & vulpibus tutæ: tum verò ſub illis aues nidificant, & quadrupedia catulos ſuos edunt at arbuſta cum ſpinoſa ſint tuta hæc animalia ab aliis feris reddunt, & niues ſubſtinent ne illarum filij obruantur, & fructibus illas alunt, & frigus minuunt, ſunt enim eis monumento & frondibus ac ſurculis ſtratum exhibent. Quam verò humidæ ſint hæ regiones oſtendit teſtimonium Sigiſmundi referentis in lacum album, cuius longitudo latitudóque eſt LX. M. paſſuum ingredi (ô rem incredibilem) trecentos ſexaginta fluuios: vt conſtat totum huiuſmodi terram aquis madere, aërem nebulis.

TEXT.

TEXT. VIII.

PRopter quas causas formæ eorum sunt crassæ & carnosæ. Iuncturæ verò humectæ & inefficaces: ventriculique humidi omnes, maxime omnium tamen inferior aluus, nequit enim ipsa exsiccari in eiusmodi & regione & natura & temporis constitutione.

PEr carnosas intelligit pingues cum inferius dicat eos esse nudos carne, Præterea secundo de temperamenti (cap. 4.) caro fit à calido & humido, pinguedo ex frigido & humido, cum igitur ipsi sint frigidi & humidi erunt pingues, non carnosi. Iunctura inefficaces dicebat Hippocrates in libro de Articulis (pag. 3.) articuli excidunt facile ob humidum quo abundant, nerui quibus connectuntur, ideo in natura humidis facile luxantur & similiter ob maciem, & dabat exemplum de bobus quibus ob macilentiam articuli excidunt, & maximè circa finem hyemis. Scythis ergo ob humidam temperiem infirmi sunt articuli non tam adeò vt ab illis excidant nisi cum fuerint macilenti, tunc enim etiam excidunt. Sed est aliud magis mirabile, cur cum aër sit humidus, & aër humidus magis afficiat membra superiora, aqua autem membra inferiora, vt superius visum est, hic tamen dicit (lib. 1. comm. 3. & lib. 3. comm. 1. (Scythas habere humidiorem aluum inferiorem superiore? Dico quod hoc est quoniam concurrit vtrunque, ad humidam enim aluum facit humidus aër & aquæ crudæ: sed ad destillationes capitis & pectoris (lib. 3. Text. 4.) frigiditas aëris tum humida qualitas, cruditas autem aquarum facit dysenterias, & alui profluuia in æstate: post docet (Text. 5.) quod hyeme facit peripneumonias & insanias. Et non destillationes. Sed dices contra, quia inferius inquit (Text. 14.) Quorum ventres molles & humidi ac pituitosi sunt, his durissimæ & crudissimæ ac subsalsæ aquæ conferunt, sic enim maximè resiccari poterunt. Respondeo quod intelligit ibi de crudis subsalsis, quæ vim habent astringentem aliquam, non aut crudis tantum.

TEXT. IX.

SEd pinguedine & nuditate carnis formæ inuicem sunt similes, masculorum masculis, & fœminarum fœmellis. Tempore enim cum sint inter se similia nullas corruptiones neque malignitates inferunt in seminis genitalis misturam ac compactionem, nisi quiddam aliud fortuito vel casu contingat aut à morbo.

NOn est discrimen inter corpora quæ sunt eiusdem sexus, quoniam non est varietas in temporibus, præsupponit Hippocrates quod sciamus multum interesse in Græcia & Italia, aliisque regionibus, in quibus varietas est magna inter tempora, velut æstatem & hyemem, ver & autumnum, quod quis nascatur hyeme aut æstate, autumno aut vere. Vnde Plinius (lib. 8. cap. 47.) refert agnos hyeme natas esse robustiores, natis in vere, alij post addiderunt, viuere XIII. annis, cum quæ in vere nascuntur viuant octo aut nouem, igitur cum vbique discrimen sit ex sexu, etiam multis in locis est ex anni tempore quo oriuntur: vbi autem nullum in temporibus discrimen, ibi etiam formæ hominum & animalium modo in sexu concordent similes erunt, quo intelligitur varietatem in hominibus inter se esse exortu ob regionum varietatem, aut quia oriuntur alij æstate alij hyeme alij autumno aut vere: aut quoniam tempora illa in diuersis annis licet genere sint similia inter se euariant, cum ergo in Scythia non sit discrimen inter æstatem & hyemem, neque erit inter ver & autumnum, quia non erit etiam inter ver & hyemem, aut ver & æstatem. Causa enim quod autumnus differt ab æstate & hyeme, est quia hyems differt ab æstate: sed his in locis æstas & hyems non differunt inter se, igitur neque autumnus, cum sit medius inter illa non differet ab vllo eorum, & similiter non differet à vere, ideò concludit.

Tempora enim cum sint inter se similia.] Ostensum est quod naturaliter non erunt inter se dissimiles: poterunt tamen dicit casu aut morbo inter se differre. Ad casum referuntur timor, lapsus, equitatio importuna, ebrietas, venus, quæ multum solet nocere fœtui, tristitia & similia ad morbum, non solum morbus sed medicamenta, sectio, venæ, inædia, fluxus mensium, corruptio seminis masculini, & similia quæ sunt innumerabilia.

LECTIO LXXXVIII.

Super

TEXT. X.

MAgnum autem argumẽtum humiditatis corporum Scytharum hoc exhibebo. Multo enim ipsos præcipuè qui Nomades sunt reperias exustos humeros ac brachia habentes manuúmque iuncturas, pectora, coxas & lumbos, nulla sanè aliam ob causam nisi ob humoris & mollitiei naturæ detractionem. Nam neque arcus intendere neque telum torquere possunt præ impotentia humiditatis humerorum, cum autem vruntur humor ipse à iuncturis exoluitur fiúntque corpora ipsorum validiora, melius nutriuntur & magis reddunt articulorum vsu potentia.

DEuertitur ad demonstrandum quod corpora Scytharum sint humida, & hoc ab

ab auxilio: meminit huius indicationis ſexto Epidemiorum (Par. 2. Text. 27.) quamuis Galenus vt pleraque alia in alium ſenſum conuertat, ſeu fretus authoritate aliorum ſeu meliores habens codices, ſeu deceptus. Vtcúmque ſit ſumit argumentum à curatione, curantur enim igne adhibito: ignis calidus eſt & ſiccus, igitur affectio frigida & humida dicitur.

Humeros brachia, manuumque iunctuſas, pectora, coxas & lumbos, enumerat ſex tria in ſuperioribus, vnum in medio, vnum infra medium, demum vnum in inferioribus. Melius hic Græcè ob Fuchſium qui hæc alio modo accipit ὤμους καὶ τοὺς καρπους, τῶν χηρέων, καὶ τὰ στήθεα ἴχια καὶ τὴν ὀσφὺν. Hæc longè certiora atque in huiuſmodi Græcam fidem ſequi operæ pretium eſt, non ſi triangulus tres habeat angulos duobus rectis æquales, linguarum enim peritia è quatuor in tribus caſibus non tam vtilis eſt quàm neceſſaria de quibus loquamur, vt ſciamus & quæ dicantur, & in conſecutione quæ per ratiocinationem habetur, ſi eam nacti proprio aut alieno ingenio fuerimus, non expedit vt Græca quæramus: niſi illi compendioſius, aut euidentius, aut locupletius oſtenderint ita hoc in propoſito neceſſe eſt voces has perquirere diligentius, non ſolum quid ſignificent, ſed quid Hippocrates ætate. Hac enim in contemplatione, etiam ſcientia obeſſe poteſt ſi deſit prudentia (libro 1. cap. 25.) ὤμους Fuchſius in ſua anatomia tria ei ſignificata præbet, ſcapulam, humerum, ſcoptulam, quæ barbaris dicitur ſpatula. Verum propriè ὦμος humerus eſt, dicente Galeno in lib. de Oſſibus (cap. 16.) Maximum omnium os humeri (femore excepto) eſt, ídque vtrinque ſupra infráque alligatum eſt, cuius ſumma pars grandiuſculum habet caput, paruæ quidem ceruici coagmentatum adnatúmque. In eo iuxta anteriorem partem ſinus quidam eſt: vt dubium non ſit de oſſe humeri, quin ſit os ſuperius brachij quod annectitur thoraci, & ex hinc toto corpori. Sed ex hoc planè adhuc non habemus, quid per humerum intelligat, an os ſcoptulæ. Hic bifariam eſſet error, & quod aduerſetur Galeno & Veſalio lib. 1. in fig. 25. cap.) & quod diceretur os ὤμου, quod perinde eſſet, ac ſi diceres os oſſis. Propriè enim ſcapula ὠμοπλάτη, dicitur, quaſi latus humerus: an potius articulum ipſum. Palam eſt, Latinos pro humeris intelligere non os brachij ſuperius, ſed quicquid eſt retrorſum à ſcapula ad ſcapulam, vbi perferre onera ſolemus Cicero de Oratore (lib. 1.) C. Sulpitij Galli propinqui ſui Q. Pupillum filium ipſe ſenem in humores ſuos extuliſſet. Et Horatius (lib. 1. Sat. 5.) Calliclus vt ſoleat humeris portare viator.

Ruffus Epheſius in primo de Appellationibus partium corporis humani (cap. 10.) Ala ſub humeri articulo cauitas eſt, vt nec articulus ipſe apud Latinos humerus, ſed humeri articulus vocetur. Et paulò poſt, humerus etiam à Latinis dicitur quod exit ab humero, ſed à Græcis brachium. At meletius in libro de Natura hominis (pag. 116.) qui tamen Græcè ſcripſit, hæc habet humeralis oſſis proceſſus, qui anchoræ formam obtinet, humero ipſi aſſurgit: huic verò muſculus qui biceps nuncupatur accumbit, à quo nerui ad humeri cacumina, & qua clauicula dearticulatur prætendunt. Vt ſi quis rectè conſideret ad ſcapulam, tam Latinè humerus quàm Græcè ὦμος referantur. Sed hæc etiam clariùs ex expoſitione βραχίονος. Illud dubium, quorſum hæc vſtio ſi fuit in ſcapulis, cum ad motum conferre parum poſſe videatur. Reſpondeo, quòd Hippocrates lib. de Articulis (pag. 6.) inquit, inimicus enim eſt ignis neruis: & ideo exurebant ante in oſſe humeri, & retro in oſſe ſcapulæ prope humeri articulum: & hoc vocauit humerum vrere: nam certum eſt quod vtiliſſima vſtio circa articulum ſit ne luxetur aut imbecillis ſit: at brachium Fuchſius idem vult eſſe quòd humeri os (libro 1. cap. 27.) Meletius cum multa diſſerat circa hoc, non tamen ſe aperit ex verbis, explicat per ea tamen verba, eſt autem in interioris brachij fine concauitas, quæ trocleæ ſimilitudine reſpondet, circa quam cubitus mouetur, & intus in ipſa aliud cauum viſitur. Hæc ſiquidem caua cubiti acutos proceſſus, quos corones nuncupant, ſuſpiciunt. Hæc verba Veſalij (fig. cap. 24.) collata picturæ ante notatæ, atque ſequentis rem declarant. Animaduertendo quod cubitum non ipſum articulum intelligunt, ſed quemadmodum ſuperiorem articulum qui ſcoptulæ annectitur humeri articulum, non humerum & os ei adiunctum humeri os vocatur: ita per cubitum oſſa quæ à cubiti articulo incipiunt, & ad brachiale ſeu manum finiuntur, intelligunt. Cubitus igitur eſt pars totius brachij ab articulo medio ad manum contenta, quæ in duo diuiditur oſſa: vlnam & radium, & vlna quidem radio longior eſt & craſſior, & cui cubiti articulus excauatus eſt, & humeri oſſi iungitur: radius autem breuior, tenuior, duntaxat latior, vbi manui appropinquat, contraria ratione vlnæ. Verum Ruffus per cubitum articulum etiam apud Græcos intelligi vult, vocatur & Ancon & olecranon. De Latinis dubium non eſt, quin cubitus ſignificet articulum, βραχίων igitur quaſi quod breuius ſit, & Ruffo teſte, idem eſt quod humerus. Sed in ſignificato ſecundo humerum pro humeri oſſe capiendo. At non ſic Latini, ſed quemadmodum & nunc pro cubito accipiunt, id eſt vlna & radio. Cæſar (7. de Bello Gallico) vt brachia modo atque humeri ad ſuſtinenda arma liberi eſſe poſſent. Et Celſus id manifeſtè docet, ſi quis verba verbis conferat pro brachio vtrunque os ar [illegible] fractum conſiderare iubet. Apertè enim cum dicit (lib. 8. cap. 10. ſec. 2. & 3.) ſi ambo oſſa fracta fuerint, vt valentius extendatur, quoniam quia neceſſe eſt minus neruos contrahi altero oſſe integro, non ergo eſt idem βραχίων apud Græcos, & brachium apud Latinos. Sed vt dixi circa cubiti articulum hanc vſtionem fieri debere intelligit, quia ſubiicit καὶ τοὺς καρποὺς τῶν χηρέων. Hic locus eſt ſupra manum vbi ipſa flectitur. Ideò cum in tribus aliis ſuperioribus mutata ſint ſignificata, humero, brachio & cubito, tum etiam appellationes & Græcè quoque ſufficiat Hippocratis oſtendiſſe ſententiam &

Anatomi

Anatomicorum audaciam, qui tam impropriè vocabulis vſi ſint, in hoc autem καρπῷ, ſeu carpo, cum conſtet vndique, & ratio nominis & ſignificatum & locus & mens, Hippocratis ad ſequentia tranſibo, ϛήθεα dicit. Thoracis Græcè duo ſunt ſignificata, quicquid coſtis, ante, retro, dextra & ſiniſtra circumſcriptum eſt: ſed Ariſtoteles aliter τό ἀπὸ αὐχένος μέχρι αἰδοίων κύτος, καλεῖται θώραξ. Quicquid à ceruice ad pudenda clauditur, vocatur in priore ſignificato pars anterior (non in hoc ſecundo) vocatur pectus ἴσχιον ἰσχίον ſeu coxendix Latinè aut coxa, vt etiam Fuchſius (libro 1. cap. 22. 33. libro 3. cap. 5.) Ruffus, femora ſunt oſſa prælonga valentiáque à coxis ad genua, quorum capita cauitatibus cotylis ſeu acetabulis inſeruntur, oſſaque illa quibus inſeruntur coxæ vocantur, dico ἰσχίαν eſſe locum illum, cuius etiam meminit Meletius. De quibus etiam Galenus lib. de Oſſibus agit (pag. 125. & 126.) Et pro his conſule Veſalium (cap. 20.) In vniuerſum memento eius quod diximus in aliis coxendicis nomen propriè dici cum adiecto eſſe aut articulo non ſimpliciter, ſimpliciter autem prolatam de vtroque poſſe intelligi: ſed pro ratione ſententiæ καὶ τὴν ὀσφὺν. Quæ ſupra ἰσχίαν ſunt oſſa lata vtrinque in poſteriore parte lagana vocantur cauitas inanis ſupra illa retro tendens ilia inter ilia oſſa ſpinæ cum muſculis lumbi, à Latinis, à Græcis ὀσφύες, de quibus Galenus in lib. de Oſſibus (lib. 1. cap. 29. & in fig. & vlt. primi lib. pag. vbi ſceleton deſcribit, & lib. 2. cap. 61.) Fuchſius in primo Anatomiæ in Veſalium Paraphraſis egit, & Ruffus in tertio. Satis conſtat dici oſſa aut vertebras lumborum, eáſque eſſe numero quinque, & maximæ & craſſiſſimæ ſunt, intus leues exterius aſperæ: quódque etiam lumborum muſculi & qui ſint: qui autem lumbi nondum docuimus, neque apud Latinos neque apud Græcos pariter ὀσφύες, dubium enim eſſe poteſt, an ſit nomen loci an membri? etſi membri cuius ſimplicis ne aut compoſiti? nam de loco, vt dixi (cap. 4. 10. & 20. pag. 108.) conſtat qualis ſit. Verum Meletius hanc dubitationem diluit dicens: loca autem quæ veſicæ, inguini, & iliis à tergo conſiſtunt lumbi appellantur, in ipſis etiam renes poſiti ſunt. Et cum declaraſſet quod continentur lumbi vertebris quinque, paulò poſt ſubiungit. Dicitur autem ὀσφὺς locus ille quod totus oſſibus refertus ſit, habes loca. In his declarandis quæ ad grammaticum pertinent, tot errores Fuchſius admiſit, vt dicas neſciuiſſe grammaticam, quam ſolum conſtat attigiſſe, quam vtinam nec attigiſſet. Cur autem vrerent generaliter primum inquirere oportet inde ſpecialiter: generaliter quidem, quoniam vſtio, quæ fit candenti ferro, ad quinque præcipuè commoda eſt: primum vt retineat concludendo loca veluti inteſtina in enterocela, & defluxiones ex capite, vt videbimus inferius. Cum enim ex igne caro cum tota cauitate tollatur, ita vt vacuus remaneat: natura inſtaurante carnem, vndique maximè contracto iam loco circumquaque in medio impletur intercluditúrque nullo relicto vacuo via. Secundum quod aperit loca occluſa, & hoc bifariam aut educendo materias præter naturam, vt in aſcite ſuper ventrem inurendo cruſtas, vt etiam docet Hippocrates in libro de Locis (pag. 10.) in homine, aut educendo materias ſecundum naturam, vt in cruribus & brachiis, quanquam plerunque ſoleat fieri cum medicamento, melius tamen eſt vt fiat cum ferro candenti aut auro, hoc enim etiam eſt melius. Tertium eſt molliendi dura præcipuè in duritie iecoris & lienis, vt docebat Hippocrates in libro de Internis affectionibus (pag. 15.) & hoc fit quoniam ignito loco inducitur caliditas apta diſſoluere etiam os. Omnis enim caliditas ignea in corpore humido pingui corrumpit ipſum ſi permaneat, igitur neceſſe eſt, vt vel ſaltem repetita corrumpat tandem quod exuſtum eſt, ſed corrupti corruptio & ſeparatio eſt ſanatio, igitur tumores duri igne ſanantur, ſed quia dum auffertur pars ægra & inutilis, poteſt eſſe tanta vt reſiduum non ſufficiat ad functionem, ideò poſtquam deciderit poterit mori, ſi fuerit quod durum eſt magnum. Item quia dum decidit vires poſſent deficere: dum enim pus conficitur dolores ac febres fiunt. Igitur oportet vt in his vires ſint validæ, (2. Aphor. 47.) Tertio quia poſſet eſſe vt illud pus corrumperet partem proximam, ideo dicit Hippocrates (7. Aphor. 42.) Quorum epar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum & album fluxerit, euadunt: ſi verò qualis amurca fuerit, pereant, hoc autem accidit cum præter ſcirrhum fuerit mala intemperies in ea parte, & alia quæ ſit initium corruptionis cuiuſdam. Demum quoniam poſſet aberrare in victu, & ita non ſufficere, ideò neceſſe eſt vt rectè regatur, aliter cum his omnibus poterit mori, cum igitur ſcirrhus in iecore non fuerit valdè magnus, neque in medio iuxta longitudinem, latitudinem aut profunditatem, tunc enim obſtaret prima conditio, nec fuerit coniunctus cum mala intemperie calida ſemiputrida, & vires fuerint adhuc validæ, & ideo ſine alio morbo graui coniuncto, & benè cuſtodiatur æger vſus ſuperuiuet, & eo magis ſi fuerit ſcirrhus in liene, in quo ſufficiunt poſtremæ tres conditiones, etiam quod non adſit quarta, & quod etiam illæ tres non ſint adeò exquiſitæ & paruæ, ſed ſatis magnæ, & vbi moriatur dices cum Hippocrate in libro de Locis in homine, nihil deterius eſt perpeſſus quam ſecus perpeſſurus erat, ſcilicet quia erat omnino moriturus. Si tamen non obſeruatis his conditionibus exuras, incurres infamiam. Et ſi infamia coniuncta ſit cum inuidia, & patientis coniunctis potentes etiam laborabis periculo vitæ, quod in longè deterius infamia, nam infamia falſa breui & facile ex ſuccedentibus bonis ſucceſſibus deletur. Vbi ergo tales medici in ea vrbe ſint, aut in aula aduoca alios prudentes & ſi conſentiunt in tuto es: ſi non dicas ego nolo me exponere periculo vlli propter aliorum ſalutem, ſed hic petit propter verba illius quandoquidem in vſtione erat, quaſi certa ſpes ſalutis augendo etiam ſecuritatem, ſed propropter verba illius Emperici nolui facere, curet modo ipſe curabiſque, vt huiuſmodi verba magis per amicos tuos & ægri ac

potentes disseminentur quàm per te: sed si interrogeris constanter affirma, necesse est enim interdum se exponere his certaminibus. Quod si postmodum ille vel illis dicentibus facias non permittas vt te persuadeant, nam vel morietur æger ob aliquam causam ex supradictis: aut ipsi medici possent moliri mortem aliquibus insidiis, & quando etiam omnia benè succederent non erit lucrum & gloria & voluptas ex bono successu par æstibus animi, & timori & periculo quæ interim subibis: nec dic, vt quidam faciunt, nolo facere, quia præteriit occasio, nam rident hæc verba, præsertim si nil noui superuenerit, vtpote incrementum fluxus ventris, vigilia, macies, deiectio appetitus, & si cum hoc pauci dies intercesserint, vt potè duo aut tres dies, nam hoc sæpe accidit, sed dicas debuerunt ab initio assentiri, nunc nolo existimationem meam in eorum arbitrio ponere, inde adde, videre quales homines sint, & qualis animus eorum, si enim cum proposui auxilium expediebat, cur tum non consenserunt: si non expediebat tum, cur nunc assentiuntur cum deterius res se habet, an auxilia periculosa (nam hoc huiusmodi esse dicunt) magis conueniunt cum periculum, & mors magis imminent, quam cum ab initio tuto administrari poterat, nunc satis patet cur assentiantur, interrogantibus noli prodere cur sic eos non solum imperitiæ & leuitatis ac malignitatis, sed etiam tanquam proditores ac siccarios accusabis, vt hi qui sunt ægris coniuncti, si sapiant odio maximo prosequantur è domo prorsus expellant & maledicant de eis. Quòd si id non faciant aulam illam aut vrbem exi, stultum est enim stultis sub iudicibus, & qui nec discernere sciant imperitos à peritis, proditores à bonis viris litigare, cum adeò improbis & petulantibus carnificibus. At aliter agendo, si illi sapiant deprimes inimicos, de quibus nulla alia spes relinquitur, crede mihi (nec blanditiis eorum nec promissis fidem vllam adhibe cum inter noctuam aut talpam, & solem nulla vnquam amicitia intercedere possit) nisi vt tanto fiant minus mali quo abiecti & impotentes & oppressi magis ac absque existimatione atque impotentes fuerint. Redeo ad rem. Sub hoc genere vtilitates continentur, vstio etiam fistularum vt partes duræ & labia callosa excidant, vt Albucasis lib. 1. suæ Chirurgiæ (cap. 19. 21. & 38.) Vstio quarto loco confert ad finiendam putredinem, vt Princeps docet (4. 1. cap. 29.) Et deducitur ab Hippocrate secundo & tertio de Morbis cum Galeni authoritatem exponentis Aphorismum illum sextæ particulæ. Quicunque supparati: vbi enim plurimum fuerit vrere oportet, scilicet quia vstio putredinem & corruptionem prohibet ac finit (com. 26.) Et videtur hoc voluisse Albucasis in primo suæ Chirurgiæ, in secunda vtilitate de fistulis loquendo locis prius in margine descriptis: & propriè ac manifestè dum loquitur de vstione in elephanticis carcinomates herpete: vbi manifestum est quòd per vstionem obuiam it putredini. Ex quo concluso quod Albucasis (cap. 49. 52. & 54.) licet vbi agit de generali vtilitate vstionis non meminerit nisi vltimæ vtilitatis vstionis, de qua mox dicam, tamen non prætermisit reliqua in processu tractationis (cap. 49. 52. & 54.) solum huius partis vnius membrum vnum dereliquit, scilicet de carie & putredine ossis vrenda, quam forsan prætermisit, non vt non vtilem, sed vt non necessariam, arbitratur ossa talia per se casura, vt etiam vult Hippocrates, quanquam vsta celerius separentur. Quinta vtilitas cuius solius, vt dixi, meminit in initio libri Albucasis, seu quod generalior sit seu tutior seu magis necessaria, seu quod per hanc reliquæ postmodum habeantur: seu demum propter has omnes causas simul iunctus est in intemperiebus membrorum. Hic dubitat de calida & calida, & sicca & sicca tantum absque materia: nam de frigida tantum & humida & frigida & humida & calida vel sicca, aut calida & sicca cum materia non est dubium, cum consumpta materia refrigeretur & humectetur membrum, sicut iecur à Rhabarbaro educta bile, quamuis Rhabarbarum sit calidum & multo magis siccum, & penè qualitatum similium flauæ bili. Ideò in hac quæstione mirum in modum se confundit, quia non vsus est principiis quibus ex suis experimentis oportebat se subscribere. Et sunt quòd vbi caliditas aut siccitas aut vtraque simul habent originem à putredine, & sunt cum corruptione membri, tunc ignis tollit intemperiem, quia vt dixi, in quarta vtilitate ignis putredinem finit: sed cum vllæ qualitates sunt ex alia causa, & immunes à putredine tunc non solum ab vstione non tolluntur, sed augentur vt par est. Adhibetur ergo vstio in tollenda intemperie frigida vel humida vel vtraque: & in omni intemperie quæ est cum materia, materiam consumendo: demum etiam in calida & sicca intemperie sine materia, sed in qua illa qualitas habet originem à putredine, velut in ossis carie, & in his quæ dicemus.

LECTIO LXXXIX.

Super eodem

TEXT. X.

ET iuxta hoc quæritur an in conuulsione illa de qua superius actum est, quæ est species sacri morbi, & est coniuncta cum febre conueniat vstio in sutura coronali? & respondeo quod si sit ab ipsa putredine & qualitate, putrida aquisita in cerebro quod sanat: si verò qualitate cum materia quòd multo magis conuenit, tum corrigendo intemperiem, tum consumendo materiam: sin autem à sola siccitate facta per resolutionem febris tunc accelerabit mortem, & si sit in corpore conuulsio, & non sit similis sacro morbo, cuius indicium est quod mente constat nec à pura siccitate, tunc omnino vstio in spina dorsi inter primam & secundam vertebram erit vtilissima, in sutura coronali periculosa, damnosa, & non tantæ vtilitatis: hæc verò in ceruice vbi morbus ille caput tentet nihil

nihil proderit, aut valde parum, & de hoc supra diximus (lib. 4. comm. 10.) Ea vero quæ fit in ceruice sub tendonibus colli, & non in spina traducendo filum, vt & purget & mutet temperiem, si autem non iuuent omnia talia plurimum nocent maximè ab infamia: vnde adulti fermè omnes laborant imbecillitate visus non leui, & etiam mentem reddunt stupidam, perturbant memoriam, nullum enim contra naturam non obest secundum naturam se habenti, & si vehemens sit, non nisi vehementer nocet. Dico de vstione in suturis capitis, aut prope caput, aut perforatione cum stylo cadenti, hoc genus alienum fuit à mente antiquorum: vides quod nostri medici sunt sæuiores & asperiores barbaris, cum ne Scythis quidem inter tot genera vstionum & locos meminerit capitis, aut attinentium ad ipsum, vt ceruicis aut spinæ dorsi.

Hoc genus auxilij reuocauit in mentem fontes qui fiunt in cruribus & humeris superna parte brachij, & adeò frequentes, vt quidam ciues habeant duos, tres aut quatuor, turpissimo an stultissimo vsu dicam magis nesciuerim. Origo fontium deducta est ab Aëtio ex antiquis in cura difficultatis sperandi, dum crustas inurit circa pectus quas diu sinit apertas (lib. 8. cap. 57.) nam neque in fragmentis Aretæi, neque Hippocratis vsquam inuenias. Ad euacuandum enim aquam ventus visum est in lib. de Locis in homine: & ad mutandum cerebri intemperiem frigidam & humidam ac diuturnam lib. 2. de Morbis (cap. 7.) sed non auertendi causa, fontes enim auertunt, vstio quæ in vsu apud Scythas fuit, siccabat non auertebat, quoniam statim vt crustæ deciderant locus consolidabatur, crustæ vtrumque vsum præstant: nam & deducunt materias & intemperiem mutant ex recentioribus Arnaldus Villa Noua in parabolis hæc habet (Doc. 5. cap. 4. Aphor. 5. 6. & 7. (defluxus qui ad naturalem viam reduci nequit vicinis fontibus rectè auertitur, hi inter musculorum separationem euidentem fieri debent, secus abstinendum, nec ad intima penetrandum nec vinculis aut musculorum capitibus noceamus. Debent autem esse propinqui venis magnis, quæ communicant membro, ex quo fluxio defertur. Nullo tamen in loco clarius quam ab Hippocrate fontium vsus (non dico vstionis quæ fontis origo sit qualis apud nos in vsu est. Quanquam negamus Hippocratem authorem esse) in sexto Epidem. habetur cum dixit (Par. 4. text. 39.) & quicunque alij abscessus vt fistulæ. Refertur enim tum ad priora illa verba sanguifluis venis, laborantes neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedenam, neque inflammatiunculis (text. 37.) quo dothienes vocantur, neque his quæ therminthi, id est cicera, fortasse verò neque lepris: fortasse neque aliis, & ad sequentem etiam decubitus quidem in quibus facto tollit, hæc ante facta prohibet, loci alterius loci excipientis aut dolore aut grauitate, aut alio quopiam liberant: aut aliis communicationes. Vbi animaduertenda est illa duplex ac mutua affinitas, quoniam sanguis fluens prohibet saniei defluxum velut hæmorrhoides sputum saniei in phthisicis & fistula in spuentibus sanguinem, & hoc innuit Galenus in commento qui etiam sensum verum explicat superiorum verborum: qui tamen potest amplificari, quamuis Hippocrates solita breuitate vsus solum primam partem declarauerit: non solum enim quæ sanant auxilia morbos iam factos imminentes prohibent si opportunè adhibeantur, sed etiam quæ prohibent imminent, aut sumant, aut conferunt iam factis. Galenus ergo cum velit per fistulas omnes humores purgari, palam est si fons profundus sit, purgari etiam humores crassos, si superficiarius, solum tenues: velut de sanguine in cucurbitula sectioni venæ comparata. Quomodo ergo purgabitur pars crassa cum solum offendatur quod est in venis tenuibus omnes enim venæ superficiariæ tenues, continentur etiam humores solos tenues: aliter si fons penetraret in venam insignem seu superficiariam seu intus profunderetur multus sanguis, & ideò crediderunt multi fontes non euacuare nisi humores tenues, & ideo dico vt etiam Gal. in lib. de cucurbitulis & hirundinibus quòd in habentibus sanguinem crassum non solum non viuant hi fontes sed egregiè nocent vt in pituitosis, melancholicis, crassis rusticis, senibus ocio & crapulæ deditis, & colore nigris, aut liuidis: contra mulieribus, pueris albis, qui facile sudant, biliosis promptis multum conferunt & in morbis oculorum, qui fiunt à tenui materia fermè semper & in defluxionibus aquosis & acribus. In prioribus morbum generando morbum leuat, huiusmodi enim parietes habent brachia & crura prætumida, & hoc modo aleuiantur à principali, non quod sanentur, vt hi qui tenues habent humores, ideo talibus postmodum est necessaria sectio vt nobis in anno, aliter incidunt in hydropem albæ pituitæ aut nigræ, aut ascitem, aut vlcera magna. Adiicit exemplum pulchrū Fuchsius ex 2. Prog. his verbis: Quibuscunq; ex pulmone abscessus circa aures fiunt, vel ad infernas sedes & in fistulam deueniunt ij liberantur. Ibi nos docuimus, quæ hic non sunt repetenda, & præcipuè cum habeantur impressa. Diximus & ibi de parotidibus quæ ad supurationem deueniunt quæ etiam ad hoc genus purgationis pertinent. Obiicient aliqui quod Fuchsium modo laudare videar, quem antea damnauerim. Vides hominis audaciam qui in his verbis fortasse neq; lepris adimit (fortasse) & totum illud (fortasse neq; aliis) & adiungit horum loco neq; vitiliginibus non ergo inuidiosè damnatur, qui tam iustè damnatur, ergo vt ex talium aduentu homines à magnis morbis liberātur ita intempestiuè ab eis curati in graues morbos incidunt, & quāto maiores fuerint & diuturniores eo se concludātur periculosiores, & plerunq; cum sunt annui occidunt. Fiunt autem in humeris pro capitis morbis præcipuè oculorum & in destillationibus ad pectus & eius partes tum ad ventrem, & fiunt in carpi parte syluestri ad diuertendum longius, in cruribus autē ad renum dolores graues, & ad intercipiendam podagram, & fiūt in parte domestica, & sunt tutiores ab externis incommodis & magis educunt à partibus anterioribus, & in syluestri &

magis

magis euacuant à dorso & posterioribus partibus, & in debili parte si fiant nocent, debent enim fieri in aduersa, sed si pars sit calida & materia magis tenuis iuuant in eadem parte,& in brachiis fiunt semper in parte syluestri ob commodum & etiam locum. Diuertunt autem quadrifariam: & ob dolorem vt Hippocr.dicit (Fuchsius ibid.com.30. iuxta suam diuisionem) & ob consensum qui est triplex vel situs directi vel vasorum quæ intercipiuntur, aut diuiduntur aut naturalem aut mammarum cum genitalibus & genitalium cum pulmone & pulmonis cum cerebro:vel ratione humoris qui est idem:vt pituita pituitæ, sanguis sanguini, melancholia melancholiæ, aut ab ea quæ accidunt velunt frictionem,calorem,commotionem,vt in labore,venere,affectum animi,iram,timorem, tristitiam, acre quippiam medicamentum. Ignis autem operationes quales sint nunc dicam ex 1. de Dentibus (fol.82. Ignis primo calefacit & calefaciendo attenuat,quoniã separat ob id quod celeriter diffunditur, quia celeriter mouetur ideo etiam humidum resoluit & siccat, attrahit etiam licet diffundat & expellat, quomodo autem ibi dictum est: hic solum sufficiat intelligere quòd humidam & frigidam intemperiem commutat & tollit: an autem membrum densius ac solidius reddatur,hoc est dubitatione dignum.Vtilis autem in lumbis maximè quòd pars illa sit siccior,& minus longè frigida cerebro, quódq; partes subiectæ sint humidiores & grauiores, & de fluxionibus valdè obnoxiæ. Quæ verò in coxis & humeris adhuc tutæ sunt, & in manibus ac multo magis, non tamen adeò vtiles vt in lumbis? At in pectore non sunt tam tutæ vt reliquæ aliæ: pectus enim calidum sua sponte calidius reddere, neq; tutum est,neque etiam valdè vtile esse potest, cuius ergo gratia?cum reliquæ habeant suas vtilitates manifestas in coxis ad ambulandum & currendum,in lumbis ad equitationem(neq; enim parum hoc vtile est ad id) in humeris ad robur tractandorum armorum: articulus enim humeri est,in quo vis telorum & sarissarum & ponderum & ferendorum armorum consistit,in brachiis ad tractanda leuiora arma,velut gladios & quæ indigent dexteritate non toto conatu,nam in humeris est tota vis corporis:at in brachiis,id est vt dicunt à cubito ad manum seu vltra, & radio solius brachij vis viget cum humeri auxilio: in manu autem solius manus cum brachij auxilio: vt in retinendo ense & constringendísque manibus capiuntur.Dico quod exurebant pectus ob vocem:nam musculi intercostales necessarij sunt ad magnam exsufflationem: erant etiam robustiores inferendis armis: Demum in respiratione liberius habenda.

His cognitis dico quod cum vstio tollat malam intemperiem vitiosam omnem, & etiam frigidam vel humidam qualemcunq; & putredinem etiam & humorem omnem absumat,& callum obducat loco quòd vel in vno ex his casibus fiet vel nullo,si nullo ergo erit inutilis, & etiam debilitabit membrum, & ideo refaciet illud.Sed in cæteris casibus cum conueniat, & ideo reddat operationes naturales validiores, vel sublata intemperie, vel humore, vel parte putrida, aut callo obducto robustius euadet membrum illud, igitur & densius.Facit ad hæc omnia, quod scribitur sexta Aphorism.(58.)

LECTIO XC.

Super

TEXT. XI. XII. XIII. & XIV.

FLuida verò fiunt ac lata primum, propterea quod fasciis non colligantur quemadmodum fieri solet in Ægypto. Deinde quòd non assuescunt ad equitationem quò equorum insessores fiant: postremum etiam propter desidiam perpetuam.

REddit tres causas cur sint obnoxia his morbis, quare & cur cogantur igne se curare,scilicet alias quam quas ab initio proposuerat,scilicet aquas vel aërem,imò potius quòd infantes non constringantur fasciis, inde vides necessitatem vnam fasciarum, quæ est ad vtilitatem,alia ad decorem,si quidem quòd extra formam deuenirent.Contra si nimis constringantur, membra obliquantur aut prohibetur incrementum:in debilibus verò & præcipuè septimestribus etiam mors aduenit ob teneritudinem corporis, vt in lib. de Octimestri partu,(pag.1.)sed dubium meritò videbitur,cur non debitè obstetrices fasciis constringant infantes. Et causa est defectus fasciarũ cum lino careant.Habent etiam mores barbaricos, vt recitabat Galen. 1. de Tuenda sanit.(ca.10.) de Germanis,qui suos infantes nuper natos mergunt frigidissimis fluminibus ob propriam feritatem, sumpta tamen origine ab aliqua vtilitate,veluti quod sint postmodum robustiores & patientiores frigorum. Tertia est quod Barbari consuetudines habent deteriores, velut edendi homines,sacrificandi aduenas, fœde vitam ducendi:atque alia multa absurda,praua,& ab omni ciuili cultu aliena, quæ omnia ortum habuere, vel ob vanos impostores qui talia imperantes,si succedat,rem paruam argumento magnitudine auxilij adaugent,si non posse id putent facere talia imperent, quæ facturos nunquam credant,atque ita se excusent. Alij quod ignorent discrimen inter vitium & virtutem: prodigalitatémque esse liberalitatem,temeritatem fortitudinem, sæuitiam iustitiam existiment. Vel quoniam hæc ab inerti vulgo originem duxere ob illius imperitiam,maximè mulieres: tum exagitatas vana superstitione religionis loco. Nam si viri prudentes & eruditi in locis cultis ac maximè ciuilibus,atque in ipsis principalibus vrbibus tam pauci sunt, vt vnum vix inter tot millia inuenias, qui etiam non raro peccet in vita, quid de cæteris, maxime cum sæpius ob consuetudines errare cogatur: quæ originem à vulgo & imperitis ducunt, velut leges à sapientibus, quid de imperitis & incultis ciuibus? quibus plebs est deterior: atque

his longe deteriores rustici, his verò multo etiam barbari: atque inter barbaros mulieres quarum est hoc opus, curare infantes, commune apud omnes gentes, cum sint moribus tanto viris inferiores, quanto natura mulieres viris stultiores, imperitiores, pertinacioresque natura viris sunt, & ob id à poëtis vbique exagitare, à sapientibus explosæ, à iudiciis ac consiliis, à Theologis sacris interesse vetitæ, neque enim mulier sacerdos esse potest. Turcæ mediam quandam earum esse naturam arbitrantur inter humanam & belluarum. Præsertim etiam ad hæc facit inopia multorum malorum causa, & ex necessitate suis. Quoties vidi matres ac patres filiorum salutem prorsus ob paupertatem etiam in vrbibus Italiæ negligentes? Et Afri filios & fratres sororesque natu minores vendunt aduenis & Maumethani Christianis. Inde etiam paruum malum longa consuetudine confirmatum adauctúmque in maximum, & enorme scelus euadit. Quis verò cohibent nascentem, vt ita dicam, aut superstitionem aut prauos mores apud homines, vbi parua prudentia, exigua rerum cognitio, nulla lex, nullus Deorum metus, nec conciliabula, ne dum vrbes. Sed vagi feríníque Scythæ parum ab ipsis bestiis differunt, & moribus, & viuendi consuetudine, & ipsa etiam mente. Quædam tamen norunt necessitati ducti, velut commodum vstionum & curuum vsum: & iumentorum curam: & mutationem locorum: sed eatenus quatenus præsentibus consulant, non vt in futurum prouideant, multo minus vt ratione ducantur. Habent iram, audaciam, dolum, auaritiam, & ipsi, tum libidinem ac gulam, nec expertes ambitionis, quam etsi à natura non accepissent à suis equis didicissent: quæ vitia exteri admirantes putant esse virtutes, cum penè rationis expertes sint: nulla autem virtus esse potest absque deliberatione, deliberatio consilium, consilium rationem præsupponit: ob id neque in leonibus est fortitudo, neque in canibus fides, neque in elephantis prudentia, nec in camelis continentia, sed illis similes affectus: qui nec vitiosi sunt, cum virtus ac vitium circa idem versentur. Si igitur hæc animalia virtutis non sunt capacia, nec etiam vitio laborare possunt, longo tamen vsu Scythæ nostra ætate disciplinas didicere, & ingentes coaluere, & ciuitates magnas habent, inter quas (innumeræ enim sunt) omnium testimonio, regia, maximáque est Cambalu, & post Long, quæ in Cataio prouincia est, & Carchoran & Campion, Taitum verò vrbs est & portus maris. Sunt & aliæ multæ generosæ & prædiuites vrbes, inter quas Xandu, Taidu, Ezina, Lop, Sachion, sed omnium præter Cambalu celeberrimæ. Quinsa, id est, sunt & Cianglu & Ciangli, Tudinfu, Tapinzu, Derbent eorum, Porta, Singui, Calacia, Singuimatu, Sidinfu, Vociam, Iaci, Cingni, Cintigni, Cauza, Cacianfu, Pazanfu, Quenzanfu, Tainfu, Pianfu, Pazanfu, aliæque, vt dixi, innumerabiles, vita tamen illorum equitando est, ducúntque familiam in curribus, vt olim, & occlusis, sed non terra, verum laneis pannis crassis, qui imbribus ac niuibus obstare possunt, quos filtros vocare solent Itali, similiter est aliud paradoxum quòd cum sic viuant & ferarum ritu, se tamen ingeniosissimos affirmant: solósque qui duobus oculis cernant, mortales alios præcipuæque Latinos commemorant vno. Id etiam ostendunt cum tres artes calleant Chymiam, Lymiam, Hymiam, Chymia est quam nos vocamus Alchymiam ad metallorum, & gemmarum transmutationem, quam illi longè melius norunt quam nos, tametsi enim argentum aut aurum efficere nequeant, mutant tamen nonnullas gemmas, vt discerni à veris nequeant, metalla verò difficillimè. Lymia est ars amatoria, cuius vix vestigium est apud nos, extat tamen & apud Turcas credo in vsu esse. Scymia est præstigiatrix qua plurimum illi valent, nec solum vt deludant oculos atque fallant, sed eo profecerunt vt ad magiam accedat, cogentes ventos, imbres, grandines auertentes. Si vera sunt quæ ab omnibus vno quasi ore referuntur, adeò vt hac causa inferiores bello, sæpe superiores euadunt. Currnum præterea domus virgultis ac baculis constant, panno, vt dixi, intermedio portúsque earum ad meridiem semper dirigunt. Habent & nobiliores essedos magnos, quos & bobus & camelis, qui potentiores sunt deducunt. Mulieres mercaturæ operam dant, viri venationi & aucupio operam dant cum canibus & falconibus notis auibus & aquilis proximis. Edunt carnes omnis generis, canum, camelorum, & aliorum animalium, modo pingui sint, & inter reliqua murium Pharaonis, qui fermè cuniculos magnitudine equant, quod eorum maxima tota fermè regione copia sit. Lac equarum ita condiunt, vt simile fiat penè albo vino vocántque Chemurs. More legis cum Mahumetem colant, quot volunt vxores ducunt, & quod mirum est, tam viri quàm fœminæ expertes sunt adulteriorum: & fœminæ inter se concordes, tametsi eiusdem mariti vxores: filiósque vicissim summo amore tanquam proprios, alunt inuicem mutua opera. His de causis maximum numerum vt filiorum educant. Deum maximum colunt, & agnoscunt omnes, & ab eo intelligentiam & prosperam valetudinem petunt. In reliquis pro religione diuersa sentiunt. In pugna fortes, & arcubus olim maxime vtebantur: Sed & nunc etiam licet non adeo veloces, & acie valdè densa incedunt, vt pauciores multo videantur, vrbes ipsi paucas proprias habent, sed dominantur illis, sic quasi vt Æthiopes, adeò vt qui vrbes colunt subditi sint illorum, ita militiæ operam dant & dominantur, non exercentes artes, atque sic & domini & nobiliores censentur. Sic etiam paucis ante annis Sultanus Ægypto dominabatur, nec milites erant Ægyptij sed & Tartarorum genere, Circassi vocati tum Abyssini, id est Æthiopes. Atque hæc temporibus M. Pauli & Haytoni Armedi, scilicet ducentis iam annis nunc etiam multum à pristino statu mutati, vt & reliqua mutari solent, hoc vnum retinent, vt etiam vagi sint: & innumerabilis gens equestris, &

quæ

quæ currus ſecum ducat, nec certam ſedem habeat. Olim Scytharum gens potentiſſima etiam fuit: atque adeò antiqua, vt cum Ægyptiis de antiquitate contenderet, authorem Trogo ſeu Iuſtino (lib. 2. Hiſt.) eius Paraphraſte. Quo etiam teſte conſtat illos Aſiam occupaſſe & obtinuiſſe M. D. annis ab iiſdem profluxere dux potentiſſimæ gentes Bactriani & Parthi, & vt dictum eſt Amazones mulieres, quæ viris haud cohabitabant. Ter petiti à Regibus Perſarum Cyro primum, à quo victi ſunt, ſed poſt à Thomyri matre vlta filij necem, Cyrus cum toto exercitu cæſus eſt. (Herodot. lib.4.) Poſt à Dario qui inferior pugnis aufugit. Demum ab Alexandro Perſis potito victi, à quo perlibenter in amicitiam ſunt redacti, eo non ignaro non poſſe Scythas vinci à nouo Rege, imò nec ab vno ſolo, ſed à multis ſolum ſibi inuicem ſuccedentibus, nam ſi magnus deducatur exercitus per eas ſolitudines interceptis alimentis quod facile fiet ob ſolitudinum amplitudinem, viarum & itinerum ignorantiam, externi ducis conſuetudinem aſſiduè diſcurrendi Scytharum cum ſumma agilitate: & quod maximum eſt, eorum patientiam tam equitum, qui ſolo lacte equæ ſæpius viuunt ad multos dies, quam equorum qui corticibus atque radicibus arborum veſcuntur. Non ergo niſi ex ædificatis vrbibus in media ſolitudine atque validis impoſitis præſidiis paulatim vinci poterunt. Sed hæc Parerga. Gens ipſa fallaciſſima cum exteris, inter ſe tamen haud mentiuntur, cum de geſtis ſuis in bello agitur, parent ſuis Regibus atque ducibus ſingulari & obedientia & veneratione. Vbi incaluerint ferarum inſtar ruunt in hoſtes. Sed vt ad propoſitum redeam. Secunda cauſa imbecillitatis artuum eſt ipſamet equitatio, cum non animaduertant quomodo circumducant equos: & ita ſæpe cadunt etiam illi & luxantur membra ex caſu. Tertia eſt, quia diu ſine exercitatione manent ſcilicet vſque ad nonum annum in curribus, vt vix ab eis diſcedant, pauperes etiam deficientibus equis vſque ad iuuentutem, vnde neceſſe eſt vt corpora eorum omnino reddentur languida & inertia: Hippocrates ergo proponit duo (quæ Alemanus non animaduertit) mollitiem corporum & laxitatem articulorum, ex quibus ambobus imbecillitas exoriebatur Scytharum, ſed ex hoc etiam plerunque luxatio articulorum & fœda diſtorſio ac ſyderatio: vt primus morbus eſſent in intemperie, hic autem in compoſitione. Dicit ergo vnum aliud innuit: quod aperte dicit eſt quòd qualitas aëris & aquarum erat cauſa intemperiei & eius quæ ad illam ſequebatur mollitiei corporum & maximè accedente ratione victus humida tota, lacte, caſeo, carne abſque tritico, & etiam quod non exercerentur niſi in equis: vnde talis exercitatio & ſi pulchra ſit ac decora & vtilior ſæpe in bello pedeſtri, & habeatur digna Principibus ipſis etiam hac tempeſtate: nihilominus neque ad ſanitatem neque ad robur corporis & membrorum par eſt terreſtri exercitationi: Alterius verò ſcilicet luxationis & deformitatis in corpore, quæ eſt in compoſitione: Cauſæ erant quod infantes non conſtringerentur debitis faſciis, vt apud alias gentes, non exerceri demum malè inſidere equis ab initio ob conſuetudinem deſidendi perpetuò in curribus. Quod autem innuit eſt quod vtriſque incommodis Scythæ medebantur vſtione, ſed præcipuè huic ſecundo cum tamen illa etiam conferret ad primum.

TEXT. XII.

MAſculi enim eorum antequam potentes fiant, equos conſcendere, atque in illis vehi, plurimum temporis deſident in curribus raróque prodeunt, vt inambulent propter profugia & circuitus.

DEclarat rationem ſecundæ cauſæ, & hæc eſt clara, ſcilicet quies perpetua dum pueri ſunt in curribus. Poſt reddit rationem cur perpetuò deſideant, & hanc dicit continuam mutationem de loco ad locum, ſeu circulationes, cum non habeant tempus ſe exercendi: ſed coguntur breui recedere antequam locum ſibi præparent. Conuenit etiam vt dum quieſcunt veſtes mundent, lauent ſe, exonerent aluum, nam quotidie coguntur hoc facere vt locum mutent, licet parum procedant, & ideò cum verſentur circa eundem locum & quotidie permutetur, vocauit eam circulationem. Quod dicit *μεταναστάσιας*, id eſt profuga ab exulum ſimilitudine fugæ deducta, qui procul & incertis itineribus ac repente ſe ſubducunt, propterea profugia melius quam exilia vertere debemus. Exilium enim damnationem includit, cum nulla gens minus exilio obnoxia ſit, tum ob iuſtitiam quæ ſumma erat tum in illis adeò, vt dicat Iuſtinus, Aurum atque argentum perinde aſpernantur, ac reliqui mortales appetunt: ſed quod non ſit locus vnde exulent, cum nulla ſit patria, nec vbi exulent cum vbique patria ſua ſit, vbi terra, cœlum & alimenta non deſunt. Per profugia ergo longa itinera & totam viam: per circuitus itinera quæ dietim peragunt.

TEXT. XIII.

MVliebrium autem corporum formæ ad miraculum vſque fluxæ exiſtunt.

DOcet mulieres eſſe tanto molliores viris mollibus, quanto mulier viro mollior natura eſt: ne quis forſan exiſtimaret commutatas vices: vt vidimus Bononiæ in nobiliſſima familia fratrem manſuetiſſimum & ſororem aſperrimam. Dicebat ergo in hanc ſententiam Galenus quarto de Compoſitione medicamentorum (cap. 1. (ſecundum genera: In carne molli præditorum numero continentur mulieres videlicet candidæ, pueri eunuchi, viri cute alba: inſuper qui regionem frigidam incolunt, humidi hi quoque & pituitoſi

pituitosi, ideóque molles & albi. Oribasius etiam de Machinamentis (cap. 1.) mulieres pueris in mollitie comparat. Diximus autem de his plura in vndecimo Contradicentium (22.) Cæterum ex his manifestum est cur Scythiæ mulieres valdè castæ sint, vt superius diximus: sunt enim admodum frigidi & humidi corporis, & secundum naturam, ideò mansuetæ, prudentes, viris morigeræ, ad quod facit etiam plurimum vini abstinentia: vnde Romani mulieribus vino interdictum fuit donec crescente luxuria ebrietas accessit, pudicitia recessit. Quamobrem qui castam ducere vxorem cupiat, ex temperie coniiciat, & educatione parentibúsque: nam filij primum parentibus similes natura sunt: inde educatio ipsa & causa est & signum naturæ, quæ enim parum edunt, & à vino abstinent, hæ minimè Venere flagrant. Ebriam mulierem continentem esse, vel etiam si multum potet vinum nec inebrietur, impossibile est, quæ enim corpore non inebriatur magis inebriatur quàm quæ corpore, augetur enim in his ambitio, cupiditas, ira, furor, inertia quædam ad omnia bona opera, libido acris & salax, animus dolosus. Temperaturam autem frigidam & humidam cognosces ex habitu macilento sub pingui albo cum venis angustis: contra verò viri illi effœminati & malorum morum: tametsi iustiores non natura, vt credebant antiqui, sed quod solitudo illa hominibus multa vitia adimit: redduntúrque simpliciores conuersationes solum cum suis, & cum beluis, bobus, equis, canibus atque feris. Conuenticula enim hominum in vrbibus, oppidis, villis, quantum addit ad commodum, tantum etiam adiicit ad improbitatem, nam quisque ab alio discit, vitia ac scelera, quæ vna actione discuntur, virtutes non ita & artes aut disciplinas, quæ non nisi continuato vsu acquiruntur. Indicio est quod ciues deteriores oppidanis, oppidani villicis, villici hominibus solitariis. Vnde illud postmodum promanauit Aristotelicum, homo solitarius aut bestia aut Deus.

TEXT. XIV.

SCytharum gens fului valdè coloris existit propter frigus ingens. Non enim vehemens accedit ad eas sol, à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua.

THeophrastus de hoc agens inquit (2. de causis plant. capit. 4.) quod frigidi flatus adurunt germina nuper prognata & flores. Reddit huius causam infra cum dixit, frigore gelúque tam sapores quàm odores hebetiores ob densationem redduntur, nil enim concreta exprimere possunt: tum etiam obliterantur quodammodo ex violentia frigoris, nec modo illa sed etiam sensus tollitur: paulò post: nam & fructuum dulcedinem frigus per gelationes educendo eximit. Pari modo & nimij æstus saporibus officiunt, alia namque exurit alia non concoquit alia putrefacit. Vt breuiter absoluam, frigus non exurit nunquam, hoc enim absurdum, quòd à causis contrariis primùm idem procreetur effectus: si neque hoc vult Hippocrates, sed quod ab æstu & gelu similes procreentur ad sensum affectus, ex quibus postmodum iidem affectus tandem eueniunt, velut ignis & glacies manifestè perimunt hominem, & extinguunt etiam calorem naturalem: vt verò non eodem modo, sed quia ignis exurit, glacies exprimit humidum quod est caloris innati fundamentum: & ita cum cutis & caro ex vtroque priuentur, humido & calore innato & flore sanguinis pariter videbuntur exusti & color erit πυῤῥὴ, sunt autem tres colores apud Latinos qui valde proximi sunt, fuluus, flauus qui & rufus & pallidus: sub hoc nomine Græco præcipuè licet fuluus significetur, cum etiam igneus contineat alij duo quoque intelliguntur. Est igitur color obscurus à rubro & candido alienus ob cutim densatam à frigore nimio & humido natiuè atque sanguine prorsus destitutam, velut in Æthiopibus etiam exustæ speciem referente.

LECTIO XCI.

Super

TEXT. XV. XVI. XVII. & XVIII.

NEque verò possibile est fœcundam eorum esse naturam, cum viri minimè cupidi sint cum fœminis commisceri ob nimiam corporis humiditatem ventrísque mollitiem ac frigiditatem, quæ causæ apparent minimè viros ad coitum incitare.

DOcet Scythas minimè fœcundos esse miniméque salaces tum in Venerem potentes duabus ex causis quibus prohibentur viri, inde idem de fœminis adiicit. Vt tam causa fœminarum quam masculorum idem contingat. Coordinentur autem hæc quatuor, salacitas seu appetitus ad Venerem, seminis copia, erectio valida membri, & fœcunditas, salacitas est minor omnibus adeò, vt etiam in decrepitis maneat. Post seminis generatio, quam etiam in illis fit, non tamen adeò copiosa, neque bona vt in iuuenibus, ambo igitur hæc minoris sunt momenti: sed tentio membri exigit multa, & ideò minor est in senibus, nec fit nisi post somnum, & cibo concocto præsertim calido potestate, & cum modico potu, & ipso non multo & duriore & ante mictum: & si fiat crepitus ventris soluitur plerunque. Et causa propria est, vt alias declaraui, robur cordis aut valida imaginandi vis, quæ cogit cor impellere spiritum flatuosum, & caliditas renum validiorum & pinguium trahentium & transmittentium, ideò horum præcipua cura habenda est, & si hæc omnia adsint poteris esse fœcundus, & non esse, sed si sic fœcundus priora tria aderunt. Cúmq; ex Aristotelis

sententia

ſententia (5. de Hiſt. anim. cap. 14 & 7. eiuſdem. cap. 6. in princ.) homo fœcundus ſit ad LX. annum vſque: & ſi plurimum valeat in generando ad L X X. dubium non eſt quin apud Scythas ex regula Dialectica noſtra quin terminus generationis non ſit ad annum vſque quinquageſimumquintum, aut cum maximè valent hoc in munere ad LX. vſque. Quod ſi qui tranſgrediantur ea ratione tranſgrediuntur, qua etiam vt alibi dixi aliqui etiam vſque ad XC & forſan vſque ad C. annum generant in probabilibus. Ergo Ariſtoteles ſumpſit quòd plerunque accidit, cum nihil definitum ſit. Oportere enim ſpacia vitæ primum eſſe definita, inde definire generandi ſpacium. Veriſimile enim eſt, & Scythas eſſe breuoris vitæ, vt ad ſummum non attingant octuageſimum ſed ſeptuageſimo maximè ſeneſcant, quod prętermiſit Hippocrates non vt incertum, ſed vt ex dictis iam euidens. Auerrois dixit (2. de gener. & corrup. com. 48.) iuuentutem extendi ad XXX. annum ſenium ad LXX. quaſi innueret hominem generare non poſſe, niſi in his duabus ætatibus, & ita hæc erit cauſa, cur non vltra generet, velut nec in pueritia, & multo minus in infantia. Oſtendit ergo hoc eo modo dum conſequens negat. Dum homo eſt fœcundus valet etiam ad Venerem, ſed Scythæ parum valent ad Venerem ob frigidam intemperiem per ſe, ex qua nec conficitur ſemen, nec ſpiritus generatur ad tenſionem, quæ duo ad Venerem ſunt neceſſaria & per accidens, vt dicunt Barbari, ex humido quod vt dicebat Galenus (2. de Temperament. cap. 3) eſt cauſa mollitiei, & mollities eiuſmodi vix tendi poteſt vlla ratione, velut de furtibus madidis, ni hinc inde trahantur, quod imperiem contingere non poteſt, igitur non poſſunt eſſe prompti ad Venerem, igitur neque fœcundi.

Sed hic emergunt tres dubitationes, prima, quia Syluius Rex Scytharum genuit LXXX. filios, authore Plutarcho (in libro de Garrulitate.) Vnde illud quod moriens faſciculum ſagittarum iuſſit afferri, & vt frangerentur ab eorum robuſtiſſimo imperauit, qui cum non poſſet ipſe ſingulas fregit, indicans quod ſi in vnum conſentirent, regnaturos: ſi diſſiderent, regnum ſingulos amiſſuros & vitam. Secunda, quia Scythæ (inquit Galenus) ſunt humidi non frigidi, ſed de hoc in Contradictionibus (12. lib.) Tertia, quoniam aliqui ſenes cum ægrè arrigant, multis iuuenibus ſunt fœcundiores. Vnde apud nos prouerbium illud experimento comprobatur, qui raro amplectitur, ſæpe conſtringit, id eſt, qui raro coit, frequenter generat. De prima igitur facile eſt reſpondere, quod apud Barbaros mos ſit eligendi Regem cum qui ſit robuſtior & fortior & ſpecioſior, atque hi ſunt plerunque poſtmodum maximè fœcundi, vt de Hercule referunt, quòd LXX. filios maſculos genuerit, & vnam ſolam fœminam, cum ergo Regibus liceat habere quotquot fœminas velint, & etiam alere eas poſſint, & educare filios iam natos: nil mirum ſi habuerint LXXX. filios, præcipuè cum pro laude illi cederet tanta fœcunditas apud ſubditos. Barbari enim talia imò quæcunque admiranda cum bona fortuna coniuncta, etiam ſummam ſæuitiam velut in Iſmaële noſtris temporibus, qui propriam etiã matrem occidit, ad diuinam naturam referunt. Sed ſi hæc fœcunditas ad fœcunditatem habitantium in aliis regionibus referatur, parua erit: conſtat enim noſtra ætate cuidam Regi Moluchiarum, hæ ſunt Inſulæ de quibus dictum eſt, fuiſſe de filiis fæminis tamen computatis, ſed veriſimile eſt maſculos ipſos fuiſſe longe plures LXXX. Ad tertiam dubitationem dico, quod cum arrigunt plus facit ad generationem ſeminis bona coctio & paucita, moderata, quæ ad coctionem facit, & ratio bona victus, & quies & fæmina non libidinoſa, quam ſolum robur tentionis virgæ: & ideo hi facilius & frequentius generant. Commoda autem appetitus Veneris eſt voluntas in eam & erectio validior & effuſio ſeminis perfectior & celerior. Multitudinis ſeminis vt fœtus qui naſcitur habeat membra ſeminalia maiora, & quod ſit robuſtior, & ſi concoctum ſit, vt ſit ſpiſſior ac denſior, & magis ſpiritu abundet, & melius hæreat atque cogatur, ſit etiam calidius, & prius quod multum refert. Tentionis virgæ vt totum effundatur & ſimul quod plurimum refert, & celeriter ne refrigeretur. Vnde qui habent virgam longam non ſunt adeo prolifici.

TEXT. XVI.

Accedit his laſſitudo ex continua equitatione contracta quæ eos ad commiſtionem reddit impotentiores, atque hæ ſunt cauſæ cur viri infœcundiores putentur.

HÆc eſt ſecunda cauſa, ex longa equitatione maximè debilitantur renes, nam crura magis delaſſantur in pedeſtri itinere: ſed ad coitus appetitum & robur ſeminis plurimum faciunt renes: qui cum calidi ſint calore præter naturam cauſa ſunt, vt ſemen à naturali calore deſtituatur: cum ergo parum appetant venerem, & ſemen ſit crudum & frigidum parum generabunt. Vnde qui ſtudent generationi, debent rarò & parum equitare, exercere ſe in pedeſtribus exercitiis, parum edere & cibos craſſos & boni ac validi alimenti, vt ſuillas carnes aſſas, caſeum, modicum bibere & vinum rubrum, potens & benè dormire. Porro omnia quæ inimica ſunt cordi aut renibus, officiunt Veneri & generationi, vt in Scythis equitatio: generaliter autem multa Venus, & aſſidua, effuſio ſanguinis violenta & copioſa, vigiliæ, medicamentum potens, & maximè è lacticiniorum genere, timor, triſtitia, cruditas.

TEXT. XVII.

MVlieres autem pinguedo carnis & humiditas sterilescit, præ quibus vteri earum genitale semen arripere nequeunt.

HOc est clarum apud Hippocratem quinta Aphorismorum(43. 44. & 60.) licet autem solum addere quæ ibi scribuntur: Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt secundo aut tertio mense sine occasione manifesta, iis acetabula vteri plena mucoris sunt,& non possunt ex pondere fœtum continere sed dirumpuntur. Et iterum quæcunque præter naturam crassæ non concipiunt vtero, iis omentum os vteri comprimit, & priusquam extenuatæ fuerint non concipiunt. Et iterum, quæcunque frigidos & spissos vteros habent non concipiunt. Et quæcunque præ humidos vteros habent non concipiunt. Extinguitur enim in eis genitura: & quæcunque siccos magis & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque verò ex vtrisque mediocrem habent temperaturam hæ fœcũdæ sunt. Ostendit hoc ipsum etiam libro de Natura muliebri illis verbis(pag.6.)si verò crassa facta fuerit mulier præter naturam, & eadẽ ad verbum repetit libro de Sterilibus(p.3.)& in lib. de Superfœtatione: Mulier quæ præter naturam crassa est ac pinguis, & pituita repleta non concipit hoc tempore. Verum nullus melius hæc vidit aut interpretatus est, quam Vesalius:is siquidem in suo opere de Fabrica humani corporis inquit(cap.4.) Arbitratur Hippocrates in huiusmodi fæminis molem incrementi omenti inter vterum & vesicam interpositi collectam & asseruatam, ita vteri os comprimere arctareque, vt seminis conceptum sese recludere, aperireve nequiret: & ceruicis vteri iuxta fundum amplitudo à pene eóque potissimum languidiore minúsque procero ita distendi haud posse vt semini in fundum vteri aditus pateret.

TEXT. XVIII.

LVnares namque purgationes eis non eueniunt quemadmodum est necesse,sed minus & intempestiue. Ipsamque amplius vteri os præpinguedine concluditur vt nequeat semen suscipere: sunt enim ociosæ & pingues ventresque earum frigidi & molles. Vnde necessario sequitur, non multum fœcundam Scytharum gentem esse. Cuius rei famulæ earum indicium exhibent, statim enim vbi ad viros accesserunt, ac fuerint cum illis commistæ in ventre concipiunt, propter corporis exercitum carnisque gracilitatem.

OStendit quatuor alias causas sterilitatis in mulieribus: scilicet intempestiuas lunares purgationes, & os vteri præpingue, vt non possit semen suscipere,& ventres frigidos & molles:vt neque ob mollitiem possint recepto semine perfectè concludi,neque etiam si concludantur concoquere semen ac fœtum fouere qui calore indiget plurimo ac temperato, cum in his sit modicus atque remissus. Addit Alemanus quòd prodeunt duarum seminarum Atticarum pondere, id variatur à plerisque, tamen communis Attica est vnciarum XII. magna (duplex enim est) XV. vt pondus illud sit à XXIV. vnciis ad XXX. quod verum esse non credo, nisi in valde bene habitis mulieribus. Posset intelligi de hemina minore quæ est vnciarum IX. sed illa Attica non est. Budæus inquit (2.de Asse) Mina Attica LXXV. drachmas pendet,aliud autem est hemina, id est sextarij dimidium quæ & contula Latinè dicitur: amphoræ sextarius XLV. pars est hemina ergo XC.(lib. 5. eiusdem) Et hæc est potius mensura quædam quam pondus:est enim vacuum quod comprehenditur pedali spatio in longitudine, latitudine & altitudine, vt sit CCXVI. vnciarum mensuræ, sed melius Festus Amphoram existimat esse LXXX. librarum, vt hemina sit vnciarum IX. cum besse, & duæ heminæ vnciæ fermè XIX. (ex Budæo libro eodem.) Sed cum hæc adducat Alemanus neque ex experientia didicisse videtur, cum heminas Atticas dicat, ego tamen malim dicere minas vt libram per minam intelligat: neque à quo acceperit authore testatur. Satis est illum prope metam communem vt reor accessisse. Secunda causa alia est ab ea quæ superius posita est, cum ad omentum illa, hæc ad os vteri pertineat. Tertia forsan similis superiori videbitur. Sed differt cum hic non de retentione agat, sed potius coctione. Quarta est ocium quo corpora refrigerantur & excrementis replentur.

LECTIO XCII.

Super Eodem.

TEXT. XVIII. & XIX.

CIrca hæc de generatione infantis comparatu ad menses, præter ea quæ dicta sunt superius, succurrit pulchra obseruatio ex Hippocrate in libro de Superfœtatione (pag.6. (pag.6. cum enim docuisset ea quæ superius diximus ad generationem vtilia, & quod tempus vernum ei maximè idoneum est,subiungit:Et vbi marem generare voluerit, mensibus desinentibus aut defectis, misceatur, & quam penitissimè intrudat (scilicet genitale) donec deseruiat. Vbi vero fœmellam generare volet quum plurimi menses prodierint mulieri, & dum adhuc eunt, coeat, & dexterum testem obliget quantum ferre potest, vt in generando marem, sinistrum. Vt etiam intelligamus non adeò intrudendum, vt in emissione semen aliquantisper refrigeretur, ita etiam non adeò erecto

pene

pene femellæ potius generantur, aut omnino non generantur. Menses autem corrupti dicuntur minúsque ad concipiendum idonei, primum si aquei, fœtidi aut nigri purgationis tempore veniant. Deinde si virides, albi aut cærulei vel crocei, & si plurimum fluant aut longiori tempore, aut breuiore quam par est, & si vrant & si non stato circuitu, sed seriùs aut citius, aut si omnino non fluant, Neque enim prorsus steriles fiunt si nil fluat, dum virgines sunt: vidi enim plures quæ conceperunt nuptæ cum virginibus non fluerent menses. Longè tamen paucioribus quibus vt pepererint nihil fluit statis temporibus contingit vt concipiant: concipiunt tamen aliquæ. Multa præterea in hoc genere mirabilia contingunt: Velut Sebastiano Peregrino patritio Bononiensi, qui æger cum vxore ægra concubuit, & ipsa toto tempore ægra permansit vsque ad partum, & filius nihil incommodi passus, sed etiam boni habitus superuiuit, cum sit quinquennis. Atque ad hoc plurimum facit nutricis qualitas, quæ & sana valdè sit, atque optimi habitus & infantem benè curet.

Cum rei famulæ indicium exhibent.]Hæc est declaratio quartæ causæ, in qua ostenditur quantum possit exercitatio in comparatione ad ocium, nam sola exercitatio præpollet aëri & rationi victus, cum seruæ sint salaces & fœcundiores dominabus, quia calidiores & minus abundant excrementis, & magis retinent fœtus. Ex quo colliguntur duo, quod quæ exercentur mulieres sunt salaciores, contra ociosæ magis castæ. Secunda, quòd mediocris exercitatio vtilis est vtero gerentibus: cum etiam si paulò vberior sit modo non incommoda, in corporibus excrementitiis est potius vtilis quam damnosa. Diximus alias satis de commodis exercitationis ex secundo de Tuenda sanitate (cap. 2.) sed hic non propriè est sermo de exercitatione vera, sed motu leui & mediocri, qualis est deambulatio, negocia domestica, conficere panem, abluere vasa, coquere carnes, lectos aptare. Conueniunt autem hæc magis secundo & tertio & quarto mense, inde nono, non octauo.

TEXT. XIX.

Amplius autem præterea plurimi Scythę eunuchi nascuntur & muliebria officia obeunt instarque fæminarum omnia faciunt & loquuntur, vocantúrque hi Effæminati.

Non parua est difficultas his temporibus & verbis & rebus satisfacere, nam cum malè posita, & ab imperitis sint nomina rebus, si volumus res tradere difficillimum erit intelligere mentem antiquorum, qui de his scripserunt, si verba sequamur, in errorem necessario antiquorum incidemus, ipsumque etiam augebimus, quod vsu euenit in præsenti tractatione. Quapropter cogimur vtrũque amplecti, & dicere quomodo nomina ab antiquis tradita sint intelligenda, deinde quomodo res ipsæ sint disponendæ. Primùm ergo hoc nomen eunuchi generaliter capitur pro omni homine, qui impotens sit ad Venerem: cum enim declarasset Hippocrates Scythas esse frigidos, & ob id etiam steriles vult declarare euidentiori signo eos esse frigidos quia ad Venerem sunt impotentes, propriè enim frigidi dicuntur homines qui ad Venerem sunt impotentes, vnde titulus est apud Iurisconsultos de frigidi & maleficiatis, eunuchorum ergo differentiæ tres sunt speciales thlibiæ castrati & spadones castrati dicuntur, quibus adempta sunt virilia, hoc autem bifariam aut testiculi* solum qui non prorsus sunt impotentes ad Venerem, sed solum ad generandum, ea causa solent nunc Turcæ tota virilia præcidere & euadunt multi, quoniam copioso in profundum somnum ducuntur. Thlibiæ verò sunt quibus testiculi in manibus obstetricum contriti sunt, spadones vero quibus meatus pudendi contortus est, ergo tamen etiam spadones dici inuenio quibus exsecta sunt virilia. Eunuchi dicti sunt ἀπὸ τῶ ἔχειν, id est quod lectum habeant, scilicet qui admittuntur ad reginas & filios principum, præstantiores in hoc mulieribus quod non adeò cum illis consentiant, nam mulieres communi consensu cum reginis & filiabus regum amicis amatoribus inuicem consentiunt, sunt præterea expeditiores mulieribus & facilius ac promptius occurrunt adulteris atque illos deprehendunt, possunt etiam vlcisci suntque audaciores, quia arma ferunt, demum quotidie sine suspicione ad regis aures veniunt, quod in mulieribus non sine admiratione fit, vnde deferuntur, & ad reginas & ad adulteros, & sæpe accidit vt re prius ab adultero, quàm adulter à rege occidatur his tot causis atque aliis forsan eunuchi mulierum custodiæ à regibus præferuntur. Sunt etiam custodes adolescentium filiorum atque puerorum cæterorum, cum mulieres quandoque in turpia facta illos alliciant, aut saltem permittant flagitiosi viuere. Sed hæc satis supérque de verbis. Venio ad res ipsas, eunuchi trium sunt generum, alij quidem ob priuationem virilium, aliqui ob naturæ impotentiam non generantis semen aut flatum transmittentis sunt enim hæc tria necessaria ad Venerem, membrum cum suis partibus, materia & eiaculator spiritus, horum vnum quódque defectuum scilicet præcisionis, frigiditatis & vitij, tres esse causæ possunt, vis, natura & casus. Hic ergo intelligit non de vi vt clarissimum est, neque enim refertur in Deos nec essent in veneratione, deinde ipse se explicat, quod intelligit de casu quem declarabit inferius, vnde notandum est quod vt habetur in primo de semine, priuatio aut aut corruptio testium est causa frigiditatis in toto corpore, & vicissim frigiditas est causa impotentiæ ad Venerem, sunt ergo frigidi & à signo & à causa eunuchi, dicit ergo quod eiusmodi homines muliebria officia obeunt, & instar fæminarum omnia faciunt & loquuntur, & mulieres quidem vocem acutam mittunt, dicebat (Probl. 65.) Philosophus 11. Problematum, cur pueri, mulieres, spadones & senes vocem acutam

reddant,

reddant, & causam dicit esse quoniam parum aëris trahunt propter imbecillitatem, & rei veritas est, quod corpora eorum sunt frigidiora, & ideo viæ redduntur angustiores, & similiter de barba quam non emittunt, eadem enim est ratio in vtrisque, & idem modus, nam si ab initio eunuchi sint & ab infantia nec vnquam producunt barbam & vocem retinent muliebri angustiorem ac tenuiorem, verum si post adolescentiam fiant eunuchi, & in barba, & in voce, & in moribus mistum quid retinent, adeò vt plurimos lateant, & ego vidi aliquot barbatos, sed rariore & breuiore barba, vbi enim exciderit non renascitur, & longiores pili propter imbecillitatem cadunt, & vox in eis fit inæqualis & mores misti, constat enim Narsetem eunuchum Iustiniani Imperatoris Italiam à Barbaris vindicasse maiore felicitate etiam quàm antea fecisset Bælisarius cognoscuntur, ergo eunuchi & moribus fæmineis, & quia sunt sine barba & voce exili, & ideo etiam amant muliebria negocia, texunt enim & suunt, & inter mulieres versantur. Vnum solum spadones retinent munus, de quo Philosophus ait (38.) 10. Problematum, quod corpora eorum proceriora euadunt, quod potius proprium est viris quàm fœminis: cuius affectus ibi causam docet.

LECTIO XCIII.

Super

TEXT. XX. XXI. XXII. & XXIII.

Regionis quidem incolæ causam ad Deum referunt, coluntque hos ipsos homines, & adorant sibiipsis timentes ne quid tale accidat.

Omnibus temporibus ac gentibus cultus deorum communis fuit. Persuasum & ex æquo est cærimoniis illos delectari, nec solum eos in honore habitos, atque qui diuina tractant, sed quotquot ab ipsis plexos animaduerterint: seu tanquam cognitos, seu quod curæ eis fuerint seu ob conuersationem atque contactum. Timor, admiratio, spes, plures in Deorum opinionem traxit, ratio pauciores scilicet Philosophos. Solicitis maior cura Deorum, felicibus fermè nulla, qui enim sperant, non felices, ob id quicquid occursabat aliquando Ægyptij pro diis habuerunt, sapientiores eos à quibus timebant velut crocodilos, aut à quibus iuuarent velut Ichneumonē: etenim id secum cogitabant, si plus potest nobis aut iuuat, cum eo aliquid diuinum esse necesse est, & ob id coli dignum. His rursus sapientiores coluerunt astra & solem, quæ maximè perpetua & pulcherrima esse videbant. Inde à Philosophis ratione in incorpoream naturam ventum est. Inde etiam leges introducto Deorum cultu facile fuit ipsum augere sacerdotum cura, qui rebus etiam suis fauebant, tum verò quicquid mali casu aut stultitia nobis accidisset in Deos vertebatur: tum quicquid boni etiam si diligentia ac prudentia partum foret in eorundem benignitatem traducebatur. Adeò vt & Camillus & alij præclari Duces Romani, pro victoria quam multo sanguine ciuium adepti erant & consilio etiam bono Diis ædes sacras vouerent, Ioui, Marti, Fortunæ. Coacti sunt ob hæc cum non verisimile esset à bonis mala neque à malis bona proficisci, deos alios bonos alios malos statuere, qui mos ad omnes leges promanauit, nisi quod Christiani malorum authorem non Deum malum faciunt: sed Dæmonem, iidem minus tribuunt ceremoniis (tribuunt tamen) omnibus aliis legibus. Dissident omnes leges in hoc vno à Philosophis, quod hi curam solum generalem de nobis tribuunt: leges omnes propriam ac specialem. Propterea subiicit.


TEXT. XXI.

Mihi verò hi affectus diuini quidem esse videntur, sicut & reliqui omnes neque vllum aliquem vllo alio esse diuiniorem aut humaniorem, sed diuinos omnes: verùm vnusquisque eorum suam propriam habent naturam, neque aliquis citra naturam nascitur. Quare quomodo hic affectus contingat vt mihi videre videor narrabo.

Omnia à Deo proficisci qui Deum esse incorporeum & Cœlimotorem arbitrantur nemo dubitauit. Quidam etiam cognoscere, è quibus est Hippocrates in libro de carnibus (Pag. 2.) & videtur mihi sanè id quod calidum vocamus immortale esse, & omnia intelligere, videre, audire atque scire tum præsentia, tum futura, nam Epicurus solum putat esse causam non autem cognoscere quisquam sed vt Ausonius

Quid est beatum? morte æternum carens
Quod nec sibi facessit negocium nec alteri.

Alij existimarunt communibus rationibus ab eo perceptis, atque intellectis hæc cognosci, non tamen singula sub illis velut hominem hunc atque illum quod sit homo vt Algazel Philosophus, alij etiam propria vnius cuiusque velut constitutis tribus circulis occursantibus sibi inuicem quod solum in tribus punctis sibi occursant, & hæc est opinio Aristotelis & Auerrois.



Quidam etiam volunt quod sciat quæ illi contingunt velut ægrotare

tare, ambulare, irasci, hæc autem fortuita & non definita, leges autem etiam per proprias rationes: velut si Deus videret aut cerneret vt homo. Hippocratis autem opinio est, quod norit & efficiat vt causa, communis cuius ministra sit natura. Porrò in eandem sententiam iuit in libro de Morbo sacro his verbis. Hic morbus nulla re diuinior mihi esse videtur reliquis, sed naturam habet quam etiam alij morbi & causam vnde singuli gignuntur. Naturam autem & causam ab eodem Deum fieri à quo etiam alia omnia. Ipse autem Deus est qui maxima ac scelestissima peccata purgat & liberatio nostra existit, ipsique ei terminos delubrorum atque templorum constituimus, vt nullus qui non purus sit eos transcendat, non quod inquinemur ex eis sed quod potius si aliquid patrauerimus purificemur.

Porrò de Diis sententiam Galeni explicare communem, superfluum est, cum eadem sit ei quæ fuit Peripateticorum: propriam autem in libro De Prædicatione (cap. 1.) ad Posthumum his verbis eiusmodi viri (id est probi ac sapientes) quamuis ignoti vulgò sint summo tamen rerum opifici Deo noti primum amici sunt. Ipse tamen Tertio in Tertium Epidemiorum (com. 3.) videtur, vt dixi, secutus opinionem dicentium existimantiumque astra esse Deos, quòd in eis propter æternitatem diuina vis manifesta sit.

TEXT. XXII.

AB equitatione ipsa diuturni eos corripiunt dolores nimium propendentibus semper ex equis eorum cruribus. Deinde claudi fiunt contrahunturque vertebræ cum inualuerit morbus.

OStendit causam naturalem impotentiæ ad Venerem, equitationem ipsam importunam multis modis: primum quod fit sine exercitatione terrestri: secundo quòd fit per loca frigida: Frigidum autem inimicum neruis & ossibus (5. Aphor. 18.) & generaliter omnibus membris exanguibus, tertio quòd fit laboriosa per loca inæqualia & diuturna. An verò per se equitatio deducat ad articulorum dolores etiam quòd esset moderata & commoda? dico quod sic, quia deducit humores ad partes inferiores. Vnde Suetonius tradit impleuisse crura equitatione post cibum, quæ etiam tanto insalubrior est, quanto reliquæ exercitationes eo tempore magis noxiæ sunt, lib. de Cibis boni & mali succi (cap. 3.) & etiam quia diuaricat crura & ideo facile dolent articuli, & dilatantur. Et etiam ob concussionem idem contingit: nam antiquo tempore quod mirum est, & tamen ex statuis perspicuum, non erant stapedes inuentæ sed ex ephipphiis crura pendebant magno incommodo: nostra tempestate non hoc inuentum vtile est, sed etiam ad firmitatem & pugnam plurimum affert auxilij: cuius indicium est quòd nemo hoc auxilio carere vult. Venio ad propositum, hic colligitur. quòd equitatio huiusmodi facit dolores acres coxendicum, primum inde claudicationem in actu: inde contractis coxendicibus claudicant. Vnde liquet claudicationem ex dolore coxendicum fieri eo decurtato non facto longiore in quibusdam tamen accidit vt crus patiens dolorem producatur cum fuerit ex sola luxatione: nam cum articulus exciderit necesse est membrum reddi longius. Galenus Primo in sextum De morbis singularibus (com. 6. in fine) vbi enumerat validas exercitationes, dicit: equitationes & armis ac lucta & Pancratio certare aut humum fodere, nec eas commendat, ad robur membrorum comparandum: sed potius alias mediocres. Sed dicit (2. De Tuen. san. cap. 8.) equitationem non solum exercitationem, sed opus Declarat: si quid per opus intelligat id quod finis causa fit vt equitatio peregrinandi etiam non solum exercendi causa. At paulo pòst declarat (cap. 11. quomodo qui equitat exerceat etiam oculos, spinam dorsi, crura quoque & femina, dicit etiam collum laborat & intestina agitantur, ex quo manifestum est quod huiusmodi exercitatio est incommoda valdè patientibus epiplocelem & enterocelem. In lib. autem de Ludo paruæ pilæ docet (cap. 5.) quod equitatio præcipuè nocet renibus & pectori, vt sæpe fregeris aliquid circa eas partes, inde etiam dicit nonnunquam vasis seminariis. Ego tamen adhæreo Hippocrati dicenti quòd maximè lædit coxendices, hoc enim magis rationi consentaneum est de antiqua equitatione loquor, nostra non ita. Appellat autem opus vitæ illam Tertio de symptomatum causis (cap. 1.) velut piscationem, ambulationem, balneas & huiusmodi quæ finis causa sunt. Sed differunt maximè inter se etiam genere vt cursus: aut cum equo tortore, aut per angarias in qua sessio est valdè incommoda & hæc membris naturalibus maximè officit & vitam breuiorem reddit.

Redeundo ad propositum ex incommoda equitatione & diuturna confluunt humores, & etiam dolent: ipseque dolor vicissim humores trahit, quibus fit vt tum propter dolorem, tum propter membri inæqualitatem, tum laxationem vt claudicent, nisi vrantur scribebat Hippocrates 6. Apho. (vlt.) Non possunt autem hæc perferre incommoda sed conantur illa auertere. Ideo subiungit.

TEXT. XXIII.

MEdicantur autem sibi ipsis hoc modo. A principio morbi vtramque venam retro aures incidunt, quo facto sanguine multo promanante somnus eos corripit præ imbecillitate, sicque obdormiscunt, quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt aliqui verò minimè.

QVis docuerit hanc rationem curationis non dicit: sed vera cura non est, maiorem

rem morbum priore contrahere: ob id dicebat Galen. ex Hippocrate tamen, quartodecimo Artis curandi (cap. 13.) quod optima curatio exigit, vt æger saltem non lædatur: at transmutare affectum leuiorem in grauiorem, hoc est lædere ægrotantem: itaque cum longè deterius sit esse sterilem ne dum ad Venerem impotentem, quam esse claudum, hoc enim vitium omnium perpetuorum est minimum, vtpote quam esse surdum aut cœcum, aut mutum, aut insanum, aut qui vomat cibum perpetuò, aut nephriticum, aut resolutum, aut mali habitus, aut cum lapide in vesica, aut sine dentibus, aut ipsis infirmis aut cum carcinomate, manifestum est huiusmodi curationem fuisse ab empirico inuentam, forsan ignorante quæ sequerentur damna. Sequebatur autem profusio multa sanguinis, hanc propter imbecillitatem somnus, & satis constanti ratione ex quo aliqui sani euadebant: quidam minimè, quos constat deterius affectos esse ex hac sanguinis missione. Quæ autem relinquuntur dubia duo sunt: vnum est quænam sint istæ venæ post aures, & an pulsatiles? secundum quinam sint qui sanentur, & qui non. Alemanus ad primum dubium respondet, & citat Vesalium (lib. 3. cap. 7. pag. 10. in fine) cuius verba sunt) interpositis etiam figuris) exterior externæ iugularis portio per capitis exteriora passim repens mox glandulas suis quoque distributionibus præfectas obtinent quæ inibi sub aure reponuntur, vbi inferior maxilla superiori articulatur. Præsens portio inter has glandulas bipartitur: & vno ramo in buccas narium alas & ad fontem variè exporrigitur altero autem tempus & auris regionem adit. Hic enim ramus denuò in duos præcipuos surculos diuisus, vnum in sui lateris tempus, admodum errabundo, & inuolato ductu digerendum offert, alterum verò post aurem, & ad occipitis cutem diffundit, exterioris iugularis soboles in faciem ac capitis cutem digestæ, hoc sibi priuatim vendicant, quod dextri lateris venæ sinistri lateris venis quibusdam sedibus permisceantur, ac inuicem coeant, idque potissimum faciem & vertice, & in primis adhuc in fronte, adeo vt frontis vena plerunque ab vtrarumque iugularium, propaginibus per internos oculorum angulos sursum deductis confletur. Ad hæc per exigua verticis ossium foramina, & suturas gracillimæ venulæ in caluariam procidunt, non aliter atque rursus ex caluaria in cutem alias emergere tum dicam, quando cerebri vasorum seriem priuatim enarrabo. Quippe hæc opportunè tantisper dum in caluariam arterias quoque sermone perduxero, asseruabitur quod varia cerebri venarum arteriasque sit commixtio, quàm incognito adhuc arteriarum ad caluariam deductu, arduum foret percipere. De pulsatilibus non meminit cum eas agnouerit, vt in libro de Alimento (Tex. 40.) Quinam verò essent qui euaderent & qui non, cum certum sit per venas educi sanguinem, aut humores sub sanguinis forma, qui potestate tantum humoris formam referunt: Quibus ergo defluxio ad coxendices vel ex sanguine fuerit, vel humoribus æqualibus, his talis sectio detrahens, causam salutaris fiebat, aliis autem non. Quibus autem temperamentum biliosum, aut pituitosum, aut melancholicum, aut immodicè siccum imbecille, his quidem nocebit non parum faciens hydropes & malum habitum, vt Nono Artis curandi (c. 10.) aliis non proderit.

LECTIO XCIV.

Super

TEXT. XXIV. XXV. & XXVI.

At mihi sanè videntur ea medicatione se ipsos perdere. Venæ enim retro aures sunt quas si quis secet sterilitatem inferat his quibus secantur, quare id etiam ipsis ex earum incisione accidere certum est.

Qvod hic scribit repetitur in lib. de Genitura his verbis (pag. 2.) Quibuscunque venæ post aures sectæ sunt, Hi coeunt quidem & geniturам emittunt, verum modicam, debilem & infœcundam, nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures in spinalem medullam procedit: ipse autem transitus cicatrice sectioni inducta consolidatus est. Vt causam manifestè declaret. Sed in lib. de Locis in homine (pag. 2.) aliter videtur dicere, cum tamen idem dicat (nam si totum illud, caua autem vena finitur, vsque ad illud, hæ & infœcundum faciunt, apparebit sensus) his verbis. Aliæ duæ venæ à vertice iuxta aures ab anteriore colli parte vtrinque ad cauam venam appellatam feruntur. Hæ & infœcundum faciunt hominem, quum fuerint sectæ & in magnos digitos desinunt. Quanquam hæc vltima verba potius congruere videantur, illis proximis superioribus & scinditur ad inguina & ad fœmora intro: & disparationes in fœmoribus facit, & ad tibias intus fertur ad malleolos, quod de saphenis intelligi clarum est, & ob id illa verba his sunt adiungenda: vt legatur, & ad tibias fertur ad malleolos, & in magnos digitos desinunt. Aristot. (cap. 5. in fine) quoque visus est 2. de Generatione Animalium sentire, quod semen habeat quippiam cum cerebro affine, inquit, enim sedes oculorum maximè omnium capitis locorum seminalis est, quod putet cum sola ipsa per coitum venereum manifestè immutetur, & vsum immodico rei venereæ oculi apertè langueant & subsideant. Causa est quod natura genituræ similis cerebro est, aquosa enim materia eius est calorque aduentitius, Quæ autem de hoc sit eius sententia, habetur in proximis subsequentibus verbis, quæ sunt huiusmodi. Purgationes autem seminales à septo veniunt. Verùm de hoc alias. Igitur vt ad rem redeam, dubitat Alemanus quo modo fieri possit, vt hæc sectio inducat sterilitatem, cum causa illa effusionis communis sit, & tamen effectus illis solis venis tribuitur, & sumpsit hoc à Principe qui dicit se hoc sumere

ſumere à Galeno (4.1.cap.20. & 20. 3.7. 1. cap. 3.) forſan in commento libri de Aëre, Aquis & locis, qui in lib. De libris Propriis affirmat, ſe tres libros Commentariorum in ipſum conſcripſiſſe (cap.6.) Sed vana eſt obiectio, cum, vt dixi, ex authoritate libri De Genitura velit intercipi ſanguinem, ob cicatricem ne ad ſpinalem medullam deferatur. Quod ſi dicas non poſſe in percipi, per hoc viam à cerebro in ſpinalem medullam, quæ illi inſerta eſt? Reſpondeo quòd hoc eſt verum, nec latuit Hippocratem, ſed duntaxat ex immodica effluxione inde coalitu cicatricis cerebrum refrigeratur, ex quo ſemen fit infœcundum, & ad hoc ſufficit detractio ex vna parte, quia ſicut homo non poteſt viuere cum dimidio cerebri, ita non poteſt generare dimidio illius adeò perfrigerato, vt non poſſit concoqui ſemen. Nec eſt quod totum è cerebro deſcendat, ſed quia plus ex eo & magis neceſſarium, quia à membro principali, & facilium vitiatur quia ex membro exangui. Venæ ergo aliæ vt frontis, & huiuſmodi non adeo ſanguinis copiam reddunt, nec in cerebri ſubſtantiam tendunt, quæ enim poſt aures ſunt, ſunt maiores, & in cerebrum per cranei ſuturam penetrant.

TEXT. XXV.

Qvando igitur poſtea vxores adeunt impotentéſque ſe factos vident, cum illis coire primum quidem nihil moleſtius cogitantes, quieſcunt, cum autem bis, aut ter, aut amplius fruſtra opus tentarunt, neque quicquam proficiunt, mox putant ſe Deum offendiſſe, in quem culpam reiiciunt. Induuntque ſe veſte muliebri palam ſe euiratos confitentes ad mulierumque contubernia tranſeunt, & cum illis eadem quæ illæ agunt.

Qvod dicit totum eſt clarum, improborum autem virorum eſt, culpam in Deum reiicere, qui non eſt author niſi bonorum. Verum vnde mala eueniunt, cum ſit Deus bonus? Peripatetici dicunt illa eſſe, aut materiæ neceſſitate, aut caſu, nam ſicut homo vrceum faciens non poteſt efficere talem, vt non frangatur illiſus, non tamen malè fecit neque imprudenter, ſed commodum attulit mundo: ita hominem genitum eſſe fuit per ſe bonum & intentum à Deo, hominem mori non fuit à Deo intentum, ſed cum eſſet ex elementis oportuit eſſe mortalem Ita ſecuris ſi fiat ex ligno, quod ſcindat ab artifice habet, quòd non benè ſcindat vt ferrea, à materia. Ita mala non ſunt quicquàm, ſed bonorum defectus vt imbecillitas viſus & ſurditas. A caſu autem vel fortuna ob ignorantiam, non enim fortuna dicitur de his quæ præuiſa eueniunt. Vt ergo mala fiunt vel defectu materiæ, vel ex ignorantia, à Deo non procedunt (2. Phy.) Propterea dicebat Themiſtius primo Phyſicorum, malum ex priuatione proficiſcitur (Com. 80.) & Auerroes 12. primæ Philoſophiæ, malum proficiſcitur ex neceſſitate materiæ, & non defectu agentis (Com. 52.) Plotinus autem dicit in libro, cui titulus eſt: Vnde mala? lib.8. Enæadis 1. cap. 7. & 8.) Malum & materiam eſſe neceſſaria, vt contraria bono & formæ, hæc autem eſſe impedimenta quædam non propriè mala, ſed vt bonum non recipitur. At bona hæc etiam ſunt quia ſine materia eſſe non poſſunt: Securis enim non ſcindit niſi quatenus forma eſt in ferro: at in ferro ſunt aliæ aliis oppoſita, hinc oritur multifariam malum: & quia materia præbet impedimentum, ſimpliciter quod bonum ſeu forma incorporea non recipiatur plenè: & quod materia ex ſe habet quaſdam conditiones malas, & quod materia materiæ aduerſatur, & ideo malum ad aliquid dicitur. Mors enim hominis eſt bona hæredi, his qui ab eo timent: vermibus, ipſi morienti, amicis, filiis mala. Et generaliter etiam mala huic vel illis ex ordine vniuerſi ſunt bona: ſicut frigus hyemis ad enecandum vermes, vt ſegetes prouenire queant. Et tenebra clariorem efficiunt lucem (Enead. 2. lib. 3. cap. 11.) Clarius idem in lib. An Aſtra in hæc inferiora agant. Non ſolum Deus ſed nec Aſtra mali quicquàm influunt, ſed velut amorem gloriæ cupiditatem & prudentiam ſolertiamque, ex quibus nos in proxima vitia diuertimus, libertatis arbitrium ſcilicet inſinuans, & infra negat prorſus eſſe verba nulla vera) cap. 15.) Maximus autem Tyrius (Serm. 25.) in Deum referendum malum non putat, hoc argumento, quod ars ipſa nunquam ex ſe eſt cauſa mali aut erroris aut defectus: ſed Deus eſt longè perfectior arte: ergo cum bonus ſit, nunquam poterit eſſe mali author, ſed in naturalibus niſi interirent priora, poſteriora non orirentur. Alia vtilitas perfectio quæ habetur ex contrariis, vt diuerſæ formæ rerum naturalium emergerent. Tertia, vt animi immortales liberarentur, & ad meliorem vitam tranſirent. At Theologi mala ob peccata ſæpe numero accidere affirmant, aliquando ob diuinam gloriam. Præterea quæ mala eſſe exiſtimamus mala non ſunt, malum enim & bonum, ad animæ perfectionem pertinent. Contingere etiam mala ob bona, quod & Philoſophi aiunt haud dubium eſt. Velut de Gelone Pyſiſtrato, & pro filiis egregiis, qui ex parentibus improbis nati ſunt (cap. 15.) Syſiphi & Autolyci genus & Phlegiorum (In lib. de his qui tarde à numine corripiuntur.) Plutarchus pro exemplo adducit. Notandum quod malum culpæ in Deum ſi referatur impietas eſt: pœnæ autem non quia ſi ad iuſtitiam referatur, laudatur Deus, vt in Pſalmo: Si ad iniuſtitiam impium eſt, ſi ad iram & ſimilia ad ſacras expoſitiones confugiendum eſt.

TEXT. XXVI.

HOc itaque malo ditissimi Scytharum afficiuntur, minime verò infimi. Imò qui maxime & genere & potentia præualent, ex nulla alia quam continuæ equationis causa hoc perpetiuntur. Pauperes verò minus, cum non equitent. Vnde si hæc affectio aliis diuinior censenda esset, non nobilissimis, non ditissimis Scytharum ferè solis accideret, sed esset omnibus æqualiter peculiaris. Imò magis inuaderet pauperes circa cultum Deorum negligentiores, si saltem gaudent dij in hominum admiratione constitui, & pro hoc beneficia hominibus retribuunt.

REdit ad oppugnandam hanc opinionem quam prius ab initio refutauerat, dicens: Morbus hic maximè diuites & potentes affligit tum nobilissimos Scytharum: quoniam hi se assiduè exercent in equis, non ita pauperes quibus equi non sunt: adeò vt referat hoc in causam equitationis, & construitur ratio sic: nobilissimi Scytharum maximè his morbis corripiuntur, & nobilissimi Scytharum maximè se exercent equitando, igitur in tertia figura, qui se maximè exercent in equis, hi maximè his morbis corripiuntur. Et ideo cum solum concludatur specialis, oportet etiam vt assumatur generalis altera præmissarum, scilicet omnes qui ditissimi sunt maximè se exercent, aut omnes corripiuntur, & si materia esset necessaria, oportet vt esset altera earum vera, sed quia sumus in probabili argumento loco omnium sufficit, vt maxima pars subiiciatur. Proponamus ergo vtrumque quod de altero dicitur, quod contineat maiorem partem eius de quo dicitur, & est subiectum ditissimi aut ditissimorum Scytharum, & quanto maior pars continetur sub vtroque tanto verior est, & in pluribus, & si contra conclusio fit vera in pluribus, oportet vt assumptæ sint maximè generales.

Maxima pars exercent se in equis.	Maxima pars corripiuntur morbo hoc.
Ditissimorum Scytharum.	

Et vbi vna esset generalis & alterius conuersa, generalis tunc concluderetur in primo modo primæ figuræ eisdem sub nominibus intentum, velut, Ditissimi Scytharum omnes maximè se exercent in equis, & hæc est vera in materia probabili: & qui ægrotant sunt ditissimi Scytharum, & hæc est vera si assumatur per similitudinem, id est, sunt ditissimi Scytharum, aut viuunt vt illi sicut equites, licet sint pauperes, igitur qui ægrotant maximè se exercent in equis. Assumemus ergo maiorem, sic ditissimi Scytharum, & qui vt illi viuunt maximè corripiuntur hoc morbo, & qui se exercent in equis maximè sunt ditissimi Scytharum, aut eorum more viuunt, igitur qui maximè se exercent in equis, maximè fiunt effœminati: cum ergo proposito sit vera generaliter oportet per essentiā aut per causam propriam, & non est per essentiam, quia non est per intima, quæ sunt genus & differentia, posterius est enim ægrotare quàm exerceri: imò cum vnum adest, alterum definit, cum enim ægrotant non amplius exercentur, igitur equitatio est causa propria, licet non prima quam immediatam vocant effœminationis. Propterea subiicit aliam demonstrationem à negante consequens: Dum inquit:

Vnde si hæc affectio.] Ratio est eiusmodi vltio diuina, aut est generalis, vt pro Dauidis Regis peccato (2. Reg. vlt.) qui recensuit numerum populi sui, accidit pestis in populo qua sublati sunt LXX. millia Iudæi. Et similiter cum Saul pepercisset Amalechitis contra præceptum Dei, occisus est (1. Reg. 28.) cum filiis & exercitu à Palestinis (3. Reg. 16.) Aut est in insontes vt in Baasanem & suam stirpem & alios multos: at hæc vltio non est neque generalis in omnes Scythas, neque in insontes cum pauperes sint peiores diuitibus, quod ostendit primum in pietate, quia non sacrificare possunt Diis, quemadmodum diuites ob paupertatem. Verum Plato (5. de Legib.) videtur magis damnare diuites dicens: nemo potest præstare diuitiis & probitate: Refertur & ad D. Hieronymum illud dictum. Omnis diues aut iniquus est, aut iniqui hæres, solet etiam illud dici quod ab Alemano citatur: Sæpe malus diues est, sæpe miserrima virtus.

Propterea quæri solet quinam deteriores mortalium sint opulenti ne an pauperes? neque ea ratio est vera, quod si mendici sint improbiores, proximi illis scilicet pauperes sint deteriores. Et præstaret ponere quatuor ordines, opulentos, mendicos, pauperes, & mediocris census: sed nos, cum non sit hic locus proprius, solum diuites, id est opulentos & mediocris census opponemus pauperibus, sub quibus etiam medici continebuntur. Ideo dico quod diuites sunt meliores actu si boni sint: Nam Philosophi diuites, vt Zeno Epicurus fuerunt meliores Diogene & Chrysippo vel mure, possunt enim commodius exercere opera bona: nec etiam distrahuntur vllis necessitatis molestiis aut incommodis. Et ita malus diues deterior est paupere, quia nocere plus potest, hæc haud dubia sunt. Sed dubium est de duobus: Primum data æqualitate animi, an opes magis efficiant hominem bonum an malum? Secundum, an deterior sit animo pauper an diues? Hæc enim sunt quæ sciri desiderantur. Plotinus (Enea. 3. lib. 2. cap. 5.) in 2. de Prouident, dicit, quod paupertas retundit vitia, quemadmodum & morbi, cum ergo morbi non efficiatur meliores eodem modo & paupertas. In libro etiam) Eneade 2. lib. 3. cap. 14.) an stellæ quicquam agant in hæc inferiora? videtur considerasse modum quo partæ sunt. Si enim virtute, efficiunt meliorem, si dolo, vi, peiorem: sed si causam vt in hæreditatibus non docet. Dico igitur pauperes alios esse addictos seruituti, alios prorsus liberos:

peccata quoque esse diuersa. Priores igitur deteriores sunt diuitibus, quod sæpe iniuria afficiantur à qua si non mouentur ignaui, si mouentur cum vlcisci non possint maligni euadunt. Posteriores minus mali sunt, siquidem homines quadrifariam mali euadunt, natura, sed hanc partem esse supponimus, educatione, corporis temperatura & licentia, quæ omnia ad luxum & lasciuiam & iniuriam inferendam in diuitum filiis sunt paratiora:solum pauperes ob iniurias acceptas & defectum necessariorum sunt malignioris animi atque inuidentioris.Dicam etiam cum Plutarcho(lib.de Amore diuitiarum in princip.) diuitiæ sunt malæ quæ supra id quod necesse est ad vitam, auctæ sint: in nobilib. tamen aut virtute præditis laudantur. (lib. qui Etat. inscrib.

LECTIO XCV.

Super

TEXT. XXVII. XXVIII. & XXIX.

DIuites enim sæpius diis sacra facere par est, victimas offerre colereque cum pecuniis abundent, pauperes autem minus id facere cum non habeant.

DIuites non ex hoc probat esse pauperibus meliores, sed gratiores Diis. Esse enim potest, vt inter mortales vt deterior vir, bono regi charior sit,& ô quoties istud? plusquàm vellemus.Tamen Philosophus neque bonos neque magis sacrificantes Diis gratiores esse putat, sed sapientes. Inquit enim 10. Ethic.(cap. 8. in fine.) At qui ex intellectu operatur, huncque excolit atque optime afficit is esse Deo carissimus videtur:si aliquam humanarum rerum curam Dij habent, ficut videtur, consentaneum est ipsos re illa quæ optima est, atque ipsis maxime cognata delectari, qui est intellectus:eosque qui eam maximè amant & honorant remunerari,vtpotè qui eorum quæ ipsis sunt amica curam habeant rectèque & honestè agant. Hæc autem omnia sapienti maximè inesse obscurum non est: is igitur est Deo carissimus:eundémque esse etiam felicissimum verisimile est. Quare ita quoque efficietur, vt sapiens maximè felix sit: Dico esse concordes: nam qui verè sunt sapientes, nouerunt quam Deus sit bonus & iustus,& quanta bona ab illo acceperint: & ideo quantum illi debeant & cupiunt illi assimilari, & ideò oportere intelligunt seipsos præstare bonos: & si quid contingat aduersi, vt mors filiorum, qua nil deterius excogitari potest, norunt non sine Dei voluntate fieri potuisse, & ideo iustam & vtilem vniuerso & sibi & ipsis: aut enim ex vita tristi in meliorem commutarunt: aut omnium stirpium aliquis communis finis erit, aut omnino reuiuiscant vt in vno maior sit felicitas, in altero nulla iactura forsan miseria minor. Et similiter non inuidebit felicioribus: intelligens illud sapientes de hac mortali felicitate, (Ecclesiast. cap.vlt.) Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Et Plotinus rursus in 1. de Prouident. (cap.15.) non solum in secundis sed etiam aduersis, vt antea diximus, idem confirmat. Is ergo qui sic iam ob pietatem bonus est, & ob gratiam, & ob imitationem, & quod bonum esse præstet, & non solum gloriosum, sed vtile non malum sponte sacrificabit, non vt conferat quicquam. Deo qui nullius rei sit indigus: & si indigeret etiam:

Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget.

Quid res mortalis immortali, corporea incorporeo, imò inutilis etiam nobis ipsis,scilicet exiguus fumus qui tegulas vix attingit? ne quem vt ipse animum tuum detegas, cum absque hoc Deus omnia nouerit. Quin etiam multi maximè impij sacrificant, nec vt debitum honorem illi reddas, quanquam hoc sit rectum & æquum, sed vt alios exemplo moueas, vt ex sacrificio discant pietatem atque inde sacrificent, & pij euadant atque ex his opera pietatis exerceant: quibus sanè & ipsi gratificantur Deo, & rem Deo gratam faciunt. Sed non solum Deo verè, verum etiam dæmonibus ingenua sacrificia (vt Plato in Alcibiade 2.refert) Lacedæmoniorum plus placuerunt quam boues cornibus auratis cæterorum Græcorum,ob id quod factum etiam victorias illis concessisse. Sic enim respondisse Ammonem sacerdotem, inquit Lacedæm. legato. De lege autem nostra non est dubium, quin Deum decernat amplecti magis bonam mentem quam sacrificia. Vt etiam Christus cum laudauit oblationem pauperis viduæ (Marci 12.) Et habetur in Psalmo etiam (Psal. 50.) Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

TEXT. XXVIII.

QVin etiam aliqnando Deos detestantur qui eis opes non suppeditent, vt verisimilius esset pauperes ac parum abundantes, hoc malo propter crimina sua puniri quam diuites,& qui opibus abundant.

AVget rationem dictam à contrario:non solum diuites sunt magis pij sacrificiis, sed pauperes impij execrationibus ob paupertatem. Et licet hæc argumenta non sint efficacia simpliciter, tamen more Aristotelis satisfaciunt in proposito ad ostendendum non contingere diuitibus hæc mala ob impietatem. Execrari etiam Deos capitale est, ex antiqua lege,(Leuit.cap.24.)quod forsan in ira in iniustam perpesso iniuriam grauius videbitur: nos hic Hippocr. solùm sententiam docere aggressi sumus.

TEXT. XXIX.

VErum ſicut & prius diximus quidem hic affectus eſt ſecundumque naturam accidit, ſimiliter vt alij omnes, neque alia eius cauſa quam ea quam dixi Scythis exiſtit. Simili autem modo & reliquis hominibus euenit. Vbi enim frequenter & continue homines equitant, ibi plurimi à diuturnis doloribus vertebrarum maximè, & pedum corripiuntur ad coitumque fiunt impotentes, quæ omnia mala Scytharum genti adſunt, atque propterea Scythæ omnium hominum minimé ſunt ad coitum valentes, & quod humoris detractiones ex peruſtione cauteriorum ſemper habent, & plurimum temporis in equis degunt, vt neque manu tractare pudenda liceat, atque præ frigore & dolore voluptatis ac iucunditatis coeundi obliuiſcantur, neque prius aliud ſibi faciendum putent, quàm vt euirati fiant. Hactenus ergo de Scytharum genere recenſui.

DEclarat quod ab initio dixerat, morbum hunc eſſe diuinum, vt omnia alia à Deo proficiſcuntur naturæ lege & miniſterio hoc modo: Quibus eadem contingit facere, ſcilicet dici & incommodè equitare his dolores articulorum eueniunt, maximè coxendicum & pedum, & imbecillitas rei venereæ. Igitur hæc non perueniunt niſi naturali cauſa, & non quemadmodum Scythæ arbitrantur & dicunt. Vbi enim iidem effectus ſequuntur eaſdem cauſas, non oportet ſuſpicari de illis effectibus, quod ſiut ab alia cauſa quam naturali. Addit quod in Scythis præter equitationem ob frigus accedit aliud incommodum, vt cogantur vti anaxiridibus ſeu fæminalibus ob aſſiduam equitationem & frigiditatem aëris, ſed ſunt qui ſcribant ἀναεύξις loco ἀνάξηρις ex ἀνασύρεαχι, mutato ξ in σ, quod eſt trahere ſeu retrahere, ſed quantum impediunt in re venerea tantum iuuant & teſtes ne collidantur, & ne deſcendant inteſtina & omentum, & fiant hernioſi. Et cum dixit de pudendorum tractatione, non illa fœda loquitur, ſed ea moderata, qua cum ſponte tenditur locus erectioni patet, & vt concaleſcant, abſtinentes enim ab exercitatione functionis eius, fiunt impotentes: quoniam ſi in cruribus & pedibus hoc accidit, quanto facilius in membro virili: & tantum laudatur exercitatio membri, vt etiam in luxato fœmore Hippocrates (3. de Artis.) cauſam vtilem eſſe crediderit atque laudauerit (Tex. 82.) Ad hoc facit ergo nimia laſſitudo equitandi, frigus, vinculum, & cogitatio aliis rebus intenta, & incommodum vtendi cum mulieribus in itinere, & hæ ſunt cauſæ per ſe, ſicut alia quæ vt dictum eſt, fit à curatione.

Ex hoc textu colligitur, quod equitatio nimia efficit ſemper coxendicis dolores, & Iſchiæ, quem vocamus ſciaticham, antiqua verò etiam podagram, quoniam crura pendebant, vnde Paulus (libro 3. cap. 78.) cæterum hoc mali frequenter antecedit improbus labor, vehemens ambulatio, equitatus creber, & cum adiicit iam aliqui prolapſu, vel deturbatione, vel propulſu, vel diſtortione vel id genus aliis, prima morbi fundamenta iecerunt.

Sed hic cadit difficultas, quia Philoſophus vult (4. Problem. 12.) quòd equitatio aſſidua faciat libidinoſiores, Hic Hippocrates vult quòd effæminet? Dico quod Philoſophus præſupponit, vt non lædantur ſed commodè equitent: & hoc etiam oſtendit quotidianum experimentum: de his verò qui delaſſantur aliter ſentit, dicens (5. Problem. 31.) quod his per ſomnum profluit genitura, vt perſpicuum ſit, huiuſmodi homines ad concumbendum fieri impotentes. Gonorrhea enim qualiſcunque ſit debilem reddit hominem ad concubitum: tum quia minuit illius materiam: tum quia humectet membra genitalia tum quia facit incontinentem, adeò vt ſemen eiiciatur ante virgæ tenſionem, aut ipſa virga tenſa diu manere non poteſt, quod etiam maximum ad Venerem impedimentum. Potentiſſimi enim ſunt ad Venerem quicunque tardius, & non niſi maxima cum tenſione membri & confricatione ſemen emittunt. Alexander in 2. Problem. (25) dicit quòd ſpadones fiunt pedibus diſtortis, ſcilicet hinc inde in ſe retortis, quod vitium Latini Varum vocant: interpres non bene expreſſit blæſos, cum blæſus ad linguam ſolum referatur id accidit quod aucta mole & teneriore facto corpore ſubſident & contrahuntur pedes.

Reſtat vt dicamus de equitatione contractis cruribus ob breues ſtapedes, qua vtuntur curſores & velites. Velites quidem quoniam dum erigantur maiore impetu dirigunt tela: at curſores quoniam ſic facilius ſe mouent perpetuo motu, vt ſpina cedens ponderi non adeo defatigetur, qui enim obſtippi diu curſitant (hoc enim nomine medium curſum equi explicamus, quem Italica lingua galopum vocamus, ſed neque curſitatio galepus verè eſt imò potius curſus non concitatus) fatigant adeo renes & ſpinam, vt difficile laborem perferre poſſint, motus enim conſequens alleuiat principalem, vt quies intendit & moleſtiorem reddit, nunc non quæro curſitationis damna, cum de his dictum iam ſit, ſed de ipſo genere equitationis quod fit contractis genibus & coxendicibus in poſteriora? At inſeſſus ille cum ſupra in anteriora pendeat ob ephippias elatas, & quæ ante ne collidatur ſeſſor exiguum habent chironium ventriculo maximè noxius eſt, & coxendicem ad exteriora mouet. De his autem tertia particula de Articulis idem author habet (Tex. 87.) In coxis quidem intus ne an extra ſit facta luxatio multum intereſt: in genibus etiam intereſt nonnihil, ſed minus tamen, vtriuſque verò clauditatis modus proprius eſt, nam quod in exteriorem partem luxatum fuerit magis decurtatur,

curtatur, minus verò recti ſtant, quibus in interiorem luxatio contingit, os autem fœmoris cum proximum læſionis ſit non augetur. Paulò poſt tandem concludit (Tex. 97. & 98. 101. & 102.) Luxationem externam maiorem dolorem afferre, minus lædere ambulationem, rariuſque accidere. Eædem autem ſunt affectiones eorum qui ad morbum inclinati ſunt, & quos inuaſit iam niſi quod ſunt leuiores, genu autem, vt dixi anterius, fertur quod maximam fatigationem afferre ſolet. Et ſi equus cadat circa frontem magis læduntur: verum facilius ſe explicant: contra qui extentis cruribus equitant, capite haud offenduntur, ſed in cruribus & tibiis multo magis aliis & tardius ſe explicant: cum quiete igitur equo & leui melius eſt toto corpore inſidere ephippiis, cum moleſto & graui parum inſidere, & curſoris modo flexis genubus currere.

LECTIO XCVI.

Et eſt digreſſio, & in Paralippomenis.

REſtat ad finem huius libri, vt narremus ea quæ noſtris temporibus de Scythis innotuerunt: veriſimilibus innitentes, nam impudentia quorundam factum eſt, vt vix liceat diſcernere bonos authores. Quidam egregius qui de Indicis rebus ſcripſit eò progreſſus eſt, vt elephantem mentem habere prodiderit, & vt etiam loqueretur, os monocerotis, adeò notum duorum aut trium palmorum eſſe putat, multa alio adeò confundit, vt neſciam in quibus fidem adhibeam, cum tamen exiſtimem ſi iudicium exercere voluiſſet multum profuturum in rem. Alius etiam longè peritior cum rem litterariam ſatis adiuuiſſet non contentus hiſtoria pulcherrima & admirabili in turpiſſimas fabulas atque id in fronte operis deflexit, quid dicas de huiuſmodi viris? Duorum igitur qui mihi fide digniores niſi ſunt hiſtoriam, recitabo illorum nomina referendo, non ſolùm ne propriis laboribus fraudetur, ſed vt fides dictorum ſit apud illos, & quanquam paulo ante noſtra tempora floruerint, non multum tamen immutatos mores à centum annis ad trecentos crediderim, naturam vero rerum multo minus. Horum ergo primus eſt Hayton Armenus, & qui in illius opus introductorum ſcripſit, floruit circa annum Domini M.CC.LXX. Alter fuit Ioſaphat Barbarus Venetus patritius anno Domini M.CCCC.XXXVII. Scytharum igitur gens ſub qua comprehenduntur. Nomades, id eſt paſtores, Maſſagetæ, Amaxonij, monte Caucaſo verſus Boream diſterminantur ab oriente in occidentem, ab aliiſque gentibus ſegregant, inter ſe autem Imao monte à meridie in ſeptentrionem, vt occidentaliores dicantur, extra Imaum orientales intra ipſum. Commune omnibus fuit, & nunc etiam eſt, pro domibus currus habere atque vagari. Duas maximas expeditiones ſuperatis montibus quibus circumdabantur fecerunt non multis ante annis. Priorem Duce exercitus Baydo filio Occotachan qui à Sarmatis Bultus vocabatur, qua Sarmatiam totam Pannoniamque vſque ad Germaniam, quam depopulati ſunt atque in patriam infinitis cum ſpoliis rediere. Cauſa fuit numerus milium ad D. M. equitum, inopinatus eorum aduentus, forma pugnæ, cum eſſent aſſueti perpetuo degere ſub diuo, noctéſque dieſque diſcurrere aſſiduè modico pulueris ex carne aut caſeo homines triduo vitam trahere, equi corticibus & radicibus arborum: arcubus vti & celerrime & magna cum vi: adeò qui repugnarent conficerentur, non ſolum ab immenſa multitudine congreſſibus repentinis, nouo pugnandi genere, ſed magis longe frigore, fame, vigiliis, cum neque vrbes paratas, neque vrbes munitas haberent quibus ſe tuerentur, aut ſaltem illorum impetum morarentur, cum nec tales viros aut gentem in orbe terrarum omnino eſſe potuiſſent ſuſpicari. His rationibus omnia quæ voluerunt conſecuti ſunt cæde: incendiis, præda, ſed hoc ſolum defuit illis vt nullam vrbem aut locum ſibi habitandum delegerint. Exiſtimo quòd totum ſuum eſſe ducerent ſuóque imperio adiectum, vbi nulla eſſent ædificia (quæ omnia diruerant, tam publica quàm priuata) ob viuendi genus illis ſolitum. Altera poſterior fuit ſub Principe Timirlane, quod nomen lingua propria ſignificat Felicem ferro, vulgo Tamberlanum appellatum, natum in Summarcando principe vrbe prouinciæ Sogdianæ, quæ ſub Scythis erat, licet non propriè Scythia eſſet regio, velut ſi quis nunc apud Indos in Themiſtitan Hiſpanus naſceretur: aut Venetus Dux in Creta: aut Turca Rhodi. Hic XII. centena millia equitum militarium in caſtris habuit, priore tanto potentior quanto occaſione (vt qui iam finitimis non ignotus adueniret) inferior: vnde niſi audacia Baiazetis Turcarum 4. Principis, qui maluit prælio decertare, quam bellum protrahere, poterant tanti conatus in irritum cedere. Prouinciam Scytharum principalem immenſæ magnitudinis eſſe conſtat, quàm Cumaniam vocant extenſam ad Oceanum montibus autem dictis circumdatam, adiectæ innumeræ inſulæ & magnitudinis immenſæ in ipſo Oceano eorum imperio ſunt. Rha fluuio ſeu Volga, vt Sarmatæ quem Scythæ Ecde ling vocant, à meridie non Scythia ſed Scythicum diſterminantur Imperium: eoúſque enim abſque cuſtodia vlla aut metu diſcurrunt. Ab oriente Coraſſam prouincia terminatur, ab occidente Mæotide palude, à ſeptentrione Caſſia prouincia illorum Imperium finit, nam Scythis nullum eſt ius, montibus etiam à Seris ac Saccis diuiduntur. Ab Albanis etiam ad Scytharum regionem procedenti montes multi magníque ſunt, in quibus habitant feræ agreſtéſque plurimæ, Helui, Lubieni, Duduci, Sodij, poſt portæ illæ Caſpiæ ſeu Caucaſeæ, vt appareat Scythas non ſolum ſpaciis ſed natura ipſa rerum à reliquo orbe diuiſos, ob quod Hippocrates ſeorſum tam longam effecit tractationem. Vt qui feritate, moribus, vitæ genere, multitudine incolarum, magnitudine regionis, quaſi à toto reliquo humano genere differant: magiſque

Britannis ab aliis diuisos, ac dissimiles, quanto difficilius est montes quàm maria superare. Sed hæc hactenus, nunc reliqua prosequamur.

Referunt summum eorum Imperatorem (nam omnes vni obediunt quod his longe facilius est & etiam ad diuini ordinis similitudinem propius, cum, vt dixi, munitionibus careant prorsus, vt qui præest omnes facile in obsequio continere possit, idque etiam ad instar vitarum constitutum, vt in perpetuo opere sint: simul iustè viuant, nullis confisi munitionibus, sed semper in potestate subditorum, qui mos etiam antiquis Regibus, neque alia via omnino est ad tutum intus, & extra imperium conseruandum quam quæ hæc duo conseruat perpetuo præcepta, cui non absimile est Turcarum regnum, & ob id felix ac diuturnum, contra nitentibus Christianis Principibus, qui duo contraria simul retinere volunt & Principum multitudinem sub vno, & loca plura munita, vnde miserrima non solum subditis, sed imperatoribus ipsis dominatio) cum electus est è sede regia in terram nigro pane contectam transferri, vt discat memórque sit si iustitiā erga subditos non coluerit Deumque immortalem, & omnium authorem non coluerit, ex tam supremo fastigio, in quo mox antea fuerat in tam humilem fortunam degeneraturum, atque hæc initia Imperij adeò prouida apud gentem tam barbaram. In cæteris cum subditorum quisquam aditurus est regem, aut ipsum salutaturus, procul iam per iactum lapidis arma deponit, & genubus flexes rogat inde nutu admonitus per octo aut decem pedes procedit, atque iterum genubus flexus rogat iterumque admonitus, eodem modo regi appropinquat, donec ad vltimum octo aut paulo plus pedibus disteterit, ibique rursus flexis genubus quæ petit docet Imperatorem. Ergo hæc gens serua olim fuit Moglium diuisáque in septem prouincias nomen à singulis sortita est, Tatar, Tangur, Cunat, Talair, Sonic, Monghi, Tebet. Rebellauit à dominis Cangio fabro viro sene, cui duodecim erant filij, duce, non solum ob iniurias sed mollitiem dominorum, quæ duo sunt irritamenta rebellandi: subegítque primum dominos ipsos, vt quod ipsis intulissent mala paterentur. Vocarúntque primum hunc dominum patria lingua Can, id est Imperatorem. Hoc accidit circa annum Domini M. CC. X. nam circa annum M. CC. XLIV. regem Asiæ deuicit, & paulo post emisit Baydum, de quo supra egimus. Cobila imperauit post Hoccatan tertius à Fabro, & ædificauit vrbem Ions Roma maiorem, regnauit annis XLII. Christumque coluit cum subsequentes, per seditionem in Mahumetem degenerauerint. Cathaium vocant principalem eorum regionem, vbi Ions ædificata est, homines ingenio singulari: etenim artificia inimitabilia illorum id declarant iactantque se solos duobus oculis cernere, ceteras gentes esse monoculos. Oculis sunt paruis, viri imberbes, cæterum pulcherrima forma tum ipsi tum mulieres. Deum immortalem quem colunt, quotidie inuocant, nec cædes, nec libidinem abhorrent. Pro peccato ducunt si equum hora qua pascere herbam debet frenatum aut vinctum permitterent. Ducunt fratrum & patris vxores sed iam illis mortuis. Imperatores nullis eos stipendiis demerentur, sed rapto & venatione & quæ sunt eius generis viuunt. Omnia præterea in Principis sunt potestate, qui mos detestandus est. In pugna acerrimi, ingeniosissimi, audacissimi, solertes, exercitati, sagittis arma quamuis penetrant, fugere non pudet. Primis congressibus formidolosissimi: inde vigor ille hebetatur aliquantisper, non minus est periculosa illorum fuga quam pugna, cum & fugiendo sagittas mittant non minus quam cum pugnant, & vbi cernant inimicos, non seruare ordines conuersi victores aggressi persæpe vincunt. Acie densa admodum procedunt vt multo pauciores existimentur. Aduenas libenter hospitio excipiunt & sine precio, sed vicariam operam expetunt, aliter rapto viuunt, & quasi debitum exigunt, in aliorum Vrbibus capiendis solertes, in retinendo non ita. In iure dicendo nouum & insitatum morem gerunt: non ad communem viam qui contendunt, cum amicis contendunt, & primum nobilem aut potentem qui ex itinere sibi offertur iudicem constituunt & causa paucis explicata, his quæ decernit aquiescunt, sed & ante iudicium ad iurgia non veniunt & ab iniuria & contumeliosis verbis abstinent, & Imperatori non mentiuntur etiam si intelligat veritatis confessionem eis exitio futuram. In his etiam quæ ad propriam laudem pertinent veraces, in cæteris omnibus mendacissimi. Hominum non maior commendatio quàm ferocia & robur & vsque ad stultitiam. Vnde velut apud nostros summa laus est appellari sapientem, aut medicum, aut Philosophum, ita apud eos Talubagater, id est, stultus strenuus. Ducunt in exercitu habéntque secum artifices omnis generis ædificant furnos, coquunt carnes assando, elixando, addunt lac, caseum, aromata, abundant ceruis inter syluestria animalia, bobus inter domestica, atque his magnis & pulchris, adeò multis, vt transducantur pro tot prouincias, velut Sarmatiam, Pannoniam, Germaniam, Italiam vsque, eamque fœcundam reddant tam vili precio, sunt in Scythia, equorum numerum definire haud licet, venduntur turmatim numero ecatendarum. Abundant & camelis duarum gibbarum, quos XXV. coronatis distrahunt, nam eorum qui vnam tantum habent gibbam precium est aureorum vix decem, habent præterea castratos magnos cum caudis XII. librarum sæpe quarum adipe pro butyro vtuntur. Genus etiam auium rapacium habent. Aquilis maius quod Giritaleum vocant docile quodque ceruos inuadit, eoque vtuntur ad aucupium. Anserum quæ gregatim volant tanta est multitudo vt incredibile sit, harum quædam cadunt clamore immenso exercitus si quando contingat eas exercitui superuolare: aliquas capiunt emissis sagittis grauibus & obliquis quæ vbi anserum metam superauerint descendendo earum aliquam lædunt vt cadere cum sagitta cogatur? luna Februarij publicè procla-

mant

mant atque sementem regionisque partem amplissimam ferunt frumento, quam & custodiunt dominis, qui sementem sparsere & si contingat vt seminatio intercipiatur. Et per multos annos viuunt, tamen ob carnium vt diximus abundantiam, lignis consertis traducunt currus, res, familiam vltra flumina. Vbi saxosa est regio solum pannicum prouenit & telas conficiunt paruas & sordidas ac viles parum durabiles ex canabe & vetis. Parua ibi cura pudicitiæ mulierum. Tetari album sua lingua significat eo tamen nomine pecunia intelligitur quòd pecunia alba sit, sicut & apud Italos multis in locis Bononiæ Mediolanique Albi nomine certum pecuniæ genus intelligitur. Qui in fertilibus locis habitant vt in Cumania facie Italis similes sunt, velut & Britanni abundant segere & melle, sed vino carent. Atque hæc de illis dicta sint.



LIBER OCTAVVS.

LECTIO XVCII.

TEXT. I.

RELIQVVM autem in Europa hominum genus valdè inter se dissimile est, & diuersum tum quod ad magnitudinem attinet, tum quod ad formam, atque id propter temporum mutationes contingit, apud eos magnas & frequentes.

IN præsenti parte Hippocrates transit ad alios Europæos, seu quartam regionem Orbis tum cogniti, atque eos asserit non vt in cæteris tribus partibus inter se valdè esse dissimiles & gentem genti & hominem homini. Vult ergo ostendere causam huius multitudinis, & dicit quod Europei magis differunt inter se quam Afri aut Asiani, aut Scythæ in corporum magnitudine ac forma: & caussa est de duabus quoniam dicit Euclides (5. elem.) si vna quantitas ad duas comparetur ad maiorem quidem minorem, ad minorem verò maiorem habebit proportionem. Cum ergo Europæi sint magnis circa medium Afris & Scythis æqualis commotio aëris maiorem efficit mutationem. De Asianis verò iam in confesso est, quoniam ob planitiem & quia positi sunt ad ortum solis, quod minores recipiant mutationes, igitur Europæi maiores mutationes percipiunt omnibus aliis. Causa igitur mutationum duplex est, propinquitas medio & loco vbi sol maximam facit varietatem: & hoc est occidens quoniam assimilatur Autumno, igitur ratione temperamenti & quod Europa est posita ad occidentem, Europæi sunt obnoxij maximis temporum, mutationibus. Assumit id de terris Alemanus quod magis ostenderet oppositum quàm propositum, nam in Africa maior est differentia, soli quod ad fertilitatem attinet quam in Europa. Siquidem ibi sunt loca deserta prorsus & arida & alia fœcundiora quàm in Europa: sed hoc contingit ratione aquarum. Hippocrates autem comparat ad aërem: & ideo maior est diuersitas in Africa ratione fertilitatis, In Europa verò ratione hominum. Hæc est illa pars tam inclyta apud quam dominium vniuersi bis contingit Alexandro primùm, inde Romanis Ducibus atque authoribus, nam Assyrij & Medi ac Persæ apud quos stetit Imperium in Asia soli Asiæ dominabantur. Græci atque Romani Asiæ Nomen nacta est ab Europa Agenoris Regis Phœni cum filia quam Iuppiter Cretæ rex abduxit naui cuius insigne Taurus fuit. Vnde Ouidius 2. Metam. in fine more poëtarum ludens de hoc raptu.

Non bene côueniut, nec in vna sede moratur
Majestas & Amor sceptri grauitate relicta
Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est: qui nutu concutit Orbem
Induit faciem Tauri.

Continet Europa has prouincias præter Scythiam. Hybernam, Rhetos, Italiam, Iagiges Metanastus, Achaiam, Albionem, Hispanias, Galliam, Germaniam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam vtramque, Illyricos, Dalmatas, Cyrnum, Sardiniam, Siciliam, Sarmatiam, Tauricam Chersonesum, Daciam, Misiam vtramque, Thraciam & Chersonesum, Macedoniam, Epirum, Peloponnesum, Cretam, Eubœam.

Extrema igitur latitudo Europæ ad Boream est Sarmatarum iuxta Tanais fontes, est fermè partium LXV. ab Æquinoctij circulo, à Polo autem XXV. contra meridionalia maximè in Hispania ad fretum Herculeum partibus XXXVI. ab æquinoctio & Cretæ pars australior, partibus paulo plus XXXIV. vt collocatis finibus intercedant partes XXXV. cum dimidia, exigitur partibus quæ intercedunt inter polum & Æquinoctialem si à parte meridiei XXIV. penè dempseris, & totidem à parte Boreæ inhabitabiles creditas tempore Hippocratis, relinquentur fines omnium harum regionum distantes solum XLI. partibus: quarum, vt dixi, Europa occupat partes XXXV. constat igitur iure merito maiorem esse differentiam regionum in Europa, quàm aliis tribus quas commemorauit mundi partibus. Compara igitur Rollenses aut Rodhellenses, Sarmatas, Parisis seu olim Dolonis in Hispania aut Gortinensibus, Cretensibus, seu ciuibus Claudiæ: insularis eiusdem nominis Vrbis, quoniam differentia est saltem partium XXXIII. in latitudinem, cum ambæ intra

Europæ terminos comprehendantur, desinétque mirari, de his quæ hic Hippocrates tradit. Iam si totus Orbis supponeretur, habitabilis tempore Hippocratis, adhuc Europa obtineret, plus quàm totius medietatis nostræ tertiam partem. Sed non huic tantum causam tribuit Hippocrates, verum etiam temporum mutationibus ac plus quam differentiæ regionum, ex sequentibus enim verbis declarat, quid non Europęos vnius regionis alterius regionis Europęis solum comparat Hippocrates, sed ciues ciuibus velut Mediolanenses inter se, ac Bononienses inter se, hoc autem ad corpora nunc refert (Text.3.) Quod infrà etiam ad animos transferant. Et de hac etiam laude ne dicam, an vituperatio ne scripsit Strabo in hanc sententiam (lib.2.) Ab Europa igitur est inchoandum, quandoquidem & multiformis in primis est ad virorum virtutem ingenuè disposita, ciuiúmque suarum ad alios rerum transfusiua. Est enim tota habitabilis in exigua tantummodo parte propter frigoris vim inhabitabilis, quæ finitima Tanaidis & Mæotidis incolis, Borysthenensibus in curribus degentibus. Habitabilis autem regionis id quod est algidum & montanum natura laboriosè habitant. Curatores autem probos nacta loca etiam prauè per latrocinia habitata mitigantur. Quemadmodum obtinentes Græci montes petrasque incoluerunt, pulchrè ad prouidentiam circa ciuilia artesque & reliquum ad vitam sensum. Romani quoque multas gentes accipientes quæ natura inhumanæ erant ex ipsis locis asperis importuosisque & frigidis causave alia malè habitatis insociabiles homines, inter se multis aliis admixtis connexerunt, & ciuiliter viuere agrestiores durioresque docuerunt. Quantum verò ipsis est in plano naturaléque habent temperiem, multum adiuuat ad ista. Quandoquidem id quod est infelici regione pacificũ omne est, & quod in tristi pugnax & virile accipiuntque hæ gentes, aliqua interse beneficia, aliæ enim opem armis ferunt, aliæ fructibus, & artibus morúmque doctrina. Manifesta autem sunt etiam non auxiliantium inuicem detrimenta. Habet autem superis quidam vis arma tenentium, nisi ea ipsa multitudine superetur, adéstque terræ isti etiam vltra hoc quiddam naturale bonum, quod ea sanè omnis planitie montibusque distinguitur. Vt vsquequaque agricultura, terræ descriptio, ciuilitas atque pugnæ adsint. Plusque sit alterum id scilicet quod est pacis familiare, ita vt hoc vincat adiuuantibus & ducibus Græcorum prius Macedonum verò Romanorumque posterius. Ex hoc autem & ad pacem & bellum sufficientissima est sibi. Etenim multitudinem pugnacem habendam habet, & quæ agros colat, & quæ vrbes quoque contineat. Excellit autem hæc etiam fructus afferens optimos vitæ necessarios, & metalla quæcunque sunt vsui, odores verò ad sacrificia, nec non multi sumptus lapillos ipsa extrinsecus petit. Quarum etiam rerum inopibus nihilo deterius, quam abundantibus est vita. Similitérque pecudum exhibens initium multarum copiam: at bestiarum habet ferarum raritatem. Ac talis quidem natura est terra in ipsa in vniuersum. Sed de his hactenus. Quæramus causam inæqualitatis atque mutationis. Dicimus ergo autumnum esse inæqualem: Sed hoc duo habet incommoda, primum quia ratio manifesta non est, secundum, quoniam hoc proposito non conuenit. Vtinam vero Galenus hoc de autumno declarasset. Dico ergo autumnum esse inæqualem, quia transitus est ex calore ad frigus: sed motus ex calore ad frigus est præceps, quia est secundum naturam elementorum, motus autem à frigore ad calorem fit sensim cum sit contra naturam, duo autem motus in die inæquales reddunt diem diuersum, ideò autumnus est inæqualis, ver autem æquale. Nam in vere cum dies ex nocte fit sensim elementa quæ natura, vt dixi, omnia frigida sunt paulatim incalescunt, vt nemo dicat id incrementum præceps esse, cum verò nocte superueniente refrigeratur aër: sensim & id fit quod Sol ad nos accedat, & nox ipsa breuior die sit. At contra accidit in autumno cum ad frigiditatem & noctis longitudo, & Solis recessus, & natura elementorum conducant. Hæc igitur causa est inæqualitatis autumni. Assimilare autem autumno occidens, non adeo congruit huic sermoni, vt satisfacere viro cordato possit, aliunde igitur causam quærere oportet. Ergo occidens (nam in eo dubio procul Europa tota reposita est) cum à mari finis eius accipiatur, maiorem recipit mutationem cum radiis solaribus serius illustretur. Habetur autem ventos è terra (nam Philosophus 26. Problem.7. & 8. è mari oriri illos negat) à quibus vritur, repente cum Sol ventos & siccos secum ducat, vbi deseritur non habet ventos à quibus temperetur, incalescit ergo repente, & refrigeratur repente, sensim autem incalescit oriens, qui nullus incalescit à mari ventis, & dum Sol recedit tepor à ventis calidis seruatur, atque ob id oriens æquale est, occidens inæquale, atque ob ventos id contingit, quemadmodum testatur Hippocrates. Vnde autem magis in Europa venti, & quoniam occidentales sic aërem temperarent, & regio occidenti exposita esset temperatior, quod superius esse non posse demonstratum est. Dicimus ergo quod Europa est temperatior Africa & Scythia: hoc enim dubium non est à magnis frigoribus & caloribus venti extinguuntur, nam à frigore magno prohibetur exhalatio à calore resoluitur, vnde mediis temporibus sæpius & vehementius spirant venti. Igitur in Europa plus spirabunt venti quàm in Africa aut Scythia. Restat dubium de Asia, quam vult esse magis planam, & ideo minus in ea venti desæuiunt cum amplitudine spacij vis ventorum dissipetur. Restat difficultas de vento occidentali, qui, vt dixi, malus est, sed si vt aura leuis flet prohibet refrigerari aërem repente, & in hoc vtilis est. Et superius hanc ob causam laudauit (lib.5. Tex.4.) Austros in Asia quamuis vbique pro vrbibus eos damnet.

LECTIO

LECTIO XCVIII.

Super

TEXT. II.III.&IV.

SVnt enim eis calores vehementes & hyemes fortes, pluuiæ multæ, rursúmque ſiccitas diutina, & venti plurimi, & quibus multæ & omnimodæ fiunt tranſmutationes.

DVbium non eſt, quod ſi calores vehementes & hyemes ſint, quin non mutationes temporum etiam magnæ fiant. Sed hoc audiuit Hippocrates, quod in Scythia & Africa non eſt hæc differentia temporum, hoc vidit quod hic in Europa eſt, ſed cauſam non addidit. Iam de re ipſa tamen conſtat. Et tres mutationes graues adducit, imbrium & ſiccitatis, caloris ac frigoris, & ventorum qui inter ſe diſcordes ſunt, vnde Ouidius:

Vix nunc obſiſtitur illis
Cum ſua quiſque regat diuerſo flamina tractu
Quin lanient mundum tanta eſt diſcordia fratrum:

Expedit igitur illud videre, cur hæc accidant: nam quod ex his multa eueniant abunde declaratum eſt. Ventorum igitur mutationes, tempora maximè permutant, hi ad calidum, illi ad frigidum, hi ſereni, illi humidi, alij imbriferi ſeu pluuioſi. Venti calidi molles ſunt, & ex regionibus calidis veniunt. Vnde Auſter in noſtris regionibus calidus eſt ob vtranque cauſam defert enim vapores calidos, & lentè flat, quia procul venit. Indicio eſt quod hæ ſint cauſæ, quoniam in Africa frigidus ſit. Si enim lentè flat, & ex frigidis regionibus & humidis venerit, vel quia procul veniat, vel quia leuis refrigerabit parum, plurimum humectabit, ſi ex calidis humectabit, ſed multo plus calefaciet. Sin autem violentus ſit, & ex frigida veniat regione & humida, parum humectabit verum immodicè refrigerabit. Si autem ex calida & ſicca ſiccabit, ſed non adeò calefaciet. Plus enim poteſt natura quàm propinquitas. Sin autem aliqua cauſa recurrat obducet ſuperiora nubibus, inferiora nebulis & pluuias, ac aërem caliginoſum ciet. Hæc igitur eſt natura ventorum: quomodo autem mutentur eſt declarandum: nam ſi perſeuerarent perſeueraret & conſtitutis: nam licet venti aliqui dum perſeuerant alium effectum, quam ab initio producant, (26. Probl. 21.) velut Auſter qui non dum incipit, ſed cum deſinit imbrem affert, hoc tamen rarum eſt. Ab initio igitur repetendo dico quod ſupponere oportet quædam atque demonſtrare, vt doceamus non quòd in ſola Europa fiat mutatio annuata magna vt in genitis, & generandis diuerſitatem afferat, non enim in ſola Europa fit diuerſitas temporum: nam rationi repugnat, & his quæ ab hiſtoria de his referuntur. Æthiopes enim calidius habent, ac ſiccius vnum tempus alio, licet ſemper prædominetur calor & ſiccitas: Scythis maius frigus eſt, & tempus humidius vna parte anni quam alia: hoc cum omnes referant & ratio doceat, quoniam cum Sol toto ſignifero vagetur ſingulis annis, neceſſe eſt, vt etiam ſingulis annis calor & ſiccitas in regione calida & ſicca admodum, & frigus & humidum in regione frigida & humida admodum, qualis eſt Scythia, augeantur atque minuantur, ſecundum maior eſt mutatio ex calore in frigus, & ex ſicco in humidum atque viciſſim, quam ſolum incrementum: quoniam in vno primum eſt mutatio generis quæ includit mutationem magnitudinis, in altero eſt ſola mutatio magnitudinis. Prætere a calore dominante fit generatio, frigore dominante non fit generatio, igitur mutatio ex calore in frigus, & ex frigore in calorem maior eſt & potentior quam ſolum incrementum. Idem dico de humido & ſicco, nam ſicco prædominante non fit generatio, & odores oriuntur: humido autem dominante generatio rerum fit, vt plantarum, animalium, hominum, odores autem non fiunt maximè iucundi, igitur longè maior eſt mutatio ex calido & ſicco in frigidum & humidum quam incrementum harum qualitatum. Tertio dico quod ſolum in Europa fit hæc mutatio: tum quia id experimento conſtat, nam in Europa vbique hyeme gerunt multas veſtes & pelles, & æſtate quærunt Europis vmbras, & vt ille dicebat:

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant.

Et ratione, quia Europæi participes ſunt Æthiopum per æſtatem, & Scytharum per hyemem, ergo in æſtate prædominatur apud eos calor & ſiccitas, in hyeme frigidum & humidum. Sic ergo conſtat de eis comparatis, ad Scythas & Æthiopes, dico etiam de Aſianis, nam ſuppoſito, vt apud Hippocratem apertè conſtat, quòd Aſia ſit expoſita orienti, ipſa erit ſemper à Sole illuſtrata, ergo non mutabitur variè, ſed ſemper in ea dominabitur calor & humidum: ergo non erit magna mutatio, nec viciſſim ex contrario in contrarium, ſed cuiuſlibet diei pars matutina erit eiuſmodi, ſcilicet calida & humida & perflata, quod licet ad generationem non ſufficiat per totum reliquum diei & noctis, ſufficit tamen ad iam genitorum ea hora conſeruationem, at in Europa cum ſit in occidente (talis enim illius ſitus ſupponitur) cum Sol non prædominetur, adeò vt alias ſæpe docuimus, ſerò enim ad eos peruenit, & per radios refractos, ideò plurimum apud ipſos poſſunt ortus & occaſus aliorum ſyderum, quales explicauit ſupra vt Caniculæ ortus & Arcturi, addidi etiam Orionis tum Vergiliarum ortus atque occaſus, hi autem mutant tempora valde diuerſis modis, vt Orionis & Arcturi ortus, ad imbres in æqualitatem, occaſus Vergiliarum ad frigus. Contra Caniculæ ortus, ad caliditatem & ſiccitatem & æſtus Vergiliarum ortus ad ver & tempus temperatum: at hæc conſtat eſſe contraria inuicem, non ſolùm valde diuerſa, igitur Europæis præter cæteros contingunt omnia hæc quæ in textu propoſuit Hippocrates.

TEXT.

TEXT. III.

NEque à vero discrepat circa generationem has ipsas mutationes sentiri inque seminis genitalis coactione aliam, neque ex eodem & eandem æstatis pariter, vt hyemis pluuioso vt sicco tempore progigni.

INtendit declarare quod dixerat per duas differentias naturalem & aduentitiem. Videmus quòd plantata & sata tempore hyemis melius, & frequentius proueniunt quam æstatis, multo etiam melius ineunte vere quam autumno, vel alio tempore, adeò quòd sata & plantata æstate media vix proueniunt: similiter nec autumno, cum videamus herbas quasdam perire aliis quicquid est à terra supra, velut Maluæ & gramini: plerisque arboribus folia cum surculis etiam paruis, igitur cum tantum discrimen sit in plantis oportet etiam aliquod esse, & magnum in animalibus. Animalia enim penè easdem suscipiunt differentias quas & plantæ, vt inquit Theophrastus (1. de Histor. plant. cap. 1.) aues multæ & animalia non coëunt nisi vere, neque nisi eo tempore fœcunda sunt: velut inter cætera asini: cum ergo, vt dixi aliàs, homo sit genus quoddam omnibus aliis animalibus coæquatum, necesse est omnes homines aut saltem maiorem eorum partem suscipere incrementa & decrementa. Quemadmodum enim in Plantis, vt ait Theophrastus (lib. 3. de Causis plant. cap. 17.) in solo humido & frigido conuenit sub vere serere, quod tum terra calidissima sit atque siccissima, scilicet ob frigora diuturna & magna præcedentis hyemis: & in solo calido ac sicco post æstiuum solstitium, quòd tum terra refrigerata iam sit exhausta externis caloribus, atque postmodum imminentibus imbribus humectanda, ita vt validissimum sit ad generandum quod est temperatum, idémque fœlicissimum quòd à temperatis producitur, ita anni tempora frigida & humida in his qui quæve genitalia & cor habent calidissima sospites & robustos ac plenos generabant infantes, atque in aliis proportione habita. Cum verò tempore habeant temperamentum diuersum natura, vt æstas calida sit & sicca, hyems frigida & humida, habent & incrementa & decrementa aduentitia, vt æstas huius anni quæ omnium quotquot fuerunt hominum memoria frigidissima fuerit & humidissima: non tamen eo naturaliter res peruenire poterit, vt æstas sit frigidior hyeme, poterit tamen in passiuis superare, & esse humidior ea vel hyems siccior, etiam æstate non tamen calidior. Fieri tamen poterit vt iunctis ambabus inæqualitatibus aliqua æstas sit, non solum humidior sed etiam frigidior aliqua hyeme alterius anni in eadem regione, eiusdem etiam anni esse poterit: sed hoc omnino rarissimum esse necesse est. Quicunque igitur geniti in immoderatis ac similibus temporibus imbecilles corpore euadent, & morbosi valde. Et si in temporibus similibus ac moderatis erunt imbecilliores, sed non adeò vt præcedentes, nec horum obscura est ex dictis causa. At qui in contrariis valde temporibus generantur, atque valde inæqualibus, robustissimi erunt: non tamen hæc constitutio generationi fauet, quoniam extrema omnia sunt periculosa. Si verò contraria sit natura temporum atque hominum, & non immoderatæ satis fœcunda, hæc est constitutio & salubris. Contraria tamen mistæ non adeò immunem præstant à labe generationem, quemadmodum si omnia sint temperata, hæc enim optima est maximè quo ad mores. Considerare etiam optimum tempore non simpliciter, vt dicamus hyemem calidis temperaturis conuenire, nam hyems corpora boni habitus, & maximè quæ exercentur, robustiora & calidiora reddit, quemadmodum inquit Hippocrates (1. Aphor. 15.) Ventres hyeme & vere natura calidissimi. Robusti ergo genitores ac calidi æstate melius quam hyeme generabunt, vi caloris per æstatem exhalante, & maximè si fuerint raræ cutis. Aliud est quòd ibi dicitur, (17.) Æstate & autumno cibos difficillimè ferunt: calidior enim natura cibos concoquit, quanto etiam maior calor fuerit, non tamen generat, vt etiam in Promptuario docuimus, nam viri robustissimi omnes nisi aliquo casu læsi sint benè concoquunt, plurimi tamen ex his steriles prorsus sunt.

TEXT. IV.

EAque causa est cur putem Europæos magis quam Asianos secundum corporum formas inter se discrepare, & magnitudines diuersissimas in singulis adeò vrbibus prouenire. Plures enim corruptiones contingunt in seminis coactione cum tempora frequenter variant, quàm si eadem sunt & similia.

DOcet hanc corporum diuersitatem contingere in duobus, per quæ postmodum duo alia innuit. Differentiæ ergo principales corporum sunt forma & magnitudo: per magnitudinem intelligimus altitudinem & crassitiem seu tenuitatem ex ossibus & membris à semine factis: per formam autem, figuram, habitum & situm. Velut quòd sint carnosi vel exiles, pingues aut macilenti, densa cute aut rara, rubri, candidi, nigri, pallentes, crispis capillis aut planis, pilosi, glabri, molles, duri, asperi, leues, robusti, imbecilles, hæc omnia ad habitum pertinent. Rursus ad figuram, quod sint recti corporis vel obliqui membris teretibus aut tenuibus ac latis, proportionem & symetriam habeant inter se, & pulchritudinem exhibeant, aut deformitatem inconcinnam. Et eadem de situ vel in articulis siue benè aut malè compaginati. Quorum igitur naturæ dominatur calidum & humidum, hi sunt magni & carnosi. Qui verò calidi sunt & temperati magni sunt, & carnosi

carnosi magis, non tamen adeò obesi. Si autem calidi & sicci magni atque graciles. Temperati verò & humidi, obesi & moderati: temperati in vtrisque, moderati in vtrisque, temperati & sicci magnitudine moderati, sed graciles, frigidi & sicci, graciles & parui, frigidi & temperati parui & moderati, frigidi & humidi, parui & pingues. In his omnibus vbi corpora proportionem seruant inter partes, deformia tamen sunt, materia quidem bona sed virtus non ei dominata est propter imbecillitatem quòd si continua sint, sed proportionem non seruant rei, caput magnum cum tenui collo, virtus valida fuit, sed materia inæqualis, cum verò vtrumque affuerit aut defuerit necesse est, vtrumque defuisse vel affuisse.

Refert Alemanus, Circio spirante, is alio nomine Thrascias dictus, quem & Cariam esse volunt, sed & Certium melius vocari contendunt quàm Circium id videtur planum spirare inter Boream & Fauonium peculiarémque Histriæ & Galliæ Narbonensi fertéque secum plaustra onusta, Boream verò in Gallia, sternere quercus & deiicere tecta, turres. Corum verò qui paulo occidentalior est Cercia quatere maria & sublimiora quæque & sternere templa & ædes. His ergo tribus causis propositis naturalium temporum aduentitiarum qualitatum & ventorum quærendum est, quidnam plus possit? dicendum opinor, quòd temporum diuersitas plus potest, quia secum habet naturalem Solis motum incrementi, vt in vere decrementi, vt in autumno, status vt in solstitiis. Quo verò ad effectus magnitudinem, venti quia motum & qualitatem includunt. Quò verò ad formationem qualitates aduentitiæ maximè siccum & humidum ob materiam. Et frigidum ac calidum, cum sint, vt aliàs declarauimus, instrumenta facultatum.

LECTIO XCIX.

Super

TEXT. V. & VI.

Eadem autem motuum ratio in vtrisque existit. Feritas, integritas, & audacia à natura Europæos inuadit. Frequentes enim mentis perculsiones feritatem inducunt, mansuetudinem contra & benignitatem extirpant. Quare etiam magnanimos magis eos qui Europam incolunt Asianis iudico.

Hoc est quod intendit declarare de animis. Cum enim homo constet anima & corpore, hi maximè homines ab hominibus differunt, qui vtraque parte differunt. Et incipiamus à manifestis: diximus enim esse nouem genera corporum in magnitudine, & totidem erunt morum & ingeniorum genera. Qui enim magni sunt & carnosi, hi fallaces sunt & rudes, & facilè irascuntur ob calorem, & facilè placantur ob humidum: sunt autem fallaces similiter ob calorem & rudes ob humidum. Qui verò carnosi sunt, & ad magnitudinem declinant non tam facilè irascuntur & tardius placantur, quia calidi & minus humidi præcedentibus, sunt verò eadem ratione fallaces sed solertes: quia in eis non abundat humidum, & iuuentuti comparantur. Magni verò & graciles in iuuentá iracundi, nec facile placantur: iidem fallaces & vafri, ob vtranque qualitatem: sed vbi consenescere incœperint ad habitum frigidorum & siccorum transeunt: ideóque eadem fermè patiuntur quæ graciles & parui, sed in his promptui est ira. Qui ad magnitudinem declinant, & pingues sunt, hi sunt fallaces, rudes admodum, sed mansueti. Qui verò moderati sunt vndequaque optimorum morum. Qui verò macilenti, sed parum ad paruitatem declinant hi sunt versuti & ingeniosi, non tamen vafri neque valde mali. Qui autem parui sunt & pingues, hi minimè mali, sed tamen rudes, & sunt mansueti, facile aliquando irascuntur, sed semper breui & facilè adeò vt etiam spontè placentur. Assimila etiam fœmineo generi. Si verò valde parui & macilenti, sunt vafri, dolosi, constantes, non tamen facilè irascuntur, irati autem diu retinent iram, dissimulatores magni, & timidi tamen sunt. At qui ad paruitatem declinant crassitie mediocres, versuti sunt, cauti, solertes, non tamen adeò mali. Quorum membra parua sunt læduntur, & operationes quæ ex ipsis pulmonis facilè vt cadant in spirandi difficultatem efficit, & vt à destillationibus ac febribus plus lædantur patientes, ventriculi autem vt si plusculum cibi assumpserint. At cerebri vt malorum sint opinionum peruicaces atque inconstantes, parum iudicio valent, reliqua possunt esse bona, rarò tamen rectè imaginantur. Paruitas penis vt etiam nimia magnitudo, sed non adeò generationi officit. Parui cordis in febribus plus patiuntur, & sunt præcipitis audaciæ & iræ. Paruitas iecoris est causa multorum malorum præcipuè febrium. Deformitas semper mala est, & magnitudo non est adeò mala vt paruitas. Qui magno & firmo sunt corpore, contemptores sunt aliorum. Mutationes validæ temporum, excitant calorem naturalem, & maximè ventorum, & ad frigus, vnde primum fortitudo, & inde audacia, & ex audacia feritas, & ex feritate sæuitia. At contra temporum quies, & calor moderatus efficiunt homines quietos & tranquillos, inde desides ac molles atque misericordes, vnde postmodum fallaces efficiuntur. Cum enim homines se tueantur duplici via, vt etiam animalia bruta, vi & versutia: quibus deest vis ad versutiam traducuntur: idem de hominibus. Vnde timidum, bonum nunquam inuenies, nisi sit absque mente. Et similiter imperiti & ignobiles & pauperes & senes sunt deteriores aliis, quoniam sibi timent, natura autem inditum est homini, vt velit se securum reddere.

Videamus autem primum an homo naturæ suæ derelictus sit bonus aut malus? Cum enim institutio versetur circa mediocritatem, si bonus natura, institutio illi obest, si

autem

autem malus, prodest. Et si etiam malus sit, accusamus naturam, si bonus, legem. Ideò vna est ratio euadendi & vera, quam etiam prodidit Aristoteles. Homo quidem natura bonus est, nam & infantium & mulierum misericors natura id significat, & Duorum communio, ipsi enim aut soli aut maximè inquit (2. de Part. Anim. cap. 10.) Philosophus. Est etiam sapientissimus natura, & ob id optimus, non solum enim quæ sapientiora sunt studio & disciplina talia sunt, sed etiam natura quale elephas, est enim mitissimus animalium ratione carentium. Referunt etiam certò, cum homo agrestis in Hispaniola Insula è nemoribus adueniens puerulum surripuisset, omnes illum sequebantur nil boni ex eo raptu sperari posse, aut enim cibi gratiæ subreptum qui mos erat illis in locis, aut alterius rei causa, sed circa vesperam cum frustra illum insecuti fuissent, mane (sunt enim homines illi syluestres miræ celeritatis, vt etiam consentaneum rationi est, vt qui omnem spem in pedibus habeant (eum incolumem ridens restituit abiit que. Verum vt Philosophus ait, cum rationis particeps sit, multa cognoscit prospicitque in futurum multo ante, vnde indigentiam suam præuidet. Cupit etiam non solum commodis suis prospicere, sed antestare aliis, quo fit vt cupidissimus sit homo, atque ob id rapacissimus, & vi & dolo, vnde postmodum natura fit iniustus, & ex pugna redditur iracundus & sæuus. Hanc ergo improbitatem lex tollit, lege igitur & natura bonus fit homo: & natura ergo iusta, & lex bona.

Quid autem sit quo maximè ad improbitatem impellamur, affectus est primus & potentissimus. Porrò affectus, vt dixi, primus est indigentiæ, vt succurramus auaritiæ nomine. Vnde Horatius:

O ciues ciues quærenda pecunia primùm.
Virtus post nummos.

Verùm hanc auget timor qui potentissimus est affectuum, mali enim periculum quam boni spes in nobis est efficacior, quoniam malum bono in nobis potentius est, & timor est futurorum, dolor autem & mœror præsentium, præsentia autem minora sunt futuris cum & esse possint, & sint quæ præsentia sunt: at futurum est quasi infinitum ideóque non solum est eorum quæ erunt, sed & quæ non erunt esse tamen poterunt: quin etiam quæ etiam esse non poterunt, persæpè fallente nos periculi magnitudine. At contraria paria aut propinqua esse paribus debent. Timore ergo ira aduersatur, vnóque eorum dominante alter delinit. Ira ergo & timor in hominibus maximè prædominantur, sed à timore iniuria neque actio vlla præcedit: sed vt timorem deuitemus, ab ira autem pugna, sæuitia, latrocinium, ac similia procedunt. Si autem timori mista sit & vrgeat ambitio vel auaritia, dolus innascitur, vnde iniusti fiunt homines ac scelerati. Cum verò ex ira audacia, ex audacibus factis laus à plebe consequatur, inde ex laude honor, ex audacia ad rationem reducta fortitudo, ex fortitudine & ratione Iustitia & gloria, ita vicissim hæc se inferunt, vnúsque affectus alterum parit, adeò vt nonnunquam contrarium velut ex misericordia nostrorum sæuitia in alios, & ex crudelitate in alios ob exemplum misericordia in nostros. Origo igitur omnium prima sunt timor & ira ob auaritiam. Inde sequuntur quæ ad voluptatem faciunt, hæcque sunt duo præcipua honor & libido. Vnde iam assueti homines timere & irasci ob necessaria, transferunt etiam hos affectus ad non necessaria scilicet genere vt libidinem & honorem & magnitudine tantum, quemadmodum habendi illa dira cupido, vt Poëta ait: Ira ergo primùm audaciam gignit, inde ex audacia cum ira coniuncta (his pulchrum esset fabulari) oritur sæuitia: adauctis autem vtrisque vbi adoleuerint, furor: Ex furore & sæuitia adultis immanitas: & ex audacia ac stultitia, temeritas. Inde cum hac adoleuerint & summa cum ira coniuncta fuerit non succedente voto, desperatio: succedente autem, quòd non habet nomen verè, vocatur tamen barbaro nomine bestialitas, cui opponitur heroica virtus. Et triangulis vitiis ad mediocritatis mensuram ratione redactis, fortitudo primùm, inde iustitia post liberalitas, est enim iustitiæ pars: vt clementia filia liberalitatis atque iustitiæ, addita humanitate, fit misericordia. Ex fortitudine simul ac iustitia magnanimitas, si ita dici posset ex magnanimitate & liberalitate magnificentia. Cum ergo Europæis causæ illæ sint in promptu & potentes, apud plebem quidem vitia redundant, apud sapientes ac nobiles virtutes, apud nobiles sed non literis operam dantes media quædam inter vitia ac virtutes: aut virtutum vmbræ quædam, aut alterna vicissitudine modo virtutes modo vitia.

Porrò educatio ipsa & leges, naturam mirum in modum (adeò vt etiam in contrarium) mutant. Et leges quidem quæ de Diis agunt, aliæ feros, vt Mahumetana, aliæ superstitiosos, vt Iudaica, aliæ vanos & nequissimos, velut idololatria, aliæ impios ac nefarios, vt quæ hæreses in singulis fiunt. Sola Christiana optimos efficit, si vel in simplices vel verè sapientes homines incident. Sed si in Sophistas fiunt dolosi, subdoli, vafri. Et vt ouo bono nihil melius aut suauius potest inueniri, ita corrupto nihil fœdius. Improbus Christianus ad homines cæteros impios se habet, sicut homo malus ad bestias truces. Similiter & leges efferant homines efficiúntque rapaces, aliæ mites ac iustos. Scythæ, vt diximus, senes & imbelles pueros (quid iniquius excogitari potest) pedibus alligatos ludibrio trahendos atque necandos suis filiis dant & rapto viuunt, nimis stultum sit si velim hic conscribere quantum valeant leges ad hominum mores mutandos, sed & consuetudines. Quid enim de Antropophagis dicendum, quos antiquitas quasi pro fabulosis habuit? Et quantum differebant Lacedæmonij feritate & improbitate à cæteris Græcis, vt non humano generi, sed sibi ipsis illos commendasse videatur Lycurgus (2. Polit. cap. vlt.) Solon mitiores Atheniensibus, Philolaus Corinthius medias quasi Thebanis. Præterea Eleis, Chorondas pulchras leges præfixit, quas Aristoteles probat,

probat, licet ſuo inuento periclitatus dicatur. At inſtitutio & educatio plurimum poſſunt, de quibus Plato & Ariſtoteles ſatis ſuperque.

TEXT. VI.

SIquidem ſimilitudo & æqualitas perpetua, ſegnitiem parit, mutatio autem & animum & corpus ad exercitationem excitat. Augetur itaque à deſidia & otio timiditas. Ab exercitio verò & laboribus creſcit virilitas.

HIc demonſtrat verè mutationem morum non per ſe primo ex humoribus qui in corpore abundant, ſed naturali & exquiſitiſſima ratione quæ eiuſmodi eſt. Ab exercitatione & laboribus creſcit fortitudo, ſed Europæi qui patiuntur has temporum mutationes coguntur magis exerceri, igitur Europæi ſunt fortiſſimi homines, ἀνδρεία ab ἀνὴρ ἀνέρος καὶ ἀνδρὸς, vnde etiam fortitudo virtus eſt, iraſci enim & duritiem præferre virilitatis ſunt non fortitudinis. At illud manifeſtum eſt, quòd Europæi mutationes temporum patiuntur graues, vt oſtenſum eſt, quòdque tales mutationes cogunt ad labores, hoc nimis verum eſt apertum: per frigora ligna cedere exercerique cogimur, per pluuias tecta fabricare, deriuare aquas, fugere niues, etiam è ſemitis auferre: per calores ducere riuos, atque etiam triticum excutere, at quod labores augeant fortitudinem, iſtud eſt quòd docere expedit, nam eo comperto intelligemus ocium efficere homines timidos. Ergo labor primùm calorem adauget, qui autem calidioris cordis ſunt, dicit Alemanus, fortiores ſunt, teſte Galeno. Sed hoc de naturali non præternaturali intelligitur. Forſan quia bilioſiores fiant eóque animoſiores. Vt enim ira perciti, imò furore excandentes, pericula contemnunt, quòd videmus etiam in ebriis eadem ratione, quos conſtat eſſe multo quam pro natura audaciores. Verùm non eſt vera audacia, ſed vbi periculum imminet huiuſmodi homines terrentur, & perſæpe fiunt cæteris timidiores. Videntur ergo mihi quatuor cauſæ potiores fortitudinis aliis ab hac in exercitatis quàm in ocioſis, & ratione & experimento ipſo comprobatæ: quarum prima eſt, robur: nam robuſti putant longius abeſſe mortem, quia natura eorum à morte magis remota eſt, minus ergo propinqua & veriſimilia minus timemus. Ideò iuuenes, ſenibus & pueris minus timent mortem, ſenes etiam & vt imbecilles, & vt proximiorem ob ætatem magis timent. Ac robuſtiora fieri corpora ob exercitationem, adeò clarum eſſe reor vt probatione non indigeat: ob idem etiam robur minus formidant mortem in certaminibus ob aliam cauſam, quòd victores ſeſe futuros putant. Vnde Imperatores cum vellent hortari ſuos milites, ab hoc ipſo incipiebant quòd victores ſæpe fuiſſent contra illos, quod exercitati, armati, hoſtes inermes, inexercitati. Secundum eſt ſumptum ab ærumnis, nam qui laboribus exigunt vitam, contemnunt mortem, vt ſe à curis & miſeria liberent, non enim habent quòd amittant, contra diuites & beati ac fœlices, multum formidant mortem, quoniam multis bonis priuari timent. Propterea dicebat Plutarchus, Lacones optaſſe ſemper diem pugnæ, quòd adeò durè in militia exercerentur, cum aſſiduis laboribus ſine vini potu, quod etiam Romanis in vſu fuit, fame etiam, ſiti, frigore, æſtu, incommodis omnibus premebantur, vt diem ſupremum vitæ, & prælium etiam aduerſum minus timerent, quam moram in caſtris odiſſent. Et ideò Scipio ille Africanus minor, qui opera egregiæ virtutis gemina duo ſcelera admiſit nefandiſſima, euerſis duabus vrbibus Carthagine atque Nomantia, contra omnia diuina humanáque iura, nil potius habuit acceptis exercitibus ignauis ac timidis à præcedentibus Imperatoribus quam vt laboribus improbiſſimis illos domaret, ſcorta, cibos omnes delicatiores, imò vel quouis modo iucundos, prohiberet ſoláque polenta & aqua cum caſeo aut carne ſuilla, aut cœpis aleret. Quæ omni exempla quoad potuere Imperatores militiæ exactores ſecuti ſunt, velut Aurelianus Claudius, eius nominis ſecundus, tum alij omnes qui fructum ex militia colligere vberem tentarunt. Tertia cauſa eſt, quoniam in eo ſtudemus, in quo fœlicitatem reponimus fœlicitas autem in genere vitæ reponitur: qui ergo otioſam & deſidem agunt vitam, in delitiis, luxu & inertia atque opibus fœlicitatem ponunt, & pro ea hiſque quæ ad eam ſunt mori non recuſant, tametſi toto genere vitæ imbelles ſint, velut Sardanapalus. At contra, qui laborioſam vitam degunt, fœlicitatem in virtute ponunt, virtus autem laborioſa eſt, vt dicebat Philoſophus, velut ſcire continentem aſſiduum fortémque eſſe, pro his igitur homo laboribus aſſuetus exponit vitam. Et ideò tales fortes dicuntur. Vltima cauſa eſt, quod animi quemadmodum corpora afficiuntur, mulieres & pueri & humidi, natura molles, iidémque miſericordes niſi per iram impediantur, ſunt iidem etiam timidi & debiles. Contra ſicci vt qui montana incolunt, dum corpore, ſicci fortes robuſtiq; ſunt, non ex humoribus ſed ex habitu ſolidorum, eáque cauſa ſenes minus timent mortem adoleſcentibus. Ad hoc etiam multum facit vſus, quòd plura complectatur. Vnde miles veteranus longè tyroni præferebatur, non ſolum induſtria & patientia ſed fortitudine ipſa. De quo Cicero (ſed poſt factum) accuſabat Pompeium, quòd cum collectio milite contra veteranos Cæſaris pugnaſſet. Cæterum Alemanus de ratione exercitationis agens adducit exemplum ex Poſſidonio, de muliere quæ cum peperiſſet à labore infantem in agro ſtatim reuerſa eſt ad fodiendum. Atque hoc ad vſum referri debet, quod non ſolum tum Hiſpania ruſtica, ſed in nobili iuuencula in Italia regione Patauina contigit, dum furtiuum concubitum, quæ pro virgine habebatur tegere conata eſt, hæc igitur experimenta patientiæ corporis ad animi fortitudinem ſæpe traducunt homines

quæ tametsi ad idem videatur tendere, & eandem rem efficere, sunt tamen inter se valde diuersa.

LECTIO C.

Super

TEXT. VII. & VIII.

VNde bellicosiores quoque Europæi extant, non ob hanc solùm causam, sed & propter leges. Non enim regibus obediunt quemadmodum Asiani. Vbi enim sub regibus viuitur, ibi necesse est homines timidissimos esse, quemadmodum & supra ostendi. Seruitute namque animi eorum pressi non libenter neque volentes, temere pro aliena potestate se periculis exponunt. Europæi autem suo iure viuentes cum pro seipsis non pro aliis pericula belli subeant magna cupiditate feruntur, volentésque ac alacres difficultates omnes aggrediuntur, ipsique sibi ex re benè gesta præmia reportant, vt certum sit leges plurimùm ad magnanimitatem conferre. Tota itaque & vniuersa res de Europa & Asia, sicut retuli habet.

REdit ad declarandum id quod Europæi sunt bellicosiores, & est Epilogus præcedentium, cui subnectit aliam causam superius declaratam (lib. 6. text. 12. 12. 14.) ideò ad reliqua transeo.

TEXT. VIII.

CÆterum Europa ipsa adhuc habet gentes inuicem differentes, non magnitudine & forma solum, sed & magnanimitate. Quæ verò in eis hanc diuersitatem faciant in præcedentibus dixi, dicámque amplius magis manifestè.

LIquet cur repetierit præcedentia præter morem suum, non ob aliam scilicet causam quàm vt doceret non solum Europæos in quatuor præcipuis differre ab Asianis, sed ipsos Europæos inter se. Erant autem quatuor illa præcipua, quæ in textu referuntur, corporis magnitudo scilicet, tam in longitudine, & vocatur proceritas, quam in latitudine. Et forma pingues, macilenti, pulchri, deformes, proportione carentes ac talia, animi autem celsitas, & nihil humile sapiens, tum fortitudo & fortitudinis pars est ipsa patientia. Inter se ergo etiam dicit multum Europæi differunt iisdem, sed non iisdem causis: quia ab Afris quos Asianos appellat, ignota adhuc ea tempestate Africæ appellatione, differre dixit. Et à Scythis duabus causis & regionis temperamento & inæqualitate. Ab Asianis autem qui etiam nunc sunt Asiani duabus itidem causis, sed non prorsus iisdem prioribus temporum inæqualitate, & ad illos comparata, & quod vicissitudines haberent inter se quæ non erant apud illos, vtpote Gallia differt à Sarmatia quæ ad paludem Mæotam posita est, quoniam Gallia habet æstatem & hyemem & ver: regio illa ad Mæotim non habet hæc: & quoniam Gallia est modo calidior modo frigidior illa: Ideo comparatio temporum diuersorum in Gallia est duplex inter se, ex quo fit intemperata in se & inæqualis, cum Sarmatia regio sit æqualis. Et comparatione habita temporum vnius ad tempora alterius. Tertia comparatio est partium Europæ inter se, quæ habet tantum vnum discrimen inter se, sed in genere conueniunt, quòd ambæ sunt inæqualium temporum, sed inæqualitas Galliæ non est eadem cum inæqualitate Hispaniæ aut Italiæ. Cæterum Alemanus hæc subiicit, quæ maxima ex parte collecta sunt ex 2. Apotelesf. (cap. 3.) Cum docuisset Europæas gentes inter se paulum differre, velut Germanos ab Hispanis: illi enim sunt austeriores, lucro magis dediti corpore duro, gracili, & ob id etiam agiliore, contra Germani. At Ptolemæus in astrorum vim hęc refert. Primi quadrantis Europæi superiora loca, quæsita sunt in totius terræ diuisione inter septentrionem & occasum conciliatur. Barcolybico, hoc est Caurce triangulo, quod est Aries & Leo, & Sagit, dominos habet conuenientes Iouem & Martem vespertinos. In hoc totæ gentes hæ nominantur. Britannia, Gallia Bracata, Germania, Bastarne, Italia, Gallia Togata, Apulia, Sicilia, Tyrrheni, Celtica, Hispania. Atque in his gentibus consequenter hi mores animaduertuntur, vt sint ob principatum trianguli sui & dominatorum illius impotentes regni & amantes libertatis, armorum bellíque studiosissimi, patientes laborum præstantes munditiæ, fortitudinis sectatores. Propter vespertinum autem habitum Iouis & Martis, proptérque suum triãgulum accidit his vt priori partibus viriles sint, pesterioribus effæminati & mulierum amore non tanguntur, cupidi masculæ Veneris, & hac in parte æmulatores, neque hoc aqud illos vitio datur vlli, neque molle ducitur, quòd hoc ipsa animi illorum non perturbentur, & quasi laborent, sed retineant nihilosecius vsum virtutis, amicitiæ, fidei curæ rei familiaris, beneficentiæ. Harum ipsarum regionum Britannia, Gallia Bracata, Germania, Bastarnæ, propriè subsunt Arieti & stellæ Martis. Itaque harum incolæ sunt communiter feroces, peruicaces, truces. At Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Leoni subiectæ sunt & Soli, præstantiæ, Benignitati, amicitiæ student. Tyrrheni verò & Celtæ Hispaníque commendati cum Sagittar. Ioui, libertatis, simplicitatis, munditiæ sunt amatores. Reliqua loca huius quidẽ quadrantis, sed vergentia in

medium

medium totius terræ Thracia, Macedonia, Illyricum, Græcia, Achaia, itémque Creta & insulæ Cyclades, & maritima loca Asiæ minoris ac Cyprus, decliuia de quadrante suo ad Vulturnum adiunguntur etiam triangulo hoc Vulturni, quo comprehenditur Taur. Virg. Capricorn. & gubernatricibus stellis Veneris ac Saturni, atque insuper etiam Mercurij. Quapropter horum locorum incolæ magis sunt, & corporibus & animis compositi, & temperati. Et ipsi sanè præstantiæ cupidi, fortes, regniosores, propter Martem. Musicæ autem & studiorum, libertatis cupidi, regum institutorúmque suorum tenaces, populari imperio gaudentes, latores regum quæ à Ioue habent. Certaminum & munditiæ studiosi à Venere amicitiæ, hospitalitatis, iuni literarum, eloquentiæ cultores, à Mercurij idem arcanorum sacrorum & initiorum institutores de Ven. vespertino habitu. Rursus ex his peculiariter pertinent ad Taur. & Ven. maritima minoris Asiæ loca, Cycl. insulæ, ac Cyprus, ideóque fermè voluptatibus, munditiæ, corporíque seruiunt. At Græci, Achiui, Cretenses subditi Virg. & Mercurij, ingeniosiores & doctiores & animorum cultores euaserunt. Macedones autem Thraces, Illyricum, subiiciuntur Capricorno & Saturno in re quidem paranda non inertes sed è mansuetudine morum & coniunctionibus alieni. Cæterum, vt ad propiora rei accedamus, scire decet tres esse virtutes de quibus Philosophi disputant, præsertim Aristoteles, quæ valde inter se similes esse videntur: plurimum tamen differunt, fortitudo magnanimitas atque magnificentia. Verum in hoc primum differunt inter se, quod magnanimitas & magnificentia fortunæ beneficio indiget, fortitudo autem naturæ, velut & prudentia, vnde à magnanimitate incipiendum est. Interpretes tamen ipsi loco ἀνδρείας, quod est propriè fortitudo, & fortitudinem & magnanimitatem dixerunt atque scripserunt, sed quoniam verum est vtrumq; & vtrumque significari ab ea voce potest, de vtraque disceremus: quanquam magnanimitas (quæ etiam nomine Latino ad hanc vsque diem caruit (Græcè appellatur μεγαλοψυχία. Igitur Philosophus 4. Ethicor. (cap. 3.) & in 1. Magnorum moral. (cap. 23.) & in 3. Moral. Epidem. (cap. 7.) docet magnanimum esse, qui maximis bonis se dignum putat, id maximum est bonum, quod qui in dignitate sunt præcipuè optant, & quod Diis tribuimus, ísque est honor. At nisi quis bonus sit ridiculus sit, si se dignum honore putet, aut si non optimus maximo honore, qui ergo magnanimus erit, is etiam optimus erit, & magnis dignus honoribus habetur, seipsum existimabit. Eum autem ornamentum cur tutum potius quàm virtutem appellat, ob ídque virtutibus aliis præditum esse vult, qui magnanimum se ostendere velit: aut igitur finis est virtutum aliarum, aut eas exigit, & ad se trahit. Is ergo & circa potentiam & opes versabitur, non propter illas, sed propter honorem, vnde neque illis amissis contristabitur, modo honor maneat illæsus. Vt contra si honor pereat saluis aliis etiam vitam ipsam despiciet. Ob id minus existimat magnanimus vitam quàm fortis, forti enim semper vita in pretio est; modò honestè & citra vitium ac culpam, eam seruare possit. Magnanimus verò odit vitam quoties honore debito, etiamsi non omni caruerit. Vnde Catonem Vticensem & Ottonem magnanimos verè appellare licet. Et mulieres Germanicas quæ victis viris cum à Romanis non impetrassent, vt liberæ, & in sacerdotio viuerent, semet cum filiis, partim occiderunt, partim suspenderunt. Liquet etiam nullos magis etiam filiorum vitæ contemptores esse, quàm magnanimos ex his qui laude vulgari digni habentur. Ratio tamen affliguntur ob aduersa, quoniam parui cuncta æstimant, & honorem ipsum autem dignitatem si non par virtuti suæ esse videatur. Ergo non qui honores adipiscitur, nec qui non est dignus ob virtutem, sed qui dignus est, & dignum se putat is magnanimus est. Vt verò adipiscatur opes & potentiam auxilium præstat, sed & vt dignus ob virtutem haberi possit: persæpe enim horum defectu virtutis opus impeditur sine quo dignus honoribus haberi non potest. Ita ergo ad magnanimitatem, quæ cum ratione est, multum faciunt, nam multis animus fuit constans, quibus occasione data defuit animi robur. Ob id dignè dici non potest nisi ex opere ipso quauis in specie virtute præditus, multo tamen minus in fortitudine, prudentia & magnanimitate. Retribuunt autem magnanimi beneficia, aut non volunt agnoscere. Sic Artaxerxes præmiis magnis interfectores fratris affecit, mo o gloria necis illi concederetur: vbi neglexerunt, eos crudelissima morte effecit. Ob id bonum est erga eiusmodi homines officiosum esse. Meminerunt autem beneficiorum in alios collatorum, & iucundè narrantes audiunt, modo digna persona videatur. Et si quid impetrare velis non collata, sed accepta beneficia commemorare expedit. Ita Clitus necem sibi ab Alexandro, sed tamen ebrio comparauit. Exhibetur autem beneficium libenter, recipiunt inuiti. Laudati autem gaudent apud magnos viros, sed inter humiles indignum putant, tum etiam insidiosum. Eadem ratione non nisi ad magna solum vocari gaudent, sed ad minora vocati indignantur, liberi sũt in sermone & veraces nisi apertè per irrisionem indignabundi respondeant. Seruire dedignatur magnanimus, neque admiratur de aliquo, quia alios despicit, seipsum solum suspicit. Satis est celebres & sibi similes non despexisse, neq; enim cuiquam tantum virtutis huius notæ inesse homini potest vt φιλαυτία non decipiatur. Vnde etiam quamuis iniurias egerrimè ferat, maximè tamen contemnere videtur, atque contemnit: quia multo se maiorem putat, velut liberalis & diues, exiguos sumptus: Canis molossus Meliteos. Ea etiam causa erga inimicos minimè maledicus est: gaudet autem honestis magis quàm fructuosis. In motu lentus est, quoniam nihil est magnum apud illum, cuius causa properare velit: & vox grauis ac stabilis, quia animo non angitur. At verò qui de seipsis plus pollicentur quàm præstare possint, hi partim deceptores sunt, quorum nimis

magnus numerus est, præsertim in medica arte & in aula: in hac quidem ob luxum Principum, in illa quòd huiusmodi ars sola omne genus sordidior hominum recipiat, & eius flagitia impunita legibus sint, summa hominum pernicie: partim verò tales se esse putant quos vocamus insolentes, cum enim improbi sint aut inepti despectique honoribus se dignos existimant, alij ob potentiam, alij opes vel nobilitatem, multi ob solam factionem, quidam etiam sola temeritate. Ambulant si lento passu, & vestiunt egregiè, & plures ducunt seruos, & facta sua commemorant. Si tamen his aliquid boni sit magis conueniunt cum magnanimitate, quam qui de se minus quam deberent pollicentur: si autem sæuitia cum potentia iuncta sit nullis perniciosiores sunt feræ mortalibus.

Fortitudo autem alia est, alia fortitudinis effectus, scilicet maximis periculis sponte occurrere. Sunt autem huius præcipuè causæ quinque. Natura primùm, & de hac intelligit Hippocrates. Vnaquæque enim gens imò & homines singuli habent quædam semina ingenita virtutum. Boreales fortitudinis, Asiani prudentis, alij humanitatis, alij comitatis, alij seueritatis. Secundo leges diuinæ, & ob id Mahumetani fortiores sunt ad bellum, Christiani cautiores. Dicebat Cæsar (lib. 6. de Bello Gallico,) quòd & alibi retulimus, Gallos esse intrepidos in bello quòd persuasum sit eis à Druidis sacerdotibus suis animas superesse post mortem. Et Polybius narrat, Romanos miras fabulas finxisse de inferis, vt suos milites ad mortem intrepidos redderent. Tertio loco est disciplina militaris, per quam milites adeò pugnam optabant: Cum & Lacedæmonij id agerent, quamuis de inferis nihil constitutum haberent, vt totum ad disciplinam referre necesse sit. Quarto ex stultitia, quo in genere continentur qui ignorant periculum, irati, temulenti, insani, strepitus inconditi tumultus exemplum, quæ omnia duces exercituum proponere solent militibus pugnaturis. Vnde etiam superstitionem proponunt & auguria. Quinto ob Philosophiæ præcepta. Atque hæc sola est fortitudo. Vnde non pugnant Hippocratis præcepta cum Aristotele. Natura enim loci plus potest ad effectum fortitudini similem præcepta ad virtutem. Quod si quis dicat mulieres & pueri non possunt fieri fortes ex præceptis Philosophiæ, ergo nec qui natura ad hoc non sunt idonei, igitur plus poterit natura quam Philosophia. Dico quòd natura plus potest quoad effectum, quia plures Germani & Sarmatæ inueniuntur intrepidè pugnare sine præceptis Philosophiæ, quam Græci & Asiani præcipuè cum quotuis præceptis: imò si præcepta possent efficere viros fortes plures essent ex Asianis fortes quàm ex Europæis: cum apud Asianos, vt dictum est, plus vigeat cultus literarum & disciplinarum, illi tamen non erunt fortes. Vt enim aliquis fit fortis secundum virtutem, necessarium est, ex Philosopho tertio Ethicorum (cap. 6. 7. 8. & 9.) ad Nicomachum & ad Eudemum capit. 1.) & primo Magnorum moralium (capite 19.) Vt audeat in his quæ grauissima sunt, & tamen ab hominibus perferri soleant, non veluti casus montium neque ignorantia periculi nec confidentia artis, aut roboris confidat se euasurum: nec ducatur præceps ad discrimen vt furentes, neque ob vitium aliquod vt impatientes fieri, aut pecuniæ vel præmij expectatione, vel ob leuem causam, neque etiam si ob pudorem subeat periculum, nam si honesta non sit causa & subierit fortis non est, honesti enim fieri debet: si honesta clam non subibit, quia pudorem non metuit. Si ergo periculum honesti causa subterfuit non est fortis. Fortis igitur est qui quoties occurrit periculum pro eam honesta id agnoscens ducit melius si oporteat mori quam deserere patriam, aut parentem aut fratrem aut filium aut vxorem, vel amicum vel eum à quo alias seruatus sit, aut etiam egregium benefactorem, aut exemplum aliquod integræ vitæ, pro his enim fortis non recusabit, si oporteat morti se exponere. Itaque non solum in armis spectabitur vir fortis, sed & si pro his nauigandum sit, aut è muro saltu præcipitare se oporteat, modo aliqua sit spes vt seruari possit, non video cur etiam fortis dici non debeat? aut cur magis deceat sinere periclitantem ducem in mari, quàm ab ferro ab hostibus. At de morbo cum non sit honesti causa non poterit dici fortis, sed si sit vt in vulneribus & contusionibus quid prohibet. Quid autem referat, si non refugiat queri de morte, aut non queri, non video: neque enim gemitus aut lachrymæ vel eiulatus tollunt fortitudinem, cum non pœnituerit egregij facti, quinimo ista sunt condonanda naturæ infirmiori fortior autem est is qui molli corpore audet & perfert quam qui duro. Sicut qui inermis ad pugnam descendit quàm qui armatus. Siquidem fortitudo tota ad animum non ad corpus spectat. In omnibus autem aliis terribilibus etiam si ea effugiat fortis esse potest, modo paratus sit obire periculum vbi honesta causa est. Et si in necessitate constitutus perferat eo consilio, quia euadere honestè non potest, tametsi vel naturali metu prematur, vel in dolore vehementi eiulet. Animi enim virtutem non est necesse vsque ad corpus peruenire. Porrò duplex est fortitudinis genus aduersus imminentia pericula & præsentes ærumnas, atque in vtroque maius videatur, maius ea perferri aut imminere beatis, minimè autem miseris, adeò vt quidam vel desperata salute audeant ob id solum, aut ob calamitates præteritas præsentes leuius ferant dubium non est & in virtutibus & vitiis esse excessum. At verò non se obiicere cum nihil profuturus sit, nec velle cum mortuis mori, non est fortitudinis. Sed si quis agat etiamsi mortis causam illi pro quo moriturus est dederit, velut Cassius Centurio, id furiosi est non fortis, aut certè si consilio tum fiat magnanimi, quemadmodum dictum est, cum honestè vt antea ei viuere non liceat: at, vt dixi, aliud est fortitudo aliud magnanimitas, & diuersi earum fines. Velle autem mori absque causa stultum. Sed neq; omnibus concessum est fortem esse,

esse, velut diximus de muliebri natura atque puerili. Vt neque omnibus posse generare, imò neque videre, paucis de futura est modo adhibeatur diligentia, multóque paucioribus quàm prudentia, hæc in natura plurimis denegata est. Sed hoc hic non spectat considerare. Sed vt ad rem redeam, non est fortitudinis non timere horribilia, omnes enim timent quòd natura timendum est, præter eos qui non agnoscunt periculum, neque non conqueri cum extra nos sit hoc: neque fugere cum perstare nulli sit vtilitati, nec velle mori cum clarissimus. Neque etiam non propter omnes sibi cognitos se mortis periculo exponat: non ergo de fortitudine vera & magnanimitate sermo est Hippocrati, sed de harum virtutum effectibus, quæ à natura loci proueniunt, ob indita cordi semina, quæ propensa ad id multitudine nisi à tyrannis impediantur legibus & consuetudinibus augentur.

LECTIO CI.

Super

TEXT. IX.

QVicunque regionem montanam, asperam, altam, aquisque carentem incolunt, & quibus mutationes temporum contingunt magnæ & diuersæ, hic & hominum formas magnas pergigni conuenit, qui & ad laborem & ad viriliter agendum à natura præstent, quibúsque feritas & immanitas non mediocriter à natura sint congenita.

PRimum quidem de lectione conuenire oportet, vnde nos tum ex sequenti textu qui huic contrarius esse debet, tum etiam ex sententia rei, & quæ experimento deprehenduntur manifestum est debere legi, quemadmodum supra scriptum est, vt sit sensus, qui habitant in montibus asperis, saxosis atque altis nudisque ab aqua, his mutationes temporum contingunt diuersæ, vnde & corpora fiunt magna, & animi fortes, tum verò ex vtrisque laborum maximè patientes, sunt tamen feri atque agrestes: quæ omnia satis manifesta sunt ex his quæ antea dicta sunt, duri enim homines tum ob lapides, & aquas crudas, & aërem tenuem, qui admodum corpora siccat & vehementes ac validas mutationes ventorum, qui omnes frigidissimi sunt, propterea quòd aër sublimis, & in montium cacuminibus, experimento, ratione & authoritate frigidissimus esse solet, ibi enim & niues & grandines generantur, & à lapidibus refrigescit, aër, & quanto magis sublimis est, eo minus incalescit à reflexione radiorum Solis: venti quoque ibi validissimi sunt tum ob libertatem, neque enim impediuntur à montibus, neque à terræ tuberibus, nec syluis aut nemoribus, liquida verò omnia quæ celeriter mouentur docuimus esse frigidissima. Expertes autem tales sunt aquis, & ideò sicci cibi quoque eorum castaneæ, glandes, carnes syluestrium animalium, vnde duri vndequaque, idem exercitati cum cogantur peragrare montes laboriosis itineribus, habéntque densam cutem, tum ob ventos, tum ob frigus, tum etiam ob niues, quæ ibi maiore anni parte abundare solent. Sunt igitur calidi, & sicci temperamenti maximè cordis, quia cor nunquam superatur, deinde iecoris, cerebri non ita, quia cum sit exangue aliquando vincitur, tales igitur sunt natura tristes, iracundi, laboriosi, pauperes admodum, procul ab vrbibus, & ob id etiam parum ciuiles & agrestes, iracundi & tenacis iræ, & ob id etiam sæui, vescuntur præterea leguminibus, quia talia loca segetes non ferunt, & à niuibus etiam impediuntur. Bilis autem crassa & terrea illa est, quæ facit sæuos & agrestes, quia nihil aliud est sæuitia quàm iræ perseuerantia, nam sæuitia fit ab odio, neque enim quisquam est sæuus, nisi in eos quos odit. Ira autem est vindictæ cupiditas & odium, ac si perseueret, ira perseuerabit & vindictæ cupiditas, & ideò neque miserabit eos eorum qui sunt in cruciatibus: ratione contraria qui non perseuerant in ira humaniores sunt, quoniam desinunt odisse: at ergo qui tenuem habent bilem, iracundi sunt, & facile mitigantur, quia crudeles esse non possunt nisi eo primo impetu pugnæ aut iracundiæ, quare Virgilius fingit suum Æneam fuisse misericordem etiam in Turnum æmulum, & in Lausum filium acerbissimi hostis, vt declararet breuem fuisse suam iram, & non nisi ab ardore pugnæ honesto fuisse profectam. At bilis tenuis & ignea causa est breuis iræ: contra bilis crassa & terrea perseuerantis crudelis igitur hi, illi mites nisi breui tempore, qui ergo habitant in montibus crudelissimi sunt, & feri admodum, quia omnes habent causas terreæ bilis, iidem etiam tristes sunt: contra nobiles, & qui habitant in humilibus locis ac cultis & aquosis iidem sunt mitissimi, quoniam omnes habent causas tenuitatis bilis, medij inter hos sunt rustici & artifices, & rustici quidem propiores monticolis artifices nobilibus, qui verò mitissimi sunt, neque irascuntur sunt mulieres & pueri ob naturam humidam: hi enim parum irascuntur licet sæpe, ergo parum etiam crudeles sunt, facile tamen ad mediocrem crudelitatem incitantur, erunt ergo quinque ordines mitissimi, pueri & mulieres, post viri nobiles, deinde artifices, crudeliores his sunt rustici vltimi monticulæ, & hoc secundum naturam, nam vsu milites fiunt sæui, contra sapientes benigni, & mansueti, hoc est quod veteres insinuasse videntur per fabulam illam reparationis humani generis, ex lapidibus factam per Deucalionem & Pyrrham, vt Vergilius (1. Georg.)

Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem.

Vnde homines nati durum genus.

Qua fabula non obscurum est quamuis à Latinis potius Poëtis quam Græcis conficta

ficta videatur, namque Homerus filium facit Deucalionem Minois (Iliad. 6.)

Edidit hic Minos præclarum Deucalionem.

Vnde non antiquus est, sed ex his potius qui tempore Troiani belli vixerunt.

Apollonius tamen facit Promethei. (Argon. 3.

Est tellus quædam circumdata montibus altis

Irrigua atque fœta herbarum. hic nunquam Prometheus

Filius Iapethi clarum edit Deucalionem.

Solus Lucianus (in Dea Scyria,) Scytham Deucalionem scribit fuisse tempore magnæ inundationis, declarari hominum genus fuisse reparatum ex montanis viris ac mulieribus. A Thessalia seu Scythia non prope sunt, Thessalos enim etiam Scythas existimarunt, idque per Deucalionem filium Promethei, id est prouidentiæ diuinæ, quod Rex fuerit iustus, atque Deo charus, cuius extant sacella antiqua seu saltem Athenis vetustissimum, & à Pyrrha, id est igne, vt ex montium deducti sint ad Athenas ad habitandum. Constat enim etiam ex Pausania & Herodoto Athenis illum habitasse cum Pyrrha vxore, seu Iapethi, qui ex cœlo & terra natus esset, vt inde originem duceret. Clarum est enim fuisse aliquando humani generis interitum vniuersalem, cuius etiam meminit Aristoteles in Politicis (lib. 2. cap. 6. iuxta finem,) cum dixit, hominum genus seu ex terra originem duxerit, seu alio modo reparatum fuit, cui opinioni Princeps subscripsit, existimans posse homines luto concrescere, vt prorsus interierint omnes. Apud Mosen autem (cum omnes consentiant de hoc communi interitu (seruati sunt & ipsi per Noë in archa seu naui prægnandi eàque in Armeniæ montibus firmata, quam etiam nunc ibi ostendi dicunt, seu ex montanis viris à sede sua reuocatis ad mitius vitæ genus constat relicta secunda opinione, quæ non ad Philosophiam pertinet, hominum genus restitutum esse ex interitu vel putredine terræ, quemadmodum referunt de Ægypto & Nilo. Pomponius Mela (lib. 1. cap. 9.) his verbis: præter cæteros. Quòd vbi sedauit diluuia, ac sibi reddiderit per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum primum accipientia spiritum, & ex parte iam formata ex parte adhuc terrea visuntur, nam Glebis animas infundit Nilus, & ex ipsa humo vitalia effingit: Ergo si lepores & capreoles effingere potest nisi aqua non video cur etiam homines eodem modo è terra oriri non possint. Aristoteles tamen Nilum nouit in Metheoris & Ægyptum, huius tamen non meminit generationis. Sed hæc alibi disputata sunt. Sed postquam beneficio nauigationum innotuit in vniuerso ambitu terras esse, & illas inhabitari, fieri non posse existimo Clam solam, quæ causam efficacem esse puto, non quòd ex putredine homines oriri non possint, quandoquidem Aristoteles vndequaque perfectorum animalium, veluti murium, eiusmodi generationem admittat, ne non homo cogatur originem ex luto ducere, sed semper ex homine genitus sit, verùm hæc in Arcanis æternitatis (lib. 1. cap. 22. & libro 4. cap. 3.) disputata sunt, vt causa aliqua in cœlo tam potens sit, vt in vniuerso orbe hominum genus deleat, quòd si modo sic fueritve non ex aquis aut exustione, sed potius aëris pestilentia, qui quotidie circumuoluitur successione quadam, non vt circumambiat vno cursu aut peculiari principio humani generis sublato aut corrupto. Interest autem plurimum quomodo reparetur, nam si ex putredine omnia inquam habitura finem essent parúmque aut nihil interesse fœlicitatis humanæ an stirps maneret an beata an regia, omnia enim finem habitura essent, & rectè Philosophi tantum referret, vt vna die aut centum millibus annorum perduraret, aut in colono, aut in regia stirpe, quinimo miserior est interitus quanto fœlicior fuit status, quòd quotidie experimur deplorantes magnos viros & ipsemet seipsos vrgent cum in grauissimas calamitates inciderint, vt contra infœlicibus interitus est finis ac miseriæ fuga. At verò si ex hominibus homines restituantur, æterna est propagatio, hócque multum refert quænam stirps maneat in perpetuum. Duobus igitur modis restitui potest humanum genus ex hominibus ipsis. Vno modo ex Antichtonibus longe petiti origine atque sic manere possent nobiles. Altero ex montanis, atque sic non possent manere, quinimo si montani maneant, præoccupabunt eam quæ fit ex Antichthonibus restitutionem obuiarum longitudinem & difficultatem, neque diuitum filij aut potentium hac tam longa spe & incerta velint inhabitare iuga montium inter maximam inopiam, summos labores, frigora intollerabilia ferásque difficultates tam longis seculis. Verisimile igitur est ob duas causas interire vniuersum genus humanum, quod in planitie habitat seruántque montanos viros simplices, bonos, iustos, robustos & fortes in certis temporum periodis, vt diuinæ iustitiæ fructus sequatur cumulúsq; hic tot flagitiis & sceleribus opum, potentiæ, gloriæ fœlicitatísque humanæ, velut puerulis acervus aut arx ex chartis ludorum fabricatus momento dissipetur nullo vel vestigio relicto, & vt secundum naturam, neque inundationibus ob altitudinem illi deleantur, neque cum flagrationibus ob niues & aëris frigiditatem ac ventos, neque ex pestilentia ob perpetuos flatus cum corrumpi nequeat aër, nisi quiescat neque bello cum generale tot montibus esse non possit, & cui lucro & ob inopiam etiam rerum neque ob victus defectum cum glandes & castaneæ & feræ & rapæ & legumina, quæ breui proueniunt velut & millium & oua ex gallinis & secus & vituli deesse non possint, nec concussionibus terræ, neque enim vbi terra concuti potest, montes autem vbique sunt.

Horum igitur mores sunt duri, agrestes, parci, continentes, simplices, auari, mobilis animi iidem etiam ob id fallaces contumacésque, fortes, crudeles, robusti, parum bibunt, plus edunt, vagi, superstitiosi, tetrici, rudes, vocem habent robustam & crassam & asperam, pedes magnos lento passu, ob consuetu

consuetudinem incedunt: longæui, incolumes, seruant diu iras, & ad vindictam proni sunt, in bello strenui, libertatis admodum amatores, vt pro illa ad mortem & ad interitum totius gentis depugnent, vini non multum auidi, taciturni, incompti, multa videre se existimant, & fabulis delectantur, à studiis alieni, voluptatibus etiam parum dediti. Factiosi adeò vt etiam ciuitates in montibus aut collibus constitutæ perpetuò seditionibus agitentur, velut & quas flumen intermeat, neque artes colunt, nisi valde necessarias, velut fabrilem. Mulieres eorum laboriosæ sunt, vel vt suppleant virorum incuriæ, vel vt illos labores æmulentur: parum abortiunt, sed difficulter pariunt, agilésque sunt dum vtero gerunt, sæpe tamen puerperis lac deficit, non valde fœcundi sunt, neque somno dediti, tarò pinguescunt omniáque perspicua sunt, ac quasi ex eisdem deducta principiis, præter illud de corporum magnitudine: verùm id contingit ob caloris insiti robur & pingue humidum licet paucum, vnde non solum magni euadunt sed lato pectore, latis humeris & crassis & ossibus etiam magnis, vnde etiam magno capite sunt: & ceruice ac collo crasso, teretibus membris in quibus musculi descripti apparent, magnas habent respirationes & pulsus magnos & hispidum pectus, non multum agiles sunt & graui corpore atque piloso: Duram habent aluum, & non facile sudant mingunt ob hæc satis iuxta rationem potus, saltatione delectantur tametsi inepti satis ad illam coloris fului ob frigus, vt de Scythis diximus, medicamentis validis egent non solum ob duras aluos & aëris frigiditatem, & alimenta crassa, sed quoniam humores lentos & non multos habeant. Moriuntur multi ex lateralibus morbis ex venarum pectoris fractura. Ex morbis quibusdam raris aliis in regionibus. Qui verò in vallibus habitant, multo infirmores his sunt, & humidiores, & minus fortes, ac minus synceri: & debilia habent capita: multi cæci surdi statura, minores, debiliores, mansuetiores tamen mulieres cum hernia gulæ.

LECTIO CII.

Super

TEXT. X. & XI.

QVi verò loca concaua pratensia, & æstuosa habitant, ventósque calidos plus sentiunt quam frigidos & aquis vtuntur calidis, hi magni quidem esse non possunt, neque benè compositi & longi, sed in amplitudine à natura producti carnosi sunt, & capillis nigris. Imò & ipsi toti nigri magis quàm albi, & qui minus de pituita habeant quàm de bile. Virilitas autem & tolerantia laboris non æquè ipsis à natura inest nisi consuetudo accedat, & hæc in eis efficiat.

MOntanæ regioni opponit concauam, altæ & ex consequenti liberæ & perflatæ à ventis frigidis, æstuoso & calidis potius quàm frigidis expositam, asperæ pratensem: vt quæ mollissima sit, aquis carenti stagnantibus aquis, atque ideò calidis refertam, ex quibus quatuor præpositis, quinque deducit, circa corpus non esse magnos, sed crassos atque carnosos, non commoderatos, nigros corpore & pilis, biléque potius quàm pituita abundare: circa animam autem duo, neque fortes esse, neque laborum patientes, nisi consuetudo obstiterit. Nunc singula diffiniamus. Regio aquosa & pratensis & caua necessario humida est, & ob id etiam corpora humidiora & sanguine plena in generatione, ob menses, crassa & pinguia fiunt. Crassa quidem ab initio magis pinguia, atque carnosa in successu temporis, vnde etiam mollia & minus robusta. In his verò cum raræ sint constitutionis, & cutis difflетur, & aquæ prauæ sint, calor naturalis infirmior est, atque ideò non potest corpora in altitudinem attollere. Verùm de mala formatione & nondum moderata compositione alia causa est: siquidem illa est virtus diuina, quæ vitiari non potest ab his elementis. Primo de Facultatibus naturalibus (cap. 6.) at non agit quoniam & instrumentum, quòd est corporeum, & semen est ineptum & hebes, & materia ex qua fabricari debet fœtus inobediens, cruda & inæqualis, non quòd facultas sit vitiosa, sed sola functio vitiatur. Nigri autem euadunt & cute & pilis, siquidem si cutis nigra sit, pili etiam & capilli nigri sunt, nisi canescant aut vitiligine teneantur, sed non si pili nigri sint, cutis necessario eiusmodi est: quoniam per cutim albam transire potest fumus abundè niger. Aliàs docui ex Galeno primo (cap. 12.) de Tuenda sanitate, quòd pili fiunt ex excremento terreo fuliginoso, quòd exit cum excremento alimenti membrorum & tertiæ coctionis. Cum igitur ex sequentibus ostendat potum aquarum illarum offendere lienem: generabit abundè humorem melancholicum & ob id nigrum, vnde pili tum capilli etiam nigri euadent. Et eiusmodi etiam viri ad insaniam quibuscunque causis sunt parati. Ex melancholia enim naturali naturaliter affecta impossibile est melancholicam generari passionem, sed vel cruda est ab initio vel retorrida vel putrefacta. Anima enim nihil patitur, vbi humori per calorem perfectè dominetur, nam si plurimus sit statim eiicit quantum superest ad bonum statum: dominatur autem cum concoctus fuerit: talis & euictus à calore naturali, & non mutatus à præternaturali erit. Istiusmodi autem incolis vtrumque accidere necesse est ob aërem & aquas vitiatas. Aër enim calidus calorem nostrum naturalem, qui est in corde minimè repurgat nec instaurat: vnde membra inficit per arterialem sanguinem & adurit. Simul etiam iecur à prauis aquis vitiatum, exurunt humores, ideóque nigra omnia fiunt.

Quoniam verò ex hoc suspicari quis posset, melancholicum esse hunc habitum, subiicit, quod etiam sunt subbiliosi: quia plus abundant bile quam pituita, quomodo non accidit in his qui naturali melancholia abundant hi enim pituitosi potius fiunt. Voluit ergo vt intelligeremus huiusmodi homines melancholia abundare, exusta potius quam naturali. Fiunt tamen carnosi ob humidi abundantiam, adeò quòd in talibus corporibus abundat humidum cum calore pauco, sed acuto & vitioso. Causa bilis est quod cum habitus debeat transire ad adustionem, necessarium vt per bilis generationem transeat: ex qua cum magna pars, vt in omnibus quæ fiunt, subterfugiat plenam mutationem, relinquitur bilis non naturalis, rubiginosa, cœrulea, glastea, fulua, rubra & huiusmodi, semper autem subterfugit colorem naturalem, scilicet flauum quòd à præternaturali mutatur. Interest autem inter pilorum & cutis nigritiem, quod cutis non denigratur à fuligine, aliter quibuscunque esset pilus niger, eisdem esset & cutis: at hoc experimento repugnat, fiunt ergo nigri in cute bifariam, aut ab externo calore, vt in Æthiopibus, aut à sanguine vitiato, vt in tribus regij morbi generibus & leucophlegmatia, talibus ergo sanguis vitiatur (de Morb. causis c.6.) & in nigrum transit colorem, hoc autem ad cutim delegatur quòd vitiosius est, quoniam est imbecillissimum omnium membrorum nostri corporis, nec tamen fiunt admodum nigri, quoniam mutatur à cute naturali ab aëre, & sanguinis boni aliquid coniunctum habet: ideo pili sunt semper nigriores cute, etiam in Æthiopibus & Indis.

Quod ad animi qualitates innuere voluit, quod totis libris Moralium Aristoteles agit, scilicet aërem, aquas, sydera, victus rationem, plus mutare corpora quam leges aut consuetudines, aut Philosophiæ præcepta: in animi autem qualitatibus plus posse consuetudines & leges ipsas quàm regionis naturam, quòd visum est nostris temporibus, dum Asiani imbelles & Ægyptij ob Mahumeti legem, facti sint adeò prompti in bello, ad mortem capescendam, vt agminatim in hostem, & aduersus machinas bellicas, & in fossas, & in præcipitia, & absque armis quibus corpora tegant, ruant. Sed & illud insinuare vult, huiusmodi viros non esse prorsus timidos, quia cum dixisset superius (Tex.7.) Europæos esse bellicosiores Asianis, non possunt ex solo situ fieri adeò timidi, sed sunt timidi & parum laborum patientes, comparatione præcedentium monticolarum. Et quia hic situs posset transferri, & ad planitiem, vt Mediolani, & ad radices montium, vt Bononiæ: & ad vallem, vt dicit Alemanus de Valesia, dico quod non potest intelligi de primis duobus, cum in his sint venti frigidi, liberi, imò Bononia protegitur à calidis, vt aliàs dixi, & exponitur frigidis. Est ergo intelligendum solum de vallibus. Horum ergo hominum natura est mediocris inter fortes & timidos, patientes laborum & impatientes melancholici sunt & tristes ac superstitiosi vani, auari, subdoli, magis seruire parati? non solum his qui summa montium inhabitant, sed etiam illis qui plana: rudes, viles, inopes, deformes, dæmonum cultores, venefici, turpes, fœdi, malè olentes.

TEXT. XI.

Quod si flumina extent in ea regione quæ stagnantes & pluuias aquas euehant, homines ipsi incolumes ac splendidi viuent. Si verò flumina desint aquasque puteorum stagnantes & olentes bibant, necesse est ab ipsis illis aquis & ventrem lædi & splenem.

Transit ad præternaturalem habitum atque morbosum, distinguens (quoniam his situs est valde malus) eos, qui ob eum etiam morbosi euadunt & qui non. Et reducit rem in aquas, cuius causam supra retulimus, dum diximus aquas plus facere ad malum habitum incolarum, aërem autem ad morbos gignendos, qui citò interficiunt, velut attonitum, phrenitidem, febres pestilentes atque huiusmodi. Cum verò superius de his dictum sit satis, de stagnantibus aquis & malè olentibus, quòd venter læditur, & lien celerius quàm iecur, venter quidem tribus de causis. Primùm quidem quia est imbecillior. Est enim tenuis & exanguis. Iecur autem crassum & totum sanguine plenum. Secundum, quia primùm occurrit ipsi ventriculo aqua infecta, praua qualitate ac quasi pura: in iecore autem iam mutata à cibis & ventriculo & intestinis & venis mesaræi, & tota mista cibo. Tertium, quia in ventriculo longam moram trahit, plerumque enim vsque ad duodecim horas & tota simul, in iecore multo minus & sensim trahitur à renibus, vt sensim recipitur. Propterea detrimenta aquæ si non sint maxima, primùm & magis apparent in ventriculo quàm in iecore. Sed dices quare tamen in ventriculo non tantum lædit aqua quantum in iecore, neque enim generat hydropes, neque morbos regios, sicut in iecore, causa non est læsio iecoris, sed corruptio sanguinis, alia causa est, quod ventriculus est præditus maiore sensu, & etiam quia potest eam reiicere statim totam vomitu, quòd iecori non licet, & similiter de liene, quoniam corruptio sanguine iecur non adeò læditur: pascitur enim optimo quoque, sicut & ventriculus: at lien cogitur recipere sanguinem corruptum & ipso vesci, sicut serui in cõparatione ad dominum, minimè enim afficiuntur & cor iecur ex malo aut prauo alimento, vt etiam in lib. de Marcore (cap. 5.) maximè autem omnium lien, renes, ventriculus, vesica fellis parum, cerebrum, inter hæc extrema magis, vnde leucophlegmatia, vesica fellis parum læditur, tum quia minimo indiget alimento, tum quoniam functione non habet fermè vllam generosam, sed solam attractricem aut expultricem vel retentricem, quibus tamen occultè

occultè vitiatis, morbi non mediocres obrepunt & magni. Sed de his satis dictum est superius. Reliquum est quia dicit quòd si flumen adsit, quod eiusmodi incolæ erunt sani, id est, quo ad istum habitum lienis & ventris & quæ consequuntur ad eum, scilicet hydropes & morbos regios, & melancholiam, & filiorum corruptionem prauam, & lapides in vesica puerorum, & diarrhœas, & dysenterias, & quartanas, & melancholiam, & gulæ hydrocelem. Verum tamen erunt subiecti morbis aëris & morbis aliis. Ideò docere oportet an habitatio circa flumina sit salubris, vel non, & qualis etiam? Respondeo quòd distinguere oportet, distinguendo primum si fluuius veniat ex oriente melius est. Secundum si fluat mediocriter & purus, erit melior, nam si rapidus sit vt Abdua & Ticinus aquæ erunt crudæ, & lædentur venter & lien, licet non tantum, sicut ex præcedenti ex aquis stagnantibus. Si verò nimis lentè fluat, vt Padus, erunt aquæ turbidæ & lapides generabuntur in vesica & renibus, & aër nebulosus semper. Tertio, an regio sit calida vel frigida, in regione enim calida melius est, ob tres causas, primùm quia aquæ sunt meliores & magis concoctæ, tum quia minus læduntur incolæ à frigore aquæ, & maximè tempore hyemis, tum quia vapor ille non hærebit circa terras, sed sursum trahetur. Quartum est, vt locus sit elatus, comparatione aquæ, velut Papia comparatione Ticini, aliter talis habitatio est valde mala, maximè tempore hyemis. Concludo igitur quod quo ad sanitatem, nunquam bona est nisi concurrant omnes quatuor illæ causæ, vel in comparatione, vt in præsenti loco, & in statu huius regionis, sed est commoda tribus de causis, ad voluptatem & munditiem vrbis, ad fertilitatem agri, & ad commercia valde vtilis.

LECTIO CIII.

Super

TEXT. XII.

QVicunque autem altam habitant regionem, planam, ventis expositam & aquosam, eorum formæ magnæ ac inuicem similes & erectæ. Animi quoque eorum existunt mansuetiores.

ET naturæ incorporeæ (quæ solum beatæ sunt atque felices) tribus gaudent priuilegiis, primùm quod expertes sunt omnis qualitatis quæ contrarium patiatur, velut calidi, frigidi, sicci, humidi duri, mollis, grauis, leuis, albi, nigri, asperi, mollis, ac cæterorum. Secundum, quòd superior natura plenè inferiori dominatur. Tertium, quod plurimum lucis secum habeat vt ad corpus collata, in seipsa autem quoddam excellentius habet, lux enim in sole præclara est, vt nos ipsi sensu diiudicare possumus. Verùm in mente illa atque ordine à quo lux ipsa soli communicatur, lux nulla est. Est enim lux affectio corporis: incorporeum autem corpus non est, neque cum corpore commistum, sed superius quippiam. Habet ergo principium illius lucis in seipsa, & claritatem quandam refulgentem longéque præstantiorem quàm quæ in sole est, eaque eius substantia est clara, sempiterna, beata, indefinens, secura, cuius imaginem videre possumus hic in anima, natura quæ principium est tam fœcundum diuinarum operationum ac mirabilium in corpore, relucétque in oculis ob lucem cœlestem immistam quippiam illustre: in anima verò pura hilaritas illa, cuius nullus nocens particeps esse potst, atque hæc ab ipsa anima proficiscitur, mortalia igitur vt beata fiant, aut saltem, vt optimum consequantur statum, his tribus assimilari oportet incorporeis, vt nulla participetur qualitate, quæ contrarium patiatur. Secundum, vt perfectè dominetur aliis. Tertium, vt plurimum lucis secum habeat. Verum cum primum in misto impetrari non posset, quomodo enim fieri poterat, vt esset mistum & expers eorum quibus miscebatur. Ideo natura assimilationem quandam excogitauit vt postquàm non posset esse immune ab omnibus qualitatibus, ita immuniter participaret illis, vt omnino expers earum videri posset, hoc autem est quòd prorsus mediocre est ac temperatum, in secundo constitutæ sunt leges quæ res magis circa extremum versantur, & sunt meliores. Pro tertio verò plurimum caloris cœlestis immiscuit, vt quoniam ille sine humido, neque esse diu, neque ali commodè poterat, propterea plurimum etiam humidi exactè concocti secum miscuit. Igitur natura hamana quæ perfectissima est tria hæc consequitur & habet, vt sit maximè temperata, & temperatis gaudeat principiis omnibus, vt legibus potentissimis & exactis contineatur, & vt plurimum caloris illius cœlestis atque concocti humidi sortiatur. Ergo relicto secundo cum primum ex tertio, & tertium ex primo oriatur. Ideò Hippocrates postquam tradidit duarum extremum regionum historiam, nunc subiicit mediam ac perfectissimam optimámque in ea proponens summam mediocritatem ac puritatem cum principio vitæ coniunctam. Inquit ergo: quicunque altam habitant regionem, scilicet vt pura sit, planam, ea enim est media inter concauam & sublimem ac tuberosam, inter vallem & montem ventis expositam, non dicit frigidis aut calidis, sed vt omnibus, vt in medio sit calidi atque frigidi, humidi ac sicci. Et aquosam ea ratione qua dictum est, scilicet vt ibi principium sit vitæ. Vnde multi Philosophi ex illis primis rudioribus cum nondum cœlestis naturæ vim cognouissent principium statuerunt, omnium rerum, aquam, quod ea sit primum generationis omnium rerum fundamentum & plantarum & animalium, Secundum quòd ipsa sit lucidissima & cœlestibus corporibus similior aëre, nam præter id quod lucem admittat sicut aër etiam relucet & remittit eam, velut & luna & pleraque alia sydera. Tertium quòd perpetuo moueatur instar

cœli.

cœli. Terra enim immobilis ac sordida iacet. Quartum, quod ex se nihil fœdi admittat, sed perpetuo illo cursu semet expurget. Quintum, quòd adeo iucunda sit corporibus humanis atque animalibus, modo à qualitatibus peregrinis non sit vitiata. Vnde malefaciunt qui conantur asserere eam esse frigidam, cum natura sit temperatissima, licet frigidiuscula sit humani corporis comparatione, non quod ipsa sit frigida, sed quia corpus humanum sit calidiusculum, dicit ergo quòd eiusmodi homines optimè sunt dispositi & secundum corpus & secundum animam.

Secundum corpus tres conditiones apponit, magnitudinem, similitudinem & erectionem staturæ. Circa animum autem vnum tantum, vt intelligeremus illo ipso omnia comprehendi, omnésque virtutes contineri, id est mansuetudinem, humanitatem, dicamus ἠπιώτερα, est blandior seu suauior & æquior, dicitur & de comi & de placido, beneuolo, benigno, humano, & comparatiuè profert, vt intelligamus id esse in eis excellens. Circa quod notandum est quod quatuor apud Aristotelem ponuntur superexcellentes virtutes, quarum duæ sunt speciales, & duæ communes. Magnanimitas cuius positiuum est, vt dixi, honestas seu honoris debita ratio: magnificentia cuius positiuum est liberalitas. Communes autem humanitas & heroica: quanquam aliquis posset constituere heroicam tanquam excellentem humanitatem. Dicebat enim Philosophus in septimo Ethicorum (cap. 1.) Heroica virtus est opposita feritati: si igitur feritas etiam humanitati opponitur necesse est humanitatem esse heroicam illam virtutem, omnibus numeris absolutam. Porro Plato triplicem fecit humanitatem qua excipimus amicos, socios, atque etiam nobis cognitos, quæ plus habet aliquid comitate, siquidem verius amat & amplectit arctius, illa in blandiloquentia magis constat, secunda, qua miseris opitulantur & afflictis, tertia qua vtimur in conuiuiis. Sed humanum est homini compati alteri homini, cum eiusdem naturæ sit. Conspicua autem est humanitatis in primis patris erga filium, inde fratrum, post regum in subditos, & filiorum erga parentes. Parúmque differre hæc à virtute & probitate, (vt in Eudemiis docet, lib. 7. cap. vlt.) videtur, nam & heroica virtus & probitas omnes virtutes amplectuntur, & probitas idem est quòd virtus & humanitas, & heroica virtus virtutis cumulus est, vt in idem conueniant, φιλανθρωπία vocatur propriè, Græcè amor hominum, Latini & præsertim Cicero in hoc ipso nomine omnia complecti videntur, tractationem commodum cum quibuscunque hominibus, vt miseris opitulemur, beneficis retribuamus, ciuibus auxilietur, coniunctis faueamus, eorum qui nobiscum versantur, & qui potesta i nostræ subiiciuntur, curam geramus, inter conuersantes iustitia atque æquitate vtamur, memores simus officiorum & gratiæ, in omnes beneuoli atque benefici, erga dominos benigni, & ad venerationem prompti atque obedientes, in summa cum homini soli inter omnia animalia virtutes concessæ sint, quid aliud est humanitas quàm omnia complecti, quæ homini bona concessa sunt? Idem ergo & pius & magnanimus & prudens quam maximè erit. Qui ergo dicit humanitatem, complexum omnium virtutum dicit, si verò etiam cumulare heroem appellabimus. Qui ergo temperamento optimo præditi sunt etiam si accedat modicum auxilium ex legibus, institutione vel exemplo, non solum humani natura, sed virtute sunt, at in vrbibus cum plures tales fuerint, erunt occasiones multæ tum exemplorum tum institutionis, & legum & studiorum, & consuetudinis, & adhortationum quibus meliores reddantur, & virtute præditi.

Quòd autem tales futuri sint temperati, præter quòd id insinuet Hippocr. dum dixit, quòd sint similes inter se, id esse non potest nisi fuerint commoderati: nam cum moderatio vna sit, immoderatorum infinitæ species similes esse non poterunt, nisi etiam moderatis sint corporibus & membris inter se proportionem seruantibus. Visum est autem de hoc superius (lib. 5. Tex. 7.) Dubitabit autem aliquis, quonam pacto magni debeant esse si sunt temperati? nam temperatum corpus etiam in magnitudine commoderatum esse oportet: & vt Polydeti statua, vt in libro Artis Medicæ (cap. 51.) habetur, quòd quidem quia in controuersiam verti posset, sic etiam demonstrari potest, nam si immoderatum magnitudine corpus erit, non gracile aut obesum esse poterit: esset enim aut humidum aut siccum neque temperatum, quòd si sit moderatum in crassitie, oportet plus fuisse materiæ quàm deceat, quoniam iusto maius est: si plus adest materiæ quàm par est pro humana mediocritate, vel igitur calor omnino moderatus, vel mediocritatem excedens, si moderatus cum materia sit plus quàm esse debeat, non poterit benè confirmari, necesse moderatum aut decorum: sin autem calor materiæ proportione respondebit, adhuc non erit temperatum, sed in calore quidem excedet. Hæc volui adiecisse quo intelligeremus vtilem rei scientiam: Si quidem quòd magnitudo quam hic vocat Hippocrates comparatione quidem ad alios magnitudo dicitur, verè autem est mediocritas, quoniam hominum consueta statura parua est: quia paucissimi ad veram mediocritatem & iustam mensuram pertingunt: plures autem cum sint causæ quæ impediunt debitum augmentum, paucæ admodum quæ augeant, conuenit vt iustam mensuram pauci homines æquent, nam labores, curæ, vigiliæ inædia, seruitus, mala gestatio vteri, morbi, omnia faciunt ad corporis minus in longitudine incrementum. Venus itidem & crapula & ocium, licet enim morbi videantur aliquorum magnitudinem adaugere, statim tamen illa consueuit consistere: & talis etiam magnitudo deformis est, macilenta, imbecilla, curua: at frigus etiam & calor hoc idem facere consueuerunt, nisi in paucis quibusdam, & ideò quos appellat Hippocrates εἴδεα μεγάλα, hi sunt moderati, ad communem tamen mensuram collati magni appellantur. Vnde subiicit quòd sunt erecti, hoc enim

enim robur ostendit naturæ. Videmus enim motus omnes quamdiu tenorem & robur suum seruant, rectà ferri, cum debilitantur, obliquos fieri, cum verò sint tres causæ incuruationis, humidum copiosius, vt in lignis & funibus, exsiccatio nimia, vt in loris, & imbecillitas, vt in sustentaculis cum nimium premuntur. Vnde infantes incuruantur ob nimis humida membra, humidum enim, vt dixi, facile & quauis causa flectitur: primi senes ob imbecillitatem: neque enim si mentem adhibere voluerint curui incedent decrepiti, ob vtramque causam, scilicet imbecillitatem quæ etiam in illis superaucta est, & siccitatem: qui erecti incedunt erunt robusti, & temperati in humido & sicco, aliter difficile esset vt erecti incederent. Cum ergo tale robur & temperamentum sit in spina dorsi, secundum quam homo rectus aut curuus videtur, ab ea enim nerui oriuntur qui motum præbent toti corpori: meritò tales viri non solum decori & probi, sed etiam robusti erunt. Curuari autem homo primum solet in collo quod ea pars hinc inde vt pectus à costis munita non sit.

LECTIO CIV.

Super

TEXT. XIII. & XIV.

QVi verò macra, aquis carentia, & nuda loca tenent, & quæ temporum mutationibus non sunt permista, horum formas necesse est esse asperas & vegetas, flauas magis quam nigras: mores etiam eorum rigidi sunt, pertinaces & contumaces.

EST descriptio huius regionis, certè oppido nostro, vnde oriundi sumus, valde accommodata, distat enim Cardanum oppidum cuius adhuc extat celsa turris & antiquissima, adeò vt fulmine ictam superiore parte coacti sint non semel reficere, prope Galaratum ad mille passus, ab vrbe autem Mediolani XXIV. M.P. Galareatum autem vrbs fuit tempore Frederici Imp. quæ cum diu perstitisset in partibus vrbis nostræ Mediolanensis, ira bellica non solum direptum, sed etiam euersum est. At Galareatum quamuis tam propè Cardanum sit & regio illa tota quam Insubriam vocant, à Subrio castro, nunc Septio appellato, arido sit loco & sine aquis ac nudo, quale describitur ab Hippocrate, plurimum tamen differt, situ, natura, moribus, à Cardano. Est enim oppidum nostrum incole quodam loco peramœno & adeò aquarum experte, vt putei ad quinquaginta, & amplius passus excauati sint, ob id etiam aquæ frigidissimæ, ibi prope Carnutum oppidum, quòd hodie Carnagum vocant, à Carnutis Galliæ populis denominatum, prope Eustatium enim quod IV. M.P. à Cardano distat, hodie Bustum vocant, victi Hetrusci à Gallis sunt & Busta ibidem relicta interfectorum militum. Constat enim Gallos ipsos Insubrium condidisse oppidúmque & regionem, cui XXIV. præcipua oppida subegit adeò vt vsque accestum lapidem ab vrbe Mediolani. Est autem inter Ticinum & Abduam flumina, hicque toti fermè Italiæ quæ citra Peninum est dominabantur deductúmque nomen existimo, vel vt Strabo (lib. 5.) quod Boij, & Insubres, & Senones Gallorum gentes essent, quæ circa Padum Italiam occuparunt, ibique inhabitarunt. Vel ab Insubris quod lingua Gallica Hederam significat, appellentur. Ea enim certè regio, vt quæ parum fœcunda sit, hedera abundat. Inde Galli passim hederam nascentem nacti sua lingua Insubriam quasi hederaceam vocauere, vel ab aliquo duce, quidquid sit si non à Senonibus quos constat fuisse populos Galliæ potentissimos, quique Romanam vrbem occupauerint deflexa sit, & Insubres quidem ac Senones à Romanis deletos fuisse, testis est idem Strabo, vnde non video cur quidam adeò laborent, ex eo nomine ostendere velle nos originem à Gallis ducere, cum nihil minus esse possit, si vniuersa gens eorum à Romanis inimicissimis deleta est, non solum odio antiquo & generali eorundem in vniuersam Gallicam gentem, sed quòd, vt Polybius author, Annibali hosti maximo Romani sanguinis enixissimè ac diu fauerint. Ergo vt ad rem redeam, incolæ nostri oppidi quia, vt dixi, illud inter omnia alia præcipuè effigiem huius historiæ refert. Est enim ager omnino nudus aquisque carens, & admodum macer. Verùm illud difficile est quod additur & non permistum mutationibus temporum, quia quomodo id esse poterit, vt sit locus nudus & aridus, nec subiectus mutationibus temporum. Colles enim tales esse solent, at in illis venti maximè vigent temporumque mutationes, si enim locus cauus est vix fieri potest, vt aquæ non abundent, diffluentibus, illis ex altioribus locis, si verò in valle sit adhuc ventos sentiet, si in valle vndequaque conclusa montibus, neque sic res respondebit, æstuabunt enim & non solum in anno, sed singulis diebus anni maximam mutationem sentient, à meridie vsque ad vesperam caloribus æstuantes, inde noctu & matutinis horis immodicè frigebunt. Quamobrem existimo sententiam Hippocratis esse è re natam ac cognitam, siquidem intendit vt sit regio nuda arboribus, sine aquis & macra, libera aëri ac ventis, sed in quam tamen non admodum sæuiant quod ibi manifestè apparet, tum in agro Veronensi: hæ duæ enim regiones tantum habent ericæ sine vllis aliis prorsus plantis, vt admirabile dictu sit, neque ergo vult Hippocrates, quòd regio hæc sit montana aut sublimis vel concaua, nam de his dixit: neque etiam prorsus plana, nam & eius mentionem fecit: sed inæqualibus collibus referta, vbi venti frangantur: tunc vult corporum formas esse asperas & vegetas. At ego σκληρὰ potius duras quàm asperas dixerim, asperum enim potius ad animum referri debet, aut ad casum quam ad corporis naturam. Inde dicit flauas potius quàm nigras. De moribus subiicit quòd sunt

ſunt rigidi, pertinaces & contumaces, ratio igitur omnium horum eiuſmodi eſt, quoniam ſiccitas in his vndequaque prædominatur, eſt enim nuda arboribus, & herbis ſuauibus: & propterea dicit macra & nuda & ſine aquis. Omnes enim plantæ generaliter aërem humectant, humido & ſuaui: quoniam & vmbram faciunt terræ, & ipſæ humore conſtāt, & impetum aëris remorantur, cum ergo ſit ſine aquis, arboribus & herbis dulcibus, nam erica & filix & geniſta herbæ ſunt natura valdè ſiccæ aridæque, neceſſe eſt vt plurimum generent bilis corpora, plus enim facit ſiccitas longè ad flauæ bilis generationem quàm caliditas. Idem ergo multam flauam bilem generant, nullo autem modo poſſunt pituitam aut ſanguinem generare, accedit penuria alimentorum: non ibi piſces, quia non aquæ, non pecudes, & pauca alia animalia domeſtica defectu pabuli, indigent enim eiuſmodi pabulo pingui, neque etiam agreſtia, quia deſunt arbores, vt ſupra viſum eſt (lib. 7. Tex. 5.) neque aues cum non habeant vbi nidificent, niſi ſordidæ ſicut cornices, monedulæ, corui, & ſimiles, aut auiculæ paruæ, ſed etiam paucæ: deeſt frumentum etiam, indiget enim frumentum terra pingui: propterea deficiente alimento ſunt ſicciores. Tertia cauſa eſt quod ob ſterilitatem ſoli coguntur ſibi parare victum multo labore, ita vt omnibus cauſis ſint omnino bilioſi, nec tamen ſunt melancholici, & propterea non ſunt nigri, & cauſa huius eſt, quoniam melancholia quæ nigra eſt indiget exuſtione: tales verò non poſſunt eſſe multum calidi, quia ſunt in libero aëre, nec fiunt magnæ mutationes, vt dixi, à ventis. Et ideò eiuſmodi viri abundant bile flaua miſta melancholiæ naturali, & ob id etiam non ſunt multum iracundi, & ſunt patientiſſimi laborum, tum quia ſicci corporis, tum quia duri & vegeti, tum etiam quia macilenti & denſæ cutis, & parum ſudant, tum quia melancholici: melancholia autem cohibet bilem flauam, & eſt frænum eius, & efficit patientes ad labores. Vnde aſini omnium animalium ſunt patientiſſimi ad labores, quia ſunt melancholici admodum, & duræ carnis, oſſium durorum & cutis, & tales tolerant maximè, non ſolum labores ſed etiam incommoda. Sunt ergo & ob id rigidi, minimè amantes filiorum & vxorum, pertinaces atque contumaces, quoniam melancholia prædominatur, vt dixi, admiſta bili flauæ craſſæ & terreæ, tales igitur ſunt mores Cardanorum.

TEXT. XIV.

VBi enim mutationes temporum contingunt frequentes, & plurimum inter ſe diuerſæ, ibi & formas & mores, & naturas reperias plurimum differentes.

REuertitur ad declarandum vnum, ſcilicet quòd mutationes temporum frequentes & variæ, formas & mores, & naturas multiplices reddunt, per formam intelligit magnitudinem & paruitatem, craſſitiem & exilitatem, carnoſos & macilentos, albos & nigros aut flauos, glabros aut piloſos, erectos aut incuruos, oblæſos aut perfectos, moderatos aut incommenſuratos, & ſine proportione, atque iſtiuſmodi, per naturas autem fœcundos aut ſteriles, calidos aut frigidos humidos aut ſiccos, incolumes aut ægros, laborum patientes aut impatientes, qui facile ſudant, aut qui non facile vigiles aut ſomnolentos: per mores verò audaces, timidos, feros, mites, iuſtos, rapaces, iracundos, manſuetos, ingenioſos, rudes, ſeruiles, generoſos, liberales, auaros, atque eiuſmodi. Quomodo autem hæc prioribus coniungantur, & quare hæc ſubiecerit, rationem reddere oportet, quoniam cum dixerit in præcedenti Textu, quòd mutationes non fiunt ibi: hic autem ſubiicit de mutationibus? dico quòd cauſa eſt, vt intelligeremus nihil magis facere ad diuerſitates hominum quam mutationem temporum: quia licet homines habeant regionem quantumuis intemperatam, licet reddantur deformes, & valde ab aliorum natura ſeiuncti, tamen inter ſe ſunt ſimiles. Et ideò quando dixit ſuperius (Tex. 12.) qui habitant regionem temperatam, ſunt ſimiles inter ſe, dixi quòd ſoli moderati poſſunt eſſe ſimiles, hic verò dicit quòd quantumcunque immoderati ſint, non ſunt diſſimiles niſi propter inæqualitatem temporum, dico quod intelligit de magna diſſimilitudine inter ſe, & non exigua, vt tandem concludamus quod humores aut ſunt valde ſimiles in vna regione inter ſe, & hoc accidere non poteſt, niſi ſit proxima temperamento, & paucas patiatur viciſſitudines. Et hoc contingit Aſianis & habitantibus in regione temperata quadam, ſpeciali etiam quòd fit in Europa. Secunda eſt ſimilitudo minor, vbi tempora non mutantur niſi parum, vt in Æthiopia & Scythia, inter ſe enim ſunt ſatis ſimiles. Tertia eſt in regione magna, vbi etiam quod tempora ſint ſimilia in ſingulis partibus, licet ſint ſimiles Galli Gallis, & Itali Italis, & Hiſpani Hiſpanis, tamen Galli ſunt diſſimiles Hiſpanis & Italis. Quarta & vltima eſt, quod in eadem regione propria & ſpeciali poſſunt eſſe diſſimiles, & erunt ſolum valde diſſimiles quando mutationes temporum fuerint valde diſſimiles & crebræ.

LECTIO CV.

Super

TEXT. XV.

TEmporum itaque varietates potiſſimæ ſunt, quæ naturā ipſam permutant, deinde etiam regio in qua quis nutritur, poſtremum autem aqua Inuenias enim ferè ſemper, & formas hominū & mores regionis naturæ cōpares.

CVm declaraſſet duo, ſcilicet naturam ſingularum gentium per ſe, & etiam quæ

quæ essent variæ aut similes in vnaquaque regione, vtpote Galli Gallis, Itali Italis, aggreditur tertium, vt doceat comparationem gentium inter se, vtpote Gallorum cum Italis, ex quo intellige etiam magnitudinem huius differentiæ, & dicit quod ob tres causas gens à gente differt, varietate temporum, regionum & aquarum. Quod ad temporum varietatem iam in præcedenti textu docuit, quod homines qui habitant in regione quæ frequentibus & magnis temporum mutationibus subiiciatur inter se multum differunt: quomodo ergo etiam non plus ab aliis, solet enim dici: Conueniet nulli qui secum dissidet ipse.

Primùm ergo statuit causam in mutatione temporum, post in regionum diuersitate, demum in aquis, quòd si ita est plus differre possunt Galli inter se quam Germani, exempli gratia, ab Italis, quia Gallia, est valde subiecta temporum mutationibus. Vnde dici solet, Gallia ventosa, saxosa, rixosa. Et certe ante Cæsarem in pagos diuisa erat, & tam multipliciter vt hoc fuerit causa quod à Romanis subigerentur, neque in vnum coierint nisi per legem Christianam quæ mitiores reddit homines, idque in magnum commodum gentis eius cessit, adeò vt nisi diuiderent regnum per filios iam inde longius prouecta fuisset eorum potentia. Sic Romæ cum vna sit vrbs & adeò frequenter & magnis inæqualitatibus tempora euenirent olim tantis seditionibus agitata est, vt nulla natio nationem plus oderit, quam Romani ciues inter se, habet autem omnia illa vrbs, vt audiui (nam nunquam eam vidi quòd mihi illam videre fatale sit (per quæ seditiones pati debeat, primum inæqualitatem tantum vt etiam diurna, si quis non prospiciat ad hominum interitum sufficiat, colles in vrbe Tyberim fluuium qui illam diuidit. Est præterea antiqua factione inimicitia Vrsinorum & Columnarum vix attrita multis Pontificibus. Videmus ergo Italos cum Anglis & Hispanis magis conuenire, quamuis longe distantibus regionibus, quam Germanos inter se, aut etiam Gallos, hoc accidit propter temporum varietates. Secunda varietas est ex regionum situ: hique triplex generalis ad Austrum, illi exangues & sicci & ideò timidi, dolosi, inconstantes, sordidi, seruilis animi, incurui, nigri, immoderati, pertinaces. At Boream candidi, capillis lenibus, glabri, sanguinei, libero animo, veraces, fortes & audaces, edaces, bibaces, sæui, iracundi, quique facile decipiantur etiam sibi nimium persuadentes. Orientales mansueti, hilares, prudentes, amatores disciplinarum & studiorum, pij, grati, mundi, honesti. Occidentales contra sicci, inæquales, pugnaces, ad studia inepti, callidi, vafrique: macilenti, parci, auari. Et qui medij sunt inter omnes hos, moribus mistis, & inæqualibus, magis generaliter astuti, solertes, lenes, fallaces, instabiles maximè culti, maximi dissimulatores iidem specie humaniores. Secundus est quòd regio sit exposita istis partibus ratione eleuationis & montium, licet secus generalis orbis diuisione se habeat, vt Turingia in Germania, vbi Bicurgium seu Erfordia celebris vrbs iuxta syluam Lemanam, quam nunc vocant Turingoram, à septentrione monte Meliboco ab occidente Ab nobis tegitur, sylua est ab oriente, vt tota sit meridiei exposita. Contra Parthia & Hyrcania & Media cum satis ad meridiem ex generali diuisione positæ sint à Borea, tamen liberè perflantur à meridie Parcoatheo & Sariphis integuntur: vnde etiam fortes euaserunt. Hac in situs ratione elatio terræ & montes & maria veniunt consideranda. Tertius est, qui mox est pluribus verbis explicatus, cauus, celsus, planus, perflatus, aquosus, conclusus, aridus, nudus, atque huiusmodi. Tertium discrimen est ab aquis quòd in forma corporum non tantum potest, neque in moribus quod ad sanitatem tamen & morbos attinet plurimum potest, & de hoc satis superius actum est, nam docuimus aquarum noxam posse à potentibus magis vitari quàm aëris, pauperes vtrisque sunt obnoxij. Inuenias enim ferè semper & formas hominum & mores, regionis naturæ compares. Naturam regionis appellat mistam ex illis quinque iam dictis, scilicet temporum mutationibus, situ generali medio & speciali, ac aquarum qualitate, sed subiecit ferè semper vt intelligeremus multa alia esse quæ si in vnum conueniant aliquando plus his possunt, tum maxime cum ex horum commistione cōtraria media quædam, aut parum à medio distans formarum & morum ratio constat fuerit. Hæc igitur sunt primum cum immoderata est intemperies: neque enim Lapones aut Biarmij, vt etiam visum est de Scythis, sunt fortiores Germanis, nam omnis immoderata intemperies deiicit actum propriæ virtutis. Vt secunda Aphorismorum habetur (Com. 20.) Et in prima eiusdem dicebat Galenus (Com. 15.) quod cum frigus magnum comparatur imbecillibus, non est nece vt viscera eorum incalescant, sed magis torpent & refrigerantur, ideò si frigidæ regioni etiam situs frigidus & venti frigidi adiungantur, præter ea aquæ frigidæ, non fient homines robusti, neque fortes, nec alui duræ, sed ob nimium frigus erunt inertes, imbecilles, malæ valitudinis & miseri. Secundum est cum ex intemperie & statu cœli oritur aliquid per accidens quòd destruit decreta per se, velut in præcedenti statu poterit esse tanta inopia victus, vt homines non sint duri & vegeti ac flaui, sed potius laxa carne, imbecilles & pallidi: vel quia cogantur esurire, vel quoniã cogantur edere malos cibos. Vnde Cardani videbam agricolarum filios venientes in nemus meum ad colligendum fungos vt traherent vitam. Et viuebant lapsanis, herbis agrestibus cum aquà & sale coctis absque oleo, panem non habentes, dicebat Hippocrates (6. Epid. Par. 5. Tex. 21.) cibaria imbecillia breuem efficiunt vitam. Et quod de breuitate vitæ intelligendum est etiam de eius imbecillitate. Contraria ratione qui habitant in Ægypto ob commoda quæ habent ex diuitiis, ob soli fertilitatem, incommodis naturalibus regionis obstare possunt. Tertium est, propria quædam natura loci ex cœlo ac stellis verticalibus. Ex initiis vrbium

bium ac gentium, ex magnis conuersionibus. Ex his quæ ex cœlo ipso accidunt, velut eclipsibus atque huiusmodi, & etiam soli bituminosi, quòd in Scotia est familiare, tum in pluribus insulis Oceani Borealis, velut Islandia, Hetlandia, Irelandia, & etiam in continenti, aut Gypsei vt in Anglia & est Britanniæ pars Meridionalis, atque de aliis etiam verisimile est adesse proprietates magnas terrarum. Et de his in nauigationibus Lusitanorum & Celtiberorum mira narrantur, quæ tametsi vera non omnia esse existimem, plura tamen sunt quæ quis non crederet. Velut de Francia noua appellata, quæ adeò morbosa est cum multæ aliæ regiones in eodem parallelo, & prope mare sint salubres, & satis felices eius comparatione. Et licet talia non sint sine causa, nihil enim ratione caret, ea tamen ratio præterquàm quòd non sit nobis cognita (hoc enim non est multum ad propositum) non est etiã forsan vlla ex comprehensis ab Hippocrate, quod est multum ad propositum. Peccant enim homines bifariam in existimatione de claris hominibus, præcipuè de Aristotele & Hippocrate) nam alios his duobus minimè comparauerim, cum mathematici certo tradant quæ nouerint) quidam negligunt & contradicunt eorum doctrinæ perperam: alij volunt nunquam eos errare: illi damnosiores hominibus hi magis insaniunt cum maxima suam humana non attingat partem sensilem veræ scientiæ rerum. De perfectione dubium non est, nec etiam de numero rerum quæ sciri possunt, quod ad capita & genera attinet, non adeò ausim affirmare. Sic in Africæ quibusdam partibus referunt infinitam quantitatem locustarum interire, & computrescere, vt aër inficiatur cum alioquin aër naturaliter bonus sit. In India occidentali morbus ille contagiosus est quem luem Indicam, prius Gallicam solebant appellare, & licet sit naturalis illi regioni, neque tamen nota est nec multo minus potest referri in traditas ab Hippocrate hic. Et maximè quòd de aere maritimo parum locutus sit, habita comparatione ad cæteras differentias. Quartum est legibus vniuersalibus, Iudæos nunquam feceris in bello fortes, etiã si Germaniam inhabitarent: neque Mahumetanos rationi obsequentes, cum vim in armis constituant, nec Christianos synceros, assueti enim sunt simulare, quoniam legibus vis cohibetur, habent præterea in bonis ac malis regionibus contrarium habitum Mahumetani meliorem in bonis ob aquarum potum. Christiani in malis quod vino vtantur. Emendat enim vinum vitia aëris & aquarum excusat detrimenta, cum homines eis non cogantur vti aut saltem, non adeò assiduè. Quintum est lex ciuilis & consuetudo. Veneti ob Reip. formam & vrbis situm sunt prudentissimi maximéque ciuiles, non tamen fortes nec corpore, cum non habeant loca apta ad exercitationes maximè publicas nec animo confisi in publica prudentia potentiáque ac situ, semper autem qui fortes non sunt ad luxum, lassiuiã & libidinem sunt proniores, iidémque in tractãdo minus synceri ac magnanimi. Idem situs facit in victu præparcos, & ideò etiam incolumes & longæuos, iidem sunt amatores publici boni & libertatis, quare minimè seruiles. Contra assueti regibus seruire, partim violenti, vt alterum eorum vix effugere liceat. Sextum est longa seruitus alienorum. Velut Hispani longa Romanorum seruitute eneruati, vt contra ipsi ob assiduum belli studium fortes, robusti, superbi, sæui, patientes laborum, supra quàm dici potest. Septimum est ipsa ratio cursus rerum, vt alia aliis temporibus eueniant, mutantur omnia, & Italia gentium domitrix facta est ignauissima prouinciarum. Græcia studiorum mater ἄμουσος prorsus: ita vertuntur vicissitudines rerum. Ex inopia, studia & fortitudo, inualescunt, ad quæ sequitur gloria inde virtutis honos: post diuitiæ: ad diuitias timor, auaritia, luxus, ex his seditiones, ex quibus factiones & contemptus publici boni, inde Reipublicæ imbecillitas, ex qua tumultus, cædes, & cum vitiis exterarum nationum, primùm contumacia, inde rebellio, demum pugna: & tum incipiunt milite externo vti: qui videns illorum opes, ignauiam & improbitatem supra omnia mala audet, atque ita dissoluitur imperium atque potentia, patiuntur probra, spoliantur, in seruitutem ducuntur, redeuntque ad statum deteriorem quàm antea cum saltem tum tuerentur libertatem, nec essent adeò inopes & distracti, sic de Assyriis, post Medis, inde Persis. Sed hoc fuit breue malum ob Monarchiæ Alexandri Magni breuitatem, post de Græcis, nunc de Romanis, de quibus potest illud Senecæ verè dici.

—Hoc enim solum mihi nomen relictũ est.

Octauum est fortuna quædam principum, sibi succedentium, bonorum aut malorum, sicut Gallia beata fuit sub Ludouico XI. forti, sapiente, & qui etiam diu regnauit. Et si talem nactus fuisset filium, magnæ parti Italiæ dominaretur: nunc ægrè tuetur fines suos, quanquam nullo externo hoste. Ita ex duobus aut tribus principibus malè administrantibus regnum, aut Imperium, euertitur potentia. Et quod non potuit dissoluere tanta vis Barbarorum, clades acceptæ, & bella ciuilia, tot tyranni: dissoluerunt duo Imperatores strenui, nec tyranni, Diocletianus, diuidendo Imperium, vnde docuit reliquos qui successerunt, & Constantinus non solum relinquendo tres filios hæredes, sed transferendo Imperium tanto sanguine Romano partum ex Italia in Græciam. Simili ratione non solum principes sed priuatæ conditionis homines, insinuantes se vrbibus & regionibus ac prouinciis, maleficis consuetudinibus corrumpunt mores habitantium in illis: quibus corruptis etiam forma & natura illorum corrumpitur. Neque enim solum corpora & natura mores mutant, sed & vicissim mores mutant formas corporum & naturam, adeò vt etiam solus habitus vestium quandoque sufficiat ad omnia illa varianda.

LECTIO CVI.

Super

TEXT. XVI.

NAm vbi terra pinguis est & mollis & aquosa, aquæ autem valde sublimes, ita vt æstate calidæ sint & hyeme frigidæ, & temporum ratio aliàs probè conueniat, ibi & homines carnosi, articulis non apparentibus, humidi, laboris intolerantes, & vt plurimum maligni nascuntur: segnitiésque & somnolentia eis inest multa: suntque ad artes tractandas crassi non acres aut subtiles.

CVm proposuisset differentias habitationum ex situ loci temporibusque sumit tertiam magis specialem differentiam ex natura terrarum ac locorum & vt aquis commista est, dicens: quod vbi terra est mollis ob aquas, quæ sunt prope superficiem terræ & minimè profundæ, vt Mediolani & magis alibi, neque in omnibus partibus vrbis, ita vt ex vno sequantur tria, scilicet alia duo. Cum enim aquæ non sunt profundæ necessario superficies terræ est mollis & humida, quia madescit ab aquis, & aquæ illæ sunt expositæ valde aëri, & ideò æstate calidæ, hyeme frigidæ, & præsupponit quod ad aërem benè se habeant, dico sequetur tum quartum necessario, vt aër prope terram sit turbulentus noctu æstate, in die in hyeme, & ob id etiam habebunt noctes suffocantes in æstate, hyeme omnino gelidas. Ex his omnibus sequetur quòd huiusmodi incolæ habebunt tres conditiones ratione corporis, totidem communes animo & corpori & duas animo proprias. Erunt igitur humidi, quoniam aër circumfluus humectabit tam externas partes quam internas. Primum enim madefaciendo cutim, & totum quod est sub cute. Dicebat enim Galen. in 1. de Elem. (cap. 9.) Et in lib. de Constit. Art. Med. (cap. 9.) primæ qualitates permeant tota corpora. Secundo humectat per fines arteriarum, qui sunt in cute. Vnde exugitur intus in illas atque ita humectat totum corpus. Et hic modus differt à primo, quia trahitur non solum qualitas, sed etiam substantia vaporis. Tertio trahuntur vapores: &, cum dico vapores, intelligo etiam qualitatem quamuis non conuertatur per poros, & meatus cutis, & ita humectantur maximè musculi & præcipui subcutanei. Et facile deueniunt ad stuporem & similia. Quarto humectatur cerebrum, & fiunt grauedines & destillationes, tusses & huiusmodi, & cor, & per cor iecur, & ventriculus per iecur, qui etiam aëre perfunditur, vt etiam pulmo, & ideò his quatuor membris nocet aër frigidus, humidus, vaporosus & corruptus. Vnde refrigerato

primo principio aut humectato, per totum corpus diffunditur hæc qualitas, & vitiantur coctiones in membris, & fit segnities. Et vt dixi in hyeme retunditur calor, in æstate fiunt multæ putredines, non tamen adeò magnæ, quoniam præsupponitur aër liber & benè dispositus.

Dicit quod euadunt carnosi, intelligit communi sermone, vt visum est, Vt in secundo de Temperamentis (cap. 5.) cum humido multo calor temperatus generat carnem, in imbecillis pinguedinem, vt in mulieribus ociosis, senibus crapulosis, infantibus: in validis autem erunt carnosi verè. Et ideò tales erunt satis boni habitus. Et in his parum articuli apparebunt. Poterátque tertium sub hoc contineri de articulis absconsis. Sed est alia causa etiam longè potentior ob quam articuli non apparent in his, nam si solum ratione carnis absconderentur, solum in pinguibus valde hoc accideret, sed, vt dixi, est alia causa: & est propria, quia vbi humidum abundat in generatione, membra sicca, vt ossa & cartilagines minora proueniunt, vt de aphisidibus nihil fermè adsit: & ideò in talibus etiam mediocriter pinguibus absconduntur articuli. Dicebat Hippocrates in lib. de Articulis (cap. 4.) Qui carnosi sunt habent firmiores articulos, quia carne ipsa continentur, macilentis autem facile excidunt, & maximè cum non natura tales sunt, sed casu facti, tum quia dilatantur articuli, tum quia mucor influit, & dabat exemplum de bobus tempore veris ex Homero. Et articuli euidentes cum proportione, ostendunt robur & fortitudinem ratione finis. Natura enim non deficit in opere intento: & hoc apparet comparando masculos fæminis, adultos pueris, feras truces mansuetis. Alemanus etiam reddit aliam causam pinguedinis in hac regione, abundantiam & suauitatem ciborum & potuum, vnde gula & ocium. Quæ verò pertinent ad corpus & animam, sunt, non posse ferre labores ignauia & somnolentia, hæc tria enim non solum ad corpus sed etiam ad animum referri debent, qui enim molles sunt animo, minimè ferunt labores, velut videmus de mulieribus non consuetis ad ferendum labores. Quatuor maximè exiguntur, corpus solidum, quia minus resoluitur ex eo & etiam quia minus laxantur musculi, nam laxitas membrorum impedit, vt non possint continuare labores, & propterea pueri & mulieres non possunt perferre labores, tam facile, vt viri, propter corporis mollitiem: Secunda est multitudo caloris, quoniam necesse est vt multum incalescat qui laborat, & homine calefacto fit resolutio humidi, & ideò multum resoluitur de humido, & maximè in humido corpore, & ob id senes & longè magis decrepiti debent abstinere à laboribus, quoniam sunt valde sicci. Vnde Valeat Plinianus (lib. 3. Epist. 1.) ille Spurinna qui ambulabat tria millia passuum, deinde tria alia in Essedo, deinde aliud miliare, quia parum satis videbatur, nec satis hoc exercetur etiam in sole antequam balneum ingrediatur, at quanto melius Galenus quinto de Tuenda sanitate (cap. 3. in

princ. & cap. vlt. in fine,) dum de senum regimine agit.

Vt lauit sumpsitque cibum det membra sopori.

Namque hac iusta seni.

Præter id enim quod siccatur corpus cùm deberet humefieri, si non detur cibus tabescit, & declinant vires si detur multus cibus aut multi alimenti, fieri non potest vt benè concoquatur: Vnde lerna malorum, tusses, grauedines, destillationes, surditates, cæcitates, paralixes, dolores laterum, asthmata, calculi, coli dolores & voluuli, hydropes, mali habitus, arquati podagræ, meiendi impedimenta, fieri enim omnino non potest, tametsi secus videatur multis, vt vel multus cibus vel etiam mediocris & infra mediocrem multo, sed copiose nutriens concoquatur in sene: primum non benè mandunt ob dentes qui non omnes adsunt, & si adsint non benè acuti, neque si benè acuti benè firmi, neque etiam si benè firmi inferior mandibula valida est, quæ omnia necessaria sunt vt benè possit atterere cibum. Saliua etiam plerunque est humor aquosus & crudus potius quam saliua, deinde etiam vbi rectè mansus descendat, ventriculus imbecillior est, quia prima facultas quæ debilitatur in sene, est ventriculi concoctrix, tum quia membrum est tenue, amplum, cauum, exangue, mille iniuriis expositum & labori, non pro ratione membri, deinde quia si vel iecur vel cor imbecille fiat, cum adiuuetur ab his duobus caloribus, vel si omentum macrescat & abdomen, quod plerunque fit in senibus, vel si flatus abundet vt maximè in erroneis, necesse est ipsum debilitari. At contra ipse poterit debilitari sine his. Tertia causa est, paucitas somni quæ familiaris est senibus, & ideo nihil potest fieri deterius à sene quã vt assumat multum cibi. Quartum detrimẽtum est, quoniam si multum sumat alimenti quomodolibet, fieri non potest cum omnia membra corporis nutriantur, vt quod imbecille est non lædatur vehementer, & ita apparent morbi insanabiles. Dicebat enim Hippocrates (2. Aphoris. 39. Qui verò ipsi accidunt morbi longi plerunque eos comitantur ad mortem. Valeat ergo exercitatio valida in senibus quæ non solum est mala, vt crapula, sed longè deterior, quia ipsa tegit aut saltem incitat ad cibi multitudinem, & ita ad eadem mala exhibet qua crapula & incontinentia. Sed etiam nocet per se insanabili detrimento, quia inducit cæcitatem, morbum prorsus & detrimentũ quod restitui non potest, cum detrimenta crapulæ possint plerunque sanari. Et ideò Hippocrates censuit famem esse securius auxilium quàm exercitationem aut laborem. Vnde inquit (7. Aphor. 52. corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere conuenit, fames enim corpora siccat.

Tertium detrimentum est in insuetis, ab his enim multum læduntur, & præterea dicebat (2. Aphor. 49.) Hippocrates: Qui consueti consuetos labores ferre, & si fuerint imbecilles & senes facilius ferunt, quàm qui fortes & iuuenes si sint insueti. Et ideò exigitur corpus exercitatum, quoniam & maiorem peritiam habent qui sunt assueti, & quoniam plus caloris eo solita est dirigi natura, & ideò membrum minus patitur.

Quartum est, animus virilis quoniam multa quæ leuia sunt satis aut saltem mediocria animus effæminatus efficit intollerabilia, adeò vt succumbant ex his omnibus tamen læsio maior est labore fit ex paucitate caloris, quando fuerit coniuncta cum siccitate, cum restitui non potest, qua tria maximè sunt in senibus. Et ideò in sensibus labor est maximè noxius inter omnia, & hæc causa fuit quòd ego vtor carpẽto, nihil enim melius est inter exercitationes nauigatione, sed quia hac nõ potest fieri nisi Venetiis per vrbem, propterea ego elegi carpentum, & hæc est vna ex causis principalibus quod Veneti nobiles diu viuunt. Prima est ergo nauigatio, secunda carpentum, tertia est leuis deambulatio, non cita, non longa, non grauis pannis. Quartum est, in mula gradari, melior longè quàm in equo. Quintum esset in cunna, sed hoc quibusdam forsitan videbitur absurdum aut ridiculum, reliquæ omnes exercitationes sunt inutiles seni, & quanto longiores, vehementiores, celeriores & maximè post vigiliam aut longam inædiam eo deteriores. Sunt etiam exercitationes bonæ pro senibus dolare tabulas & leuigare chartam. Aristoteles quærit quinto Problematum, (22.) cur qui natura humidi sunt ex labore strangulantur, dicit quia humidum efferuescit. Ignauia verò magis pertinet ad animum quam ad corpus, sicut somnolentia ad corpus magis quàm ad animum. Et ideò somnolentia est duplex, vna est inclinatio ad somnum, longitudo eius & profunditas, & hæc magis pendet à corpore: alia est quædam pigrities in agendo, & ista plus ab animo pendet quàm à corpore. Et somnus etiam originem ducit à corpore, sed effectus eius magis tendit ad animam, namque tempore somni corpus nutritur, trahit, expellit, mouetur, at vsus sensuum exteriorum saltem, & motus voluntarij veri cessant. Et ideò cum in his abundet humidum valde, opera corporis quæ ad voluntatem pertinent cessant, maiore ex parte, & animi succedit torpor & ignauia. Philosophus in libro de Somno & vigilia (cap. 2. & 3.) docuit abundè somnium fieri ex copia humidi quòd nutrit, & ideo duo circa hoc obseruare oportet vnum quòd humidum duplex est, & est quòd est ab ætate, sexu, temperatura & alimento, tum balneo ac lætitia, & hoc est causa somni: aliud vitiosum vt ex cruditate in hydropicis, & hoc parit vigilias, aëris enim vapor ex ciborum cruditate tantum abest vt somnum conciliet, vt etiam prohibeat. Alterum est maioris momenti, (prima 3. Trac. 4. cap. 4.) & est quòd solum ex alimento primæ coctionis, quòd tamen minus est censendum alimentum quàm secundæ aut tertiæ: sed ex alimento secundæ & tertiæ coctionis fit somnus, & ideò & ieiuni dormiunt, maior tamen pars fit ex prima & secunda coctione: ex tertia autem cum fit illa separatio, de qua loquitur Philosophus, fit somnus quam leuissimus, & maximè humectat cor & cerebrum

cerebrum & iecur, & est inditium sanitatis illorum membrorum. Et ideò etiam illa pars somni est vtilis ad longitudinem vitæ præ cæteris, quoniam iactura aliorum temporum & coctionum potest reparari, hæc est irreparabilis.

Demum dicit, quod huiusmodi homines ad artes parum sunt idonei & rudes, hoc accidit, primum natura, sunt enim hebetis ingenij, vt dicebat Galenus (Com 39.) primo de Natura humana, Sunt enim pituitosi, tum quia minimè exercentur, exercitatio autem acuit ingenium, & est causa inuentionum. Tertio, quia non adiiciunt mentem cum laborent inuiti: & vbi intendens ingenium valet, & ita hoc magis etiam intelligitur de disciplinis, vt Medicina, Philosophia, Iurisprudentia, Mathematicis, & aliis omnibus, & minime etiam rei rusticæ ob laborem, & militari ob difficultates, præterea fortitudinem & promptitudinem quibus omnino carent. Et quod sunt maligni. Alemanus reducit ad humorum prauitatem. Sed rei veritas est, quod fugientes labores & ignaui sunt pessimi, & coguntur tales etiam si nolent: quia cum neque ingenio præstent: neque labore sibi volent comparare quo viuant, primum coguntur odisse omnes bonos, & ab hac regula, cum ab omni alio vitio aliquos excipere liceat, neminem excipere licet. Vnde fiunt inuidi & maledici, postmodum fiunt mendaces, voluntque eis valere blanditias & bona verba pro rebus acceptis, pro opera præstita, pro officio, pro beneficio, vt nihil possit esse iniquius hoc genere hominum.

LECTIO CVII.

Super

TEXT. XVII. & XVIII.

VBi autem regio est nuda, natura munita, & aspera, quæque & à frigore hyberno prematur, & à Sole æstiuo exuratur, ibi duros & robustos, & articulis probè disiunctis, vegetósque & hirsutos reperias homines, & in quibus à natura laboris tolerantia & vigilantia insit, quique mores habeant pertinaces, ad iram procliues & contumaces, magisque feritate participantes quam mansuetudine, insuper ad artes etiam acutiores, & plus solertes, & ad res bellicas gerendas magis aptiores.

PRoponit quinque conditiones terræ, singulas singulis oppositas. Cum enim in priore dixisset, pinguem, id est plantis bonis abundantem, hic dicit nudam. Cum dixisset mollem, hic proponit asperam, cum verò dixisset aquosa, hic dicit ἀνυχρ☉, id est non munita, scilicet ab aquis, sed arida ac sicca, vt dixi de Cardani agro, qui est planus, totus editus, aridus ac siccus, calori ac frigori pariter expositus, vt esset Veronensis, de quo supra, quanquam is etiam sit totus saxosus. Aquis valde sublimibus opposuit profundas. Dices id de calore æstiuo & frigore hyberno cui opponitur, dico quod opponitur ratione subiectæ rei, nam hic loquitur de terra, ibi dixerat de aqua. Ex his proponit tredecim conditiones, quinque scilicet à corpore, duas communes corpori & animæ: sex ad animam solam. Diximus ergo de articulis, quòd significant corpus firmius atque robustius, cum fuerint conspicui. Dicebat in secundo de Vsu partium (capite decimoseptimo) Natura vbi opus habet validis & grauibus functionibus, ibi non solum magna facit, sed etiam dura ligamenta. Vbi autem leuibus imbecillia ac tenuia. Et in tertio idem (capite decimosexto) dum differit de articulis. Et vt generaliter dicam, natura tria hæc seruauit fermè semper, vt magnis actionibus grandia ac firma ossa accommodaret, grandibus ossibus grandia vincula & musculos, tum firma adnecteret. Et vt firmis & magnis ossibus etiam appendices robusti adnecterentur. Denique quòd in genere obseruauit vt etiam in singulis pro cuiusque fabrica obseruaret, ita fæminas, vt dixi, latentibus articulis ac modicis, & vrbanos viros, contra masculos & aggrestes.

Erunt præterea duri ob siccitatem, & etiam ob magnas mutationes caloris ac frigoris. Erunt etiam tenues ac graciles, quia sicci & pauci cibi, & minimè pinguis ob aridam terram. Manifestum est enim, quòd huiusmodi ager vbi aquæ sunt profundæ, est sterilis: quia quòd est siccum non potest esse fœcundum. Agri enim fœcundi sunt, vel quia aqua sublimis est, & ita hi sunt optimi pro copia omnium generaliter, alij ob aquas fluminum & canales: hi sunt meliores pro pratis, & ob id etiam pro pascuis & ideò pro bobus, equis, ouibus: alij ab aquis cœlestibus, & isti sunt optimi pro tritico & vino, res enim valde vtiles gaudent aqua cœlesti, quia illa est melior omnibus: sed deest illi quod modo nimio plus abundat, modo minus cadit quam sit necesse. Niues autem bifariam efficiunt fœcunditatem, & occidendo vermes qui depopulantur segetum radices, & calefaciendo solum vnde terra fit fœcundior, quia humidum illud concoquitur, quod est sub terra, & malefaciendo, hoc quidem substantia ipsa, illud per antiperistasim, reliquum prima sui actione refrigerando. Itaque calor & frigus fœcunditatem iuuare possunt multis modis, at siccitas obest, nisi sit ad moderandum humidi copiam, at nunc non potest appellari siccitas. Vegetos etiam facit hæc regio, id est ad omnia promptos, quoniam corpus non oneratur superfluo humido, cuius oppositum accidit in infantibus, neque enim secundum naturam accidere potest, modo nec regio affligatur fame, nec corpus ipsum incommodo, vt tantum extenuentur vt fiant imbecilles. Vbi enim pate-

rentur aliquid huiusmodi generaliter, aut speciatim non essent vegeti.

Sunt etiam hirsuti atque pilosi. Hic dubitari posset, quoniam cum humidum sit paucum, Galenus etiam in siccis corporibus abundantiam pilorum esse voluit? Dico quod causa huius est, vt alias diximus ex primo de Tuenda sanitate (capite duodecimo.) pilus fit ex terrea substantia deducta extra cum insensili excremento tertiæ coctionis: hæc substantia deesse non potest, neque in sensile excrementum cum sint necessaria, sed generatio pilorum tamen prohiberi potest, vel ob meatus occlusos, velut in pueris. Dicebat Galenus secundo de Temperamentis (capite quinto,) & dabat exemplum de caseo, vel quoniam terreum excrementum illud ob humidum nimis copiosum non possit concrescere, & tunc diffluit & spargitur antequam fiat pilus. Et ideò cum sermo sit de viris vbi adsit siccitas non potest deesse pilus: nisi siccitas foret tanta, vt materia pili fieret velut cinis, & ita non posset verti ac cogi in pilum. Causæ ergo caluitiei possunt esse nimia apertio meatuum, vt non consistant, nimia durities cutis vt in cicatricibus, napor nimis arefactus & nimium siccatus. Caliditas autem non est causa generationis pilorum, nisi vel multitudinis plus vaporum secernendo & eleuando, aut per accidens humidum exsiccando. Hi ergo erunt vndequaque & valde pilosi & hirsuti. Ex his ergo declaratur temperamentum cordis, cerebri & iecoris & testiculorum, quia erunt maixmè pilosi circa has partes, in capite, in pectore, hypochondrio dextro, & osse pubis. Sed cur in barba etiam & ano? (nam de venere illud accidit propter loci caliditatem) dico quòd iuxta anum terminatur radix membri virilis, ideò natura ibi etiam generauit pilos, & etiam ad decorem. De barba autem qui dicunt ad decorem conformatam, rectè dicunt, sed causam propter quid ostendent, non autem à quo. Et manifestum est quod non à cerebro, esset enim etiam in mulieribus. Habent autem testes etiam mulieres & semen vt viri, sed & menses, oportet ergo causam generationis barbæ in viris esse in eo, in quæ differunt viri à mulieribus, & quòd hoc in quo differunt [inuicem habeat consensum cum mento. Differunt ergo in calore testium, & situ masculi à fæminis, quia masculi sunt calidiorum testium, & quod extra prominent. Et fæminæ habent menses, à quibus quod terreum est, per circuitus, & sæpius in anno expurgatur, & ita sunt minus pilosæ toto corpore, iam habes causam generalem. Mulieres præterea sunt magis pilosæ in capite, quoniam suturæ earum sunt magis densæ: ideo sunt magis volubilis ingenij, impurioris cogitationis & magis stolidæ viris, & minus aptæ ad consilium, habent longiores capillos & etiam densiores, crescunt enim magis in eis, & magis subiiciuntur doloribus capitis, iam ergo habemus secundum. Tertij verò causa est, quod calor testium ascendens supra, vt in pube generat barbam, & hunc consensum docuit in secundo de Articulis (Tex. 13.) adeò euidenter, vt dicat gibbosos infra septum transuersum lædi in generatione pilorum in pectine & barba. Et in fæminis omnia ossa sunt densiora, & suturæ earum sunt magis laxæ, etiam si oculis hoc non deprehendatur, nam ratio id manifestè ostendit, quia sunt frigidiores, & hoc voluit Philosophus (tertio de Historia animal. cap. 7. Et secundo de Par. cap. 7.) potius quam quòd spectauerit numerum qui non debet variare in masculis & fæminis, ideò Vesalius (libro primo capite 9.) nimis intentè Aristotelem prosequitur. Mandibula igitur inferior, & omnia ossa faciei, & suturæ rariores sunt in viris. Os autem mandibulæ inferioris latum, & latius quàm in fæminis ob hanc causam, seu sit vnum vt Vesalius (libro primo capite decimo,) censet, seu duo quæ in mento per harmoniam coëant, cum superior duodecim ex ossibus constituatur. Enarrat autem Hippocrates in sexto Epidemiorum (Sec. 8. in fine) de Phartusa vxore Pytheæ in Abdera, & Namysia vxore Gergippi in Thaso, quòd ex suppressione mensium laborauerint arthritide, inde factæ sint viriles, hirsutæ & cum barba, inde sint mortuæ, atque vtinam haberemus de hoc Galeni sententiam: nam quæ vulgata sunt, sub eius nomine, illius loci commentaria, tam ipsum imitantur, quantum, vt dici solet pica syrenem. Ergo in vniuersum pilorum ortus à siccitate fit, quæ cum plurima sit in viris mulierum comparatione tum puerorum nil mirum est, nisi quod minus mirari soleamus: scilicet cur mulieribus in capite, capilli, vt dixi, magis crescant. Vt quamuis Nazarenis olim mos esset capillos nutriendi, nec vnquam secandi, nihilominus ad muliebrium capillorum longitudinem peruenire soleant.

Quòd verò sint vigilantes & laboris patientes, hoc rationi consentaneum est, cum explicatam habent vim animæ & corporis, non impediti ab humido.

Erunt etiam pertinaces, contumaces, ad iram procliues ac feri, omnia enim hæc, à duobus humoribus, qui abundabunt in eis bile flaua & nigra, accidere consueuerunt, flaua facit iram, nigra contumaciam & pertinaciam: declarauimus autem supra (Com. 9.) quòd sæuitia nihil aliud est quàm pertinax ira: Et quod nihil aliud est esse sæuum quam in ira persistere: ideò omnes iracundi pertinaces, sunt etiam sæui, & contra sæui sunt iracundi & pertinaces. Iidem sunt ad bellicas res gerendas apti, habent enim omnia quæ debet habere bonus miles: sunt enim fortes, robusti, agiles, patientes laborum & famis & vigiliarum, nec læduntur ab humido, & minus patiuntur à frigore & caloribus: & ob id etiam minus ægrotant, & etiam sunt prompti & astuti, & acres & vafri & sæui. Qui verò ex his animo sunt quietiore, suntque ditiores, nec militandi occasio contingit eis, hi ad artium studia, & ad tractanda opera sunt meliores, cum ingeniosi sint & patientes

patientes laborum: non tamen in disciplinis multum valent: nam molles carne in hoc prætulit Philosophus, secundo de Anima (Text. 94.) at hi sunt duri carne. Et quamuis videatur trigesima Problematum (1.) asserere sine discrimine, quòd sapientes viri fuerint melancholici. Intelligit de omnibus qui ingenio valuerunt, in quibus arte seu bellica seu etiam manuum: & in disciplinis etiam plus potest perseuerantia, quam acumen ingenij, vt de Cleanthe etiam constat, tum verò ibi loquitur de habitu aquisito potius quam de eo per quem disciplinas & artes acquisiuerunt. Vnde idem in Politicis (lib. 2. cap. 7.) præfert Græcos Asianis & incolentibus Boream, quod licet vincantur fortitudine ab his, & ab illis ingenio, pariter tamen iunctis conditionibus Græci sunt omnibus præferendi. Cum ergo sint satis ingeniosi quia temperati in calore & frigore, & laborum patientes, ob siccitatem regionis & mutationem temporum commodam, ideò ad artes maximè manuarias erunt apti.

TEXT. XVIII.

QVin & omnia quæ è terra proueniunt, terræ ipsius naturam resipiunt & sequuntur.

POstquam declarauit quinque causas, diuersitatis morum & habituum hominum per se: nam licet eas & colligendo facere pauciores & diuidendo plures, & nos, par est, tanquam coronidem explanationi imposituros, eas breuiter commemorare, situm ad regiones cœli ac ventorum: situm in orbe, varietates temporum, terrarum conditionem, aquas, hic docet sextum, scilicet alimenta, quæ ex aliis generantur, quæque dicit fore similia terræ, id est cum aqua mistæ, etenim secundo de Generatione & Corruptione (Text. 49. & 50.) docet quòd plantæ ex his elementis fiunt. Intelligere autem oportet per terras non solùm earum naturam & situm. Vnde & in his comprehenduntur, & situs regionis & orbis & tempora & venti, & omnia quæ dicta sunt, quæ enim in montibus oriuntur acriora sunt & validiora: quæ in pinguibus agris plus alunt & melius, quæ iuxta aquas imbecilliora sunt, & ad alendum, & viribus ipsis: nisi si quæ aquosæ sint plantæ, vt salix, populus, sion, & huiusmodi. Expositi etiam loci, & maximè arbores, soli, melioris longè & salubriores edunt fructus vt ne fructum edas in vmbra natum, ab his nutriuntur homines & animalia & aues: quantum intersit vel in paruis docet Hippocrates in libro de Articulis (pag. 4.) multum refert quòd animal vescatur herbis tenuioribus an adultis, nam tenera herba est longè melior adulta, & magis impinguat. Scripsit de his Theophrastus abundè, maximè in secundo de causis plantarum (capite nono.) Vtque rem ad pauca redigam, plantæ omnes primùm gaudent loco vt communi, vt scilicet sit pinguis, & vt non tabescant in terra, nam aliter parum & malè nutriunt: deinde vt habeant aspectum ad solem, & ventos à quibus plurimum solent iuuari ad vires & magnitudinem & bonum habitum, odorem & reliqua. Et vt sint in situ orbis bono, vnde videmus quantum intersit inter crocum & origanum orientalia, & quæ nascuntur apud nos in Italia & Gallia, adeò vt non videantur esse eiusdem speciei. Demum vt vnaquæque planta suo loco seratur: & maximè arbores, quoniam diutius viuunt. Sic igitur concludendo, homines sunt diuersi, maximè ex tribus, natura, victu & legibus. Et lex diuiditur in tres, diuinam, humanam, & consuetudinem. Principes pro legibus habentur. Victus triplex ratio, quibus vescimur, & qualia, vt bona vel mala, & præparatio, nam quantitas ad consuetudinem pertinet. Natura constat his quæ dicta sunt, situ orbis regionis, mutationibus temporum, aquis & terra.

LECTIO CVIII.

Super

TEXT. XIX.

ATque hactenus quidem maximè contrarias corporum naturas & formas diximus: è quibus coniunctura facta, si quoque reliqua consideraueris, nunquam à vero aberrabis.

TRiplex est genus cognitionis de rebus mortalibus apud mortales, nam incorporea excellentiore quodammodo hæc norunt, simplicissimum, velut cum scio quod calidum separat, attenuat, trahit, diuidit, consumit: frigidum astringit, repellit, cogit, atque eiusmodi. Compositum, velut quod calidum & humidum ea potest quæ calidum per se & humidum per se cum coniuncta fuerint, separat enim & attenuat, trahit, diuidit, consumit, liquefacit mollia, dura emollit, ideò etiam perficit & concoquit. Sin autem extra, corrumpit & putrefacit, atque horum quædam sunt accidentia, velut quæ omnino ex simplicibus intelliguntur, velut emollire commune est calido, commune est & humido, quædam verò non euidentia velut concoctio & crascescere, alia putrefieri, crassescunt enim quoniam tenuia à calore dissipantur, reliqua coguntur tanquam gaudentia proprio calore, externo autem rarescunt, atque ideò putrescunt, quoniam humidum eo calore non gaudet. Hæc duo docuit Hippocrates admonens nos eorum quæ non adeò euidentia sunt, quoniam de huiusmodi scientia est, & neque omnino obscura. Tertium genus est mistionis contrariorum, & quæ taliter mista sunt media appellantur, velut in calido & frigido feruentia, calida, tepida, temperata, subfrigida, frigida, frigidiora, algentia: nam extrema sunt gelu & ignis, de his ergo etiam scientia est, sed obscurior quæ in tertio de Dentibus declarauimus, attigit autem eam licet paucis exemplis Hippocrates. At verò quæ non ordinibus constat, partim quidem, & quo ad nos, & quo ad nostram scientiam,

effugit nomen ipsum scientiæ, & coniecturalis vocatur, qualis quæ in vnoquoque est eorum, tamen scientia est apud meliores nobis quæ extenditur ad singulas gentes non solum, sed etiam homines singulos, & singulas operationes, & casus fortuitos, sed ista sunt comprehensa rationibus infinitis, velut si quis comprehendat in cubito quod diuisus bifariam æquabitur sibiipsi, & trifariam dimidio, & quæ in proportionibus dicta sunt à nobis, & horum infinitorum ea scientia est apud incorporea, ex qua fatum & causæ naturalium & singulorum & tempora & modi & euentus, de quibus nobis nec coniectura est nedum scientia. Ergo de hac neque loquitur Hippocrates, sed de priore, de qua apud nos, per ordines, coniectura est. Itaque in his quatuor consideranda præcipuè erunt. Primùm est, vt ex natura loci, corporum temperaturam, incolumitatem, formam, magnitudinem, atque læsionem deprehendamus, appello læsionem, cæcitatem, surditatem, atque eiusmodi. Hæc ergo est terrarum natura & aquarum & situ vniuersali, vtpote Asianos & Scythas, & speciali ad Boream, ad Austrum, & proprio, arida, niuosa, nemorosa, & ventos qui ibi regnant: demum ad tempora, vicissitudines anni, atque huiusmodi. Secundum est, vt ex huiusmodi constitutionibus mores animi deprehendantur, fortes, timidi, magnanimi, pusillanimes, iracundi, quieti sæui, misericordes, sapientes, stulti, qui maximè affectus ex corde proueniunt, velut etiam ex cerebro, ingeniosi, rudes, obliuiosi, memores, mutabiles & stabiles, atque eiusmodi. Lætitia verò & tristitia etiam ad cor pertinent, atque hæc ex prædictis non provt sanguis fuerit, sed vt percellitur natura mutationibus calidi, frigidi, sicci, humidi, & ventorum. Tertium est, vt ex temperatura mores hominum deprehendantur, qui enim natura calidi sunt & sicci atque robusti, magnorúmque corporum & pulchri, magnanimi, liberales, magnifici sunt, fortes, alacres, veridici, gaudent hospitibus, hilares, veruntamen iracundi, sæui, durique, contra debiles, paruis corporibus, exangues, oblæsi, timidi sunt, non solum, sed suspicione pleni, dolosi, fallaces, auari, mendaces, proditores, dissides inter se: omnia enim hæc ex vno principio proueniunt, scilicet timore. Vnde etiam liberam vitam ducunt, vt contra illi beatam & lætam. Quartum est, vt ex læsionibus corporis animæ deprehendas affectus, velut vbi multi sunt cæci & surdi, & ozenis laborantes, præterea vbi parua sunt capita, aut malè figurata, ibi necesse est etiam inueniri plures cupidos, rudes, duros, ingratos, sæuos, stultos, obliuiosos, inconstantes atque fallaces, auaros præterea, atque simul vana opinione imperitos & ineptos, appellat Philosophus (quarto Ethicorum capite secundo,) qui sumptibus immensis ad ostentationem vtuntur, in necessariis atque vtilibus nimium parci: hos quoque facile cum ab initio splendidi videantur, fatigantur sumptu quouis, & ex eo etiam deprehenduntur, iidem nimis quibusdam offenduntur quam par est, multa negligunt quæ honestè negligi nequeunt, namque magnanimitas & magnificentia duæ sunt virtutes exuperantes circa quas facilius peccant homines quàm circa moderata, quæ sunt, pro magnificentia liberalitas, pro magnanimitate honestas, amplectuntur autem qui cerebro prauè dispositi sunt, non solum extrema pro mediis & vitia pro virtutibus, sed etiam exuperantiam pro moderatione, vt duplici lapsui sint obnoxij, ideò ibi etiam magnificos & magnanimos plures inuenire licebit quàm in benè constituta natura. Et qui erniam gulæ patiuntur ibidem inuenias homines stultos, rudes, fallaces, nymphaticos, superstitiosos, plenos laruis, ac lemuribus ac dæmonibus, impios, malè loquentes, & prorsus miseros, timidos quoque & auaros & sordidos. At vbi podagrosos plures videris, gulosos, delitiis deditos, iracundos, superbos, prodigos, rapaces, iniustos, seditiosos, lætos, comes, dolosos, impudentes, proditores, gratos, ambitiosos. Vbi verò gibbosos, ibi etiam fallaces, inuidiosos, loquaces, dolosos, perfidos, auaros, mendaces, sordidos & impuros, atque ita de omnibus adeò certam facies coniecturam, vt prope diuinus habearis ex hac Hippocratis diuina institutione.

FINIS.

HIERO



HIERONYMI CARDANI AD PIVM IV. PONTIFICEM MAXIMVM PRÆFATIO,

IN COMMENTARIA SVA In septem Particulas.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS.



VM aliàs semper, tum hac vltima ætate mea magis eo desiderio flagraui, PIE PONTIFEX MAXIME, vt Laboribus meis aut mortalium Genus adiuuarem: aut eos qui præcipuè id egissent, laudarem, extollerem, atque illustrarem. Oblata mihi videbatur occasio Vtriusque efficiendi amplissima, nam Hippocratis Medicorum absque controuersia Principis Aphorismorum librum, in quo diuina illa Oracula & aurea Dicta continebantur, in Ticinensi explicare Academia contigit. Et simul vtrique Muneri ex hoc per Commentaria satisfacturus eram, cum nihil ad salutem Hominum accommodatius, neque vllius mortalis in medica Arte gloria amplior esset. Etenim quamuis multos intelligerem superesse Expositores: ita tamen vacua relicta est mihi huius Interpretationis prouincia, vt vix ab vllo adiutus dici possim. Et si modò in aliquo sum adiutus, certè laboris plus impendi, dum tam pauca autore digna ab illis accepi, quàm si meo marte omnia inuenissem. Nam de Galeno non est quod dicam: ille enim cum præstantissimus esset, certè hac in parte tenuis admodum est: nec Commentaria scripsit, sed potius Annotationes: quod speraret tot Veterum expositiones, quæ tunc in omnium manibus erant (dico Herophili, Bacchij, Zeusis, Heraclidis, Marini, atque plurium aliorum) mansuras esse. At nunc periere magno damno mortalium: vt videantur Galeni expositiones, quæ suo tempore Claræ meritò habebantur, nostrâ ætate imperfectæ. Nec prætermittam, quòd mihi magis videntur accusare Galenum, qui volunt omnia ab eo esse dicta: quàm Ego, qui multa & maximè necessaria deesse putem. Nam cum suorum Librorum, qui fuere sexcenti quinquaginta nouem, supersint solum ducenti sexaginta sex, vt in Paralipomenis diximus: si in his omnia continerentur, & maximè necessaria, oportuit vt in reliquis illis omnibus quæ exciderunt, parum aut nihil. & certè nihil omnino necessarium contineretur. Quapropter & nugatorem, & nullius pretij Virum illum faciunt, dum laudare velle videntur. Quid postmodùm de posterioribus Expositoribus dicam? qui quanto plures

ſunt (ſunt autem ſupra quindecim, adeò multi in vmbra de brauio ſperare auſi) tanto maiorem ſine fructu exigunt laborem, omnes enim (vt breuiter dicam) ab Hippocratis mente longius abſunt, quod facile cuique patebit, qui noſtra ſine liuore leget. Verùm dum hæc agerem, ſuperuenit infelix ille caſus, quo & patriam, & profitendi munus, & ſtudia literarum deſerere coactus ſum. Permanſurúſque perpetuò videbar in hac tanta calamitate atque miſeria, tanta cum iactura, non ſolùm artis medicæ, ſed quorumcunque laborum meorum: niſi tu verè PIE PONTIFEX MAXIME, atque Diue, nutu tuo me mortalium generi, cœpto operi, atque mihi ipſi reſtituiſſes. Namque effectum eſt, vt authoritate Caroli Bonromei Cardinalis illuſtriſſimi, Nepotiſque tui, tantóque Patruo digni (ne quid maius addere poſſim) Petrus Donatus Cæſius Narnienſis Epiſcopus, eiúſque Prolegatus, vir egregia admodum virtute, & in ciuitatum adminiſtratione ſapientia ſingulari, effecerit, vt florentiſſima hac in Academia dignitatem cum ſumma tranquillitate ſim conſecutus. Nempe Senatus hic illuſtris virtute, dignitate, euehendíſque bonis literis admirandus, non ſolum ſponte ad munus profitendi nos elegit: ſed ne benignitate videretur inferior, ciuitate nos atque immunitate donauit. Quid referam Ioannis Moroni, Cardinalis illuſtriſſimi, ad concilium legati, viri optimi & ſapientiſſimi, in te cultum? qui vbi Voluntatem tuam vidit, omnibus modis ſubleuare ornaréque me concupiuit: niſi tuum primum Beneficium, cui & ille ſuppetias ferebat, anteuertiſſet? Quid ea in cauſa non egit Franciſcus Alciatus, qui tibi à libellis eſt, vir & oratoria facundia, & legum peritia admirabilis, vt iam antiquis conferri poſſit: tum in cæteris virtutibus eo ſplendore, vt quemcunque ordinem ornare poſſit? vt iam pro me, me ipſo laborare & anxius eſſe magis videretur. Quem conſtat, vt tibi nepotíque tuo gratificaretur, tum animi ſingulari candore omnia hæc peregiſſe: quandoquidem beneficium à me nullum vnquam accepiſſet. Ita vt quantum quorundam improbitati bonæ literæ, totúmque mortalium genus infenſa eſſe debuerunt, tantum tibi, atque etiam ſenatui Bononienſi gratiam debere fateantur. Namque cum Medicina non ſolùm vitam producere doceat, ſed quam habemus ſeruare incolumem: nihil maius in humanis eſſe conſpicuum eſt ea arte. Non regibus regna ſuauia, non ducibus fortitudo glorioſa eſſe poteſt, non erudito iucunda ſapientia, ſi corpore non rectè valeat. Quin etiam non ſolùm corporis, ſed & animi vitia ſanare docet, amentiam, furorem, timorem ſuperfluum, curas atque triſtitiam. Ob id ille rectè humano generi conſuluerit, & maximo illud commodo afficiet, qui probè eam docuerit atque exercuerit, quod quomodo melius facere poſſit, quàm ſi ipſius Hippocratis Aphoriſmos intelligat, atque ſequatur? Vt contrà magno damno ſunt, qui ſpretis illius legibus, per auia deuia quacunque rapiuntur, auaritiæ atque ambitionis ſtimulis incitati, quaſi liberi graſſantur in homines. Vnde illud vulgatum, Solis medicis licet impunè occidere. Quibus ſi ea lex quæ antiquis in vſu quondam fuerat, quam etiam ſuadet Hippocrates, propoſita eſſet, vt non niſi pro ſanatis præmia reciperent, quæ omnibus aliis artibus communis eſt: ſolis medicis id conceſſum, vt pro euerſo & prodito negotio pecuniæ numerentur: quot laruæ ſponte diſcederent, quæ nunc non niſi fallendo maledicendóque gloriam quærunt? Quantus ardor adueniat ſtudiis, quantus bonis literis acceſſus fiat, quanta gloria arti, quantum decus medicis ipſis: quàm beati futuri ſint mortales: nullus medicus in difficili ancipitíque morbo quærat ſocium ignauum, aut imperitum, adulatoremve, cum quo ſciat nil poſſe lucrari. Quàm fortunati ad hoc vſque tempus fuimus, qui ſeueriores Iuriſconſultos in ſe ipſos quàm in nos experti ſumus. Iuriſconſultus, ſi dolo perdit clientem, corpore luit pœnas: ſi per ignorantiam, ære: ſi clientem defendit, armatus multis ſtudiis, multis autoritatibus accedit: & permittunt vulgus medicorum ignauum, ſordidum, rarò maioribus nobilem, ſine ſcientia, ſine ſtudiis literarum, ſine peritia bonarum artium: & non ſolùm imperitos ſententiæ veterum, ſed etiam contemptores, debacchari in nobiles æquè ac in plebeios. Mater luget filium errore medici amiſſum, frater fratrem, vxor honeſta coniugem. Sed hoc regum eſſet munus, proſpicere tanto dedecori. Ad te igitur PIE Pater Beatiſſime (qui vitæ innocentia, quam tibi Altiſſimus conceſſit, ſupremam dignitatem retines: qui reges Chriſtianos in amicitia contines: populum ad concordiam tam pio animo, tam ſapienti conſilio,

tanto

tantò dispendio redigere conaris: qui Religionis decorem conciliare studes, qui patriam, qui subditas vrbes veterum more ædificiis, collegia sapientum bonis institutis, immunitatibus præmiísque amplificasti. Testis est ipsa Roma, inter cæteras vrbes plus ornamenti, securitatis, pulchritudinis, maiestatísque sub te vno, & tam breui temporis spatio adepta, quàm multis antea seculis) ad te inquam, tuósque sanctissimos pedes prouoluta Medicina, cum omnibus liberalibus Artibus atque Scientiis orat, vt illi faueas, earum cultores tuearis, erigas, euehásque. Et quam exhibuisti quasi signo ex arce dato protegendi spem, confirmes, nimium casibus antea aduersis labefactatam atque debilitatam: vt omnes concordissimè (quod Deus Optim. Maximúsque faxit) & animi tranquillitate, & corporis salubritate, per te vnum parta, omnibus cum studiosis laudes PII Quarti Medices, Pontificis Maximi, canere possimus. Vale. Nonis Quintilibus, fœlicissimi tui Pontificatus anno quarto, Bononiæ.





IN HIPPOCRATIS APHORISMOS LIBER VII.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

LIBROS hos ita ordinaui, vt septem libri in septem libros, hoc nomine conscriptos ab Hippocrate, explicandos instituerentur. Aphorismus enim ab

In 1. Com. huius. ἀφορίζω, quod est seligo, dictus est. Nihilominus ex sententia Galeni infrà, ad Apho-
Lib.4. Aph. 47. risticam doctrinam pertinet: vt quæcunque
Lib. 4. de Vic. in acut. c.19. sunt necessaria ad negotium, breuissimè circumscribantur. Et alibi etiam, vt quæ dicuntur, compendiosius complectatur. Et rursus
Lib.5. Aph. 64. Aphorismis vsu euenit, vt in paucis verbis vis magna contineatur. Non tamen semper Aphoristicus sermo breuis necessariò est: vt infrà videbitur. Atque ita quod aliàs excogitaueramus, fermè absoluemus: scilicet vt vniuersos Hippocratis libros exponeremus, quod certè fuisset operosum, & longum, Cauebimus ergo diligenter, præterquam in 10. 11. & 12. ne quicquam non à vero & principe Hippocrate dictum interseramus. Is fuit, qui ab 81. ad 100. vsque Olympiadem floruit, medicus Perdiccæ Macedonum regis: mortuúsque in Larissa Thessaliæ, cum esset Cous: & nunc vsque, vt audio, domus eius in ciuitate eiusdem insulæ, quæ in Arcipelago posita est, solet aduenis ostendi. Fuit ex descenden ibus Æsculapij, decimus Octauus ab illo: & ideo vigesimus à Ioue, & nonus à Chrysamide rege: natione Doriensis, ex familia Hebridum: alij vocarunt familiam Asclepiadarum, fuitque illi auus, alius Hippocrates, filius Gnosidici, & nepos Nebri: qui cum vir illustris fuisset, qui ab eo descenderunt, Nebrides sunt dicti: vnde hoc nomen Hippocratis, ab abauo familiæ impositum est. Patre natus est Heraclide, matre autem Praxithea Phanaretis filia. Nobilis vtroque parente: nam ex gente Heraclida, quæ ab Hercule ita dicta est, maternum genus originem sumpsit. In Rhetorica Gorgiam Leontinum audiuit, in Philosophia Democritum: in cuius gratiam Doricè scripsit Aphorismos, cum Cous insula ad Ioniorum principatum pertineat, cuius vrbs principalis Astyphalea olim, nunc Longoum nominatur. In medicina patrem habuit magistrum, Herodicúmque Selybrianum, tunc famosum in ea arte. Filiam autem collocauit auo Aristotelis, dum esset in Macedonia: ex quibus natus est Nicomachus, Aristotelis pater. Habuit etiam duos filios, scilicet Thessalum, virum grauissimum, qui apud Archelaum Macedoniæ regem maximo in honore fuit, & Draconem. Hi tamen ambo à Comicis, vt insani, irrideri soliti erant. Et ambo etiam filios habuerunt nomine Hippocratis: vnde qui Thessali filius fuit, librum de morbis, Dioscoridis authoritate, scripsisse creditur, teste Galeno. Hos ergo filios, & alium 1. in 6. Epid.
nomine Polybium, discipulos egregios habuit Hippocrates: & qui multa scripserunt, 29.
medicíque præstantes fuere. Vocatur autem Hippocrates ex Asclepiadarum familia, per synæresim, quasi ab Æsculapio originem ducente. Ctesiam Cnidium affinem habuit. Huius igitur viri Aphorismos interpretaturus sum, quos ante Galenum plurimi exposuerunt: inter quos Pelops, Galeni præceptor: Lycus, Hippocratis accusator: Ruffus, Traiani ætate, cuius adhuc quædam monumenta extant: Attalus, Donnus: Quintus, qui parum ante Galeni tempora floruit: Soranus Ephesius, Galeno coæqualis. His antiquiores existimo Bacchium, Herophilum, Heraclidem, Zeusim, Marinum: vt præter Galenum, duodecim sunt. Pòst verò, solum Philotheum è Græcis, circunfertur etiam Theophilus quidam. Nostræ ætatis viri, ante linguæ Latinæ restaurationem, Iacobus, & Vgo, & Sermoneta: pòst & nostro æuo Brasauolus, Fuchsiúsque. Quòd si Galenus non adeò in aliorum expositionibus redarguendis implicitus fuisset, nulla nostra opera indigeremus. Verùm cum omnium opiniones vitare vellet, persæpe Hippocratem immeritò redarguere coactus est. Plerisque in locis magis necessaria omisit: multis in locis, quàm sit opus, prolixior est: vt nulla in parte, quamuis & in hac dignus sit qui legatur, seipso inferior euaserit. Quamobrem ego ab expositione Commentariorum Galeni, & ab omnium

omnium insectatione abstinebo. Qui hæc curabant, illorum, quorum meminimus, scripta perlegant. Nos interim, vt quæ maximus scripsit Hippocrates, diligentius exponantur, curabimus.

APHORISMVS I.

Vita breuis, ars verò longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Oportet autem non solum seipsum præstare opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & externa.

COMMENTARIVS.

In primo statim ingressu Galenus labitur, dum dubitat, an hic sit vnus Aphorismus, an plures, hoc enim est ipsum Hippocratem accusare, qui duo diuersa in vnum compegerit. Est igitur vnus Aphorismus, docens necessariam esse compositionem Aphorismorum in arte medica. Et constat hoc modo ratio. Curatio ægri perficitur ex medico præcipiente opportuna, & vt talia adhibeantur. Sed vt adhibeantur, oportet vt sit causa efficiens, & sunt astantes: & materia, id est æger qui consentiat: & forma, & sunt res externæ, quæ adhibentur. Igitur ad consequendum finem & sanitatem vltra officium medici quod est loco artis, necessaria sunt illa tria. Verùm cum illa ad opus ipsum sint necessaria, non ad artem, non est necessarium vt doceantur hic: verùm vt medicus in arte sit instructus, necessarium est vt possit præcipere quæ conueniunt, sed non poterit præcipere & scire quæ conueniunt, nisi sit instructus Aphoristica doctrina: igitur doctrina Aphoristica in arte medica necessaria est. Ergo necessarium est volenti tradere medicam artem, vt possit commodè exerceri: necessarium est componere Aphorismos, ac conscribere.

Probat autem syllogismo diuisorio assumptum pulcherrimè, in prima parte Aphorismi: scilicet quòd medicus non possit aptè præcipere necessaria circa infirmum, nisi instructus Aphoristica doctrina, hoc modo: Quia vel sine doctrina, vel cum doctrina. Et si cum doctrina, vel cum doctrina vberiore & prolixa, vel Aphoristica. Et si cum doctrina prolixa, vel antea adepta, vel statim cum aduocatur ad ægrum: quod nos vocamus, studere casum, & morbi naturam, ac auxilia. Sunt igitur quatuor modi: vel vt absque doctrina præcipiat, vel vt ex studio statim facto, vel vt ex doctrina iam habita per artem prolixius traditam, vel ex doctrina prius habita, sed per aphorismos. Verùm primis tribus modis medicus non poterit opportuna præcipere: igitur relinquitur quartus, scilicet vt per Aphorismos ars tota tradatur. Ostendit autem singula membra non satisfacere, dicens: Si sine doctrina, vel per experimentum, & hoc est periculosum, velle experiri absque alia ratione, & maximè in re spectante ad vitam hominis, vel cum ratione naturali, & quodam iudicio: & hoc iudicium est difficile, sine vlla doctrina. Si verò velles per studium repentinum discere cognoscere morbum & curam, occasio morbi, & præsertim acuti, est præceps: id est, quia dum studebis, transibit principium morbi, in quo solent maiora auxilia adhiberi. Et alludit ad illud secundi libri: *Aph. 29.* Inchoantibus morbis, si quid *Aph. 24.* videtur mouendum, moue: cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere. Et infrà in hoc eodem libro: In acutis morbis rarò, & in principiis, medicamentis vti. Et forsan non solùm principium transibit morbi, sed morietur æger. Ergo doctrina quæ ex extemporaneo studio fit, non satisfaciet. Sed neque si quis velit per studium longum integram artem prius adipisci: quia dicit, ars ipsa longa est, & vita natura breuis, vt vel non possit adipisci totam: vel quando erit iam senex, nec poterit fructum doctrinæ in exercitatione præstare. Cum igitur ita sit, oportebit medicam artem per Aphorismos traditam discere, vt ea possimus commodè & tempestiuè vti.

Ex quo coniicere licet, ante Hippocratem etiam ab aliis medicam artem fuisse diffusè conscriptam: quem modum tradendi non multùm probat Hippocrates. Collige secundò, doctrinam hanc Aphoristicam magis esse necessariam in acutis morbis, quàm diuturnis: ideo totum primum librum curæ acutorum morborum dedicauit. Rursus facile est ex præcedentibus intelligere, quòd mens Hippocratis fuit, vt tota ars hoc modo traderetur. Ex quo ego argumentum sumpsi, vt vndequaque colligerem Aphorismos iu arte ab Hippocrate conscriptos, quos in alios septem libros congestos his adiicerem. Medici autem nostri temporis, maximè in hac vrbe, parum forsan indigebunt hac doctrina, quandoquidem properant ante eam ad exercitationem: imò etiam ea quam adepti sunt in Academiis postposita, animum ad alia conuertunt. Ipse verò Hippocrates se declarat sentire, medicum ex artis operibus, non ex aliis nugis diiudicandum, dum dixit, Oportet autem non solùm, & reliqua: intelligens, quod si quis etiam adeptus fuisset Aphoristicam doctrinam, tamen ægros posse mori etiam ex salubribus morbis, ideo dicit: Oportet vt quæ mandantur à medico, exequantur.

Quæ igitur erunt officia ægri astantium, & quæ nam externa? Præstitisset Galenum hæc declarasse, quàm tot opiniones absurdas recitare & confutare: cum in neutro horum sit vtilitas. Igitur & hoc, & medici officium quale sit, declarare oportet. Forsan enim quibusdam videbitur, quòd alia etiam ad medicum pertineant, quàm vt præcipiat quæ ad ægri salutem pertinent: quod multis ex titulis librorum Hippocratis colligi posse videtur, velut in libro

libro de Medico,& de Ornatu, & in Præceptis,& de medici vulnerarij officio. Sed manifestum est talia non esse necessaria medico, nisi vt possit consequi fidem & obedientiam ægri & astantiam, quæ iam ipse præsupponit: quamobrem illa erunt vtilia, non tamen necessaria, vbi præstantia medici & fortuna ac fama illum adiuuant. Nihil tamen prætermissum est hic ab Hippocrate, vt dixi. Liquet ergo, quod Hippocrates nos hortatur etiam ad illa, dum dixit, quod oportet vt æger & astantes pareant medico, adsintque necessaria.

Alia causa est, quoniam Hippocrates loquitur in illis libris tam de vulnerario medico, & qui manu operatur, quàm etiam de eo qui solum præcipit. Ob id in lege dixit, artem & disciplinam à pueritia perdiscendam: quod hoc tempore in vulnerariis est in vsu. Et quòd longo tempore indiget, quod & verum est. Ægri officium est, vt pareat medico: & vt pareat, dicebat Galenus, oportet vt medicus illi non augeat spem, ne peccet sub fiducia: & ne videns aliter succedere res, fidem in medico amittat. Si tamen æger timidus sit, augebit spem hoc modo: Sanaberis profectò, si omnia quæ præcepero, ad vnguem obseruabis. Æger igitur nec timere, nec desperare debet de salute, & mandatis medici parere. Astantium est, vt sint periti in arte, ideo dicebat in libro de Ornatu: Oportet vt eligatur vnus è discipulis, qui sit exercitatus diu, & profecerit, vt sciat occasionem, & patienter ægro seruiat, & sciat recitare quæ contigerint circa ægrum. Vnde etiam Primo de diebus creticis ait: Oportet vt astantes sint prudentes, periti, patientes, & diligentes. Dicebat autem quarto in sextum Epidemiorum Galenus, vbi plura super hac materia loquitur: Si interrogauerint te amici de exitu morbi salubris, dices, quòd sanabitur, si in manibus tuis perseuerauerit, fueritque obediens, & nihil sinistri exterius aduenerit.

In 6. Epid. part. 2. com. 43. *Iuxta finem.* *Cap. 11.* *Com. 19.*

Quid verò sit Occasio hic, intelligere diligenter oportet. Est autem duplex, temporis & quantitatis propriè: vt ab Hippocrate docetur libro de Locis in homine. Sed Galenus rectè Primo ad Glauconem, de sola temporis breuitate Hippocratem hic locutum esse censet. Plura suo loco dicam.

Cap. 1. Lib. 13. Aphor. 1.

Hæc igitur diffusius à nobis, quia ab Hippocrate obscurius sunt dicta. Erant enim hæc non ex arte, sed præter artem. Reliqua erunt faciliora, quantum & hæc, si quis mentem adhibeat, non sint difficilia. Prætermittam autem in posterum expositionem Aphorismorum, qui Hippocratis non sunt, si quis eam volet habere, ab aliis requirat expositoribus. Porrò cum hic liber esset totus de morborum acutorum cura, non obiter habet conscriptos Aphorismos, sed recta serie, & magno ordine. Quod etiam in aliis libris sequentibus præstitisset, si de vno tantùm morbi genere in eis loquutus fuisset.

APHORISMVS II.

In perturbationibus ventris, & vomitibus qui sponte fiunt, si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt. Sic & vasorum vacuatio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & facile ferunt: sin minus, contrà. Habere autem rationem oportet & regionis, & temporis, & ætatis, & morborum, in quibus conuenit, aut non.

COMMENTARIVS.

Hic Aphorismus explicatur à Galeno in libello quodam cui titulus est contra Iulianum: & nobilis est, quia Hippocrates propositum suum docet, & præter id nobis duo insinuat: Primum, quòd omnes Aphorismos ratione conscripserit: neque enim huic & sequenti eam tantum adiecisset, si illis solis conueniret, sed tamen in aliis non apposuit, breuitatis causa. Secundum, quod ratio hæc concludit genaraliter: Natura hanc operationem faciens, rectè agit: igitur etiam medicus, eadem faciens. Vtemur autem in explicando, præcepto Galeni. Ego, inquit, in explicando Hippocratem vtar ea interpretatione, quæ cum successu rerum quæ in ægris apparere solent, consentiant. Est ergo Hippocratis sententia hæc: In perturbationibus ventris, quas nos fluxus repentinos solemus appellare, & vomitibus, quæ absque alio auxilio externo eueniunt, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & non remanent nec læsi nec debilitati multum, igitur si talis fiat à medico euacuatio noxiorum humorum, conferet, nec lædet. Per *Qualia oportet* igitur intelligit, quæ lædunt, quomodocunq; noceant, seu qualitate seu quantitate, seu quouis alio modo, si alius inueniri possit. Et licet loquatur generaliter de humore peccante seu in qualitate seu in quantitate: non tamen loquitur de quantitate euacuationis, sed in sequenti Aphorismo. Purgationes plerunque adhibentur humoribus qualitate sola, aut qualitate & quantitate peccantibus: Sectio venæ plerunque peccantibus sola quantitate, scilicet sanguini, hic Hippocrates loquitur de vtraque, non tamen loquitur de quantitate humoris purgandi per medicamentum, & sanguinis educendi per venæ sectionem, ideo distingues hos duos sermones, humorem quantitate peccantem, & quantitatem humoris euacuandi, de primo modo est hic sermo, non de secundo.

5. Prim. Epid. com. 1.

Aduertendum, quòd purgatio intelligitur, eductio humoris alterius à sanguine: euacuatio autem generalis est, & sectionem venæ atque purgationem sub se continet. Neque verò ex hac regula oppositam concludes, scilicet quòd vbi natura faciendo aliquid perperam agat, medicus si faciat,

etiam malè aget, nam in diarrhæis multitudo colorum mala, si sponte humores prodierint: cum medicamento verò non ita. [4. Aph. 21.] [4. Aph. 10.] Et in principiis morborum natura nihil excernit vtiliter: medicus tamen facere potest, vt suis locis videbitur. Nec si natura non reponit luxata, medicus propter hoc reponere negliget.

Voluit præterea nos, aliam regulam intelligere, huic contrariam: scilicet, quòd siue per naturam siue per artem quæ non lædunt excernantur, loco eorum quæ lædunt, ægrum non bene ferre, aut non iuuari, aut vtrunque contingere, nam propositioni quæ ex duabus constat per copulam, tres sunt contrariæ veluti ei quod est conferre, & bene ferre, contrariæ sunt, non conferre, vel non bene ferre, vel vtrunque.

Quòd verò adiecit, *Habere autem oportet*, ostendit quandoque contingere, vt qualia oportet purgari purgentur: nec tamen conferat, ratione regionis, temporis, ætatis & morborum. Ætatis, gratia exempli, in infante, abundante sanguine, non tamen secabimus venam: & decrepita ætate vir, non sustinebit medicamentum. Et cum dicet inferius. *Quoad tempus*, quod sub cane & ante canem molestæ sunt medicationes: & tamen præsupponit quod euacuentur qualia oportet: aliter absurdus esset Aphorismus. Per hæc quatuor principalia, etiam intelligit reliqua similia: vt victum, & naturæ [Aph. 21 huius libri.] proprietatem, ac talia. Ex quo apparet, ipsum non sibi contradicere, cum inferius dicet, non conuenire purgationem nisi concocta materia. Licet enim humor noxius euacuetur, plus tamen euacuatur eo tempore de [2. Aph. 36.] innoxio, cuius ratione læduntur. Similiter cum dixit, quòd qui prauo vtuntur cibo, purgati exsoluuntur, hoc autem non est bene ferre: nam ratione virtutis hoc contingit, quæ cum debilis fuerit, ab omnibus etiam [12. Ar. cur. cap. 4.] vtilibus lædi solet, vt Galenus testatur. Et [Aph. 21. 22. 23. & 24.] similiter cum dicet in quarto libro infrà, quòd nigra eiecta perniciem afferunt, quæ tamen constat esse noxia: id contingit ratione signi, non causæ, nam talia cum sint pars materiæ quæ relinquitur, indicant morbum à tali materia factum esse insuperabilem: non quod talis expulsio noceat. Ideò si quando concocta tota euacuetur, quod ra- [6. Aph. 27.] rò accidit, æger euadit. Cum verò dicet, quod educta aqua aut putè toto in abscessu, æger perit: loquitur de quantitate, quamobrem non semper, cum quale oportet educi, educitur, confert, & bene fert: sed natum est conferre, ita vt sub debita quantitate educa- [12. Ar. cur. cap. 3.] tur. Et similiter in febre, quæ est cum syncopi ex humoribus crudis, licet conueniret purgatio, & venæ sectio, tamen purgatio non educit, venæ sectio ob virtutis imbe- [5. Aphor. 1.] cillitatem prohibetur. Et infrà etiam, materia quæ educitur per vomitum, aut per purgationem, cum fuerit æruginis similis, mala symptomata affert, ideo intelligendum est, vt conferat, & bene ferat, post diem vnum & post somnum Et potest intelligi per *qualia oportet*, vt sint noxia concocta & euicta: tunc enim semper confert.

Hippocrates ergo innuit sex propositiones, communes tam artis quàm naturæ operibus: quarum quatuor primæ semper veræ, sequentes cum suis conditionibus, aliter non.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert.

Si non confert, non qualia oportet purgari, purgantur.

Si confert & bene ferunt, qualia oportet purgari purgantur.

Si non qualia oportet purgari purgentur, non confert, nec bene ferunt.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & bene ferunt.

S non confert, aut non bene ferunt, non qualia oportet purgari purgantur.

Dices autem, aliquando non purgari qualia oportet, & tamen bene ferre: vt in initiis morborum, cum siliqua Inda, sed hæc non est purgatio, quæ fiat à medicamento seligente, sed leniente tantum: aliter impossibile est, non purgatis humoribus peccantibus, sed innoxiis, bene ferri medicamentum. Si igitur purgaueris humorem peccantem, & cum conditionibus suis, conferet, & bene feret. Etsi absque conditionibus debitis, non purgando tamen alium humorem, conferet, sed non bene feret. Si autem humorem non peccantem valido medicamento, nec conferet, nec bene feret. Propterea quatuor illæ conditiones quas proponit Hippocrates, non vt conferant euacuationes, sed vt tantum bene ferantur, intelligendum est. Diuersis etiam modis conferre, & bene ferre, quoad tempus intelligendum est, nam bene ferre & dum purgantur, & dum post purgationem quieuerunt, dormiuerúntque, contingit: conferre autem non statim, sed post aliquod tempus. Patet igitur, quædam esse quæ conferunt valde, sed difficulter feruntur: alia quæ facilè feruntur, cum tamen noceant.

APHORISMVS III.

HAbitus athletarum qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum verò non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est igitur vt decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosæ: & rursus, refectiones cum extremæ fuerint, periculosæ.

COMMENTARIVS.

CVm dixerit qualis esse debeat euacuatio, humorum scilicet noxiorum, seu qualitate seu quantitate noxij sint: ostendit modò quanta esse debeat. Non quidem vt libram aut selibram, sed eo modo quo determinari potuit. Commune illud Hippocraticum præceptum est in libro de Veteri medicina: Modum, neque pondus neque numerum aliquem ad quem referas, cognosces: certam verò & exactam metam non reperies aliam, quàm corporis sensum. Qui enim rectè interpretari obscurius dicta ab aliquo authore voluerint, triplici hac via ordinéque hoc vno procedere debent. Primum est, vt illius verba per alia eiusdem verba ad eum sensum pertinentia declarent. Secundum, vt si non possunt, verba illius his quæ videntur in rebus accommodent. Tertium est, vt si res ipsas videre non liceat, demonstratione firma vtantur. Confutare autem opiniones singulas, vt ad vnam perueniamus, res est operosa & prolixa plus quàm vtilis. Similiter alium sequi interpretem, res non digna est nisi Iurisconsultis, quibus permissum est sine ratione pro suffragiorum multitudine decernere. Coniectura quoque vti, hominis est qui plus de se polliceatur quàm præstet, aut nimis cupidi gloriæ. Nam si non licet vna ex tribus propositis viis sententiam authoris assequi, nimis cupidi est velle illum exponere qui noluerit intelligi, at si liceat, tu tamen coniectura aut alterius authoritate contentus sis, dupliciter peccas: & dimittendo quod præstare debes, & vtendo his quibus vti non licet. Quanquam Aphorismorum Hippocratis proprium sit, vt clari sint, nam ab obscuris & dubiis abstinendum censeo. Vitiosus enim sermo & falsus totam euertit expositionem, dum falsa veris immiscet, ac dubia certis: vt melius sit centum Aphorismos, & omnes veros inserere, quàm ducentos, in quibus vnus falsus tanquam verus intersit. Nam falsos sermones addere, & vt falsos explicare, si à Galeno factum non esset, dicere auderem puerile esse. At longè deterius est, falsos vt veros inserere. Illud enim est nimis seruientis hominum calumniis, ac iudiciis absurdis: hoc autem, fidem à veris mendacio abrogantis. Itaque hæc præfari oportuit hic, ne ab initio nimis Lectorem tædio afficeremus: inculcantes multa quæ non nisi longis circuitibus connecti poterant. Vt etiam quæ noua videntur ostendam, pluribus in locis exempla adiiciam, quæ non solùm docebunt, sed etiam delectabunt audientes. Scio enim in expositione præcedentis Aphorismi quosdam nos satis probaturos eam diuisionem, doctrinámque eius quod est conferre, ac bene ferre. Sed si quæ contigerunt Duci velitum Zapantæ quis vidisset, facilè intellexisset, fieri posse vt aliquid plurimum conferat, quod tamen æger ferre vix poterit: & contrà aliqua commodissimè perferri, quæ tamen nocebunt. Exemplum autem primi habetur in his, in quibus vel lapis excinditur, vel membrum corruptum amputatur. Sed in purgationibus dicam quid illi quem nuper commemoraui euenerit. Fuit hic natione Græcus, ætatis annorum sexaginta fermè, sed longis laboribus perfractus: laborabátque membrorum tremore maximo & magis sinistræ quàm dextræ partis, magísque manus quàm cruris. Sub profundissima autem hyeme cum adhibuissemus medicamentum ex colocynthida, primùm quidem nihil eduxit: à prandio autem tantum, verùm cum vomitu, nausea & torminibus: vt me præter horam solitam aduocauerit, existimans se moriturum. Verùm cum purgasset, dormiuissétque, molestia illa planè solutus est. Intra autem sex dies, cum aliud medicamentum propinare vellem, cœpit enixius petere vt iterum colocynthidam darem: at ego minimè ausus sum, ob subiecti nobilitatem. Itaque alia medicamenta non vexarunt, verùm non contulerunt: adeò vt ipse summis precibus exoraret, vt ad illud primum reuerterer, quod ego nolui facere: quòd dum in illa molestia esset, de medicamento fuisset conquestus. Constat itaque, multum interesse inter conferre, & bene ferre. Quòd si medicamentum conferat, & non bene ferat, indicium est, vel materiam non esse concoctam, vel vires esse imbecilles, vel medicamentum non rectè confectum. Si autem bene fera, nec conferat, indicium est, vel vires esse validissimas, vel morbum lethalem, vel medicamentum nihil selegisse.

Hactenus de talibus: nunc ad Aphorismi expositionem deuenio. Proponit Hippocrates hanc sententiam: in omni euacuatione metienda, meta quantitatis est sumenda à viribus, donec perferre queant: seu euacuatio sit per venæ sectionem, seu per purgationem. Deinde subiungit aliud à contrario: Sicut euacuationes extremæ sunt periculosæ, ita etiam refectiones quæ iam euacuatus adhiberi solent, cum confertim fiunt, periculosæ existunt.

Sumit autem exemplum ab athletis vnum, docens parerga interim: sed tamen quod ad propositum, maximè conuenit & est, quòd repletiones maximæ, tametsi sint ex solo sanguine, periculosæ sunt. Constituit igitur quatuor propositiones similes, quarum duæ consistunt in habitu, duæ in operatione:

Repletio summa qualiscunque periculosa.
Vacuitas summa periculosa.
Euacuatio summa periculosa.
Refectio summa periculosa.

In habitu repletio & vacuitas summa periculosæ, non pixit malæ. In operatione euacuatio & refectio summa, rursus periculosæ, non dixit malæ, quia quandoque natura perfert ob robur, quandoque seipsam exonerat aut confirmat. Sunt & aliæ duæ propositiones, quarum vna non contingit vt natura se reficiat: ideò neque vera nec falsa, alia vt se exoneret, quæ & ipsa vera est. Cum enim sponte hoc facit, & ad summum peruenerit, periculosa est.

est. Ostendit autem hoc de athletis : hos enim, non alios intelligit : vt nec rusticos, nec nautas : nam hi tametsi inter eos qui exercentur sint connumerandi, non tamen optimum habitum habere possunt, quoniam neque in ocio degunt post exercitationem, sed quasi in continuo opere sunt : nec aluntur bonis cibis, non tamen vsus est athletarum nomine, quoniam hoc nondum erat in vsu : res ipsa tamen, id est, ipsi athletæ cum in Olympiis exercerentur, & iam (vt in Proœmio dixi) 80. efflueret Olympias Hippocratis ætate, cogniti erant. Hi erant homines corporis robore & magnitudine selecti, qui quotidie paucis horis, vel saltem statis diebus exercebantur in palæstra, disco iaciendo, aliísque similibus, certabántque & potando & edendo : vt referant Milonem Crotoniatem, taurum quadrimum, ei ob victoriam in ludis dono datum, pugno occidisse, deinde etiam comedisse, consuetum etiam minas 20. panis, & totidem carnis, id est libras fermè 27. & vini choas tres, id est libras 30. in cœna absumere. Assumit ergo habitum athleticum, qui à vulgo pro inculpato haberetur : vt ostenderet, etiam in optimis honoribus summam plenitudinem esse periculosam. Addit etiam hic demonstrationem, quòd talis habitus periculosus sit : quia non potest stare, quoniam quotidie nutriuntur & augentur : nec augeri, cum venæ sint ad summum repletæ, vt supponitur : igitur necessarium est relabi.

Tria igitur in hoc Aphorismo Hippocrates demonstrat. Primùm, quatuor propositiones dictas per rationem à contrario deductam : habitum athleticum, etiam optimum, non esse bonum, sed periculosum. Et quod habitus bonus in summo non potest consistere, nec in melius proficere, & est demonstrandi genus. Dixit igitur hoc de athletis, ne quis existimaret ob qualitatem habitum illum esse malum, non ob quantitatem, homines enim illi erant rubicundi, robusti, pingues, sani, neque tamen cum hoc, maximo periculo vacabant. Quod verò periculum esset, declarat Galenus in libello de Bono corporis habitu, dicens, imminere illis periculum suffocationis, quod tamen rarò contingit : aut rupturæ venæ, quod sæpius euenit.

Animaduertendum, quòd licet repletiones & vacuitates, euacuationes & refectiones, sint omnes periculosæ : periculosiores sunt, quæ sunt cum motu : id est euacuationes & refectiones, his quæ sunt habitus, id est repletionibus & vacuitatibus. Item repletio & refectio maius periculum adducunt quoad mortem, euacuationibus & vacuitatibus : sed hæ difficilius restaurantur. Quod verò dixit *τὰς συμπτωσίας*, id est, compressiones seu extenuationes, & *τὰς κενωσίας*, euacuationes : manifestum est, per primum nomen intellexisse vacuitatem quæ fit per inediam & exercitium, & per secundum omnem repentinam euacuationem. Quòd si quis contentiosus esse velit, & per *τὰς συμπτωσίας* euacuationem quæ fit per venæ sectionem, per *αἱ κενώσιες*,

purgationes, nihilominus sensus ipse manebit.

Solum hoc dubium relinquitur, quomodo cum summa repletione, quæ in athletis est, fames naturalis, quæ in illis maxima esse solet, fieri possit? Et primò sciendum, quòd vt habetur à Galeno, fames fit aëre digerente ea quæ in membris continentur : inde membra à venis sugunt, & venæ à ventriculo, inde ventriculus appetit naturali facultate, quam animalis comitatur. Sed ex hoc non habetur quomodo fames fiat, membra enim ex sanguine veteri etiam nutriuntur, sed spiritus solum ex nouo generantur. Cum igitur in athletis multa fiat resolutio spirituum, ideo magnam incurrunt famem. Et ideò esurientibus primùm accenditur Ephemera, quæ parum durat, pòst tabescunt, & fiunt debilissimi. Quod autem spiritus ex nouo cibo & sanguine generentur, videtur manifestè in his qui viribus destituuntur? qui refecti maximè vino, & vitellis ouorum, statim restaurantur & exhilarantur. Vnde in syncope, primo ad Glauconem, semper cibus, maximè vinum exhibetur, quod si aliter restaurari possent, non conueniret.

1. De sympt. causis c. 7.

Cap. vlt.

Quod verò dixerit periculosas euacuationes extremas, aut purgationes, aut vacuitates, iuxta vnumquodque genus intelligendum est, vacuitas enim in tabem deducere solet : immodica purgatio in syncopem, aut animi defectum : sanguinis euacuatio, vt nono Artis curatiuæ habetur, tum in subitam mortem, tum in malum corporis habitum, vnde hydrops deducere solet.

Cap. 10.

APHORISMVS IV.

Victus tenuis & exquisitus, in morbis quidem longis semper : in acutis verò, in quibus non conuenit periculosus. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est, nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

COMMENTARIVS.

Postquam de qualitate quantitatéque euacuandorum locutus est, quæ fierie potest tum venæ sectione, tum purgation: supersunt duo auxilia, scilicet ratio victus, & mutatio intemperiei. Nunc igitur rationem victus aggreditur, distinguens morbos in acutos, qui ad quadragesimum diem terminantur, dicente ipso in Prognosticis : In omni morbo acuto, qui cum febre fit, & ad quadragesimum diem iudicetur, & diuturnos qui vltra eum terminum extenduntur. Non etiam loquitur de quantitate victus, sed de sola qualitate. Non enim putat confundendas intentiones victus, nec quantitatem qualitati præponendam, quæ & minus possit, & in tractatione de euacuatione qualitati postposita sit. Constituit igitur victum quendam mediocrem : & est is qui neque virtutem

Lib. 1. t.c. 25.

ac vires ægri debilitat aut minuit, neque, auget: & est assumptio ptisanæ, sub quantitate & numero solitis in sanitate. Huius igitur comparatione fiunt duo extrema: scilicet plenus victus, qui fit per carnes & oua: & tenuis, qui fit per ptisanæ cremorem, aut hydromel. Patet igitur, quod etsi homo assumeret quartam partem vitelli oui, vtitur victu pleno: & si libras quatuor ptisanæ colatæ, vtetur victu tenui, non tamen rectè forsan faciet, quia quantitate exuperabit. Circa quod sciendum est, quòd qualitas plurimum nocet, puta caro & oua, in comparatione ad quantitatem: quia ventriculus eadem facilitate concoquit mediocrem & consuetam quantitatem: imò aliquanto facilius quàm exiguam, si sit ex eodem genere cibi, & hoc, quia cogitur in vtroque amplecti & quantitatem paruam, quandoque deterius, imò plerunque complectitur. Si igitur laboranti morbo acuto dederis modicum carnis vel oui, nocebit, ratione difficultatis coctionis, quam ex substantia consequitur, nec etiam facilius concoquetur ob paucitatem: & etiam quia nutrimentum id pingue est, fomentum febri subministrabit. Si verò in debita quantitate fuerit, nocebit trifariam: & ob difficultatem concoquendi, & multitudinem alimenti, illiusque pinguedinem. Quæ enim pinguia sunt, difficilius concoquuntur quàm aquea: sicut videmus in coctionibus quas vocant destillationes, in quibus primùm aqua ab excremento terreo separatur, pòst pars pinguior. Igitur semper cibus plenior trifariam offendit laborantes morbis acutis cum febre: & quia in separatione negotium naturæ exhibent: & quia quod separatur, multum est, & facilè inflammatur à febre: & quia pingue est. Coctio autem in lebete declarat, olera & huiusmodi facilius carne concoqui.

Vide 1. De victu in Acut. com. 18.

8. Artis cur. c. 2. & 3. De fac. naturalibus c. 4.

Diuiditur etiam tenuis victus, quia pleno in morbis haud opus est, in tres ordines: tenuem simpliciter, & est cremor ptisanæ: exquisitè tenuem, seu tenuissimum, & est aqua mellis: & tenuissimum in extremo, quod cum extremo minimæ quantitatis conuenit, & est vt nihil prorsus detur. Hippocrates igitur de talibus loquens, reprehendit eos qui in diuturnis morbis, id est qui vltra quadragesimum extenduntur, vtuntur victu tenuissimo, & hi interficiunt prorsus ægros: & eos etiam qui in acutis, in quibus non conuenit, idest, qui à quartodecimo ad quadragesimum, terminum sui finis habent. Discrimen, quòd in diuturnis semper: in acutis, in quibus non conuenit, non adeò, sed tamen periculosus, non dixit grauis: quoniam si tulerint, grauis non erit morbi molestia diminuta. Deinde subiungit, quod sicut tenuis victus exquisitè periculosus est, ita qui ad extremum tenuitatis deuenit, quod est nihil dare, grauis est semper in diuturnis & acutis, qui vltra quartumdecimum diem extenduntur.

Forsan cuipiam suspecta erit hæc expositio, dicentibus, Quisnam tam amens medicus esse poterit, qui audeat vltra quadraginta dies, vel etiam ad eum terminum, vel propè, ægrum sine cibo tenere? Verùm hoc nostro tempore forsan mirum erit, antiquo non: cum potius esset mirum, quot ægros inedia absumerent. Neque solùm per totum morbum aut periculosa aut grauis hæc inedia est: sed si vel in diuturno morbo per duos aut tres solum dies vtatur quomodolibet, vel in acuti ea parte quæ acuta non est. Quamuis enim acutus morbus ab initio sui vsque ad quadragesimum diem extendi possit: tamen solum quatuordecim dies morbi acumen occupabit. Sensus igitur Hippocratis est: in diuturnis morbis, intellige tamen qui cum febre sint, & in acutorum ea parte quæ acuta non est, si quis vtatur victu exquisitè tenui, periculum subibit: si verò tenuissimo, proculdubio lædetur. Nam & repletiones cum ad extremum deuenerint, quocunque morbi tempore fiant, graues sunt, læduntque. Vides igitur planam & sibi concordem expositionem, ac grauem Hippocratis: nisi quòd quis obiicere posset, Auicennam pluribus in morbis diuturnis vti victu tenuissimo, vel valde tenui saltem, & primò curando resolutionem: & sis contentus mulsa vsque ad quartumdecimum, si virtus fert. Et in ascite vult, vt in initio vtamur victu tenuissimo. Et in febre quæ ex pituita fit, & in quartana, vsque ad tres hebdomadas, scilicet viginti dies, quos pro initio totius morbi præfinit. Verùm in his febribus non tenuissimum victum, sed mediocrem adhibet. Vt enim opponitur pleniori, in quo datur caro & oua, ab eo in his morbis tenuis victus appellatur, qui est mediocris. Vult verò vt tenui, id est attenuante vtamur: quoniam materia vtriusque febris crassa est. Trifariam enim tenue vocant, propria improbitate seducti medici nostri temporis, tenuem victum perperam, aliqui verò seducti ab Auicennæ interpretibus, scilicet tenuem in pauca quantitate. Hippocrates nunquam, sed paucum vocat tenuem: vt ptisanam, & panem lotum, & alicam, in comparatione ad oua & carnes, hoc nunquam Hippocrates: sed paulo pleniorem, mediocrem ptisanam, vt dixi, appellat. Rursus tenuem, qui extenuat: vt cum sale Iamblicho vel Theriaco, vt Paulus, hunc Galenus non tenuem, sed attenuantem vocat: Ita pessimi isti nebulones confundunt, vt sepiæ aquam, ne ipsæ videant, vel etiam qui adsunt. Ita in ascite, attenuante victu, non tenui debemus vti: in resolutione, cum non adsit, licet vti ea ratione victus, nondum tamen constat, an apud Hippocratem.

23. cap. … 3. c. 4. … princ. 1. 4. … cap. 55. & …

Lib. 3. cap. …

APHORISMVS V.

IN tenui victu ægri delinquunt: quo fit, vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde tenuis constitutus & exquisitus victus, quoniam errores grauius

grauius ferunt. Ob hæc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus, eo qui sit paulo plenior, magis periculosus.

COMMENTARIVS.

INtendit Hippocrates probare præcedentem conclusionem alio modo, scilicet quòd victus tenuis & exquisitus sit periculosus, & addit, admodum tenuis: & etiam generaliter eum antea comparando ad morbos solùm in quibus non conuenit. Proponit autem quatuor propositiones, quarum secundam probat per tertiam, & quartam per secundam. Et intendit probare hanc conclusionem per hoc medium, quòd victus tenuis comparatione ægrotantis est deterior paulo pleniore. Et ideò vult hanc propositionem esse & vt principaliter intentam, & vt medium ad aliam demonstrandam. Ergo facit duas rationes. Prima est: In sanis periculosius est declinare ad extremè tenuem victum, quàm plenissimum: igitur in ægris semper pari ratione periculosius est declinare ad tenuem, quàm ad pleniorem. Ex quo patet, quod loquitur de victu tenui in qualitate, non in quantitate, nam si de quantitate loqueretur, periculosior esset plenissimus in sanis, quia posset strangulare. Ex quo cessant argumenta de immodica repletione, quæ proueniunt ex malo intellectu tenuis & pleni. Sequela autem duplici indiget demonstratione, & ab extremis ad totam latitudinem habita pari ratione, & hoc per se patet: & à sanis ad ægros, quia sani deberent propter vires robustiores melius posse perferre inediam quàm ægri: & tamen grauius ferunt, quàm pleniorem victum. Patet, quia si dederis sano oua, carnes, vinum, parum offenditur, cum tamen sit extremè plenus victus in quali: sin autem solum melicratum, grauiter lædetur. Sed cur vel non addit (magis) ante Delinquuntur: aut, vt lædantur simpliciter, & non vt magis lædantur? Docet ergo nos, quòd cum comparatiuè loquatur, sic infert primam propositionem: In tenui victu, comparatione ægrorum, ægri semper læduntur, quia delinquunt & errant: in paulo pleniore victu, non semper delinquunt: ergo in tenui victu ægri comparatione magis læduntur, quàm in pleniore, dato quòd pari recessu recedant à mediocri victu. Ideo in quarto Aphorismo legitur λεπταὶ, id est tenues: hic λεπτῇσι, quasi tenuioribus, scilicet quàm deceat. Inde sex differentiæ colliguntur huius primæ partis Aphorismi, à præcedente. Prima, quòd ibi intelligit simpliciter tenue, hic comparatione ad morbum. Secunda, quòd circumscribit in morbis in quibus non conuenit, hîc generaliter in omnibus morbis. Tertia, ibi comparat simpliciter tenuem ad plenum, hîc ad paulo pleniorem: vt sit æqualis recessus. Quarta, ibi exquisitè tenuem, hîc tenuem absolutè. Quinta, ibi periculosum aut grauem, hîc errorem & iacturam ægri damnat. Sexta, ibi sumit argumentum à contrario, hîc à sanorum comparatione: quæ, vt dixi, constat à maiori bifariam, & ratione, quia sani melius possent perferre inediam, & quia victus sanorum cum sit plenior, ægrorum tenuior, difficilius ferent ægri recessum ad tenuiorem victum. Paulo autem plenior victus à Galeno declaratur, qui fit per panem Cap. 5.
lotum, de quo in primo de Alimentis, nam qui fit per alicam, à Galeno in præcedenti commento interpleniores numeratur. Panis autem lotus fit, lauando aqua calida, inde siccatur: & tunc leuior est reliquo pane, & in aqua supernatat. Proximus est ei qui ab Liba. c. 9.
Oribasio bis coctus appellatur. Eiiciebantur in lotione crassiores omnes partes, & quæ fæculentum aliquid continebant.

Ex hoc patet, quod licet dicat in secundo de Ratione victus in morbis acutis, quòd Tex. 37. & 48.
maiores sint noxæ plenioris victus quàm tenuioris (quod non contradicit his quæ hic dicuntur: quia ibi in prima autoritate loquitur de quantitate, hîc de qualitate) porro copia, vt dixi, etiam in sanis paucitate periculosior est: in secunda verò, de sæuiente vi morbi & cibo exhibito in vigore illius, aut sæuientibus symptomatibus. Ob hæc igitur, hæc est secunda ratio, in qua ex hac propositione demonstrata victus tenuior in comparatione ad ægrum, magis lædit pleniore: igitur exquisitè tenuis, & admodum, eo qui paulo plenior sit, est magis periculosus. Diuersitas autem assumptæ propositionis à demonstranda, est in tribus: nam in demonstrata seu assumpta, admomodum & exquisitè non adduntur, tertiò, quia in priore loquitur de errore, hic de periculo. Ratio tamen patet ex hoc, quòd si comparatiuè victus tenuis noxius est, ergo exquisitè admodum tenuis simpliciter erit periculosus: quia vix fieri potest, ne talis non sit tenuis in comparatione ad ægrum.

Damna verò ieiunij & inediæ, in Libro de Veteri medicina his verbis edocuit: Si quis, inquit, assuetus prandere, ita vt ei hoc conferat, abstinuerit, impotentia, vehemens tremor, animi deliquium: postea oculi pallidi, vrina crassa & calida, os amarum, & viscera ipsis pendere videbuntur, vertigo, iracundia, tristitia. Eadem fermè secundo de t. com. 24.
Victu in acutis: vbi docet biliosis grauiorem etiam esse inediam: ibi quoque damna copiosi cibi insoliti docet, quæ ad grauitatem fermè pertinent.

Quæret forsan in morbis aliquis, quid cibus perperam datus faciat? Respondet Galelus 11. Ar. cur. quod à natura expellitur, & Cap. 15.
quicquid est prioris alimenti secum trahit. Si verò non expellatur, nec concoquatur in ventriculo, nec iecore, febres accendit. Verùm dices, si natura concoqueret, nonne augeretur virtus, atque ita æger euaderet? nam iugiter euacuando & nutriendo, quilibet euadere posse deberet. Galenus enim in Com. 44.
primo de Victu in acutis, duos proponit ægros: debilem, cum magno morbo, quem nutrire conuenit: & robustum, cum morbo eodem, quem (dicit) si non nutries, rectè ages: si contrarium in vtroque egeris, vterque peribit. Constat etiam multos sic curari, præcipuè senes, cum morbo diuturno

nutriendo atque purgando. Propterea dico, quòd si ventriculus aut iecur multum laborent, & maximè abscessu, tenuissimè sunt nutriendi: magis autem in morbis lienis, *Cap.5.&17.* pulmonis & febribus: vt 12. Artis curatiuæ habetur. Propterea dico, quod in morbis acutis coctionis celeritas necessaria est: aliter pereunt, restauratio non fit, quia calor febris impedit, in mitibus tamen, vbi materia multa est, aut crassa, calor febrilis parum impedit: ideo tales nutriuntur, nec offenduntur nisi cum cibus talis fuerit vt non possit bene concoqui. Causa ergo mortis in ægris est, quia cibus ipse qui datur, non nutrit, quia non concoquitur. In fluxibus verò, & aliis euacuationibus, cum cibus concoqui potest, vtpotè quia febris non adsit, diutius viuunt, si cibus rectè administretur. In acutis igitur spes est in virtute, in diuturnis in recta cibi administratione plerunque.

APHORISMVS VI.

Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.

COMMENTARIVS.

Hic non est Aphorismus perfectus, sed cum sequenti coniungi deberet. Galenus hoc vidit, non tamen fecit, quare nec nos numerum perturbabimus. Cum ergo Hippocrates tractasset de qualitate victus in morbis diuturnis & acutis, ea parte qua minimè acuti sunt, in hoc & sequenti Aphorismo de altero extremo & medio sermonem habet. Alterum extremum est morborum valde acutorum, quos Peracutos vocant: medium autem est acutorum, quos simpliciter, qui, vt dixi, ad quartumdecimum finiuntur, habita enim regula victus diuturniorum morborum & acutorum, qui decidentiæ vocantur, & peracutorum, habebimus mediorum mediam inter illos. Non laboro autem de peracutis, seu ad tertium seu quartum, quintum, aut etiam vsque ad septimum diem terminentur, tales sunt plerunque anginæ, & distentiones, ac morbus attonitus seu apoplexia, atque hi generaliter. Acuti simpliciter quinque primo de *t. cap. 8.* Victu in acutis: morbus lateralis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, & febris ardens. Sunt præterea peracuti omnes acuti, cum maximi sunt: sicut cum minimi, diuturni, & maximè si materia crassa vel lenta fuerit, natura enim media acutorum in vtrumque extremum conuerti nata est, vt acuti simpliciter, modò peracuti, modò acuti ex decidentia fiant, excedentes quartumdecimum diem, terminum proprium acutorum. Peracuti autem ac diuturni in acutos conuerti nequeunt: quoniam ea ratione peracuti tandem in diuturnos, & diuturni in peracutos conuerti possent. Licet ergo ex peripneumonia & phrenitide mori in tribus diebus, & erit peracutus morbus: & in viginti aut triginta diebus mori sanariue, eritque acutus conuersus in diuturnum & in nona, duodecima, quartadecima, eritque simpliciter acutus, seruánsque naturam suam. At ex hydrope vel tabe non licebit intra quartumdecimum diem sola vi morbi interire, nec ex angina aut attonito morbo vltra septimum diem, qui terminus est extremorum seu peracutorum vel acutissimorum morborum: ita enim eos appellare solet Hippocrates loco commemorato.

Quanquam verò & acutos & acutissimos *t. cap. 16.* propè appellet hic, & primo de Victu in acutis, & alibi morbos qui cum febre sunt indifferenter, omitto enim quod peracutorum, vt inquit Galenus secundo de Diebus *Cap. 12.* decretoriis, quidam simpliciter tales sint, qui ad quartum diem haud perueniunt, vel eum non excedunt: alij non exactè, qui vltra quartum progrediuntur: peracutos διάτοξυ acutissimos ἀξυνετώτατους vocat: nihilominus hic & dum loquitur de diuturnis & acutis ac peracutis, omnes morbos complectitur, etiamsi sine febre sint. Licet primò ac principaliter de morbis, qui cum febre sunt. Dixi hoc propter distentionem & attonitum morbum, qui plerunque etiam inuadere hominem absque febre solent.

Sunt & morbi acuti ex constitutione pe- *t. cap. 9.* stilenti, vt habetur ab Hippocrate loco supradicto. Proprium est enim acutorum morborum, posse intra quartumdecimum diem occidere: & acutissimorum, intra septimum tametsi non occidant, non enim vt sint acuti, & multo minus peracuti, sufficit vt intra quartumdecimum vel septimum iudicentur, sed vt possint interficere, aliter Ephemeras & Tertianas exquisitas inter acutissimos morbos numeraremus. De his igitur Hippocrates non loquitur, tanquam morbis securissimis, hic, alibi verò, dum de accessionibus sermonem habet. Verùm peracutos & acutissimos hic seu cum febre, seu sine, intelligit, eos qui tales natura sunt: aut qui licet non tales natura sint, tales tamen euaserint, seu ob materiæ multitudinem, seu prauitatem, seu tenuitatem, aut symptoma coniunctum, aut ob virtutis imbecillitatem, aut propinquitatem abscessus membro principali. Solum eos excludens morbos qui acuti sunt, aut peracuti, ob constitutionem: quos Epidemios vocant. Nam in his & de Hippocratis verba non sunt intelligenda: verùm seorsum, quomodo agendum sit, Hippocrates in Epidemiis nos docuit. Si igitur lateralis morbus, qui intra se- *5. in 1. t. & com. 58.* ptimum diem iudicandus sit, efferatur, cum natura morbi lethalis & acuta iā plenè sit, eum inter extremos morbos, de quibus hic sermo habetur, connumerabimus.

Hippocratis igitur sententia hîc est: Cum auxilia debeant æqualia esse morbis, si morbi extremi seu acutissimi sint, extremis & maximis præsidiis opus erit, atque ita generaliter, tam de medicamentis ac venæ sectione, tum intemperiem mutantibus, membri præcisione, quàm etiam de ratione victus intelligendum est. Dicebat Galenus quinto Artis curatiuæ, Erasistratios repre- *Cap. 15.* hendens, qui nolebant in sanguinis sputo secare venam, hunc recitans Aphorismum: Vbi periculum est in mora, ab æqualibus remediis inchoandum est: Si autem in mora non sit periculum, vt in comitiali & resolutione,

tione, à leuioribus auxiliis incipiendum. Cum ergo in extremis morbis periculum in mora sit, ab extremis etiam auxiliis est inchoandum. Æqualitatem verò auxiliorum & morbi dicebat Galenus in libro Artis Medicæ: Auxilia debent esse æqualia morbo. Et dabat exemplum in numeris: Si sit intemperies calida, vt decem, debemus adhibere medicamenta frigida, vt decem. Et si membrum sit in profundo corporis, vt iecur, lien, pulmo, renes: oportet tanto frigidus efficere medicamentum, vt cum ad locum peruenerit, æquale sit ipsi intemperici membri in ordine seu numero. Igitur constat, qualiter generalis est propositio: Extremis morbis extrema conuenire auxilia. Intelligitur autem de extremis auxiliis genere, magnitudine & numero: & de extremis morbis magnitudine & periculo imminenti. Ideo subiungit.

Cap. 89.

APHORISMVS VII.

VBi igitur morbus peracutus est, statim & extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est. Vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est quanto morbus extremis est mollior.

COMMENTARIVS.

VTitur exquisitissimo syllogismo: Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt: Peracutus morbus est extremus, etiam ab initio: Igitur in peracuto morbo ab initio conuenit extremè tenuissimus victus, qui inter propria auxilia acutorum & peracutorum morborum numeratur. Constat enim victum tenuissimum congruere acutissimo morbo, sicut tenuem acuto, mediocrem diuturno. Hic solum superest vt doceamus, morbum peracutum esse ab initio extremum: quinam enim aliter esse potest, cum intra septimam diem occidere possit? vt superius ostensum est. Morbus ergo peracutus est ob id talis, quoniam extremos habet labores: & statim, quia statim peracutus est, aliter si non statim haberet extremos labores, non statim esset peracutus. Sicut nuper contigit Io. Iacobo Tagio, qui primùm doloribus quibusdam sub sinistro hypochondrio vexatus est: & tunc neque erant extremi labores, nec morbus peracutus, tamen tertia die cæpit tota nocte æstuare, & molestiam maximam pati, vnde ego, cum à doloribus videretur esse liber, pronunciaui, succedenti mane laboraturum phrenitide: atque ita fuit. Et in exacerbationibus morbus erat peracutus: intermedio tempore solùm acutus. Et ratio ipsa corrupta erat, cognitio integra: & agnoscebat vnumquemque nostrum. Cóstat ergo, per labores intelligi debere vno nomine (vt à Galeno exponitur hic Aphorismus octauo Methodi) omnia quæ nos offendunt: calor, dolor, molestia, vigilia, conuulsio, accessio, animi deliquium, mentis perturbatio, casus virtutis, sitis, vomitus, difficultas spirandi, horror, rigor. Horum autem quædam sunt naturalia penitus, sola magnitudine aucta: vt sitis, calor, vigilia, alia morbum consequentia, vt accessio, vomitus, dolor, alia omnino præter naturam, quæ pessima sunt: velut stridor dentium, conuulsio, casus virtutis. Horum etiam quædam sunt solùm signa, velut stridor dentium: alia verò noxia, vt conuulsio & syncopis.

Cap. 5.

Quod verò subiungit (*vbi verò non*) declarat de intermediis morbis, qui duo sunt: acutus, & mixtus ex acuto peracutóque. Vt in vniuersum quinque sint genera morborum apud Hippocratem: peracutus, qui extremos habet labores, & continuos, atque hic simpliciter talis est: acutus, qui intra quartumdecimum finitur, & extremos habet labores, sed solùm in fine: mixtus, qui ex peracuto acutóque constat, finitúrque ante quartumdecimum & ipse, vel in ea die diuturnus, qui vltra 40. diem extenditur: & acutus decidens, qui intra eundem terminum finem habet. Vt verò in hoc non possunt esse plusquam quatuordecim dies perpetui incrementi, ita in acutis non plures esse possunt septem diebus extremi laboris. Quomodo enim vir maximè robustus & iuuenis, vitam cum morte commutabit, quin extremos labores patiatur? Et quomodo quis extremos labores patietur, qui vltra septem dies possit perferre? ita vt morbus perpetuò augeatur, quod ex natura acuti morbi est. Hæc volui adiecisse propter plerosque medicos, qui hoc genus morbi mixtum non norunt, decipiuntúrque maximè: Et eo magis, quòd frequens est hoc morbi genus, & simpliciter peracutis longè familiarius. Accidit autem in his, vt medici pronuncient melius se habere, & æger sequenti die perit. Sicut contigit cuidam, quem iam paucis antea diebus vidi, pronunciauíque moriturum, & morbum pestilentem esse, erat autem in nona. Sequenti die medicus suus dixit, melius se habere: remissi enim erant extremi labores: vndecima autem mortuus est. Hæc autem maximè eueniunt in morbis pestilentibus: vt etiam potes videre, si alia occasio non detur, apud Hippocratem.

Verùm dicet quispiam, quomodo in acutis mors contingit, si extremos non habet labores? Et si habet, quomodo dabitur mixtus? Dico, quòd acutus simpliciter non habet extremos labores, nisi postquam fuerit conclamatus: occidit autem ob imbecillitatem virium, aut quia pestilens, aliter non. Cum tamen morbus vires superauerit, tunc efficit extremos labores. Ideò hæc intelligenda sunt ante iudicium, non eo peracto: quia tunc cum ad mortem tendunt, sunt extra considerationem medici. Et de his dixit benè Galenus, quòd morituri sunt solis prognosticis relinquendi. Ex quo patet, Hippocratem voluisse, in remissionibus morborum semper nutriendum ægrum pro qualitate remissionis: ita vt in interpolatis seu intermit

In sequenti commento, id est 8. Aphor.

intermittentibus, carne atque ouis vti liceat, nam tunc homo ferè sanus est.

Deducamus igitur, vt dici solet, rem sub manibus. Ægrotet quispiam tribus primis diebus febre lenta, inde repentè corripiatur angina in quarto die, perdurétque vsque ad sextam, soluatur autem morbus, & ex sexta ad vndecimam perducatur cum febre quæ in dies augeatur: inde per sex alios dies rursus cadat in peracutum morbum, velut neruorum distentionem. Iubet igitur Hippocrates, vt primis tribus diebus vtatur ptisana, sequentibus quatuor diebus nihil prorsus assumet: inde colata ptisana vtetur, à septima scilicet die ad vndecimam, demum sumet mellis aquam: neque enim propter morbos tam varios, sufferre poterit inediam absolutam: sed tenuissimo victu vtetur, iuxta primum significatum. Hippocrates enim mulsam tenuissimum victum appellat, quia inter, quod minus nutriat, nihil dari potest: & tenuissimum etiam victum vocat, vt omnino à cibo abstineat. Velut si quis dicat, in nocte minimam esse lucem, & in tenebris etiam minimam esse lucem, vtrumque verum erit, sub vario tamen sensu, nam in nocte minima est lux, inter ea quæ lucem habent: in tenebris autem minima lux per metaphoram, quia nulla omnino lux. Ergo quanquam superius victum tenuem trifariam diuiserimus, hic omnem victum iuxta Hippocratis sententiam Com.4. hoc modo planè distinguemus: Plenissimus, qui sanis & exercitatis debetur, & fit per carnes suillas, & oua cum pane & vino: Plenus, qui ciuilibus, hominibus sanis, quique moderato vtuntur exercitio, qui fit per auium carnes, vinum tenue, & panem: Paulo plenior mediocri, qui fit per chondrum, panem lotum, ptisanam quoque, sed cum iure carnium coctam: Mediocris, qui fit per ptisanam, hoc vtentur laborantes acutis morbis, quandocunque ita laborauerint, seu totus morbus talis sit, seu sit pars morbi peracuti, seu diuturni: sicut paulo pleniore in mitibus morbis: Tenuis exquisitè, qui fit per ptisanæ succum, qui acutis iuxta statum debetur, non per totum morbum. Tenuissimus duplex: aut per mulsam, & in alio significato cum nihil damus, & vterque peracutis morbis debetur, sed hic cum validis viribus, & cum febre: ille cum imbecillioribus, aut absque febre: sed alia cau a.

Vt verò scias quinam sint morbi, quibus hæc quinque vltima genera victus debentur, inremeritò omnes morbos oportet scire distinguere in illa quinque genera: scilicet mitem, decidentem, acutum, mixtum, & peracutum. Fiunt morbi peracuti septem causis: multitudine affectus, dolore, impedimento, & virium imbecillitate, hæc enim facere potest vt acutus in peracutum transeat, quia substantia non differunt, sed sola magnitudine: non tamen vt ex miti acutus fiat. Ex his septem causis, seu verius sex, cum magnitudo eis adiungitur, morbus fit peracutus, aut si magnitudo adiungi non possit: velut in materiæ multitudine, si duæ ?.& com.13. causæ insimul conuenerint. Dolor enim aurium, & colicus, fit magnitudine peracutus: tertio Prognosticorum. Similiter materiæ multitudine, vt tertio Epidemiorum. Aut Com.3. sec.26. prauitate eiusdem, vt paulo pòst eodem libro. Impedimento, vt cum mulier vtero gerit: velut quinto libro videbis. Cum ergo videris bilem flauam aut nigram in febre, iudica morbum acutum esse. Dicebat enim Com.3. sec.76. Galenus secundo Prognosticorum, Pro- Com.30. prium est bilis flauæ & nigræ, acutas accen- Com.46. dere febres. Quomodo autem generentur hæ materiæ in corpore, declarabat vbi diximus suprà, in Commentariis Epidemiorum: vbi de materiæ prauitate loquitur, dicens, quòd gignitur in nobis, nobis non sentientibus, materia virulenta: vt venenum ex cane rabido, in corpore nostro latens. Est etiam animaduertendum, omnes morbos tam mites quàm acutos aut peracutos, diuidi in duo genera. Quidam enim totum possident corpus, vt febres, & malus habitus: quidam in certa parte solum sunt constituti, vt angina & morbus lateralis.

In vniuersum igitur, morborum acutorum proprium est, vehementer in spacio horarum 24. augeri: peracutorum autem, habere extremos labores: mitium, habere labores leues, aut carere magna parte illorum, & incrementa quæ fiunt per vnam diem esse parua. Neque fieri potest vt extremi sint labores, & incrementa parua: aut vt incrementa sint magna, & labores parui: sed vbi labores in extremo constiterint, licet tunc incrementa consistant, præfuere tamen.

Quæcunque verò dicta sunt hic de acutis & peracutis morbis, de initio & augmento & statu intelligenda sunt: non autem de declinatione, in qua incrementa desinunt, & labores mitescunt.

APHORISMVS VIII.

Cvm morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

COMMENTARIVS.

Hic Aphorismus se habet ad sequentem, velut sextus ad præcedentem. Cum autem Hippocrates in primo Aphorismo procemium scripsisset, in secundo verò de qualitate euacuandi humoris, in tertio de quantitate, in quatuor sequentibus de ratione victus per genera morborum: in hoc & duobus sequentibus, de ratione victus seu qualitate loquitur, iuxta morborum tempora. Sunt autem morborum tempora quatuor, de generalibus loquor, iuxta Galenum & Hippocratem. Sed Hippocrates solùm, vt antea dixi, tria considerat: initium, augmentum, & statum seu vigorem, nam declinationis, vt parum periculosæ in salubribus, & vt extra scopum morborum mortalium, rationem non habet. Vt autem Cap.1. cognoscamus hæc quatuor tempora, quæ Galenus eo libro docuit qui de Totius morbi

bi temporibus inscribitur: sciendum est, cum nullum signum coctionis apparet in propriis excrementis, velut febricitanti in vrina, laterali morbo laboranti in sputo: tunc esse initium, cum verò coctionis imperfectæ, incrementum: cum autem perfectæ, nec tamen materia expulsa fuerit, vigoris: expulsa autem, aut resoluta, declinationis. Sed, vt dixi, huius partis nulla est consideratio.

Ergo Hippocrates temporum victum cõstituere volens, à manifestis initium sumit. Est autem hoc manifestum, scilicet in vigore morbi tenuissimo victu vtendum esse. Quod præceptum bifariam intelligi potest, & vt simpliciter tenuissimo vtamur, quod verum est in acutis: & comparatiuè etiam, in omnibus morbis: id cum carnifices medici hoc tempore euertant, demonstrare decet, neque enim pudore contemptæ authoritatis Hippocratis hi detinentur: qui, quàm magna pars sint eorum qui artem exercent, tum ex operibus illorum, tum ex successu condisces. Quamobrem Galenum venia dignum non iudico, in re tanti momenti tam ieiune scribentem in: forsan id ei contigerit quod Romanis ferunt, vt nullam legem, de parricidio ferrent, quòd existimarent neminem tam impium futurum, vt tam graue scelus admitteret. Sed siue hoc, siue illud profectò decuit in tam salubri consilio verba plura facere: vt quos pudor non terret, metus cohibeat, ne deprehensi in manifesto homicidio, vel affinibus vel prudenti alicui principi pœnas dent. Paria enim sunt, seu hominem iugules, seu venenum exhibeas, seu manifesta ratione conficias.

Dices forsan: Cur id agunt, cum nulli vsui eis sit mors hominis, sed infamiæ & dedecori? Verùm ea ratione solum, vt mulierculis satisfaciant, & earum gratiam captent. Persuasum enim illis est, morbos ex virium imbecillitate progigni: atque ideo si vires cibo foueamus, præstitisse quod potuimus. Et si moriatur æger, non medici culpa, sed morbi vi interiisse. Quod cum aliquando, licet rarissimè, successerit, scilicet vt cibo sint leuati: præstabit id docere, cur & quando: sed prius Hippocratis mentem explicemus. In vigore morbi tenuissimo victu, in comparatione ad reliqua duo tempora, vtendum censet: in acutis verò simpliciter, seu acuti seu peracuti sint. In decidentibus quoque ita vt omnino abstineamus à cibo, vel mulsam tantum demus. Id autem cur necessarium sit, ostendamus. In vigore morbi minimum temporis superest, quippè cum vigorem declinatio excipiat. Sed vbi morbus futurus est breuissimus, ibi victu tenuissimo vtendum est, cum maximè periculum lapsus virium immineat: igitur in vigore morbi victu tenuissimo vtendum est. Secunda ratio est, quoniam tunc maximè symptomata vrgent, vt dolores, vigiliæ & calor: quæ omnia concoctiones impediunt, sic ergo æger non iuuatur cum cibus ipse haud concoquatur. Tertia quia natura in prima parte vigoris coctiones perficit, in secunda separat noxium humorem ab innoxio, inde expellit, si ergo cibum dederis, & coctionem perfici non permiseris, impedies crisim. Si autem separationem impedias, aut crisis non fiet, aut cum noxio humore vtilis expelletur: quod vires maximè debilitabit, aut si solùm prohibueris expulsionem, mortem aut morbi longitudinem afferes. Cum igitur cibus in vigore non sit necessarius, ob temporis breuitatem: nec vtilis, quia non concoquitur, prohibeátque coctionem, separationem & expulsionem: manifestum est, in vigore esse victu tenuissimo vtendum. Loquitur autem de summo vigore, quo ad symptomata. Pendet autem ex præcedenti Aphorismo: quia si in peracutis victu tenuissimo vtendum est, vigor morbi est peracutus. Sunt tamen casus quidam, qui prohibent: scilicet cum pars materiæ iam eiecta fuerit, vt in morbo laterali, Primo de victu in acutis, *T.c.23.* nam tunc status concoctionis materiæ & symptomatum non conueniunt: verùm reiecta magna parte abscessus, & reliqua concocta, cum tunc mitior sit morbus (vt Galenus censet secunda Aphorismorum) pos- *Com.29.* sumus cibum copiosiorem exhibere: id est, ptisanam hordeaceam. Et hoc non solùm quia materia diminuta est, sed quoniam indigemus facultate animali, ad expellendum quod concoctum est. Igitur in abscessibus pectoris & pulmonis in statu cogimur, si symptomata mitiora facta fuerint, nutrire. Secundò, si inedia superflua præcesserit: vt *T.c.48.* ab Hippocrate habetur in secundo de Victu in acutis. Sed tunc moderatè valde, vt ibidem habetur. Neque periculosior error, *T.c.49.* seu dederis vbi non oportet, propter suffocationem: aut non dederis vbi oportet, propter sputi retentionem ob virium imbecillitatem factam, quàm in morbis qui pendent ex abscessu pectoris aut pulmonis. Tertiò, in morbis qui ex acuta bile fiunt, maximè cum os ventriculi imbecille & magni sensus fuerit. Quartò, cum potu puro vtimur, nam vinum quandoque in statu confert, vt tertianæ: sed hæc acuta non est, confert & in continuis, si abscessus non impediat, aut mentis perturbatio, vel dolor capitis grauis. In hecticis quoque, ephemeris ac fluxibus, manifestum est Aphorismum intelligi non debere.

APHORISMVS IX.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat: & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare? vel morbus antea deficiat, atque hebetescat.

COMMENTARIVS.

Cvm loquatur de morbis salubribus, manifestum tribus modis contingere posse, vt cum victu tenuissimo ab initio & per augmentum & statum procedente, æger se habeat, vel vt virtus & morbus ad vigo-

rem summum perueniant: & tunc vtendum est tenuissimo victu, non solùm in morbi vigore, sed in principio & incremento. Vel quod vtendo tali victu æger antea defficiat: & tunc cogimur in initio magis nutrire, & sensim auferendo in incremento peruenire ad summum vigorem cum victu tenuissimo. Vel ante summum vigorem morbus deficiet, & hebetabitur. Et tunc licebit alterum duorum facere: vel nutrire in initio & incremento, in statu autem tenuissimo victu vti: vel in ipso statu coctionis nutrire, cum non sit summus vigor quo ad symptomata, sed solùm quo ad coctionem. Dicit ergo: Coniectari oportere medicum, vt possit instituere victum ab initio, & in incremento, non potest autem id certò præsciri: vnde coniectura opus est. Hinc manauit adagium illud, quod Medicus est artifex coniecturalis, si ita licet dicere: verius, quòd cognitio medici coniecturalis est. Oportet ergo medicum hoc præscire, & quid venturum sit ex his tribus. Nam si possit vsque ad statum perdurare virtus cum victu tenuissimo, nec morbus minuatur: perseuerandum est in victu tenuissimo. Sin autem morbus manebit, virtus sit defectura, nutriendus est in initio & augmento: quia dicebat Hippocrates in secundo de Victu in acutis, Malum valde esse, cogi nutrire in summo morbi vigore: longè autem deterius, si antea non nutritus fuerit, nam virtus dupliciter grauatur, & quia impeditur ab opere, vt dixi in priore Aphorismo: & quia insolito cibo suffocatur ob inediam præcedentem, & loquitur de morbo laterali.

Circa quod notandum, quòd (vt dixi antea) generali propositio est, quod dum morbus acutus est in summo vigore symptomatum, tunc victu tenuissimo vtendum est. In mitibus verò tenuissimo, non absolutè, si sit valde prolixus: sed tenuissimo, in comparatione ad victum aliorum temporum morbi. Secunda propositio quoque generalis est in acutis, in summo vigore, quo ad coctionem materiæ, pro aliqua parte victus tenuissimus necessarius est. Estque illa pars, in qua hoc est necessarium, pars status, in qua adhuc tota materia retinetur. Nam cum necesse sit materiam quæ vtiliter expellitur, esse concoctam, & concoctio non absoluitur nisi in statu, necesse est etiam materiam retineri in prima parte status. Quod etsi in fine augmenti expellatur, iuxta Galeni sententiam, hoc est, quod hîc proponit Hippocrates dum dixit, quòd morbus defficiat atque hebetescat. Voluit enim nos intelligere, morbum deficere non ex toto, sed mitiorem reddi. Quomodo igitur in quolibet morbo hæc quatuor tempora reperientur, de salubribus loquor, Principium, augmentum, status & declinatio, vt videtur Galenus sentire in libello de Totius morbi temporibus? Neque enim sufficit quod in quibusdam status sit breuissimus: nam tum sic est, at non est, cum morbus in augmento per iudicium declinationem ingreditur, aut per sanguinis missionem, aut inediam, quod hic ostendit Hippocrates? Propterea dico, summum vigorem tria

3. de Crisi cap. 6.

Cap. 4.

significare: aut extremos labores, & ad hos non omnis morbus peruenit: aut coctionem materiæ, & ad hanc non omnis morbus etiam salubris peruenit, quia materia vel absumitur, vel purgatur, vel euacuatur ante absolutam coctionem: aut ad summum comparatiuè, id est deterius tempus morbi, quod plerunque idem est cum vero statu: aliquando autem non, velut, vt dixi, cum materia ante coctionem euacuatur natura vel arte, manifestè vel per resolutionem: & ad hoc morbi tempus sic intellectum, omnis morbus peruenit necessariò, necessarium enim est in vnoquoque genere, vt Aristoteles inquit, esse maximum minimumque.

Medicus igitur coniectari debet de duobus, de magnitudine virtutis & morbi: & ex hac coniectura trium vnum assequi, quæ vt vera sint semper est necessarium, scilicet vt vel virtutis & morbi magnitudo ad statum vsque permaneat, & tunc tenuissimo victu per totum morbum est vtendum: vel vt virtus prius deficiat, & tunc prius est nutriendum, tum quia nutritio ante statum est vtilior quàm in statu, tum quia in statu non prodesset iam ægro debilitato, vel vires sufficiunt, sed morbus mitescit: & tunc licebit nutrire vel in status parte vltima, vel ante statum. Ex quibus colligitur quantum, quod si tam morbus quàm virtus defecerit, ante statum nutriri debet.

Quòd igitur minui possit morbus ante statum concoctionis totius materiæ, habemus ab Hippocrate in primo de Victu in acutis, dicente: quòd incipiente sputo copiosiore, debemus dare cibum assiduè vsque ad iudicationem. Constat igitur, minui posse perpetuò morbum etiam ante statum, vel ob sectionem venæ, vel ob medicamentum, vel ob inediam, vel ob crisim: quæ tamen optima non erit, si fuerit in fine augmenti. Et quòd morbus in hoc casu ad verum statum non perueniet. Hippocrates autem vult, vt per viam inediæ hoc non fiat, quia nimis æger debilitatur, periculóque exponitur, & reuersioni morbi. Sed vt hoc firmum sit, vt scilicet morbus ad suum vigorem perueniat nutriendo ante statum, & ita in statu vtatur victu tenuissimo. Qui verò venam secando morbum minuunt, atque materiam, statum morbi non prohibent, sed ob materiæ paucitatem is morbis mitis erit. Vult igitur Hippocrates, hoc in casu nutriendum magis in augmento & statu, quàm in principio: vt habetur in primo de Victu in acutis. Fieri enim potest vt principium sit morbi acuti, seu etiam peracuti, & augmentum ac status morbi mitis, ideo dicit, An morbus antea deficiat atque hebetescat, quod sæpius contingit ex sectione venæ, rarius multo ex purgatione, dum materia turget. Iubet igitur leuari dolorem secta vena, aut purgatione in laterali morbo Hippocrates, antequam demus ptisanam: sed nondum tamen morbus est diminutus, sed solum prohibitum augmentum. In febribus verò, licet morbum minuere aut tollere per venæ sectionem, vt in sanguinea febre. Sed quando tota febris auferetur, eo modo

1. Regiminis acutorum 33.

acuta

acuta nondum erit, sed absque putredine, similisque Ephimeræ.

Verùm sic constat, quomodo morbi symptomata minui possint sublata portione materiæ, vel per sectionem venæ, vel purgationem, vel per crisim, licet imperfectam ante morbi vigorem: sed quomodo absque euacuatione vlla manifesta? quod tamen contingere videmus. Respondeo, subtiliore parte resoluta per inediam, vel per vrinas aut sudores, id contingere, nonnunquam etiam nihil prorsus euacuato, sed translato in cauitatem aliquam, id fieri: nonnunquam materia quæ loco arcto continebatur, ad latiorem depulsa, vel longius reposita à membro principali, vel ex mobili facta quieta, his tot modis symptomatum sæuitia ante morbi statum, etiam absque euacuatione manifesta sedatur. Quòd si ita sedetur, vt morbus mitis dici possit, licebit vberius nutrire succedenti tempore: aliter non. Erit igitur hic modus declinationis sæuitiæ morbi ante veram declinationem, quem nos Hippocrates iubet obseruare.

Contingit verò & contrarium, vt materia manifestè euacuata & diminuta, morbus sæuiat magis: vel propter coctiones, vel quia traducta sit ad locum nobiliorem aut augustiorem, vel magis sensibilem: vel propter symptomata crisis: vel afflictis viribus vt cum cruda purgantur. Et tunc constat manifestè, Hippocratem velle nos tenuissimo victu vti.

Circa hoc non prætperibo, quod dicebat Haliabbas de victu ægrorum, comparans illos iter agentibus, dicens: oportet vt tantum habeant pecuniarum, & eo modo distribuant eas, vt sufficiat ad totum iter peragendum, ita etiam oportet vt æger eo victu vtatur, vt ad vigorem morbi peruenire possit.

Com. 6.

Hunc Aphorismum Galenus explicabat secundo Prognosticorum, dicens: Si virtus in morbis validior fuerit morbo, æger seruabitur: sin autem morbus superet vires, tunc sola prædictione vtêris. Vt autem dignoscas an virtus sit validior morbo, & an suffectura sit absque cibo, disces vitalem ex pulsibus, animalem ex leuitate motuum, & naturalem ex signis coctionis & cruditatis. In morbis igitur ex materia pendentibus, principalis virtus, dicebat Galenus, est virtus naturalis, pòst vitalis, inde animalis.

4. De Præsax. pul. c. 11.

Sed vbi sit abscessus in pectoris partibus, animalis & naturalis ex æquo dignæ sunt consideratione. Dicebat enim ipse: Naturalis virtus est quæ concoquit, separat & expellit: ideò per totum morbum, & in crisi plus illa quàm aliis indigemus. Cibi autem dandi vitalis facultatis respectu.

1. De Victu in acutis, com 44.

Naturalis autem facultatis imbecillitas ex inappetentia propriè dignoscitur, inquit Galenus tertio Epidemiorum.

Sec. 3. com. 72

Vt verò dignoscas vitalem ex pulsibus, considera robur ex magnitudine cum resistentia, nam pulsum qui videtur imbecillis, si vis dignoscere an verè talis sit, aut ex oppressione morbi, considera an resistat, robustus enim licet leuiter feriat, compressus tamen multum resistit. Secundò, si sit æqualis, est robustus, imbecillis enim inæqualis est. Tertiò, robustus est, si quandoque vehementer ferit: debilis, semper manet oppressus. Si ergo modò eleuatur, modò non significat oppressionem virtutis vitalis, non resolutionem. Vltimò, qui diuersus est in dextro latere ac sinistro, indicat opppressionem materiæ, & ex parte qua pulsus videtur debilis, non autem resolutionem. Hoc dixi, quia raro virtus vitalis est valida, & naturalis debilis, aut contrario modo: imò diu vna non potest esse robusta cum alterius imbecillitate.

Victus autem ratio constituenda est iuxta veram virtutis imbecillitatem, quæ est per resolutionem, non autem oppressionem. Ita poterimus constituere ex his coniecturis victum, per omnia morbi tempora.

APHORISMVS X.

QVibus igitur statim morbus consistit, iis etiam statim tenuis victus adhibendus est. Quibus verò posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus, prius verò vberius victus adhibendus est, vt æger sufficiat.

COMMENTARIVS.

HIc Aphorismus declarat distinctè, quod proposuerat in antecedenti. Hoc est, vt sciamus ordinare victum per tria tempora. Et regula est: In acutis in statu vtêris victu tenuissimo, sed si status valde proximus sit initio morbi, vt in angina & synocho, seu febre sanguinea, cuius initium non durat quandoque vltra tres aut quatuor horas, vt dicebat Galenus: tunc ab initio instituemus victum tenuissimum. Sin autem status à principio longius distet, cibus eo magis nutriens adhibendus est, quanto magis morbus longior est: ita tamen, vt in acutis ptisanam, in decidentibus chondrum non excedas, nec ad oua aut carnes transeas. Manifestum est autem, quod sensim attenuando ad statum accedere debemus.

3. de crisi cap. 4.

Sed animaduertere oportet vnum præceptum Hippocratis, in primo de Victu in acutis: Quod si æger cibum acceperit, ægrotaueritque, tamdiu à cibo est temperandum, quandiu cibus concoctus fuerit. Pòst autem sensim cibo imminuto nutriendus: sed hæc ad quantitatem, de qua hic sermo non est, pertinent. Qui autem sint morbi in quibus vigor statim accedat, declarat Hippocrates primo de Morbis: Angina, vua, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, & febris ardens.

T. c. 42.

Pag. 2.

In pestilentibus autem febribus, forsan quis quærat, an hæc omnino seruanda sint: quòd videatur Hippocrates dicere, pessimum fuisse signum cibi fastidium. Vbi in

Tom. VIII. V

1. in 1. Epi. Tex. 34. Et 3. in 3. Tex. 66. & 58. in tertio Epidemiorum Galenus hæc habet: Fastidium cibi etiam omnes cœpit, qui in peste hac diuturna, quæ modò viguit, laborauerunt. Quare factum est vt multi morerentur. Fortiores autem, qui vim sibi ipsis inferentes, oblatum cibum assumpserunt, omnes fermè superstites fuere. Plurimi verò mori, quàm comedere, potius voluerunt. Manifestum est autem, id vitium ventriculi causa accidisse. Videtur ergo non tam fuisse fastidium cibi mortis signum, quàm causa: postquam qui sumpserunt euaserint, etiam si fastidissent: qui non sumpserunt, perierint. Verisimile quoque est, cibos etiam in vigore sumpsisse, postquam & fastidium 1. 4. Trac. 4. c. 4. eo tempore maximè, quo & reliqua symptomata, viguisse consentaneum est. Auicenna quoque consulit, vt cibum demus, quocunque tempore illum fastidit, sed & cum desideret. Optimum esse reor, qui ex columborum iure aut carne conficitur, nam in arcanis Ægyptiorum est, eos qui columbis assiduè vtuntur, pestiferis morbis haud corripi. Cum verò his febribus etiam alij morbi soleant copulari, cibus quidem in vigore dandus erit: verum moderatus, sed tamen qui plenius alat.

In morbis verò qui accessiones habent peracutas, velut spirandi difficultas (quanquam de hoc seorsum sim locutus) in ipsis accessionibus mulsa vtendum est, aut nihil dandum. Semper enim in his quæ paruo interuallo distant, experimento fidendum est. Per interualla autem nutriendum contraria ratione. Si enim materia tenuis fuerit, alica & carnibus solidis, aut colliquatis: si autem crassa, auiculis, oleribus, ac attenuantibus cibis.

Ergo ratio victus hæc erit in acutis & peracutis morbis. In ipso vigore morbi à cibo est abstinendum. In initio, si morbus acutus est, ptisana vtemur: si peracutus, mulsa. In augmento si acutus, ptisana colata, aut mulsa: si peracutus, mulsa, sed magis diluta quàm in principio. Si autem phrenitide aut pestilenti febre æger laboret, cibum dabis cum potueris, cum non liceat quando velis. Verùm in pestilenti pleniorem, in phrenitico mediocrē. In initio quoque caueas ne cibum des, antequam tota cruditas sedata fuerit. In laterali morbo non, antequam dolor sectione venæ aut purgatione leuatus fuerit. Vbi expuere cœperit, & facilius respirare, licebit tota ptisana vti: quoniam vigor symptomatum desiit. In diuturnis morbis auium carnibus, si sine febre: ouorum vitellis, si cum febre fuerint, vteris ab initio: succedente tempore alica, & pane loto: inde ad ptisanam, & illius cremorem transibis. Et si breuis sit vigor, ad mulsam & inediam. In acutis decidentibus alica, vel pane loto, inde ptisanæ cremore, ac demum mulsa aut inedia vteris: vt semper versus vigorem attenuando procedas. In diuturnis, quorum accessiones peracutæ sunt, per interualla contrariis natura cibis vteris: in ipsa accessione abstinebis.

Quòd verò, In statu (dixerit) statim tenuis victus adhibendus: Hippocrates genus assumpsit pro specie, nam sub tenui etiam tenuissimus, & exquisitè tenuis victus continetur: vt omnibus morborum generibus satisfaceret.

APHORISMVS XI.

IN accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, abstinere oportet.

COMMENTARIVS.

POstquam de qualitate cibi locutus est iuxta genera morborum, & tempora: hic de accessionibus ipsis quæ morbis eueniunt, sermonem habet. Tria enim sunt præter naturam, quorum ratione cibus prohibetur aut conceditur: morbi genus, tempus, & accessio. Cum igitur de duobus prioribus locutus sit, ad hoc tertium descendit. Postea verò de rebus naturalibus loquetur, quæ sunt: Ætas, & anni tempus principaliter. Postmodum de cibi natura loquetur, & deinde de quantitate, atque hæc ad 19. Aphorismum vsque. Post quos, quibus in morbis, & quando purgatio, & quomodo, vsque in finem primi Libri edocebit: vt, velut iam dixi, nullus liber apud Aristotelem vel Galenum tanto ordine conscriptus sit. Vt igitur ad expositionem redeam: Accessiones dicuntur quasi stimuli, incitantes naturam ad pugnam, vt Galenus refert. Et ideò dicit, Crisis fit in diebus accessionum. Et si per impares dies accessiones inuadant, fit crisis in impari: & si diebus paribus, in pari. Et ob id, iuxta Hippocratem, morbi lethales magis sunt, quibus accessiones paribus diebus inuadunt, nam crises eorum in dies haud criticos incidunt. 3. de Dieb. Decret. 1.

Habent autem accessiones, quas Græci παροξυσμὺς vocant, tempora propria quinque, vt Galenus refert in Libello de Morborum temporibus: initium, cum frigent extrema: inæqualitas, cum intus calet, exterius adhuc friget: augmentum, cum calor exterius diffunditur: status, cum est diffusus: declinatio, cum pedes & manus incaluerint, præcordia verò refrigerantur, calore mitiore facto. Atque horum, velut & temporum generalium, sunt partes tres in singulis: principium scilicet, medium, finis. Sed verè non sunt (cum Galeni venia) nisi quatuor hæc tempora. Cum enim friget homo intus & extra, nondum febre detinetur. Si quidem febris calor est, non frigus. Quia tamen huic dispositioni febris coniuncta est, & quæ in febre percipiuntur, etiam de hoc tempore frigoris intelliguntur: ideò error hic Galeni reprehensione dignus non est, cum etiam conferat, nedum noceat artis operibus. Magis ad rem facit, quod intermittentes febres, vt ibidem dicitur, sex habent tempora, nam post declinationem sequitur intermissio, in qua homo à febre liber est: vt in tertianis & quartanis manifestè apparet. Cap. 3. Cap. 4.

Eadem

Eadem sunt tempora, loquendo de quinque prioribus in continuarum accessionibus, *Cap. 6.* in quibus frigus nullum apparet, sed, vt ibidem dicebat, loco frigoris in intermittentibus, cum in continuis nullum frigus appareat, sola apparet contractio pulsus; eas igitur accessiones, ad intermittentium discrimen: vocabimus exacerbationes. In tertianis autem, quæ continuantur, fit typus & compressio pulsus: sed non desinunt febres.

Est aliud genus accessionum quod nomine Annotationum (vt verbo translatitio vtar) incompressarum significatur. Est autem Annotatio, *Com. 1.* vt videre licet apud Galenum 2. Aphorismorum, accessionis initium. Incompressa autem, in qua pulsus non comprimitur, vt in initiis febrium & & accessionum solet: vt colligitur primo de Differentiis febrium. *Cap. 9.* Vel igitur initium accessionis est cum frigore, vt in intermittentibus; vel absque compressione pulsus, vt in continuis, quæ proportionem seruant: vel absque sensibili pulsus compressione, in quibus cum calor & magnitudo frequentiáque pulsus succedat, pro hecticis habentur. Sic ergo erunt quatuor febrium genera, tribus differentiis distincta: continuitate, typo, & pulsus contractione. Vt verò omnium febrium annotationes dignoscas dicebat Galenus 3. de Præsagio ex pulsibus, *Cap. 7.* signo nunquam aberrante, est contractionis in pulsibus celeritas. Hanc etiam annotationem aliqui Insultum appellauerunt.

Constat autem, periodum & accessionem æqualia esse in continuis, cum ambo contineant quinque tempora, at in intermittentibus, periodus Græcè, seu Latinè circuitus, tempus intermissionis vltra accessionem continet, ideo maius est tempus circuitus, quàm accessionis.

Dicit ergo Hippocrates, in accessionibus abstinendum à cibo: intelligítque hic per accessiones principium, inæqualitatem, augmentum & statum: non autem declinationem, multo minus intermissionem, quæ accessionis non est pars. Et ne crederemus de prima accessione dictum, declarat de omnibus debere intelligi, etiam si mille essent. Ideò subiungit, Et quibus per circuitum fiunt accessiones in ipsa accessione: id est, in primis eius quatuor temporibus abstinere oportet. Ratio clara est: quia in accessione vel calor suffocatur, vt in insultu: vel fit pugna, vt in statu accessionis: vel quippiam mistum ex pugna & coctione, vt in augmento & inæqualitate.

10. Ar. cur. cap. 3. Contingit tamen cibum esse necessarium in initio accessionis: vt docebat Galenus de illo iuuene, qui in syncopem deueniebat, quoties non nutriretur. Sed hoc pendebat ex naturali dispositione. Vnde casus ille nihil aliud docet, quàm hanc intentionem prohibendi cibum, posse superari à naturali dispositione. Igitur cum calida siccáque temperies tum naturalis tum acquisita fuerit, & eo magis si squalida: humórque ac vapor mordax abundauerit, & maximè æstatis tempore, & in febres inciderint ex sole, inedia, ira, laboribúsque: dicit Galenus, tales ob siccitatem in initiis etiam *10. Ar. cur. cap. 5.* accessionum humido indigent nutrimento: aliter in concussionem magnam, aut conuulsionem, aut syncopen incidunt. Vnde tales vel in ipsa inuasione, vel parum antè cibandi sunt.

Alia etiam dubitatio exoritur, cum dictum sit, quasdam febres in initio compressionem pulsus non habere: cum tamen hoc sit signum minimè fallax, & quod nunquam deest in initio accessionis. Sed animaduertendum, Galenum velle semper in putridis fieri compressionem: sed non adeò manifestam, vt si quis cibum non det, possit eam deprehendere: cibo tamen dato, in ipsa annotatione dignoscitur. Difficultates autem quæ oriuntur in hoc præcepto, sunt hæ. Prima, si antequam accessionis status finiatur, alia superueniat, quid agendum? nam ex Aphorismi sententia, cibus dari non poterit. Secunda, si antequam declinatio prioris accessionis finiatur, alia superueniat, quando cibus dandus erit? an in declinatione, an in augmento, vt quidam volunt. Tertia: ponamus quod intermissio sit minor tempore concoctionis cibi, quando dandus erit cibus? an in intermissione, an in declinatione prioris accessionis? Respondeo igitur ad primam, quòd hic morbus erit peracutus, & ita nullus erit dandus cibus, nam accessio, detracta declinatione, labor dici meretur: & ideò extremos habebit labores talis morbus. *T. cap. 46.* In secundo casu, vult Hippocrates primo de Victu in acutis, vt cibum demus cum calor ad pedes descenderit, hoc enim est certum declinationis signum. Si autem hæc declinatio fuerit adeò breuis, vt antequam cibus concoqui possit, accessio superueniat, nullus erit dandus cibus: & ideò si morbus cum hoc longus fuerit, aut virtus imbecillis, tam in hoc quàm in primo casu necesse est ægrum perire, cum absque cibo virtus debilitata mortem afferat, cum cibo morbus superauctus occidat. Quòd si perueniat ad intermissionem lōgam (nam periodi quotidianarū, sunt horarum 24. tertianarum, horarum 48. quartanarum, horarū 72. *Cap. 2.* vt in libro de Propriis morbi temporibus: nam sic liber de morborum seu Accessionum temporibus, quod & melius est, inscribi debet) vltra 72. horas periodum describi rectè aut vtilior, Galenus negat fieri posse, in libro aduersus eos qui de Typis scripserunt. *Cap. 2.* Vbi etiam dicit, fieri non posse vt accessio duret quinque horis, & declinatio duabus tantum, nam, inquit, talis febris erit mitissima: igitur intermissionē, aut declinationem saltem longam habebit. Hoc autem de simplicibus febribus intelligendū *Cap. 1.* est, nā de duabus tertianis Galenus, aut pluribus, non solùm: hoc concedit, sed exemplū affert. Verùm duæ tertianæ, vel plures, aut quartanæ inter se non conficiunt periodum. Differt periodus à typo: quia periodus tempus circuitus significat, puta (vt dixi) quotidianæ horarum 24. tertianæ 48. Sed typus significat ordinem ipsum: vtpote quod sit quotidianus, tertianus, quartanus. Et

Cap.2. & 3. typorum alij persistunt: & horum quidam sunt primi, alij secundi, alij mouentur: & horum quidam simplices, alij compositi, vt in libro de Typis. Qui ergo persistunt, primi vocantur, cum tempus accessionis est breue, intermissionis longum: vt in tertianis & quartanis puris. Typi autem qui persistunt, longi sunt, quorum accessiones sunt longæ, intermissiones breues: vt in quibusdam tertianis nothis, & semitertianis, & quotidianis. Dicuntur autem persistere, qui complent numerum horarum sui circuitus: id est quotidiana, cum reuertitur post 24. horas: tertiana, post 48. quartana, post 72. Oportet autem vt verè persistant, non solùm accessiones, sed etiam declinationes inter se distare dierum integrorum spacio, aliter si accessiones distent spacio integro, intermissiones aut declinationes non: aut declinationes spacio integro distent, accessiones non: erunt medij, & misti ex his qui persistunt, & his qui mouentur. Eorum autem qui mouentur, alij anticipant, alij postponunt. Sunt & typi compositi: sed hi ex simplicibus dignoscuntur. Vt ergo reuertar ad propositum: Galenus secundo in
Com.24. sextum Epidemiorum, docet quatuor genera tertianarum: Exquisitam, cuius tota accessio cum declinatione est minor horis duodecim, vel saltem non excedit: & hoc tempus tertianæ exquisitæ vocatur, scilicet horæ 12. Inde à 12. ad 24. horã est Tertiana, meretúrque hoc nomen absque additione vlla, constit enim intra duo tempora. Cum verò accessio perdurauerit à 24. horis suprà, infra tamen 36. ita vt consistat intra tria tempora, & intermissionem habeat horarum saltem 12. vocatur tertiana Extensa, vltra autem 36. horas si perduret, (dicit) raró euenit vt non sit continua, & ex acutarum genere. Si tamen accidat, nos vocabimus tertianam Enormem. In his igitur omnibus quæritur ratio victus: quæ facilis est, nisi vbi accessio 36. horas excesserit, nam in aliis absoluta accessione æger cibandus est. At in ea quæ transit horas 36. si multum excesserit, rationem habebit febrium compositarum: vt in duplici aut triplici tertiana. Vbi ergo intermissio cum declinatione horas saltem octo habuerit, in initio declinationis æger cibandus est. Et si intermissio sola tantum habuerit spacij, cibum dabimus in intermissione, totam prætereuntes declinationem. Melius enim est vt cibus concoquatur, dum omnino febre caruerit æger, quàm cum solum est in illius declinatione. Sed vbi neque declinatio nec intermissio tam breues fuerint, vt tempus
11. Ar. Cur. cap.21. concoctionis æquent: Galenus censet, si phlegmone adsit in ventriculo vel iecinore, vitandum esse maximè accessionis initium. Sed si ventriculus afficiatur, syncopes: si iecur, alui deiectio vexare solet. Quare cogimur ante febris initium cibum dare, cum phlegmones non affuerit, sed sola imbecillitas. Similiter si aliæ partes imbecillitate laborent, vt cor, pulmo, pectus, absque tamen phlegmone, dabis cibum, sed minus: si cum phlegmone, non dabis. Si verò nec phlegmon nec imbecillitas adsit, ex æquo vitare oportet initium & statum accessionis. Vt autem dignoscas hoc in casu quando magis cibandus sit, in initio vel parum antè, & quando in statu: considera si siccitas viget, calor non, sed squalidus est, tunc in statu, non in principio dabis cibum, si autem calor citra squalorem vrit in statu, cibum ne dederis. Similiter de initio facies, nam si parua fiat caloris reuocatio, parua extremorum refrigeratio, poteris & dare & abstinere à cibo: vtrinque enim paruum periculum erroris imminet. Sin autem extrema multum refrigerantur absque phlegmone, cibum dabis: aliter multum offendetur. Si phlegmone adsit, nullo modo dabis. Vbi supra.

Ex hoc patet, errare medicos nostra ætate, qui in augmento febrium & accessionum cibum dant. nam si status est deterior, in initio cibum dare oportet: si initium, in statu. Augmentum solum admittit cibum, cum status & initium æquè mala sunt: sed tunc nihilo melius est alterutro illorum, itaque in augmento nunquam cibus conuenit, nisi cum morbi naturam fassus fueris te ignorare. Vt enim augmentum altera eorum necessariò deterius est, id est principio vel statu, quodcunque horum optimum fuerit: ita etiam altero eorum necessario est melius, quodcunque illorum deterius fuerit.

Causa accessionum tam in continuis quàm intermittentibus, est motus portionis materiæ quæ concoquitur ante aliam, velut & in phlegmonibus. Quidam enim paulatim suppurantur, & paulatim expuuntur, vt in morbo laterali: & hi sunt faciliores. Quidam simul ex toto suppurantur, & cum tales non ferant vt paulatim expellantur, rumpuntur: vt in Empyemate, & hi sunt difficiores. Ita in febribus, in quibusdam portio materiæ quotidie vel alternis diebus ad expulsionem paratur, & ideò etiam coquitur: tales habent exacerbationes seu accessiones quotidie, aut alternis diebus, aut etiam singulis quatuor diebus: & hæ sunt mitiores. Aliæ dicuntur continentes, & hæ sunt magis acutæ & deteriores. Colligitur hoc magna ex parte secunda de Differentiis Febrium. Cap. vlt.

Vltimò aduertendum, quod si æger ante declinationem accessionis nutriatur, sequuntur multa incommoda, quæ scribuntur quarto de Victu in acutis: scilicet calor circa ventrem ob præfocationem, tensio hypocundriorum, fastidium, nausea, inquietudo, dolor, & quandoque delirium. T.c.39.

APHORISMVS XII.

ACcessiones verò & constitutiones morbi iudicabunt & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla

ualla fiant. Sed & ex his quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si verò postea appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa & sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem, vel malam, vel breues aut longos morbos fore ostendunt.

COMMENTARIVS.

POstquam Hippocrates docuit victum per morborum genera, per tempora totius morbi, & per tempora accessionum: hoc vno in Aphorismo docet cognoscere morborum longitudinem, tempora & accessiones, nullibi enim antea hoc docuit, nisi de peracutis, quos in septimo Aphorismo ex hoc cognoscere docuit, quòd extremos labores haberent. Vnde patet, quanto ordine ipse hanc doctrinam tradat: quia generalis est. Propriam verò in sequentibus libris, difficile erat admodum sub sermonibus Aphoristicis continuare ordinatè. Itaque vt ad rem redeam, hæc tria in vnum iunxit: quia fermè se consequuntur, quanto enim morbus breuior est, eo propior est vigori in æquali tempore: quanto longior, remotior. In morbo enim qui finem vigoris habiturus est in tertia die, secunda dies augmenti medium continet: in morbo qui in quartamdecimam extenditur, eadem secunda dies medium initij continebit: animaduertendo quòd vigor symptomatum vix tertium diem vnquam excedit, coctionis autem longior est: maximè cum materia sensim expellitur, tam in phlegmonibus quàm in ipsis febribus continuis, ardentibus tamen, quæ absque phlegmone sunt. In quibusdam verò continentibus cùm initium sit breuissimum, & augmentum non longum, contingit vt morbus statim ad vigorem properet. Accessionem verò cognitio non adeò annexa est prioribus, vt illæ inter se: veruntamen nec prorsus seiuncta, nam & vehementium phlegmonum aut febrium tertianæ vehementes, & ideò cum breui declinatione & longa accessione inuadunt. Habes igitur continuitatis rationem.

Per constitutiones igitur intelligit morbi tempora, id est, in quibus morbus est constitutus: id est, si sit in principio vel augmento, vel vigore, nam de declinatione, vt dixi, non intelligit, quæ extra periculum sit, si sit generalis, sin autem accessionis, liberè in ea cibum offerre liceat. Tam ergo constitutiones ac morbi tempora, quàm illius longitudinem & accessiones, declarant quinque: Natura morbi, temporis circuitum, & signa coctionis, primum propria atque communia, nam alia sub pathognomicis signis continentur.

Fingamus igitur, vt ad primum deueniam, quòd aliquis laboret exquisita tertiana: de qua, authore Galeno, dixit Hippocrates, quòd in septem circuitibus (quod tempus longissimum est) terminatur. Nam ipsa tribus signis dignoscitur: quòd 12. horas tota accessio (cum ipsa declinatione intellige) non excedat: quòd cum rigore incipiat: quòd semper soluatur sudore, vomitu vel ventris purgatione, aut omnibus his. Eadem quoad causam, cum ex materia fiat biliosa, pura, & per totum corpus sparsa & mobili. Quoad signa & causam, tempus æstiuum, gratia exempli: locum seu regionem calidam: ætatem, puta iuuenilem, & temperaturam biliosam. Cùm ergo ex his exquisitam tertianam cognouero, sciam quòd intra septem accessiones finietur. Quod si cum hoc ab initio etiam in vrinis signa concoctionis apparuerint, erit simplicissima, quæ intra tres aut quatuor accessiones finietur, vnde sciam tunc, secundam accessionem non sub initio, sed augmento: & quartam non sub augmento, sed vigore morbi collocandam, cognoscam etiam accessionem non superaturam horas duodecim: imò declinatio post octauam incipiet, cum tutò cibum exhibere licebit. Sciam igitur omnia. Iuxta quod dicebat Galenus Primo ad Glauconem: Intermittentium securissima & breuissima est tertiana exquisita longa quartana, sed secura: quotidiana quoque longa, & non sine periculo: notha quoque tertiana à Galeno visa est, quæ ab autumno ad ver perdurauit. Circa quod notandum, febres ex humore calido esse eò breuiores, quò purior est humor. Ex frigido autem, contrario modo. Rursus continuas sequi rationem intermittentium suarum, quoad dierum numerum, licet sint periculosiores: velut ardens tertianæ, & quartana continua quartanæ. Sed dices, multo longior est intermittens. Respondeo ex Galeno, dies in intermittentibus semper numerandi sunt iuxta numerum accessionum. Puta quartana in 28. die, dicetur esse in decima: quia talis est accessio, ac initio morbi numerando. Et si essent duæ quartanæ, nihilominus vna esset in decima, alia in nona: gratia exempli, in 26. die, & 28. quia quælibet ad suam simplicem refertur. Bonum autem erit, vt quæ ibi dixi, videas.

Ab anni tempore, dixit ipse in secunda: Æstiuæ quartanæ breues sunt, autumnales longæ, & maximè quæ ad hyemem tendunt. Vbi Galenus explicat in Commento, iuxta eandem proportionem intelligendum esse in aliis morbis, gratia exempli: Tertianæ terminus, vt dictum est, est septem accessionum in autumno & vere ac hyeme: æstate autem erit quinque tantum, vbi fuerit exquisita, anni enim tempus producit mutando morbi materiam, & non sponte: sed breuem morbum reddit vtroque modo, scilicet materiam morbi mutando, & etiam illam tenuiorem reddendo. Difficile enim erit per hyemem videre exquisitam tertianam, sicut quotidianam per æstatem. Tempus igitur dupliciter declarat nobis constitutionem morbi, & accessiones: Et vt signum materiæ peccantis, & vt causa. Febrem enim quam videris cũ rigore inuadentem in æstate, tertianam iudicabis exquisi

Marginal notes: 4. Aph. 59. (beside "niam, quòd aliquis laboret") — 2. de Crisi cap. 3. (beside "ipsa tribus signis") — Cap. 8. (beside "Primo ad Glauconem") — 4. Aph. 59. (beside "Puta quartana in 28. die") — 25 (beside "Ab anni tempore")

exquisitam, & quæ ad quintam accessionem non perueniet, aut saltem non excedet. Tertianam quidem, & exquisitam, quia æstas est signum talis generis morbi, & talis materiæ. Quod autem non sit excessura quintam accessionem, æstas non solùm significat, sed etiam facit. Non solùm autem per tempus Hippocrates significat æstatem aut hyemem, sed & caniculæ & aliorum siderum ortum & occasum, & æquinoctia & solstitia, & naturam præsentis æstatis: quæ si mitis sit, morbos simpliciter acutos, aut etiam decidentes faciet: sin feruentissima, peracutos. Nec solum morbos temporis naturæ congruentes velut tertia Aphorismorum: Æstate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, constat autem tum ex natura tum ex modo loquendi, tertianam maximè congruere æstati: sed eos qui tunc maximè vigent, licet non congruant. Vnde Rasis, cum enumerasset signa tertianæ, inquit: Quòd si cum prædictis, aut pluribus ex eis contingat tertianam illo tempore pluribus euenire, absque dubitatione sciendum est, illam esse tertianam: ac si vidisset eam vna die infestasse, & alia quieuisse. Et ideò hoc plurimum confert, vt non solùm morbus sit congruens tempori ratione naturæ, sed vt etiam euentu: & vt tempus sit maximè tale, vt æstas calida & sicca, autumnus inæqualis valde, hyems frigida & humida, ver apud nos ventosum & temperatum. Similiter per tempus anni morbos grassantes, etiamsi tempori non congruant, intelligere oprtet, iuxta illud tertij Epidemiorum: Ante ver vnà cum frigoribus consecutis, sacri ignes multi hos cum occasione affecerunt, illos non: qui maligni cum essent, multos interemerunt. Et rursus: Febres ardentes, phrenitici. Constat verò hos non esse morbos hyemi congruentes, vt in tertio libro edocebit Hippocrates. Cum enim dixit enim dixit Ante ver, extremam hyemis partem, quam φυταλίαν Græci vocant, intellexisse constat, cum Februario apud nos Fauonij spirant, vitesque putantur, arboresque inseruntur. Non solùm ergo tempus præsens obseruari debere docet Hippocrates, sed præcedentia, & decursum totum anni, vt ita dicam: quemadmodum in primo & tertio Epidemiorum docuit, & in tertia Aphorismorum. Ad quid enim illa scripsisse conueniebat, si non huic vsui futura essent, vt scilicet morbos quales futuri essent, ab initio intelligeremus. Licebit autem vnum pro exemplo adducere, miraculo proximum quod ad morbi longitudinem attinet, iudicandam ex morborum passim grassantium more, inquit enim primo Epidemiorum: Iudicabantur his plerisque morbi stato ordine admodum, ac intermittebant septendecim dies. Quem locum, quod supra rationem videretur quæ ab homine deprehendi posset, Galenus præteriit, tanquam ab Hippocrate non dictum.

10. ad Alman. c. 4.

Comm. 3. sec. 9. & 11.

Aphor. 23.

1. Epid constit. 1. 2. & 3. & 6. Epidem tabula 1.

Com. 2. Sectio 18.

Itaque colligendo quæ dicta sunt, & tempus anni præsens, & naturam eius, & præcedentia etiam naturam propriam, & morbos grassantes tunc considerare oportet: & iuxta Galeni sententiam, illa omnia cōparare hominis ægrotantis naturæ, ætati, consuetudini ac victus rationi, atque ex his morbi & accessionem consistentias ac tempora coniectari, non vt ex certo signo: (ridiculus enim esset medicus, qui omnes tertiana laborantes pronunciaret, quod morbus hic grassaretur, congrueretque ætati, regioni, naturæ ac consuetudini illius:) sed totam syndromen, id est concursum considerare debet.

1. in 1. Epid. Sect. 7.

Solùm restat pro hac parte intelligenda, vt videamus de mediis temporibus, scilicet autumno & vere, an morbos producant, an abbreuient. Videtur enim dum de quartana loquitur Hippocrates, autumnum inter tempora numerare quæ morbos producunt. At tertia Aphorismorum inquit: Autumno morbi acutissimi: eos autem constat esse breuissimos. Respondeo, autumnum morbis omnibus detrimentum afferre, id fit, cum acuti fiūt acutissimi atque lethales. Propterea subiunxit Hippocrates: Atque lethales maxima ex parte. Longos verò producit, vt quartanas & quotidianas. Acutos etiam, si sanantur, persæpe in decidentes permutat. Itaque in acutis statum proximiorem, in diuturnis tardiorem quàm in vere expectabis. Ver autem morbos suæ naturæ relinquit, quod ad longitudinem attinet: sed salubriores efficit omnibus aliis anni temporibus. Atque hæc est ratio temporum.

Aphor. 9.

Et circuituum successiua incrementa. Hæc fiunt aut quotidie: vt in quotidiana, duplici, tertiana, & triplici quartana (nam licet non sint hæc incrementa successiua, sed solum in quotidiana, differentiam tamen agnoscere oportet) seu alternis diebus: vt in tertiana exquisita, & notha, & hemitritæo, & febre ardente, quæ proportionem seruat. Seu per maiora interualla, vt in quartana & quintana, vt infrà videbis: in omnibus oportet cognoscere ex successiuis incrementis morbi tempus generale, & ex morbi tempore generali accessionum longitudinem, quandoque enim vnum, quandoque alterum notius est in his quæ ex sensu pendent. Galenus ergo primo de Crisi pulchrè docebat, cognoscere augmentum morbi ex accessionibus, quæ symptomata habent grauiora, & anticipant plusquàm natura morbi requirat, & sunt diuturniores: & declinatio breuis, ac nec satis facilis, sed grauior Tempus igitur hoc augmenti erit, licet anticipatio sola non est signum augmenti: sicut neque quòd postponat, declinationis. In omni febrium genere enim tum tertianarum, quartanarum, quotidianarumque, sunt febres quæ ab initio vsq; in finem anticipāt: aliæ quæ postponunt, nec tamen ab initio vsque in finem sunt in augmento illæ, nec hæ in declinatione. Oportet igitur vt febris non sit ex genere illarum quæ anticipant semper: & tunc si anticipauerint, est certum signum augmenti. Quòd si magis ac magis anticipet, tunc in quacunque febre istud est indicium augmenti: sicut si postponat magis ac magis, declinationis. Exemplo opus forsan est, vt rem facilius intelligas. Nunc quendam Græcum

4. Aphor.

Cap. 5.

culcitra

culcitrarum artificem inuaſit febris prima die, hora 20. & durauit vſque ad ſtatum horis decem, declinationem habuit horarum trium, & ſymptomata non fuerunt valde magna: ſudauit etiam paululum. Tertia die, erat enim ex tertianarum notharum genere, inuaſit eum hora decimaoctaua, durauitque vehementia vſque ad quintam horam ſequentis diei: inde declinauit tribus horis fermè, fuerúntque ſymptomata prioris acceſſionis ſymptomatibus ſimilia fermè, aliquanto tamen grauiora, ſudauítque parum. Quinta die febris quæ expectabatur hora decimaſexta ex ratione anticipationis, inuaſit hora decimaquarta cum rigore magno, fuerúntque ſitis, vomitus, bilis, æſtus, dolor capitis, maiora: ac vigor peruenit vſque ad quartam horam ſequentis diei, cum declinatione moleſta horarum fermè duarum cum dimidio: ſudauítque multum. Hoc itaque fuit initium incrementi totius morbi, cum duæ aliæ acceſſiones ad initium pertinuerint. Septima die expectabatur acceſſio hora octaua vel ſeptima, ſed ſuperuenit hora nona: anticipauit enim & plus quàm in alia, non tamen pro ratione exceſſus: quia hæc acceſſio pars erat augmenti, & in ea erat ſtatus, de natura autem ſtatus eſt vt non anticipet, ſi febris non ſit ex his quæ anticipant: aut æqualiter anticipet, ſi ſit ex his quæ anticipant. Fuit igitur rigor fermè horarum trium, computata inæqualitate & vomitus, æſtus, ſitis, delirium, dolor capitis, iactatio, præfocatio, peruenítque ad finem ſtatus hora prima noctis, fuitque ſequens declinatio horarum quatuor: non tamen multum moleſta. Hac igitur in acceſſione fuit ſtatus, qui in talibus febribus vel portione vnius acceſſionis, vel ad ſummum vna tota atque integra acceſſione. Sudauit autem plurimum ac diu, & calidiſſimo ſudore. Nona die inuaſit eum febris hora ſexta, rigor fuit paruus, anticipauit igitur ſimpliciter horis tribus: comparatione autem præcedentis anticipationis, horis duabus minus, ſymptomata fuerunt remiſſiora, durauit acceſſionis robur vſque ad horam ſextamdecimam: inclinatio facilis, vſque ad vigeſimamprimam ſudauit, ſed non multum. Vndecima die ſuperuenit febris hora quarta cum dimidia, durauit leuis vſque ad vndecimam, inclinatio vſque ad quintamdecimam: modicum ſuadauit, molliter tulit. Decimatertia aduenit febris fermè hora eadem, aut paulo antè, durauit ad nonam vſque, inclinatio vſque ad vndecimam, perfuſus eſt rore quodam, nihil graue, finita eſt. Hæc formula eſt febrium quæ anticipant.

Vt verò hæc propoſitis applicemus, Galenus optimè dicit, quòd incrementa magna ſignificant morbum eſſe breuem, & vigorem appropinquare. Breuiſſimi igitur hi morbi ſunt, & periculoſiſſimi: ſi verò incrementa ſint parua, morbum longum ſignificat. Anticipatio breuitatem morbi, ſi ſit morbo propria ſignificat: ſi tempori morbi congruat, ſignificat augmentum: ſi morbus acceſſiones habeat eadem hora, ſignificat longitudinem, vt ipſe teſtatur. (4. Aph. 30.) Si autem ratione temporis, morbi ſtatum ſignificat, & ex conſequenti breuitatem eius. Si poſtponat morbus, longus eſt, non tamen adeò ac ſi horam eandem ſeruet: ſi autem ratione temporis, velut quia prius anticipauerit, declinationem ſignificat. Si rigor qui prius fuerat minuatur, & febris anticipet, conſidera ſigna coctionis: quæ ſi adſint, vel videas reliqua ſymptomata minui, morbus eſt in declinatione. Si adſint ſigna cruditatis, aut ſymptomata augeantur, ſignum eſt quòd intermittens in continuam vertitur.

Sed ex his quæ mox apparent, hoc eſt quartum indicium cognoſcendi tempora morborum & acceſſionum, quòd conſiſtit in ſignis ſuperuenientibus, ita enim interpretor ἐπιφαινόμενα, quoniam ſuperapparentia Latinè dici non poteſt. Igitur ſigna quædam morbis ſunt propria, quæ pathognomica vocantur: quædam aſſidentia, quæ morbi ſpecies declarant ſeu diſtinguunt: alia iudicatoria, alia quæ coctionem aut cruditatem oſtendunt, alia rurſus quæ mortem aut ſalutem pollicentur, omniúmque horum in hoc Commento Galenus meminit. Idem libro de (Cap. 15.) Conſtitutione artis Medicæ, declarat quæ ſint pathognomica: illa ſcilicet quæ morbo neceſſariò coniuncta ſunt: velut laterali, febris, dolor, tuſſis, ſpirandi difficultas, pulſus ſerrinus, hæc ſyndromen conſtituunt: ſunt enim tanquam partes proprij ſigni quarto modo, nam ex morbo laterali ſuper vnumquodque inferre licet: ex omnibus his ſuper morbum lateralem, non tamen ex vno vel duobus aut quatuor tantùm. Omitto miracula & monſtra, quæ velut in aliis rebus naturalibus, ita in medicina contingunt. Pathognomica igitur ſigna ſimul pro ſigno no proprio accipies: ſeorſum autem pro propriis, quæ omni & ſemper, non tamen ſoli conueniunt. Aſſidentia ſpecies morborum diſtinguunt: velut ſi ſpuat cruentum aut tenue, aut omnino non ſpuat: aut dolor aſcendat ad clauiculam, vel deſcendat ad hypochondrium, vel talis ſit vt ſuper latus idem non poſſit decumbere: aut poſſit, ſuper aduerſo autem poſſit. De his tamen non conſiderat hic Hippocrates, ſed ſolum vt ſunt ſigna coctionis. Dicit ergo, quòd ſputum ſi circa initia ſtatim appareat, morbum breuiat: ſi poſtea, producit. Sunt enim in ægris, vt habetur primo Artis curatiuæ, quatuor (Cap. 8.) præter naturam i morbus, cauſa, ſymptoma, & ſignum, verùm ipſe non ita diſtinguit. Certum eſt autem ita eſſe: quoniam tametſi ſymptoma cum ſigno plerunque idem ſit, tamen quandoque etiam inter ſe differunt, ratione autem ſemper, vt enim accidunt, ſymptomata: vt ſignificant, ſigna ſunt. Ergo vt de ſputo ſermonem habeamus, dicebat Galenus: Sputum ab expuitione differt, quod (1. De Criſ. cap. 5.) enim concoctum eſt, neque permiſtum bili aut ſanguini, neque ſpumoſum, ſputum vocatur. Expuitio autem duplex: alia, in qua nil prorſus ex materia morbi educitur, ſed (gratia exempli) ſola pituita: alia, in qua educitur aliquid, ſed non concoctum. Et hæc rurſus etiam duplex eſt: aut ſolum quod educitur crudum eſt, aut etiam prauum. Et prauum rurſus duplex: aliud ſimpliciter prauum, velut flauum: aut etiam malignum,

velut viride vel nigrum. Sex igitur erunt differentiæ, ratione eorum quæ reiiciuntur in morbo laterali, aut enim nihil prorsus reiicitur, aut pituita sola: aut aliquid crudum simpliciter, aut crudum & prauum, sed non malignum: aut crudum prauum & malignum, aut concoctum. Duo primi modi pares sunt, & extremam morbi cruditatem nunciant, atque ideo longitudinem. Tertius longitudinem, sed non tantam. Quartus longitudinem & mortem, nisi vires valde robustæ fuerint. Quintus mortem certam, sed cum viribus robustis aliquanto tardiorem. Sextus salutem, & eo celeriorem, quo virtus robustior fuerit. Inquit enim Hippocrates primo Epidemiorum: Coctio celeritatem securitatémque iudicij portendit. Ob hæc igitur hic subiungit: Bonam morborum iudicationem, vel malam, vel breues aut longos fore morbos declarant.

Comm. 2. Sect. 45.

Verùm dicet aliquis, Quomodo per initia & statim potest apparere sputum? cum sputum sit res concocta: & initij morbi proprium sit, non apparere signa concoctionis. Ideo dico, quòd Hippocrates non de initio morbi, provt est tempus, loquitur, cum iam, vt diximus, hoc sit quod quæritur. Igitur non præsupponitur cognitum, sed de principio iuxta vulgi sensum, id est, in prima vel secunda die. Neque etiam tunc potest apparere sputum concoctum, nam concoctio in phlegmone non fit, nisi in quarta die, exactis 72. horis, cum celerrimè fit, vt experientia videmus: tardius autem quantumlibet, citius autem nunquam. Vnde cum sit opus membrorum sibi assimilantium, vt colligitur à Galeno 1. Prognosticorum: certum est membra non transmutare sanguinem in substantiam sibi similem, nisi in quatuor diebus, & tunc vnio fit cum membris, & adhæret. Fit autem prima concoctio in ventriculo in quatuor horis, vt in vitellis ouorum videmus: & hoc est initium perfectio verò, vt vult Auicenna, est à 12. hora ad 22. interim quod in ventriculo concoctum est, concoquitur in iecore, adeò vt cibus iuxta centesimam horam vniatur ipsi membro, & fiat illi similis in colore & qualitate substantia. Perfectio autem similidinis in substantia tota est valde varia, pro ratione membrorum, nam in carne fit celerrimè, non tamen ante aliquot dies: medulla verò antequam in ossa conuertatur, vt dicebat Galenus, numerosa, conuersione indiget, & longa mutatione. Cum igitur dixit, sputum esse quod concoctum est: intelligit, quòd vestigia concoctionis habet, nam hoc prima die apparere potest, si materia tenuis, & maiori ex parte vtilis fuerit, & non multa, & vires robustæ, & tunc, quia tempora sibi proportione respondent, media coctio in secunda die fiet, & in quarta erit iam suppuratum quod est in abscessu, & expuetur, atque ita erit morbus breuis, ac tutus. Describam autem exemplum ex Hippocrate 3. Epidemiorum, quod maximè est ad propositum, & multa dubia in se continet: recitatúrque à Galeno hîc in Commento. Sed ego perfectum Commentarium faciens, nolo vt quispiam aut in itinere, aut occupatus, alio libro opus habeat.

Com. vlt.

13. 3. tract. 3. cap. 8.

3. de Fac. natur. c. 15.

Com. 3. Sect. 79.

HIPPOCRATIS

Verba.

ABderæ Anaxion, qui ad Thracias portas ægrotabat, in febrem acutam incidit, dextri lateris assiduus eum dolor cruciabat, tussim habebat aridam, neque primis diebus expuit: sitibundus erat, & insomnis: vrinæ boni coloris, multæ & tenues. Sexto die delirabat, fotibus nihil remittebatur. Septimo magis laborabat, quippe febris augebatur, nec sunt imminuti dolores: simúlque tusses infestabant, difficulter etiam spirabat. Octauo cubitum secuti, multum (vt debebat) effluebat: leniores ibi euaserunt dolores, sed tusses aridæ permanebant. Vndecimo febres fuerunt mitiores, aliquantum circa caput sudauit, etiamnum tusses durabant & quæ à pulmone exibant, liquidiora erant. Decimo & septimo cœpit pauca & concocta expuere: leuatus est, sitibundus erat, & à pulmone parum bonæ purgationes. Vigesimo sudauit, febre liberatus est, à iudicio rectius habuit, vigesimoseptimo rediit febris, tussiit, multa excreauit concocta, in vrina multa subsidebant alba, desiit sitire, dormiuit. Trigesimoquarto toto sudauit corpore, cessauit febris, in totum iudicatus est. Hæc ille.

ABdera vrbs Thraciæ erat, iuxta Nesum fluuium: cuius historiam sex ægrorum descripsit è sexdecim, quos ibi recitat. Ignobilem hunc fuisse constat, nam nobilibus familia adiici solebat, aliis ars: vt apud Xenophontem & Platonem, Simon coriarius: vel pater, vt Eudemus Aristarchi: vel locus habitationis. Igitur Galenus in hoc Commento, habitabat: sed Hippocrates κατέκειτο, iacebat. Sed modus loquendi est, velut si dicamus, æger ille ardente febri laborauit: id est, qui laborauit ardente febre, non quòd antea esset æger. Febris acuta, quæ solet abscessus interiores comitari: cúmque solum dependet ex materia putrescente intra abscessum, neque est ephimera, vt colligitur 4. Aphorism. talis enim sequitur bubonas exteriores, neque putrida continua, cum materia sit extra venas. In interioribus ergo abscessibus duæ febres fieri solent. Alteri intermittens natura, sed per continuitatem, & subingressus accessionum similis continuæ. Et ideo 1. de Victu in acutis, loqens de morbo laterali, meminit frigoris pedum, non enim caret typo talis febris, sed propter cordis propinquitatem habet accessiones superingredientes & coniunctas, & ita potest esse acuta. Alia febris continua quæ non est omnino necessaria, fit ex sanguine circumabscessum

Tit. 55.

Tit. 46.

cessum in venis putrescente : & hæc cessat quandoque ex sectione venæ, quia vt habe- *Cam. 10.* tur 2. de Victu in acutis, in sectione venæ extrahitur sanguis, qui est iuxta abscessum, hic enim tum propter motum interceptum, tum propter calorem humoris in abscessu putrescentis, putrescit : vnde fit febris continua. Si igitur humor qui est in abscessu, fuerit abundans, febris intermittens fiet valida. Sin autem paruus abscessus, materia autem circa illum multa, latebit febris intermittens sub continua febre, nec typus dignoscetur. Cum ergo videris febrem continuam cum typo, & dolorem in aliqua parte corporis, iudica abscessum ibi esse, si dolor fixus fuerit. In vniuersum, bubonas exteriores comitatur ephimera : abscessus internos, intermittens: & eo magis manifesta, quo materia fuerit frigida, pauca, & à corde remota, absque alia continua febre, materiam circumiacentem phlegmoni : & maximè cordi propinquam, continua acuta, vt in morbo laterali plerunque, fermè autem semper vtraque dignoscitur. Apparet autem, quòd tussis & dolor & febris simul inuaserunt : aliter non essent signa pathognomica. Sitis autem & vigilia, & ariditas tussis, sunt signa cruditatis morbi. Sicut & vrinæ tenues, febris initij, licet coloratæ. Dixit dolorem fuisse in dextro latere, propter duo: vt intelligeremus, cum secuit venam, fuisse ex eodem latere: & etiam *10. 3. Tract. 4. cap. 1.* quia Auicenna inquit, Lateralis morbus dextri lateris minus periculosus est, sed longior : sinistri breuior, sed magis lethalis, Quòd autem dixit sitibundus, magnam sitim declarat, & firmam, quæ potu non sedatur.

Quòd fotibus non remittatur dolor, magnitudinem abscessus declarat. Et ea fo- *Com 1. & 2. 5. & 6.* menta sunt trium generum, vt 2. de Victu in acutis colligitur : humidum, ex aqua in materia acuta : mordens, in lenta, vt ex eruo & ordeo in aceto decoctis : & siccum, in tenui materia, vt ex milio & sale torrefactis in vesica applicantur. Delirium illud fuit paruum, 2. de Difficultate spirandi : aliter spiratio fuisset magna & rara.

Comm. 2. Sect. 6. Circa vrinas duo adnotanda sunt, vnum, quod dicebat Galenus 3. Epidemiorum, Vrina in morbis extra venas, & in morbo laterali, nihil significat ad salutem, etiamsi bona sit : ad mortem autem magnum momentum affert, si mala sit. Quod ad venarum autem morbum attinet, dicebat 1. Epide- *Comm. 3. Sect. 17.* miorum : Vrinæ tenues & coloratæ morbum salubrem, sed tamen longum, qualis hic fuit, declarant. Multitudo autem earum docet, quòd materia non est omnino cruda: vt 4. *69.* Aphorismorum, & abundantiam humidi, cum acuitate caloris, in febribus.

Septimò magis laborabat, quia cuncta symptomata grauiora facta sunt : febris, dolor, tussis, spirandi difficultas: quæ cum sem- *Cap. 8.* per adsit morbo laterali, dicebat Galenus 2. de Spirandi difficultate, existimandum tamen est, fuisse maiorem quàm pro morbi ratione : siquidem consueta & morbis propria prætermittere consueuit Hippocrates. Augmentum igitur ex hac die inchoauit, quod quoad febrem, vsque ad vndecimum mansit : ratione autem morbi lateralis duplex fuit : quo ad concoctionem materiæ vsque ad vigesimumseptimum, quo ad symptomata vsque ad vigesimum. Cum enim morbus sit compositus, nihil mirum si plures augmenti & status differentias contineant.

Octauò autem cum venam secuerit (fuit ergo in initio augmenti) ex eodem latere intellige, vt 4. de Victu in acutis. Multum vt debebat effluxit, dicebat Galenus 2. de Victu *Sec. 75.* in acutis, Quomodo effluat sanguis, nam si *Comm. 10.* biliosus fuerit, primùm rubeus, inde niger, ex loco abscessui proximo effluit. Sed quia sanguis vix potest tantum aduri vt sit niger, effluit liuidus. Si verò sanguis in corpore sit pituitosus, primùm flauus exit, inde ex locis circumiacentibus abscessum ruber. Cum verò peruenerit ad mutationem coloris, tantum debes educere vt virtus ferre posse videatur, antea verò non debes sistere. Cum ergo dixit, Multum vt debebat effluebat : intellexit, ex sanguine qui iam calorem mutauerat. Ex quo debes id animaduertere, quòd si sectio venæ fiat in initio morbi, debet fieri parca, & sæpius repeti, ad diuertendum : sin autem in augmento, copiosa, nec debet repeti. Nam prima sectio diuertit, hæc autem educit materiam proximam abscessui. Est etiam animaduertendum, quod Hippocrates hoc exemplum adiecit, vt Galenus docet in Commento huius exempli tertio Epidemiorum, vt significaret sectionem venæ non prohiberi numero dierum, sed si morbus iam ad statum peruenerit, nam antiqui etiam ipsi Hippocratis ætate, verebantur sanguinem vltra quartam diem detrahere.

Dolores ex hac sectione cessarunt : id est, imminuti sunt, nam dolent partes sanæ, non ægræ : & quæ proximæ sunt abscessui, non abscessus. Igitur sublato sanguine partes illæ desierunt comprimi, & ita dolor leuatus est, tusses tamen aridæ permanebant, quia materia concoqui nondum poterat. Galenus pri- *Comm. 1.* mo Epidemiorum : Quatuor sunt genera tus- *Sec. 12.* sis siccæ. Primum, cum pulmo sola mala intemperie laborat, citra omnem materiam. Secundum, cum est sola asperitas in arteria aspera, atque in his duobus casibus nec quicquam expuitur, nec appetit æger expuere: sed in secunda est punctio, in prima non. Tertium est, cum crassi ac lenti humores hærent pulmoni : & tunc homo appetit expuere, sed non potest : & si expuit, illud est modicum & crassum. Quartum, cum tenues & aquosi humores tussim excitant : & tunc licet sit tussis sicca, tamen aliquid semper exit cum tussi, sed paucum & aqueum. In his duobus casibus licet homo non expuat, multum tamen appetit expuere. Cessarunt igitur quædam symptomata, quædam non. Et ita ex auxilio potest prohiberi status symptomatum, saltem aliquorum.

Vndecimo febres fuerunt mitiores, manifestum est quod tunc morbus desiit esse acutus, & ita metam suam non excessit, non desiit antea : quia licet materia circa locum detracta fuerit, tamen quia concoctio vigebat, febris augebatur, & ideò cum ratione

detractionis

detractionis sanguinis esset imminuta, ratione concoctionis aucta stetit febris vsque ad vndecimam, tunc verò incœpit augmentum morbi lateralis, quoad materiam, quia cœpit expuere liquida, nam principium coctionis fit in initio augmenti morbi, primo de crisi. Sudor autem ille fuit indicatiuus.

Cap. 8.

Lib. 2. c. 18.

Nam, vt habetur à Paulo, in febribus pars materiæ tenuis, etiam ante coctionem expurgatur per vrinas & sudores, & vomitus, tum per aluum. Cum igitur has partes natura prius expellere tentet ante coctionem, vbi expulerit, indicat quid factura sit, cum totam materiam concoxerit, nisi casu vel ab imperio medico prohibeatur, atque hæc est ratio indicationis. Sudauit ergo in 11. non crisis ratione, sed vt tale iudicium quod in 34. successit, expectaretur.

Decimo & septimo cœpit pauca & concocta expuere: tunc enim fuit finis augmenti, quod declarant verba subsequentia, Et à pulmone parum bonæ purgationes. Propterea Galenus legit primo de Crisi, Parum coctum seu imperfectè. Vt legeris, benè se habet sententia, nam in morbo laterali semper tempus augmenti conuenit cum tempore status: quia finis augmenti est idem cum principio status, ob partium materiæ diuersitatem: & ita status finis cum declinatione. Dum enim pars tenuis in abscessu suppuratur, mediocris tendit ad suppurationem, & crassa nondum incipit, atque ita miscentur tempora. Quod non contingit in febribus simplicibus: quia materia est magis sparsa. Leuatus est, quia febres iam quieuerant, & materia tenuis eiecta erat. Inter vndecimum & decimumseptimum enim febris quieuerat. Et ita à decimoseptimo ad vigesimum cuncta manserunt, vt in decimoseptimo: initium enim mutationis declaret. Sitibundus tamen remansit, hoc enim proprium signum est morbi non soluti, sed inducias dantis. Rarò enim inuenies conualescentes sitibundos, id est, assiduè sitientes, qui non recidant in morbum: cuius causam suo loco exponemus.

Cap. 18.

De iudicatione P. 4.

Vigesimo sudauit, fuit status morbi pendentis ex materia, quæ circa abscessum putruerat. Et licet ibi tantum esset, vaporibus tamen sparsis sudauit toto corpore. Et hic fuit finis febris, & materiæ eam facientis: cuius initium fuit à prima die, augmentum in septima, status in 17. Rectius se habuit iudicio, cum febri liberatus sit.

Vigesimoseptimo fuit initium status morbi lateralis, quod ad matetiam attinet: ideò & in vrina multa alba subsidebant, partim materia abscessus ad illa loca transeunte, partim venis quod in ipsis est concoquentibus. Et sputum concoctum apparuit: ideò desiit sitire, quoniam natura minus laborabat. Dormiuit: signum & causa bona. Tregesimoquarto sudauit, scilicet liberatus à materia quæ in abscessu ipso continebatur. Febris igitur hæc, vt dixi, fuit febris abscessus, media inter putridam & ephimeram, licet tamen status hic 27. die cœperit, non tamen fuit longus, sed compositus ex pluribus partibus, iuxta partes materiæ: ideò à 27. ad 34. semper fuit augmentum, status & declinatio. Et ita in aliis morbis, quorum materia sensim expellitur.

Vide 5. Aphor. 8.

Reuertor ad Aphorismi expositionem, inquit enim, Et vrinæ. Hoc est quintum, à quo sumitur iudicium longitudinis aut breuitatis morbi, ad instituendum victum salutis aut mortis, ad curam suscipiendam. Neque plura generaliter medicus potest considerare, quàm vel salutis aut mortis signa, vt sciat an debeat de cura se intromittere, vt dicunt: aut postquam susceperit an æger seruandus diuturno morbo, an breui, an breuissimo, an mediocri laboret, vt victus rationem instituere sciat. Neque enim alio indiget, vel etiam specie morbi exquisita ad salutem, si contentus generali ratione medendi, vt opus naturæ relinquat, victum solum instituere velit: aut concocta purgare, quemadmodum iubet Hippocrates. Sumitur igitur indicium hoc ab his signis coctionis & cruditatis, quæ sunt generalia omni morbo: sicut præcedens, quod de sputo fuit, à propriis vniuscuiusque.

Quòd autem non possint esse plusquam tria signa generalia, declaratur ex Galeno octauo Artis curatiuæ. Tria enim quibus constamus sunt: membra, humores, & spiritus, quod etiam ab Hippocrate dictum est in Sexto Epidemiorum. Tria igitur sunt ad reparandum necessaria: cibus, potus & aër. Tria igitur fient rursus excrementa: fæces cibi, vrinæ potus, halitus spiritus. Hic halitus cum ab externo aëris frigore cogitur, sudorem facit, ob id sudor fit magis nobis refrigeratis, quàm in summo ardore solis, aut exercitationis, aut febris. Fæces igitur significant super dispositionem ventriculi & intestinorum propriè: id est, vt humoribus non commiscentur. Vt verò habent immistum vel sanguinem vel humidum aqueum, significant supra iecoris etiam cauitatem & venas mesaræi. Sed vt humores etiam admistos continent, possunt significare supra totum iecur non solùm, sed etiam supra totum corpus. Vt verò pituitam permistam habent, & mucum supra intestina propriè, ventriculum & cerebrum. Quibus enim multa fluxio fit pituitæ à cerebro in partes inferiores, his plerunque in excrementis pituitosa, & humores crudi muccique ipsi apparent. Vrinæ verò coctiones in gibba iecoris, & in venis, tum super renum vesicæ ac vreterarum vitia. Sed & alibi res hæc exquisitius docebitur. Sudores verò supra coctiones quæ fiunt in venis non solùm, sed etiam arteriis, & ipsis membris etiam, ideò plurimum possunt. Animaduertendum autem, Galenum Quinto de Locis docere, quomodo ex sudoris qualitate dignoscatur morbus, & maximè regius: & rursus quomodo sudor colligi debeat in strigili, colorem enim variat, vt vrina.

Cap. 1.

In fine vlt. cap.

APHORISMVS XIII.

Senes facillimè ieiunium ferunt: Secundo loco, qui ætatem consistentem habent. Minus adolescentes.

scentes. Omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

COMMENTARIVS.

CVm docuisset quæ præter naturam indicant rationem victus, vt sunt morbi symptomata, tempora morborum, & accessiones: transit ad ea quæ naturalia sunt, velut ætates, temperaturæ, anni tempora, consuetudines. Primò ab ætatibus, tanquam magis propriis, quarúmque notum sit discrimen tam in re quàm in tolerantia ieiunij, exorditur: in quatuórque ætates totum humanæ vitæ cursum diuidit. Nec sibi contradicit, qui hanc metam multis modis partitur, prout occasio exigit: vt neque si quis figuram multis modis diuiserit. Vnde & Iurisconsulti iudicem probant ordinariè, supra 18. annum: vt in l. Quidam consulebant, Vlpianus recitat. Alio modo pro excusationibus, vt in l. Ἀφίεται ἐπιτροπῆς, Modestinus ab anno sexagesimo. Et rursus pro condendis testamentis, alia lex præfinit quartumdecimum annum in masculis perfectum, duodecimum in fœminis, tanquam hæ prudentiores sint ætate prima: vnde etiam coniugium celerius, atque eodem anno in his firmum est.

Digest. de Re iudicata, Tit. 1.
Dig. lib. 27. Tit. 1.

Tot ergo genera diuisionum in ætatibus, quot causæ diuidendi. Hippocrates igitur hac in causa hominis vitam in quatuor ætates distinguit: Senium, consistentem, adolescentiam ac pueritiam.

Dig. lib. 28. l. qua ætate. Tit. 1.

Licet autem sic facere, maximè vbi ordinatim res procedit, vt hic, nam constitutis modò vniuscuiusque terminis, si libeat ætates in plures dissecare, semper ratio eadem seruabitur. Velut si pueritiam diuidamus in infantiam vsque ad septem annos, & florem qui est à septimo ad quartumdecimum: qui in infantia erunt, minus commodè etiam ferent ieiunium, quàm qui in flore sunt. Et similiter adolescentiam in eam quam vocant efflorescentiam, scilicet vsque ad 18. annum: & veram adolescentiam vsque ad 25. & iuuentutem ad 30. vsque: palam erit, in iuuentute facilius toleraturos ieiunium, quàm in vera adolescentia: & in hac rursus, quàm in vocata efflorescentia: Vt sit tandem vna ratio: Quo magis ortui propinqui sunt homines, eo difficilius ieiunium ferunt: quo remotiores, facilius. Manifestum est autem, quòd hoc ad eundem hominem referri debet, nam Hippocrates secernit singulas indicationes, vt veriores sint, & facilius explicentur, fieri enim potest, vt consistens mulier sane viro facilius ieiunium ferat, & pituitosus adolescens viro bilioso.

Diuisit autem in quatuor ætates, vt sensile discrimen declararet, quamuis enim in senectute discrimen sit ferendi ieiunium: non tamen adeò magnum est, vt si in fine facilè ferat, difficillimè ferat in initio, sed non tam facile. Neque infans, qui animo linquitur ob ieiunium, facilè tulerit in pueritia: sed etiamsi diutius ferat, delinquet animo, in adolescentia verò satis commodè feret. Nec sunt cauillosè committenda initia, subsequentia finibus præcedentibus, vt adolescentiæ initium fini pueritiæ: exiguum enim erit discrimen tolerantiæ, velut & temporis: sed semper initia initiis, media mediis, fines finibus. Quo fit, vt inter ætates non continuas, maximum discrimen appareat, non solùm in hoc, sed etiam aliis, vt vulgo homines dicantur temperaturam & mores mutasse.

His igitur quæ necessaria esse duxi perceptis, primum quidem constituenda erit ætatum magnitudo: vt verò constituatur, ratio discriminis quærenda est, aut enim homo nondum absolutus est, ídque contingit vsque ad 14. annum, vt etiam leges volunt, vocatúrque puer: in fœminis, ac 12. tantum, soláque hæc ætas in controuersiam non vocatur, vt neque adolescentiæ initium. Est autem adolescentia, tempus totum quo homo crescit, dum iam est (vt dixi) absolutus: consistens ætas, dum nec crescit, nec decrescit: senectus, dum decrescit. Cum verò corpus necesse sit sub vno ex his quatuor modis constitui, palam est, iuxta hanc rationem, nec posse esse plures ætates in homines, nec Hippocratem vllam quasi intermediam omisisse. Quamobrem tam iniustè à Galeno in hoc accusatur in Commento, vt manifestum sit, Galenum non assecutum verè Hippocratis mentem. Nam hac ratione constituta, non poterit humana vita in plures ætates diuidi. At iuxta hanc diuisionem verius variatur ratio ferendi ieiunium, quæ est eadem cum caloris magnitudine, & tenuitate substantiæ illius, quanto enim calor copiosior & tenuior est, eo difficilius ferunt ieiunium: quod seipsum absumat, & ipse accendatur & ferueat. Quomodo autem intelligendum sit hoc incrementum, an penes vires animi, an corporis, an molem eius? At de animi viribus hic loqui, absurdum tam est, quàm etiam extra propositum. Vel igitur de corporis mole, vel de viribus eius est intelligendum. At nemini hæc ratio perspecta esse poterit bene, nisi ei qui naturam caloris & humidi naturalis, quæ vnum sunt re, intellexerit. Ergo calor hic ab initio maximus est, non multitudine (sic enim non augeretur) sed pro ratione corporis, in infantibus enim tota moles fermè humidum & calidum naturale est. Cum verò augetur multitudine, non proportione (hoc autem toto tempore infantiæ & peritiæ fit, tum adolescentiæ) Hippocrates non spectat discrimen iuxta hoc quod est esse perfectum in operationibus, vel non esse: quid enim ad illum hoc attinet? Sed quia, vt dicebat Galenus vndecimo Artis curatiuæ, in pueris tanta sit resolutio insensibilis per *Cap. 14.* poros, vt non indigeant, quamuis febrientes, venæ sectione. Puella ergo ad annum vsque 12. masculus vsque ad 14. nihil resecant prouenere & conceptione: quia corpus eo toto quod assumit, indiget: ergò neque sectione venæ. Tales igitur ieiunium difficillimè ferunt. Adolescentes sequuntur, in quibus augetur calor absolutè, non tamen ita vt corpus eo indigeat toto. Ergo etiam minus indigent alimento, & facilius ieiunium ferre possunt. Consistentibus calor non augetur simpliciter, nec minuitur: nec etiam proportione, quoniam magnitudo eadem est, & corpus

corpus sensibiliter non mutatur, verè tamen proportione minuitur. Senibus tam simpliciter, quàm proportione corporis minuitur. Igitur sunt quatuor ætates, in quibus omnibus, iuxta proportionem ad corpus, calor & humidum innata minuuntur: simpliciter autem in pueris augetur, & toto indigent: in adolescentibus augetur, sed non toto indigent: in consistentibus non augetur, non tamen minuitur: in senibus autem minuitur. Quibus intellectis, haud arduum erit adolescentiam præfinire vsque ad perfectum corporis incrementum, quod à 25. anno vsque ad 30. extenditur. Consistendi ætas à fine adolescentiæ ad 45. vel quinquagesimum: reliquum totum senectuti mancipatur. Ætates omnes hæ quo magis producuntur, eo sunt longiores: vt senectus, consistentia: consistentia, adolescentia: adolescentia, pueritia, nisi quod, cum pueritia in quodam defectu consistat, in debilibus natura longior est: pueritia, impotentia venereorum, non incrementi magnitudine, ipsa adolescentia. Vnde tales non ante 14. annum desinunt esse pueri, 25. tamen adolescere desinunt, atque his 45. senectus incipit.

Cap. 1. Recte inquam Galenus sexto de Tuenda sanitate inquit: Ætates non sunt, vt quidam faciunt, numero annorum determinandæ. Quod ita intelligendum est, vt non certum annum definiamus: non tamen vt pueritiam in septimo anno, vel adolescentiam in quinquagesimo esse dicamus. Plerumque ergo, vt metam aliquam habeas ætatum, pueritia ad 14. adolescentia ad 30. consistentia ad 50. senectus vsque ad mortem ab eo anno extenditur.

Humanæ autem vitæ spatium multis modis ab Hippocrate diuisum est, vt dixi, in ætates. Primò quidem, vt ad incrementum corporis comparatur, & ita in duas tantùm, velut in sequenti Aphorismo, & secundo de Humana natura, dum dixit: Quod crescit, calidum est, cúmque adolescit: cum autem marcescere incipit, & præcipitare, frigidum. Secunda diuisio est in tres ætates. Hippocrates in Quarto de Victo in acutis: & eam declarat Galenus libro de Sectione venæ. Et est in puerilem, quæ nunquam admittit venæ sectionem: & florentem, quæ semper: & in senum, quæ quandoque admittit, quandoque non, & ægrè etiam admittit. Tertia est in quatuor ætates, & est in præsenti loco ab Hippocrate inducta. Quarta diuisio est in sex, & habebitur infrà. Iuxta ergo diuersas rationes, diuersa diuisio conuenit. Senes igitur cum neque crescant corpore, sed stent: nec calore, sed minuantur, calórque crassus sit, & terrea substantia, facillimè ieiunium ferunt, contrà difficillimè pueri, quibus calor maximus, & substantia tenuis, & humidum totum ad incrementum necessarium, & ipsum incrementum maximum. Quatuor enim, vt dictum est, sunt differentiæ, quarum vna est semper aliis iuncta: scilicet facilis & difficilis resolutio, magnitudini & paruitati caloris: reliquæ tres quatuor constituunt ætates. Caloris constantia facit differre omnes ætates à declinante, seu senum: incrementum caloris facit differre adolescentiam & puerilem à reliquis. Necessitas totius caloris ad corporis incrementum, facit differre puerilem ab adolescentia, & omnibus aliis.

(Cap. 14. & 15. — Tit 19. c. 9. — Lib. 3. Aph. 24.)

Sed cum dicat, facilè senes ieiunium perferre, quæritur quomodo intelligatur: an quia famem non incurrant? an incurrant, non tamen afficiantur? Si famem incurrunt magis, etiam magis affici necesse est corpora debilia & sicciora. Inquit enim Hippocrates: Famem humidis corporibus adhibere conuenit. Verùm qualiter intelligendum sit, suo loco docebitur. Nunc satis sit vt intelligamus, minus affici ieiunio senum corpora: quia etiam minus famem incurrunt. Vbi autem famem incurrant, certum est magis, non solùm æqualiter lædi, nam vidimus plures sanos senes ex ieiunio in morbum attonitum aut resolutionem incidisse: iuuenes autem, & pueros, solum in lipothomiam. Vtrum verò ante famem lædantur, credendum est quòd non: quoniam adhuc sanguis adest nutritioni sufficiens, & pituita. Læduntur tamen quidam etiam imbecillitate quadam propria. Quare hæc, vt reliqua, de corporibus temperatis sunt intelligenda, nam biliosus senex deterius afficitur ieiunio quàm iuuenis, vel puer quicunque: & præcipuè, si imbecille os ventriculi habeat, sitque (vt Galenus inquit) picrocholus. Senes ergo in inedia diutius superuiuunt iuuenibus, & iuuenes pueris, etiam in sanitate, nedum in morbo, quod quia pulchrè à Poëta, licet materna lingua, descriptum est, Dante scilicet, ideò carmina subiicere libuit. Inferni c. 33.

Poscia che fummo al quarto di venuti
Gaddo mi si gitto distes o apiedi
Dicendo, padre mio che non m'aiuti.
Quiui mori: e come tu mi vedi
Vidio cascar li tre ad vno ad vno
Tra'l quinto di e'l sexto: ond'i mi diedi
Gia cieco a brancolar soura ciascuno:
Et tre di li chiamai, po che fur morti
Poscia piu chel dolor pote il digiuno.

Nondum historiam Latinam aut Græcam huic negotio magis conuenientem inueni, seu quod Pisani barbaros omnes hac in re superauerint. Constat Gaddum triennem puerum fuisse, qui inter tertium & quartum diem fame periit: reliqui, quanto adultiores, vitam diutius protraxere. Pater octo diebus, quoniam senex erat, superuixit. Exemplum sanà inauditæ crudelitatis.

Vt verò sciamus ad quem finem Hippocrates hunc scripserit Aphorismum, intelligendum est, in cibi meta quinque esse obseruanda: qualitatem, substantiam, quantitatem, numerum, ac tempus, longum sit si velim repetere, vbi de vnaquaque parte loquatur: satis est hîc de numero loqui, vt pote si quis duobus aut tribus diebus perferre ieiunium possit, an singulis diebus semel aut his cibandus, aut etiam sæpius in acutis morbis, nam, vt aliàs dixi, de his principalis est hic institutio, quæ nihilominus ad aliorum regimen traduci potest. Quo cognito, liquet non de quantitate, sed in sequenti Aphorismo eum loqui. Si igitur senex mereatur ieiunium quatuor dierum, eum qui in ætate constituta erit, semel singulis duobus diebus

diebus nutriemus, adoleſcentem ſemel in die, puerum bis in die: atque eadem ratione, quantitatem autem in ſequenti Aphoriſmo intelliges. Quòd etſi ſenex lædatur ex tanta inedia, minus tamen cæteris lædetur: & incumbente graui periculo vitæ, læſio illa non erit conſideratione digna. Quod verò nos angit, eſt quæſtio de ſenibus extremis, quos nutriendos frequentius exiſtimant, Galeni authoritate Quinto de Tuenda ſanitate. Cap. 4. Ter enim, cum eſſent decrepiti, cibum ſumebant. Sed quòd id neceſſariam foret, declaratur, nam neque rarò, & parum: ſic enim virtus defeciſſet, præſertim munia obeuntibus: nam alter Grammaticus, alter Medicus fuerat: neque multum cibum ſumere poterant, vt in ſequenti Aphoriſmo, ſeu ſæpe, ſeu rarò: calor enim ſuffocatur. Relinquitur igitur, vt ſenes vltimi ſæpe & parum cibum ſuum debeant. Iniuſtè ergo Galenus ſugillat Hippocratem hic in Commento, dicens, Non eſſe intelligendum de vltimis ſenibus, ſed ſolùm de primis, nam cum de ægris loquatur Hippocrates, quamuis rarò & parum cibentur, eam noxam virium contemnit Hippocrates in tanto periculo acuti morbi, præſertim quod (vt videbimus) in ſenibus hi ſunt perículoſiores. Et cum neque muniis tunc ſubiaceant, & tempus (vt dixi) admodum breue ſit, certum eſt famem illis longè ſerius aduenire, & eos multo minus ab inedia affici. Dum etiam ſunt ſani, verum eſt ſenes hos melius tolerare inediam ſingulis vicibus: ſed poſtmodum pauco cibo & benè nutriente alendi ſunt. Quòd ſi dicas, Frequentem & longam inediam ægrius hi ſaltem ferent, quàm primi ſenes: neque hoc verum eſt, ſed bene non poterunt poſtea ita commodè nutriri, nam ſi parum dederis, non reſtaurabuntur: ſi multum, ſuffocabitur calor, ergo non bene, tolerabunt nutritionem, ſed inediam facilius ferent. Aliud verò eſt longè, non tam commodè nutriri: aliud, non ferre inediam. Iniuſtè ergo reprehenditur Hippocrates his à Galeno in hoc Aphoriſmo, cum (ſalua authoritate tanti viri) fruſtra quaſi errantem exponat. Liquet ergo, quod Hippocrates nullam omnino prætermiſit ætatem: & quod quæ in hoc Aphoriſmo dicit, omnibus ſenibus conueniunt: Et ſi ægri ſint vltimi ſenes, acutóque laborent morbo, modò ſint temperie non admodum billioſa, diutius abſque cibo primis ſenibus detinendi ſunt. Nec dum valent, ſunt ſæpius nutriendi, quia ieiunium non facilè ferant: ſed quia parum cibi coguntur aſſumere, ideo frequenter. Non ergo parum cibi dandum, quia frequenter nutriendi: ſed frequenter nutriendi ob id, quia parum cibi 1.4. Tract.2. cap.2. ſingulis vicibus dare cogimur. Atque hoc eſt quod dixit Princeps. Cum fuerit virtus debilis, melius eſt cibum ſpargere, quia facilius concoquitur. Non eſt ergo ſpargendus, & ſæpius dandus, ob virtutis debilitatem: ſed quia ob virtutis debilitatem parum dandum eſt cibi, ideò ſæpius dandus eſt cibus.

Præſertim qui inter ipſos ſunt viuidiores. (Hæc eſt quinta pars Aphoriſmi, in qua agit de indicatione, vt dixi numeri dandi cibum. Circa quam ſcire oportet, quod res quæ conſiderantur à medico, ſunt trium generum, vt ſæpe dixi: naturales, non naturales, præter naturam. Naturales ſunt ſex: Elementa, temperaturæ, humores, membra, virtutes, & operationes. Verùm ad quatuor reducuntur, elementa ad temperaturas: non enim medicus conſiderat elementa niſi propter temperaturas, nec operationes niſi ob virtutes, erunt igitur quatuor: temperatura, humores, membra, & virtutes. Non naturales autem ſunt ſex: Aër, cibus & potus, inanitio repletio, motus & quies, ſomnus & vigilia, & animi affectus. Præternaturales tres: morbus, ſymptoma, & cauſa morbi. Ex his quæ ſunt non naturales, nullam præbent indicationem, quia tales poſſunt permutari: ſed quæ poſſunt permutari ad libitum, non præſtant indicationem, ſed indicatio eſt permutatio. Et ideo à rebus non naturalibus indicatio nulla ſumitur, niſi ab aëre. Cauſam narrabat Galenus nono Artis curatiuæ: Cap. 14. alias cauſas permutare licet, aërem non licet. Igitur à nulla re non naturali licet ſumere indicationem, niſi à ſolo aëre. Relinquuntur igitur octo tantum, à quibus poſſit ſumi indicatio: quatuor naturales, tres præter naturam, & aër. Et licet cauſa morbi ſublata, auferatur tam morbus quàm ſymptoma: non tamen eodem modo, ſed manent indicationes ſingulorum quæ ſub genere rei præternaturalis continentur, hæc autem alibi declarabuntur. Aër verò cum ſit res quam vitare non poſſumus, reducetur ad res naturales. Igitur prima genera eorum à quibus ſumetur indicatio, erunt iam tantum duo: res naturales, & res præter naturam. At res præter naturam continent cauſam & morbum & ſymptoma: res naturales continebunt quinque, temperaturam, aërem, humores, membra, & vires. Iam verò hæc duorum ſunt generum, quædam per ſe indicant, & ſunt vires: quædam non per ſe, & ſunt reliqua quatuor. Sunt igitur rurſus tria genera, quæ indicant quædam per ſe, vt maneant, & ſunt vires, quædam non per ſe, & ſunt illa quatuor, ſed humores ad temperaturam reduci poſſunt, & de membris eſt conſideratio generalis. Primùm igitur & per ſe virtus conſideranda, deinde temperatura & aër in ordine ad virtutem, tertium res præter naturam, vt remoueatur. Sed res præter, naturam in tria diuiduntur, vt viſum eſt, in morbi naturam, & illius tempora, & acceſſiones. Vniuerſa Apho. ſeq. & lib. 2. Aphor. 5. igitur à quibus ſumitur indicatio, erunt quinque morbi natura, tempus, acceſſio, vires, & accedentia, quæ, vt dixi, ſunt duo, aër & temperatura. At ſub temperatura continentur ætas & conſuetudo, de quibus aget infrà, nam cibi, potus, naturam efficiunt aduentitiam, vt 3. de Cauſis pulſ. Cap. 2. Igitur erunt tria hæc, ætas, conſuetudo, & temperatura. Sub aëre continetur tempus, anni, & locus, ſed ipſe hæc duo miſcuit, tanquam cuique vt ſoli ſcriberet, vtpote ſolis Græcis. Fit igitur vt ſint præcipuè decem, à quibus ſumatur indicatio, cauſa morbi, morbus, tempus morbi ſymptoma,

symptoma, accessio, tempus anni, temperatura, consuetudo, ætas, & vires. Cum igitur de morbo & tempore morbi, & accessionibus & symptomatibus, ac viribus, tanquam principalioribus methodum tradiderit: reliquum est, vt de omnibus aliis quæ relinquuntur, dicat Hippocrates: & primò de duobus principalioribus, temperatura & ætate. At de ætate iam dixit, restat igitur vt de temperatura agat.

Vt ergo ad rem deueniam, viuidiores minus perferre possunt famem, atque hoc in tribus consistit: quia celerius famem incurrunt, & maiorem etiam, & magis ex tolerantia læduntur, hæc enim omnia, vt de duobus etiam diximus, in his in vnum concurrunt, indicatio verò est de numero cibationis, non de quantitate. Per viuidiores, alacriores, προθυμοτέρυς, hi sunt natura calidioris cordis,
Cap. 19. vt in Arte medica Galenus docet. In his calor absumit vehementius, & corporis substantia tenuior est. Nec solum in pueris hoc, verùm in aliis etiam ætatibus, & multo magis est obseruandum. Qui enim senes tali natura præditi sunt, vt materia biliosa ad os ventriculi confluat, iis vitæ magnum periculum
Cap. 6. est, ob famis tolerantiam. Narrabat Galenus 5. de Locis, de quodam Grammatico iuuene, qui cum famem patiebatur, comitiali morbo corripiebatur. Sed iam, vt dici solet, sub digitos reducamus: fingamúsque quatuor eiusdem temperaturæ ægros, sed diuersæ penitus ætatis, infantem, adolescentulum, virum & seniorem, laborare eodem genere morbi acuti, & pro qualitate ætatis æqualiter grauis, ita vt morbus salubris sit, & finem habiturus in quinta die: sit verò cruditas in singulis tanta, quæ per diem vnum, etiamsi morbus non adesset vllus, à cibo nos per vnam diem prohibeat. Senem igitur per integram inediam vsque ad quintam, & iudicium exactum seruabimus: virum, sub finem secundæ diei cibabimus, nec postea, nisi exacta quarta: adolescentulum eodem modo, & sub initio quartæ diei iterum: infantem primùm sub initio secundæ diei, & ita in initio singulorum sequentum dierum: sicque omnes seruabuntur, qui peruerso ordine omnes interirent. Rursus eodem modo, sed mitiore morbo laborent omnes, ita vt seni cibus sub initio secundæ diei & quartæ exhiberi possit: viro quidem dabimus in initio secundæ & tertiæ & quartæ diei, vt ter cibum assumat, & sub vigore morbi diutius abstineat: adolescentulo autem in secundo diei initio primùm, post ante initium tertiæ diei duabus horis, & ante initium quartæ diei horis quatuor, & ante initium quintæ diei horis octo: atque ita quater cibum accipiet. Infanti autem sub initio secundæ diei, & in medio: atque ita vsque ad quintam, in cuius initio tantum cibum accipiet, atque ita septies.

Sanorum autem ratio non eadem erit, aliud namque est ferre posse, & conuenire, vt etiam in vltimis senibus diximus. Namque infanti, vt ab illo incipiam, conuerso ordine quo in ægris fecimus, ter in die cibum
Cap. 10. dare conuenit, vt elici potest ex Galeni dictis 1. de Tuen. sanit. adolescentibus, & viro ac seni: sed vltimo seni, dixi ter conuenire, ex Galeno 5. de Tuenda sanitate: sicut bis cæteris, 6. eiusdem. Discrimen autem inter hos sequenti Aphorismo docebo. Cap. 7.

Neque verò obstat, quòd senes habeant frigidum ventriculum, venas angustas cum pauco sanguine, nam qui tales sunt, natura inæqualitatem quandam sortiri, & celerius famem incurrunt, vt in Arte medica Galenus docuit: & magis à ieiunio læduntur, vt 2. de Temperamen. habetur. At senibus hæc simpliciter adsunt, non in comparatione partium inuicem, neque enim solum venæ strictæ sunt, & sanguis paucus, & ventriculus frigidus: sed corpus vniuersum frigidum, arteriæ angustæ, & bilis pauca. Cap. 63. Cap. 4.

APHORISMVS XIV.

QVi crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus verò parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent: quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

COMMENTARIVS.

QVi negant hos Aphorismos esse continuos, venia digni non sunt: quandoquidem ita sibi inuicem coniungantur, vt vnius orationis vicem gerant. Quod quidem cum clarè in singulis videantur Aphorismis, in hoc tamen euidentius manifestum fit. Etenim cum Hippocrates in superiore Aphorismo docuisset numerum dandi cibum per ætates, in hoc multitudinem eius declarat. Nec mirum quòd in duas hic tantum distinguat ætates, in superiore in quatuor, nam numerus certis limitibus continetur, & inter eos pauci termini sunt, ideo & præfinita ratio numeri cibandi, & differentiæ ætatum præscribi potest: at in multitudine cum sit quantitas continua, quæ in infinitum diuiditur, nec multiplex diuisio ætatum, nec certa cibi mensura potest constitui. Hic tamen Aphorismus rationem præcedentis adeò edocet, vt quasi commentarius illius videatur. Cum enim dixisset in præcedenti, pueros difficillimè ferre ieiunium: inquit hic, quia qui crescunt, plurimum habent innati caloris, plurimo igitur indigent nutrimento, aliter, si tu non dederis, corpus absumitur, senibus verò cum paruus sit calor, ideo pauciore alimento egent: à multis enim cibis calor extinguitur. Manifestum est igitur, quòd quanto calor maior fuerit, tanto plus de cibo dandum est: & quanto minor calor, tanto minus. Sed quia maius & minus trifariam intelliguntur, aut simpliciter, aut in comparatione ad corpus, aut pro vice: dico quòd simpliciter non est verum, nec sic intelligitur ab Hippocrate: quia calor senilis, intelligendo de primo senio, maior est calor infantis nuper nati, propter corporis magnitudinem.

Cum

Cum enim calor à tempore natiuitatis vſque ad tempus quo conſiſtit ætas, ſemper augeatur: manifeſtum eſt, eo tempore illum eſſe maiorem quàm in tempore natiuitatis, & multo maiorem, quare in viridi ſenecta maior eſt calor quàm in infantia. Simpliciter ergo plus debetur de cibo, ei qui in fine eſt adoleſcentiæ, quàm vlli alij. Deinde & conſiſtentibus, & pueris, æqualis: & ita infantibus & vltimis ſenibus æqualis propemodum. At in comparatione ad corpus, plurimus infantibus: & ita ſemper minus ac minus procedendo per ætates, vſque ad extremum vitæ: quia ſemper calor fit minor in comparatione ad corpus, nam pueri, & maximè infantes, ſunt toti pleni à capite vſque ad pedes calore & humido naturali: adoleſcentes minus, viri minus, in ſenibus verò calor non ſolum decreſcit in comparatione ad corpus, ſed ſimpliciter. Quo verò ad cibum, ſingula vice: quia, vt viſum eſt in præcedenti Aphoriſmo, ſæpius alendi ſunt infantes, minus debent accipere pro vice, ita tamen, quòd in circuitu 24 horarum cibus infantis ſit maior cibo ſenis, & fermè æqualis cibo adulti & viri: ita tamen, quòd cibus infantis in plures partes & minores ſit diſtributus.

Per hoc ergo quod dixit, Quòd qui creſcunt, plurimum habent caloris innati: duo intelligit, vnum, quòd ab initio natiuitatis vſque ad tempus conſiſtendi cibus debet perpetuò augeri, loquendo de augmento ſimpliciter, alterum, quod à principio natiuitatis vſque in finem vitæ cibus debet diminui, in comparatione ad corpus. Ex quibus ſequitur, quòd difficultas illa de caloris magnitudine, in comparatione ad pueros & iuuenes, in qua tantum laborat Galenus in libro contra Lycum, eſt nullius vtilitatis. Sufficiat nobis dicere, quod ipſemet docet 1. de Facultatibus naturalibus, (Cap. 7.) corpora eoúſque creſcere, donec ad ætatis vigorem peruenerint. Eoúſque creſcunt (dico in longitudine & latitudine) manifeſtè vſque ad 21 annum: deinde à 21. ad 30. manifeſtè in latitudine, occultè in longitudine: deinde à 30. vſque ad 40. in bene conſtitutis occultè in latitudine, & non in longitudine, & hoc eſt tempus conſiſtendi: quia corpus non poteſt diu manere ſine incremento & decremento, vltra ergo corpus decreſcit, diminutio tamen nunquam eſt manifeſta in corpore, quia partes ſolidæ ob terream ſubſtantiam parum magnitudine diminuuntur: ſed ſi pondere examinarentur, detracta carne appareret diminutio. In pueris ergo, vt vno verbo abſolutam, calor innatus proportione corporis eſt maximus in quantitate. Ex quo ſequitur vnum pulchrum in operatione, quod etiam expertus ego ſum: ſcilicet quòd pueri cum ægrotant, ſi eorum extrema frigeſcant conſtanter, & maximè pedes, proculdubio moriuntur. Et ratio eſt, quia maximè remouentur à propria temperie, dixi tamen de conſtante frigiditate: & non ſolùm moriuntur, ſed proximi ſunt morti. Sed de differentia caloris in qualitate inter iuuenem & puerum, reſpondeo, quòd ſunt ſimiles, & fermè æquales, nam exacta æqualitas ad Medicum non pertinet, tum quia differentiam non facit in medendo: tum etiam, quia medicus eſt artifex ſenſitiuus, qui non cognoſcit exactam æqualitatem: nullus enim ſenſus, neque viſus, qui adeò ſubtilis eſt, cognoſcit exactam æqualitatem: multo minus, nec ratione vlla, quandoquidem initium demonſtrationis conſtaret in ſenſu: & ratio illa Auicennæ, (1. Doct. 3. cap. 3.) quòd nihil aduenit puero vſque ad iuuentutem, propter quod calor debeat augeri vel minui, manifeſtum eſt quòd concludit de æqualitate ſenſili, & non exquiſita: & ſimiliter Galenus 2. (Cap. 2.) de Temperamentis, idem concludit. Sunt enim dicta bonorum authorum intelligenda, vt vera ſunt, & ad verum ſenſum retrahenda, & non quærenda occaſio illos damnandi, quod eſt primum vitium: aut pertinaciter inhærendo malè intellectis autoritatibus, veritatem oppugnare, in quibus vitiis verſantur fermè omnes authores nunc: vt videantur ſapientiores, nimis anxiè oppugnant veteres: vel pro illis ſtantes, obnixius pugnant contra veritatem.

Ad rem reuertor. Calor innatus ab initio natiuitatis vſque ad virilem ætatem remanet æqualis in gradu qualitatis ſuæ, iuxta ſenſum: ſed in infantibus eſt humidiſſimus & aqueus, in viris ſicciſſimus & igneus. Ideo pueri qui in febribus ſiccum calorem valde habent, ſunt valde periculoſi: quia multum à proprio temperamento receſſerunt, in pueris autem adultis & adoleſcentulis eſt aëreus & moderatus, & ideo ſunt tum formoſiſſimi, & ad tactum ſuaues, & ſpiritus eorum bene olet: & ſunt læti, iucundi, prompti, memores & ingenioſi, quia ſunt in extremo temperantiæ ſui caloris cum humido & ſicco. Et hoc eſt quod voluit Galenus hic, & 2. de Temperamentis, vt ſuperius diximus: & in libro contra Lycum, & alibi, vbicunque loquitur de hoc, nam eſt ſibi concors ſemper.

Quid autem ſit calor innatus, à quo planum eſt fieri hanc reſolutionem, multi dubitarunt: quoniam Galenus quandoque capit partem pro toto: & 5. de Simplicibus (Cap. 9.) medicamentis, vbi innuere videtur quòd calor influens ſit innatus, verùm ſi quis eam authoritatem diligenter conſideret, cum ſubiiciat hæc verba: Tum in ſpatij inanibus non paruam ipſius ſpiritus innati ſubſtantiam, imò potius velut materiam quandam leuiculam, mutationem expoſcentem ad innati ſpiritus generationem, nihilo tamen ſecius ad naturalia opera conducentem, ex eo loco veritas ipſa eluceſcet: vt ſit ipſe calor naturalis aggregatum ex influente qui eſt in ſanguine ſpiritu, & eo qui eſt in membris, & generaliter calor innatus eſt, quicunque calor ſtat cum ſanitate: vt excludamus eum qui ſit ab aëre, à febre, à laboribus: includamus verò eum qui eſt acquiſitus ex diuturna conſuetudine. Licet Galenus 3. de Cauſis pulſuum, (Cap. 6.) videatur excludere acquiſitam temperiem: quod iure fieri non poteſt, cum conſiſtat non in noua caloris ſubſtantia, ſed in qualitate noua, ſubſtantia autem innata. Ideo, tametſi Galenus rectâ dixerit, melius tamen eſt per calorem naturalem intelligere totum humidum corporis, quod per

per se calidum est, siue in membris, siue in venis aut arteriis contineatur, cum qualitate constante, qualiscunque sit, seu naturalis ex toto, seu acquisita per longum vsum, seu etiam esset à febre hectica, dummodo esset fixa: nam penes hunc totum calorem, & multum consumit, aut parum: & vt magnus est, aut paruus, Hippocrates iubet constitui victus rationem. Dictum est enim quòd per ea, verba, *Qui inter ipsos sunt viuidiores*, etiam temperaturam includit, & sic sermo est clarus: Hunc calorem Galenus quarto de Causis pulsuum docebat esse in corde, & transmitti in cætera membra, & maximè in lætitia, & similiter in verecundia, in ira etiam: & non solùm per spiritum & sanguinem, sed ipsam membrorum vnitatem, vt apparet in arteriis quæ mouentur per vim à corde acquisitam. Est tamen sciendum, quòd (vt habetur in Arte medica) quodlibet membrum per se habet quendam calorem innatum, & vim qua nutritur & viuit, etiam secluso corde: sed eam vitam diu retinere non potest illo extincto, 5. de Locis. Ita vt calor naturalis in membris sit compositus ex tribus caloribus calore proprio, calore transmisso à corde per venas & arterias, & calore substantiæ cordis, & ideo à toto hoc composito fit resolutio in corpore. Cum autem dixerit innatum calorem Hippocrates, declarabat Galenus 1. de Natura huma. quia non solum tempore Hippocratis, sed etiam Erasistrati (qui fuit abnepos Hippocratis, & nepos Aristotelis) multi existimarunt, & etiam ipse Erasistratus, calorem nostrum esse acquisitum, & non innatum: sed re tamen istæ opiniones parum differunt, licet Galenus reuocet suo more, quantum potest, suos præcessores in errorem, dicitur enim innatus, quia à natiuitate, & perpetuus, dicitur acquisitus, quia à cœlo habetur, vt ab Aristotele 2. de Gener. animal. sicut dicimus etiam Mundum sponte esse, quia perpetuum: & pendere à Deo, cuius est imago.

Cap. 9.

Cap. 1.

Com. 1.

Cap. 3.

Alioquin corpus absumitur.) Quomodo absumatur corpus, & à quo, & quid sit, nunc docendum est. Dicebat Galenus in lib. de Marcore: Non absumitur corpus à calore naturali, velut libra à flamma, hoc enim verius diceretur de calore febrili: sed, vt dictum est 1. de Tuenda sanitate, bifariam contingit, primùm quidem, cum necesse esset membra humida siccari, vt proprio officio fungi possent, necesse fuit vt calor siccans adderetur, qui & igneus est. Aliam causam addidit fluorem materiæ, quæ dissipatur, cuius loco aliam reparari necesse est, quæ cibo & potu restauratur. Verùm locus ille non satis constat, cum hanc resolutionem propriam animalibus faciat, quæ tamen communis est etiam stirpibus. Sensus ergo verus est, quòd omne quod viuit, siccatur & absumitur, licet vtrunque euidentius sit in animalibus quàm in plantis. Siccitas est ineuitabilis, & fit ab aëre ambiente, sicut docebat Auicenna prima primi: cuius rei indicium est, quòd etiam lapides & terrea siccantur: in animalibus verò & plantis hæc siccitas fit à calore cœlesti, etiam præter aërem, & magis in animalibus quàm in plantis propter motum: & propterea animalia sunt breuioris vitæ quàm plantæ, & plantæ minus durant quàm metalla aut lapides. Et si quis obiiciat, quòd illud quod mutat, est extra id quod mutatur, velut. 4. Cœli dicebat Auerrois: Respondeo, quòd calor innatus cum sit cum motu, est extra membra. Sed resolutio fit tota à calore innato, & in animalibus sanguineis vehemens & celer, & ob id restauratione indiget corpus. Quomodo autem absumatur, dicebat Galenus in libro de Marcore, si tu disseces corpus animalis mortui ex fame, inuenies membra externa magis siccata & macilenta, & etiam interna, sed non tantum. Iecur autem & cor pinguia: cor quidem propter robur attrahendi, iecur autem propter sanguinis multitudinem. Dico, ista sunt vera: verius etiam est, quòd in fame nihil est quod celerius absumatur ventriculo, & hoc propter tres causas. Prima, quia ventriculus tunica interiore nutritur ex cibo, qui in dies absumitur, vt habetur 3. de Facultatibus naturalibus. Secunda, quia habet sensum famis solus, à quo si cibo frustretur, vehementer absumitur. Tertia, quia cogitur indies concoquere cibum toti corpori, & est tenuis substantiæ & exanguis, & ideo multum læditur. Ex quo sequitur, quòd qui habent ventriculum debilem, & virtutem appetendi validam, si minus cibi assumant quàm debeant, vehementissimè læduntur, hæc igitur incommoda sequuntur eos, in quibus magnus est calor naturalis, etenim quanto maior est calor naturalis iuxta corporis proportionem, eo magis corpora augentur: quare bifariam omnia talia corpora læduntur.

Cap. 3.

Cap. 2.

Doct. 3. c. 3.

Comm. 14

Cap. 5.

Cap. 13.

Vtrum verò calor ille naturalis possit augeri iuxta corporis proportionem? Dico quòd non: aliter esset retrocessus in ætatibus. Licet Galenus videatur 2. de Tuenda sanitate, id sentire, dum inquit: Ex exercitatione calor innatus augetur, cuius incremento attractio, & concoctio & nutritio meliores euadunt, solidáque molliuntur, aperiuntúrque meatus, humidúmque attenuatur, ex quo totum corpus perfunditur. Quæ sententia etiam habetur in lib. de Renum affectibus. Atque hæc omnia vera sunt, at non tamen ita intelligendus est Galenus, vt credamus ipsum verè augeri, sed potius conseruari, nam se ipsum declarauit 1. de Tuenda sanitate, cum dixit: Moderatæ exercitationes tum animi tum corporis innatum calorem conseruant, propterea Æsculapius optimè contilenas instituisse fertur. Conseruatur etiam propriè motu pulsus: natura enim id instituit, ob idque factus est, vt 4. de Differentiis pulsuum habetur.

Cap. 2.

Cap. 2.

Cap. 8.

Cap. 1.

Cum igitur dicimus calorem innatum augeri, non simpliciter intelligendum est, sed bifariam: aut iuxta corporis proportionem, & hoc nunquam contingit: aut quoad opus, & hoc contingit sæpe. Sed quoad opus, etiam bifariam: vel opus tantùm, vel etiam substantiam simpliciter, & hórum vtrunque euenit. Quoad substantiam igitur, calor naturalis augetur primum ex cibis & potibus generaliter, dum ætas admittit, vt in hoc Aphorismo. Item ab exercitatione, vt superius dictum est: tertio à somno, vt in sequenti Aphorismo.

Aphorismo. Quo verò ad opus tantùm, augetur generaliter ab ira & verecundia, vt habetur 2. de Tuenda sanitate. Verùm, inquit, in verecundia verè augetur, in ira autem non, sed solus feruor. Secundò, augetur medicamentis calidis, 3. de Temperamentis, & dabat exemplum, velut de lignis siccis appositis iuxta paruum ignem, quæ illum reficiunt. Tertiò, ob contradictionem caloris ob frigus, & ideo pati moderatum frigus tempore hyemis circa extremitates in corpore bene temperato, nec tamen tam diuturnum vt frigus calorem vincat, est adeò salutare, vt nihil melius. Debet autem adhiberi mora & magnitudo frigoris vnicuique iuxta propriam qualitatem temperamenti, ætatis, roboris, bonitatis sanguinis, consuetudinis, densitatis texturæ: & sit frigus omnino siccum, non humidum. Et ideo dicebat Galenus 3. de Temperamentis, quòd calor naturalis contractus ad viscera bifariam augetur, tum propria substantia, quæ validior est facta ob vnionem partium & densitatem, & quia confirmatur concoctio. Augetur quoque tollentibus ea quæ opprimunt, & sic expulsione excrementorum. Est etiam alius modus singularis augendi calorem naturalem in vno membro singulari, & verè potest augeri in vno membro: quia maior est calor in corde quàm in quocunque alio membro, itaque in illo membro augetur per appositionem emplastri, vt 5. de Simplicibus medicament. & ita per verberationem cum picatione, vt 14. Methodi. Scire autem conuenit, quòd omnia quæ calorem naturalem augere possunt quoad opus vbi deficiat, velut in conualescentibus, in nimio labore extenuatis, aut fame aut vigilia, aut venere aut immodica effusione sanguinis, in his verè possunt augere calorem quo ad substantiam, non solùm quo ad opus: sed non dicitur verè augmentum, sed potius restauratio.

Cap. 9. | Cap. 1. | Cap. 5. | Cap. 6. | Cap. 16.

In vniuersum igitur calor naturalis quadrifariam potest augeri, verè quidem & simpliciter tribus modis, quarto autem quoad opus tantum, vt dictum est. Ex his tribus modis primus fit simpliciter, non in proportione ad corpus, & est incrementum proueniens ratione ætatis in pueris & adolescentibus vsque ad tempus consistendi: reliqui duo modi sunt augmenti substantiæ caloris verè simpliciter, & in proportione ad corpus: sed vel sunt in membro singulari velut in ventriculo, vel in corpore non se habente secundum naturam, sed casu aliquo extenuato.

Hic aliquis posset dubitare, cur in senibus non fiat incrementum caloris naturalis? & ad hoc respondet Auicenna prima primi, quòd iam concoctio facta est debilior: & ideo quòd restauratur, est frigidius quàm quòd consumitur: ergo calor non potest augeri. Et hæc est propria per se causa, cur non detur retrocessus in ætatibus. Causa verò huius, scilicet cur necesse sit vt corpus perueniat ad hanc frigiditatem & imbecillitatem, propria & per se est, quia calor semper minuitur in proportione ad corpus: ergo necesse est, vt sicut ab initio fuit maior quàm pro portione, vt fiat quandoque æqualis, & quandoque minor: ergo tunc non concoquet nutrimentum æque perfectum pro sui restauratione. Causa verò cur semper minuatur in proportione ad corpus, ab initio vsque ad finem, propria & per se est, quia calor ille remouetur à suo principio: & etiam quia pars terrea remanet, & semper augetur, aliter membra non haberent soliditatem suam, & ita non essent idonea operationibus, sed essent sicut elementum fluidum. Et hanc causam tetigit Galenus in lib. de Marcore, & 2. de Temperament. Scire tamen decet, quòd membra seminis generatiua aliquando generant semen bonum, etiamsi homo senescat: quoniam cum sint mollia & humida, & non (vt dicunt) organica, non siccantur, sed semen bonum producunt. Ideo contingit aliquos generari à senibus, & esse robustos, quoniam membra generationis sunt bene temperata. Alij autem cum sint iuuenes, generant imbecilles, quoniam membra generationis sunt debilia, adolescentes autem semper debiles generant, quoniam membra generationis cum sint valde humida, in his sunt humidissima, & ideo nullarum virium. Cur autem aliqui vna ætate crescant multum, alia non, & tamen quando crescunt sunt adultiores, & ideo iuxta rationes assignatas deberent minus, crescere, quia calor naturalis est minor in comparatione ad corpus: causa est, quoniam calor naturalis quanto maior est in comparatione ad corpus, incrementum etiam est maius: sed oportet vt non suffocetur à superfluo humido, nec impediatur, in his ergo alterum horum necessariò contingit. Ideo qui tardè crescunt, sunt diuturnioris vitæ. Ponamus ergo, sicut mihi contigit, quòd aliquis crescat parum vsque ad 15. annum, eo anno & sequenti plurimum crescat, deinde rursus parum: Dico, hic erit humidæ & frigidæ temperaturæ, vel impeditus, & propter hoc ante illud tempus non creuit: & parui caloris naturalis, vnde citò finitur incrementum. Et si cum hoc tardè pubescat, erit temperatus in qualitatibus. Ideò fieri potest vt aliquis habens calorem naturalem validum, sit malæ temperaturæ. Et etiam contrario modo.

Dec. 3. c. 3. | Cap. 4. | Cap. 2. iuxta princip.

Sed quid sequitur incommodi ad hanc consumptionem corporis, factam propter famem & paucitatem alimenti? Respondeo. Galenus 10. Artis curatiuæ dicit, quòd in febribus & aliis causis consumentibus, primùm absumitur pinguedo, inde caro, inde solida, & dabat exemplum de suibus assatis. Dico ego, quòd si consumptio non processerit nisi ad pinguedinem, corpus nihil patietur, nisi malum habitum: si verò ad carnes, iam fiet imbecillius ad coctiones, sed si ad solidorum substantiam iam perueniet, ad senij tabem, & ideo non solum erit obnoxius causis externis, vt in primo casu: & etiam praue concoquet, vt in secundo: sed omnino tabescet, & erit imbecillium virium, & breuioris vitæ. Damna verò quæ sequuntur extinctionem caloris, factam ex assumptione cibi copiosioris in senibus, sunt cruditates, scirrhi, & plerumque aqua intercus. His tamen facilius succurritur ab initio, quàm incommodis inediæ. Et maximè, quia inedia persæpe febrem parit ex inflammatione caloris

Cap. 11.

naturalis: quamuis Galenus hanc solam causam prætermiserit, vt vel quæ rarò accidat, vel quæ cibo assumpto cesset. Adnumerare tamen inediam videtur inter concausas. Suffocatio tamen caloris naturalis mortem repentinam afferre potest. Quia verò dictum est, pueros habere maiorem quantitatem caloris naturalis in comparatione ad corpus, & perfectiorem illius substantiam: perfectio tamen operationum non pueris, sed iuuenibus debetur. Dico quòd hoc contingit ob instrumentorum soliditatem in viris. Et licet viri plures cibos concoquant, & faciliter humidos vt pueri, & siccos melius, vt Cap. 3. dicebat Galenus 3. de Symptomatum causis: optimè tamen pueri concoquunt, apponunt, agglutinant, ac in sui similitudinem conuertunt: reliquas operationes naturales, attrahendi scilicet, & multo magis expellendi & retinendi, debiliores habent iuuenibus. In animalibus autem nulla est comparatio: in vitali quoque facultate sunt inferiores. Atque hæc de viribus ætatum crescentium dicta sunt. Senes enim concoctricem ac nutritiuam habent debiliores, vt facilè in Leucophlegmatiam decidant, tum reliquas omnes operationes, sed minus.

Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus docet, quòd rarò acutæ febres, & non adeò vehementes fiunt in senibus. Cap. 2. Auerroes 7. Collectaneorum docet causam: Quia, inquit, febris fit naturali calore in igneum transmutato: sed calor senilis paruus est in mole, & remissus in qualitate: ergo non facilè poterit ex eo acuta febris accendi. Ostendi autem hoc quod Hippocrates dicit, senilem calorem non solùm quantitate, sed qualitate esse exiguum. Nam ratione multitudinis, non facilè incurrerent in febres neque acutas, neque alias, cum (vt videbitur in sequenti Aphorismo) calor naturalis conseruet corpora nostra, non corrumpat. Febris ergo acuta adueniens seni, cum facta sit necessariò ob magnam mutationem caloris, periculosa est: tum quia senile corpus à proprio temperamento longius discessit, tum quia causa quæ illud accendit, validior est, Lib. 2. Aphor. 39. tum etiam quòd vires sint imbecilliores. De hoc autem aliàs dicemus.

APHORISMVS XV.

Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus copiosior est, vnde & pluribus egent alimentis. Indicio sunt ætates & athletæ.

COMMENTARIVS.

Peractis indicationibus ab ætate & temperatura naturali, agit hic de indicatione à tempore anni sumpta, & temperatura acquisita. Et est ratio manifesta & euidens, hoc modo: vbi calor naturalis est maior, ibi maiorem cibi copiam offerre oportet: sed in hyeme & vere calor est maior, & opus etiam eius validius, ergo eo tempore maiorem cibi copiam offerre oportet. Maiorem propositionem assumptam ex duobus euidentibus exemplis ostendit: ab ætatibus, de quibus in duobus antecedentibus dictum est: & athletis, qui plurimo vti cibo cogebantur.

Qui autem essent athletæ, ex superioribus habere potes. Stultum enim est, cum liceat verso folio id consequi exactè, velle iterum frustra repetere. Aphor. 3. Ostendit igitur experimentum, eos qui calore magno præditi sunt, seu innato, vt pueri, seu acquisito, vt athletæ, copia cibi indigere.

Quid sit hyems & ver, infrà etiam docebimus, 3. Lib. Aphorism. 11. nunc verò quid per ventres intelligat, diligentius est perscrutandum. Neque enim, aliàs dixi, de ætatum diuisione contradictio dicetur, si quis modò ventrem vno sub significato intelligat, aliàs sub alio. Namque solum sufficit vt intelligamus, quid verè per ventres calidiores Hippocrates insinuauerit: an scilicet cauitates omnes magnas seu vacuas, seu plenas. Αἱ κοιλίαι, inquit in libro Pap. 4. Περὶ ἀνατομῆς: κοιλίη δὲ ἥπατι παρακειμένη κατ᾽ εὐώνυμον μέρος, ὅλη μέν ἐστι νευρώδης ἀπὸ δὲ κοιλίης πέφυκεν ἔντερον. Quod est: Venter autem iecori adiacet secundum sinistram partem totus, est autem neruosus, à ventre autem oritur intestinum. Vt appareat liquido, per κοιλίαν ventriculum intellexisse. Sed in libro Περὶ ὀστέων φύσιος, appellare vi- Pag. 4. detur ventrem pro omnibus partibus neruosis, vt ventriculo & intestinis, inquit enim: Εἰσὶ δὲ καὶ ἀπὸ τῆς κοιλίης φλέβες ἀνὰ τὸ σῶμα πολλαί τε καὶ παντοῖαι. Quod est: Sunt autem & à ventre venæ ad totum corpus multæ & omnigenæ, vt de ventriculo solùm intelligi vix possit. Et in libro Περὶ τόπων τῶν κατὰ ἄνθρωπον: Ἐς δὲ τὴν κοιλίην καὶ τὰ ἐσθιόμενα καὶ τὰ πινόμενα χωρέουσιν, ἐκ δὲ τῆς κοιλίης ἶνες ἐς τὴν κύστιν.

In ventrem autem procedunt quæ comeduntur ac bibuntur: ex ventre autem fibræ in vesicam. Non satis constat, an hic liber, & de Natura ossium, sint germani Hippocratis. Videtur tamen vbique & iecur & pectus ac talia membra excludere: vt per ventres, ventriculum tantùm, aut ipsum cum intestinis intelligat. Clarius tamen libro, eodem de Locis in hominem, Pag. 14. Aluum autem subducunt quæcunque lubrica sunt, & incidunt, & in calidis attenuantur. Manifestum est, illum per ventrem aluum intelligere: & 5. Epidem. Cum sine Pap. 1. cibo esset venter, vehementer sugebat & dolebat. In 6. autem hæc habet: In doloribus Com. 6. proximum ventrem purgare, & sanguinis Sect. 5. ventrem rescindere. Simili exemplo in adulterina parte lib. de Victus ratione in acutis scilicet, Comment. 4. inquit: Cum venter Sect. 58. glandi non obedierit, & rursus: Si venter, li- Sect. 110. quidus sit, bilisque excernatur, & infrà: Qui ventrem inferiorem calidum habent, subeúntque acres deiectiones & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur. Galenus ibi Sect. 114. quærit, quid per ventrem inferiorem intellexerit author? nam & ventriculum, & omnia intestina gracilia & crassa solum, hoc nomine

nomine inferioris intelligi posse affirmat. Videtur igitur constanter Hippocratis sententia ad ventriculum referri posse. Nam & verè id, cum multa sint membra quæ non sint calidiora eo tempore, vt vesica, cerebrum & pulmo. Sed cum verè constet, illum iam de ventriculo intellexisse, de reliquis autem neque ipse clarè se exposuerit, nec Galenus satis diligenter perquisiuerit: videndum est iuxta rationem quæ ex sensibus deducitur, quænam membra hyeme calidiora sint, & quæ frigidiora.

Lib. de Vsu resp. cap. 5. & 13. de Vsu par. c. 10. Dico igitur, membra quæ respirant, vt sunt pulmo & cerebrum, eadem ratione qua omnia externa, esse frigidiora. Cor autem quia carneo septo pulmonis defenditur, calidius est hyeme quàm æstate. Vesica quoque cum sit exanguis, frigidior est, & ideo in illius resolutionem incidunt homines magis hyeme quàm æstate: & ita vterus, cum est absque fœtu. Vterus autem prægnantis calidior est hyeme, quia conclusis. Epar & lien, & renes, hyeme sunt calidiora, vt sit regula generalis: Omnia membra solida intus, & omnia caua quæ non respirant, & sunt prope cor, caildiora sunt hyeme quàm æstate. Quæ autem caua sunt & exanguia, si respirent, aut sint à corde remotiora, frigidiora sunt hyeme quàm æstate.

Non est autem hæc caliditas qualitate maior, sed solum quantitate. Vnde hyeme plus de pituita generatur, æstate de bile. Perfectior enim concoctio fit in hyeme quàm æstate: & tamen pituita hyeme, bilis æstate generatur. Non enim perfectio concoctionis ad qualitatem, sed ad substantiam refertur. Plus etenim de calore innato est in pituita, quàm in bile, quæ ob calorem æstiuum abundat, seu in ventriculo, seu in iecore. Galenus etenim docuit 5. de Tuenda sanitate, qualitatem caloris ad concoctionem minimè conferre: imò qui eam habent intensam, his naturales operationes tanto esse imbecilliores. De somno autem, & quomodo fiat, suo loco dicetur. Hic sufficit docere, quot sint horæ illius, his qui sanitatem tueri velint. Satis erit vno verbo illius horas determinare. Ex Galeno 6. de Tuenda sanitate, nouem satis sunt. Si tamen quis plus impendat, maximè senex, non errabit. Et licet etiam vsque ad tertiam diei partem dormire, vt Hippocrates consulit: etsi homo non dormiat, quiescere. Videtur autem Galenus in hoc damnandus, atque apertè: quoniam nisi eum reprehendamus, verecundia aut timore calumniæ deterriti, plurimos aberrare faciemus in his quæ ad sanitatem & vitæ longitudinem pertinent. Vnde etiam seipsum peremit, deceptus falsis duobus suppositis. Nec vlla in parte magis lapsus est, aut maiore cum iactura. Existimat Galenus, cibos humidos qualitate ad vitæ diuturnitatem multum conferre: somnum verò minimè, nisi in senibus. Vnde & se vigilasse gloriatur in iuuenta. Inde in insolubiles nodos contrarietatis incidit, vt qui mel senibus maximè laudet, & siccum esse referat, est autem vtrumque verum. Nec cibis humidis qualitate senes indigent, sed substantia & humida & tenui, & non facilè corruptioni obnoxia, & sicca, & naturæ amica: quæ omnia in probato melle sunt.

(Margin notes, left column: Cap. 12. — Lib. 2. Aph. 3 — Cap. 5. — 2. Prog. 11. — 5. de Tuen. san. cap. 8.)

Quid igitur humidus qualitate cibus commune habet cum sene? imò prorsus malus. Similiter & de assumendis his quæ aluum leniunt ante cibum, grauiter errauit, sed hæc alibi explicabuntur. Vt ergo ad propositum reuertar, immodicè calida senibus plurimum obsunt, & humida qualitate & quæ corpus purgant, & vigiliæ, hæc enim substantiam humidi, non qualitatem consumunt. Quæ autem qualitatem humidam consumunt, seni conueniunt: vt pistacia, pineæ, ac mel. Itaque garriant qui velint, nunquam Galenum, non grauiter in hoc peccasse, tueri poterunt. Ego verò in his quæ ad salutem humani generis non pertinent, Galenum etiam errantem tuebor. Quid enim aut damnare iuuit, aut tueri nocuit, egregium virum, cum error ille humanæ saluti nihil nocuerit? At cum somnum negligat, nec putet eum qui recta alioquin victus ratione vtitur lædi, nec vitam abbreuiare, non patiar, quemquam decipi. Vigilia enim & fames siccant corpora: sed fames humidis corporibus (vt infrà videbitur) conuenit, vigilia nemini. Eò autem res hæc peruenerat ob hunc errorem, vt quid conueniret seni, nemo sciret. Nam humidi cibi hydropem generant, & pituitam, & destillationes, ac grauedines: sicci autem vitam abbreuiant. Nos ergo, abstinendum à cibis vehementer calidis ac frigidis, tum serosis, consulimus, atque etiam qualitate valde humidis. Conuenient vinum, & carnes sicciores, dummodo concoqui possint, & ita assata: olera & fructus horæi nequaquam, serosa enim sunt. Et quæ difficilis rursus sunt coctionis, vitanda sunt, quia confici nequeunt. Quintò à cibis substantia siccis, id est, quæ humidi pinguis parum habent: velut radices omnes. His nempe circumscribitur ratio victus senum.

Quando verò sæpius dandus sit cibus, in tertij de Diæta libri initio traditur: Hyeme, & veris initio, semel in die: æstate bis, & autumno. Sed neque autumni mentionem facit: sed in eius initio, cum adhuc dies longiores sint, & natura temporis æstati coniuncta non admittat copiam cibi, & vires languidæ sint, bis in die dandum cibum, Author insinuat. Pag. 1. & 3.

Sed multa in huiusce Aphorismo nos fatigant. Primùm, quòd infrà senes æstate melius se habere docet: quomodo igitur credendum est, hyeme in illis meliores celebrari coctiones? Auget difficultatem hanc Galenus in Commento hic, qui ad animalia frigidiora (cuiusmodi sunt serpentes & bufones, qui tota hyeme absque cibo congelati latent, vt etiam alpini atque auellanei mures) extendi non vult Hippocratis sententiam. Quòd si ad homines etiam tenuis habitus atque caloris hoc refert, non erit generale dictum Hippocratis: sin transferre non vult, præter propositum omnino hoc exemplum adduxisse videtur, quòd ad doctrinam nihil confert, & ambiguitatem 3. Aph. 18.

in Authoris sententia non paruam affert. Demum ipse Hippocrates in libro de Humana natura affirmat, in hyeme pituitam generari, atque id generaliter. Quomodo ergo coctiones meliores fient, cum loco sanguinis crudus humor abundet? Sed Hippocratis dictum generale est, quandoquidem & ratio illius talis sit. Calor enim naturalis nec æstate nec hyeme variatur, sed vnus est, nisi ob temperaturam ab initio maior sit in me qui sanguineus sum, quàm fuerit in Aristotele qui melancholicus, aut ob ætatem: turpiter enim qui contendat, in sene tantum esse caloris, quantum in adolescente, aut propter morbum quempiam grauem, vbi non esset via ad mortem nisi calor exhauriretur, aut propter simile morbo symptoma, vt maximam purgationem, aut immoderatam sanguinis effusionem, aut seminis, in spurcitia. Aliter calorem augeri aut minui per singula anni tempora, credere ac existimare ipsum perpetuò fluctuare, alienum cum sit à sensu & ratione, multo magis etiam est ab Hippocratis grauitate. Eadem enim ratione censendum erit, maiorem esse noctu quàm interdiu: atque ad quamcunque occasionem permutari. Si igitur hyeme manifestè extrema & externæ partes refrigerantur, & calor intus refugit, vt etiam in terra docet Hippocrates in libro de Natura fœtus, per comparationem ad plantas: sequitur per Geometricam regulam constanter, calorem hyeme maiorem esse intus, & in ventribus atque concauitatibus, quàm in æstate. Neque ergo senes aut debiles excipere debemus: sed solùm illos in quibus os ventriculi, quod stomachum vocant, non concluditur, in huiusmodi hominibus deterior hyeme quàm aliis temporibus coctio celebratur, nam cum par sit, naturaliter, se habentibus os illud claudi, dum coctio celebratur: si non claudatur ad amussim, ingrediens aër frigidissimus non solùm coctionem vitiat, sed ventriculi calorem extinguit, & ipsius substantiam non parum lædit. Itaque huiusmodi hominibus conducit in cella caldaria, quamuis alioqui parum vtili, habitare. At in cæteris omnibus, & decrepitis extremis melius, celebrari coctiones omnes, sed secundam præcipuè, necesse est: quòd iecur calore innato magis abundet, & ab aëris iniuria sit remotius. Quorsum ergo Galenus animalium illorum historiam ad confusionem & dubitationem, absque fructu vllo in medium attulit? Cæterùm senes melius se habere videntur æstate, quoniam vtilitas coctionis non est sensilis, & membra externa mouentur facilius, nec torpent, conseruantúrque spiritus in eis ab externo calore. Vnum præterea est quod omnibus molestam facit hyemem, & querimoniam adducit: quoniam vapor ille noxius intro truditur, quo fit, vt & lassitudines & alyces & febres magis molestæ sint eo tempore, quàm reliquis anni partibus. Nihilo secius, vt dixi, quia calor qualitate minor est, humores in omnibus, præsertim immodicè se cibis ac potibus replentibus, pituitosi generantur. Et qui falso nomine pituitæ excrementa appellantur, vt saliua, mucúsque: quoniam cerebrum magis ob respirationem & patentes tot aditus, & quia detectum caput ferre solemus, vapores in mucum, vt aër frigidus in pluuiam, vertit. Vnde salubre consilium est, præsertim aliqua ratione refrigerato cerebro, hyeme caput tectum habere, minúsque frigoribus se exponere. Cæterùm in coctionibus etiam decrepiti melius valent, atque ideo etiam restaurantur. Tametsi enim hyeme minor fiat resolutio ob aëris ambientis frigiditatem quàm æstate, nihilominus copiosiore cibo nutriri expedit: quia, modo concoqui possit, Hippocrates nutrire abundanter iubet. Inquit enim in libro de Ratione victus acutorum: Victus ratio ægris sanitatem affert, sanis securitatem, his qui se exercent robur & bonum corporis habitum. Itaque si quis senex recta ratione victus vsus hyeme, non restauratur, & pinguior redditur, parum de illo in posterum bene sperandum est. Non igitur ob resolutionem cibi copia adhibetur, sed quia concoqui potest, hoc enim semper vtiliter, adeò vt etiam in summa repletione laborantibus athletis fit, illud verò necessariò, at illud non semper vtiliter, vt neque hyeme necessariò, abundè nutrire cogimur, nam hoc tempus & inediam, ob paruam resolutionem, & cibi multitudinem ob ventres calidos, & somnos longos, commodè fert: sicut æstas & paucitatem & multitudinem æquè grauiter. Propterea ergo & ab ætate tanquam re naturali, & athletarum exemplo tanquam habitu acquisito, id probat: in his enim calor magnus, cibos multi alimenti, & multitudinem illorum conficit. Non tamen addit, vt in prioribus aliter corpus absumi ob causam dictam: sed vt dixi, corpus ad succedentia tempora subtracto alimento macilentius & imbecillius reddetur.

Pag. 2.

Pag. 7. & deinceps per longum processum.

3. de Facul. natural. ab initio ad caput 4.

Cæterùm illud decebat forsan potius quærere Galenum, an hæc mutatio temporum vtilis sit? cum videatur Hippocrates hyemis vtilitatem collaudare: an melius esset, habitare vbi nullæ vel modicæ essent temporum anni differentiæ? vt neque calor æstatis immodicus sit, nec hyemis frigus vehemens. Et certè in libro de Aëre aquis & locis, laudat hyemem quæ nec admodum gelida sit, nec omnino clemens, sed mediocriter frigida. Videtur tamen paulo pòst aliud sentire de regionibus, cum scripserit De temporibus, inquit enim: Dico quidem Asiam ab Europa plurimùm differre non solum in natura omnium quæ ex terra nascuntur, sed etiam hominum. Longè enim pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia, estque regio ipsa, hac nostra multo mansuetior, sunt etiam hominum mores benigniores & cultiores. Causa verò horum est, temporum anni temperata mistura. Siquidem in medio solis exortu ad auroram sita est, à frigiditate atque caliditate pariter remotior. Incrementum autem & benignitatem inde proficisci, omnibus in confesso est, cum nihil sit præcellens & cogens violenter, sed per omnia æqualitas vigeat, quanquam non habeant vbique omnia per omnem Asiam secundum

Pag. 6.

Pag. 8.

ſecundum eundem modum. Quæcunque regio in illius medio tam calidi ac frigidi ſita eſt, ea omnium fertiliſſima exiſtit, & arboribus refertiſſima, & maximè ſerena, aquiſque vtitur & cœleſtibus, & ex terra promanantibus, neque enim à calore combuſta eſt valde, neque à ſqualore & aquarum inopia exſiccatur, neque à frigore oblæditur. Inde non multo pòſt ſubiicit: Vbi enim tempora magnas mutationes faciunt, & frequentiſſimas, illic & regio agreſtis, & maximè inæqualis exiſtit: inueniáſque montes plurimos & denſos, itémque campos & prata.

Experimentum etiam docet, in locis temperatis homines diutius viuere, & rarius ægrotare, nec ſæuis adeò morbis, quocirca de natura ipſa dubitandum non eſt. Quod in dubio ergo meritò eſſe poteſt, eſt, an arte hanc inæqualitatem fugere expediat? ſcilicet, an hyeme in caldariis cubiculis habitare conueniens ſit, vt Germani fermè omnes, & Sarmatæ, & quicunque borealem incolunt regionem? Si enim vitæ non officiunt caldaria, certum eſt, commodam eſſe valde hanc habitationem. Videntur ergo caldaria primùm hanc hyemis vtilitatem ab Hippocrate propoſitam auferre: deinde corpora eneruare, & calorem ipſum innatum minuere: præterea abſumere humidum illud vitale, cum aër ignea vi præditus in cordis ac cerebri penetralia aſſiduè feratur & permeet: ille idem aër tamdiu intra caldaria retentus, vitiatúſque multis modis humores corporis putrefacere poteſt. Difficiléque eſt menſuram ac mediocritatem ſeruare in huiuſmodi rebus: quæ niſi ſeruetur, morbos varios & graues & damna vitæ afferre ſolet. Demum ex calido aëre in tam grande frigus ſe conferre quotidie ac ſæpius, haud tutum eſt. Sed de ſalubritate haud dubium eſt, quòd non ſit. Quinimo audio plures in Germania in ipſis caldariis morte repentina obire: ad fluxiones enim huiuſmodi habitationes obnoxiæ maximè ſunt. Sed forſan id vitio victus accidit, ideo non id quæro: ſed, ſi neceſſe ſit ex hoc vitam hominum fieri breuiorem? Hoc quidem ſic determinabitur, vbi nullibi vllus ex his qui caldaria habitant, prope centeſimum annum perueniat. Quod & ſi pauci perueniant, non peruenire multos, alij cauſæ, vt intemperantiæ, tribuendum erit. Etenim ſi fieri poſſit commodè, malum in illis habitare. In Italia ſæpius cœptum, toties deſitum: & in Anglia, & Scotia etiam, huiuſmodi cubicula non habent: quamuis frigidior ſit ibi aër, quàm in Germania. Hæc igitur tam vtilia, neceſſariáque, ab aliis intacta fuere, cum circa toties reuolutos lapides omnes verſentur. Senibus itaque perſuaſerim, ſi non velint in caldaria profunda hyem ſe intrudere, vt domos ligneas è larice, tapetibus veſtitas, & exiguas, & ſine rima, habitent. Etenim euidens periculum imminet omnibus his, ac debilibus, ac extenuatis quauis cauſa, ſæuiente hyeme, in plurimum exerceantur, aut huiuſmodi in cellis vitam agant, ne congelatis ſpiritibus & innato calore; repentè attonito morbo correpti intereant.

APHORISMVS XVI.

VIctus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & aliis qui tali victu vti conſueuerunt.

COMMENTARIVS.

LEgitur bifariam, Αἱ ὑγραὶ πᾶσαι δίαιται: id eſt, Victus omnis humidus, & eſt in Aldino codice cum Galeni Commentariis: ſicque verterunt Gaza & Galenus Cap.4.
lib. de Optima ſecta: & ita primo de Tuenda ſanitate, & octauo Artis curatiuæ legit. Cap.8.
Aliter, Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι: id eſt, Victus humidus omnibus, atque ita iacet in Aldino Cap. vlt.
codice Hippocratis, abſque commento: & Galenus primo ad Glauconem ſic citat, Cap.13.
tum Philotheus legit, authórque antiquæ verſionis Leon. Braſauolus, ac Fuchſius verterunt. Cumque hic ſenſus artificioſus ſit, vt dictio Omnis ad febricitantes, non victus humidos referatur, illum amplectemur.

Ergo cum hucuſque locutus ſit Hippocrates de qualitate nutrientium multum, parumue, hic incipit loqui de qualitate propria illorum. Et quia ſermo eſt inſtitutus de acutis morbis, qui cum febre fiunt, vt habetur in libro de Ratione victus in acutis: regulam dat regularem, quòd humidus victus talibus conuenit. Et continet tres propoſitiones. Primam per ſe intentam, ſcilicet: Victus humidus febricitantibus omnibus confert. Et conuertitur in generalem omnibus cauſis præter naturam, quòd contraria debent adhiberi, vt contraria vis naturali retundatur. Secunda, quòd pueris maximè conuenit: hic recipiuntur ſimilia naturalibus, ætati, temperaturæ: quoniam ſimilibus, præterquam aëre, cuncta gaudent facilius enim ſubiguntur, & ſubacta melius nutriunt, vtpote ſimilia & familiaria. Tertia amplectitur res non naturales, nec naturæ contrarias, & ſunt, conſuetudo: ita diceremus de habitu. Ex quo patet, quòd de vero humido cibo, non autem liquido aut ſorbitione loquitur Hippocrates. Nam clarum eſt, quòd demonſtratio eius in hoc conſtat, quòd quæ contra naturam ſunt, ſunt amolienda, & talis amolitio fit à contrario: & quæ ſunt ſecundum naturam, confirmanda ſunt, & talis confirmatio fit à ſimili: igitur per humidum intelligit tale qualitate, non autem liquidum, nam liquidum non eſt contrarium ſicco, neque etiam verè duro.

Hippocrates autem primo libro de Diæta declarat, quòd ſemper in temperiebus Pag. 9.
victu debemus vti contrario, etiamſi ſecundum naturam fuerint: in ætatibus autem, ſimili. Id accidit, quia omnis intemperies, quantumuis ab vtero contracta, præternaturalis

ralis est, & inutilis: quæ autem consequitur ætatem, est naturalis & vtilis, ideo vna est fouenda, alia abolenda.

Pag. 3. Quæ tamen ad ciborum substantiam liquidam aut duram pertinent, ob egregiam vtilitatem, ex libro de Veteri medicina hic subnectere decreui. Inquit enim Hippocrates: Cibi duriores multa aqua & coctione subiguntur. Cum autem quidam cibos siccos ferant, alij sorbitiones tantum, alij ne has quidem, sed potus tantum adhibere oportet. Vbi enim cibi non conueniunt, corpus tabefaciunt, & morbo præbent alimentum. Quibus ergo sorbitiones tantum debentur, si cibo sicco aut pane aut maza vtantur, magis offenduntur, quàm si decuplum eorum ex sorbitionibus sumpserint. Inde liquidò apparet, non solùm oportere edulia esse cocta in sanis, sed exactè cocta, multo magis etiam in ægris.

Verùm non leuis emergit difficultas, quoniam cum cibus varietur vel ob morbum, vel morbi causam, vel vires (nam symptomata non variant, nisi vel vt impediunt vires, & sic prohibent, vt dolor: vel vt euertunt, & sic expostulant cibum, vt syncopis: vnde in syncope ex dolore anceps esset iudicium: & si causa morbi & morbus conueniant, vt in tertiana) non est dubium de qualitate victus: sed si sint contraria, vt in amphimerina, necesse erit vt si cibus debet aduersari morbo, vt conueniat cum causa, hoc autem absurdum, inquit enim Hippocrates: Curatio fit per contraria causæ morbi. Quomodo ergo omnibus febricitantibus conferet victus humidus, vt in amphimerina? Nisi esset, quòd calor febrilis, cum sit siccus, & ea qualitate aduersetur calori naturali qui in humido planè repositus est vt libro de Carnibus probatur: propterea necesse est, si debeat concoqui cibus, vt calor non sit vitiatus. Et si sit, addet etiam in causam. Propterea dictum Aphorismi huius intelligitur de morbis vniuersalibus, cuiusmodi est febris: dictum autem libri de Flatibus, de morbis aliis propriis. Quòd si per humidum victum exponamus sorbitiones, cessaret omnis dubitatio. Sed cum præter cætera videamus Hippocratem, per victum humidum & siccum declarare carnes suillas, aut catulorum: planum est, de qualitate, non substantia intelligere. Præterea cum dicat, & his qui tali victu vti consueuerunt: planum est, homines sorbitionibus in sanitate non solere vti solis. Sin autem intelligit ex parte, omnes comprehendisset. Quamobrem planum, in humido & sicco morbum magis debere attendi, quàm causam.

De Flatib. Pag. 2.

Pag. 3.

Sed de consuetudine, quantum intersit eam obseruare, dicebat Hippocrates in libro de Ratione victus in acutis: Consuetudo facit vt cibi mali melius nutriant, quàm boni & insueti. Qui ergo assueti sunt cibis humidis, vix possunt concoquere siccos, tum quia humidi facilius transmutantur, tum quia consueti. Sed video quid dicturi sitis. Hippocrates in libro de Alimento, dicit ænigma: Alimentum humidum facilius transmutatur, quam humidum. Respondeo, quòd Hippocrates vult, quòd humida facilius transmutentur siccis, ideo præponit hoc pro regula generali. Et etiam subiungit: Alimentum quod ægrè mutatur, ægrè consumitur: quod facilè apponitur, facilè consumitur. Voluit tamen nos intelligere, siccis corporibus & consuetis siccum alimentum aliquando facilius subigi, ideo subiecit generali regulæ specialem: scilicet, Siccum alimentum facilius transmutatur, quàm humidum. Sed dicetis, per humidum videtur intelligere liquidum, quia dicit, Humido alimento citò restaurantur vires, solido autem tardius. Respondeo, quòd ὑγρὸς apud Græcos significat duo, liquidum & humidum. Hippocrates autem distinxit hæc duo significata per contraria sua opponens liquido solidum, humido siccum. Ideo Cornarius loco humidi, cum pixit, Quicunque veloci appositione opus habent, his liquidum alimentum (scribere debuit, non humidum) ad reficiendas vires optimum est. Voluit ergo Hippocrates regulam transmutandi facilius in liquido & solido esse generalem, in humido autem & sicco non.

Pag. 6.

Pag. 3.

APHORISMVS XVII.

ET quibus semel, aut bis, & quibus plura vel pauciora, & particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati & consuetudini & regioni.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset qualitatem victus generalem, inde specialiter in præcedenti Aphorismo, & quantitatem generaliter in numero & copia in tertiodecimo & quartodecimo: supererat vt doceret, quantitatem propriam vtroque modo, scilicet copiam & numerum, ideo dicit: Et quibus semel, aut bis, plurâne an pauciora afferre oporteat, considerandum. Ex quibus? non sanè ex tempore anni, aut ætate, aut temperatura, vel consuetudine, propterea omisso temperamento, dicit condonandum esse aliquid huiusmodi conditionibus, non sumendam principalem indicationem. Nam cum in duobus illis Aphorismis visus esset comprobare indicationem sumptam ab illis quatuor: hîc docet nos, illud intelligi debere in sanis, non ægris, sed in ægris principalem indicationem esse sumendam à morbo, causisque eius, & viribus: ista autem quæ ad ætatem & reliqua pertinent, non esse principalia, sed nec omnino omittenda. Prætermisit temperaturam, ob breuitatem: satis etiam fuisset, duo tantum commemorasse.

Cur verò dixit, Semel aut bis, & non ter? docuit Hippocrates in libro de Ratione victus in acutis, dicens: Oporteat in ægris seruare consuetudinem, vt semel aut bis in die Pag. 1.

die cibum exhibeamus. Quinetiam dicit: Et assuetis sumere cibum semel in die, dabimus cibum seu ptisanam bis in die, sed in minori quantitate. Et ita Hippocrates censet spargendum cibum, & non in consuetis, vt facilius concoquatur. Quòd etsi alibi Galenus aliter sentire videatur, afferam tamen paradoxum egregium, & fide dignum. Sunt enim Paradoxorum quatuor genera. Vnum, quod ex toto absurdum est, fitque exercitationis & ostendandi ingenij tantùm causa, vt cum dicimus, Quòd melius est esse senem orbum, quàm iuuenem cum filiis optimè educatis: aut omnino amentem & rudem, quàm sapientem & eruditum. Secundum, quod habet aliquas veritatis notas, sed tamen est planè falsum, vt quòd sit melius esse ægrum quàm sanum: Hieroni sanè morbus profuit ad virtutem & eruditionem, innumeris aliis morbi solum attulerunt impedimenta. Tertium genus est eorum Paradoxorum, quæ probabilia sunt, sed vulgus vnam partem omnino despicit, vt, quòd melior sit paupertas opibus: ad virtutem enim, incolumitatem, eruditionem, mundiciem in cibis, & anni tranquillitatem, melior sanè est paupertas diuitiis: diuitiæ autem, quod ad reliqua commoda attinet, meliores sunt. Vltimum genus Paradoxorum est, cum quædam falso recepta sunt ab hominum consensu, velut quòd Sol sit longè minor terra: qui enim dixerit Solem esse maiorem, paradoxum dicere videbitur, cum tamen meram dicat veritatem. In huiusmodi ergo genere est, quod ab omnibus receptum sit pro constanti, credendum esse magis expositoribus de opinione authoris qui exponitur, quàm authori de opinione expositoris, existimant enim plerique, magis credendum Galeno exponenti Hippocratem, & Auicennæ de Galeni opinione, quàm Galeno de Auicennæ opinione, & Hippocrati de Galeni opinione. Et tamen secus est, nam Galenus coniectura tantùm potuit assequi quid voluerit Hippocrates: homo fuit, & multis modis decipi potuit. At Galenum, quid senserit, quandoquidem certi simus id voluisse quod Hippocrates voluit, vbi constiterit quid voluerit Hippocrates, iam planè etiam sciemus quid Galenus voluerit. Ergo ab propositum redeundo, cum mens Hippocratis sit, vt bis in die detur cibus, etiam assuetis insanitate cibum tantum semel assumere: quamuis dicat, in primo de Victu in acutis, Hippocratem esse ex his qui ægros qui potius fame excrucient, quàm cibis repleant: quamuis immoderatam cibi abstinentiam præ se ferat, nec vsquam videatur velle vt ægri sæpius sanis cibentur: nihilominus censendum est, vt bis velit, sicut Hippocrates, ni quid impediat, cibum esse ægris dandum. *Com. 18. in fine.*

Cæterùm quòd dicat in eodem libro Hippocrates. Quibusdam suo tempore (quod etiam nostro in vsu est apud plerosque fabros, & maximè æstatis tempore) consuetum fuisse accipere cibum ter in die, tum quater: non cogit nos vt ægris toties cibum exhibeamus, quandoquidem vt extendit cibationem vnicam ad geminatam, ita non vult vt secundam excedat: neque enim tempus coctioni materiæ morbi dabitur. Vixque fieri potest, ne ab accessionibus aut exacerbationibus impediatur. Quòd si morbus accessionibus exacerbationibusque caruerit, cum sit acutus, erunt febres illius continentes: atque ideo oportebit omnino à cibo abstinere, non ergo plus quàm bis, in acutis cibum dare conueniet. *Pag. 5.*

Iuxta ergo indicationem à rebus naturalibus sumptam, Galenus in Commento docet, duo esse consideranda: scilicet vires, & humores. Vires de copia cibi indicant, non de numero: nam quid attinet ad virium robur, quòd semel aut decies cibus detur, cum id spectet ad plenitudinem? Humores indicant de frequentia & raritate, vt corpus repleatur aut non, nam de multitudine non possunt decernere, cum id spectet ad vires, nam si dixero, Vbi humores fuerint pauci, dabis multum cibi, nihil dixero, oportebit enim vt vires concoquere possint. Existimat autem Galenus, nihil referre quod ad hoc attinet, seu humores pauci sint, seu multi & mali, nam nihilo secius corpus non alitur, & vires facilè concidunt. Iuxta hoc igitur ponit quatuor regulas. Prima, si vires validæ fuerint, & humores pauci boni, sæpe ob indigentiam, & multum ob virium robur dandum est de cibo.

Secunda, si vires fuerint imbecilles, & humores boni multi, rarò & parum. Tertia, si humores pauci fuerint, & vires languidæ, sæpe & parum. Quarta, si vires validæ fuerint, & humores multi boni, rarò rursus, & pauca, excusat se, quia iuxta rationem conueniebant multa & rarò, sicut in temporibus, vt in hyeme. Sed dicit, ob plethoricam dispositionem cogimur. Sed causa huius est error Galeni, de quo infrà.

Iuxta hanc distinctionem datur regula, In anni temporibus, supponendo quòd in hyeme sunt vires validæ, & mediocritas humorum propter autumnum præcedentem: ergo multa & rarò danda sunt, in vere imbecillior fit coctio, & humores magis abundant, ob hyemem præcedentem, in qua facta est parua resolutio, & copiosa restauratio: ergo pauca, & rarò, in æstate autem, ob resolutionem virium & humorum, pauca & sæpe, in autumno, multa & sæpe. Hæc autem melius conueniunt quàm priora, ob causam quam subiungemus.

De rebus autem præter naturam, regula in quantitate, quam ponit Galenus vndecimo Methodi, constat in hoc, vt possit ea quantitas probè confici, antequam accessio vel exacerbatio superueniat: & est sumpta ab Hippocrate, vt dixi, in libro de Veteri medicina. Idem dico de Numero, vt non incidamus in accessiones. *Cap. 21.*

Sed quod ad ætates attinet, dicebat Auicenna, & rectè, quod duæ ætates extremæ non ferunt immodicam inediam, prima ob materiam maximè tenuem, & calorem validum: extrema ob imbecillitatem, vt aliàs dixi, quia non possunt restaurari. Ex temperaturis picrocholos, qui ex inedia maximè offenduntur, adeò vt animo linquantur. Excipiemus etiam eos qui habent *1.4.t.2.c.8.*

paruas

paruas venas, & rarum corporis habitum, & præcipuè si plurimum sudoribus obnoxij sunt: tales ab inedia maximè offenduntur, & minus à copiosiore cibatione. Et idem in pueris.

Pag. 5. Sed quod ad consuetudinem attinet, dicebat Hippocrates in libro de Ratione victus in acutis: Si quis cibum accipiat, non consuetus accipere, vtpote si prandeat vel cœnet, tria incommoda sequuntur: grauitas, & pigritia atque debilitas, eructatio acida, & persæpe liquida egestio. At contrà, si prandium prandere assueti omiserint, & ventriculi osculum docet, & viscera suspensa illis videntur, & calidam vrinam ac cum virore pallidam mingunt, & alui excrementa siccantur: & quibus iam os amarescit, oculi caui fiunt, tempora palpitant, & extremæ partes refrigerantur, & cœnare non possunt: & si cœnauerint, ægrius in lecto decumbunt, quàm si etiam pransi essent, inde subiungit, Tot & tanta sequuntur incommoda ex dimidiæ diei vnius mutatione Quasi dicat, qualia sequentur ex longa mutatione? Itaque consulit, vt si cogamur consuetudinem mutare, sensim id faciamus. Apparet etiam, mutationem ad mediam & rariorem cibi assumptionem, multo plura mala adducere, quàm ad copiosiorem & frequentiorem cibationem, deteriorémque esse, nec tam paratu facilia habere remedia.

Cæterùm, vt dixi, Galeni expositio illa de viribus & humoribus, tota absurda est: quod ex multis coniicere possumus, & tamen nisi magnum ægris detrimentum allatura foret, omitterem hanc declarationem, ne insectatio videretur. Primùm igitur, ipse in scribendo anceps deprehenditur: & cum diuisionem proposuisset illam, deserere cogitur, vt superius docui. Deinde præcepta illa nec cum principiis propriis, nec cum Hippocrate, nec cum experimento concordant. Causa etiam erroris deprehenditur, & est per se manifesta. Nam cum Hippocrates loquatur de calore naturali, Galenus loquitur de viribus. Et vires à calore multum differunt: & quæcunque dicit Galenus de viribus, vera sunt, & Hippocratis, sententiæ conueniunt, si ad calorem naturalem referantur, cum de viribus sint Com. 44. manifestè falsa. Nam quoties hoc repetit, quod dixit primo de Ratione victus in acutis, vitalis scilicet facultatis imbecillitatem esse vnicum id à quo cibi necessitas indicatur, cætera omnia auertere nos à cibo? Quoties illud dixit, omnem spem esse in viribus, quia tum à cibo abstinere debemus? Et Hippocrates in libro de Ratione victus in acu- Pag. 7. in initio. tis inquit: Nam detractione vti sæpenumero expedit, cum vires suffecerint, donec morbus concoquatur. Sic consulit, vt etiam præter necessitatem, modo vires sufficiant, tenuiore victu vtamur, cum nullum aliud nobis periculum immineat, nisi à viribus. Non sic in copiosiore cibo, vbi multa sunt pericula. Hippocrates etiam vbique loquitur de naturali calore, quem dicit, ni cibus detur, corpus absumere, hoc à viribus non est timendum. Dices: Video omnia clara, modò doceas quòd & quomodo calor à viribus differat. Dico igitur, calorem naturalem esse tanquam partem, vires autem tanquam totum. Vires enim constant ex temperamento totius corporis, & densitate solidorum, & multitudine sanguinis & spiritus. Et primum hoc, vulgus hanc admiratur differentiam, cum vident aliquem iuuenem boni habitus in tribus aut quatuor diebus interire, nam etsi calorem haberet iuuenis ille robustum, tamen viribus fuerat imbecillibus. Ipse quoque Galenus in libro de Bono corporis habitu, negat athletas esse, quod ad morbos attinet, ferendos, validis viribus: quos haud dubium est maximo naturali calore abundare, vt etiam Hippocrates prima Aphorismorum testatur: sed Aphor. 1. nec rusticos, primo de Alimentis, & infantes etiam non validis viribus esse dixit, quod Cap. 1. etiam experimentum docet, cum vesperi sani sint, manè persæpe mortui. At hos quis negare potest abundare plurimo naturali calore? Contrà videbis senes imbecilli ca- 3. De causis pul. c. 5. lore, diuturnum & validum morbum commodè perferentes. Ipse quoque Galenus tum in libro de Optima corporis habitudine, tum aliàs innumeris in locis fatetur, vires in temperamento optimo, quod Eucrasiam uocat, consistere. Addo ego, vt dixi, densitatem solidorum, quæ & manifestè in obeundis laboribus & ferendis incommodis robur virium declarat, & vt principalior pars habenda est: inde temperamentum bonum, vltimò innati caloris abundantia. Loco igitur virium, calorem innatum substituere oportet, omniáque consentient: nisi quod vbi magnus fuerit, & copia bonorum humorum dabimus multa, & rarò, ob resolutionem. Sed si adolescens validis viribus, & multo innato calore præditus ægrotet, quid agendum? Vires validæ inediam summam admittunt, vrgente morbo, calor naturalis abundans exigit cibum: non solùm quia concoquere potest illius copiam, sed quia, vt videtur, corpus absumit. Dabimus certè non multum tamen: si morbus vrgeat: deteriórque erit illius conditio, quàm exanguis, sed robusti: pessima verò, vbi calor naturalis validus fuerit cum viribus imbecillibus: vt contra optima, cum calor naturalis exiguus fuerit, & vires validæ. Sed hæc etiam aliâs à me dicta sunt. Verùm si quis Galenum tueri conetur, vt solent pluris hominem facientes, quàm iacturam quæ ex immensa confusione sequitur, dicendo sermonem eius de sanis, non ægris esse: meminerit, quomodo conueniat expositio illa Aphorismo: & quibus semel aut bis? inde etiam condonandum aliquid consuetudini: cum in sanis non aliquid sed fermè totum consuetudini condonet Hippocrates, libro de Ratione victus in Pag. 5. acutis.

APHRIS

APHORISMVS XVIII.

Æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè: secundum locum ver habet.

COMMENTARIVS.

Nisi quis de ægris Hippocratem loqui dicat, superfluus erit hic Aphorismus. Quid enim differt, dicere, Hyeme & vere multa danda sunt ob caloris ad ventres reditum: &, Si tu dederis cibi copiam æstate & autumno, difficillimè eam ferent? Sed cum dixisset in præcedenti Aphorismo, condonandum esse aliquid tempori, docet quomodo, nam æstate & autumno parum cibi dandum est: quoniam dum valemus, parum cibi solemus assumere: & si plurimum assumamus, ægrè ferimus. Duabus igitur ex causis æstate & autumno parum cibi ægris dabimus: & quòd calor naturalis exiguus sit apud ventres: & quòd ex longa consuetudine, dum essent sani, parum assumerent cibi. Neque ergo ad vires respicit Hippocrates, sed potius ad calorem naturalem, duplici ex causa, nam (vt dixit in libro de Alimento) alimentum tripliciter dicatur, *Pag. 1.* quod proximum est vt alat, vt sanguis: & quod per similitudinem alimentum dicitur, quia tale fieri potest: & quod verè solum est alimentum, quod perfectè à calore naturali euictum est, hócque solum est vtile: igitur etiam quod vires sint imbecilles, si calor naturalis etiam imbecillis sit, nihil proderit, sed perimes ægrum plurimum cibi *Aphor. 41.* dando, igitur Hippocrates parum vires curat, sed calorem naturalem, tum etiam quod calor naturalis, nisi multa dederis, corpus absumit, vt superius visum est. Hanc iacturam, vt periculosam valde & quasi inemendabilem, refugit Hippocrates quantum potest: sicut contemnit exhibere cibum, etiamsi vires validæ fuerint, cum calor naturalis magnus fuerit. Vbi enim concoquere simul & morbi materiam & cibum sufficiat, quam noxam afferre poterit? neque enim periculum est vt coctio vitiosi humoris differatur, cum sufficiat ad vtriusque coctionem, scilicet humoris & cibi: nec vt quicquam addat in morbi materiam, cum cibus perfectè coctus in spiritus & bonum *Com. 44.* sanguinem vertatur.

Sed cum cibum prohibeat Hippocrates in æstate, Galenus tamen primo de Victu in acutis, numerat æstatem inter eas conditiones, quæ de dando cibo indicant. Videamus ergo, an Galenus aliquo pacto defendi possit? Et certè illum reconciliare Hippocrati arduum est. Reliquum est, vt tueatur eum aliquis dicens, æstate & in regione calida magis esse necessarium alimentum. Sed, vt dixi, Hippocrates respondebit, minus posse concoqui, ideò minus indigere. Quòd verò vires resoluantur à calore, Hippocrates iubebit frigido aëre intemperiem curari, tum frigidis potibus. Itaque Hippocrates in æstate non nutriet, in hyeme nutriet: Galenus contrà.

Simili difficultate laborat illud dictum *Cap. 6. in fine.* tertio de Causis pulsuum: Vere robur virium maximum, æstate imbecillissimum, hyeme medium statum obtinet. Et in Pulsuum introductorio: Pulsus vere sunt vehementissimi, quomodo ergo calor naturalis in hyeme potest optimè concoquere: cum ibidem Galenus dicat, pulsus hyeme esse languidos? Respondeo: quòd vt dixi, possunt in *Cap. 9.* hoc reconciliari distinguendo calorem naturalem à viribus, hyeme ergo facultas naturalis autem languida, quia in corde consistit vere vtraque erit valida, æstate vtraque languida. Nec mirum, quod enim vni adimitur, alteri adiicitur: sicut etiam dictum est de partibus exterioribus, ac ventribus. Sed dices: Vires ergo non habebunt indicationem cibi assumendi, iuxta Hippocratem? Dico, vires languidæ indicant de necessitate dandi cibum: calor autem naturalis validus de securitate, vt potest concoquere: & de necessitate, sed non tanta scilicet, ne corpus absumatur, sed vires validæ, nec de necessitate, quia hæc conuenit imbecillibus: nec de minore necessitate, aut securitate, quoniam illa conuenit caloris innati robori.

Circa victus rationem iuxta anni tempora, dicebat Polybius in libro de Salubri *Pag. 1.* diæta: Vere debemus minuere cibum, & augere potum: & æstate similiter, veris comparatione: autumno rursus cibum augere, & potum minuere: idémque magis in hyeme. Idem fermè in tertio de Diæta, iu- *Pag. 1. & sequentibus.* bens vt vere magis nutrientibus vtamur, ad hoc, vt corpus reddatur robustius, & melioris habitus, ad ferendam superuenientem æstatem.

Secunda causa, qua scripserit hunc Aphorismum, quæ à Galeno & ipsa Commento affertur, etiam in libro tertio de Diæta scripta est: scilicet quòd, tametsi cibus copiosior conueniat vere quàm æstate, vere tamen solum semel in die comedere expedit, æstate autem prandere, sed modicè. Dicit ibi: Parua quantitas sumenda est in æstate, repletióque fugienda. Hócque est, ac si dicat: quodcunque dandum est æstate, tametsi parum, partiri conuenit in duas cibationes potius, quàm totum simul dare. Vt hic Aphorismus per tempora anni, quæ sunt vnum è tribus quæ in præcedenti Aphorismo obseruanda docet, vt condonemus eis aliquid, præter rationem etiam virium morbi cum suis coniunctis, & caloris innati, quæ sunt tria à quibus principalis sumitur indicatio, copiæ & numeri cibationis, exemplum afferat: pro æstate, consuetudine, & similiter temperatura tum copiæ dandæ, cibi scilicet parum, & numeri, scilicet sæpius illud parum partiendo in æstate, contrarióque modo hyeme.

APHORISMVS XIX.

IS qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

COMMENTARIVS.

11 ET hic similiter Aphorismus cum superiore illo coincidere videtur, cuius initium est: In accessionibus abstinere oportet nam cibum dare noxium est. Repetitur in Pag.2. libro de Humoribus, his verbis: In exacerbationibus quæ circuitu redeunt, cibi non sunt offerendi, neque cogere oportet, sed auferre ex appositis ante iudicationes. Ex quo manifestum est (quod in omnibus intellectum volo) hunc Aphorismum ex libro illo decerptum, vel ibi ab alio quopiam in margine adiectum. Plurima etiam præter id hic dubitatione digna sunt, velut id, Neque cogere: nam maius est cogere, quàm dare. Si ergo non dandus est cibus, cur adiecit frustra, Neque cogendus? Præterea cur dicit, Subtrahere adiectioni ante iudicationes? neque enim meminit adiectionis, nec iudicationum, sed accessionum. Galenus in Commento, per indicationes exponit crisim, aut morbi statum, aut accessiones: sed vult potius de his esse intelligendum. Sed quid attinebat ad Hippocratem, parere homonymiam, in tam graui causa, absque necessitate? Exponamus igitur primùm singula nomina, & primùm iudicationem, quæ est Pag.4. morbi exsolutio: Libro de Præceptionibus. Et in libro de Affectionibus inquit: Iudicatio Pag.3. est, cum morbi augescunt, aut minuuntur, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt. Hoc potest demonstrari ratione, nam mutatio omnis vel perfecta vel imperfecta, vel in aliud, dicitur iudicatio. Et ita sunt tria Cap.2. genera, quorum vnumquodque diuiditur in bonam & malam. Galenus primo de Diebus criticis aliter diuisit, sed non ea ratione qua Hippocrates, nulla enim methodo constat illa diuisio Galeni in bonam & malam, perfectam & imperfectam iudicationem, fidam & infidam, obscuram & manifestam, securam & periculosam, indicatam & non indicatam, in die critica & non critica. Quis non videt, esse hanc diuisionem nominis in significata?

Aphor.10. De adiectione verò quæ fit ante iudicationes, duo præcipuè videntur consideranda. Primum illud quod suprà dixit: Prius verò vberius agendum, vt æger possit sufficere.

Quod enim dixit Vberius, intellexit, plus dare quàm pro ratione sit: tantóque plus, quantum est id quod subtrahere antea cogimur.

Velut qui iter facturi sunt per deserta loca, potu & cibo se magis implent quàm deceat. Vel illud obseruandum, quod inquit libro de Victu in acutis: Si cui à cibo nu- Pag.4. per sumpto, & aluo nondum euacuata, febris superuenerit, seu cum dolore, seu sine, inhibenda est sorbitionis exhibitio, donec existimaris cibum ad infernam intestini partem successisse. Tempus porrò exhibendæ sorbitionis hoc maximè obseruare ab initio & per omnem morbum oportet. Quum quidem pedes frigidi fuerint, inhibere oportet sorbitionis exhibitionem: maximè verò & à potu abstinendum est, vbi verò calor ad pedes vsque descenderit, tunc exhibere conuenit. Hoc igitur modo adiectioni subtrahere oportet, non quidem vt sub iudicatione in interuallis totum subtrahamus cibum, sed quod solum adiectum est.

De accessione multa, vt dixi, superius diximus. De circuitibus autem videtur, quasi in accessionibus, quæ circuitus non obseruant, id agendum non sit. Sed Hippocrates docet, victum non posse institui in illis, non negligi debere occasionem. Sermo igitur Aphorismi est de morbis intermittentibus, velut tertianis & quartanis: non autem de ipsis accessionibus, de quibus antea peregerat in superioribus, nam in superioribus egerat de accessionibus intermittentium, & statu vniuersali continuarum: reliquum ergo erat, vt doceret de interuallis & statu intermittentium. Docet ergo nihil dandum esse, vt neque in continuis. Propterea totus Aphorismus simul integrè legi debet: Iis qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, nec cogere ante iudicationes, sed subtrahere adiectioni. Verùm repugnat dictio illa Cogere. Dico, interest dicere, His qui per circuitus accessiones habent, cibus dandus non, scilicet in accessione, nec cogendi sunt accipere interualli tempore: &, In accessione non est dandus cibus. Vult ergo, abstinendum à cibo in his quibus per circuitus redeunt febres. Quod si cibum postulent, dandus est hora remissionis: vt secundo de Morbis, de cura tertianæ & quartanæ. At in libro de Affectionibus, in cura Pag.11. earundem, dat cibum in initio illarum. & 13.

Dico, dat in tertiana solum, velut etiam Galenus decimo Artis curatiuæ. In inter- Pag.5. & 6. uallo autem, si non appetant, dicit, Non Cap.3. sunt cogendi: scilicet quia tunc indicium est redundantiæ humorum. Vt sensus clarus sit: His ægris, quibus febres per circuitum redeunt, in accessione non est dandus cibus: in interuallo dandus est, idque Adiectio vocatur, sed cogendi non sunt ad illam adiectionem: verùm si illam expetant, subtrahere eam oportet etiam interualli tempore, cum morbus ipse fuerit prope iudicationem. Ex quo libet, Galenum non intellexisse hunc Aphorismum: neque enim differentia adiecit inter ipsum, & vndecimum iam expositum: vt non solùm nugacem in tanta breuitate, sed etiam immemorem prorsus reddat Hippocratem. Verùm dices: In libro de humoribus loquitur de exacerbationibus, non de accessionibus, neque ægris? Dico, Hippocratem de illis etiam loqui, ex quo magis differt à superiore Aphorismo: de quo habet exemplum, vt dixi, in secundo Pag.13. de Morbis.

APHORIS

APHORISMVS XX.

QVæ iudicantur, & nuper iudicata sunt, neque mouere neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

COMMENTARIVS.

Continuatur præcedentibus hic Aphorismus à Galeno optimè. Cum enim docuisset Hippocrates, qualis humor & quantus purgandus esset: docet hic, quando non purgandum: in sequenti autem, quomodo purgandum: in vigesimo secundo, quando: in vigesimotertio, quantum: in vigesimoquarto, quando sic, & quando non, seu in quibus sic aut non: in vltimo huius particulæ, quid sequatur ex omnibus his. Ita res hæc redigitur ad septem capita: Quis humor sit euacuandus, & hoc habetur in secundo: quando non purgandum, in præsenti Aphorismo: quomodo, in sequenti: quando in vigesimosecundo: quantum, in vigesimotertio: in quibus sic aut non, in vigesimoquarto quid sequatur ex horum recta ratione in vltimo. Refertur ad literam hic Aphorismus libro de Humoribus: vbi pro Integrè legitur ἀρτίως: quamuis Galenus dicat quod ἀπαρτὶ, sed hoc finxit Galenus, quia ἀπαρτὶ significat perfectè & cumulatè. Verùm ἀρτίως integrè & nuper significat. Galenus probat tribus rationibus, quòd significet integrè, & non nuper. Verùm prima, vt dixi, sumitur ex ἀπαρτὶ, quod scribitur in libro de Humoribus: cum nõ sit verũ assumptũ, nihil concludit. Secunda, quia Nuper non conuenit cum Iudicantur, sed posset referri ad iudicata, vt rectè sic legatur: Quæ iudicantur & iudicata sunt nuper. Tertia verò euidentior videtur: Quia, inquit, absurdum est quod post tempus liceat mouere, non autem statim vbi iudicata sunt. Sed credo ego quod ἀρτίως significet nuper, & non integrè: sicut etiam antiqui exponebant, nam ἄρτιος per o paruum, significat æquale, integrum: sed cum ω longo, significat solum nuper, vel paulo antè, vel modò, & ita Galenus corrumpit literam Hippocratis, satis quidem impudenter, vt antiquis contradicat. Quid mirum? operto capite omnes expositores illum sequuntur: Philotheus, Brasauolus, Fuchsius. Sed ratio repugnat. Si enim iudicata sunt integrè, quid attinet mouere quæ non iam in corpore ægri sunt, sed extra illud? Ratio etiam clara est ex aduerso. Si enim iudicantur, non sunt mouenda, ne vel naturam irritemus nimium, vel auertamus ab opere. Sin autem iudicata sunt nuper, nec moueri potuerunt, cum rebellia naturæ, statim si coneris expellere, nec mouere poteris propter contumaciam: nec sine magno ægri detrimento id aggredieris, cum sit debilis. Accedit, quòd scire non possumus quæ integrè iudicantur, nisi postquam iudicata sunt: sed nec tum agere quicquam debemus sufficiebat igitur dicere, Iudicata integrè non debemus mouere: & omittere, quæ iudicantur.

Pag. 1.

Imperfectæ autem iudicationis & actionis medici exempla protulit Hippocrates secundo Epidemiorum, his verbis: Primum itaque lienis eleuationes, si non ad articulos finierint, sanguinis è naribus eruptio fit: aut præcordij dextri intentio, si non penetrauerint vrinæ, hæc enim est interceptio vtrorumque, & recidiuę horum meritò fiunt. Abscessus igitur horum facere oportet, si non fiant: eos verò qui iam fiunt, declinare: eos autem excipere, si prodierint iam, & qualia oportet, & qua parte oportet. Liquet ergo, hic Hippocratem loqui de bona iudicatione, cum materia extruditur extra corpus, circa morituros enim nil agendum. Si autem imperfecta sit iudicatio, vt in tumore lienis, declinare in melius: aut si bona, excipere, velut cum ad articulos materia descendit. Sic cucurbitulas & emplastra super loca quæ excipiunt, imponemus. *Sec. 3.*

Duplex autem est imperfecta iudicatio: vel ratione quantitatis materiæ, cum non tota expellitur, & de hac non intelligit Hippocrates: vel ratione motus, cum fit per abscessum aut deriuationem, de qua hic intelligitur.

Sunt autem quidam morbi, quorum natura est vt non patiatur totam materiam à natura euinci, & maximè cum materia cruda fuerit, vt primo Epidemiorum: & in genere, quicunque permutantur: vt morbus lateralis, angina, alba pituita, dysenteria. Hippocrates verò inter illos qui purgari non debent, maximè sursum, libello de Veratri vsu connumerat pallidos, & febre confractos. Intelligit ergo huiusmodi ægros quibus iudicatio iam aduenit. Idem in libro de Medicamentis purgantibus: Cum corpus ex febre adhuc incalescit, medicamenta purgantia ne dato: carnes enim illa ad se trahunt, atque ita medicamentum nihil operabitur, & febris augebitur: & color corporis corrumpetur, vt euadant in speciem morbi regij. *Sec. 2.* *Pag. 1.*

Galenus autem hic exponens ἄρτιος, non ἀρτίως, ponit perfectæ iudicationis sex conditiones: quòd sit per euacuationem, non abscessum, (adde tu, Nec transmutationem) materiæ peccantis, non alienæ: concoctæ, per loca conuenientia, cum facili tolerantia, in die iudicatoria.

Quod verò dixerit, Nouare neque aliter irritando: intelligit de prouocantibus vrinam aut sudorem, vt à Galeno primo Prognosticorum, de eo qui ægrum in balneo occidit, cum existimaret se iuuare naturam expellentem, idem de fluxu sanguinis narium, de vomitu etiam. Est autem quasi oppositus illi Aphorismo: Quæ relinquuntur in morbis, reuersiones facere consueuerunt. *Com. 4.* *2. Aph. 12.*

APHORISMVS XXI.

QVæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit.

COMMENTARIVS.

Pag. 2. ET hic Aphorismus vnus ex his est, qui habetur in libro de Humoribus. Sensus igitur est, quòd vbi tres conditiones affuerint, scilicet quòd materia sit euacuanda, quodque iam pergat seu à natura inclinetur, & quòd inclinatio illa sit ad loca conuenientia, eò tunc educenda erit. Hic autem locus potest dupliciter interpretari: vel de materia quæ iam excerni incœpit, vel quæ solum est in motu. Si de materia quæ iam excerni pro parte cœpit, videbitur posse continuari præcedenti Aphorismo, sic dicendo: Quæ iudicantur & iudicata sunt nuper, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis siue aliter irritando, sed sinere. Quæ verò ducere oportet, quoniam relicta sunt, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit. Eorum verò quæ non sunt adhuc educta, sed solum sunt in motu, pulcherrimum exemplum habetur in libro de Ratione victus in
Pag. 5. Acutis, his verbis: At siquidem dolor ad clauiculum de se significationem præbeat, aut grauitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transuersum, venam secare prodest in cubiti flexura internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro & rubicundo liuidus, vtrunque enim contingit. Si verò sub septo transuerso fuerit dolor, ad clauiculam autem de se significationem non præbeat, aluum mollire oportet aut veratro aut peplio: ita vt veratro quidem daucum, aut seseli, aut anisum, aut cuminum, aut aliud quid ex odoratis admisceas: peplio verò silphij succum. Sed & hæc inter se si misceantur, consimilis modi existunt. Ducit autem veratrum nigrum melius, & ad iudicationem commodius, quàm peplium. Peplium verò flatus magis erumpere facit, ambo autem hæc dolorem sedant. Sedant & alia multa aluum subducentia medicamenta: verùm hæc interea quæ ego noui, optima sunt. Hæc Hippocrates, innuens duo genera morbi lateralis: vnum, in quo materia fertur ad superiorem partem, vt doloris sensum deducat ad clauiculam, vel brachium, vel mammam, & tunc sectione venæ opus est: aliud ex opposito, in quo dolor est sub septo transuerso in costis mendosis: & tunc purgare oportet ex hoc Aphorismo, per ea scilicet loca quæ naturæ motui assimilantur, & sunt conuenientia, id est per aluum. Vnde liquet, Galenum multum ibi aberrare, qui contradicat Hippocrati, reddenti rationem præcepti sui. Dicit enim: Talia flatus discutiunt, & dolorem sedant: ergo est, ac si diceret, causas abscessus atque abscessum minuunt. Subiiciemus autem & aliam causam ex libro de Iudicationibus, in expositionem sequentis Aphorismi: declarabimúsque ibi, in abscessibus huiusmodi purgationem sæpe multis modis esse vtilem. De Galeni autem errore in illo loco, & rationibus atque experimentis non est vt dicam: quandoquidem dicturus sim ibidem. Per idem dictum interpretabimur Hippocratem, in eodem libro: Pag. 10.
Fluxiones à capite ad ventrem veratro curato, intelligit de albo, & per vomitum, vt in libro. De locis in Homine docet. Fallit Pag. 10.
in oculorum fluxionibus, vbi vomitum vitandum docet. Sic ergo distinguemus, in iu- Pag. 6.
dicationibus & morborum initiis debemus sequi motum naturæ, per loca conuenientia deducendo materiam, non est autem locus conueniens, primùm si meatu careat, & via. Secundò, si locus remotus sit, istæ duæ conditiones ponuntur ab Hippocrate libro de Locis in homine. Tertiò, ne super mem- Pag. 9.
brum principale aut nobile, ex quo expurgari non facilè queat. Quartò, ne super membrum læsum. Ob id dixit Hippocrates Pag. 4.
primo de Morbis mulierum: Ex fluxione infestatæ, fluxionem transire ad os aut nares bonum, intelligit non de sanguine, sed pituita. Sanguis enim qualiscunque fuerit, supra malum, inquit ille idem. Rursus in li- Pag. 9.
bro de Locis in homine, monet nos, quod fluxiones ad ventrem per gulam medicamentis aluum purgantibus curare oportet. Et in libro de Victu in acutis: Si ex febri- Pag. 18.
bus mores ad pedes descenderint, inde ad caput & collum repant, si quidem sanguine narium non saluatur morbus, venter verò murmuret, & excrementa alui biliosa fuerint, aluum scamonio subducito. Quintam Pag. 19.
autem conditionem rectè purgandi per loca conuenientia, statim subiicit dicens: Sectio venæ, quacunque parte fuerit lateris dolor, ex eadem parte facienda est. Hoc quod κατ' ἶξιν appellari dicit Galenus, secundo ad Glauconem. Verùm dices: Hippocrates sex- Cap. 1.
to Epidemiorum ait, Dissimilia si vergant sursum eleuata infernè soluere, & contraria Sec. 2.
per eadem: non igitur motu conuenienti naturæ motui. Et rursus in libro de ossibus: Dā- Pag. 4.
da est igitur opera vt quàm longissimè à locis vbi dolores fieri solent, ac sanguis colligi venas secemus. Non ergo ex propinquo. Itaque quæ diximus, de purgāda in morbis materia dicta sint. At si generalem doctrinam facere voluerimus, obseruatis omnibus conditionibus præter secundam, quam solum omittemus, cum pleno corpore auertere abscessum voluerimus: in reliquis solum obseruandum, vt in reuulsione locum materiæ non doloris, sed dolori contrarium, si fluxio sit ex aduersa parte, consideremus. Atq; ita Aphorismus generaliter verus erit, & conuenientis loci in omnibus eadem ratio: scilicet ex eadem parte qua est materia, licet nonnunquam ex aduersa dolori. In longitudine quidem frequenter, à dextro autem in sinistrum & econtrà rarò. Propè verò & à contraria, cum materia non multa fuerit, & in contrarium secundum longitudinem illam declinare volumus.

Quòd verò educere oporteat ex eodem la- Sec. 2.
tere, quoniam naturæ hoc opus sit, declarat Hippocra

Hippocrates sexto Epidemiorum: è directo & laterum & præcordiorum intentiones, & splenis eleuationes, & è naribus eruptiones, & aures è directo. Et clarissimè primo *Pag. 5.* Prædictionum: Sanguinis eruptiones ex contrario malæ sunt: vt si splene magno ex dextra nare fluant, & circa præcordia, eodem modo res se habet. Verùm cum sudore, hoc *Ægr. 3.* peius est. Et tertio Epidemiorum: In ægro qui habitabat in Dealcis horto, sanguis ex sinistra nare fluxit, & splen eleuatus, & crus sinistrum indoluit: quia tamen tempus dextrum doluerat, morbus ad quadragesimum diem productus est.

Quæ verò ducere conueniat, septem definiuntur casibus: quorum tres cum febre sunt, quatuor sine ea. Cum febre quidem, in fine morbi concocta materia, vt in se- *4. Aph. 10.* quenti Aphorismo, ne longius progrediar: & in initio, turgente materia: Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: & in imperfectis iudiciis. Quæ relinquun- *1. Aph. 11.* tur in morbis post iudicationes, reuersiones facere consueuerunt, talia ergo non statim, vt in præcedente Aphorismo, sed denuò præparata atque concocta educere expedit. Sine febre, aut ratione periculi morbi grauis imminentis: vel etiam solius redundan- *8. Aph. 45.* tiæ, cum tamen periculum etiam imminet, sed incerti generis morbi, iuxta illud: Quibuscunque venæ sectio vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare vel venam incidere oportet. Secundus, vbi propter dolorem, iuxta illud: Supra septum transuersum dolores purgatione indigere *4. Aph. 18.* per superiora significant. Quicunque verò inferiora molestant, per inferiora. Et rursus *Sec. 1.* sexto Epidemiorum, ibi: In renem dolor grauis, cum cibo impleantur, inde subiicit: Veratro purgare iuuenes, poplitem secare. Tertius, cum materiæ redundantis, ac postulantis expulsionem, signa apparent, iuxta illud: *4. Aph. 17.* Si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum & tenebricosum vertiginem patitur, & oris amaritudinem, purgatione indigere per superiora significatur. Quartus in fluxionibus est, de quibus iam diximus. Atque hic est sensus, amplificato Aphorismo, & ad generale præceptum redacto.

APHORISMVS XXII.

CONcocta medicari atque mouere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant: plurima verò non turgent.

COMMENTARIVS.

Pag. 16. RAtionem huius dicti declarabat Hippocrates in libro de Ratione victus. Sed nos diffusius sic: In principiis morborum non esse materias concoctas, palàm est. Cur ergo subiecit, Non cruda, & neque in principiis? an ergo aliud est cruda & incocta di- *Sec. 2.* cere, velut & primo Epidemiorum: Cruda verò, & incocta? Vt videatur distinguere Hippocrates inter crudum & incoctum. *Pag. 6. vsque ad 9.* Hoc ergo in libro de Veteri medicina, sic primùm aggreditur, dicens: Quæcunque concoquuntur, mitiora & meliora euadunt: euadunt autem talia, quia ad mediocritatem reducuntur, omne autem quod reducitur ad mediocritatem, à contrario reducitur, vt frigidum à calido. Propterea inquit: Multipliciter, & per omnes modos contingit concoqui & permutari humores, atque crassescere ac attenuari. Et parum antè: fit aut concoctio ex permistione temperaturáque mutua, & quasi coctura. Permistionem hanc docet esse calidi cum frigido, & frigidi cum calido. Et dat exemplum de fluxionibus, dicens: Fluxiones in fauces, ex quibus anginæ, raucedines, erysipelata & peripneumoniæ fiunt ab initio tenues, acres & salsæ sunt: postquam maturuerint, fiunt crassæ, & sine acrimonia: tuncque dolores & febres ac molestia desinunt. Hæc igitur est concoctio humorum peccantium. Aliam proposuerat antea ciborum rationem, dicens: Concoqui non est calescere vel refrigerari, humectari vel exsiccari, sed euinci quod euictum & concoctum est, quod potest euinci, potest concoqui. Euincuntur autem facilè, quæcunque nihil retinent immoderatum, vt calorem aut frigus, tales autem coctiones, superius fieri à calore naturali declarauit. *Aph. 14. 15.* Coctionis igitur author, calor naturalis: forma est, euictum esse mitiorem & meliorem, & in arbitrio naturæ: modus, temperamentum quod ex permistione contingit: species duæ, vna ciborum & potuum, alia humorum noxiorum. Proprium est autem eorum quæ concoquuntur, dulcescere: quod etiam dixit in libro de Aëre & aquis. *Pag. 6. Sec. 2.* Iuuatur autem coctio, cum conclusa manent quæ coquuntur. Vnde sexto Epidemiorum: Quæcunque concoqui oportet, conclusa esse conuenit: contraria verò, siccare & aperire.

Huic autem cocto duo opponuntur: Incoctum per se, quod non coctum est, aut saltem non perfectè: & crudum. Vnde septima Aphorismorum: Quibuscunque cru- *68. Sed non est in Galeni textu.* da deiiciuntur, his ex atra bile fiunt: si plura, copiosiore: si pauciora, pauciore. Liquet hic cruda dici, à coctione peruersa. Biliosa quoque cruda appellauit Hippocrates, libro de Ratione victus in acutis, teste *Pag. 8.* Galeno. Sed non videtur mihi voluisse id Hippocrates, vt ibi docebimus: quanquam faueat nostræ opinioni. Nihil tamen refert cum incoctio & cruditas omni humori aduenire possint. Forsan veritus est Hippocrates, quæ aliquatenus cocta sunt, cruda appellare, maluitque incocta dicere, id est non perfectè cocta. Sed Galenus exponens dictum primi Epidemiorum, nullam animaduertit differentiam: cum tamen Hippocrates hîc dicat, concocta, & non cruda: ibi, ὠμὰ δὲ καὶ ἄπεπτα. Per cruda ergo, minimè elaborata intelligit: incocta, quæ coctionis perfectionem non potuerunt assequi, seu quia perfectè concoqui non potuerunt, seu quoniam antea coctio aliquo modo peruersa sit, quod iudicatur ex illis verbis subsequentibus in primo Epidemiorum: Et ad malos abscessus

conuersa. Sic ergo est, ac si diceret, non debes mouere nisi concocta: & ita concocta, vt non sint vlla ex parte cruda, id est imperfectè cocta.

Cur verò dixit, *Neque in principii*? Quoniam cum multis persuasum esset, in morbis non esse purgandum nisi materia cocta esset, existimabant tamen in principiis hoc licere, propterea paulopòst subiecit: In acutis affectionibus rarò, & in principiis, medicamentis purgantibus vti: & hoc cum præmeditatione faciendum. Et in secunda particula: Cum morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue: cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere. Explodit ergo duos errores Hippocrates, vnum eorum qui purgant materiam semicoctam, medicamento quod vocent minoratiuum: alium illorum qui in principio purgant, reducens omnem purgationis rationem ad duos scopos: concoctionem materiæ in fine morbi, & materiam turgentem in principio.

Aphor. 24.

Aphor. 29.

Medicari autem verbum, φαρμακεύειν, accipit pro vti purgante medicamento, vnde non idem est, cum vtitur eo pro nomine, vt inde Victus ratione λύειν φαρμακεύειν, soluere medicamento. Medicamentum dicitur & quod vomitu purgat, vt quarta Aphorismorum, ἄνω φαρμακίης δεῖσθαι σημαίνει. Ita dicitur de emplastris, φάρμακα μαλθακώδεα. Sed nunc nobis sufficiat Galeni authoritas in Commento, vt non prohibeamur in morborum initio à vomitoriis auxiliis.

Pag. 9. 17.

Sed falsò à Carlano hoc ascriptum; nam Gal. 2. Aph. c. 9. vetat in principijs morborum cruda existente materia tum vomitu tum alui subductione ut fusius ibi videre est.

Sed cur adiecit, *Et mouere*? Non obiter, vt intelligeremus neque vrinas neque sudores prouocandos, quoniam mouent humores: in vomitu autem & clysteri non fit motus humorum, sed euacuantur ac si in ore contenta essent, ob id in libro de Medicamentis concedit clysterem Hippocrates in quacunque hora febris. Galenus tamen in intermittentium accessionibus non veretur vomitum ciere: clysterem tamen adhibere non audet, nisi intermissionis tempore. Declarat autem, per motum quid intelligat, in Aphorismo superius adducto: Cum morbi inchoant, si quid videtur mouendum moue: cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere. Hic patet, illum loqui etiam de venæ sectione, & his quæ humores omnino mouent, vt clysteria valida, vomitus laboriosi, cucurbitulæ frictiones vehementes. Præcipit ergo, vt non moueamus. Ratio hoc ostendit, non sunt purgandi medicamento, ergo multo minus mouendi humores: quia iactura par est, vt calefacere corpus, vires debilitare: vtilitas autem non est par, quoniam materia non educitur.

Lib. Quos & quando.

Modò non turgeant. Quid sit turgere, non videtur Galenus intellexisse, aut noluisse intelligere. Et clarum est, quòd per turgere intelligit, moueri cum impetu, & tunc vel mouetur ad loca excretionis, vel non: & in vtroque casu tunc oportet aliquid agere, nam si excernit, iuuanda est vt perficiatur opus: quandoquidem periculum est ne non præparata materia, non perficiat quod incœpit. Si verò non excernit, iuuanda est eo magis, ne in locum decumbat aliquem, & abscessum faciat, ex quo æger ad extremum deducatur. Quòd autem per materiam turgentem præcipuè intellexerit Hippocrates materiam inchoantem abscessum, patet libro de Ratione victus in acutis. Vbi Hippocrates docet, sanguinem mittendum, aut purgandum, de quo miratur Galenus: quia quod præ oculis erat, non animaduertit, scilicet omnem materiam facientem abscessum, calidam esse turgentem: atque ideò tunc conuenire purgationem, quando reliqua consentiant, exceptio enim de materia turgente, non est generalis. Cum enim purgare licet ab initio, materiam turgentem esse necesse est: sed cum materia turget, non semper purgandus est æger, nisi motus naturæ consentiat, & fuerit præparata. Est & authoritas Hippocratis secundo Epidemiorum: Scopo ex mucosis, biliosis, & faucium inflammatione, malo victu vso, aluus suppressa est, & febris acuta facta, & lingua florida, & vigil sine somno. Pectinis intentio magna: æqualiter paulatim ad infernam partem in dextris: Spiritus subdensus, præcordia dolebat: & cum reuerteretur, sine tussi verò, subcrassa excreabat: Peplus illi data à præcordio quidem depulit, transiuit autem nihil. Hunc iudicatum, quamuis difficulter, vndecima die ait. Dicit ergo à medicamento & glandibus, quamuis nihil descenderit, tumefactum splenem: ideo non mirū est, si seruatus sit. Sexto quoque eiusdem, cum ait, In renem dolor grauis, iuuenes veratro purgare. Sed & hic Galenus interpretatur, per inferna, quòd per superiora & vomitum intelligi potuit. Sed id est pro nobis. Verùm & post, cum inquit: Dissimilia si sursum vergant, eleuata infernè soluere. Multa etiam habentur alia exempla in quarto & quinto libro, velut de Eupolemo in Oeniade: quamuis (vt ibi testatur Hippocrates) ob negligentiam perierit. Tum etiam in septimo, & in libris de Morbis & Affectionibus, quæ longum esset recensere. Vt constanter concludamus, materiam turgentem esse eam quæ cum impetu mouetur: atque omnem quæ abscessum calidum inchoat huiusmodi esse, nec tamen, vt dixi, purgationem vbique conuenire, sed si sanguinea sit, melius educitur venæ sectione: atque eo magis si tendat ad locum purgationi non satis aptum, vt ad iecur.

Pag. 5.

Sect. 5.

Sect. 1. & in initio.

Inquit verò, *Plurima non turgere*, idem dixit in libro de Humoribus, vbi exscribitur Aphorismus. Id verò dignoscitur ex his quæ in libro primo de Morbis scripta sunt, pauciores enim sunt cum abscessu, quàm sine. Et ibi docet, quod peripneumonia fit ex morbo laterali, & febre ardente: tunc non sumus in proposito, quoniam non sumus in principio, ideò de huiusmodi transmutatione aliàs dicendum. In libro ergo de Iudicationibus inquit: Quibus dolores fiunt repentè, præcordium eleuatum est supernè: etsi circa spuriam costam graues dolores fiunt, his solutio fit per venæ sectionem, & inferiorem purgationem, non enim corripit febris vehemens locis impotentibus. Hic

Pag. 1.

Pag. Penultima.

In fine.

parum

parum dissidet ab his quæ dixit in libro de Victu in acutis, & in expositione superioris Aphorismi. Sed redditur quinta causa, cur liceat dare medicamentum. Repentini ergo dolores rarò in febribus accidunt, qui indicare solent materiam turgentem. Pag. 5. Hoc idem libro de Affectionibus, dum curat repentinos dolores medicamento per inferna purgante, sed tum citra febrem: quos dicit fieri vel à pituita ad cor tendente, id est ad os ventriculi, & à bile. Sec. 6. in princ. Propterea etiam sexto Epidemiorum scripsit: In doloribus proximum ventrem purgato, & sanguinis ventrem secato. Quòd si rarius contingit hoc sine febre, quanto magis in febribus? Nam in febribus tria sunt, ob quæ non adeò materia transit de loco ad locum: Flatus defectus, cum absumatur à febre, & humorum diminutio ab eadem: & quia partes non tradunt sed laxantur.

Turgente ergo materia conuenit purgatio, maximè ob quinque causas, prima est, vt cum sit in motu, facilior fiat expulsio, minuatúrque materia abscessus, & ideò facilior fiat iudicatio. Secunda, vt flatus discutiatur, qui ægrum molestia afficit, & dolorem auget: adeò vt Hippocrates in libro de Flatibus, causas omnium morborum, tum maximè abscessuum, flatus esse dicat. Tria enim mala facit: dolores auget, dilatat locum vt pateat aditus materiæ, & materiam mouet, vrget & impellit, intruditque in loca arcta. Ob id Hippocrates iubet, purgantibus medicamentis odorata admisceri: vt flatus discutiatur. Tertia est, vt dolor loci minuatur auerso impetu materiæ ad locum. Et has tres causas docuit Hippocrates, vt dixi, in libro Pag. 5. de Ratione victus in acutis. Aliam docuit in libro de Iudicatione: & est, quod cum abscessus fit in loco ignobiliore, vt sub septo transuerso, minorem facit febrem: ergo pur- Pag. 5. gatio securior erit. Quinta, vt sequamur motum ipsum naturæ, iuxta Aphorismum præcedentem.

Si verò quis materiam quiescentem expurgare conetur, tria maxima damna inferet: quæ omnia Galenus prætermisit, nec scio 14. cur. In alio autem Aphorismo, qui paulo post exponetur, causam vnam affert, nec necessariam, nec validam, scilicet caliditatem medicamenti expurgantis: cum tamen liceat, vt hodie faciunt nostri seplasiarij, multo Syrupo ex violis magnam scamonij quantitatem miscere, aut ex rosis aut endiuia, & tunc egregiè purgabit, & quantum est in se refrigerabit, neque deerant huiusmodi frigida tempore Hippocratis, & multo minus Galeni. Solani enim succum, & cucumeres, & cucurbitas, vehementer refrigerare, & aluum subducere, docuit Hippocrates in secundo Pag. 8. & 9. de Diæta, quem palam est illius esse. Quis ergo prohibuit, ne horum cuipiam scamonij non paruam quantitatem immisceret, atque sic ægrotantes ab initio vel procedente morbo purgaret, ac refrigeraret simul? Ergo incommoda intempestiuæ purgationis ineuitabilia sunt, humorem peccantem non ex- Pag. 14. purgari prorsus: quod Hippocrates libro de Victus ratione in acutis docuit, licet in abscessibus, & quod materia translata ex loco suo concoqui nequit, demum quod protrusa obstructiones inuictas creat, & nonnunquam abscessus, ob hæc tanta mala purgare non oportet.

Sed quomodo concoctam materiam dignoscemus? Tribus in locis perficitur coctio: in ventre, venis, & corpore toto: ideò ex totidem excrementis, vrina, alui egestione, & pure, siue laboret laterali morbo, seu alio abscessu intus vel extrà. Vocat autem Hippocrates optimum pus, egestionem & vrinam concoctum: quamuis optimum ad alia extendatur. Vnde vomitus optimus, inquit Pag. 5. in Prognosticis, est ex pituita & bile quàm maximè permistus, & non valde crassus, neque multus. Vtitur tamen commodissimi nomine, non optimi: sed quod ad hoc, in idem tendunt. Optima igitur egestio, vt ibi- Pag. 4. dem habetur (quam, vt dixi, concoctam dicere possumus (mollis & cohærens, quam inspissari oportet morbo ad iudicationem tendente: fit autem subfulua, & non grauiter olens. In libro autem de Indicatione, hæc In initio. corrupta sunt, nec perfecta, cuius causam ibidem ascribemus. Vrina quoque optima est, cum fuerit subsidentia alba, leuis & æqualis, per totum tempus donec morbus fuerit iudicatus. In quo differt etiam à concocta solum, quæ tempus non sibi determinat, vt optima. In duobus ergo concoctum ab optimo differt (quanquam vno pro alio Hippocrates vtatur) & quòd optimum dicitur de omnibus quæ significare possunt, sudoribus inquam, vomitibus, sanguine, facie, decubitu: concoctum, solum de tribus excrementis trium coctionum. Et quod optimum plura exigit quàm concoctum: vt multitudinem, tempus, facilitatem, & reliqua. Secundum, signum est à remissione febris & symptomatum, vt in libro de Veteri medicina. Et insi- Pag 6. nuatur nobis in Aphorismo illo: Dum pus 2. Aph. 47. conficitur, dolores ac febres fiunt, magis quàm iam confecto. Et idem testatus est Galenus in secunda Aphorismorum. His duobus Comm. 19. signis concoctio definitur.

Turgens autem materia tribus signis, dolore & murmure & inquiete significatur. De murmure diximus ex libro de Victu in acu- Pag. 11. tis, in præcedenti Aphorismo: Et rursus in Coacis prædictionibus: Tumores in præcordiis recentes, doloresque ab ipsis, si non cum inflammatione fuerint, soluit murmur in præcordio (ipso) obortum: & præcipuè si pertransierit per vrinas, aut alui egestiones. Sed & huius murmuris meminit quarta Aphorismorum. Verùm murmur flatus potius indicium est: & ob id causæ motus materiæ, dolor & inquies propriè motus ipsius.

Huic sententiæ tamen plures repugnarunt, quorum dux est Rasis in trigesimo con- Tract. 3. tinentium: & causam præbuit Galenus, qui Cap. 2. rationem satis frigidam attulit: vnde illa expugnata, quæ facile potest expugnari, Rasis existimauit obtinuisse contra Hippocratem. Eum secuti sunt multi, & Auicenna tanto flagitio voluit sedere in duabus sellis: nec ausus est stare pro Hippocrate, veritate & vtilitate humani generis. Galenus tamen Hippocratem secutus est. Medici nostri tem-

poris in vtroque præcepto aberrarunt. Nam & in non turgente materia purgant: & in turgente aluum solum lenientes, aut leuiter etiam purgantes, occidunt ægros. Causa quòd medici tam sæpe aberrent ab hoc scopo, est, quòd dum sunt iuuenes, verentur, si non purgent, ne pro imperitis habeantur. Quibus se ducem exhibuit maleficus & imperitus quidam, in perniciem humani generis natus, qui etiam multa stultè de hoc scripsit, quæ perlegentibus hanc expositionem statim, quòd extra propositum adducta omnino sint, intelliguntur, nec rationes illas pondus vllum habere. Plures tamen medici sequentes consuetudinem à iuuentute contractam, in errore perseuerant: adeò vt etiam se suósque, si casus se offerat, vt frequenter accidisse vidi, perimant. Plurimum ergo debemus huic Aphorismo, quandoquidem vel cum ipso adhuc adeò malè audiant medici, vt dicere soleant, medicos plures occidere quàm sanare. Quod si hic obex non esset, haud dubito, quamadmodum Romani facerunt, vrbes eiecturas esse medicos publico decreto. Sed ad meliora transeamus.

Cap. 15. Inquit Galenus quinto de Tuenda sanitate: Tria sunt genera subducentium aluum: medicamenta, vt scamonium & aloes: cibi, vt pruna, cerasa, caules: & cibi medicamenti vim habentes, vt caricæ, cnicum, mercurialis. Quæritur ergo, an huiusmodi liceat vti, scilicet cibis puris, & vim purgandi habentibus: in quo genere etiam sunt cucurbitæ, vt dixi, & cucumeres? Galenus in tertiodecimo artis curatiuæ, in phlegmone cauæ iecoris partis admittit mercurialem, vrticam, cnicum, polypodium, epithymum, & etiam ellebori corticem: quo fit, vt in turgente materia, cum adhuc influit, tametsi principium iam præterierint, huiusmodi admittere conueniat, quando spes fuerit reuocare quod adiicitur: aliter autem si materia quieuerit, non sunt danda, quæ autem reuellunt, nec supra læsam partem ducunt, semper conueniunt: vt dum fiunt quæcunque purgant vehementer. Ita ergo trium quæ aluum deiiciunt, vsus erit: ciborum in sanis: medicamentorum turgente materia: factis abscessibus ciborum vim medicamenti habentium, cum cibis ipsis, materia quiescente, lenientium. Vnde etiam cassiæ nigræ vsus, solum phlegmonas iam patientibus vtilis erit.

Cap. 15.

APHORISMVS XXIII.

DEiectiones non multitudine sunt æstimandæ: sed si talia deiiciuntur qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

COMMENTARIVS.

VErba illa, *Atque vbi vsque ad animi defectionem*, declarant Hippocratem loqui non de spontanea euacuatione, sed à medico facta. Quod etiam docet continuatio ad præcedentem, tum subsequentem Aphorismum. Galenus hac in parte vituperandus non est, quòd dubitauerit, melius enim est in ambiguis dubitare, quàm errare. Hoc autem sic clarum est, in initio huius particulæ Hippacratem hæc duo coniunxisse simul: Si qualia oportet purgentur, confert, & bene ferunt. Aph. 2. Cum verò dixit, Sic & vasorum inanitio, non de humore solùm, sed de operatione ipsa locutus est. Ideò hic cum neutro modo loquatur, vtrunque assumit, dicens: sed si talia deiiciuntur, & ægri facilè tolerant: supple, tunc rectè agitur. Sunt ergo tria: Si qualia oportet purgari, purgentur, & ægri bene ferunt, tunc rectè agitur à medico, non autem sufficit medico, quòd qualia oportet purgari, purgentur: nam oportet vt per viam debitam, & sub debita quantitate, & constantibus viribus & reliquis, purgatio fiat. Si verò qualia oportet purgari, purgentur, omnibus seruatis conditionibus, tunc confert, & benè ferunt, & ita intelligendus est vltimus Aphorismus huius particulæ. Ergo per Qualia, vel intelligimus conditionem solam humoris: & tunc si natura id agat, confert, & benè ferunt: si medicus, non sufficit. Secunda, si qualia oportet purgari, purgentur à medico, & confert, & bene fert æger, rectè medicus agit. Tertiò, si per qualia oportet purgari, purgentur, intelligamus humorem peccantem concoctum, per loca conuenientia in morbis in quibus conuenit, & sub debita quantitate, tunc confert, & bene ferunt ægri, nec erit superfluus iuxta hoc vltimus Aphorismus: nec quicquam, quamuis repetitum videatur, repetitum erit: nec hic de naturæ euacuatione, sed solius medici, loquetur Hippocrates. Secundi igitur Aphorismi pars prima est, de naturæ operatione: secunda, medici. Sed animaduerte quod multùm differt, dicere, Si talis fiat, & si qualia oportet purgari, hoc enim ad solam materiam refertur, primum ad medici opus, quod longè plura comprehendit. Sed præsentis Aphorismi tota sententia est de medici operatione, vt etiam vltimi, sed in hoc iungit partes, quia per Qualia intelligit humorem peccantem, in vltimo autem humorem, qui & quomodo oportet euacuari debet. Nec alio argumento indigeo ad hoc demonstrandum, quàm ipsa serie verborum ipsius Hippocratis, qui aliter vtitur hoc nomine Qualium & talis. Qualiũ enim est relatiuum primum & plurale, Talis relatiuum secundum & singulare. Sententia igitur primæ partis Aphorismi est, quòd duo sunt consideranda in euacuatione, quòd qualis materia debet euacuari euacuetur, & quòd ægri facilè ferant, non dixit, quòd conferat, nam si qualia oportet euacuari, euacuentur, necessariò confert, non tamen sequitur, vt facilè ferant, vel ob multitudinem, vel locum, vel vires, vel alia incommoda. Vt autem qualia Aphor. 2. debeant euacuari cognoscas, docet præcipuè in quarta particula, cum dicit. In medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, vtile, quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Sed & ex aliis signis, vt infrà. Sed dicetis. Nonne oportet Aphor. 4. considerare

considerare quantitatem, saltem quando nimis exigua fuerit? Respondeo, quòd Hippocrates non dicit Quantitate sunt æstimandæ, sed multitudine, iam enim præsupponit, esse multam deiectionem.

Atque vbi vsque ad animi defectionem ducere expedit, faciendum, si æger possit tolerare. Præclarè fecisset Galenus, si hunc saltem locum declarasset, scilicet vbi expedit, quomodo omittenda sit, si æger possit tolerare. Deinde cum Hippocrates de euacuatione per aluum loquatur, ipse exponit de sectione venæ. Par enim erat, etiam si verum fuisset quod diceret, vel vt redargueret Hippocratem, vel vt illi quæ dixit applicaret: quorum neutrum cum faciat, meritò Galenus hac in parte damnandus videtur. Sed vt breuiter vera fatear, Hippocrates nec de sectione venæ loquitur hic, nec de syncope, vt velle videtur Galenus: sed vulgari illo animi deliquio, quòd superpurgati ægri sine magno periculo incurrere solent. Occurrit enim tacitæ cuidam dubitationi, quia dixerat, si æger possit ferre. Quomodo enim si ad virium defectum æger deducatur, ferre potuisse dici debebit? propterea subiunxit, vbi æger possit perferre, ne verearis animi deliquium, quod Græcè vocatur λειποθυμία seu λειποψυχία. Vtitur autem Hippocrates hic
Aphor.41. primo nomine. At syncopi correpti vocantur ab eo secunda Aphorismorum ἐκλυόμενοι, ab ἐκλύω, quod est dissoluo, dissipo, destruo. Quid ergo est, vt Galenus simplicem animi defectum cum hac tanta iactura virium confundat? & sensum Hippocratis extra propositum nulla ratione traducat? De hac exso-
Pag.17. lutione virium intellexit in Coacis prædictionibus, cum dixit: Liquida alui egestio seu sensim seu simul, si contingat, mala est: altera enim vigilias, altera exsolutionem facit. Hic tamen non vult, vt medicus tanto periculo se exponat.

Pag.2. Adducitur hic Aphorismus in libro de Humoribus, atque ibi, vt visum est diffusè exponitur.

Vt verò ea quæ Galenus hic scribit prosequar, quæ nollem illum scripsisse, proponit tres casus, & omnes falsos: sed primus ferri potest, cæteri ne initiato quidem medicinæ digni sunt. Primus est, ardentissimarum febrium, hic si intelligit ardentissimam febrem, id est à flaua bile factam, aberrat toto, vt aiunt, cœlo: hoc enim esset scelerata manu hominem interficere, sin autem de ea quæ fit à sanguine, adhuc generale præce-
Cap.10. ptum non est, vel ipso teste nono Artis curatiuæ, vbi de duobus ægris narrat, quibus secta vena, ab aliis medicis exsoluti nunquam amplius reuixerunt. Sed legere ἰσχυροτάτοις πυρετοῖς, vt antiqua versio legit, id est vehementissimis febribus, melius est quàm θερμοτάτοις. In secundo casu phlegmonis, vel ipso teste, multo minus conuenit sectio huiusmodi venæ, cum dicat tantum esse relinquendum sanguinis & virium, vt abscessus concoqui possit. Sed deceptus est Galenus ex
Com.47. dicto illo, quarto de Victu in acutis, vbi sic mittit sanguinem Hippocrates: In tertio casu, in dolore coli, vel renum lapidis, si ad exsolutionem sanguinem mittat, feretrum iubeat afferri medicus, & carnificem se missum testetur. Quare credo intelligendum de doloribus à causa calida ortis, cum suspicione futuri abscessus. Nec excusant verba illa, Adhibita distinctione. Nam in dolore coli sæpe purgatio talis eàdem die occidit. Sed vtut sit, melius est vt expositione hac Aphorismorum à Galeno facta, relicta, ad illius libros de Arte curandi te conferas, hic enim aut toties aberrat: aut si nolis hoc verbum admittere, tot præbet aberrandi causas, vt omnino latronis sit, propter paucula verba seu ab illo malè scripta, seu posterius temporum vitio corrupta, seu à nobis perperam intellecta, tot insontium vitam in manifestum periculum vocare.

APHORISMVS XXIV.

IN acutis affectionibus raro, & in principiis, medicinis purgantibus vti. Et hoc cum præmeditatione faciendum.

COMMENTARIVS.

DIctio πάθεσιν, non habet Latinam respondentem: sed in animi affectibus, dimus eius loco perturbationem. Passio Latinum non est, affectio vel morbus conueniunt. Est autem Aphorismi sensus: Vt purgemus medicamento, quatuor conditiones necessariæ sunt, seu sunt obseruandæ: quòd affectio acuta sit, in principio raro etiam id conuenit, & cum præmeditatione faciendum. Cur solùm in acutis? Quoniam conuenit solum turgente materia, vt visum est: sed omnis materia turgens facit morbum acutum: igitur conuenit solùm in acutis. Ab inferiore enim ad superius argumentum concludit. Sola terra mobilis non est, ergo solum elementum mobile non est.

Proponitur hic Aphorismus, quoniam in vigesimosecundo dixerat: Neque in principiis, modò non turgeant, ideo subiicit: In acutis enim in principio licet purgare, sed raro, & cum præmeditatione. Ex quo habetur, quod in processu morbi nunquam, nisi in fine, cum materia concocta fuerit: in principiis autem, solùm in acutis, & hoc raro, & cum præmeditatione: raro quidem, quia raro contingit materiam turgere.

Sed dices: Cur ergo interponitur præcedens Aphorismus? Dico, quòd ille continuatur primæ parti Aphorismi illius: Concocta medicari. Respondet tacitæ obiectioni: Multa tamen fit deiectio materiæ ante coctionem, ideò videtur vtilis huiusmodi purgatio. Respondet: Non, quia deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conuenit, & ægri facilè ferunt. Quasi dicat, etiam quod multa purgatione deieceris, nec qualia oportet, purgabis, sed alienum humorem, nec facilè ferunt, ideò non iuuabis illos.

Sed cur dixit, Raro esse purgandum in acutis? Quoniam sex sunt casus, in quibus etiam

etiam quod materia turgeat, medicari non est tutum: non dico quod omnino prohibeat.
1.Aphor. Primus habetur in quarta Aphorismorum: Vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turget à quarto mense vsque ad septimum, sed has minus: iuniora autem & seniora vereri oportet. Non prohibet ex toto, sed admonet. Secundus est in extenuatione partium ventris quæ sunt infra vmbilicum, secunda Aphorismorum: In quouis morbo partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes, crassitudinem habere melius est: multum verò extenuari, & contabescere, prauum. Sed hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum. Tertius est ratione
Aphor.5. temporis, quarta Aphorismorum: Sub cane, & ante canem, molestæ sunt medicationes. Quartus est: Cum corpus est astrictum, ideo secunda Aphorismorum ait: Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida fa-
Aphor.9. cere. Quod etiam quasi Galenus in Commento obseruat, dicit enim, quòd tria sunt necessaria ad purgationem rectè faciendam: vt aluus assueuerit lenientibus medicamentis subduci: vt humores qui sunt in meatibus, sint præparati:& vt obstructiones atque oscula venerum sint aperta. Sed hic nòn meminit astrictionis alui. Dicit ergo, se vsu edoctum, necessariam esse hanc præparationem humorum, & apertionem venarum: sic vt hæc exceptio tres contineat partes. Quintus est in eo qui nuper sumpsit cibum, libro de
Pag.4. Victus ratione in acutis: vbi iubet exhibendum clystere, non dandum medicamentum. Sextus autem casus est, vbi inflammatio fit in visceribus, in via & in ventriculo aut intestinis, quia duceremus super membrum læsum. Galenus autem in præsenti Commento dicit de omnibus viscerum inflammationibus: quod falsum est, vt superius docui. Omnes tamen hi casus, præter vltimum, docent periculum esse in purgatione, non expressè inhibent. Est etiam casus de infante, quem non adduco, quia vix poterimus in illo deprehendere materiã turgentẽ.

In principiis. Causas diximus. Quid si prætereat principium? Dico, Non erit purgandum. Ideo malè facit Galenus, qui contra mentem Hippocratis consulit, differendam quandoque purgationem vsque ad secundam diem, vt humores præparentur, & ora venarum aperiantur: maius enim erit longè damnum ex incremento febris, & decubitu materiæ, quàm vsus ex illa præparatione, nisi in paucissimis casibus. Si ergo occasio principij elabatur, tunc vel æger morietur, vel omnis spes reponenda erit in concoctione abscessus, & puris reiectione. Ex quo patet,
Pag.1. cur dixerit Hippocrates libro Prognosticorum hæc verba: Sanos equidem facere omnes ægrotos impossibile est, hoc enim præstantius esset, quàm cognoscere in posterum euentura. Quandoquidem verò homines moriuntur, alij priusquam medicum vocent, præ violentia morbi: alij verò accito etiam medico, repentè vita decedunt: quidam vbi vnam vixerint diem, quidam tempore paulo longiore, antequam medicus per artem aduersus singulos morbos repugnet. Innuit manifestè, cum dixit quòd moriuntur antequam medicus aduersus morbos possit parare & adhibere præsidia, quòd omnes morbi sanabiles sunt, in quibus tempestiuè bonus medicus adhibetur: ni modò sint tam præcipites, vt dieculam aut parum plus temporis post medici aduentum vitæ relinquant. Quadrifariam ergo pereunt ægri ex acutis morbis: vel quia medicus non tempestiuè adhibetur: vel quia medicus errat in ratione victus: vel in purgatione aut euacuatione intempestiua, scilicet nimis serò turgentium humorum, aut nimis celeriter quietorum: aut quia morbus est in compositione lethalis, vt in vulnere cordis & cerebri. Ergo cum ita sit, si bonus medicis tempestiuè adhibeatur, nulli morientur ægri, nisi ex vulneribus, aut contusionibus huiusmodi insanabilibus, vel repentè, vel in quibus vires deficiunt ætatis vitio, aut pestiferæ febris, aut lethalis veneni, atque ita omnes citra artis infamiam. Et hoc dixi fermè mihi contigisse, vt vix ex trecentis languentibus, ad quos ab initio fuerim vocatus, vnus interierit: imò nec forsan ex quadringentis, toto tempore quo in vrbe mea artem exercui: fuereque anni propemodum decem & octo, quod ex publica fide mortuorum, quibus nomen medici in vrbe nostra ascribi solet, deprehendi adhuc potest. Atque etiam ex his qui perierunt, vix vnus aut alter ab initio morbi me vocauit: sed plerique ex tabe, hydropeve confecti sunt. o medicũ immortalem!

Cur verò adiecerit, id cum præmeditatione faciendum: potest referri ad electionem morborum, & ad modum operandi, vt cum id agimus, rectè pensitemus. Atque id mihi magis arridet, quoniam iam rarò & in principiis faciendum dixit: ergo faciendum. Non ergo amplius restat, vt meditemur an faciendum. Et cum dixit rarò, neque relinquitur vt meditemur in quibus, non enim esset artificiosum dictum, rarò nos docere id licere, nisi præsupponeret in quibus iam liceret nos scire. Ergo vult vt purgationem adhibeamus, meditantes quid, qua hora, qualiter & quomodo dandum sit.

Huiusmodi morborum vt effigiem quandam perscribam, ex lib. de Internis affectio- Pag.11.
nibus quem Galenus Hippocratis esse affirmat, hoc exemplum assumpsi. Cum lien bilem ad se traxerit, febris acuta illum inuadit, quæ progrediente morbo remittitur, præterquam in ipsa lienis regione, vbi calor perpetuò viget, & dolor acutus per interualla ventris illum affligit. Huic ergo veratrum, quum sic habuerit, id est statim deorsum purgans bibendum dato, & gnidio coc- Pag.5.
co subpurgato. At dices, in pulmonis ery- Pag.9.
sipelate non purgat, nisi post septimam diem, peplo & meconide: & in renum lapide statim purgat corpus scamonio, ergo præter materiam turgentem licebit purgare omnia, quæ sunt omnino præter naturam, vt vermes, aquam, lapides atque venenum. In pulmonis autem morbo non purgamus propter febris vehementiam, & quia (vt dixi) materia non est prope locum transitus. Sed remissa febre & erysipelate, purgamus ob materiam quæ morbo coniungitur, non autem morbi materiam.

APHORIS

APHORISMVS XXV.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: si contrà, difficulter.

COMMENTARIVS.

HVnc Aphorismum, qui nostram non viderunt interpretationem, intelligere non possunt, ideo neque hic Aphorismus dictus est in secundo ab Hippocrate, neque in vigesimotertio: sed cum explicuisset, quod in purgationibus à natura factis, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt, & hoc in secundo Aphorismo: & rursus, quòd si euacuatio vasorum fiat talis qualis fieri debet, id est cum omnibus conditionibus rectè euacuandi, quòd confert, & bene ferunt, & hoc in eodem: tertio, quòd si à medico talia euacuentur qualia oportet, & ægri bene ferant, quòd euacuatio illa rectè facta est, & hoc in vigesimotertio: hic concludit, quod si euacuatio fiat eorum quæ euacuari debent, cum omnibus conditionibus quæ sunt quinque, id est in morbis in quibus conuenit, sub quantitate qua debet, sub tempore, id est concocta materia, per locum conuenientem, & vt sit materia peccans, quòd tunc conferet ægris, & benè ferent. Sed dices, hoc concordat cum dictis in secundo Aphorismo, & in secunda parte. Respondeo, quod hoc est aliud: ibi enim docetur, quòd si talis fiat, qualis fieri debet, nunc hic loco Qualium subiice illas quinque conditiones, & videbis discrimen, nam illa fuit ratio generalis bene euacuandi, hic autem colligit dicta quatuor proximè præcedentium Aphorismorum, & breuitatis causa per Qualia omnes illas conditiones complexus est.



IN HIPPOCRATIS APHORISMOS LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

CVM in superiore libro, vt vidimus, Hippocrates ordinatè ad amussim curam morborum instituerit, venæ sectione, purgatione, victus ratione: non eadem diligentia ordinem in hoc secundo libro seruauit, adeò vt vix ordinem aliquem tenere visus sit. Et quamuis Benedictus Bustamaneus Paz Hispanus, qui medicinam Salamanticæ profitetur, nixus sit & huius libri seriem ad ordinem quemdam redigere, vt & omnes alios: non tamen talis ordo ab Hippocrate seruatus dici potest, vt quemadmodum primum, ita & secundum continuo sermone scriptum dicere possimus. Verùm illud Hippocratis eiusdem in libris de Arte, atque primo de Victu dicendum erit: Authores qui aliquid etiam non rectè scripserint, potius laudandi sunt, quòd conati sint inuenire, quàm vituperandi, quòd inuenire non potuerint: cum voluisse inuenire, bonæ mentis argumentum sit: non potuisse autem, malignitatis fortunæ. Itaque cum in hoc secundo de causis morborum non generalibus agat, tum etiam auxiliis quibusdam magis propriis, ac de signis ipsorum morborum, tum etiam conualescentium, consideratione satis fuerit totum ipsum librum in hæc quatuor capita redegisse, quæ verò continuo sermone iungi poterunt, particulatim suis locis iungentur.

Pag. 1.

Cæterùm quòd ad diligentiam attinet, nos quantam potuimus in interpretatione horum librorum adhibuimus, nacti materiam & hominem dignum, in quem tot labores insumerentur: tum maximè, quòd illius fortuna, quanquam clarior nostra extiterit in re medica, nihilominus & ipse ingratè & iniustè multa ac magna perpessus est, adeò vt cum fœlicissimus esset duobus filiis Thessalo & Dracone, filiáque quam Polybio & & ipsi medico locauit in vxorem, amicísque præcipuis Democrito & Philopœmone Abderitis, Dionysióque Alicarnasseo & Damageto Rhodio, tum Perdicæ Macedoniæ Thessalorúmque regibus, & apud Athenienses summos consecutus honores, coronam statuæ aureorum mille, initiatus mysteriis Cereris ac Proserpinæ (quod vix Romanis Imperatoribus concedebatur) victum in Pritaneo consecutus, & vt illius gratia impuberes omnes Coorum filij vsque ad pubertatem Athenis institui possent: ipse quoque Thessalus, filius natu maior, cum classem triennio Atheniensium, quæ cum Alcibiade in Siciliam nauigarat, sponte & paternis sumptibus secutus esset, curando milites aurea

corona

corona ab Athenienſibus donatus eſſet: cùm etiam ipſos Athenienſes præcipuè, tum totam Græciam ab imminente peſte, quæ ab Illyrico ortum ſumpſerat, & in Græcos iam graſſabatur liberaſſet: cum dona ipſorum Illyricorum regum immenſa, cum Regis regum Artaxerxis longè maiora, etiam periculum vitæ ſubiens ob Græcorum libertatem, aſpernatus eſſet: cum Machaon & Podalirius Æſculapij filij, Hippocratiſq; maiores, Græcorum exercitum ad Troiam milites curantes ſecuti eſſent, è quibus Machaon in expeditione periit: cum eiuſdem Hippocratis abauus Nebris, monitu Delphici oraculi ſeipſum & filium Chryſum & Calydonium obtuliſſet pro Græcorum ſalute contra Criſos, cauſáque fuiſſet vt illorum vrbs expugnaretur, primùm liberato exercitu circumſidentem à peſte qua laborabat: infecto etiam canali aquæ, qui per ſubterranea vrbem ingrediebatur, veneno: demum Chryſo ipſo in muros ciuitatis primò aſcendente, vnde etiam cum ex his deiectus eſſet extincto: cum etiam Coi ipſi ne cum Rege Perſarum coirent extrema paſſi eſſent, euerſáque funditus eorum vrbs: tandem tamen coactus eſt Hippocrates ipſe in ſenectute, euerſa vrbe fortunis omnibus ſpoliatus, cum filiis atque deſcendentibus ad aram Theſſalorum confugere, illóſque exorare vt ſuppetias ferrent periclitanti ab Athenienſibus patriæ: qui vrbem euerterant, alios occiderant, alios in ſeruitutem duxerant: hæcque gratia, hi ſucceſſus tot beneficiorum in gentem ſuam, ſcilicet Græcorum. Vnde rectè Theſſalus illius filius quaſi diuinans, in oratione quam ante excidium patriæ apud Athenienſes habuit, inquit: Mala res eſt poteſtas, ô viri Athenienſes, raro enim homines, ea vt decet, rectè vti norunt. Sæpè etenim vni vrbi parcitur ob vnum hominem. Vnde ipſe Hippocrates Abderitis ſcribens inquit: Beatæ reſpublicæ quæ norunt, ſapientes viros ac probos eſſe ſua munimenta, non muros aut turres. Verùm tantum abfuit vt hæc apud Athenienſes profuerint, vt etiam Hippocratem, quem tot donis ornarant, ob legationem apud Theſſalos habitam, impellente ſophiſta Antiphonte, tanquam hoſtem damnarent, ac ornamentis omnibus ſpoliarent. Sed & quantum obfuerit illi inuidia, ipſe teſtis eſt in Epiſtola ad Democritum, dicens: Plus exiſtimo vituperationis, quàm laudis apud homines me ex arte ob inuidiam conſecutum. Ille idem ibidem teſtatur, ſe ſæpius opinionem mutaſſe, nec ad finem artis perueniſſe. Quocirca minus mirari ſubit, ſi nec mihi aut filio meo pepercerunt, cum nec gloria nec potentia Hippocratem æquauerim: cuius tamen exitus adeò præter ſpem miſerabilis fuit, cum tamen eſſet nobiliſſimus, & multorum regum amicitia fretus, adeò videntur ob improbitatem noſtram omnia, & dij etiam ipſi odiſſe homines: vt ipſum Æſculapium, quòd nimis hominibus benefaceret, Iupiter ipſe (vt Hippocrates ex Democrito in Epiſtola ad Damagetum narrat) fulmine percuſſerit. Quid ergo eſt vt demirer, cum adeò benefecerim, tanta pati? Solatur tamen communis, vt dixi, hominum conditio, atque eorum qui humano generi prodeſſe nituntur, neque parem gratiam Galeno, vt Hippocrati, nec gloriam nec ſtudium, vt neque calamitates ipſas pares fuiſſe exiſtimo. Sed iam ad propoſitum redeamus.

APHORISMVS I.

IN quo morbo ſomnus laborem facit, mortale: ſi verò ſomnus iuuat, non mortale.

COMMENTARIVS.

AB hoc primo Aphoriſmo vſque ad quintum, proponit ſigna bona & mala in morbis, incipitque à ſomno: verùm ſtatim occurrunt quædam difficillima, nam in coniunctis oppoſitis, vt in Dialecticis docuimus, cum ex vtroque oppoſitorum oppoſita ſequuntur, ſingula ſingulis referendo, neceſſe eſt vt rurſus affirmando negandóque, ex oppoſitis ea de quibus dicuntur, ſequantur: veluti in præſenti oratione, Si ſomnus laborem facit, lethale eſt:

(Somnus laborem faciens lethale. Somnus iuuans. Non lethale,) ſi iuuat, non eſt lethale: ſequitur confeſtim, cum lethale & non lethale medio careant, vt ſi morbus lethalis ſit, ſomnum oportere vt laborem faciat: & ſi non ſit lethalis, vt iuuet: Et ſi non ſit lethalis, vt non faciat laborem: & ſi ſit lethalis, vt non iuuet: Et ſi non ſit lethalis, vt non faciat laborem. Etenim ſi ſomnus laborem faciens oſtendit morbum eſſe lethalem, & iuuans non lethalem: igitur cum ex oppoſito eius quod ſequitur, ſequatur oppoſitum eius quod ſupponitur: ſequitur quòd ſi lethalis eſt, non iuuat, & ſi lethalis non eſt, non facit laborem. At quia lethale & non lethale medio carent, ideo non iuuare, & laborem facere, idem erunt, quod eſt abſurdum quandoque enim æger neque iuuatur neque læditur à ſomno: morbus ergo is nec lethalis erit, nec non lethalis? Dicimus, quòd ſi ea de quibus dicuntur, ſint ſine medio, neceſſe eſt etiam illa quo dicuntur eſſe ſine medio: ſed non contrà, at Hippocrates proponit ea quæ dicuntur eſſe ſine medio. Ergo vbi non iuuet nec noceat, quamuis neceſſe ſit vt ſit lethalis aut non lethalis morbus, nullam tamen ex ſe præſtabit indicationem, quoniam ſub vtrouis ſemper continebitur.

Alia dubitatio eſt, quoniam in ſomno quædam ſemper ſe habent grauius, vt reſpiratio & delyrium: quicunque enim loquuntur per ſomnum, delyrant, quando nec ſanis integra ſit mens: item reſpiratio grauior, & decubitus plerunque: quædam verò melius vt quies, concoctio, quod nam igitur erit ſignum ex his certum? ideo cum dixit (facit) intelligere debemus à ſomno, non in ſomno. In libro enim de Medici vulnerarij officio, inquit: Aut ſimilia aut diſſimilia, quæ comparari debent: natura ſimilia eſſe debent, vt crus cruci, non crus brachio: ergo nec ſomnus vigiliæ, ſed vigilia, quæ ſomnum anteceſſit, vigiliæ, quæ ſomnum ſequitur: tum verò etiam vigilia, quæ breuem ſomnum ſequitur Pag. 1

vigiliæ

vigiliæ quæ longum. Comparare autem vigiliam, quæ sequitur somnum præcedentis noctis, vigiliæ sequenti somnum externæ noctis, quamuis vtile sit in diiudicando, non tamen est his ad propositum, neque conducit quæcunque vtilia sunt, vbique adduxisse, quod Galeno familiare est: ideo sequi debemus illius bene non male acta. Tertia dubitatio est, quia in omnibus accessionum principiis somnus laborem & damnum affert, quomodo ergo diiudicabimus hoc? Respondeo, quòd Hippocrates hic loquitur de morbis acutis, in quibus potius adsunt exacerbationes, quàm accessiones. Intellexit hoc sexto
Sect. 7. Epidemiorum, cum dixit: Quæ in somnis exacerbantur, & quibus extremæ partes perfrigerantur, & mens turbatur, & alia quæ circa somnum fiunt eiusmodi, & quibus contraria.

Quarta est, quoniam in incrementis morborum somni labores afferunt, & tamen id non vetat quin ægri seruentur. Verùm vt hæc intelligamus, videamus quid per labo-
46. rem intelligat Hippocrates, πόνος Græcè labor est, duoque præcipuè significat, dolorem & fatigationem, vt secunda Aphorismorum, dum inquit: Δύο πόνων ἅμα γινομένων id est:
48. Duorum dolorum qui simul. Et rursus, ὅταν ἄρχηται πονεῖν, id est: In motu cum fatigati cœperit: Galenus verò connumerat febres, dolores, fluxiones, inflammationes, delyria, sopores. Sed ratio docet ad duo reduci debere, aut morbi & symptomatum incrementum, & hæc enim doloris nomine significantur: aut ad virium lapsum & oppressionem, & hoc à fatigatione, dolorem enim & fatigationem communi significatione interpretatur Hippocrates. Quod verò citat Galenus ex morbis vulgaribus sumptum, Fuchsius dicit esse in tertio libro, ego id non inueni in illo, quamuis ter propè accedat.

Sed vt ad rem redeam, dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum: Somnus calefacit interiora, & refrigerat exteriora, vigilia
Pag. 11. contrà. Et secundo de Diæta: Somni ieiunum attenuant & frigefaciunt, si non longi fuerint, præsens humidum euacuantes: qui verò magis calefaciunt, carnes colliquant, & corpus diffundentes exsoluunt ac debiles reddunt, à cibo verò sumpto calefacientes humectant, alimentúmque in corpus diffun-
Pag. 5. dunt. Et in tertio rursus. Somni, dum corpus repletur, longi ac dulces contingunt, cum verò non amplius repletur corpus, sed fit secretio, tunc perturbant. Ex his non difficile est venari omnium horum causam, nam in morbis, cum non assumatur cibus, aut valde exiguus, non possunt contingere somni dulces & iucundi, sed si natura concoquit & perficit, quod tentauerat, melius se habet necessariò homo à somno quàm antea, si non laborem sentit patiens, non ergo in acutis somni labores in incremento afferre possunt, si morbus lethalis non sit, quin magis iuuet ex alia parte materia benigniore reddita, propterea Hippocrates adduxit ista duo simul, lethale & non lethale non frustra, nam aliter vnum ex alio intelligeretur, sed vt vno Aphorismo, qui generalissimus est, in omnibus morborum temporibus cognosceremus, morituros & superuicturos. Si enim labores sine iuuamento apparuerint, morientur ægri: si iuuamentum sine labore sanabuntur: si vtrunque, considerare oportet quid vincat, & iuxta illud ferre iudicium. Ita doctrina redditur generalis, nec exceptione temporum opus est, & omnibus conuenit & dilucida est, quæ iuxta Galeni expositionem obscura & contracta mutilatáque reddebatur: quoniam nimis aliis incumbebat, Hippocrate derelicto. Nos verò nihil supponimus, nisi vt æger rectè regatur, ne cibus negotium illi facessat.

APHORISMVS II.

VBi somnus delyrium sedat, bonum.

COMMENTARIVS.

NOn quia hoc sit exemplum eorum quæ laboris nomine significauit, hunc Aphorismum subiecit (quid enim absurdius, exemplis huiusmodi in tanta breuitate vti) sed vt intelligeremus etiam de his quæ sub labore non comprehenduntur, quale delyrium est, intelligi Aphorismum. Sicut & il- 67.
lud quarta Aphorismorum: In febribus ex somnis timores, aut conuulsiones, malum, quamuis conuulsio sub dolore comprehendi possit, est tamen conuulsio dolore aliquid maius, solet autem Hippocrates huiusmodi facere mentionem.

Delyrij autem genera ponit Hippocrates in primo Epidemiorum septem: Phrenitim, insaniam, delyrium propriè, mentis motionem, stuporem, melancholiam, & furorem. Phrenitim vocat, cum assiduè delyrant: cum per interualla, delyrium: furorem, cum insaniunt cum ira: insaniam autem, cum non rectè cogitant: melancholiam, cum frustra timent: stuporem, cum sunt obliuiosi: sed mente moti, cum leuiter & quasi occultè delyrant. Duo tamen genera Hippocrates sexta
Aphorismorum maximè considerauerit, cum 53.
dixit: Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores. An verò signum laudabilius erit, prauam desipientiam, an leuem sedari? quæsitum hoc de omnibus esse potest. Et certè maius malum sedari, roboris virium maius est argumentum: minus autem, certioris securitatis. Et quanquam delyrium propriè, vt dixi, dicatur de vigilantibus: tamen si multum etiam per somnum abundet, malum est. Et in illud
Hippocratis deuenimus in Coacis prædictio- Pag. 6.
nibus, quod verissimum est: Somni profundi, non turbulenti, firmam iudicationem significant: turbulenti verò, cum dolore corporis inconstantes sunt. Sed vt ad rem redeam, periculosum est omne delyrium, sed quod fit cum risu, sanguinis abundantiam significat, quod cum studio, melancholiæ, quod cum furore, à flaua bile, quod cum studio fit, & ira etiam, aut oculis peruersis, aut dentiũ stridore, plerunque affert mortem, quoniam pessimum est.

est. Et ideo dicebat Hippocrates in Coácis prædictionibus: Mentis emotiones modicè feroces, & ferinum & conuulsionem significant. Fiunt enim ab atra bile, quæ exusta est.

Languens quartus. Sed cadit dubitatio: quia in Philini vxore, primo Epidemiorum, somnus delyrium sedauit in vndecima, dicit enim, quòd omnium facta est memor, & tamen mortua est in vigesima. Galenus transit, vt solet, rem sicco pede. Verùm refugient quidam ad illa verba: Sed statim in delyrium recidit: illa non excusant, nam videbatur à somno euicta causa delyrij. Ideo hoc de delyrio intelligi debet, ratione morbi delyrium facientis, scilicet febris: ideo cum ibi esset signum abscessus interiorum, mortua est. Quod ergo in primo generaliter dixit, generaliter etiam de omnibus morbis est interpretandum: at hoc de delyrio, non est interpretandum in abscessibus, fieri enim potest, vt in morbo laterali, in abscessu iecoris, vt delyrium ex somno sedetur, & tamen æger moriatur: non tamen robustior sibi videbitur, & corpus melius mouebit. Ob id dixit, malum aut bonum signum, quia pertinet ad facultatem animalem: labor autem ad naturalem, quæ sola potest morbos euincere. Huiusmodi exemplum habetur quarto Epidemiorum, qui mente motus à somno, tamen non insaniit, iudicatus est quartadecima. *Pag. 9. Qui iuxta Medosada.*

APHORISMVS III.

Somnus atque vigilia, vtraque si modum excesserint, malum.

COMMENTARIVS.

Potest de signo & causa interpretari hic Aphorismus: sed antecedentia & consequentia docent, quòd de signo, nam somnus longior significat frigiditatem, & humores ac vapores abundantes: quæ omnia in acuta febre sunt absona, vigilia verò, calorem, vel immodicam siccitatem. Considerantur autem in somno, qualitas, quantitas, tempus & superuenientia. Qualitas est, quia quidam est leuis, quidam profundus: & quidam quasi sopor, & quidam purus. Leuis est, cum facilè expergiscitur: profundus, cum difficulter, sed experrectus magnam facit mutationem in respiratione: in sopore autem difficulter expergiscuntur, & fit parua mutatio in respiratione: aut si fit, non est naturalis. Serapio in capite de Mandragora dicit, quòd generat talem somnum per tres horas, vt homini possit præscindi membrum absque sensu. Quid ergo voluit Hippocrates in hoc Aphorismo? Nil aliud nisi vt intelligeremus, non solùm ex rebus non naturalibus, sed etiam naturalibus, cum qualitate aut quantitate à debita mensura aut statu variauerint, sumenda esse indicia exitus morborum: Plurimum tamen differt hic & præcedens Aphorismus à primo, hic enim solum de bono & malo agit, in primo autem de lethali ac non lethali. Ideo patet continuitas huius Aphorismi cum præcedente: cum in illo somnus ad rem naturæ contrariam comparetur, hic ad proprias conditiones.

Hippocrates cum definiret hanc metam somni, libro de Ratione victus in acutis quatuor ponit ordines: Primum, vt quis dormiat nocte, vigilet in die. Secundus, vt dormiat die vsque ad tertiam diei partem, scilicet noctis etiam parte vltima. Tertius, vt reliqua parte diei. Non dormire autem nec die nec noctu, pessimum est, inquit. Sub iudicatione tamen, vigilia aliquando non est adeò malum signum. Vnde Prædictionum primo: Vigiliis infestati derepentè cum inquieta iactatione sanguinem fundunt. Sunt ergo vigiliæ nonnunquam iudicationis, maximè per sanguinem narium, signum. *Pag. 4.* *Pag. 6.*

Sed cum, vt dixi, illud magis possit intelligi de qualitate & quantitate, quæritur meritò, de quo Hippocrates intellexerit? & Respondeo, quòd de quantitate, quia qualitas ad vigiliam extendi non potest. Differt sopor in tribus à vero somno: profunditate, longitudine, & quod præternaturalis sit, de hoc igitur adhuc verior est Aphorismus. Ipse idem in libro de Coacis prædictionibus vult, quòd omnis sopor sit malus. Prædicit autem sopor, in acutis potissimè, phrenitidem vel delyrium, vel conuulsionem, aut parotidas: soluitur autem turbatione ventris nonnunquam, vel iudicatione. In capitis autem vulneribus sopor lethale signum est, vt Hippocrates in libro de Capitis vulneribus testatur. *Pag. 7.* *Pag. 4.*

APHORISMVS IV.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum excesserit, bonum.

COMMENTARIVS.

Hic rursus labitur Galenus, existimans nugacem esse Hippocratem, vbi maximè breuitati studuit, neque enim animaduertit ordinem Hippocratis, qui in primo Aphorismo posuit signa salutis & mortis, duobus sequentibus mala & bona: hic verò meminit signi non boni, quod est remissus & minus verendum, quàm malum signum. Quocirca perspicuum est, nimis oscitanter explicuisse hos Aphorismos Galenum. Hippocrates infrà inquit: In omni morbo mente constare, & bene se habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contrarium verò, malum. Galenus ibi rectè meminit huius, quod bona & mala signa non sunt salutis aut mortis signa: sed euinci possunt à contrariis. Appetere autem cibos, est incolumitatis iecoris & ventriculi ac cordis signum. Ego non odi Galenum, quinimò vbi aliquid absurdum in eius dictis inuentum fuerit, malim non esse: credo ergo (cordis) esse adiectum aliquo modo, nec ignoro multa in contrarium pro Galeno posse adduci: sed nos doctrinam contentiosam facere non decreuimus, sed claram, illud enim certum est, appetitum cibi & potus, rectum scilicet in quantitate, qualitate & tempore, *Aph. 33.*

argumentum

argumentum esse bonæ dispositionis iecoris, ventriculi, & intermediarum venarum. Appello rectum appetitum in qualitate, cum homo cibos appetit sibi vtiles aut consuetos: in tempore, hora solita, si sit sanus, vel remissionis morbi, & maximè hora frigidiore diei, cum est æger: in quantitate, vt neque plus neque minus, neque frequentius neque rarius cibum requirat, quàm ei sit opportunum. Recitat Hippocrates quinto Epidemiorum, Pag. 2. in Oeniade ciuitate quemdam cum ieiunus esset, suctum vehementem sentire solitum, ac dolorem: & quamuis purgatus fuerit medicamentis validis, non potuit sanari: sanatus est autem sectione venæ, donec exanguis fieret ex vtraque manu. Erant autem egestiones prauæ & exustæ: quocirca bilem vtramque in venis abundasse intelligitur.

Neque aliud quicquam quod modum naturæ excesserit, bonum. Pag. 3. Habentur hæc libro de Alimentis, & dat exemplum inter reliqua de quiete & iactatione: & habentur exempla Cap. 11. à Galeno in libro Artis medicæ, sed redeo ad Hippocratis verba ibi, quæ valde sunt ad præsens propositum. Et ex his & aliis naturalibus, & quæcunque alia huiusmodi ad detrimentum & vtilitatem procedunt. Labores totius & partis & magnitudinis signa, alterius ad maius, alterius ad minus: & ab vtrisque ad maius, & ab vtrisque ad minus. Voluit Hippocrates, quòd signa sumerentur vel à rebus non naturalibus, vel naturalibus. Et à rebus naturalibus dupliciter, seu essent permutatæ qualitate aut quantitate. Et quantitate, ad maius aut minus. Et ad maius ab vtrisque, toto scilicet, ac partibus: aut ad minus, ab vtrisque etiam, velut, si augeatur fames & quies: aut vtrunque minuatur, aut vnum augeatur, alterum minuatur: Et maius in omnibus excessus qualitatis signum est, eam actionem patientis: minus autem, defectus.

APHORISMVS V.

Spontaneæ lassitudines morbos prænunciant.

COMMENTARIVS.

Continua fit narratio cum præcedentibus: dum transit Hippocrates à signis malis naturalibus, ad ea quæ sunt præter naturam: vt intelligamus, in huiusmodi non esse necessariam peruersionem qualitatis aut quantitatis, quandoquidem sint toto genere iam peruersa, & ab ipsa natura aliena: nondum tamen sunt morbi propriè, sed initia & viæ ad morbos, tres autem esse lassitudinis species, declarauit Galenus 3. de Tuenda sa- Cap. 5. nitate, atq; omnes si citra causam manifestam contingant, morbos declarant, vocatúrq; tunc spontaneæ: sed etiam ex laboribus periculosæ sunt, non tamen adeò: ideo de illis locutus non est Hippocrates, non quòd etiam illæ non minentur morbos, sed quoniam non necessariò. Vt verò deteriores sunt, eo magis morbos minantur, & certius, & maiores: vt quæ abscessus, quæ vlceris sensum præbet.

Est etiam lassitudo, quæ consequitur morbos, de qua Hippocrates ait in 4. Aphorismorum: Lassitudinem habentibus in febribus ad articulos, & circa maxillas potissimè abscessus fiunt. Quare non ibi loquitur de spontanea lassitudine, quæ morbos prænunciat, cum iam febricitans morbo detineatur: nec de alia quæ fit à laboribus, sed consequente febres, sequitur enim ad illas colliquato humido, & supra modum calefactis musculis eadem dispositio, sicut ex labore, scilicet lassitudo.

Sunt lassitudinis, quæ ab exercitatione fit, tria genera, teste Hippocrat. 2. de Diæta. Pri- In fine. ma, quæ aduenit non satis exercitatis: secunda, quæ exercitatis vltra modum, consuetis tamen exercitiis: tertia, quæ aduenit exercitatis ex insuetis exercitiis, harum omnium proponit curam ibi. Porrò in prima & vltima colliquantur, ait, carnium humidiores partes, & calefiunt & accenduntur, sequitúrque febris calida: at in secundo genere carnes siccantur, sequuntúrque horrores: & hæc est similis ei quam Galenus vlcerosam appellat. Ergo hæc eadem de spontanea dici poterunt. Verùm de spontanea loquitur propriè in libro de Locis in homine, vbi docet, quòd cum Pag. 5. ex frigore bilis defluxerit ex capite tum ad carnes, tum ad pectus: quoniam musculi nituntur depellere molestiam illam, nec queunt, idem eis accidit quod delassatis. Nam videmus, si quis contendat abigere quod non potest, aut brachium rectum detinere, in momento fatigari, ac si homo duabus horis contudisset in mortario puluerem. Fatigatio ergo à nixu fit: nixus ostendit causam molestia afficientem, quæ ibi manens concalefactáque, febres & abscessus gignit: ob id lassitudo spontanea prænuncia est morborum.

Porrò lassitudines solui ex sanguinis mictu, declarauit 2. Prædictionum. Vbi aduer- Pag. 4. tendum, quòd mictus sanguinis lassitudini succedens, & eam soluens, non malus est: præsertim si sine febre & dolore aduenerit. Ergo de lassitudinis exemplo, quòd etiam ex laboribus coorta pariat morbos lethales: exemplum habetis ab Hippocrate libro 3. Epidemiorum, de adolescente habitante in Sect. 2. lan- Mendacium foro: hic enim in septima die guento. obiicit.

APHORISMVS VI.

Qvicunque dolentes aliqua parte corporis, plurimum dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.

COMMENTARIVS.

Postquam docuit, dolorem citra causam manifestam ostendere futurum morbum: hic quasi ex conuerso declarat, non sentientes dolorem plurimum alicuius partis, magno morbo laborare. Famosus est hic Aphorismus, & apud Auicennam prima ter- t. 4. cap. 9. tij, & apud Celsum libro 2. recitatus. Aui- Cap. 7. cenna in febribus illum interpretatur: Celsus verò & Galenus de causa doloris, non de dolore,

Sect.1. dolore, vt 6. Epidemiorum. In cranone antiqui dolores frigidi, recentes verò calidi. Durum enim visum est illis, quod & aliis videri potest, dolorem esse, & non sentiri. Itaque tales causas esse dicimus, erysipelas & vulnus atque abscessum, etiam conuulsionem, vt Galenus. Ergo vt huiusmodi doctrinæ aliquid referam, exemplum ponam illud in Coacis prædictionibus: In anginis omnia perniciosa sunt, quæ non manifestum dolorem faciunt. Et dolores etiam qui sedantur, citra manifestam causam perniciosi sunt. Vnde liquet, bifariam hominem dolorem non sentire posse, cum debeat: vel quia ab initio causam doloris contraxerit, vel quia etiam dolorem, sed post abscesserit. Palam est ergo, hoc, Non sentire dolorem, nulli esse auxilio, sed malum malo addit: siquidem etiam desipientiam. Verùm si quis ob dolorem alium vnum non sentiat, quemadmodum infrà, non est admiratione dignum: duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, maior minorem obscurat. Porrò, vt habetur in 1. Prædictionum, dolores quidam magis propriè mentis emotionem significant, vt circa vmbilicum palpitantes, & in cruribus ac sura: verùm non vlla magis ex parte quàm capitis. At contingit dubitatio, cum in podagricis dolor nonnunquam cesset, nulla causa manifesta, sed sola euicta particula, dolor enim in mutatione constat, vbi euicta sit pars, etiam mente constante dolor cessare potest. At non sic est, quandoquidem eo in habitu Hippocrates esse velit hominem, vt nisi mens percussa esset, doleret.

(Pap.5. — Aphor.46. Pag.2.)

APHORISMVS VII.

QVæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.

COMMENTARIVS.

POstquam locutus est in sex Aphorismis prioribus, de signis, & maximè præcedentibus futuros morbos: in his sex loquitur de his quæ pertinent ad neutrorum corporum curam, id est, quid circa illa agere debeamus. Et dat regulam, quæ potest amplificari, vt sit generalis. Reditus ad naturalem statum debet esse similis recessui: si lentus, lentus: si celer, celer. Galenus assignat causam, quia in longis morbis solida consumuntur: igitur si copiosus exhibeatur cibus, non sustinebunt, in breuibus autem, solùm spiritus & humores non solida: ideo cibus poterit concoqui. Hic seruata authoritate tanti viri, multi sequuntur errores. Primus est, quod ipsemet fatetur 12. Artis curatiuæ, membra solida absumi in febribus colliquantibus: igitur tunc non licebit breui restaurare. Secundus, quia non in omni longo morbo solida extenuatur, vt patet in quartana, & aliis minus perniciosis morbis, vt in destillationibus: & tamen illam consumptionem non debemus restaurare subitò, pessimè enim cedet, nec restaurabitur, & plurimùm lædetur. Tertius est, quia dantur c bi & alimenta leuis coctionis, quæ poterunt à solidis debilitatis confici: vt oua. Quartus, quia in hoc Galenus præsupponit imparem consumptionem, & Hippocrates parem. Quàm enim absurdum est dicere, quòd celerius reficere oportet paruam extenuationem, quàm magnam: cum hoc sit necessarium, etiamsi nolimus, neque esset ex dictis Hippocratis, teste Galeno ipso, qui vult, quòd nil dicat nisi reconditum, eo minus in Aphorismis. Hoc autem est per se clarum. Hæc tamen expositio plerisque quippiam videtur esse, & artificiosa. Ratio ergo deducenda est ex consuetudine, quæ non solùm tenet in similibus, sed etiam in contrariis. Cum resolutio fit sensim, necesse est vt membra minuantur sensim: igitur assueta sunt leui motui, quare læduntur à copiosa, & confertim facta restauratione. Cum verò resolutio est facta confertim, læduntur, nisi celeriter restaurentur, nam iuxta Galeni dictum sequeretur etiam quintus error, scilicet quòd possemus quæ breui extenuantur corpora, & lentè & breui reficere ad arbitrium nostrum, quod Hippocrates ipse non admittit. Vel dicas sic. Quæ lentè extenuantur, exiguum habent appetitum restaurationis, quæ citò, magnum, ergo hæc celeriter, illa sensim sunt restauranda. Et ita Aphorismi sententia redditur generalis, & sine exceptione.

(Cap.5.)

Hanc obseruationem à contrario, declarabat nobis Hippocrates à natura fieri in parientibus, libro de Natura fœtus. Volens enim ostendere, puerperij tempus in masculis finiri in triginta diebus, in fœminis autem in quadraginta duobus, sic probat. Puer mouetur in triginta duobus, & fœmina in quadragintaduobus, igitur puer perficitur in totidem diebus, & fœmina in totidem. Sed quanto magis fœtus est maior, tanto magis trahit de sanguine, quanto minor, minus, hoc enim principium est naturale, sicut primum sumptum ex experimento, ergo quanto magis processerint dies fœtus, tanto plus trahitur de sanguine, ergo tanto minus superest, & in principio, cum minimum trahatur de sanguine, plurimum supererit, igitur in purgatione à principio puerperij purgabitur magna quantitas sanguinis, & perseuerabit in masculo ad dies triginta, in fœmina ad quadragintaduos, perpetuò minuendo. Vides igitur rationem clarum Hippocratis, quòd incrementa debent esse per tot dies, & sub eadem quantitate, sub qua & per quot dies diminutio fit, & econtrà. Pag.4.

Huiusmodi exemplum habetur libro de Locis in homine, vbi tabificos curare docet, præcipiens ne se ingurgitent cibis multis. Contraria ratione in acutis statim transit ad exhibitionem ciborum in vesperi, vbi in manè sorbitionem dederit, de Ratione victus in acutis. Pag.9. Pag.3.

APHORISMVS VIII.

SI quis à morbo cibum assumens, non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur: si verò non assumenti hoc accidat, signum est quòd corpus indiget euacuatione.

COMMENTARIVS.

SAtis manifesta est continuatio cum præcedenti Aphorismo. Cum enim iam dixisset, quòd quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oporteat: quæ breui, breuiter, dicet aliquis: Sic egi in vtrisque, nec restaurantur. Ei maximè in extenuatis longo tempore, dicit, Caue ne plus quàm oporteat cibi dederis. Quòd si non, tunc corpus indiget euacuatione. Proponit ergo tres casus, in quibus corpus non restauratur. Primùm, vbi non dederis quantum oportet: propterea dicit, Cibum assumens. Secundùm, cum damus plus quàm oportet. Tertiùm, cum corpus euacuatione indiget. Et ideo innuit, quòd non solum ex nimia refectione in conualescentibus ægri læduntur, sed etiam quòd mirum videri posset, minus restaurantur quàm à medioctri cibo.

Galenus videtur interpretari partem illam: Si verò non assumenti hoc accidat, id est, quòd non assumat quantum debet, & propter hoc non nutriatur, ita vt praui humores sint causa, quòd non accipiat quantum debet cibi, non causa quòd non nutriatur. Et certè sermo Græcus hoc docet, quoniam scribit, ἢν ἱκνόσα τροφὴν λαμβάνων, inde subiicit, μὴ λαμβάνοντας, vt sit ergo sensus: Vbi quis ex morbo non corroboratur, si cibum assumat quantum oportet, id accidit, quoniam plus assumit quàm debet: si verò non corroboratur, quia non assumit quantum debet, signum est quòd corpus indiget euacuatione. Aliud quòd Galenus dicit, est, quòd vellet sequi nonum Aphorismum, inde octauum: sed meo iudicio melius sic iacet, vt statim post illa verba, Signum est quòd corpus indiget euacuatione: subiiciamus, Corpora cum quispiam purgare voluerit, inde subiiciat, Non pura corpora quanto magis nutries, id est, nisi purgaueris, lædes, etiam quod velis ipsum nutrire. At si hunc Aphorismum præposueris alteri, non poterit postmodum octauus conuenire septimo, intercedente nono. Sed hoc parum refert, sufficiat solùm admonuisse continuitatis amborum.
Pag. 5. Hic Aphorismus scribitur in Coacis prædictionibus his verbis: Qui ex morbis longis se refocillantes bene cibum accipiunt, & nihil proficiunt, hi malignè in recidiuam incidunt. Hic præsupponit morbum esse longum, & non repurgari corpus medicamento. Sed in Aphorismo, vt interim parum assumant cibi, & purgentur. In Coacis etiam prædictionibus vult quòd accipiant plusquam oportet: & in hoc casu dum perseuerant, in morbum recidunt.

Vnum autem est animaduertendum, cuius Galenus nos minimè admonet, scilicet Hippocratem referre restaurationem ad robur, non ad carnes & pinguedinem, sciens quòd qui vires recipit, tria necessariò recipit: substantiam solidorum, si qua deperiit, eorum temperamentum, & calorem naturalem. Ergo sub vno hoc omnia comprehendi, ostendit in lib. de Affectionibus: Corporis robur adaugent, quæ multam & crassam carnē gignunt. Pag. 12.

Quòd verò dicat, pluri alimento corpus vti, cum non corrobatur, habetis authoritatem in libro de Veteri medicina, vbi inquit: Copiosior cibus quàm conueniat ægro exhibitus, morbum auget, & corpus tabefacit. Pag. 3. Causa autem redditur in lib. de Locis in homine, dicit enim: Quòd si corpus superat cibos ingestos, floret: idest corroboratur, fit bene coloratum, & succulentius: sed si vincatur atque succumbat, ipsi quidem cibi per aluum secedunt, & alia mala faciunt, corpus verò gracile efficitur. Pag. 14. Vnde deterius est, copiosius nutriri quàm minus quàm conueniat, cum morbi ex hoc generentur, & non minus color, habitus & vires corrumpantur & exinaniantur: quomodo autem reficiendi sint ægri, docet Hippocrates in libro de Affectionibus. Pag. 11.

APHORISMVS IX.

COrpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

COMMENTARIVS.

SI quidem superius hoc maxima ex parte est explicatum, quòd tribus modis dicitur præparari corpus ad medicamenta: aluum sæpius subducendo, oscula venarum aperiendo, & materiam quæ impedire potest præparando, scilicet vt lenta dissecemus, & crassa attenuemus. Porrò dantur & alia præcepta in 4. Aphorismorum: humectare cibo & quiete antè, in ipsa autem purgatione mouere. Aphor. 13. 14. 15. Sed ad propositum maximè quinto in sextum de Morbis vulgaribus: Veratrum epotum, si purgare vis, leuare, aut cibum sumere oportet. Sect. 29. Sic enim ad purgationem fundendo ac liquando humores præparabimus. Balneum autem & parum ante, & quandoque vbi veratrum acceperit, statim adhibere conuenit: quod etiam in venæ sectione vtile esse potest, non tamen pòst: quoniam inter venæ sectionem, & sanguinis exitum, tempus nullum potest intercedere: inter sumptionem autem veratri, & purgationem plerunq; multum temporis intercedit. In vniuersum ergo sex erunt omnes præparationes, sed tres antè solùm conueniunt, quæ antea dictæ sunt: vna post motus scilicet, duæ & antè & pòst colliquatio & humectatio.

Sed & admonere oportet, quibus non conueniant purgationes tum ex morbo, tum ex natura patientis, tum temporis. Temporis quidem, quod aliàs dictum est, sub cane, & ante canem: quarta Aphorismorum, quòd tempus variatur perpetuò apud nos sub cane, à decima Iulij ad decimam Augusti: antè autem, ab æstiuo solstitio ad decimam Iulij, Aphor. 5.

Iulij, in perpetuum ab Heliaco canis maioris ortu sideris diebus triginta antè postve: viginti autem in mitiore cœlo, & humidiore anno. Ex natura hominum, ait in libro de Veratro: Nigri humidiore carne, subsicci, balbi & blesi, ψελλοὶ καὶ τραυλοί. Humidiores vitat carnes, & modicè siccas, ne nimium colliquentur. Affectuum verò præter naturam obseruatione sæuientem febrem, abscessum calidum viscerum, suppuratos & imbecilles. Pòst enumerat ibi nouem alia genera malè affectorum corporum, quibus veratrum minimè tutum est, sed purgationem per supernas partes securiorem esse vult ea, quæ fit per inferiora. Causa est breuitas viæ, & caloris in loco magnitudo, & ventriculi robur. Ex dispositionibus autem purgationem prohibentibus, hæ quæ morbi dicuntur potiores sunt: inde naturales, pòst aëris status, inde affectiones præter naturam, neutram quasi dispositionem efficientes, atque hæc obiter: suo enim loco docebuntur. Vnum sat est, decem & septem esse quæ ibi enumerat purgationi per superiora incommoda, velut flatum, lienis duritiem, & reliqua. *Pag.1.*

Quæ verò subsequi soleant imparatam purgationem, sex sunt: non purgari, vomere, dolere, vertiginem pati, cibi fastidium, & animo linqui. Dubium non est, quin huiusmodi sequantur ad acria medicamenta: vt tithymalorum species septem, lathyris & peplos, ac peplion, cuius semen vehementer vrit linguam, folia lac emittunt.

APHORISMVS X.

NOn pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.

COMMENTARIVS.

FAlsò citari solet, tanquam impura corpora si nutriantur, lædantur: vt epicrasis omnis tollatur, & quæ super Aphorismo, Æstate & autumno cibos difficillimè ferunt, enarrauimus: cum relatus hic Aphorismus ad octauum, intelligi debeat solum in non appetentibus cibum, vt sensus sit: Si quis ex morbo cibum assumens non corroboratur, signum est quod pluri cibo æger vtitur: si verò non appetat cibum, signum est quòd corpus euacuatione indiget, nam non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Vbi enim à morbo quis conualuerit, solent reliquiæ humorum remanere in corpore, iuxta illud: Quæ relinquuntur in morbis, reuersiones facere consueuerunt, parum infrà: At ea si fuerint iuxta ventriculum, corrumpetur ciborum appetentia & concoctio simul: nec tunc epicrasin, id est mistionem bonorum cum malis faciemus, sed læsionem, at si per corpus sparsi fuerint, concoctio bona celebrabitur & appetet, modò non nimis comedat, fietque epicrasis.

Porrò non pura corpora trifariam dicimus, humoribus redundant malis, sed nec secretis, nec ad putredinem paratis, de quibus loquitur in libro de Insomniis. Alia in quibus iam secreti sunt, sed nondum ad putredinem parati, vt infrà: vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, egestiones inspicere oportet, nam si biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat: si verò sanis similes, tutum est corpus nutrire. Tertia, cum iam ad putredinem sunt parati, de qua dicemus paulo pòst. Hic cum loquatur de conualescentibus, palam est de tertio genere intelligere. *Pag.2. & 3. Aphor.15.* *Aphor.11.*

Hippocrates in libro de Salubri diæta proponit tres casus impurorum corporum, & signa & curam. Primus est, cum humores crudi abundant iuxta ventriculum: signum eructuatio & tumor præcordiorum. Secundus, cum bilis: signum est sitis. Tertius, cum humores in visceribus: signum est dolor in eis, in omnibus cibi abstinentiam imperat. In tertio quoque de Diæta meminit eorum qui deiiciunt liquida & putrida, quos curat detractione cibi, & exiccatione, dando carnes assatas volucrium, & leporinas elixas, ferinásque omnis generis: tum exercendo corpus, vt non malè consuluerit, *Qui morbum Indicum solis perdicibus assatis curauit.* Non pura enim corpora siccanda omnino sunt, & modicè refrigeranda, vt putredo inhibeatur. *Pag.3.4.* *Pag.8.*

Quomodo autem humor malus in corpore redundans morbos & mortem pariat, docet Hippocrates non minus subtiliter quàm verè, quarto de Morbis, dicens: Humores praui intus corrumpuntur ac depascuntur proxima quæque ex bonis, atque extenduntur, donec omne vitæ alimentum putridus calor absumat, atque ita deficit vita. *Pag.11.*

APHORISMVS XI.

FAcilius est impleri potu, quàm cibo.

COMMENTARIVS.

NArrabat Hippocrates in libro de Alimento, de Flatibus clarius, corpus nostrum ex tribus nutriri: spiritu, potu & cibo. Cibo quidem solida nutriri, potu humores, spiritu autem calorem naturalem, quod etiam libro de Natura fœtus docuit. Ex his ergo dicit, facilius esse impleri potu quàm cibo. Cum autem impleri duo habeat significata, & simplex quod est vt corpus repleatur absque nutritione: hoc dictum sanè sub eo sensus, sub quo verba illa ab Hippocrate prolata sunt, est, vt homo pinguescat, & carnibus ac succis seu humoribus repleatur, quod & verum est. Inquit ergo Hippocrates in libro de Alimento: Quibus opus est veloci restauratione, humidum alimentum conuenit: quibus adhuc velociori, odores. Ex quo patet, apud Hippocratem odores nutrire. Quod sic demonstratur, nam ex aëre spiritus nutriuntur libro, vt dixi, de Flatibus, & Galenus in libro de Vsu respirationis. Sed odor est corpulentior aëre, igitur bonus odor magis nutriet. *Pag.4.* *Pag.1.* *Cap.5.*

Galenus hac in parte non videtur omnino intellexisse Hippocratem, nam dictionem illam

illam ποτὸν, interpretatur, vt apud nos, pro potu. Et ita postmodum, vt tueatur Hippocratem, refugit ad vina nigra, excipiens alba, & multo magis ipsam aquam: cum tamen non animaduertat, etiam vina nigra valde parum nutrire, nam libro de Ratione victus in acutis, inquit Hippocrates: Mel duplo magis nutrit quàm vinum, & mulsa magis nutrit quàm vinum album, aquosum, at mulsa fermè nihil nutrit, mel etiam valde parum: vt tertio de Alimentis Galenus ipse fatetur. Quare non est vt hîc intelligamus Hippocratem de potibus, vbi multa essent falsa, & pauca admodum vera. Dicendum est ergo, quòd Hippocrates hîc loquitur de liquido cibo & sicco in eodem genere comparatis, scilicet carne colliquata, puta pulli, & non colliquata, maza & ptisana, pane diluto & cocto, & pane sicco, non comparando cibos & potus factos è diuersa materia inuicem. Quòd si quis obiiciat, carnes colliquatas, & panem coctum appellari ab Hippocrate in libro de Veteri medicina ῥοφήματα, distinguique à βρώματα, quæ sunt potiones: Respondeo, quòd ibi proponit tria genera ciborum, imò quatuor: Siccum, vt panem: densum, vt mazam: sorbitionem, vt ptisanam: & potum, vt vinum, hic verò duo sub vno comprehendit, potum & sorbitionem sub potu: & sub cibo, siccum & mollem. Apparet etiam quanta vtilitas habeatur ex nostra expositione, cum ægrum reficere expedierit: Galeni autem, nulla.

Pag.10. Cap.19. Pag.4.

APHORISMVS XII.

QVæ relinquuntur in morbis post iudicationes, reuersiones facere consueuerunt.

COMMENTARIVS.

NOn semper quæ sic relinquantur, faciunt recidiuas, sed facere consueuerunt: vel si quis pleniore vtatur cibo, vbi appetat: vel si non appetat, & non purgetur: vel etiam si appetat, & vtatur recta victus ratione, sed quod relictum multum sit paruum in comparatione ad vires. Quòd si vel expurgetur ante reuersionem, vel à natura superetur, bono vtente regimine ægro, effugiet reuersionem. Tribus igitur modis contingit ad reuersionem morbi deuenire, relictis reliquiis illius in iudicatione, duobus autem effugere: ob id rectè dictum est, Reuersiones facere consueuerunt, quasi diceret, Plerunque id contingit. Et maximè, quod rarò accidit, vt ægri recta victus ratione vtantur, dum conualescunt.

Pag.4. Signa autem futuræ reuersionis recitantur ab Hippocrate, in libro de Iudicationibus: & ponit quinque casus. Primus, vbi à febris discessu vigiliæ vehementer infestant, aut somni turbulenti, aut lassitudo totius corporis, vt dicit textus ῥώμη, quod est robur: sed vult dicere, deficiat. Secundus est, vbi febris sine signo iudicatorio abscedat: nec in die iudicatoria. Tertius est, vbi febris relinquat, & tamen vrinæ crudæ sint. Quartus, cum vrinæ fuerint mali coloris, rubræ scilicet, aut fuluæ, vel sedimentum habentes rubicundum. Quintus, cum morbus desinit ad parotidas, & illæ non suppuratæ abscedunt. Et idem est dicendum de aliis tumoribus, & possunt reduci ad ordinem hoc modo, vt vel ex operationibus præsentibus sumantur: & sunt præcipuè vigilia, vel somnus turbulentus, imbecillitas virium: sub qua comprehenditur cibi fastidium, & lassitudo. Vel à præsentibus signis: & sunt, non abscedere cum execratione aliqua, nec in die iudicatoria. Vel à præteritis signis: & est, præfuisse vrinas solum crudas. Vel à succedentibus: & est, subsequi vrinas malas, rubras, tenues, cum rubroue sedimento. Vel à propria ratione, cum febris defecerit aliquo cum signo, quod postmodum permutatur, vt discessus parotidarum.

Ex propriis signis reciduarum, inquit Hippocrates in Coacis prædictionibus: Vrina densitatem habens, diuulsam in febribus, recidiuam aut sudorem significat. Intelligit per densitatem, densum sedimentum: id ergo diuulsum si sit febris, reditum significat, nisi sudores sequantur. Densum enim difficile soluitur, diuulsum naturæ vim non dominari declarat. Quæcunque igitur non domantur à natura, non nutriunt: quare temporis processu putrescere est necessarium, febrémque generare. Aliud signum ibidem habetur, si in initio morbi vrina turbida sit, & cum sudore. Hoc tamen intellige, si æger euadat. Hippocrates narrat in quarto Epidemiorum, reuersiones factas post longum tempus his, quibus vrinæ suppressæ fuerant ante iudicationem. Pag.16. Pag.6.

Quæ verò reuersiones faciunt, sunt tria potissimè: materia relicta, de qua in præsenti textu: temporis constitutio, velut in primo Epidemiorum, & de Humoribus, probátque vno verbo dicens: Tempora faciunt morbos ergo multo facilius recidiuas, facilius enim est ægrum iterum in morbum recidere, quàm sanum ægrotare: at temporum constitutionem seu naturalem, vt habetur in tertia Aphorismorum: seu præter naturam, vt primo & tertio Epidemiorum, constat facere morbos, igitur etiam reciduas: Et ratio victus non recta. Sec.2. ante finem. Pag.4.

Porrò quod inquit in sexto Epidemiorum: In recidiuis mutationes prosunt, oportet igitur ad ea permutare quæ conueniunt, antequam malè afficiantur: intelligit de morbis, qui vel natura vel temporis statu reuertuntur. Velut syderationis seu attoniti morbi, de quo secundo de Morbis, & Febris ardentis secundum genus: Arteriæ exulceratio, de internis Affectionibus, ruptio pectoris & dorsi. Sed & podagra & reliqui morbi ex crassis lentísque humoribus facilè reuertuntur. Verùm quod mirum est magis, morbi quidam post duos annos reuertuntur, vt voluulus: sic enim testatur Hippocrates libro de Internis affectionibus. Et quod maius est, aliqui post septem, aliqui post quatuordecim annos, vt in secundo libro de Morbis: alibi verò testatur etiam de nono anno. Admiranda satis. Sec.6. Pag.8.13. Pag.3.6. Pag.25. Pag.4.

An verò morbi qui commutantur, dici possint recidiuas facere, vt in primo de Morbis ex phrenitide in Peripneumoniam & febrem ardentem: ex peripneumonia & pleuritide in suppurationem: atque ex tinesmo in dysenteriam, ex dysenteria in leuitatem intestinorum, ex hac rursus in aquam intercutem.: Et respondeo, quod quamuis hæc mutatio habeat commune cum recidiua, quòd deterius habeat hominem primigenio morbo, cuius causam docet Hippocrates libro de Affectionibus, dicens: Aduenit secundus morbus iam præ debilitato ægro: sed neque obstat morbi varietas, sed coniunctio, nam recidua præsupponit, vt prior morbus desinat: hic autem morbus prior non desinit, ideo recidiua dici non potest: si desineret, diceretur.

Pag.2.

De Continuatione Aphorismi cum octauo Aphorismo, claraest ratio adducta à Galeno: sed nos videamus quid dixerit Auicenna de conualescentibus, in quibus accidit casus appetitus cibi ob debilitatem iecoris aut ventriculi, & in his cogimur dare cibum: sed non sumus in casu, quia nihil præsupponitur relictum in iudicatione. Hippocrates autem præsupponit relictum & hic & in superiore Aphorismo, de quo diximus nuper. Ideo non debemus occidere ægros, vt non videamur Auicennæ rationem habere: aut vt videamur Hippocratis habere, aut Galeni, hoc enim deterius factum est latronum facto, illi enim notis parcunt, & iugulant homines vt accipiant pecunias: hi verò iugulant pecuniis acceptis, salutis causa. Dicit ergo Auicenna, quod persæpè recidiuæ fiunt ad morbos contrarios primis morbis: vt ex ardente febre in resolutionem syderationem, & coli dolorem frigidum. Et reddit rationem huius casus: scilicet curam nimis declinantem ad morbi contrarium, in quantitate scilicet, & qualitate. Et non solùm vult quandoque esse necessariam euacuationem, sed etiam sectionem venæ: & hoc in duobus casibus, vel propter superuenientem febrem ad refrigerandum corpus, vel quia cinis materiæ morbi fuit relictus in sanguine, vt illum expurges, bonum regenerando. Et sumpsit à Rasi in trigesimoquarto Continentis: & ibi etiam docuit, quòd in casu appetitus conualescentium persæpè exhibita quæ confirmant ventriculum, febrem redire cogunt. Et hoc accidit, cum casus ille fuerit propter malos humores circa ventriculum. Et in hoc plurimùm peccant medici nostri temporis, dantes offas ex triassanthalis, cum rarissimè conueniant, aliter non dixisset Hippocrates, eum appetitus casum signum esse, quod corpus euacuatione indiget. In vniuersum, cum morbus sine causa citò reuertitur viribus iam debilibus, genus hoc recidiuæ lethale est, inquit Auicenna.

2.4.T.1. Cap.100.101.102.

1.c.2.

Cap.95. Causæ verò cur materia relinquatur in iudicatione, possunt esse vel propter impedimentum fortuitum, vel propter materiæ inæqualitatem, vel propter malam coctionem & imperfectam, vel propter virium imbecillitatē. Et sumuntur ab Hippocrate fermè omnes in prima particula iam explicata

Scribitur etiam hic Aphorismus secundo Epidemiorum, & in sexto eiusdem, vbi in secunda autoritate ait: Quibus intus relinquuntur certissimæ & velocissimæ recidiuæ. In textu Galeni legitur: Quibus intus aliquid relinquitur. Respondeo, de his morbis ibi loqui qui maligni sunt, & per vlcera ac tubercula. Scribitur & quarto Epidemiorum, adiectis his: Et in ipsis morbis, quæ excernuntur, sputum præmaturum, alui secessus, intemperies & similia. Siquidem ait, talia sunt ex his quæ relinquuntur, vt non solùm de toto humore, sed parte & intemperie intelligatur.

Sec.3. Sec.2. & 3.

Pag.6.

APHORISMVS XIII.

QVibuscunque iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem: quæ verò subsequitur, magna ex parte leuior existit.

COMMENTARIVS.

QVomodo alij præcedentes Aphorismi se inuicem subsequantur, iam dictum est: hunc verò planè antecedenti connecti, palàm etiam est, nam cum sermo esset de iudicatione institutus, illam etiam præcognoscere docet ex proprio quodam sibi affectu: qui est, quòd nox ante accessionem est difficillis, nam vt habetur quarta Aphorismorum: In salubri iudicio necesse est præcedere coctionem, separationem, consequi verò expulsionem: ergo tot motus, præcipuè secundum, par est præcedere aliqua molesta symptomata: cuiusmodi sunt quæ scribuntur à Galeno, primo de Crisi, collecta ex Hippocrate in primo Epidemiorum, & fine libri Prognosticorum. Reducuntur autem ad duodecim genera: Animæ perturbationem, delyrium, vertiginem, & anxietatem sensuum, oculi tenebricosi, & flammam videntes ac lachrymantes, & tinnitus, & capitis dolores, temporum grauitatem, colli quoque & venarum quæ in eo sunt tensionem, pectoris & membrorum spiritus respirationem difficilem, præcordiorum contractionem & distentionem sine duricie: ventriculi fastidium, nauseam, dolorem: oris autem sitim, labij inferioris tremorem: faciei ruborem & inflationem: totius vigiliæ & somni turbulenti, & iactatio corporis & extremitatum, æstúsque, vt nonnunquam exurgere cogantur: cordis quoque palpitationem, quam ille prætermittit, vt etiam retentionem fecum & aliorum excrementorum. Hippocrates autem in Prognosticis confidit in duobus, præsertim morbi natura & incrementis, nam si magna fuerint & morborum & symptomatum, propè esse vigorem est expectandum. Nec ex superioribus signis credas omnia omnibus conuenire: sed quæ ad caput pertinent, sanguinis fluxum è naribus præcedere solent. Quæ ad cor, eundem vel sudorem vel vomitum: quæ verò ad præcordia, & ventris murmur, fluxum vomitumve. Iactatio & inquies ac sitis fermè communia sunt signa:

21. Com.

Cap.14.

Pag.8.

quæ circa ventriculum, vomitus. Sic igitur distinguere oportet ea quæ imminentem iudicationum genera, sanguis, vrina, dolor abscessus. Sunt præterea signa quæ distinguunt bona iudicia à malis. Quid autem iudicium sit, superius docuimus, & in Commento Galenus declarat. In vniuersum critica signa, alia quidem imminentem crisim significant, alia præsentem: alia qua via futura sit, alia an bona vel mala.

Necesse est igitur in nocte antecedente futurum iudicium, aliquod horum signorum adesse: quod cum adfuerit, vd reliqua omnia facilius ac magis sentitur quàm de die: ob id noctem in hoc prætulit diei, tametsi dies propior esset iudicio, quod proxima nocte esset expectandum.

Sed cur dixit ante accessionem, non iudicationem? Sexto Epidemiorum aliter scribitur hoc: Quæcunque tertianæ naturam habent, his nox difficilis ante exacerbationem: quæ verò sequitur, tolerabilior, vt in pluribus. Solent iudicia fieri in exacerbationibus ob causas ab initio enarratas: vnde terribiliora signa apparent in seruandis, quàm morituris, nihilominus paulo pòst seruandi melius se habent, morituri autem à iudicio nihil alleuantur. Porrò de loco illo Hippocratis satis dictum est in Contradictionibus, & alibi etiam. Ego tamen per accessionem hic intelligo incrementum morbi, quòd ex iudicio necessariò aduenit. Sec. 1.

Quæ verò subsequitur leuior, vt in pluribus. Non simpliciter docet, quod Galenus dicit in Commento, scilicet vt adiecerit in pluribus ob morituros, nam si leuior ad difficilem referatur, persæpè etiam in morituris hoc continget. Sed intellexit, quod vt præcedens est grauior solito: ita subsequens non solùm præcedente, sed etiam solito. Primum quidem expulsa materia noxia, secundum fatigatis viribus, quæ quietem postulant. Verùm dubitare expedit non parum, si indicatur soluitúrque morbus, nonne necessariò leuior erit futura nox sequens? Ob id in talibus expediebat Galenum immorari, quæ magnam habent difficultatem, vbi verò de accessionibus & constitutionibus loquitur, tam copiosum esse, vt magnam partem tertij Epidemiorum adducat. Mihi sanè videtur appositus casus languentis Chærionis, constat enim hunc (Hippocratis testimonio) ter iudicatum, tandem euasisse: septima siquidem, decimaseptima, & quadragesima. Septimam præcessit nox molesta cum delyrio: octaua dixit febrem intermisisse & & resipuisse, mollior igitur illa nox fuit. Verùm in decimaoctaua à iudicio decimæseptimæ diei, dixit illum recaluisse ac sitisse, & mente motum fuisse: quæ omnia docent ipsum non solùm melius habuisse, quàm cum in iudicio superriguit, sed etiam quàm in quartadecima ac decimasexta. Animaduertere verò oportet, quòd cum dicat, motum mente esse in decimaoctaua die, & iam dixerit non motum fuisse mente in recidiua: quòd per recidiuam intelligit tempus à nona die ad decimam septimam, in quo facta fuit prima recidiua. Verba igitur illa. Leuior vt in pluribus, dicta sunt, referendo ad statum morbi generalem, non ad præcedentem noctem, cum Hippocrates de sanabilibus morbis ac sanandis ægris solum sermonem instituerit: & ob eos qui non perfectè à morbo liberantur, vt fuit Chærion, & multi alij. Contingit autem etiam in sanandis præter hæc fieri succedentem noctem solito grauiorem, vel ob errorem, vel ob siderum constitutionem, vel ob morbum alium succedentem, vel etiam ob virium imbecillitatem. 3 Epid. 3. in ordine.

Sed Hippocrates, meo iudicio, hic & iudicationibus & accessionibus communem sermonem texuit: quoniam in omni accessione intermittentis febris fit iudicatio, vt infrà videbitur. Si iuxta Galenum, in suo de Morbi temporibus libello, quælibet accessio sex habet tempora: cum ad interuallum deuenit, & peruenit ad statum & declinationem, inde etiam finitur: igitur ad iudicationem deuenit, præsertim cum videamus omnes huiusmodi febres vel in sudores vel vrinas profluentes desinere. Ergo doctrina hæc Hippocratis generalis est in omnibus iudicationibus, quod etiam experimentum docet. In quartanis tamen & quotidianis talia minus vrgere solent: quæ si vrgent, & maximè cum homo non prorsus liberatur à febre, nec sequitur excretio vlla, febris malignitatem talia decernunt, aut animi molestiam, aut materiam turgentem, aut abscessum cerebri, vel iuxta septum transuersum latitantem. Ergo id vt in pluribus ab eo dictum est, vel quia non soluitur plenè morbus in continuis, vel ob duplices tertianas & quartanas, atque eiusmodi in quibus nox sequens priorem accessionem, cum præcedat sequentem, euadit deterior. 4. Aphor. 63.

APHORISMVS XIV.

In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, si non ad mala mutatio fiat.

COMMENTARIVS.

Sic potest Aphorismus continuari, quoniam iudicationem in febribus & aliis morbis, in quibus nihil excerni solet, fieri docuit: hìc etiam in fluxibus fieri docet, cum natura causam morbi expellit. Sunt autem ventris fluxus species tres, de quibus agit Celsus, nomine, loco & re differentes. Primum genus vocatur Tormina apud illum, nostri vocant difficultatem intestinorum, Græci dysenteriam. Secundum, leuitas intestinorum, Græci lyenteriam appellant. Tertium, fluxus ventris, Græcis dicitur diarrhæa. Primum est affectus intestinorum, & extruditur sanguis: secundum ventriculi, & exit chilus: tertium alterius partis vel totius & extruditur humor. Hìc de fluxu ventris intelligit. Lib. 4. cap. 15. 16. 19.

Iuuant. Si enim causa morbi expellitur, necesse est illos iuuari. Scribitur hic Aphorismus sub aliis verbis, secundo de Morbis vulgaribus, his verbis: Mutationes prosunt Sec. 2. in prin.

si

si non ad praua mutentur: velut his qui à medicamentis vomunt febrium gratia. Feces in meraciora desinentes putrefactionem significant, velut Dexippo. Exemplum habetur quarto Epidemiorum, de Thestoris famula, & eo qui iuxta Medosadæ ædes habitabat, alioque qui seruati sunt. Pag. 2. & 3.

Ergo quæ sint praua, iam docuit hîc, meraca scilicet, & in libro Prognosticorum enumerat quinque: ramentosa, biliosa, cruenta, prasina, nigra. Proponit autem quatuor ordines, in primo sunt aquosa valde, alba, pallida, viridia, vehementer rufa, spumosa. In Galeni textu non legitur Viridia. In secundo ordine, & est deterior priore, est paucum, candidum, glutinosum: vel subuiride ac leue. Tertius est pessimus: nigrum, liuidum, æruginosum, pingue, fœtidum, in Galeni textu non est Æruginosum. In quarto, qui pessimus est, sed non adeò citò perimit, est varium: sic vertit Cornarius ποικίλα: & melius quàm versicolorem, quod & animaduertit Gadaldinus in Margine, parum enim conuenit cum sequentibus verbis, Ramentosa, biliosa, & reliqua. Varium appellat, quia variare solent. Pag. 3.

Verùm dices: id de malo, an intelligitur simpliciter, an comparatiuè? Respondeo, quod solùm simpliciter, quia ita Galenus exponit in Commento, & ratio ipsa docet: aliter enim securiores essent liuidæ ex nigris, quam subuiridis ex permista.

Quæ autem egestiones non sint malæ, & quod non mutari malum sit, docet secundo Epidemiorum. Alui turbatæ ex tenuibus, aquosis, non biliosis, spumosis multis, quæ aliquando deposita etiam subsidentiam habebant, ex quibus sanè etiam id quod sub dio exponebatur noctu, simile erat. Æquales specie semper alui secessus, malum. Quòd si mali sunt alui secessus perseuerantes similes, quoniam causæ magnitudinem significant: & etiam quia eodem modo afficiendo intestina magis lædunt, mutatio bona erit, & bonum etiam signum. Sec. 3 in prin.

APHORISMVS XV.

VBi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet, nam si biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat: si verò sanis similes, tutum est corpus nutrire.

COMMENTARIVS.

QVia dixit, à iudicatione si non corroboratur corpus, vti vel plurimo cibo, vel indigere euacuatione: hic modò docet, si videatur malè restaurari, & ita continuatur octauo Aporismo ad vnguem, habet enim duas partes illi respondentes, si quis bene animaduertat. Hippocrates libro de Glandulis, docet septem esse fluxiones à capite è quibus vna est ad fauces, cum strangulantur in morbis acutis, vt habetur in 1. Prædictionum, & de hac non est sermo, vt neque de Angina, est enim illa faucium inflammatio, vt paulo inferius, absurdum enim esset dicere, tutum esse tales nutrire. Sed neque de illis exulcerationibus, & generaliter vllis morbis qui cum febre sunt, plerunque enim sunt periculosi, vt in Coacis prædictionibus & similiter vlcera proserpentia circa fauces, & maximè acuta & praua in infantibus sunt periculosa, vt in lib. de Dentitione. Proprium est autem doloris faucium, vt habetur in lib. de Coacis prædictionibus si validus sit, tumores circa aures & conuulsiones gignere. Sed loquitur eo modo, quo in lib. de Affectionibus. Fauces à pituita inflammantur, curandæ autem sunt gargarizatione. Quomodo autem hic morbus fiat, docebat Hippocrates in lib. de Flatibus dicens: Cum fauces exulcerantur & exasperantur ac inflammantur, trahunt calefactæ humorem de capite: illud verò rursus à toto corpore. Hoc verò, vt dixi, contingit, quoniam glandulæ illæ quæ à lateribus sunt, implentur. Sensus igitur totus est, ac si diceret: Vbi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, inspicienda sunt excrementa: nam si biliosa sint, corpus vnà ægrotat: quare nutrire non debemus, non pura enim corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes: sin autem erunt similia sanis, tutum est corpus nutrire. Pag. 3. Pag. 1. & 3. Pag. 11. Pag. 2. Pag. 5.

Aut tubercula, φύματα dicuntur à Galeno sexto Epidemiorum, quæ parum prominent extra cutim, & sunt acuta, non genita à causa externa. In septima Aphorismorum docuit, intus etiam posse generari: propriè autem fiunt in pulmone, & frequenter: hic loquitur de exterioribus solùm. Probat illa Hippocrates sexto Epidemiorum, in septem conditionibus: scilicet quòd sint extuberantia, acuta, fastigiata, deorsum vergentia, non dura, non bifida, æqualiter maturescentia. Ergo si materia propellitur à natura expurgante corpus, bene res se habet, siue fauces laborent, siue tubercula in corpore exoriantur: sin autem ex humorum redundantia, purgatione indigent, hoc est quod dixit Ægrotare. Porrò historiam Aristei sororij secundo Epidemiorum, in tibia tuberculis ex labore obortis, videre licet. Verùm hic laborauit febre: vnde tunc non dubium erat illum ægrotare: sed sudore, & sanguinis fluxu è naribus sanatus est, fiunt ergo & ob laborum violentiam: Par. 1... Aphor. Sec. 1. Sec. 1.

Nam si χολώδεες, id est biliosæ fuerint. Vult intelligere quamcunque vitiatam formam, quod intelligitur à contrario: quia dicit, Si verò similes sanis, per biliosas ergo seu felleas, quascunque à sanis alienas intelligit.

APHORISMVS XVI.

Vbi fames, laborandum non est.

COMMENTARIVS.

HVcusque continuitatis ratio clara fuit, nunc hic Aphorismus ita præcedenti-

bus

Aer.10. bus iungitur, quia superius dictum est, Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Vbi verò corpora nutrire non possumus, quia non expedit, sed famem adhibere conuenit, id est inopiam cibi, quod probat Galenus in Commento, ex autoritate secundi Epidemiorum, & est ex repetitis Sec.4. in sexto, vt pleraque alia: sicut quæ in quinto, repetuntur magna ex parte in septimo: vnde emendatio nostra. Et dicimus famem etiam cibi abstinentiam qualemcunque, modò sit magna. Et probat Galenus ex Pro- Pag.1.32. gnosticis, & septima Aphorismorum: & hoc modo intelligitur.

Construitur sic ratio: Vires non sunt exoluendæ duabus vehementibus causis simul, sed fames & labor vehementer exoluunt vires singillatim: ergo non sunt simul adhibenda. Fames enim, vt inquit Hippocrates Pag.4. lib. de Veteri medicina, magnam habet vim sanandi, debilitandi & occidendi. De laboribus autē dicebat in 1. de Diæta, cibi & labo- Pag.2. res contrarij sunt, cibi enim restaurant corpus, labores autem absumunt. Ideo dixit 6. Sect.3. Epidem. Cibus modicus, non delassari, non sitire. Exemplum de pluribus rebus vires ab- Pag.11. sumentibus habetur 7. Epidemiorum, in Thyni filio laborante febre, alui profluuio, & longa inedia, qui mortuus est.

Galenus autem amplificat sententiam Hippocratis, & bene iuxta demonstrationem cui innititur: Nullum exhauriens vires, conuenit cum alio: & si de naturalibus, quanto magis de his quæ præter naturam aut contra naturam sunt? Secundum naturam est senectus, imbecillitas innata, fames, sudor, & caliditas acris: præter naturam labores, venus nimia, odores mali, vigilia, tristitia & timor, est enim timor, tristitia spei permista. Contra naturam morbi causæ, symptomata, maximè dolor & euacuatio. Ergo duo ex his iungi non debent, multo minus tria.

Sed hic explodenda est dubitatio non leuis, si vbi fames adhibeatur, non conuenit Pag.14.10. euacuatio magna, in morbis acutis fames adhibetur, 1. Aphorismorum: & ideo non conueniret sectio venæ, nec purgatio, contra Hippocratem in libro de Ratione victus in acutis, & 4. Aphorismorum. Respondeo: Hippocratem hoc non dixisse, sanis enim non conueniunt auxilia contra naturam: in ægris cogimur, maximè in principio, cum nondum vires exsolutæ sunt. Periculum etiam maius est in labore, quàm venæ sectione, vel purgatione, propter inflammationem, & spirituum consumptionem, quæ in laboribus maior fit.

APHORISMVS XVII.

VBi alimentum præter naturam plus ingestum est, hoc morbum facit: ostendit autem sanatio.

COMMENTARIVS.

Τροφὴ, alimentum apud Latinos significat. Galenus continuat hunc Aphorismum ei: Non satietas, non fames, neque aliud quicquam quod modum naturæ excesserit, bonum. Sed nimis procul expetitur 4 huiusmodi continuatio: & etiam quia ibi de signo, non causa loquitur. Intelligamus ergo, quòd cum locutus sit de fame in præcedenti, quòd cauendum est à labore: hic docet quòd satietas est deterior, quia per se & promptè lædit, etiam non adiecta alia causa. Ex quo patet, quòd non valet hæc ratio: Ex assumptione copiosioris cibi homo plus læditur in vna die, & etiam plus longè, quàm ex inedia vnius diei: ergo ex inedia decem dierum minus lædetur, quàm ex copiosa assumptione cibi totidem dierum, nam ex inedia morietur, ex cibo autem non.

Alimentum quid sit, superius sæpe docui. Verùm præter naturam trifariam hic à Galeno exponitur: vel supra vires, nam repletio duplex secundum vasa, vt cum ventriculus nimio plus extenditur: vel contra naturam, vt si quis fungis vtatur crudis, vt septimo Epidemiorum, filia Pausaniæ, quæ Pag.20. fungum crudum edit, & patiebatur anxietatem, strangulationem & dolorem ventris: nec liberata est, nisi cum euomisset fungum, mulsa epota & balneo adhibito, in quo etiam sudauit. Vel supra hominis naturam Pag.10. vt de Biante pugile, quinto Epidemiorum: qui adeò erat vorax, vt ederet carnes porcinas crudas, placentas dulciarias ex melle, polentam, pepones, cucumeres, bibebátque lac & vinum odoratum vsque ad ebrietatem. Ægrotauit igitur cholera morbo, qui familiaris est immodicè se ingurgitantibus. Hunc igitur patet, omnibus modis huius Aphorismi alimentum præter naturam sumpsisse.

Rationem autem Aphorismi Galenus prætermisit, saltem clarum: volo autem docere illam, & Aphorismum verum esse demonstrare: ostenderéque simul, cur dixerit Præter naturam: & cur adiecerit ea verba, de quibus dubitat Galenus, scilicet, Ostendit autem sanatio. Cibus, inquit Hippocrates Pag.24. in libro de Locis in homine, si vincit naturam, efficit morbum. Appellat ergo cibum præter naturam seu alimentum, cum superat naturam: sed si superat naturam, morbum facit, quia morbus fit superata natura, vt ibi dicit. Si ergo dixeris, Non efficit morbum: dicet Hippocrates, ergo non est præter naturam. Igitur solum secunda aut tertia expositio est bona. Ostendo modò quòd efficiat morbum, quia efficit cruditatem. Cuius Pag.21. habetis exemplum 7. Epidem. in Epicharmi filio, qui ex labore & potu eam contraxit. Vnde non dixit de potu, quia facilius distribuitur vel euomitur: necessariò ergo cibus præter naturam hoc modo ingestus facit morbum.

Ostendit autem sanatio, sic intellectus prioribus verbis, siue sanetur vomitu naturali, seu à medico, seu secessu sponte seu à medico seu cholera seu purgatione materiæ febrem facientis, siue alio modo, cum in omnibus fiat euacuatio. Clarum est, quòd morbus factus fuit ex repletione præter naturam. Inde sumptæ sunt duæ illæ regulæ

genera

generales, positæ ab Hippocrate in libro de Victu in acutis: Cum cibus fuerit in ventriculo, morbo inchoante, fac vt reiiciat per vomitum: si non, per aluum. Hippocrates exhibet clysterem aut glandem, nonnunquam etiam medicamentum, vt tertio de Diæta. Quòd si dicas, Prius iniungit somnum? Respondeo, quòd præsupponit, vt non sit tunc præter naturam.

Pag. 5. Hippocrates in 3. de Diæta docet, multos modos repletionis factæ ab immodica ciborum repletione, qui omnes ad nouem capita reducuntur, aut vomitu cruditas expellitur, vel secessu, tuncque bifida consurgit diuisio, aut enim corrumpitur, aut non, si verò retinetur, aut remanet cruditas, aut fit acida, aut corrupta, aut concoquitur in ventriculo, & carnes non trahunt: tuncque aut grauat solùm, aut corrumpitur, & si corrumpitur, aut afficit totum corpus, aut partem, vel generat febrem.

APHORISMVS XVIII.

Eorum quæ ἀθρόως & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

COMMENTARIVS.

ID est, Ea quæ non sensim, neque paulatim totum, quo nutrire possunt: sed simulátque vnà nutrimentum velociter exhibent veloces quoque eorum quæ restant, fiunt excretiones. Demonstratur autem sic: Natura non emittit, nisi coacta, antequam expresserit totum quod adest & continetur nutrimentum: neque contrà, vbi totum expresserit: quod residuum est retinet, aberraret enim. Sed quæ totum quod habent nutrimentum, celeriter atque vnà totum exhibent, celeriter etiam excrementum separant: & vbi separatum est illud, expellitur, igitur quæ celeriter nutriunt, ac totum quicquid continent, simul separari patiuntur, eorum residua etiam celeriter expelluntur. Verbum ergo ἀθρόως, Latinè aut per vnà ac simul, aut clarius per negantem orationem, vtpote, non sensim, neque paulatim, exprimi debet.

Galeno tamen visum est, hanc orationem non esse veram ac necessariam, tacitusque sugillat, vt sæpè solet in hoc opere, Hippocratem, dicens: Multa excernuntur celerrimè ob adiectam salsam quandam qualitatem, quæ tamen tardè & sensim nutriunt: alia verò quæ celeriter nutriunt, ob lentam substantiam tardè expelluntur. Ob id, dicit, intelligi dictum Hippocratis sic debet, vt sint pura nutrimenta, ab omni aliena qualitate, seu naturali, seu ex præparatione acquisita, pura vel expurgata, & insinuat quòd si, gratia exempli, coxeris ostrea parum, citò deiicientur, quamuis serò concoquantur, & paulatim, ob nitrosam (sic enim vocant, ego salsam dicam: quamuis paululum inter salsum & nitrosum, sal & nitrum intersit, quod nitrum amarum sit, sal minimè) qualitatem. Ideo dicit Galenus: Si ostrea diu coxeris, abiecerísque ius illud, facilè intelliges serò ostrea concoqui: quòd duræ sint carnis, & paulatim nutriant. Idémque in caulibus continget: nam diu cocti, & abiecto iure, tardius descendunt è ventriculo, tardiúsque concoquuntur, quàm si solùm paululum ferueant: non quòd verè verè celerius concoquantur, imò non exactè cocta nunquam fermè concoquuntur in ventriculo: sed ideo concocta videntur, quia descendunt. Vnde nata est illa opinio, quædam esse quæ quanto magis coquuntur, tanto difficilioris concoctionis euadant, alia verò durescant etiam.

Rectè igitur fecisset Galenus, primùm, si aduersus tantum virum vel vnum exemplum attulisset, eorum scilicet quæ & citò concoquuntur, & tardè exeunt: & quæ tardè concoquuntur, celeriter tamen exeunt. Deinde cum quæ concocta sunt in ventriculo, in intestinis etiam maneant, trahente iecore per mesaræi venas succo, an de descensu cibi ex ventriculo in intestina, vel ipsa deiectione ex intestinis intelligat Hippocrates? Aut saltem docuisset rationem, quare harum vna alteram necessariò consequatur. Et rursus, quare fit quòd aliqua quanto magis coquuntur seu assata seu elixa, tantò magis durescunt? vt oua, iecur, & chamæ fluuiales.

Forsan dices, Ipsemet Hippocrates velocis secessus alias causas attulit in lib. de Affectionibus dicens: Cibi qui plurimum calescunt, citò siccantur & durescunt, atque ob id tardè descendunt: qui verò celeriter descendunt, succosi sunt, & natura calidi. Et rursus in libro de Locis in homine: Cibi qui aluum subducunt, sunt qui incidunt, & qui attenuantur in calido, salsi & lubrici. Sistunt autem, qui astringunt, & qui à calore coguntur, quique flatum pariunt, sicci atque friabiles. Sed hic loquitur deiicientibus aluum cibis, habentibus naturam medicamenti, vt cnico & mercuriali. Ad id de cibo, qui plurimum calescit, vt qui tenuis sit substantiæ, & siccus. Respondeo, quòd oportet vt tandiu morentur in ventriculo, vt possint siccari, & si velociter, & non sensim nutriunt, succosi erunt: ideo ibi tradidit regulam omnibus intellectu faciliorem, hic verò magis reconditi sensus. [Pag. vl.] [Pag. 15.]

Cæterùm dices: Caro ceruina erit pro exemplo, quæ tardè concoquitur, & celeriter è ventriculo descendit, 2. libro Auicenna teste? Respondeo, quòd Hippocrates in 2. de Diæta non id dicit, imò vult quòd tardius secedat carne apri: existimo quòd Auicenna hoc dixerit ob amaritudinem, quia ceruus felle caret: sed & equi, asini, muli & damæ, vt Aristoteles docet: & tamen caro eorum non facilè descendit è ventriculo, vel forsan propter ea verba Rasis: Qui ederit carnes cerui, oportet vt illa sedeat in ventriculo, si concoqui debet. Sed Rasis intelligit, quòd oportet vt descendat & adhæreat imo ventriculi, nec sumatur in fine cibi, sed in initio: non autem quòd sedeat, id est, quòd non celeriter descendat ex ipso ventriculo. [T. 2. c. 145.] [Pag. 6.] [4. de Part. Ani. cap. 1.] [Lib. 37. t. 1. cap. 172.]

Constitui

Constitui ergo vna regula videtur hoc modo, Quæ celeriter nec sensim nutriunt, ea celeriter secedunt, citóque reparat vires, sed ad robur non multum conducunt: quæ sensim & tardè concoquuntur, plurimúmque nutriunt, ea tardè secedunt, & robur corpori addunt: sed si parum nutriant, nec robur addent corpori, ea regula ex libro de
Pag. 12.13. Affectionibus, tum hic etiam colligitur.

His intellectis, inter ea quæ celeriter & simul nutriunt, vinum qualecunque primas obtinet partes: sed inter vina Galenus ex duabus differentiis, vna sumpta à colore, altera à substantia, nouem proponit ordines. Ponit enim à substantia crassum, tenue & mediocre, idque bene se habet. Sed in colore album & nigrum, ac κιῤῥὸν, hoc quidem rubrum, alij subrubrum, alij flauum: sed difficile est diuinare, cum res à sensu discrepat. Dicamus ergo clarè, distinguentes colores vini in quinque, vt dicet: nec vbi necesse non est, propter duo verba pariamus confusionem, vt Galenus, qui in non necessariis adeò postmodum est verbosus, vt etiam isto Commentario. Erunt ergo nigra, alba, & proximum albo colore flauum, nigro rubrum, in medio omnium subrubrum. Flaua calidissima sunt, & nigris substantia proxima, vt subrubra albis: rubra verò, commutata vice, media inter flaua & subrubra.

Nigra ergo crassa maximè alunt, & tardissimè inter vina secedunt: tenuia verò alba & flaua, celerrimè secedunt: alba quidem ob tenuitatem & paucitatem alimenti, flaua autem non tam celeriter: sed tamen celeriter, ob caliditatem: verùm hæc albis plus nutriunt, & cæteris omnibus, præterquam nigris. Ex hoc genere sunt Non basium seu maluasia vocata, Creticum vinum, vinaciola, vernaciola: & amabile seu vinum Chium, & Tribianum Florentiæ, & huiusmodi innumera, gustu austera, odore iucundo & acri. Subrubra autem, quæ nos Cæsiola vocamus, proxima plerunque sunt albis, tamen gustus ea distinguit, nam & ex albis quædam sunt calidissima, maximè quæ è nigra vua fieri consueuerunt sine acinis, desiderio alborum vinorum non suppeditante materia illorum. Quapropter operæprecium fecisset Galenus, meminisse saporum & odorum potius quàm colorum: aut si pigebat tam longam texere historiam, omnino ab hac enarratione vinorum prorsus abstinere debuit. Ergo cum in reprehensione nulla sit vtilitas, ne nos magis illo erremus, solum ea dicamus quæ in rem faciunt: primùm distinguentes, quod Galenus adeò, cum scitu esset necessarium prætermisit, scilicet an per excretiones Hippocrates intellexerit solùm alui excretiones, διαχωρήσιες dicit, à διαχώρησις, quæ est alui deiectio. Galenus tamen generaliter videtur interpretari. Hoc autem multum refert, an de vrinis etiam scilicet & sudoribus intelligat: mihi videtur quòd de alui solum deiectionibus, quia præter id quod verbum id significat, etiam cum loquatur de nutritione quæ ad primam pertinet coctionem, videtur Hippocrates de alui excrementis solum intelligere: quare tota illa tractatio fermè de vinis superflua est. Sed tamen, postquam cœpimus, prosequamur: vinum dulce seu nigrum seu album, sed tenue magis, & nouum maximè, iuxta Hippocratem 2. de Diæta, aluum subducit. Odorata, tenuia, vrinas proliciunt, vt etiam alba tenuia: austera aluum & vrinas etiam sistunt. Subrubra, eatenus albis proxima. Flaua substantia nigris proximiora, vi autem albis. Rubra in medio eorum, vt dixi, facultate, imò omnium, sicut coloris ratione flaua, in medio consistunt. Pag. 7.

Sed de alimentis non est ausus proferre, quænam sint quæ celeriter & ex se tota alunt, nisi miseram illam ptisanam: imò nec illam, sed illius succum, qui magis ad potum quàm cibum attinet, in medium adducendo: tum petrosos pisces. Causam huius esse reor quòd non hæc satis cum Galeni principiis concordarent. Nouam enim & re alienam, verbo tenus autem similem & consentientem Hippocrati doctrinam instituens ille, quod etiam Auicennam, virum calidum, non latuit, coactus est tacité Hippocratem erroris arguere. Nam Hippocratis verba sunt in Pag. penul.
libro de Affectionibus: ὡς μὲν τὸ ξύμπαν εἰρῆσθαι ἰχθύες κοῦφον ἔδεσμα. Et paulò post: αὐτοὶ δὲ ἐφ' ἑωυτῶν διαφέρουσιν ὧδε. quod est: Vt in vniuersum dictum sit, Pisces leues sunt edulium, ipsi tamen inter se differunt. Itaque omnes pisces generaliter leuis sunt alimenti si ad carnes conferantur. Non negat Hippocrates, quin petrosi non inter eos facilius concoquantur, & melioris etiam sint alimenti: sed nec hi solùm, sed & marini his qui in aquis dulcibus degunt, & inter marinos littorales, sunt enim minus vndis agitati. Enumerat autem Hippocrates inter marinos, petrosos, vtpote insularis homo, in secundo de Dieta: turdum, phucam, elephetim & cobionem. Galenus videtur omnes Pag. 6.
amplexatus tertio de Alimentis, enumerans turdum, phucam, iuliam, percam, scarum, merulam: scarum autem præponit omnibus suauitate, inde merulam & turdum, reliquos tres in ordine vltimo reponit: gobionem excludit, quamuis non improbet illius alimentum, neque vt prauum, neque concoctu difficilem. Sed quis sit elephitis, haud docuit. Verùm Hippocrates inter cibos leues, etiam post petrosos, laudat rhombos, squatinas atque torpedines.

De cibis autem aliis non meminit nisi comparando Hippocrates, olus oleri, carnem carni, verùm Galenus totum prætermisit, vt liquet: id est finem, cuius ratione Aphorismum scripsit, hic est, vt doceret suo more, qui cibi essent facilioris coctionis, & qui Aphor. 11.
non, dixerat enim, quòd facilius erat impleri potu quàm cibo, ibi docuerat qualitatem: hic ab effectu docet, quis cibus sit facilioris coctionis. Vnde patet continuatio Aphorismi & finis, quem adeò perperàm omittit Galenus, vt faciat Hippocratem stupidum. Quæ enim hæc est doctrina, Quæ celeriter concoquuntur, & simul etiam celeriter excernuntur? Quî enim scire possum, quid celeriter concoquatur, aut tardè? Sed voluit, quod putat Galenus, pro principio esse, id

id esse quod cognoscere docet: vt sciamus quomodo reficere oporteat ægros, scilicet velociter & simul nutrientibus, nam quæ in horum aliquo deficiunt, si tardè, ægros ad vltimam debilitatem perducunt: si sensim, ad laborem ventriculi, longámque defatigationem. Quare patet, ipsum etiam de cibo tantùm, non potu loqui, sed hoc propter vinum, cui maximè Galenus fauet, omittamus.

Inter ea quæ sensim alunt, connumerat Galenus in Commento, verticellos, seu manuis σπονδύλους, gammaros, Græci καμμάρους, squillas & locustas, σπόνδυλος apud Græcos significat & serpentem, & herbam, & lapides inuentos in capite cæstrei piscis, & thynni piscis supremam dorsi partem, & turbinatum genus ostracei corticis, quod frequenter inuenitur inter chamas Genua allatas, à forma enim fusi fermè hæc omnia sub nomine vno tam diuersa natura deducta sunt. Rondelletius putat esset ostreorum durissimorum genus, quod lapidibus coniunctum est, nec vulgare: vt non existimem tam celeri cursu Galenum transeuntem in huiusmodi impegisse, quæ cum σπονδύλου nomine similitudinem nullam habent. Gammari caudati sunt, quos nos cancros appellamus, sunt tamen qui astacos fluuiales vocent: tam possumus gammaros vocare quàm
Lib. 7. c. 24. astacos, cum, Athenæo teste, sint gammari è squillarum, id est crustatorum longam habentium caudam, genere. Antiqui fluuiatiles gammaros in vsu non habuerunt, quod, vt experimentum docet, & inter cementa saxáque, imò in ipsis lapidibus & sepulchris inueniantur. De omnibus his qui pro piscibus habentur, nec tamen pisces sunt, vt po-
Pag. 6. lypi, cancri, ostrea, Hippocrates locutus est secundo de Diæta, distinguens in quinque genera. Primum vocatur mollium, quia sola cute integuntur, polypi, sæpiæ, sæpiolæ, loligines. Secundum ostracorum, ostrea, pholades, margaritarum conchilia, purpuræ, buccinæ, pinæ. Tertium eorum quæ concha integuntur, tellinæ, chamæ, pectines. Quartum, quæ crusta, astaci, squillæ, locustæ, erinacei, vrsi, cancri, paguri. Quintum cartilagineorum: vt raia, torpedo, rana marina, squatina, pastinaca, galeus, canicula, vulpes, zygena, lamia, Hippocrates adnumerat etiam vrticam. Quæ igitur mollia sunt, quoniam cute sola teguntur, ideo durissimam carnem sortita sunt fluctibus enim aliter obtunderentur, & cuiusq; minimi piscis iniuriæ expositi essent: ob id durissima sunt carne, & difficillimæ coctionis. Quæcunque verò crusta integuntur, eo duriora sunt, quo crusta est crassior, atque magis lapidosa, nam carnem multa terra participare necesse est, si nam dura ex ea testa generari debet. Ergo ostrea durissima erunt, inde conchæ, post crustacea, vltimò verò cartilaginea. Ergo quæ mollia sunt, adeò concoctu difficilia sunt, vt oculos grauent, inquit Hippocrates. Sunt & qui cartilaginea velint longo vsu oculos hebetare: at ego non tam cartilaginea, quàm reliqua etiam genera enumerata hoc facere posse crediderim, imò magis quam hæc. Conueniunt enim omnia in hoc vt ait Hippocrates, quòd caro difficulter concoquitur, & tardè deiicitur, licet crustacea & cartilaginea propter succi abundantiam, & vt dixi, quòd mollius habeant tegmen, aluum potius molliant, quàm astringant, commodéque secedant. Itaque ab alimento crasso, aut forsan à salsedine nimia (vtrumque enim horum oculis maximè nocet, qui tenuis spiritus copia indigent) lædi oculos, & visum obfuscari, non abs re est. Vt verò carnes horum tardè secedunt ita (inquit) succus eorum, iusculáque mouent aluum: sed eodem ordine, scilicet omnium minimè mollium, maximè autem cartilagineorum. Inter chamas, quæ ab hiatu dictæ sunt, & tellinas, hoc interest, quod tellinæ in ambitu serratæ sunt, & ob id non hiant, vt chamæ: quæ seu striatæ, seu non hiant, quia in ambitu sunt æues.

Eadem ergo regula vtemur etiam in piscibus marinis atque fluuialibus: qui enim duro carent integumento, vt anguilla & tinca, difficillimè concoquuntur, & tardè secedunt; qui squamma dura, vt lucij, etiam tardè secedunt & concoquuntur: percæ autem & truttæ, salmones, thymi ac carpiones, & quos vocant alosas, facilè concoquuntur, & celeriter descendunt è ventriculo, ni magnitudo piscis grauiorem & duriorem effecerit, eadémque in marinis generalis ratio, ab Hippocrate deducta, obseruanda erit.

Cochlearum etiam meminit Galenus, tanquam tardè nutrientium, & secedentium: quarum tamen vsus ad hecticos, & in iecoris imbecillitate, tum ad ventriculi dolores est præcipuus. De iecore Galenus id affirmat: de ventriculi dolore dicit Scribonius Largus, sed ipse commendat Africanas: ego in meipso nostris vsus sum. Duo earum prima genera sine cortice, in quarum capite solent lapides inueniri: Horridæ visu, quas non edimus (Tunetani in Africa tamen comedere, vt audiui, consueuerunt) & testa obtectæ, quarum sunt quinque genera: terrestre, quo in cibis vtimur: marinas etiam edimus, durior est earum caro quàm chamarum, fluuiales, quæ non eduntur (sunt enim abominandæ) syluestres paruæ albæ, semper arboribus aut dumetis, aut etiam herbarum caulibus adhærentes, Sesilon vocant hoc genus, quod subuertit ventriculum, & vomitum excitat. Apud Gallos tamen, & Ferrarienses, in maiore sunt precio cæteris, quod sapidiores sint aliis, nec ea incommoda ex earum esu experiantur. Ego edi sine noxa nuper, molliores sunt reliquis. Quintum genus est solitariarum, quæ in Africa inueniuntur, quarum tanta est magnitudo, vt testa nonnunquam decem libras liquoris capiat. Olim viuaria habebantur. Experimento edocti sunt, in olla pertusa vndique, vt aëre refrigerari possint, sapa & farina subiecta pinguescere, vnde etiam molliores redduntur.

Coqui debent hæ, & dura quæque magnis ignibus, & circumquaque positis, in olla operculo obducta aqua ex dimidio plena cum cineribus quercus, radice ari, cortice

peponum,

peponum, & sinapi, inde vbi detractæ fuerint testæ, cum oleo, sale, aceto & saluia, ac porro cinamomóque. Carnes autem, & pulli duriores linteo multiplici sub fimo calido vehementer, si duabus horis contineantur, inde extractæ, aqua frigida copiosa statim superfundantur, celeriter coquuntur. Gammari nostri tabidis multùm prosunt. Ranæ antiquis in vsu non fuere: facilius longè concoquuntur cancris, & limacibus multo magis: parum tamen nutriunt & humectant, atque refrigerant, saginantur, adeóque impinguantur illarum iecora, vt inter delicias suauitate, inter mira magnitudine numerentur.

Verùm quia etiam brassicæ meminit, noscere oportet illius tria prima genera esse: satiuum, agreste, marinum. Sed satiuæ, vna, à parte vel cultura: tertia, ab inuentoribus. Forma fiunt quatuor species: crispa, leuis, capita, quam vocamus Gambusium, quæ longè suauitate & alimenti bonitate aliis præstat, estque harum omnium maxima vbique copia. Et crambe vilissima, caule minore, cæteris folio tenuiore, flore luteo, de qua Horatius:

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Ab aliquibus hæc eadem vocata est corambe vt apud Columellam.

Nunc veniat quamuis oculis inimica corambe.

A partibus autem nobilissima fuit olim cyma, cauliculus aëre germinans, adeò gustu iucundus, vt Drusus Cæsar non sine cyma in bellicas iret expeditiones. Tanta fuit gloria vulgaris herbæ: nostra autem ætate adhuc magis insignis cauliflos vocatus, candido capite ac turbinato, sed inæquali, & pluribus in locis cauo, prominentibus, velut vndique clauis horrisve, vt specie ipse non sit inferior suauitate. Manditur & coctum & crudum cum sale, pipere, oleo atque aceto. Sed ab inuentoribus aut locis sex habemus: Tricianam: Cumanam sessili folio, capite patulam: Aricinam, excelsam folio numeroso & tenuiore: Pompeianam, caule ab radice tenui, sed omnium proceriore, foliis angustioribus & rarioribus, sed admodum teneris, vt hæc sit propria laus: Sabellicam ad admirationem vsque crispam, dulcissimámque gustu: Lacuturranam capite grandi, non tamen adeò vt Tricianam, sed hæc maximo labore colitur: Halmyridiam, quæ trans mare auehebatur. Possunt innumeræ aliæ earum species fingi, quandoquidem hoc oleris genus tam latè pateat, vt nullum aliud, ad arborémque accedat. Brassica quædam est angusto folio, quam vocant Soldanellam, lacteo succo, quæ plurimùm purgat, & maximè aquam.

Oua quoque dura serò concoqui, palàm est: at de mollibus affirmant, celeriter nutrire, maximè lutea. At Hippocrates ait generaliter: Oua volucrum robustum quid habent, alunt atque inflant: vt perspicuum sit, neque celeriter concoqui, nec vnà, sed sensim: quod etiam ex intempestiuis vomitibus deprehenditur. 1. De diæta. Pag. 7.

APHORISMVS XIX.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ pronunciationes, aut salulutis aut mortis.

COMMENTARIVS.

Galenus illud non omnino ad certam non solùm rationem pronunciandi, sed etiam ad generalem morborum acutorum interpretationem refert: Ita vt quasi dicat Hippocrates, non omnium morborũ acutorum potest esse certa pronunciatio salutis aut mortis. Verùm hic sensus admodum Hippocrate indignus esset, quia nihil doceret: sed solùm confunderet animum lectoris, ideo absit vt Hippocrati rem tam inartificiosam tribuam. Præterea quid vetuit, ne pro οὐ πάμπαν scriberet οὐ πάντων, id est non omnium? Ostendit etiam id euentus, nam si per acutorum morborum, finem eorum intelligit, etiã baiuli hoc diiudicare norunt: sin principium, experimentum docet, tam in veris ægrotantibus quàm scriptis ab Hippocrate, quod ille hic dicit verum esse. Ratio quoque duplex id docet, nam & mobilis est materia morborum acutorum, & facilè transmutatur: & neque in principiis concocta esse potest, nec cæcitas desperationem affert. Idémque de augmento, cum in his temporibus concoctio non adsit. Et quamuis sub conditione prædicere liceat, vt si septimam non transierit, antequam iudicetur peribit: absurda tamen prædictio est, qua multi stolidi gloriantur, produnt enim se hoc nescire, an intra eam diem morbus iudicandus sit. Verùm illud obiicies ex Prognosticis. Qui porrò morbi in breuissimo tempore iudicabuntur, faciliores cognitu sunt: maximæ enim differentiæ in ipsis ab initio fiunt. Cum ergo maior excessus facilius exiguo dignoscatur, ergo & finis qualis futurus sit. Verùm dico quòd ratione huius esset facilior cognitu: sed motus plus impedit certum iudicium, quàm excessus adiuuet. Lib. 7. Pag. 2.

Porrò duobus modis distingui atque amplificari debet hæc sententia. Primus est, vt ad pestilentes morbos referatur, in quibus præcipuè hoc verum est, vt non sit securitas vlla ex remissione morbi, nec desperatio ex incremento, habet enim morbus pestilens præter motum repentinum, etiam qualitatem obscuram, qua facilè interficit, & vt obscura qualitas citò ad perniciem deducit, ita etiam sine certa ratione deficit, & homo sanatur. Secundus est, quòd facilius morbus quem sanabilem existimas, mortalis euadere potest, quàm mortalis sanabilis: quoniam hoc solum naturæ vi contingere potest: illud verò etiam præter id, medici & ægri atque aliorum errore. Verùm relinquitur difficultas de abscessibus, in quibus iam materia decumbit in eodem loco: quare in his saltem deberet esse certa ratio prædicendi, iuxta magnitudinem, locum, materiæ naturam & coctionem? Respondeo, quòd in illis etiam ob necessitatem eiectio-

nis,& transmutationem ad vilius membrum contingit errare.

Quod maximè quærendum fuit in hoc casu, erat, quò vsque hic Aphorismus extendatur, nam in fine status & iudicatione peracta, non est verus, cum etiam idiotæ morituros agnoscat: in initio verus est in omnibus, in incremento etiam: verùm in ingressu status, postquam illum Hippocrates non exclusit, etiam verum esse arbitrabimur.

APHORISMVS XX.

QVibus iuuenibus albus adhuc humecta est, his senescentibus exiccatur: quibus verò iuuenibus aluus adhuc sicca est, his senescentibus humectatur.

COMMENTARIVS.

SI quis præcedentem Aphorismum præcedentibus connectere velit, ita illum iunget, vt in primo dictum sit mortale aliquid esse aut non, & in secundo bonum signum, atque ita deinceps: in præcedenti autem Aphorismo admonet nos, quòd illud mortale aut non mortale ita debet intelligi, vt non existimemus in acutis omnino moriturum aut non moriturum, sed non esse certam hanc pronunciationem. At de hoc Aphorismo quis eum præcedentibus continuabit, cum de mutatione temperaturæ agat certè non nisi decimo octauo, in quo dixit, quòd eorum quæ ἀθρόως & velociter nutriunt, veloces fiunt etiam excretiones: intellige, vbi corpus moderatè se habeat nam si aluus humecta sit, multo citius prodibunt etiam si non ἀθρόως nec velociter nutriant. In quibusdam verò non prodeunt talia, nec excretiones tempestiuè fiunt.

Aphor. 53. Sed ad rem potius accedamus, & illum alteri connectamus, infrà descripto sub his verbis: Quicunque aluos humidas habent, si quidem iuuenes fuerint, melius degunt his qui siccas habent: ad senectam verò deterius cōmutant, nam senescentibus magna ex parte exiccantur. Hic sanè videtur ex duplici continuatione tum ad præcedentia, tum ad sequen[illegible]a, cur hunc scripserit Aphorismum & rursus docuit, quid melius sit, an aluum habere humidam, an siccam: & quod ad præsentem attinet Aphorismum, non debere intelligi semper, sed vt ibi magna ex parte, id est vt in pluribus, ἀπαλλάσσουσι enim ἀπαλλάττομαι tam degere, quàm commutare, potest significare. Sensus autem magis sic conuenit. Sed quia Hippocrates homonymiam committere videtur, difficultas hæc eò relegetur, nunc satis sit intelligere, cur scripserit Aphorismum, & quomodo sit intelligendus.

4. *Aphor.* 83. Causa lenitatis alui, vt habetur infrà, ibi: Mictio noctu plurima paruam significat deiectionem: Si naturalis sit, contingit ex pauca attractione iecoris, vt siccitatis ex magna, sed magna attractio aut parua in ætatibus & naturalis fiunt, vel ob robur facultatis, vel calorem aut siccitatem, aut necessitatem alimenti. Alius modus est ratione ventriculi, nam is vel ob frigiditatem, vt non possit concoquere: vel ob humidam qualitatem, vel ob defluxum bilis, vt non possit cibus debito tempore contineri, aluum humidam reddit. Videndum est igitur, stante mutatione solùm consueta, de qua agit in primo de Diæta dicens, Ex pueritia ad adolescentiam mutatio fit ex humido ad siccum, manente calore: ex adolescentia ad consistentiam corpus exiccatur & refrigeratur, ex hac ætate corpus humectatur manifestè, & etiam refrigeratur, vt in senio corpora sint frigida valde, sicca verò in solidis, atque exterius & in conceptaculis superfluo redundent humido. His propositis, videamus cur hæc vicissitudo contingat. Et clarum est, quòd nisi quis reducat hanc mutationem totam ad vnum principium, nihil agit. Quid enim est quod generalem faciat orationem, nisi ratio vna in omnibus, & est quod in iuuentute, quoniam corpus exiccatur, si fuerit antea humidius: & aluos humidas habent, nisi quid obstiterit, igitur dum siccantur, aluus etiam exiccatur: & hoc est per se manifestum. Sed si siccas habent aluos, cum temperies humida sit, oportet vt siccitas ea contingat ob caliditatem, vel ob siccitatem, si ob caliditatem, refrigerantur, & aluus humida euadit: si ob siccitatem, quam necesse est esse immodicam, superueniente senio, transmutantur in humidam præter naturam, ob nimiam siccitatem, atque ita ob frigiditatem aluus humectatur. Ex hoc colligite, quòd iuuenes bene dispositi debent habere humidas aluos, non siccas. Et ratio id demonstrat, quia infantes habent valde humidas: igitur in transitu recto per ætates, iuuenes debent habere humidiores senibus. *Pag.* 10.

APHORISMVS XXI.

Famem vini potio soluit.

COMMENTARIVS.

Θώρηξις à Galeno exponitur, in libro de Linguis Hippocratis, vinolentia vel ebrietas. Hippocrates enim in libro de Humana natura, cum dixisset quod morbi communes tam accidunt masculis quàm fœminis, subiicit, Θωρησσομένων καὶ ὑδροποτεόντων id est, vim potoribus, & aquæ. Explicatius Phauorinus, θώρηξιν ἀκρατοποσίαν exponit, id est vini meracioris vsum. Quid est ergo quòd hunc Aphorismum subtexuerit, illi scilicet: Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter? Et ei: Facilius est impleri potu, quàm cibo. Scire tamen decet, quod, vt habetur in Commento, quatuor sunt genera famis: Naturalis, cum statis horis homo appetit cibum moderatè: & vehemens, *Pag.* 1. *Aphor.* 17 *Aphor.* 11.

post

post longam inediam : aut nimiam resolutionem, ex laboribus maximè, vel defectum bonorum alimentorum : & fames canina, quæ fit ob atrum humorem ventriculum erodentem, cuius proponitur exemplum & cura in quinto Epidemiorum : & βούλιμος quæ fit cum membra deficiunt, & membra naturalia tamen affecta sunt malè, & corruptis humoribus referta. De hac non loquitur Hippocrates, cum sit lethalis, & ipse de sanandis sermonem instituit. Quòd autem vini potio omnem famem mitiget præter experimentum, est ratio, aut enim illa fames fit à frigiditate, & vinum cum calefaciat, famem sedat: aut à nimia resolutione, & vinum nutrit celerrimè, igitur famem tollet: aut ob humorem atrum, & vinum illum æquat, ergo omnibus confert. Præterea fames sedatur nutritione & repletione ventriculi, & hæc duo præstat vinum. Sed nunquid hoc solùm vult, scilicet curam famis per hoc absurdum, vt ita dicam, auxilium? An nobis potius etiam illud significat, vini potum etiam hoc habere incommodi, scilicet vt famem tollat. Illud non omittendum duco, quod ait Hippocrates libro de Veteri medicina, vinum meracum corpora quoquomodo debiliora reddere. Videntur autem habere vina diuersas facultates, provt in secundo libro de Diæta scribitur.

Pag. 2.

Pag. 9.

APHORISMVS XXII.

QVicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat: & quicunque ex euacuatione, repletio. Et aliorum contrarietas.

COMMENTARIVS.

Pag. 13.

HIppocrates in libro de Locis in homine inquit: Vtriusque medicamentum contraria contrario. Verbi gratia: Cum intumuerit pallidus, exoluitur sanè, si quod medicamentum attenuans adhibitum fuerit: at hic tumenti attenuans opitulatur. Rursus autem, quod aliquando vtilitatem cepit, nunc hic opitulanti opitulatur, quum sanè præ gracilitate decolor & pallidus factus fuerit. Si quis enim pituitosum & tumefaciens medicamentum exhibuerit, pallor sedatur. Insuper verò & dolor fit propter caliditatem, & propter frigiditatem, & propter valde exuperans & imminutum. Et in perfrigeratis natura quidem extra corpus ad cutem, propter calefaciens valde, dolor fit: in calidis verò natura, propter frigidum: & in siccis natura, si humectentur: & in humidis, si resiccentur. In singulis enim, quorum natura permutatur ac corrumpitur, dolores fiunt. Sanantúrque dolores contrariis, idque etiam vnicuique morbo proprium est, nam in calidis natura, propter frigiditatem ægrotantibus dolores calefiunt. Et reliqua iuxta hanc rationem fiunt. Alius porrò modus hic est: Per similia morbus fit, & per similia soluitur, velut vrinæ stillicidium idem facit, si non fit: & si fit, sedat. Et tussis eodem modo, velut & vrinæ stillicidium, ab eisdem fit & sedatur. Alius rursus modus hic est, febris quæ propter tumefactionem ex pituita fit, aliquando quidem ab iisdem fit & sedatur, aliquando à contrariis. Et dat pulchrum exemplum, à vomitu huiusmodi: Si quis vomenti aquam multam dare velit, eleuentur ea, propter quæ vomit vnà cum vomitu. Et sic quidem per vomitum vomitus sedatur. Rursus autem propterea sedatur, quòd inferne depulit id quod intus vomitum ciebat: atque ita ex ambobus contrariis (scilicet vomitum & aluum cientibus) homo sanatur à vomitu eodem. Hippocrates ergo hic tres modos tangit expositionis huius orationis, Contraria contrariis curantur. Vnum, qui pertinet ad morbum ipsum, & est ac si quis dicat: Depellitur calor corpore refrigerato, & pallor corpore rubro reddito, & sic propositio est generalis sine dubio, sed non artificiosa. Secundus modus est, vt ad causam referatur, scilicet vt curatio fiat à contrario causæ: & tunc dicit, Non semper est vera per accidens, licet per se vera sit, nam etsi morbus fiat à calore, sublato calore cessat morbus: non tamen calor semper depellitur à contrario, sed quandoque à contrario, vt cum aqua frigida depellimus calorem febris: quandoque à simili, vt cum balneo depellimus insolationem: quandoque licet vtroque modo, vt cum materiam vomitus curamus educendo, id possumus vomitu per simile, & subducentibus aluum, per contrarium educere. Oportet ergo in causis distinguere, nam de morbo, vt dixi, clarum est, & Hippocrates hic in textu & de Natura humana de causa exponit dicens: Pag. 4.
Quoscunque morbos repletio facit, euacuatio sanat: & quicunque ex exuacuatione fiunt morbi, repletio. Quicunque verò à labore fiunt, quies sanat: & quos ocium parit, labor sanat. Et in summa medicum oportet scire, se opponere instantibus contrarium agendo morbis, naturis, temporibus, ætatibus: & distendentia soluere, & soluta distendere. Intelligit proculdubio, in malè affectis noxiisque temporibus, ætatibus, naturis, non autem rectè & iuxta debitam rationem se habentibus. Infrà verò, in Nothis: Curationem morborum Pag. 7.
ita instituere oportet, vt causæ morbi nos opponamus. Et in libro de Flatibus: Si Pag. 2.
quis causas corporis affecti probè cognouerit, facilè ea afferet quæ corpori conducunt: nimirum contraria corporibus, morborum natura perspecta. Est enim maximè secundum naturam ipsa medicina. Quare statim, vbi fames molestiam affert, morbus fit, quicquid enim hominem molestia afficit, ac tristitiam affert, morbus vocatur. Quod ergo est famis remedium? quod famem sedat, id aut m facit cibus: cibo ergo famem medicari conuenit, sic sitis potus, & repletionis euacuatio, & euacuationis repletio: & labori quies succurrit, & quieti labor: & vt

vt generaliter dicam, contraria contrariorum sunt medelæ. Nullibi autem clarius quàm in secundo Epidemiorum: Verùm ad causam deuenire oportet, & ad causæ principium. Hæc igitur sic determinare oportet, quòd curam ex contrariis causæ accipere semper est necessarium, non semper tamen causa suo contrario expellitur: vel quoniam non expellitur ab eo ex ratione applicationis, velut aqua frigida exterius applicata calorem adauget: vel quoniam per accidens depellitur à simili, vt calor à calore balnei, bilis à rhabarbaro eam purgante. Tertius, cum modus est similis morbo, & tunc videtur morbi causa à simili propulsari: velut, si vomitu causa vomitus eiiciatur. *Sec. 4. in fine.*

Contrarij nomen quandoque impropriè sumitur pro opposito, oppositum autem sic dicitur, de his quæ secundum naturam se expellunt, & vocantur contraria: & secundum relationem, & secundum habitum & priuationem, & secundum negantem & affirmantem. Sic enim distinxit Aristoteles in libro de Decem vocibus. Nos autem ita distinguemus contraria ex sententia Hippocratis: Contraria dicuntur, quæ simul esse non possunt. Et tunc vel solum hoc habent ex mente, & dicuntur affirmantes & negantes orationes: vel ex re, sed absque principio destruendi se mutuò, suntque contraria iuxta habitum & priuationem: vel cum principio destruendi se, non tamen ipsa se destruunt, vt album & nigrum, leue & asperum: vel se mutuo destruunt, & hæc propriè sunt contraria, vt calidum & frigidum quæ se mutuò corrumpunt. Cum igitur Hippocrates locutus est de contrariis generaliter, intelligit primum modum: cum autem specialiter, tam tertium quàm etiam quartum. *Capit. De oppositis.*

Illud solum quærendum est, quomodo aliquid possit tolli, & non à contrario propriè? Et respondeo, quòd refrigeratio, quæ fit in balneo tepido, non fit à balneo infra balnei teporem, sed vsque ad eam: verùm quod refrigerat, vltra est naturalis temperies vel aër externus: balneum autem aperiendo meatus efficit, vt aër externus ingredi possit. Ergo omnis morbus curatur à contrario causæ suæ per se, licet aliter videatur contingere. Melius est ergo forsan vt dicamus, Hippocratem hoc solum voluisse, quòd curatio fiat tollendo morbi causam, & hoc vocasse contrarietatem. Continuabimus autem hunc Aphorismum præcedenti, vt ita legatur: Famen vini potio soluit, quicunque ergo morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat: & quicunque ex euacuatione, repletio. Et aliorum contrarietas: quoniam non solo cibo fames sedatur, sed quouis nutriente.

APHORISMVS XXIII.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

COMMENTARIVS.

Si præsentem Aphorismum superioribus continuare volueris, vt sit totus sermo connexus, qualem par est, vt sæpius dixi esse, eum connectemus illi, Acutorum morborum, vt sit sensus: Quanquam acutorum morborum non sit certa pronunciatio salutis, aut mortis: hoc tamen certò licet prædicere, quòd intra quartumdecimum diem quilibet morbus acutus iudicatur.

Vt verò ad expositionem veniamus, Galenus multum in ea laborat, propter morbos, qui non perpetuò augentur: & etiam, quia Hippocrates dixit, acutos morbos finiri in quadraginta diebus, vt in Prognosticis, & aliquando in sexaginta, vt in libello de Diebus iudicatoriis, itaque excogitarunt quidam numerum dierum iudicantium vsque ad quadragesimum. Sed hoc improbat Galenus, dicens non conuenire: sunt enim tantum duodecim. Sed cur laborandum in re clara, cum sensus sit apertus? Verè acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur, quoniam tales morbi adaugentur perpetuò magnis incrementis: tantum verò incrementum natura humana vltra quatuordecim dies non fert: ergo omnes acuti morbi intra quatuordecimum diem finiuntur. Qui verò non sic finiuntur, non etiam perpetuò augentur, quare nec legitimi acuti debent appellari. Qui ergo maximis incrementis augentur, ad quadraginta: qui magnis, sexaginta acuti extenduntur. Sed melius fuisset Galeno illud quære, quare Hippocrates non dixerit, Finiuntur: sed Iudicantur? Dupliciter huic dubitationi occurrere possumus: vel quòd necesse sit, vbi tam apertis incrementis augetur morbus, vt etiam iudicetur, nam motus materiæ ad hoc cogit: vel quod iudicari intelligatur, cum febris desinit etiam sine vlla excretione, vt primo Epidemiorum: Vigesima à febre liber iudicatus est, non sudauit, tubercula iam in decimaseptima orta sunt. Ergo iudicari dixit, febrem cessare: & tamen nec in hoc morbus fuit acutus, cum quartumdecimum diem excesserit. *Pag. 1. In vltimis verbis.* *In Glaucone decimo languente.*

Ex hoc intelligite, cum morbus acutus intra quartumdecimum diem non iudicatur, errorem aliquem in victu vel medicamento aut alia ratione admissum esse. Liquet enim, omnes ægros, qui ab Hippocrate in Epidemiis narrantur, intra eum terminum esse iudicatos, si acuto morbo laborarunt: morbos autem acutos omnes iudicari, etiam si abscessus causa sit, in primo de Morbis his verbis declarauit: At verò febris ardens, phrenitis, peripneumonia, angina, pleuritis, vua, citò decernunt. *Pag. 1.*

APHORISMVS XXIV.

Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus consideratione dignus: ipse enim est quar-

tus

tus secundæ septimanæ. Rursus verò & decimusseptimus considerabitur: ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo.

COMMENTARIVS.

Pag.5. ISTum Aphorismum nemo intelliget, nisi qui mentem Hippocratis intellexerit, inquit ille in libro de Septimestri partu: Conceptus & abortus & partus fiunt, in quibus morbi & sanitas: scilicet secundum dies, secundum menses, secundum dierum quadragenarias, & secundum annum, inde probat, quòd cum hæc sic distribuantur, vnum alterius sit particeps: & cum sit particeps iudicatio septenarij, & quadragenariæ, oportet vt tandiu retineatur prima ratio, quandiu non vitietur secunda. Cum ergo quadragenaria sit obseruanda, oportet vt etiam dimidium obseruetur, id est vigesima, sed si vigesima sit obseruanda, non violata septenarij ratione, quæ seruis fieri potest, oportet vt in prima & secunda hebdomada dies integri numerentur: in tertia autem, vt finis secundæ sit initium tertiæ, & hoc est primum quod proponitur.

Secundum est, quòd quilibet terminus iudicatorius finitur intra suam hebdomadam, ideo cum dies indicatiua sit in medio, erit trigesimus primus dies indicatiuus trigesimæ quartæ: non decimusseptimus, cuius numerus est dimidium trigintaquatuor. Et ita vno cursu declarat indicatiuos dies, qui sunt medij suarum hebdomadarum.

Tertium est, quod docuit per hoc, dies tam iudicatorios, quàm indicatiuos, qui sunt vltra vigesimam, sic vt vigesimus quartus sit indicatiuus loco quarti, & vigesimus septimus iudicatorius loco septimi: atque ita de aliis sequentibus, vsque ad quadragesimum. Sed vltra non est morbus acutus, sed solum procedemus per vigesimas: vt sexagesima, octuagesima, centesima, & centesimavigesima. In harum medio erunt indicatiui & iudicatorij debiles, vt quinquagesimus, septuagesimus, atque deinceps.

Continuatio clara est, nam in præcedenti dixit, quòd acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur, ostendit ergo etiam ante illum, quando possint iudicari, vtpote in septimo: Et quomodo post illum vsque ad quadragesimum, docens vno cursu medios esse horum indicatorios, & etiam vim inesse his diebus iudicandi mediam, non tantam quanta inest principalibus. Et reddit vnam rationem, quare acuti morbi ad quartumdecimum extendantur, eò vsque enim numerantur integris septimanis.

Hippocrates in Prognosticis inquit: Primus terminus febrium est quartus dies: secundus, septimus: tertius, vndecimus: quartus, est quartus decimus: quintus, decimusseptimus: sextus, est vigesimus, non possunt autem (inquit) hi dies per integros numerari, redditque causam, dicens: Neque enim annus neque menses integris diebus conficiuntur. Et hæc fuit opinio Hippocratis de causa

Cap.5. numeri dierum. Aliam assignat Galenus in tertio de Diebus iudicatoriis: & consistit in hoc, quod reuolutio lunæ fit in diebus viginti septem & octo horis: & reditus ad coniunctionem solis, in diebus viginti sex, & horis decem: quos circuitus cum coniunxerimus, fient dies quinquagintatres, & horæ decemocto, cuius spatij dimidium est dierum vigintisex, & horarum viginti & vnius: vt sit dimidium mensis, dies tredecim, horæ vndecim, & ita cadit crisis in quartamdecimam diem. Addatur rursus dimidium his, & fient dies viginti, horæque quatuor. Sed nec sic redit res ad dies viginti, sed transgreditur. Et præter id contrahit mensem dierum vigintinouem ad vigintisex, ea sola ratione quòd luna latitet sub sole tribus diebus. Neque ratio Fortunij Affaitati de mensibus profectionis solis, qui sunt tertiadecima pars totius anni, & sunt dierum vigintiocto cum duabus horis, satisfacit: cum dies vigesimus primus, non vigesimus, iudicatorius euadat. Propterea Hippocratis rationi manum dabimus.

Sed obiiciet quis, quòd Hippocrates sæpius in quinto & septimo Epidemiorum narrat, iudicatos fuisse in aliis diebus: vt in quinto de vxore Gorgiæ, quæ iudicata est in quadragesima prima die: & de Polycrate, in quintadecima, & in septimo de Pythodoro, in quinquagesimaprima: & de Eratolai filio, in septuagesimaprima. Et Hermoptolemus periit in quintadecima: & Fulloni in Syro, cui remisit febris in die decimaoctaua. Et ratio in omnibus est, quod computat primam diem, sicut & mos est plebeiis, appellant enim quintumdecimum diem, qui verè est quartusdecimus. Pag.2.10. Pag.1 2. Pag.7.16.

Cur ergo in reliquis ægrotis non facta est computatio à p[rima] die

APHORISMVS XXV.

AEstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ: & maximæ, quæ ad hyemem tendunt.

COMMENTARIVS.

COntinuatio per se clara est, postquam enim locutus est de acutis morbis, hic loquitur de longis. Et vult suo more ex vno exemplo à maiori, vt dicunt, ostendere rationem generalem: & est, Quartanæ æstiuæ breues sunt plerunque, quanto magis alij morbi, qui non sunt natura longi. Ratio triplex est, quoniam calor æstatis dissoluit humores, & ita facilius concoquuntur: secunda, quia transpirat magis corpus, & difflatur: tertia, Verisimile est gētium esse morbum ex humore eo tempore genito, sed in æstate generatur bilis, vt in libro de Natura humana, igitur verisimile est, atram bilem esse, ex qua sit quartana, factam ex flaua bile, & non quartanam factam ex melancholia simplici vel exusta: & ita erit breuis. Pag.5.

Pro quo sciendum, quòd quartana ex triplici humore fit: melancholia simplici adusta, & bili flaua adusta. Et quæ fit ex bili flaua, breuissima est: longissima, quæ ex

melancholia simplici, sed mitissima: pessima, ex melancholia exusta, sed non adeò longa. Dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum. Post pilorum defluuium quartana febris non vltra annum, id est, Cum decidunt pili, pituita salsa abundat, superueniens quartana casui pilorum, genita est ex humore liquidiore ac tenuiore, ideo non vltra annum extenditur. Est autem communis hic terminus quartanarum, vt habetur à Principe prima quarti, dicit: Si non contingat error, aliter perdurat quandoque vsque ad duodecim annos. Vtilitas breuitatis est: quoniam vt ibi Auicenna dicit, longa terminatur ad hydropem. Hanc breuitatem definit Hippocrates libro de Natura humana, dicens: Morbi qui æstate fiunt, hyeme finiuntur: qui autumno, vere: qui hyeme, per æstatem: qui vere, autumno, aliter ad annum perueniunt. Intelligit de morbis, qui vi temporis accidunt, ideò si contingunt ob calorem, desinunt superueniente frigore. Itaque erunt breues morbi, qui finientur in ipso autumno.

Sect. 6.

Tract. 2. Cap. 61.

Pag. 5.

Sed est difficultas, quia in Coacis prædictionibus inquit: Hybernæ febres quartanæ leuiter in acutos morbos transeunt. Si enim longæ sunt, quomodo transeunt in morbos acutos? Respondeo, quòd intelligit succedente æstate, non enim soluuntur à calore, sed corrumpitur earum materia. Quòd autem dixit Leuiter, intelligit, facili ex causa. Est autem præceptum generale, quòd morbi omnes æstiui, in hyeme incipientes, periculosi sunt in æstate: & econtrà. Sed dubitatur, quia infrà inquit: In morbis minus periclitantur ægrotantes, quorum morbus congruit tempori: sed quartana conuenit autumno. Tertia enim Aphorismorum, inter morbos autumni quartana numeratur. Si ergo esset longior, magis periclitarentur, quia periculum quartanæ, vt Princeps dixit, est in longitudine. Rursus calor naturalis est, qui concoquit, separat & excernit: & ille est imbecillior æstate, validus in hyeme, prima Aphorismorum, vt visum est: igitur morbi hyemales deberent esse breues? Respondemus, quòd calor aëris plus facit ad colliquationem, quàm naturalis ad concoctionem. Dictum verò secunda Aphorismorum intelligitur pari morbo, dato in magnitudine & longitudine.

Pag 6.

Aphor. 34.

Aphor. 22.

Hæc quidem clara sunt, verùm illa verba & maximè quæ ad hyemem tendunt, sunt obscura. Galenus ita interpretatur, quasi hyemalis quartana esset longissima. Donatus de Mutis in expositione pauculorum Aphorismorum dicit, quòd dictum hoc referri debet solùm ad morbos autumnales, non hyemales, aliter enim dixisset Hippocrates, scilicet Hyemales autem longissimæ. Præterea quartana non numeratur ab Hippocrate inter morbos hyemales, sed autumnales. Tertio dicit, Quartana est longissima, cum plurima atra bilis generatur. Sunt enim causæ longitudinis morbi, multitudo materiæ, crassities, lentor, & frigus aëris: sed plurima atra bilis generatur in autumno, vt suprà visum est, ergo quartana autumnalis est longior quàm hyemalis. Dicit etiam obseruasse, quod maximum est, quartanas hyemales vere finiri.

APHORISMVS XXVI.

Febrem conuulsioni melius est superuenire, quàm febri conuulsionem.

COMMENTARIVS.

Intelligere hic de quartanis continuato sermone quisque iudicabit, qui dictum illud. A quartanis capti non admodum conuulsionibus capiuntur, si verò capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. Cum ergo maximè vtile sit conuulsioni quartana capi, etiam omni alia febre capi conducit, vnde qui volet huius exquisitam expositionem, illud consideret dictum Hippocratis. Qui à conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. Si ergo conuulsionem tollit superueniens febris, & ægrum occidit conuulsio febri superueniens, manifestum est quod proponitur. Causa verò huius declaratur sexta Aphorismorum, cum dicitur: Conuulsio fit ex repletione & inanitione, ita verò & singultus. Nam conuulsio succedens febri, ob siccitatem plerunque aduenit, maximè si diuturnæ successerit, itaque perimit cum siccitas curam non admittat, præsertim adhuc sæuiente febre. At febris conuulsioni succedens ex repletione fieri solet, atque ob id soluere morbi causam. Quæ verò à repletione fit, tam conuulsio quàm distentio, ab ea quæ à siccitate dignoscitur, quod quæ à repletione statim fit, à siccitate plerunque sensim.

5. Aphor. 67.

4. Aphor. 57.

Sed nunquid omnes causas conuulsionis ibi enumerauerit, suo loco dicetur. Illud magis est ad propositum, quod cum dicat in libro de Iudicatione. Si à febre detentum conuulsio corripuerit, sedatur febris eadem die, aut postridie, aut tertia die. Id quomodo intelligendum sit, docet in Coacis prædictionibus dicens. Seniores septem annis in febre non corripiuntur conuulsione, sin minus, perniciosum est, id verò certo experimento verum esse deprehenditur. Puerulis enim febricitantibus conuulsio sæpè superuenit, quæ febrem soluit, sed maiore periculo, quàm priore. At adultis rarò ob febrem conuulsio superuenit, & si superuenerit, perniciosum est. Terminum autem hunc definit septimus annus. Ob hoc sanè dixit Hippocrates. Melius est non simpliciter hoc bonum, illud malum, quia & conuulsio, vt dixi, superuenire potest febri ob siccitatem, & tunc perimit, & ob materiam translatam, & tunc licet febris discedat, deterior tamen relinquitur dispositio, est enim crisis mali, ob hoc dixit, Melius, nam neque semper febris superueniens conuulsioni bona est, cum fieri possit vt ob dolores superueniat: ostendemus autem conuulsionem multum à distentione differre, distentionem verò vix vnquam fieri ab inanitione.

Vlt. verba.

Pag. 14. & in Progn. Pag. 10.

APHO

APHORISMVS XXVII.

HIs quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere: neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt: Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare & permanere consueuere.

COMMENTARIVS.

DIctio Quæ, referri potest ad signa & auxilia, κουφίζω autem, quod est alleuo potius ad auxilia videtur transferri: ego tamen magis credo Galeno, vt qui proprietatem Græcæ linguæ, in qua natus est, tenuit, vt pro signo, tum propter antecedentia intelligatur, vt sit sensus: His quæ præter rationem videntur alleuasse, signis non est fidendum. Quod & confirmant sequentia verba: Huius exemplum locupletissimum habetis de Hermocrate, cum inquit: Circa vndecimam omnia visa sunt alleuata esse: sopor cœpit. Et rursus: Decimaquarta à febre liber non sudauit: dormuit: intelligebat omnia. Et iterum vigesima die iudicatus est, à febre liber, non sudauit. Et tamen paulo pòst, id est vigesimaseptima die periit, huiusmodi signa in vtramque partem Galenus tum hic tum alibi solet infida appellare. Qua ratione autem continuetur præcedentibus, clarum est, nam cum locutus sit de signis, & in posterum dicturus sit, ea signa quæ inutilia sunt reiicit.

1. Epid. Secun. 1. ægro 2.

Animaduertendum est, quòd in bonis dicit absolutè non esse fidendum, in malis autem non hoc simpliciter profert: quoniam nec sic sunt negligenda, quandoquidem latitare aliquid potest, cuius meritò mortem afferant. Similiter dixit: Plurima enim talia stabilia non sunt, quasi dicat: Si stabilia sint, & diu permaneant, non sunt paruifacienda. Sed an hoc intelligat etiam de bonis signis, an solum de malis, scilicet quod non debeant nobis fidem facere, propterea quòd stabilia esse non soleant, ne frustra culpemus Hippocratem, de vtrisque dicta illa existimemus.

Cæterùm hic Aphorismus non solùm ad prædictionem, sed etiam curationem pertinebit, monet enim nos, ne mutata ratione victus, propter signum parum constans, ægrum perdamus.

Pag. 12.

Verùm conducet hic forsan declarare, an quod dixi in Coacis prædictionibus: Qui morbi in malis signis leuantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles sunt: de his intelligatur signis, quæ nuper diximus? ibi autem plurima talia commemorat, vt sit hic pro exemplo locus ille. Et respondeo, quòd sic: nam alleuant illa, & non secundum rationem, cum sint mala signa: illa non remittunt, cum sint bona, non tamen ab his dicit timendum est.

APHORISMVS XXVIII.

FEbricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui: vel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.

COMMENTARIVS.

POstquam nos docuit, non debere infidis signis in vtramuis partem fidere, solidum & maximè fidum signum, admirabileque docet. Est autem Aphorismorum nobilissimus, ob quatuor causas: difficultatem summam, sensus dignitatem, exponentium cæcitatem, qui nihil in eo declarando sani commemorant: demum quòd Galenus quinquies in hoc Aphorismo perperam accusat Hippocratem. Additur ratio vtrique dicto, Febricitantes non omnino leuiter, si non minuantur, signum est longitudinis morbi: si nimium, significat virium imbecillitatem: igitur vtrunque est malum. Vt verò videamus quomodo ex vno morbi longitudo, ex altero imbecillitas virium indicetur, videndum est prius ad quam partem referatur, non omnino leuiter: & vult Galenus, quod tam ad plusquam ratio postulat contabescere, quàm ad nihil minui, nam ad nihil minui iustè refertur, quoniam si leuissimè quis ægrotet, maximè in hyeme, non est mirum si corpus non minuatur: ad id verò plusquam ratio postulat, quoniam si leuissima sit febris, etiam quòd plus iusto contabescat, accidet alia causa, vt periculosum minimè sit. Sed & per Non omnino leuiter, potest intelligi mediocriter & magna: sed in magna febre etiam est absurdum, plusquam ratio postulat, contabescere, scilicet habita ratione temporis, morbi, ætatis, temperaturæ, qualitatis victus, auxiliorum & fortuitorum. Ratio autem talis est: Si non exoluitur corporis moles, signum est humores esse crassos, & corporis habitum densum, igitur cum ab his morbi longitudo proueniat, clarum est quòd dicitur: Si nimis iusto exoluitur, signum est tenuitatis humorum & raritatis substantiæ corporis, quamobrem difflata magna quantitate humorum, necessariò corpus redditur imbecille, & ita patet veritas Aphorismi.

Primò accusatur Hippocrates in eo, quod videtur innuere colliquationem maiorem in non omnino leuibus morbis esse malam: imò dicit Galenus, etiam in leuissimis. Respondeo quòd non, quia si contingat in leuissimo morbo, non est mala, propter duas causas, primùm, quia non arguit prauitatem morbi, & etiam quia non affert periculum mortis, hoc autem est quod Hippocrates malum vocat, propriè enim mali significato in Medicina vtitur.

Secundò accusatur, quòd verba illa (Plusquam ratio postulat) non attribuat tam his

(Permanere

(Permanere corpus) quàm etiam illi (contabescere) vt velit sic legi: Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus plusquam ratio postulat, vel contabescere, malum. Hîc nolim damnare Galenum, quia credo in textu defuisse (Nihil minui) nam si adfuissent, cum illa supplerent vices eorum (Plusquam ratio postulat) non erat in quo accusaret adeò absurdè Hippocratem.

Tertia accusatio est in verbo συντήκεσθαι, à συντήκω, quod significat colliquesco, absumo, tabesco: sed in significatione passiua. Dicit non id, sed extenuari significauit. Sed quid prohibuit Hippocratem, ne verbo ἰσχναίνω vsus sit, si hoc voluit, nec vt Galenus ait, συντήκω abuteretur? an forsan ἰσχναίνω antiquum non fuit? aut aliud quo extenuari significaretur? Sed extenuari dicimus carnem & pinguedinem: colliquescere verò, cum vltrà tabescunt, nam extenuari plus iusto, non adeò malum est.

Quartò accusatur, quòd non adiecerit aut declarauerit quid sit hoc (Plusquam ratio postulat) eúmque excusat dicens, ob breuitatem omisisse. Demiror quonam pacto voluerit Hippocratem hoc præfinire, quod ad sensum attinet, nam si de genere rei loquitur, magnitudinem & consuetudinem in omnibus perpendi iubet.

Vltimò ait, Hippocratem existimasse omnem consumptionem plus iusto fieri ob virium imbecillitatem: sed dicit, non ita est, fit enim quandoque ob humorum tenuitatem, & habitus raritatem. Itàque illum arguit, quòd hanc causam omiserit. Sed demiror de

12. Artis Cur. cap. 6.

Galeno, qui non memor sit huiusmodi habitus semper, dum febre laborant, cum imbecillibus viribus coniunxisse. Quamobrem, etiam si ab initio hic habitus potuisset esse cum robore virium: vbi iam corpus consumptum est, est cum earum imbecillitate.

Pag. 17.

Quæ ergo extenuant corpus, sunt: agitatio, vnde in libro de Ratione victus in acutis, iubetur vt ægri decumbant, nec se iactent. Quæcunque etiam calida & sicca magis resoluunt non solùm corpus, sed & vires, vt regio, aër, cibus: calida verò, & humida, & mollia, magis resoluuntur.

Pag. 1.

Huc meritò referri debent Hippocratis verba in libro Prognosticorum: Nasus acutus, oculi caui, tempora collapsa, aures frigidæ & contractæ, & earum extremitates conuersæ, & cutis circa frontem dura, circumtensa & arida, & totius faciei color pallidus aut niger, vel etiam liuidus aut plumbeus. Hic patet non de sola extenuatione loqui Hippocratem, sed aliquid plus insinuasse. Hæc autem arefactio in facie ob id deterius est signum, quàm in reliquis corporis partibus quòd facies, vt in sexto Epidemiorum ait, bona in magnis morbis bonum sit signum: & in paruis mala, malum. Non enim tam facile expugnatur faciei decor, carnosior enim est facies, deficientibus neruis, vt in libro de Locis in homine: vt constet, non de

Pag. 3.

imbecillitate secus locutum esse Hippocratem, quàm de morbi longitudine, scilicet vt signum est, non autem causa.

APHORISMVS XXIX.

CVm morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue: cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere.

COMMENTARIVS.

POstquam Hippocrates locutus est de signis generalibus, hic loquitur de propriis, admonens nos de natura temporum morborum, & est, ac si diceret: Extrema morborum sunt leuia, media autem valida, & hoc demonstratur ex ipsa natura morbi, nam si ex initio crescit & augetur, & declinatio est morbi remissio, ergo initia & fines morborum sunt mitiora: Vigor autem validior est, & sæuior. Propterea rectè & meritò hic Aphorismus cum sequenti coniungitur. Sed in hoc admonet nos vnius maximi præcepti & generalis, tum specialis: speciale quidem est, quod inchoantibus morbis debemus, si expedit, mouere: quoniam in vigore quiescere oportet. Præceptum autem generale est, cum natura mouet, tu quiesce: cum est quieta, tunc tempus est mouendi. Mouere intelligimus tribus modis. Euacuare, & hoc dupliciter, venæ sectione & purgatione: Deriuare seu transponere, & Auertere. Consentit, quod dicit quarta Aphoris- 10.
morum: Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die, tardare enim in talibus, malum est. Et in prima: In acutis passioni- *Aphor. 24.*
bus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti: & hoc cum præmeditatione faciendum. Et de venæ sectione, in libro de Ratione victus in acutis. Ratio horum om- *Pag. 16.*
nium est, quod neque purgatione, neque venæ sectione quicquam educitur peccantis humoris, neque enim vllus æger moreretur: sed venæ sectio prohibet putredinem peruagari.

Supersunt duo dubia: Cur non liceat ergo mittere sanguinem in morbi declinatione? & an in incremento? Ergo omnis euacuatio (vt ibi docebat Hippocrates) fit ob magnitudinem morbi, aut præsentis, aut futuri: in declinatione neutrum adest: igitur euacuatio non illi debetur, in principio debetur, ob futuri morbi in statu magnitudinem. Purgatio autem in declinatione debetur ob eandem causam, non tamen sectio venæ: quoniam iam quod potuit corrumpi sanguinis, corruptum est. In incremento autem debetur, si morbus nondum magnus est, & tamen futurus est: minus tamen quàm in principio, cum minor est. Liquet autem medicos nostri temporis maximè mouere, cum maximè morbus sæuit, quare cum minimè, mouere debent. Causa autem quare non debes mouere in vigore, est duplex. Prima, quoniam tunc maximè febris sæuit, & vires sunt imbecilles, ideo dixit in libro de Purgantibus medicamentis, *Non sunt in febribus vehe-* *Pag. 2.*
mentibus danda medicamenta, nisi cum febris remiserit. Secunda, quia posses impedire

naturæ motum eo tempore, sed hanc causam non considerat nunc Hippocrates. Ista sententia scribitur in libro de Locis in homine: morbos à principio curare oportet: Et si quidem à fluxionibus fiunt, primùm fluxiones sedare: si verò ab alia causa, principium morbi sedare ac curare. Sed obiicies ex Septimo Epidemiorum: Ventres subpurgandi sunt in morbis, vbi purganda matura fuerint: inferni quidem, vbi concedisse videris: signum habes, si non anxij fuerint, nec capite grauati, & cum calores mitissimi: & cum post exacerbationes cessarint, supernè verò in ipsis exacerbationibus, tunc enim & hi eleuantur, quum anxij & grauati supernis partibus fuerint. Propterea verò in principiis purgandum non est, quoniam his temporibus sua sponte expurgantur. Et hoc idem de purgatione per superiora dixit in libro de Veratri vsu. Eratolai quoque filio purgatio in statu ex copioso lacte asinino multum contulit, septimo Epidemiorum, adeò quòd sanatus est Mnesianacti: etiam veratrum datum fuit, & vena secta, sæuiente morbo: & cleocho veratrum bis in incremento & statu, ibidem: & vterque sanatus est. Aliis etiam in locis, in statu per inferna veratro vtiliter purgat. Ideo fieri potest, vt status prioris morbi, sit initium abscessus in cerebro, vel pulmone, vel sub latere: & tunc purgare licet, & venam secare, vt hoc non te lateat. Sed his in locis per superiora purgauit. Quod verò dicit Hippocrates, de veratri purgantis per superiora exhibitione, intelligit, vbi duo adsint: repletio ventriculi, & motus ad vomitum, vel saltem facilitas, hoc enim non intelligit per mouere, vt neque per clysterem feces educere, melius autem ista fiunt status tempore, quia materia magis obedit: quamobrem in initio non adeò iuuat, quoniam materia non educitur: in statu autem Hippocrates magis veretur noxam ne trahatur ad venas, quàm quòd intempestiuè educatur.

Pag. 13. Pag. 14. Pag. 3. Pag. 12.

APHORISMVS XXX.

Circa initia & fines omnia imbecilliora: cum verò consistunt, validiora.

COMMENTARIVS.

Reddit rationem præcedentis dicti: Natura non debet grauari duobus vehementibus casibus: sed motus est res valida, & dum consistunt morbi, natura grauatur ab essentia illorum, tum etiam persæpe symptomatum: igitur non debemus eo tempore mouere. Vnde patet, quòd loquitur de motu graui, non autem quocunque vt dixi antea. Vnde non de clysteri, nec leui vomitu aut frictione. Et etiam quòd hæc regula conuenit omnibus vehementibus motibus conduplicatis, vtpote quod non debemus eadem die sanguinem multum mittere, & purgare vehementer, nec bis purgare, nec copiosum sanguinem mittere ex duabus diuersis partibus.

Vtrum verò in vigore causa morbi sit validior? Galenus in sanabili hoc negat, at Hippocrates dicit Omnia, id est morbi symptomata, causæ. Hoc est quod Galenus non animaduertit, quod in vigore materia perfectè concoquitur, non autem est perfectè concocta: hoc enim pertinet ad declinationem, est tamen mitior illa materia in sanandis. Sed aliud est dicere morbum aut causam, aut symptoma esse mitiora aliud minora. Dolor enim ventriculi aut iecoris, incipiente abscessu, minor est colica ex fecibus orta non lethali: nec tamen est mitior morbus, sed sæuior. Ergo & causa & morbus, & omnia quæ sunt præter naturam, maiora sunt semper in statu, vt rectè dixit Hippocrates.

Virium autem (quanquam hæc sint parerga) ea quæ in cerebro est, & ab ipso diffunditur, prima redditur debilior: & magis manifestè quæ mouet, quàm quæ cognoscit aut sentit: vitalis autem, parum aut nihil variat: naturalis, si ad proportionem conferatur, perpetuò fit validior, eius enim robur ex excrementis cognoscitur, vrinis, egestionibus, sputis, pure, quæ in dies fiunt meliora. Simpliciter autem plus illa debilitatur, quàm vlla aliarum, nam ægri vbi conualuerint, nullam maiorem noxam sentiunt, quàm quod cibos vix concoquunt, & maximè in ventriculo, quia membrum est exangue. Cor enim & iecur cum sint carnosa vehementer & calida & sanguinea, & principia, vix læduntur. Et si lædantur, non est leue periculum ob id, etiam ex minima noxa. Itaque solent consulere medici, vt à morbis ventriculus tum intus tum extrà muniatur. Galenus suo more admonet simpliciter de Animali, quam vocat, facultate, occasionem potius errandi præbens, quàm docens, nec hoc dixi, vt illum arguam: sed vt legentes admonerem, ne in hac tanta insolita breuitate rei tam necessariæ scitu periclitarentur. Comm. 2. Aphor.

Sed quid dicemus de morbis qui minuuntur, de quibus Hippocrates in primo de Morbis, velut est genus sanguineæ febris? huiusmodi enim statim post initium minui incipit. Sed sensus Hippocratis est de morbo, qui vnus consistit, qui enim ab initio minui incipiunt, non sunt iidem morbi: sed pars parti succrescit, velut in flumine, cuius aquæ portio effluit, alia subingrediente. Pag. 3.

APHORISMVS XXXI.

Eius qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus malum.

COMMENTARIVS.

Qvòd Galenus hunc Aphorismum velit octauo adiici, leue crimen obiicit Hippocrati: sed quod ex eo sequitur, multum obest opinioni de Hippocrate, nam cum ibi dixisset: Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur, signum est quod corpus pluri alimento vtitur: hic verò repetens, & sui oblitus dicat, esse malum, hoc non conuenit,

conuenit, multum enim differunt error & signum malum. Sed discrimen est, quoniam hic præsupponit, quòd bene cibetur, quare non potest causa esse, quòd non restauretur cibi nimia copia, neque paucitas. Ergo si non restauratur corpus, hoc est malum signum. Non autem hoc intendit Hippocrates, sed sequentis Aphorismi conclusionem. Vnde hoc maius est & deterius, nihil proficere quàm non corroborari, non corroborari enim, necessariò non est malum: sed nihil proficere nec viribus, nec carne, nec colore, quæ tria in morbis deperire solent, hoc malum est. Est ergo sensus hic: Si quis conualescens rectè cibetur, nec quicquam proficiat, malum. Quale autem malum, nunc subiicit: scilicet, quod postmodum eò deueniunt, vt non appetant. Proponit autem Galenus duas causas non proficiendi: humorum prauitatem, & hoc rectè, & ad Hippocratis mentem, vt ex sequentibus verbis patet: & imbecillitatem virium. Hoc non animaduertit falsum esse, imbecillitas enim tanta, quæ cum recta cibatione non proficit, quis non videt, ad sanitatem eam non spectare, sed esse mortis futuræ certam causam? Causa ergo mali est, corruptio in humoribus, vt primo de Diæta: Quodcunque maius est atque potentius, trahit ad se quod est imbecillius: *Pag. 4.* ideo si humores corrupti sunt, adeò augentur, vt postmodum cibum efficiant iniucundum, vt quarto de Morbis, vbi etiam docet, *Pag. 8.* quòd ob id fiunt corpora magis gracilia, quia ob prauos humores cibi non vincuntur, ideo plus secedit quàm ingeratur. Ergo tam octauo Aphorismo, quàm ei qui dicit, Non *10.* pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, iungi potest. Sed vtcunque sit, propter sequentem potius scriptus esse videtur.

APHORISMVS XXXII.

OMnes ferè qui malè se habent, circa initia bene cibati, nec quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt. Qui verò circa initia cibum valde non appetunt, postea bene appetentes, hi melius euadunt.

COMMENTARIVS.

ERgo vult ostendere, quædam esse ab initio deteriora, quæ in melius melioribus finiant: & rursus quòd deterior sit leuis affectio ingrauescens, graui in melius tendente. Docet tertiò quorsum tendat appetitus bonus, cum corpus non proficit: scilicet vt postmodum non appetat. Causam explicat Galenus in Commento, & rectè, sed oblitus alterius causæ perperam adductæ. Quia ergo non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, aucta impuritate, & humorum corruptione, tandem eò ventum erit, vt quod malum aderat, scilicet non nutriri, maneat: quod verò boni erat, scilicet appetere, pereat. Huius autem duo egregia inter reliqua Hippocrates apposuit exempla, Cleanactidem primo Epidemiorum: qui cum *Sextus æger.* circa trigesimam diem bene appeteret, vix octuagesima iudicatus est, aderant enim cum ea appetentia, signa tamen prauórum humorum in vrinis, & reliquis. Et in tertio eiusdem de Pario, qui circa quadragesimam *Sect. 3. æger primus.* diem abhorruit cibum: & quia malis vsus est cum hoc cibis, itaque centesimanigesima die mortuus est. Vt intelligamus, nō appetere cibum, malum esse signum: vt appetere semper, bonum: non tamen tantum prodesse signi bonitatem, ob id quòd causa sit mali effectus, scilicet nutriendi copiosius ægrum quàm expediat: nec tantum obesse signum malum non appetendi, quantum prodest vsus abstinentiæ ex deiecta appetentia consequens. Cum verò & non appetere & assumere, & præsertim malos cibos, simul iunguntur, tunc hoc pessimum est. Per id autem intelligimus, non solùm non proficere malum esse signum, sed etiam perseuerare alia mala signa in vrina, in egestionibus & vigilia, & causam esse vt copiosè nutriendo res cedat in deterius. Sed hoc non adeò malum est, vt est non proficere: quandoquidem proficere in melius, peculiaris sit vtilitas bene appetentis, & cibum recta ratione sumentis.

Qui verò circa initia. Docet, quòd etsi tales non appetant, quia mali humores prope ventriculum sint, tamen pauci, aliter non potuisset subiungere (postea bene appetentes) consumptis his humoribus sensim hi melius euadunt. Ex quo collige quartam regulam, Quòd melius est habere paucos humores noxios in loco præstantiore, quàm multos in remotiore: vt plus faciat multitudo, quàm locus. Nam qui habet plures humores, procul à ventriculo in deterius labetur: qui paucos, iuxta ventriculum in melius proficiet, sed hoc forsan non est per se, sed quia impediendo assumptionem cibi, consumuntur à calore naturali. Verba illa ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, declarant ambiguitatem ex versione, Valde non appetunt: quod maius est, quàm non valde appetunt.

APHORISMVS XXXIII.

IN quouis morbo mente constare & bene se habere, ad ea quæ offeruntur bonum: contrarium verò, malum.

COMMENTARIVS.

COntinuationem huius Aphorismi cum præcedenti, manifestam esse liquet, nam cum in præcedenti prætulisset inappetentiam ipsi appetentiæ, facilè quis coniectari potuisset, inappetentiam, vt ita dicam, esse bonam, & appetentiam malam. Dicit ergo, quòd appetere cibos per se semper est bonum, & contrarium malum: vt intelligamus quod dixerat in præcedenti Aphorismo, contingere solùm ratione subsequentium,

non

non autem signi. Ergo demonstratio huius est, mente constare, ostendit aut robur facultatis principalis in cerebro, aut cerebrum non affici multùm, bene appetere sanitatem ventriculi & iecoris, ab his enim duobus membris fit appetentia, aut saltem robur facultatis, sed non lædi ventriculum, iecur nec cerebrum: aut si lædantur, ob robur non vinci, bonum est signum, igitur patet Hippocratis sententia. Quæ eodem modo amplificari potest de leuitate corporis: ac pulsu, At omnes facultates simul comprehendas.

Eorum qui vtroque bono signo caruerunt, neminem sanatum prodidit Hippocrates, nam in prima constitutione tertij Epidemiorum, Hermocrates, qui & delirauit, & cibum fastidiebat, mortuus est in vigesimaseptima. Et Euryanactis filia in decimaseptima: in tertia verò pestilenti constitutione Parius, in centesimavigesima: & puerpera in Thaso, octuagesima. In quibusdam vnum adfuit, aliud non: velut Pythodoro, septimo Epidemiorum, qui cibos & sorbitiones assumebat, nihilominus per somnum (dicit) delyrabat & excitatus vix ipse sui ipsius (inquit) erat. Senatus tamen est: quoniam, vt dixi, nec à somno delyrabat: nec de yrium dici potest, quod per somnum contingit, sed & ibidem Eratolai filius conualuit, quamuis leuiter delyraret, quia cibum appetebat: delyrium autem potius obliuio dici debuit. Sanati sunt serò: hic septuagesimaprima die, ille autem quinquagesimaprima. Cydis autem filius, tametsi cibos appeteret, quia tamen vehementer delyrauit, paulo post vigesimam diem mortuus est. Aliud exemplum ponitur in Hermoptolemi vxore, quæ vehementer appetebat, delyrabat autem grauiter, quæ & ipsa mortua est: quoniam non bene se ad ea quæ offerebantur habebat, sed furiosè illa deuorabat.

1. Languens. 6. Languens. 1. Languens. Pag. 1. Pag. 2. Pag. 3. Pag. 5.

Ergo his intellectis, si duo hæc signa non pariter procedant, ita distinguendum est. Delyrium non adeò res perpetua est, vt appetentia vel fastidium: vbi autem fit continuum vt illa deterius est signum, quàm inappetentia, & plus potest quàm appetentia, occidit enim continuum delyrium in febre. Prætetea delyrium in acutis, vel mentis constantia, plus possunt quàm appetentia vel fastidium, plerique enim in acutis ad statum vsque, propter materiam quæ circa, os ventriculi est, vel ob calorem, cibum fastidiunt, & tamen sanantur. In diuturnis autem morbis plus significant appetentia & fastidium, quàm mentis constantia vel delyrium. Delyrium etiam per se maius est quàm fastidium cibi, quod etiam sanis multis est familiare. Appetentia quoque & inappetentia non eodem modo se habet, vt delyrium & constantia mentis, nam etsi delyrare deterius sit quàm cibum fastidire, non tamen non delyrare melius est quàm appetere, hoc enim melius est, quàm mente constare. Nec eodem modo in ætatibus. delyrium enim in iuuenibus & senibus longè magis deterius est fastidio: in pueris multo deterius est fastidium cibi, quàm mentis motio.

Demum bene appetere, aliud longè est, quàm vehementer. Primum est, cum consuetos cibos appetunt, & oblatos moderatè recipiunt. Secundum, cum non appetunt quidem, sed oblatis vtuntur tamen. tertium est, cum appetunt, sed præsentes respuunt. Quartum, quod pessimum est, cum non appetunt, & oblatos degustare non possunt. Hoc autem deterius est, quàm si nauseam commoueant, hoc enim ventriculi solum vitium est, illud plerunque iecoris. Non appetere autem consuetos cibos, & malos, etiam minus malum est, quàm prorsus non appetere.

APHORISMVS XXXIV.

IN morbis minus periclitantur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui aut tempori magis congruit morbus quàm quibus secundum nihil istorum congruit.

COMMENTARIVS.

RAtio huius dicti est, morbi minus perniciosi sunt, quorum causæ minores sunt, nam, vt vidimus suprà, cura fit per causæ ablationem: sed morbi consimiles naturæ vel ætati vel aliis à minori causa fiunt, quoniam facilis est generatio cuiusque in similibus, libro de Natura humana: igitur morbi geniti in similibus minus periculosi sunt, quàm geniti in non similibus. Amplificatur autem ad alias extendendo causas, quæ possunt efficere morborum causas aut repugnare illarum generationi: vt regionem, aërem, victus rationem, ac huiusmodi. Secundò, quòd morbi geniti in contrariis principiis suis causis sunt longè aliis deteriores. Tertiò, quod non solùm hi morbi sunt periculosiores ad mortem, sed serius & maiore cum difficultate sanantur, & maioribus indigent auxiliis. Si quem delectat videre amplificationem huius Aphorismi, legat illum in secundo Prorrhetici, In acutis biliosis albicantes, cum Galeni expositione. *Aphor. 22.* *Pap. 5.* *Com. 18.*

Continuatio ad præcedentia est, quoniam cum docuisset signa sumpta ab operationibus naturalibus in præcedenti: hic docet signa sumpta à comparatione morbi ad res naturales. Illud autem accidit Galeno in huius Aphorismi explicatione, quod ego in fabula de Ebulo narraui in secundo fabularum. Ferunt enim eam esse naturam ebuli, vt si decocto stipitum & radicum illius crura lauentur dolentia, leuet dolorem lotio illa: sin autem sana, dolorem inferat, sic Galenus his in libris passim sugillat vel tacitè vel apertè Hippocratem, credo quòd ab aliis defenderetur: in hoc autem Aphorismo illum non semel tuetur, quia à cæteris per calumniam accusetur. Præclarè igitur toto hoc volumine fecisset Galenus, si morem hunc huius commenti, potius quàm aliorum sequi maluisset. Sed homines sumus, qui quidem & lucrum & ambitionem & gloriam amamus, etiam nimio plusquam deceat: laborem vt mortalibus inimicum, auidè refugimus. Sed ad rem. *Fab. 28.*

Supra Aphor.22. Primum argumentum fuit hoc, Contraria contrariis curantur, sed in morbis, factis in contrariis naturæ dispositionibus, aut temporis, habemus naturam aut tempus pro auxilio: velut in tertiana hyemali, hyemis frigus: & in quartana æstiua, calorem æstatis, vt superius visum est. Respondet Galenus duobus modis. Primum, quòd licet naturalis dispositio aduersetur causæ, tamen causa est maior: vt pote causa tertianam faciens, maior est hyeme quàm æstate. Et ideo licet hyems adiuuet ad tollendum causam, quia tamen causa est iam, & tollere causam in actione consistit, ideo deterior est tertiana hyemalis æstiua. Quod etiam secundo modo respondendo confirmat, scilicet quòd experientia deprehensum sit, ardentes febres in hyeme periculosiores esse, quàm in æstate. Addit aliud, quod etsi verum sit, inter tot tamen causas quæ assignari possunt, soli tempori conuenit: scilicet quòd mutato tempore, tales securiores sunt: & ratione signi, quòd à leuiore causa morbus factus sit: & causæ, quoniam mutato in contrarium tempore facilius curetur. Sed hoc est omnino extra Hippocratis considerationem, nam tertiana facta in æstate, non transit ad hyemem, sed finitur in æstate: & si non finiatur in æstate, finietur in autumno, non in hyeme. Et vt breuiter dicam, mens Hippocratis est, quoniam morbus in contraria dispositione imprimitur, à vehementiore causa, & etiam difficiliorem efficit morbum, vtpote ex contrariis mistum, vt tertiana in hyeme: adest enim vtrumque contrarium simul, à quibus maximè natura affligitur. Ideo ad primum hoc Dioclis argumentum ex libro de septimanis dico, quod morbi multi periculosiores, citius tamen sanantur, nec est quod ostendam hoc, cum tritum sit: vt febris ardens splenis tumore. Hoc ergo voluit Hippocrates solùm, quòd morbi in statu consimili sint minus periculosi, quia natura minore incommodo perfert.

Secundum illius argumentum erat, quòd grauedines & raucedines in valde senibus non maturantur: & tamen morbi illi congruunt ætati senili. *Infra Aph 40.* Respondet Galenus, quòd idem non est difficilius sanari & occidere: & quòd dixit in valde senibus, non simpliciter senibus. Sed clarum est, quòd si non maturantur, quòd sunt periculosiores, & quòd sunt morbi valde senum. Ideo non maturantur in senibus, ob naturæ similitudinem: sed quoniam ætas ipsa est ad omnes morbos imbecillis, nam & ab acutis maius incurrunt periculum, vt etiam Galenus testatur primo Aphorismorum. *Com.14. Sect.1.*

Tertium est, quod Hippocrates primo Epidemiorum inquit: Multis qui ambigui erant, tunc tabes confirmata est: quibusdam verò primùm cœpit, & his natura ad tabem vergebat, moriebantur autem multi, & plurimi ex his. Si igitur plurimi moriebantur ex tabe, quorum natura erat tabifica, verum non est generaliter dictum Hippocratis. *3.Aphor.2.* Ad hoc respondet Galenus, per naturam debere intelligi temperaturam, iuxta illud: Naturam hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem benè maleve se habent, non de compositione. Sed fallitur, quia in sexto eiusdem dicit, quòd natura parati ad tabem, facilius in eam incidunt, & facilius sanantur. *Sect.7. [illegible] solutione 3.Aphor.[illegible]*

At dices: Quid de quartana, quæ morbus est autumnalis, vt superius visum est, est tamen longior: & quo longior, eo periculosior? *Aphor.25.* Dico, quòd hoc est generali ratione omnium morborum, non autem speciali, & ideo quartana autumni minus longa est comparatione quartanæ æstiuæ, quàm tertiana autumnalis notha, in comparatione alterius consimilis æstiuæ. Eadem ratione dicemus, quòd tubercula in immundo corpore periculosiora sunt quàm in puro, vt superius visum est: non quia tubercula, sed quia singuli morbi. *Aphor.25.* Eodem modo dicemus de febre, de conuulsione ex siccitate, quamuis nerui natura sicci sint, omnes enim morbi sicci difficiliores.

APHORISMVS XXXV.

IN quouis morbo partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est: multum verò extenuari & colliquescere, prauum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum.

COMMENTARIVS.

CVm dicit, In quouis morbo, vt hic: & in superiore, In quouis morbo mente constare: non solùm ad ægrotantes omnes, sed etiam sanos extenditur Aphorismi edictum. Neque enim vniuersis ægrotantibus quicquam commune esse potest quod etiam sanis non sit, præter operationum offensam. Si igitur ita est, non solùm ægrotantibus, sed & sanis conueniet, & vtile etiam erit, eas partes habere crassiores. Continuatur autem ex qualitate rerum naturalium generaliter considerata: cum antea res naturales ad singulos morbos comparasset.

Inquit ergo, quòd in quibusuis morbis partes ventris melius est vt sint crassæ, quàm tenues, hoc explicatur ex parte in Prognosticis: *Pag.1.* Præcordium optimum est, quod doloris est expers, æquale & molle. Quod enim extenuatur, neque molle est, sed asperum & tensum, & plerunque etiam inæquale. Galenus pulchrè diuidit ventrem in tria, scilicet hypochondrium, id est partem quæ subiacet χόνδρῳ id est, ensiformi cartilagini, & partes ad vmbilicum, & ἦτρον. Quòd si in quinque, forsan distinctè magis, præcordia quæ à lateribus hypochondrij (quanquam etiam eo nomine significentur) & ilia, à lateribus vmbilici & imi ventris, sic enim distinctè poterimus vnamquanque partem nominare, vt in Anatomia docuimus. Exponit ergo Galenus de causa, non de signo. Extenuatæ enim partes illæ & coctionem debilem edunt, atque hoc de naturæ opere, & purgationibus ineptæ sunt, at de his dicemus. Verùm Hippocrates de signis solùm loquitur,

loquitur, nam de causa nos admonet, quotiescunque egreditur semitam atque ordinem, vt hic (sed & hoc quoque, &c.) Ergo si de signis loquitur, docendum est quomodo id sit intelligendum. Extenuari ergo partes ad vmbilicum & imum ventrem, contingit vehemens ob ardentium febrium perseuerantiam, partes enim epigastrij obductæ pinguedine, si debent extenuari, necesse est calorem feruidum ibi subesse, ac diu manere, ex quo hectica vt plurimùm consequi solet, itémque cum is calor vehementior sit circa cor, verendum est ne vel hecticam gignat, vel consumptis spiritibus hominem perimat. Melius itaque Galeno fuisset id quærere, quod experimento deprehenditur, quódque Hippocrates animaduertit, ob ídque prætermisit hypochondrij consumptionem, quæ rarò accidit in ægris, sicut inferiorum partium ventris frequenter: cur id accidat, cum calor non minus vehementer infestet hypochondria quàm ὀμφαλον καὶ ἦτρον? Et mihi sanè videtur, quod cum ab vmbilico infra solida quædam moles ex intestinis subiiciatur, in quibus etsi aliquid inane sit, tamen totum spacium completur: pars verò epigastrij carnosior quàm in hypochondrio, calor febrilis tamen ibi magis sæuit, humoréque in mesaræo sparsi fouent illum, ideò è regione illa maxima fit colliquatio, at hypochondrio toti subest ventriculus, qui vacuus inane spatium multum relinquit, plenus autem frigidior est atque humidior: vnde hypochondrum supercalefacere nullo tempore, neque exiccare potest, tum verò & pars superior minus naturaliter pinguis, sed neruosa quasi, vt in quam desinant initia musculorum, aut fines inchoent, vnde adeò extenuari nequeunt, vt infrà positæ partes: siquidem vmbilici è regione, ventriculi imum finitur. Et ne generaliter dicam, non absumuntur nisi humores, humores autem in mesaræo, mesaræum autem non altius protenditur: vnde non adeò colliquescere partes superiores possunt, vt inferiores. Scire autem oportet, humores qui ibi continentur, magno auxilio naturæ esse. Est enim locus ille quasi penu naturæ.

Sed & hoc proponit, vt dictum est, partem ad curationem pertinentem, scilicet periculosum esse in huiusmodi extenuatione purgare per inferna: de superiore non dicit, quid enim attinet vnum alteri? Sed bene cauere oporteret, vbi superior pars esset colliquata, ne ad vomitum cogeremus.

Sed neque Galenus explicat, cur periculosum sit extenuato inferiore ventre purgare: sed idem per idem fermè exponit, quòd oporteat scilicet ea membra esse robusta. Ergo medicamentum, cum ad intestina humores duxerit, si non calore externi hypogastrij crassi foueantur, illi resident diutius, & dolores mouent & erodunt, & intemperiem gignunt: non quòd robur musculis sit necessarium, quod minimum hoc in casu sufficit. Vnde etiam vsus edocuit, vt fatigante medicamento ægrum ob dolores, quod inuiti quasi prodeant humores, solet ea pars calidis linteis vtiliter foueri.

APHORISMVS XXXVI.

QVi salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati, citò exoluuntur: & qui prauo vtuntur cibo.

COMMENTARIVS.

QVi putant Hippocratem non continuasse hos Aphorismos, considerent solùm longè petitam hanc continuationem huius Aphorismi ad præcedentem, nam cum in illo locutus esset, ordinem seruans de signis, hic de curatione, in præcedenti attexuit secundam partem primæ, vnum conficiens Aphorismum, atque hunc ipsum illi secundæ parti. Vt sit sensus: Extenuatio ventris inferioris obnoxia est purgationibus, sed & qui sano sunt corpore, & qui prauis vtuntur cibis, si per medicamenta euacuentur, citò exoluuntur, ideo, supple, in his omnibus medicamenta quantum fieri potest sunt deuitanda. Demonstratio ostendit sensum Aphorismi talem: Qui sani sunt repugnante medicamento citò exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo, sed enim in vtrisque dissoluuntur vires: his quidem ob humorum prauitatem, qui ex prauo gignuntur cibo: illis autem ob pugnam, non quia colliquet carnes sanas. Huiusmodi exempla dat Hippocrates quinto Epidemiorum, dicens: Antander cum esset alioqui sanus, nisi quòd vesica doleret, catapotio assumpto, primùm purgatus est multum & celeriter, deinde cum à meridie vehementi dolore circa ventrem teneretur, nox insomnis, strangulatio, iactatio, desperatio, cum nihil amplius demitteret aluus, & vomeret interim: demum postridie soluta aluo, & multo etiam sanguine effuso, periit. Sic ibidem narrat de multis aliis, inter quos Euboœus cum purgatus esset, deorsum ex pharmacho tribus continuis diebus, obiit: Symmachi autem filius ob id perit, quòd per sex dies non purgabatur: adolescens verò qui ex Euboœa venerat, mortuus est ex vomitorio medicamento, quia debile fuit, & non purgatus est: serua autem, quoniam parum per superna, multum per inferna. Vnctor autem ille septimo Epidemiorum, cùm bibisset medicamentum, perperam per superna & inferna purgatus est, & ex purgatione successit febris, tussis, spirandi difficultas, à quibus vix euasit. Vt in vniuersum sic exhibita medicamenta, quadrifariam occidant: aut nimium purgando, aut per partem, per quam purgare non debent, aut per vtrumque, aut non purgando, vnde dolores & febris commouentur.

Pag. 5. (margin, beside "Antander cum es-")

Pag. 5. (margin, beside "Vnctor autem ille septimo Epidemiorum")

APHORISMVS XXXVII.

QVi bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset statum corporis, hic declarat habitum, scilicet eorum qui bonis abundant humoribus. Vt enim mali humores nimium fluunt, ita difficulter boni, natura eos amplectente. Vnde tormina & dolores & febris subsequuntur. Vt enim habetur in libro de Humana natura, Medicamenta purgantia primò trahunt proprium humorem, inde mistum: sed cum nullus adest humor secretus, quia omnes boni sunt, trahit mistum, & per vim, & ita lædit. Vel si humorem pro humore alium purges, inquit in libro de Affectionibus. Et præter cætera caput calefaciunt omnia medicamenta purgantia, vt inquit in libro de Locis in homine. Vbi suadet, vt præter reliqua id obseruemus in dandis medicamentis, vt valida solùm robustis exhibeamus. Vt verò generaliter colligam sententiam trium præcedentium Aphorismorum, videtur Hippocrates ambo extrema refugere duarum contrarietatum: Euchymiæ, cacochymiæ, sanorum, & morbo nimis consumptorum in dandis medicamentis purgantibus per inferna.

Pag. 5. Pag. 10. Pag. 9. 10.

APHORISMVS XXXVIII.

PArum deterior cibus aut potus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus.

COMMENTARIVS.

CVm locutus esset de auxiliis per medicamenta exhibendis, quoniam de conditionibus non substantia instrumentorum medicinalium, loquitur etiam hic de cibo & potu exhibendo, non ratione morbi, aut essentiæ cibi, sed adiectæ qualitatis. Habet hic textus originem ex sexto Epidemiorum, dum sic scribit: Ægrotantibus gratificationes, velut est purè præparare potus & cibos, & ea quæ videt: molliter ea quæ contingit. Aliæ gratificationes quæ non magnoperè lædunt, aut facilè reparari possunt: velut frigida, si ea opus est. Aliæ gratificationes sunt, introitus, sermones, habitus, vstitus, ægrotanti tonsura, vngues, odores. Exponens ibi Galenus, & in sequenti Commento ait: Duplex vtilitas habetur ex gratificatione ægri in his rebus quæ sunt citra illius iacturam: vna, quod melius in cibis concoquunt, in potibus sitis sedatur: ex odoribus somnus conciliatur: ex balneo quies virtúsque restauratur, seu vires. Ex altera quæ est amor ægri ad medicum, & obseruantia, fit vt illi in omnibus pareat. Vnde plures à parentibus vel filiis vel amicis cibum acceperunt, quem alioquin auersabantur. Et ideo dicit, Ego dedi quandoque aquam frigidam per vnam diem, antequam expediret, vt mihi ægros obnoxios redderem. Et aliqui per quindecim dies perpetuos Pergami à potu abstinuerunt, persuasi quòd Æsculapius id imperasset: qui nullius alterius præcepto in tam dura abstinen a parere voluissent. Eadem sententia habetur in libro de Affectionibus: Cibos, potus, aut absonia quæcunque ægri concupiscunt, si non damnum consequatur, exhibeto.

Sect. 4. Pag. 11.

Qui nam autem sint hi cibi parum deteriores, intelligemus ab Hippocrate eodem loco dicente: Omnes alij cibi (optimi sunt, panis, maza, carnes, pisces, vinum) cæteri parum iuuant aut lædunt. Dicat aliquis, cucumeres crudi nonne sunt mali? Dico, intelligit tres conditiones in eis. Prima est, quòd cum in singulis cibis facultas contineatur generandorum quatuor humorum, & alij alio indigeant humore magis, eo fit, vt cibi iidem aliis boni sint, aliis mali, quarto de Morbis. Et hæc sententia etiam habetur à Galeno in libro de Cibis boni & mali succi. Hoc adieci, quoniam plerique negant, & facto ipso contrarium huius præcepti sequuntur, dantes oua & carnes ægris, quos cibos bonos simpliciter appellant: licet Hippocrates oua ex hoc numero excluserit, cum tamen in febribus longè magis expedirent pisces. Eodem modo si consuetudo obstet, dicit Hippocrates in libro de Ratione victus in acutis, facilius feruntur mali cibi consueti, quàm boni insueti. Et ita vnum ex his fit similitudine generali, aliud contingit ob specialem consuetudinem, tertium ob propriam cuiusque naturam, velut œnophobi & tyrophobi. Ob hæc non potuit assignare certam rationem ciborum bonorum & malorum, quoniam mali non sunt mali omnibus. Secunda conditio est, quòd sint cocti & subacti multa aqua & coctura, vt habetur in libro de Veteri medicina. Dicit: Cibi omnes validissimi tam sanos quàm ægros offendunt. Qui autem validissimi cibi sint, infrà declarabat dicens: Quicunque excellentes habent qualitates. Nam cocti multum ab huiusmodi liberantur, neque enim piper neque acetum, multa aqua, & diu cocta, eos sapores retinent. Declaratur autem tertia conditio in tertio Epidemiorum, cum dixit in Pario ægro: Eduliis quoque multis & vitiosis vtebatur. Sed & quantitatem insinuauit, & cibi proprietatem, inferius in Apollonio dicens: Lacte vsus est multo, cocto & crudo, caprino & ouillo, & victu malo. Itaque appellat victum malum, lac in hoc casu, tum ob multitudinem, tum ob morbum, febre enim & tumore præcordij dextri laborabat.

Pag. 2. Cap. 10. Pag. 7. Pag. 5. Pag. 6. 1. Langum. 3. consit. 13. Langum. 3. consit.

Suauior trifariam dicitur: natura, vt iecora gallinarum, præcipuè inter omnia edulia, quæ etiam restaurant appetitum cibi: & inter reliqua dicit Auicenna, quòd iecur taptili auis reparat appetitum in dracone. Et secundus modus est ob proprietatem: sicut ego, qui edo libenter cammaros, seu astacos: quia mater, dum me in vtero haberet, vehementer eo cibo delectabatur. Tertius est, ratione præparationis. Huiusmodi exemplum proposuit nobis Hippocrates in libro de Internis affectionibus, dicens: In cura morbi regij ex flaua bile dabis gallinarum pullum, percoctum cum cæpa, caseo, coriandro,

11. 3. Tract. 3. cap. vlt. Pag. 10.

coriandro, sesamo, sale & vua passa alba. Sesamum hic mali odoris est: forsan genus erat odoratum, apud Hippocratem.

Pag.5. Amplificatur etiam hæc regula, cum extendatur ad medicamenta: vt in libro de Ratione victus in morbis acutis, vbi tam veratro quàm peplio admiscet odorata, quod etiam aliis in locis sæpius obseruat, ne ventriculus subuertatur.

APHORISMVS XXXIX.

Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus: qui verò ipsis morbi accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

COMMENTARIVS.

NOn ob continentiam vitæ, alioqui magis ægrotaturi, ac sæpius, senes, vt Galenus vult, minus ægrotant iuuenibus, quæ enim regula absurda Hippocratis, maximè suppressa postmodum causa? Sed quoniam temperamento sunt frigido & sicco, calida autem & humida corpora sunt, quæ abscessibus ac febribus sunt obnoxia, qui maximè morbi frequentes sunt: ob id iuuenes, etiam si se custodiant, æstate præsertim, magis ægrotant senibus, & frequentius. Et pariter, si vtrique incontinenter viuant, eadem ratione. Distinguit tamen Hippocrates, ægrotare, id est acutis morbis corripi, ab eo quod est morbis subiici: propterea non scripsit senes iuuenibus morbis minus subiiciuntur (falsum enim forsan fuisset hoc modo dictum) sed, Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus. Cur autem dixerit, magna ex parte, liquet: quoniam senes cacochymi, iuuenibus pari habitu frequentius ægrotabunt: hic calore naturali, & excretionibus solùm prohibentibus, illic sola temperie, neque enim verisimile est, eo dicto megna ex parte disparem fecisse collationem, vt senes mali habitus conferret iuuenibus bene constitutis: sed verisimile est, eosdem ad seipsos, vt esset artificiosa comparatio, contulisse. Plures autem bono quàm malo solent vti regimine, nam etsi in victu peccent, laboribus tamen, excretionibus, somniorum longitudine & profunditate, purgationibus annuis, cibis pauci alimenti, prohibentur à repletione: & ideo à cacochymia, neque enim cacochymia sine repletione est, aut verè potest appellari: quare etiam tales in senectute minus ægrotant, præsertim eo tempore, quo plurimi ægrotare solent, scilicet in fine æstatis, & vsque ad medium autumni: quanquam finis autumni perniciosiores afferre soleat morbos, reliquis eius partibus. Cæterum & hic Aphorismus non de principalibus morborum causis agit, vt nec tres proximè antecedentes: sed de his, quæ non sunt naturæ contrariæ. Hanc verò in sententiam, inquit Cicero in libro de Senectute, adolescentes facilius in morbos incurrunt, grauius ægrotant, difficilius curantur. Et Celsus: Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet. Sed nemini maior fides in hoc, quàm Hippocrati ipsi. In primo enim de Morbis hæc habet: Et qui quidem iuniores patiuntur eas affectiones, quæ à laboribus fieri dictæ, sunt, hi & ampliores & vehementiores ipsas patiuntur, & magis quàm alij dolent, & statim in ipsis manifestæ fiunt, vt sanguinem aut spuant, aut vomant. Sed & quædam quæ eueniunt ipsis, fallunt ipsos præ bona corporis habitudine. Seniores autem quidem rarò patiuntur: & si patiantur, debiles ipsas perpetiuntur, vtpote ipsi debiliores cum sint: & remittunt magis ipsis, & affectionum maiorem curam gerunt. Fiunt igitur ab initio omnino minus seniori quàm iuniori: & vbi factæ fuerint seniori, debiliores: fiunt, iuniori vehementiores. Et iuniori quidem, vtpote qui habet corporis vigorem & siccitatem, & carnem densam ac robustam, & ad ipsa ossa assidentem, cute circum ipsam circumtenta: quum aliquid amplius laborarit, solito magis & derepentè conuulsiones vehementes fiunt, & ruptiones multæ ac omnigenæ venarum ac carnium. Et horum aliqua statim manifesta fiunt, aliqua posteriori tempore comparant. At senioribus vigor fortis non inest, & carnes circum ossa diffluunt, & cutis circum carnes: & ipsa caro rara est, ac debilis, vt neque tale quid pati possit similiter senior, veluti iunior. Et si quid patiatur, leuiter patitur, & statim manifestum redditur. Atque in tantum quidem in affectionum principio, iuniores senioribus difficilius liberantur.

In quarta accusatione. Lib.2. cap.1. in princ. Pag.11.

Sed obiiciet quispiam ex libro primo de Diæta: Sanissimi ex ætatibus pueri, inde adolescentes: morbosissimi autem senes, & his proximi. Loquitur de longis morbis. Morbosos enim dicimus, non qui quandoque ægrotant, sed qui quibusdam implicantur affectionibus, à quibus nunquam ferè sunt immunes. Hoc modo si intelligamus morbosos, fatemur, senes esse morbosiores iuuenibus: sin quòd nouis morbis corripi soleant, nihil minus. Sed & ibi de frigida & humida temperatura loqui se testatur, subiicitque paulo pòst: In calida & sicca sanissimi sunt senes, morbosissimi autem iuuenes. Pag.11.

Quando verò senectus incipiat, ex præsentis Aphorismi vltima parte collata cum authoritate in libro primo de Diæta habetur, cum dixit: Qui à quadragesimo anno morbo aliquo correpti fuerint, nunquam fermè euadunt, igitur cum hoc dicat de senibus, senium eo anno incipere existimat. Rursus in sexta Aphorismorum: Renum & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur, confert cum dicto sexto Epidemiorum: Renum affectiones supra quinquagesimum annum sanatas non vidi. Igitur cum senes quadragesimo, seniores quinquagesimo anno definiat, patet conuenire. Per iuuenes autem an intelligat etiam infantes, haud dubium est, tum quia vniuersam ætatem humanam in duo diuidenti hoc necesse est, tum quia infantes sunt omnibus aliis morbosiores. Pag.10. Aphor.6. Sect.7.

Si quis igitur velit colligere causas, cur senes ægrotent rarius quàm iuuenes, quatuor sunt. Prima, quòd ipsi habent calorem imbecillem, & ideo non possunt pati magnam febrem

brem vel phlegmonem, nam febris in calore, phlegmon in multitudine sanguinis, fundamentum recipiunt. Secunda, quòd senes à debilibus causis offenduntur, ideo non perpetiuntur morbos, sed statim se subtrahunt. Iuuenes autem, dum resistunt, vehementius à morbis corripiuntur, & maioribus: & hæ duæ causæ adducuntur ab Hippocrate. Tertia est, quòd sunt minus obnoxij putredini ob frigiditatem & siccitatem: & est nostra. Quarta, quòd vtuntur meliore victus ratione. Quòd verò dixit (minus) intelligi potest rarius, & à leuioribus morbis, & vtroque modo: quod verbi significatum demonstrat, & experientia docet.

Qui verò ipsis morbi accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem, nam morbi longi fiunt ob crassos, lentos & frigidos humores: Secunda Aphorismorum Galenus. Sed in quarta dicit, propter crassitiem, multitudinem vel frigiditatem: quasi possit humor esse crassus, calidus aut frigidus tenuis, adeò etiam parum sibi constat, dum hîc multitudinem, ibi lentorem dicit. At ego didici ex Hippocrate primo de Morbis, dum longos enumerat morbos, vndecim fieri ex nouem causis: multitudine humorum, frigiditate, angustia meatuum, intemperie fixa in membro, vitiata compositione, vbi manus admoneri non potest, loco transitus excrementorum fluxione aut vlcere laborante, fluxione ad locum decliuem rectà, & natura morbi circularis. Quæ omnia cum vires & calorem robustum exposcat: atque hæc in senibus ambo sint imbecillia, liquet omnes huiusmodi morbos vix vnquam in senibus sanari. Continuatio est ex naturalibus causis, ad eas quæ sunt præter naturam comparatis.

Com. 19.
Com. 44.
Pag. 2.

APHORISMVS XL.

RAucedines & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt.

COMMENTARIVS.

DOcet quæ non curantur, & est quasi partis secundæ præcedentis Aphorismi exemplum. Est autem raucedo seu raucitas, apud Celsum βράγχος, morbus, vt Plinius ait, in quo vox vt tubæ rauca fit. Grauedo autem, κόρυζα: dicit Celsus, per κόρυζαν Hippocratem intellexisse omne destillationis genus. Recitat Brasauolus, cum Leonicenus annum agens nonagesimumsextum, raucedine laboraret, Albertus Sauonarola medicus, Phratrij Hieronymi frater, dixit: Grauedines & raucedines in valde senibus non maturantur. Respondet igitur Leonicenus, Aphorismum eum non esse scriptum de medicis: habuítque hac in causa prosperam fortunam, iure enim caporum optimo, mombasióque conualuit. In vniuersum duo hæc animaduertere decet: Primùm, voluisse docere Hippocratem, quid intelligeret per morbos longos, scilicet qui nullis circuitibus determinantur, nam quotidiana & quartana, cum non possint rectè se custodienti transire centumuiginti dies, vbi non lethales sint, non comitabuntur senes ad mortem, sed antea finientur. Secundum est, quod cum in præcedenti loquutus sit de senibus, hîc exemplum affert in valde senibus. Galenus plures morbos affert in Commento, qui nunquam sanantur in senibus, quorum magna pars etiam in iuuenibus est insanabilis: sed non affert causam, cur hîc non dixerit in senibus, sed valde senibus. Vult ergo nos intelligere, ætatem tantum posse, vt etiam faciles morbos alioqui reddat insanabiles. Atque vtinam non tam multa Galenus adduxisset, sed potius explicasset cur tam raro exemplo vsus sit. Cum videamus etiam valde senes interquiescere ab his morbis, etsi non prorsus liberentur. Ideo non dicit, non curari, sed non peruenire ad coctionem. Meminerit ergo eorum quæ dixit in sexto Epidemiorum: Morbi connutriti in senecta & per concoctionem & solutionem & rarefactionem, desinunt, non ergo miraculo sanatus est Leonicenus, neque Albertus adduxit Aphorismum ad propositum: nec Galenus nec alij expositores mentem Hippocratis declararunt, sed maximum errorem admisere, multi enim decrepiti æstatis beneficio, mutatione regionis, cum victus ratione salubri, citra concoctionem sanantur. Sic ergo & ex difficultate spirandi & dolore coli & splenis persæpe liberantur. De podagra autem, ac renum doloribus & gibbo, cum habeant peculiarem causam, suo loco dicetur.

Lib. 4. cap. 2.
Sect. 4.
Sect. 5.

APHORISMVS XLI.

QVi frequenter & vehementer absque causa manifesta exoluuntur, derepentè moriuntur.

COMMENTARIVS.

GAlenus rectè admonet, quòd necessariæ sunt tres illæ causæ, frequenter, vehementer, absque causa manifesta: sed non sunt necessariæ, vt verus sit, sed vt sit semper verus Aphorismus. Melius ergo fecisset, si docuisset, quid hoc repentè mori, neque enim videmus sine morbo repentè homines mori, nisi syderatione correptos. Propterea existimandum est hos esse partim ex his, partim ex illis qui cum leui morbo subitò intereunt, quapropter etiam patet ratio continuitatis ad sequentem Aphorismum: ad præcedentia autem, quod in his locutus sit de Prognosticis vehementis morbi, qui mortem affert, sicut in præcedenti qui non facilè curatur. Per hoc autem quod dixit, Vehementer: intellige syncopim, non lipothomiam, & quæ non facilè soluatur. At verò huiusmodi casus nostra ætate & in nostris regionibus rari sunt, frequentiores forsan apud Hippocratem. Siderationes autem quotidie videmus, & magis Florentiæ, sed hæ non videntur repetere: aut si repetunt, resolutionem tamen relinquere solent. Hic tamen affectus frequentior est in mulieribus, vnde Hippocrates secundo

Pag. 31. secundo de Morbis mulierum: Si cor strangulatur ex vtero, spiritus & anhelatio intercipitur. Hoc planè morbo laborabat dulcissima mater mea. Nec dicitur hæc causa manifesta, per eam enim solùm intendit externam, vt venæ sectionem, vel inediam, iuuat etiam hoc ad curationem, considerantibus nobis quòd huiusmodi homines ab his quæ cor confirmant, liberari possunt à periculo: si etiam ab his quæ illud minantur, liberentur.

APHORISMVS XLII.

Soluere apoplexiam vehementem, impossibile: debilem verò, non facile.

COMMENTARIVS.

Declarat nobis duo, per quæ in primo debemus à curatione prorsus abstinere, ipso eodem dicente in libro de Arte: Pag. 1. Medici munus est, eis qui à morbo victu sunt, manus non admouere: alterum, vt sciamus 1. Aphor. 6. & prædicere, & nos subducere, si possumus: sed si curare oporteat, vt memineris, quòd extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt. Demonstratio huius est: Apoplexia valida fit ex obstructione valida cerebri, & est cum priuatione respirationis: sed talis repletio fit à maxima causa, ergo indiget longo tempore, vt saltem deriuetur: sed priuatio motus pectoris, non admittit vitam, nisi momentaneam: ergo talis morbus est insanabilis, & statim perimit. Quòd si dicas, suffocationem factam à frigido humore, non statim perimere, respirante corpore per cutem: Respondebit Hippocrates, quòd humor erit tanto crassior, ergo nihilominus eo longiore tempore indigebit vt deriuetur, nam de purgatione nulla prorsus spes est. Quòd si iterum obiicias, quòd potest à sanguine fieri atque sic statim solui: dico, quòd tum ob calorem quàm celerrimè perimet. Ratio autem continuationis haud obscura est, cum enim in præcedenti Aphorismo egisset de vna specie exolutionis vehementi, hic agit de ea quæ toto genere vehemens est.

Sed aduertendum, multas esse dispositiones: velut syncopim, carum, & vteri suffocationem, similes syderationi, velut & in sexta 49 Aphorismorum: Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur: de caro, non apoplexia loquitur. Ἀπόπληκτον enim idem vocat, quod syderatum, vt secundo de Morbis. Pag. 3. Sed difficultas est in hoc verbo ἰσχυρὴν, id est quæ sit vehemens, nam Hippocrates omnem resolutionem vocat syderationem, vnde in Coacis prædictionibus inquit: ἀποπληκτικοὶ γίνονται τὰ δεξιὰ ἢ τὰ ἀριστερά: Pag. 13. id est, fiunt syderati dextra vel sinistra. Ergo vehementem syderationem vocat, solùm interceptam spirationem. Pag. 1. Vnde primo Prædictionum: Vocis interceptiones cum exolutione pessimæ. In his autem spiritus, veluti qui strangulantur, promptus, malus est. Nam & talis mentem mouet? Declarat causam in secundo: Qui morbi sacri à capite Pag. 6. initium sumunt, deterrimi sunt: verùm curam aggredi in iuuenibus, si laboris amantes fuerint, dummodò quis stupore attonito syderatus non fuerit. Vnde liquet, Hippocratem hanc commutationem, quod & ita est, arbitrari lethalem. Vult ergo & ex atro humore, de quo sexta Aphorismorum, & Aphor. 54. perculso cerebro difficillimum esse morbum: insanabilem autem, si vehemens sit. Et dolor capite vehemens si perseueret, vt suprà dictum est, dicebat Auicenna, & vertigo in senibus, prænunciant syderationem. 1. 3. Tract. 5. Cap. 13.

APHORISMVS XLIII.

Qui strangulantur ac dissoluuntur, nondum verò mortui sunt, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

COMMENTARIVS.

Postquam docuit quòd syderatio vehemens non sanatur, declarat quænam sit hæc syderatio vehemens, & dicit, quòd in strangulatis ac dissolutis, si spuma in ore apparuerit, non restituuntur: quasi dicat, quòd hæc est syderatio vehemens. Demonstratio constat (vt etiam Galenus rectè exponendo declarat) in hoc, quòd talis spuma fit ex calefacto corde vehementer, & impulsu magno pulmonis, tum etiam resolutione spiritus: sed corde calefacto iam, & non prodeunte spiritu, cum magna refrigeratione indigeat, necesse est suffocari. Et similiter cum spuma eò prodeat, quò spiritus prodire non potest, palàm est maximum factum esse conatum, & pulmones esse rosolutos, hæ tamen duæ rationes vltimæ parum sunt ad mentem Hippocratis.

Quomodo autem fiat spuma, declarat Hippocrates libro de Flatibus, dicens, quòd in Sacro morbo, cum nihil sentiant, nec videant, Pag. 6. aër tamen transiens per venas iugulares, tenuissimam sanguinis partem educit secum, quam ob multitudinem humidi & permistionem validam dealbat, atque ita fit spuma. Et in libro de Morbo sacro: Spuma fit in pulmone, quoniam prohibito spiritu ne ingrediatur, feruet pulmo, & spumescit velut moriens, suffocatur enim epate & septo transuerso sursum attractis. Inde orta non leuis dubitatio, quoniam & in vteri affectibus nos sæpius, & in morbo comitiali fermè semper apparet spuma, visa est etiam nonnunquam in laqueo strangulatis, vt aiunt, qui tamen reuixerunt. Galenus conatur dissoluere hanc difficultatem, dicens non esse hoc generale, sed plerunque. Contingere enim, vt nonnunquam reuiuiscant. Sed quid ad eos qui Comitiali morbo laborant? nam hi plerunque reuiuiscunt, & tamen cum spuma strangulantur. Ideo intellectus Galeni non oritur ex re visa, vt debuit. Dicit Hippocrates: Cum spuma circa os fuerit, non reuiuiscunt: non, cum in ore.

Vidimus enim nos, quòd cum spuma circumambiebat os, eregione autem nulla erat, omnes moriebantur, nam non ex pituita tunc talis facta est spuma, sed prius calefacto corde ac pulmonibus, spiritus vitalis eductus est: demum refrigerato spiritu è regione oris nulla fit spuma: quæ autem circunstat, manet, atque sic generalis est Aphorismus.

APHORISMVS XLIV.

QVi natura admodum crassi sunt, citius moriuntur quàm graciles.

COMMENTARIVS.

COntinuat sermonem quem inchoauerat de rebus naturalibus, his quæ præter naturam sunt comparatis. Exordiendum est autem ab inuentione nominum, vt ad demonstrationem perueniamus. Inquit ille secundo Epidemiorum: Sec.I. Quorum venæ amplæ, ventres & ossa ampla, hi sunt qui tenues sunt: pingues verò his contraria habent. Ergo crassissimi omnia hæc habent angustissima: quo fit, vt nec spiritu multo abundare possint, nec liberè perspirare corpus queat, facilliméque in obstructiones incidant: ob has tres causas citius moriuntur gracilibus. Galenus censet comparationem esse generalem: sed Hippocrates vult, verum esse tantùm in admodum crassis, nam qui paululum à temperamento recedunt, robustiores sunt paulo macilentioribus. Id rectè dictum non de habitu acquisito debere intelligi, nam venæ latæ in his nihilominus sunt. Huiusmodi sententia etiam in pueris vera est: Lib.de Dentitione. Quicunque dentientes habitiores manent, & altiore somno vtuntur, periculum est ne conuulsione corripiantur, inquit Hippocrates: adeò vt de habitu acquisito etiam in hoc casu possit intelligi.

APHORISMVS XLV.

QVicunque iuniores morbo Comitiali laborant, mutatione maximè ætatis & locorum & victuum liberantur.

COMMENTARIVS.

TVrpissimè, præter vtriusque Aldini Græci codicis fidem Leonicenus, & qui emendarunt postremò hos libros, addiderunt (temporum) quod ex malo intellectu sensus Hippocratis accidit, quomodo enim ex mutatione temporum tam magnus morbus soluetur? multos enim sic liberari necesse esset, νέοισιν, iuniores interpretati sumus, quòd νέων hic pueros significet: quod ex consensu duorum locorum rectè comprobat Fuchsius. Primus est quinta Aphorismorum: Quicunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscunque autem vigesimoquinto, commoriuntur. Secundus est Galeni sexto Epidemiorum, Sec.I. text. 5. qui hunc locum sic citat: Puerorum morbi comitiales vnà cum pubertate mutationes habent, & aliâs, Vbi in Aldino codice legitur ὑθιμήμφοις, sed qui est cum commento, habet ἐκλάμψιες, id est, Effulgescentiæ. Cum ergo locutus fuisset de syderatione, Aphor.42. suprà. hic loquitur de comitiali morbo, ei proximo ac simili, de illo quidem pronunciauit, quod curari vix poterat, de hoc autem subiungit tres modos, quibus curari possit. Vt intelligeremus per hunc Aphorismum, omnium magnorum morborum curationem, velut calculi, difficultatis spirandi, atque vertiginis, & doloris capitis, qui certis circuitibus redire solet.

Galenus tertio de Locis, Cap.7. ponit duas similitudines inter comitialem morbum & conuulsionem, & quatuor differentias, prima similitudo est, quod qui comitiali morbo laborant, conuelluntur vtrinque, antè scilicet & retrò. Secunda, quòd fiunt ambo hi affectus ex repletione humoris crassi. Porrò discrimina sunt, quod in comitiali sensus perit, in conuulsione stat, perit autem dupliciter: aut totus in valido, aut pars in leui comitiali. Secundum quod comitialis accessio breuis est, conuulsio quandoque per multos dies durat. Tertium, comitialis fit semper à repletione: sed conuulsio quandoque, imò persæpè fit etiam ex inanitione, vt suprà docuimus, 6. Aph. 17. sed melius infrà. Quartum, quòd comitialis est propriè & magis in cerebro, conuulsio magis in neruis: & ita comitialis est acutior morbus, conuulsio difficilior. Assimilatur autem syderationi in repletione ventriculorum cerebri, & in amissione sensus: sed differunt in tribus, quia in syderatione totus sensus perit, in comitiali tantum pars, syderatio est priuatio motus, comitialis motus corruptus. Tertia differentia est nostra, & est cum Auicenna & Auerroe, 8.Col.41. quòd apoplexia fit ex materia, comitialis ex flatu. Galenus credit quod ex materia: sed non est verum. Primùm, quia non adeò breues haberet accessiones. Secundò, quia ab accessione non perfectè liberarentur, quò enim detrudi deberet illa materia? Tertiò, quia plures comitiales morbi transirent vel vitio regiminis, vel ob hyemem, in syderationem: cum tamen videamus multos laborare viginti annis comitiali morbo, nec tamen corripi syderatione. Quartò, quia videmus expressè, & Galenus ipsemet fatetur, ascendere flatum in his qui eum morbum ex consensu patiuntur: ergo si fieret ex materia, esset multo deterior. Præterea Hippocrates Pag.5. & 6. libro de Sacro morbo docet, quòd hic morbus fit prohibito spiritu, ne progrediatur in cerebrum, à pituita in venis contenta: & ita non vult pituitam in cerebro contineri. Et si dicas, quod ibi Hippocrates, & in libro de Victu in acutis, Pag.41. vult quòd ex comitiali fiat semisyderatio seu paraplexia: dico, quòd hoc facit pro nobis, nam eadem materia si ad cerebri ventriculos perueniat, facit paraplexiam, ergo antea in comitiali ibi non erat.

Dicitur autem comitialis sacer, ἐπίληψις, id

id est detentio, morbus magnus, lunaris, Herculeus: qui verò etiam infantilem appellant, aberrant re ostendemus enim, quod infantilis propriè est conuulsio, non autem comitialis.

Sed videtur contradictio, quia Hippocrates dixit fieri hunc morbum à pituita. Sed (Sect.3. in fine.) sexto Epidemiorum inquit: Atrebilarij fiunt comitiales, & comitiales, & comitiales atrebilarij. Respondeo, quòd comitialis morbus fit ex pituita: per pituitam intelligit humorem crudum. Veritas etiam est, quod ita experimento apparet, quare natura atrebilarij vtrique affectui sunt obnoxij atrabili ob naturæ familiaritatem, comitiali ob cruditates, vt visum est in Ludouico Bossio Iurisconsulto, filio Constantini, & ipsius Iurisconsulti.

Cur verò plerúnque spuma soluatur, causa est: quia flatus ille repulsus à cerebro magna vi & sputo obuians, aut pituitæ, in (Aphor.43. Text.5.c.8.) via spumam generat, vt diximus suprà. Ex his patet cur rectè dixerit Auicenna prima tertij: Comitialis morbus est sternutatio valida, & sternutatio est comitialis leuis: habent enim ambo ortum ex flatu in ventriculis cerebri.

Quòd ad ætates attinet, trifariam curantur: tum ratione circuitus, tum ratione mutationis habitus, vel ob venerea. Vnde ter-
18 tia Aphorismorum: Plurimæ verò affectiones puerulis iudicantur, partim in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septem annis, partim ad pubertatem accedentibus. Quæ verò permanserint affectiones pueris, nec exolutæ fuerint, circa pubertatem, aut femellis circa mensium eruptiones, diuturnæ fieri solent. Considerat tria Hippocrates: circuitum temporis, mutationem temperaturæ, & effectum, qui ex venereis ac expulsione redundantiæ excrementorum prouenit. Sic & illud secundo (Pag.4.) de Morbis: Morbi quidam post septem annos, alij post quatuordecim. Refert Suetonius, Caligulam imperatorem beneficio ætatis à comitiali conualuisse, sed imbecillem factum.

(Sect.5.) De regione dicebat sexto Epidemiorum: In morbis longis terras mutare commodum (Pag.2.) est. Similis sententia, & valde congruens, habetur primo de Diæta: Oportet laborum vim prænoscere, tum naturalium, tum qui per vim fiunt, & qui ex ipsis carnes in augmentum præparant, & qui in defectum: & non solùm hæc, sed etiam mensuram & proportionem laborum ad multitudinem ciborum, & hominis naturam, & corporum staturas & ætates, & ad tempora anni, & ad mutationes ventorum, & ad situs regionum in quibus degunt, & ad anni constitutionem ac statum. Sed & astrorum ortus & occasus cognoscere oportet, quo mutationes & excessus ciborum ac potuum & ventorum, & totius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus oriuntur, obseruare sciat. Quam sententiam breuiter admodum confirmauit in tertio eiusdem operis libro di- (Pag.1.) cens: Hominum naturæ & ætates & regiones, & ventorum mutationes tum temporum & anni constitutionem, variam vitæ rationem exigunt. Et breuiter in libro de Aëre, aquis & regionibus, hoc exposuit, di- (Pag. ult.) cens: Temporum varietates potissimæ sunt, quæ naturam ipsam permutant: deinde etiam regio, in qua quis nutritur: postremum autem, aquæ.

De victus ratione præcipuè memorabilis (Cap.1.) est illa sententia Galeni, libro de Attenuante victu: Vidi arthritidas, in quibus ossa erant denudata, difficultates spirandi inueteratas, lienis, & quod maius est, iecoris tumores duros, tum comitiales incipientes, sola victus attenuantis ratione obseruata curatos. Sed nunquid sufficiat victus rationem & regionem mutasse, nisi in contrarium prorsus hæc fiat: vt in victum calidum, siccum, tenuem, laborésque plurimos, aërem autem liberum, calidum, siccum, tenuem. Vnde non refert quàm longius abeas, sed quam ad partem te conferas, plerunque tamen longius abeundum est, quòd huiusmodi mutationes non leuem cœli varietatem ac differentiam exposcant. In eodem genere sunt thermarum aquæ, & potus ille adeò nunc celebratus, decocti ex ligno Indico, sub ratione victus mutata continebitur. Sunt & auxilia quædam singularia, quale illud vndecimo de Simplicibus medicamentis: (Capit. De ossibus.) Noui hominem, qui ossa humana tenuiter tria in potu dabat nescientibus, multósque tum comitiali morbo tum arthritide laborantes sanauit. Et illud Cornelij Celsi libro (Cap.23.) tertio: Quidam toto sanguine gladiatoris nuper iugulati epoto, à comitiali morbo liberati sunt. Sed de his plura, dum librum de Sacro morbo exponemus. Nunc illud videndum, an prorsus comitiales morbi, qui post vigesimumquintum annum superueniunt, sint insanabiles? hoc verò ad quintum librum pertinet, suo enim loco tractanda est quæstio, ne opus infinitum reddatur: hîc sufficiat monuisse, & eos curari posse comitiales, mutata regione & ratione victus, aliisque præsidiis, quos in adulta ætate morbus ex errore, non sponte inuasit.

APHORISMVS XLVI.

Dvobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.

COMMENTARIVS.

POstquam comparauit res præter naturam ad naturales, nunc incipit res etiam præternaturales inter se conferre, declarans vnum paradoxum, scilicet quòd contingit aliquando dolorem dolore leuari: hoc autem cum fuerint diuersis in locis, & vnus altero vehementior. Hic mihi sanè latior est via philosophandi, primum, quòd contingit idem, vt dolor corporis molestiam animi leuet: vt ego in luctu cædebam crura ac tibias, multúmque contulit. Et pueri qui domo abstracti mœrent, relictis fratribus & parentibus, cæsi moderatè leuant curam animi, nec ita tabescunt. Et dolor animi in diuerso

diuerso genere, velut timor propriæ vitæ, amissionem rei tollit: vt his contingit, qui in tempestate excutiunt sponte merces. Vnde auxilium in mœroribus, ex alio genere doloris aut corporis aut animi sumere licet, nam in eodem auget, quemadmodum recitat Liuius de Fuluio Flacco pontifice, cui cum filiorum vnus iu Illyrio obiisset, alter ad mortem absque spe laboraret, laqueo se suspendit. Vt videatur animus noster & ipse spaciis quibusdam diuidi, non sui substantia sed disiunctione eorum quæ cogitat atque imaginatur. Hoc est quod ego etiam inter podagræ laudes recensui, quòd hominem ab omnibus animi & corporis doloribus aliis leuet. Legitur autem (Simul non eundem) & (Simul eundem) absque aduerbio (Non) Sic legit Leonicenus & Brasauolus. Sed Græcus codex vterque, & Galenus & ratio reluctatur.

Decade 5. lib. 2.

Vtrum verò homo eadem in parte duobus doloribus simul affligi possit, Galenus negat tam absolutè, quod probari debuit, nam mihi secus videtur, licet homo non distinguat illos nisi ratione.. Etenim si quis dolens secetur, percipit & flagrantiam ex vulnere, & dolorem, nihilominus miscentur dolores, fiuntque dolores compositi, quos ob id nominare non norunt patientes. Si enim grauans dolor & acutus simul misceantur, fit imago incerti, sed molesti doloris. Indicio est primùm dolor, qui ictibus quasi feriatur per interualla intenditur, cum nemo sit qui hos duos esse non aduertat: & similiter flagrantia dolori mista, vt cum cucurbitulæ incidendo cutim super locum verberatum imponuntur, vt in miseris remigibus fieri solet. Quod verò dolor dolori proximus illum augeat, haud dubium est: sed cur sic, procul autem, disquirendum est, simul & si minor maiorem leuat, an non, & cur fit, quòd nemo sit qui non à pluribus doloribus deterius se habeat, quàm ab vno. Corporis enim partes proximæ tametsi sint, ita diuersæ sunt, ac si plurimùm distent, maximè si non eiusdem naturæ sint, velut caro & ossa: anima verò tam vna in capite & pedibus imis, quàm in oculo & palpebris. Ergo Galenus rectè fecisset, si hoc declarasset: an quòd non sentitur à proprio sensu, neque à communi? itaque distracta mente alio dolore, minor sentiri non potest. Quamobrem non solùm minores à maioribus obscurari reor, sed & magnos dolores à minoribus. Nihilominus qui pluribus detinentur doloribus, eo miseriores sunt, quòd maiore cessante ab aliis occupantur. Ergo ex hoc licebit dolorem dolore auocare ad partes ignobiliores. Quòd & sentit Hippocrates sexto Epidemiorum, cum dixit: Alterius loci morbos loca excipientia, aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut propter aliud quiddam liberant: aut quòd aliis sunt communicationes, neque enim sensum distrahendo solùm affectionem leniunt, sed etiam causam doloris auertendo verè minuunt. Et ideo in doloribus acutissimis nobilium partium excitare conuenit, si possit etiam auferre.

Sec. 3. in fine.

APHORISMVS XLVII.

DVm pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quàm iam confecto.

COMMENTARIVS.

DEclarat vnam causam doloris, tum etiam febris, quoniam hoc in casu coniungi pariter necesse est: atque ita præsenti Aphorismo, in quo de doloris sedatione locutus est, iungitur.

Causas abscessuum enumerat Hippocrates libro de Humoribus quarto: Febres, tusses, colliquationes & frigus. Dolorem prætermisit, quoniam per se hoc non potest, nisi adsit colliquatio: vt in coli dolore tortis, atque huiusmodi. Quod verò dixit (magis quàm iam confecto) declarauit quarto Epidemiorum: Maturi in morbis abscessus an iudicent, signum est, si dum feruida sunt mala, non febricitarint: & dum molesta sunt, facilè tulerint. Et rursus septimo eiusdem: Concoctionis signa sunt, si non anxij fuerint, nec capite grauati, & quum calores mitissimi, & quum post exacerbationes cessarint: superni verò, in ipsis exacerbationibus. Quoniam verò in febribus materia non continetur in loco in quo fiat vlcus, propterea dum materia concoquitur, fiunt & augentur febres, non autem dolores. Ex quo illud conuincitur, quod intendit Hippocrates alibi, omnem morbum esse vlcus, nam si omnis morbus est dolor quidem, aut cum dolore, est enim molestia quædam, vt ipse ait in libro de Flatibus, sed omnis dolor fit continui solutione: quia in febribus dum concoquitur materia, non fit dolor, tametsi calor augeatur multum: igitur omnis dolor fit ex continui solutione. Voluit ergo nos admonere de duobus maximis incommodis, quæ coctiones comitari solent. Sed an in peruersa coctione dolores augebuntur, & febres magis quàm antea? Videtur Galenus suprà voluisse, quòd solum in sanabili morbo mitescant hæc in statu. Sed distinguendùm est ex his quæ dixit, primo de Differentiis febrium, cum enim docuisset actionem vnam esse, quæ à naturali calore fit, & vocatur coctio: aliam quæ à præternaturali quæ est corruptio: sed hæc solùm in inanimatis inuenitur, quoniam calor naturalis qualiscunque sit materia semper agit: tertia, quæ fit ab vtroque in qua superante nostro calore coctio etiam vocatur: sed à priore dissimilis, cum non sit cibi, sed noxij humoris: superante autem præternaturali peruersio (est enim corruptio) sed vt coctio à coctione, ita corruptio à corruptione differt. Hæc autem bifariam, vt ibi dicit, contingit, vel naturalis caloris imbecillioris causa, & tunc dolores & febres remitti videntur: ægro tamen ad perniciem tendente: vel ob materiæ prauitatem, & tunc continuè augentur.

Pag. 5. Pag. 8. Pag. 14. Pag. 1. Com. 19. Cap. 6.

APHOR

APHORISMVS XLVIII.

IN omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem mitigat.

COMMENTARIVS.

DEmiror valde Galenum, qui tam de Hippocrate, vbi illo opus est magnificè sentit: nec vult illum vulgata, imò ne nota quidem medicis solis, sed tamen plerisque referre hic velle, vt nota etiam rusticis dixisse credat, nec satis etiam vera, neque enim fatigati, si quiescant, protinus dolore omni & lassitudine carent. Cæterùm quod ad continuitatem attinet, clara est, causam enim doloris de quo in duobus antecedentibus egit, tollendam ad verè curandum dolorem docet, atque ita auxilium præstans esse ostendit, vt statim medeatur & mitiget, non auferat, vt laboret iam, & sit initium laboris, quia fieri potest trifariam aliter: vt non laboret, & quiescendo non mitescet labor: vt processerit in labore, & quamuis quiescat, non tamen cessabit lassitudo: vt si malè affectum corpus, & tunc non cessabit eodem modo. Dictum est quid lassitudo, suprà. Sensus est ergo: morbi & dispositiones, quæ fiunt in initiis, sublata causa statim mitigantur: sed si processerint, transeunt in morbos iam factos, aut si corpus non secundum naturam se habuerit. Quid ergo lucrabor ex hoc Aphorismo, vnum satis notum: non esse in labore perseuerandum, vbi quis ab initio lassitudinis quiescat, & non mitigetur lassitudo esse immundum corpus paratum ad morbos, ideóque purgatione indigere. Ideo inquit in Præceptionibus: Vehementis laboris studium deuitandum est. Propterea in tertio de Diæta nos admonet trium. Primùm, vt lassitudinem omni tempore deuitemus: secundum, vt deambulationibus in manè corpus exerceamus. Ideo mementone, non vt stolidi, si equo caretis, non quantum possitis procedere: sed quòd id reuerti coactis esse dimidium tantum viæ aliter in lassitudinem incidetis. Tertium, hyeme & frigido tempore magis ac diutius exercendum: sed tamen cessandum non modò antequam lassitudinem sentiamus, sed antequam corpus incalescat. Vtile enim est frigus, & probat hoc exemplo arborum, quæ melius fructificant ex hyemis tolerantia, tria ergo sunt quæ vitanda sunt lassitudo præparans ad morbos, exercitium graue exhauriens vires, & in hyeme calefaciens corpus, exsoluens robur. Sed dicetis, In sexto Epidemiorum inquit: In exercitationibus sudor fluens guttatim, qui exit velut ex canalibus, aut depressio elatione. Vbi Galenus non habet quid dicat, quia non inuenit ab aliis. Est igitur præceptum corporibus morbificis, quibus conuenit vt non hyeme ad præseruationem sic expurgari laboribus, quoniam tum maximè optimè concoquunt, & se tutos à plenitudine reddunt. Talis enim exercitatio, vt in libro de Cibis boni & mali succi, & primo de Alimentis docet, si cum longo somno coniuncta sit, & cibos crassi & lenti & praui etiam alimenti mutare in bonum potest: imò, vt dixi, in quarto de Tuenda bona valetudine, succum exquisitissimum ex pane & oleribus elicit. Et similiter, si anhelitus ex elatione deprimatur & subsidet: tunc erit quiescendum, fatigata natura. Duo enim hæc signa proponit fatigatæ naturæ, vnum, à copiosa excretione, quod melius est, quoniam ad id etiam sequitur vtilitas: alterum, ex operationis læsione. Ex quo non probo in sanis tantam exercitationem, vt quæ vitam necessariò breuiet: nec quòd proponit Auerroes sexto Collectaneorum in morbosis corporibus, vt vt quotidie se exerceant ad initium vsque sudoris, & eleuationis anhelitus, nam corpus nimis accendetur, nec expurgabitur: sed melius est per circuitus, velut sumpto medicamento, certis quibusdam diebus longo sudore corpus exercere: aliis diebus solùm tantum vt incalescat, sine spiritus mutatione & sudore. Sola autem contentio spiritus multum facit ad sudores, vt secundo de Diæta. Atque illud obseruandum, vt æstate in arena & loco frigido corpus exerceatur: hyeme perunćto corpore oleo, in loco tepidiore.

[Margin notes: Aphor. 5. — In fine. — Pag. 1. — Sect. 3. — Cap. 6. — Pag. 15.]

APHORISMVS XLIX.

QVi consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles vel senes, non consuetis robustis atque iuuenibus facilius ferunt.

COMMENTARIVS.

DIxerat in præcedenti Aphorismo, laborem deuitandum, hic docet, non ex æquo laborem hunc seu lassitudinem aduenire omnibus, sed celerius insuetis. Lego autem (vel senes) potius quàm (& senes) nam difficile est senem ac debilem melius posse quicquam ferre valido iuuene. Transire consuetudinem in naturam, docuit Hippocrates libro de Aëre, aquis & locis, dicens, quòd macrocephali, id est longa habentes capita, fiunt consuetudine obstetricum, inde natura gignuntur tales ab huiusmodi, non igitur aliter fieri potest, quàm quòd natura tales ex consuetudine redditi sint. Mihi videtur præter cætera voluisse Hippocrates nos docere, idem in omnibus fieri posse robustis, magnis, ingeniosis, pulchris, probis, atque huiusmodi: tum etiam in animalibus aliis. Galenus causam huius esse existimat robur, quod adiicitur membro ex labore: atque ea causa est, sed non tota: verùm morbus omnis in hoc constat, quod molestiam affert, vt Hippocrates in libro de Flatibus. At molestiam afferunt insueta: quia naturæ contraria, nec familiaria. Vnum pulchrum, dicebat Seneca, non omittendum, & quòd ego verum esse sum expertus: tantum posse consuetudinem, vt si mala tantum

[Margin notes: Pag. 12. — Pag. 1.]

nos afficerent, poſt velut ab initio, nemo durare poſſet in calamitatibus ac tormentis. Vt igitur membrum labori aſſuetum eſt, primo in externis partibus calli obducuntur, per quos homo parum aut nihil patitur: dureſcit præterea cutis, & inde etiam membrum ſolidum redditur: natura aſſueſcit tranſmittere illuc ſanguinem & ſpiritus, & temperies conformis fit laborem paſſuro: demum anima ipſa, quod non paruum eſt, æquo affectu fert, nec adeò turbatur ac terretur.

Hoc non videtur ad hunc locum pertinere. Non omiſerim errorem maximum Braſauoli, qui adeo ſtupidum fuiſſe Oribaſium credit, vt ea illi tribuat, quæ nulli ſano homini quantumuis ſtupido tribui deberent: cum conſtet ex ipſius operibus, etiam Galeno fuiſſe præſtantiorem, quod etſi modò circumferantur commentaria nomini illius falſo aſcripta, inepti viri eſt, cum alioqui Braſauolus eruditus ſit, & vir egregius, tametſi nunc mortuus ſit, falſorum ſcriptorum cauſa tam celebri viro adeò turpem inurere calumniam. Verùm nimius amor Græce literaturæ eum fefellit.

APHORISMVS L.

QVæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent, oportere igitur ad inſueta permutari.

COMMENTARIVS.

CVm in præcedenti Aphoriſmo comparaſſet conſuetudinem ad homines, id eſt eos qui conſueti ſunt, & qui inſueti: hic facit comparationem rerum, dicens, homines perferre conſueta longo tempore, tametſi deteriora melius, quia minus nos moleſtare ſoleant inſuetis. Inde tranſit ex Dialectica ſua ad oppoſitum. *Pag. 6. & 8.* Verùm circa primam partem Hippocrates libro de Ratione victus in acutis, plurima, primum diſſerit circa conſuetudinem naturalem ciborum & potuum, adeò vt velut cibos prauos meliores eſſe conſuetos inſuetis bonis, inde pòſt tranſit ad res præter naturam, adeóque magnifacit conſuetudinem, vt velit eum qui vulnus acceperit in tibia, deinde quieuerit per quinque vel ſex dies, inde cœperit antequam conualuerit obambulare, deterius afficiatur, quàm ſi ab initio cœpiſſet obambulare. Ex quo patet, hîc loqui de conſuetudine bifariam. Vna, qua moleſta melius ferantur, & mala in bonum commutentur, & hæc oportet vt ſit diuturna. Alia verò, quæ eſt neceſſaria in quacunque mutatione, & in illa ſufficit vt homo paucis diebus aut vicibus ei rei aſſueuerit. Et ideo admirantur de ea ſequela Hippocratis, illum non intelligentes, inquit enim: Inſueta etiam quòd ſint optima, moleſtare ſolent: ergo tranſeundum eſt ad illa quandoque, etiam ſi conſuetus fueris malis, quia malis conſuetudinibus aliqui detinentur, vult ne tamen adeò illis inhæreant vt ad bonorum vſum redire non poſſint. Ideo non intelligunt Aphoriſmum, qui eò tendit, vt doceat non conſueta minus moleſtia nos afficere, ſed inſueta magis officere, ad ea igitur ſi bonà ſint tranſeundum, ne vel vbi ad bona redire voluerimus, nobis non liceat. Id maximè manifeſtum fit in his qui non ouis aut ferculis vtuntur, dum enim ægrotant, multum impediuntur. Accedunt caſus rerum humanarum, propter quos cogimur nonnunquam & mala ſubire, aut quod frequentius eſt, mediocria: & ideo bonum eſt illis etiam aſſueſcere, vt ferri poſſint, non vt in eis perſeueremus. Stultum verò eſt credere, illum velle vt tentemus dormire ſuper terram ſub dio hyems tempore, certam iacturam ſubeundo, nec tamen propter id vitemus incertam. Ideo ſexto Epidemiorum: Conſuetudo autem ex qualibus *Sect. 8.* ſani degimus, victus modis, tegumentis, laboribus, ſomnis, rebus venereis, mentis affectionibus. Vbi clarè enumerat ſex res non naturales. Et in Coacis prædictionibus hæc *Pag. 11.* habet: Præter conſuetudinem quid facere, velut eſt, proponere ſibi aliquid, aut expectare aliquid prius non conſuetum, aut contrarium, malum eſt, & mentis emotioni proximum. Et in libro etiam de Inſomniis: *Pag. 5.* Quæcunque homo ex conſuetis ac familiaribus ſe videre exiſtimat, ea animæ concupiſcentiam ſignificant. Quæcunque verò perterrefactus fugit, ſanguinem ſiſti ac coerceri.

Rationem autem Galenus primæ partis pulchram adducit, tam in cibis & potibus, quàm aëre, nam de cibis cum ex his fiat habitus, acquiratúrque ſimilis illis natura, cum longo tempore perſeuerauerit: fiet etiam habitus ille ſimilis nutrimento futuro, quare faciliter concoquentur. Non enim eſt concoctio, niſi aſſimilatio: & quæ aſſimilata ſunt, iam magna ex parte facillimè tranſmutantur, ideò familiaria melius concoquuntur, eáque cauſa panis optimum præbet alimentum.

In aëre etiam frigidus denſat cutim, & ita à frigore minus offenditur: calidus autem aperit poros & meatus, vnde melius difflatur calor, minuſque æſtuat homo.

APHORISMVS LI.

PLurimùm atque repentè euacuare vel replere, calefacere vel refrigerare ſiue quouis alio modo corpus mouere periculoſum: quoniam omne nimium, eſt naturæ inimicum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit.

COMMENTARIVS.

CVm docuiſſet conſuetudinem eſſe ſeruandam, & vtilem in rebus naturalibus: hîc docet, etiam in his quæ ſunt præter naturam obſeruandum, vt ſenſim à naturali ſtatu atque conſuetudine recedamus.

Ideo ſi purgandum ſit, aut replendum corpus, aut calefaciendum vel refrigerandum, id neque multùm neque confertim agendum eſt. Eſt autem ſenſus Aphoriſmi huiuſmodi: Multum ac repentè euacuare, ſeu quouis alio modo mutare corpus, eſt periculoſum. Et reddit rationem, quoniam omne nimium eſt naturæ inimicum: eſt autem nimium, cum fit magna mutatio, & repentè. Vt enim oſtenſum eſt à Philoſopho, ſeptimo Phyſicorum, iuxta comparationem duorum quorumlibet, ſcilicet ſpacij emenſi, & temporis in quo pertranſiuit, & proportionis mouentis ad motum habetur tertium. Veluti mouetur longo tempore, & à magna proportione, ergo multum ſpacij emenſum eſt mobile. Et ita hic dico, fit magna mutatio & celer, igitur à potentia ac vi multa, at multam vim natura robuſta ægrè fert, alia non omnino fert: igitur talis mutatio eſt periculoſa in debilibus, & in robuſtis iacturam affert, adeò vt cum comparatio dicti ſit ad imbecilles, fit periculoſa hæc mutatio ne interficiat: demonſtratio autem probat, quòd ſemper iacturam afferat. Et ita Hippocrates ſolita breuitate demonſtrat primam partem per ſecundam, & in ſecunda præter id addit præcipuum documentum: Vt bifariàm debeamus refugere hanc mutationem. Itaque eſt, ac ſi diceret: Omnis mutatio magna & repentina lædit hominem vehementer, & hoc eſt generale, & deducit ex hac vnam ſpecialem, quæ eſt, Ergo etiam in debilibus omnis talis mutatio eſt periculoſa: igitur tum ob vnum, tum ob aliud eſt fugienda. Cap. 1.

Secunda pars eſt, in qua nos admonet, quòd ſenſim procedere oportet in talibus magnis mutationibus. Et conſtruitur ſyllogiſmus ſic: Multum euacuare, malum eſt, & periculoſum: igitur ſenſim oportet, à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis. Neque enim conuenit obiicere ægros periculis, & illos lædere. Sed quia ſic dicendo, nihil nouum dixiſſet: propterea nos admonet, hanc repentinam mutationem fugiendam eſſe, cum ex vno contrario in aliud tranſire volumus, quaſi innuat: Quod ſi reſtaurandus ſit aliquis macilentus, gratia exempli, ab initio lentè & ſenſim reſtaurandus eſt, inde magis & vberius, vbi iam reſtaurari cœperit. Idem dico de euacuatione. Et ideo elicitur pulcherrima ratio in omni curatione. Vnde ex hoc trahitur illa regula Auicennæ, adeò celebrata, cum ſua demonſtratione ſcilicet: In principio à leuioribus eſt inchoandum.

Hunc Aphoriſmum non extendam ad opus naturæ, quia nimis amplam tractationem præter propoſitum facere oporteret, cum Hippocrates omnino traducat ad medici opus. Illud ſolùm animaduertere decet illis verbis (cum ab altero ad alterum tranſitus fit) hunc Aphoriſmum præcedenti coniunxiſſe. Porrò de mutationibus non ſolùm repentinis, ſed omnibus, quòd cauendæ ſint, ſcripſit ſexto Epidemiorum, de repentinis autem agit libro de Ratione victus in acutis dicens: Quod ſecurius eſt ad ſanitatem, in ſimilibus perſiſtere, quàm repentè etiam in melius commutare. Et infrà docet (cum hic duo tantùm) tria maximè eſſe in mutationibus vitanda: ne vehementiſſimas, ne repentinas, nec etiam intempeſtiuas illas faciamus. Inde proponit vnam pulcherrimam regulam huiuſmodi, Quamuis omnis repentina mutatio difficilis ſit, tamen ad labores deterior quàm ad vaſorum vacuationem. Vnde patet, Hippocratem ponere triplicem ordinem etiam in his repentinis ad naturalia, vt quietem quæ facillimè fertur: ad præter naturam, vt ad euacuationem: quæ difficilius, ad contra naturam: quæ difficillimè, vt labores. Sed cur dictum eſt in ſexto Epidemiorum, In recidiuis mutationes proſunt: oportet autem tranſmutare ad ea quæ conueniunt, antequam malè afficiantur. Cum enim recidiuæ fiant ob malam intemperiem, imbecillitatem eam ſubſequentem, iuuat mutare aërem ſcilicet, & victus rationem ad ea quæ conueniunt, antequam malè afficiantur: ideo celeriter, præoccupando reditum morbi. Liquet ergo, quòd propriè loquitur de his qui ſæpe recidunt: vt Cherion, de quo affert exemplum, qui bis in recidiuam incidit, vt habetur in tertio Epidemiorum. Cum ergo in talibus repentè mutare conducat, non tamen multum mutare operæprecium eſt. Denique illud conſiderandum ex Septimo eiuſdem: Mutatio per qualia, ex qualibus, ad qualia ſe habet, tot ſunt animaduertenda.

Sect. 3. Pag. 6 & 7. Pag. 9. Sec. 6. Sec 6. ægro quinto. Pag. 7.

APHORISMVS LII.

Omnia ſecundum rationem facienti, & non euenienti ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo quod à principio viſum eſt.

COMMENTARIVS.

Continuatur hic Aphoriſmus præcedenti, cum de curationis modo generali, vt in eodem, hic agat: verùm non intellectum fuiſſe ab aliquo, id planè teſtatur, quod nihil habeant quod illius expoſitionem illuſtrent. In ſexto Epidemiorum hæc habet Hippocrates: Per adiectionem contrarià adhibere, & interquieſcere. Vbi Galenus ſuo more exponit. Verum ſententia eſt: Vt cum volueris cognoſcere morbos, contrariis auxiliis adhibitis & interquieſcendo, intelliges qualis ſit: quia à ſimili augebitur, à contrario miteſcet. Hoc igitur cum videamus, nullum certius eſt experimentum. Ne ergo nimis etiam huic modo tribueremus curandi ac cognoſcendi, præcipit vt hæc regula adhibeatur: quòd ſi maneat ratio eadem qualis viſa eſt antè, quòd non debeas permutare genus medelæ (nam ponamus quòd morbus ſit frigidus) & adhibuerimus medicamenta calida, fiet, vt ſi permaneant ſigna frigiditatis, vt non decipiamur, nam ſi Sec. 2.

si calidus fuisset, & si non curatus esset morbus, saltem signa morbi frigidi deficerent, tum quia erant falsa signa, tum quia corpus ex medicamentis incaluit, ergo non staret ratio, quæ ab initio visa est. Non ergo manendum in eis propter primam rationem morbi, neque propter secundam per se: quia qui deceptus est in prima, potuit decipi in secunda: sed quoniam illa prima ratio dum manet, signum est, nos non esse deceptos in intellectu morbi. Non ergo ratio cognitionis morbi, sed perseuerantia cum illis auxiliis, indicat non esse mutandam curam. Adducit ad hoc propositum ex secundo de Medicamentis secundum locos Fuchsius autoritatem Galeni, dicentis: Curandi rationem consistere in cognitione affectuum, qui cum inuenti fuerint certa scientia, propria auxilia exposcunt: quæ tametsi ab initio nihil proficere videantur affectibus contumacibus, ob id quod materia seu flatuosus spiritus meatibus interclusus inpediat medicamenti opus, non tamen mutanda sunt, dicente Hippocrate, & adducit hunc Aphorismum. Dico, huius impedimenti etiam plures aliæ possunt esse causæ: qualitas ambientis, curæ, proprietas hominis, & multa alia, principaliter tamen, vt ait Galenus in Commento, propter naturam vehementer crudam. Sed dicetis, ergo præciditur via mutandi curationem per tempora morbi? Respondeo, quòd illa mutatio non est in genere auxiliorum, sed magnitudine solùm.

Cap. 1. Sec. 10.

APHORISMVS LIII.

QVicunque aluos humidas habent, si quidem iuuenes fuerint, melius degunt iis qui siccas habent: ad senectam verò deterius degunt, nam senescentibus magna ex parte exiccantur.

COMMENTARIVS.

SVperius visum est, hunc Aphorismum illi connecti, & ad vitandam homonymiam melius legi. Degunt, in secunda periodo, quàm Commutant: quoniam in prima oportet vt legatur Degunt, commutant enim, ad propositum non esset. Sed & continuatio est ad sequentem Aphorismum clara, nam in vtroque agit de comparatione ætatum inuicem, iuuentutis & senectutis: ad præcedentem verò, quoniam quædam aliter se habent quàm prima specie videantur, in priore enim Aphorismo non succedentibus rebus ex voto, videbatur mutanda ratio medendi, quæ mutanda non est, ita hæc iuuentus cum aluo liquida melior videtur, quàm cum dura, cum tamen non sit ita. Est ergo, ac si dixisset: Ne mireris quòd non mutanda sit ratio medendi, tametsi videatur iure debere mutari, nam & multa alia videntur quæ non sunt: quemadmodum de iuuenibus, quorum aluus est mollis.

Aphor. 20.

Sensus ergo elicitur ex hoc, quòd humida aluus melior sit, semper sicca: sed quoniam commutanda est ratio à iuuentute in senectutem, melius est vt sicca in iuuenta, & humida in senecta, quàm contrario modo. Primum declaratur in libro de Aëre & aquis: Fieri non potest, inquit, vt morbi acuti generentur, vbi alui liquidæ sunt: at esse securum ab acutis morbis, qui maxime perimunt. Et pòst subiicit, quòd aluus humida multùm prodest ad securitatem lapidis, ne in vesica generetur. Hoc est melius degere, & vtile ac commodum generaliter, cuicunque ætati. Connumerat etiam libro de Coacis prædictionibus Hippocratis, aluum suppressam aut inter signa aut causas conuulsionis. Aluus etiam sicca mala est febrientibus omnibus, & vulneratis, vt habetur in primo de Morbis. At secundum de Senibus ex hoc constat, quòd hi si siccas aluos habeant, retentis multis humidis excrementis quibus abundant, frigidisque, facile à syderatione, à podagra, à malo habitu, à fluxionibus, hydrope, dolore coli, multisque aliis morbis propè insanabilibus corripiuntur. Vnde etiam ex hoc Aphorismo docemur, aluum humidam seruare, non medicamentis tamen.

Pag. 3. *Pag. 7.* *Pag. 7.* *Pag. 4.*

Scripsit Auenzoar, eum qui mollem aluum seruet, nullis corripi morbis. *Epistola ad Regem.*

APHORISMVS LIV.

MAgnitudo corporis iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis, senectæ verò inutilis & deterios paruitate.

COMMENTARIVS.

QVantis tenebris obfuscarit Galenus hos Aphorismos, vel ex hoc videre licet tam exili argumento: vbi cum Hippocrates de vera loquatur corporis magnitudine, scilicet altitudine & crassitudine, quantumuis rectè moderatis, refugit Galenus ad corpus informe, longum, sed minimè crassum: ob id solùm, vt reor, quòd ipse talis esset, scilicet magnus & crassus, capite grandi, ceruice robusta, crinibus crispis & duris, colore fusco, oculis magnis, vegetis, robustis, laborum patiens, admodum acer, ambitiosus, literarum & veritatis summus amator, adeò vt ob hæc prolis & vxoris curam neglexerit, vini meraci potor, breuis somni. Sed ad rem redeo. Quid primùm absurdius, quàm dicere, proceram exilitatem neque indecentem neque illiberalem iuuentæ, cum sit ridicula etiam parentibus & fratribus, vixque non contempta in principibus? Deinde quis docuit Galenum, hos, non illos verè magnos in senecta incuruari, cùm oppositum ostendat experimentum? Et ratio etiam subscribat, maiore enim pondere prægrauantur, & cùm sint etiam humidiores, magis curuantur macilentis, nam & ligna viridia

viridia ab igne magis flectuntur siccis.

Melius ergo fuisset quærere, cur cùm animæ sit immortalis, tamen tam paruo ponderi succumbat in senectute? Si dicas id contingere, quia plus est necessarium de calore: habet etiam corpus maius, maiorem ventriculum, iecur & cor: quo fit, vt ex paruitate principij accidere videatur.

Sunt & qui negent hunc Aphorismum medicum esse, calumniantúrque Hippocratem. Vbi enim in tanto volumine quicquam non medicum inuenient ab Hippocrate dictum? Melius est ergo, vt intellecto hoc quòd medicinalis sit Aphorismus, id quæramus, quomodo senectæ inutilis sit, & deterior paruitate. Languida enim corpora si parum nutrias, si multum mittas sanguinis, si copiosè purges, statim exoluuntur: & serò, si modò sanentur, admodum restituuntur: sin autem à præsidiis validis cesses, vi morbi pereunt, at contrà parui corpore, omnia valida auxilia facilè sustinent, vtpote robustiora: & inediam præcipuè, non solùm propter robustiores vires, sed etiam ob id quòd corpus paruum communiter minore cibo contentum est, & facilius ac celerius conualescunt ex morbis. Præterea magnos huiusmodi viros, & à laboribus & negociis vtiliter, tempestiuè, ac prius quàm paruos amouebis, vt qui ferre talia diutius non queant ob naturæ imbecillitatem. An verò hæc omnia tum ad curationem, tum præseruationem sint vtilia, considerandum relinquo.

Illud præterea, quòd tanquam compertum, quod maximè dubium est, omiserunt quærere oportuit: An scilicet, vbi magnitudo obest senectuti, paruitas vtilis sit, & melior mediocritate? in talibus versari Galenum & cæteros expositores oportuit, & non in inutilibus nugis. Plurimùm enim conferre hoc ad medicinam ipsam, perspicuum est: imò etiam esse necessarium: vt scilicet, paruis corporibus an mediocribus maior fames sit iniungenda, plus de sanguine mittendum, plus fricanda, exquisitius purganda. At tantum abest vt ista quærerent, vt etiam quæstionis titulum ignorauerint. Et mihi videtur hoc voluisse Hippocratem hic modò, vt porportione partium paria sint, scilicet mediocre & paruum, vel vtrunque bene compositum, vel vtrunque malè: experientia scilicet hoc docente, quod parua corpora omnia facilius & melius ferunt in senecta quàm magna, & celerius restaurantur, & quoniam etiam articulos habent melius constrictos, citius ambulant. Et pinguia pinguibus, & macilenta macilentis conferendo. Hippocrates libro de Aëre & aquis & locis, cum docuisset Asianos esse proceræ staturæ, & formosos, & satis bonorum morum, aufert tamen ab illis virilitatem & fortitudinem, & laborum patientiam. Idem etiam de Phasidis fluuij accolis, quos ingentis proceritatis & excellentiæ corpulentiæ esse tradit: minimè tamen robustos, aut ad perferendum labores idoneos esse ait. *Pag. 9. & 11.*



IN TERTIAM SECTIONEM APHORISMOS HIPPOCRATIS,

COMMENTARIVS TERTIVS.

APHORISMVS I.



MVTATIONES temporum potissimum pariunt morbos. Et in quibusdam temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.

COMMENTARIVS.

Pag. 11. QVadruplicem temporum mutationem obseruat Hippocrates. Vnam atque primam ordinariam, & cuique regioni propriam atque familiarem: de qua ipse dicebat in libro de Aëre & aquis ac locis, quòd vbi hæc mutatio magna fit, scilicet vt æstas sit valde calida, & hyems valde frigida, ibi homines sunt robustiores: quia calor naturalis repercussus intro ob illas mutationes robustior euadit, & functiones omnes naturales efficit meliores. Similiter & affectus animi ex huiusmodi mutationibus percelluntur, quare homines fiunt promptiores, magis viriles & fortiores, atq; ad omnia munia, maximè bellica, magis parati. Et hanc ob causam magis dicit, Europei sunt Asianis præstantiores: illi autem habent horum loco corpora maiora, formosiora, & animos mansuetiores. De huiusmodi mutatione

mutatione loquitur in hac particula Aphorismo nono, & à vigesimo ad vigesimumtertium, vbi enumerat morbos temporibus familiares. Secunda mutatio est ex comparatione vnius temporis ad aliud succedens: quia quanto maius fit discrimen inter vnum & aliud tempus, eo magis sæuiunt morbi. Et de hoc proponit quatuor exempla, ab vndecimo scilicet ad quartúdecimum Aphorismum: in quibus semper obseruat tria hæc, primum, quòd proponit hyemem vel æstatem, inde tempus medium succedens. Secundum, quòd constituit semper constitutionem secundi temporis è regione contrariam constitutioni primi. Tertium, quòd proponit morbos qui eueniunt non in primo nec secundo tempore, sed in tertio: vtpote si proposuit de constitutione hyemis & veris, proponit de morbis æstatis. Tertia mutatio est ex exortu siderum & occasu, de qua in libro de Aëre & aquis ac locis inquit: Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maximè verò æstiuum: periculosum etiam æquinoctium vtrumque, magis verò autumnale, oportet autem & astrorum exortus considerare, præcipuè Canis, deinde Arcturi & Pleiadum occasum. Morbi enim in his maximè diebus iudicantur: aliique perimunt, alij verò desinunt, aut in aliam speciem aliúmque statum transmutantur. De hac egit in sextodecimo & decimoseptimo, licet causam non exposuerit. Quarta, est fortuita mutatio, de qua loquitur à quinto ad octauum Aphorismum, nam quintusdecimus Aphorismus omnibus mutationibus communis est, sicut & hic primus: sed primus est generalis, quintusdecimus autem est specialis. Sunt ergo duo genera mutationis, naturale, & est primus & tertius modus: & fortuitum, secundus & quartus.

Pag. 9.

Continuatur præcedenti particulæ in vltimis Aphorismis, vbi docuit consueta perferri faciliter: hic autem docet mutationes temporum ob id generare morbos: vnde etiam quinquagesimus primus ad hoc maximè facit, nam si repentè & multum quouis modo corpus mouere est periculosum, & naturæ inimicum, igitur cum temporum mutationes id agant, sequitur vt temporum mutationes generent morbos, & sint periculosæ, & occidant etiam imbecilles. Statuit ergo fundamentum totius huius particulæ in Aphorismo superius explicato. Sic igitur hic argumentatur ex primo & tertio genere mutationis ad duo reliqua: Mutatio naturalis temporum parit morbos, quia videmus quod morbi æstiui sunt dissimiles morbis hyemis, & autumnales vernis, quod declarat inferius. Sed mutationes reliquæ sunt maiores: prima, quia primum includunt, & etiam vltra addunt propriam vim, quæ persæpe est maior, prima igitur mutationes omnes quorumlibet generum, temporis potissimum, morbos pariunt.

Aphor. 9.

Cur autem dixerit mutationes, clarum est, nam non vna est, sed quatuor, caloris ad frigus, & contrà humidi ad siccum: & contrà, imbrium & serenitatis. Tranquillæ ad ventosam, & contrà: atque hæc triplex, scilicet, austrina ad borealem, & contrà, & vtriusque cum tranquilla: ita si nt duodecim mutationes simplices, ex quibus fient compositæ geminæ, cum sint tantùm quatuor simplices: quoniam mutatio ex tranquilla in Aquiloniam vel austrinam, non possunt esse simul cum ea quæ est inter austrinam & borealem, nec etiam inter se: tamen cum sint tres, fient quadraginta octo. Cum ergo ex his non connumerasset, nisi duas atque simplices, comprehendit paucis illis verbis (Et alia pro ratione eodem modo) reliquas omnes alias. Porrò quod permutationes intelligat, an ipsum permutari, an ipsum permutatum esse (plurimum enim inter hæc interest) nam si de vtroque intelligit, totus annus sub alterutro horum fermè continebitur: sin ipsum permutatum esse, non erit mutatio causa morborum, sed calor vel frigus: sin ipsa mutatio, ipsa primum non sentitur, cum sensim fiat, & maximè naturalis, etiam experimentum docet, non in ipsa mutatione fieri morbos, imò nec in ipsa mutata ambientis aëris qualitate. Hunc scrupulum nullus est ausus dissoluere: qui certè durissimus esset ad mandendum, nisi ducem haberemus Hippocratem, qui & in Epidemiis, maximè primo & tertio, & hic infrà, cum doceat nos pro mutationem, non ipsum mutationis actum, sed mutatum esse, vtpote calefactum vel refrigeratum, neque in hoc tempore etiam morbos fieri, sed hanc esse causam morborum: ipsos verò morbos fieri paulopòst, vt etiam experientia ostendit. Vnde patet, quantum cæcutiant expositores etiam in lucidissimis & maximè necessariis rebus: méque primum detexisse, quæ tam longo tempore, quamuis sub manibus, latuerunt.

Hæc igitur omnia iam per se clara sunt, nisi obstaret Galenus, qui vult, Hippocratem non intelligere de naturali temporum mutatione, propter illud verbum μάλιστα: quoniam dicit, mutationes temporum naturales non magis pariunt, quàm soluant morbos, sed solùm illæ quæ multùm excedunt. Ergo non possumus dicere, quòd potissimum pariunt morbos. Deinde vellet legere literam alio modo quàm probat, sed corrumpit sensum Hippocratis, vnde patet, ipsum non intellexisse Hippocratem. Dico ergo, quòd Hippocrates intelligit, vt dixi, de mutatione temporum naturali, tanquam assumpto manifesto. Per potissimum, intelligit frequenter & maximè, vt alij verterunt etiam, atque id verissimum. Vnde enim etiam in æstate maximè secundum naturam, tot tertianæ, in hyeme tot destillationes, in vere atræbiles, morbi praui in autumno, nisi ex ipsa temporis natura? Et quæ dialectica est hæc, Morbi à temporibus soluuntur, ergo non potissimum fiunt? Morbi à venenis soluuntur, vt elephantiasis à viperarum carne, ergo venena non sunt venena? Sed oportuit adiicere, quòd si adiectum fuisset, verum non fuisset: tot morbi à temporibus fiunt, quot soluuntur, aut non minus horum neutrum est, nam multi fiunt morbi, & pauci

pauci soluuntur in temporum mutationibus & fiunt per se, & soluuntur per accidens. Quicunque enim vel nimis imbecilles viribus, vel temperamento simillimi sunt tempori, vel malo vtuntur victu, ægrotant.

Nunc verò colligamus, ipsam rem exponentes, quod nunquam ab aliis cognosci potuit: & omnes adducunt Hippocratem, & quid dixerit intelligere neglexerunt. Dicamus ergo, quòd tempora anni, vt habetur infrà, sic à Galeno distinguuntur: Æquinoctium vernum, veris initium statuit: ortus Pleiadum, æstatis: Canis exortus, illius medium: Arcturi ortus, initium autumni: Pleiadum occasus, hyemis. Clarius hæc distinxit in primo Epidemiorum: Ver incipit sub ortu Pleiadum: & quia ver nobis incipit decima die Martij, & iuxta Galenum nec per duos integros menses extenditur, fiet, vt circa quintam Maij inchoet æstas, & post duos menses fiat eius medium exoriente canicula, iuxta decimam Iulij: & quia æstas est fermè quatuor mensium, ad Arcturi ortum terminata, quî fit (vt ille refert) quod duodecim diebus ante autumnale solstitium, fiet autumni initium, calendis fermè Septembris? Et quoniam occasus Pleiadum contingit diebus circiter quinquaginta post autumni æquinoctium, erit occasus Pleiadum, qui & initium hyemis, circiter calendas Nouembris: túncque prima pars hyemis, quæ extenditur ad brumam seu solstitium hyemale: id est, iuxta duodecimam diem Decembris, cum incipit media hyems, & extenditur vsque ad φυταλίαν, quæ incipit à Fauonij flatu iuxta decimam diem Februarij, cum violæ purpureæ pullulare incipiunt, seu florere. Atque ita annus diuiditur in septem partes, quemadmodum & Hippocrates dicit, diuisit in libro de Septimanis. Et ver est dierum circiter quinquaginta quinque, & est indiuisum. Æstas autem dierum centum & quindecim, & diuiditur in duas partes: Autumnus dierum sexaginta, & remanet indiuisus: Et hyems dierum plusquam centum & triginta, & diuiditur in tres partes. Sed quia hæc diuisio non congruit his temporibus, cum permutata sint tempora, non solùm ortus & occasus siderum, sed etiam æquinoctiorum & solstitiorum, & etiam (vt rectè Galenus ait) hæc ratio non conuenit omnibus regionibus, sed solùm his quæ sunt in eodem parallelo. Et quoniam confusa est, nec declarat mentem Hippocratis, & etiam malè intellecta à Galeno, & peius recitata: ideo exponam rationem diuisionis temporum, iuxta sensum ipsarum rerum, & experimentum, & ea per quæ planè intelligi poterunt dicta Hippocratis in hoc libro, & in Epidemiis, & in libro de Aëre, aquis & locis. Et si te non mouet mea autoritas, quam volo vt hoc in casu nullam esse putes, moueat te ipsa rerum experientia & successus, per hæc enim præuidebis, qui, quales & quando futuri sint morbi: quæ adeò ignorantur à medicis nostri temporis, vt cum videatur illis omnia in contrarium euenire, eorum quæ Hippocrates dixerit, quod sic Hippocratem intelligentibus euenire est necessarium illius doctrinam tanquam inanem & ridiculam contemnant, & etiam irrideant.

Com. 14.

Com. 1. sec. 1. post proœmium:

Est ergo huiusmodi ratio, quatuor tempora anni semper à cardinibus cœli, dum sol est in eis, inchoant: Ver à vernali æquinoctio, Æstas ab æstiuo solstitio, Autumnus ab autumnali æquinoctio, Hyems à bruma seu hyemali solstitio, quandocunque inciderint, serò autem mutantur. Nunc enim Ver à VI. idus Martij: Æstas, pridie idus Iunij: Autumnus, idibus Septembris: Bruma, pridie idus Decembris, vel circa, euariat enim per vnam diem antè post-ve: sed hoc nihil refert, quando non adeò subtiliter res tractanda sit, vt de morbis ipsis præfinire certam diem velimus, valeamúsve, nec hoc iubet aut docet Hippocrates. Inde considerandum, quod, vt demonstrauimus in libris de Subtilitate, omnia elementa natura frigidissima sunt, vnde fit vt motus hi ad caliditatem & frigiditatem non sint æquales, sed recedente quidem sole, vt in autumno & hyeme post quindecim dies ad summum vigoris perueniant, ergo autumnus ad summum inæqualitatis perueniet circiter quarto calendas Octobris, & hyems circiter quinto aut sexto calendas Ianuarij. At in calore triginta fermè dies expectare oportet ita vt summa æqualitas consistat circa idus Aprilis, vnde Poëta:

Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus.— Circa has idus enim sol in Taurum ingreditur. Maximus verò æstus fit circa idus Iulij, atque id est initium æstatis: idest, vigoris illius. Hippocrates ergo mutationem temporis non ab ipso temporis principio, quod latet fermè, nec à mutatione ipsa, quæ sensim fit, nec esset ratio cur magis vna die quàm alia mutari tempora diceremus: sed ab ipso temporis statu, cum tale maximè est, accipit. Nec definit vnam diem, sed cum (vt dixi) calor minus apud nos frigore vigeat, cum elementa discessum solis adiuuent, & frigus: regressui autem eius resistant, calorémque impediant: ideo calor tardè accedit, & breui tempore manet: frigus autem celeriter aduenit, & diu manet. Quamobrem in hyeme & vere, viginti dies proximos: in æstate & autumno, cum sol recedat iam à nobis, solùm decem dies proximos, assumere temporis pro statu oportet. Ita ergo fiet, vt ver ad finem Aprilis & Maij calendas extendatur, hyems verò ad quintumdecimum calendas Februarij, æstas ad octauum calēdas Sextiles seu Augusti: autumnus, ad nonas Octobris. In his ergo temporibus viget causa morborum, vtpote à priore statu temporis maximè dissidentibus, atque tunc duplices morbi oriuntur: proprij tempori, & qui fiunt ex opposita transmutatione: vtpote in ipso vere, pro exēplo, morbi verni vigent ab idibus Aprilis ad calendas Maij: qui verò fiunt ex commutatione contrariæ hyemis, ad ver apparebunt, post calendas Maij, imò multo pòst, scilicet ab æstiuo solstitio. Et primi quidem initium suum non vltra septem dies ab idibus Aprilis differre poterunt: alij autem statim à soltitio inchoabunt, nec differunt vltra septem dies: eorum verò incrementum perueniet vsque ad vigoris finem ipsius æstatis, id

id est ad octauum calendas Augusti. Nihilominus euariant hæc tempora, & postponunt vel anticipant: ratione quidem imbrium postponunt, ventorum etiam anticipare possunt. Sed euentus morborum sunt expectandi iuxta rationes easdem ad vigorem temporis sensilem, & qui tunc habetur, non qui esse deberet. Ideo cautè prædicendum, si non pluat, vel venti naturam temporis mutauerint: & tunc non solùm tempus morborum, sed & natura eorum mutatur, vt in 5 6.7 16.& 17. Aphorismo.

APHORISMVS II.

NAturarum hæ quidem ad æstatem: hæ verò ad hyemem, bene maléve se habent.

COMMENTARIVS.

OMittit Galenus continuationem, ex qua pendet tota interpretatio Aphorismi, nam cum docuisset mutationes temporum potissimùm parere morbos, poterat videri ex hoc omnes æstate, atque hyeme maximè, quoniam hæc tempora etiam maximè, sunt intemperata, debere ægrotare, dicit ergo non, sed quoties mutatio ad conueniens naturæ fuerit, scilicet frigidorum ad æstatem, calidorum ad hyemem: quæ verò ad similia statim ægrotant, calidæ & siccæ ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hyemem: mediis verò temporibus leuiter, malè se habent. Et similiter temperaturæ mediæ extremis temporibus. Sed nunquid per naturas solùm temperaturas intelligit, vt Galenus exponit: an primum etiam illud intelligendum est, etiam de iecore tantùm, & corde vel cerebro? Cerebrum enim frigidum hyeme manifestè læditur, non ita calidum iuuatur: & iecur calidum æstate læditur, hyeme non adeò iuuatur. Et densa textura bene se habent hyeme, rara æstate. Et quæ tenues habent humores, melius se habent hyeme quàm æstate. Amplificatur in libro de Humoribus: Ad ætates, regiones, victus rationem & morborum constitutiones, quæ omnia prosequitur in sequenti Aphorismo, qui vnus est cum præsenti, ideo etiam ille continuatione non indiget. Ex hoc etiam naturam perdiscere licet, qui enim melius se habent æstate quàm hyeme, frigidi sunt, & humidi temperamenti, & rarioris texturæ. Pag. 4.

APHORISMVS III.

MOrbi quoque alij ad alia bene vel malè se habent: & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.

COMMENTARIVS.

QVòd vt dixi de reliquis quatuor, quæ ad naturam comparantur, hîc inter se modò comparantur, & ad morbos. Exponendum est igitur quid velit per Alia: an intelligat naturas, & certè cum comparentur sex: Naturæ, morbi, ætates, regiones, anni tempora & victus, hac vna ratione quæ est bene vel malè se habere, liquet, quòd per alia intelligit & naturas, & anni tempora: & ita fient quindecim comparationes, computata illa quæ posita est in præsenti Aphorismo. Fuchsius in duabus quæstionibus mirum in modum se contorquet: in prima, an cum dicimus morbos ad tempora anni bene se habere, sit intelligendum quòd difficiliores sint, & ita εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι interpretatur, magis aut minus procliues sunt. Qui sensus cum sit violenter excerptus ex his verbis, est etiam præter Hippocratis mentem, qui omnia ad ægrotantem, non ad affectus ipsos refert. Præterea quæstio est de nomine: quomodo enim cumque statuas, modò scias quæ morbos reddunt difficiliores seu deteriores, in his ægrum malè se habere, & in quibus tempora obsunt morbis, si id dici rectè potest: melius se habere ægros, id mihi satis est. Vt tandem sensus clarus sit, morbi quibusdam in ætatibus & temporibus & locis, ac victus generibus, deterius vel mitius homines afficiunt. Secunda quæstio est difficilior, Nec illius humeris apta, confusa, falsa, inordinata. Et breuiter dico, quod similia conueniunt nutrimenta generali ratione in omnibus: quia nutritio fit ex similibus, est enim assimilatio ergo quæ sunt similia, facilius assimilantur & nutriunt. Et ideo hæc regula est generalissima ratione primæ intentionis, & est nutritio: at ratione intemperiei contrariæ, vtpote frigidæ & siccæ, quæ aduersatur vitæ, est necessarium vti contrariis. Quòd autem timeatur nimius lapsus, non est causa in calida & humida intemperie, vt vtamur contrariis, sed similibus non admodum in qualitate à temperamento recedentibus. Sed in imbecillibus, & maximè senibus, variat hic modus, nam si robusti sint, vti debent calidis & humidis ad tardandam senectutem: sed si sint imbecilles, talia alimenta non nutriunt bene, quia non possunt transmutari, & replent hominem excrementis, & ita duplici malo afficiunt hominem: ergo necesse est his vti simili alimento. Et hæc est tota ratio breuiter explicata. Aër ergo, quia non indiget ea transmutatione, & quia assiduè attrahitur maxima quantitas tum ad cor, tum ad cerebrum, si sit similis, omnino lædet hominem: & in morbos, & ad mortem traducet, nisi in temperie æquali. Ergo in inæquali semper debet esse contrarius. Eadem ratio quæ est de aëre, est de medicamentis: quoniam contraria esse debent temperaturæ, vt eam retrahant ad temperiem, vel saltem non fieri sinant deteriorem. Similiter in cibis, qui duræ concoctionis sunt, oportet vt sint similes: facilis autem, dissimiles, nam difficilis coctionis, & contrarij nunquam perfectè concoquuntur. Et hoc est, quòd idem homo cibum vnum difficilis coctionis facile superabit, ab alio autem maximè læditur. Et in hoc non solum oportet considerare temperiem totius, sed

sed etiam ventriculi, imò forsan magis, & & consuetudinem. Ideò demiror de Galeno, qui contrarios cibos laudat in omni intemperie, & etiam quod præter rationem vituperat Hippocratem: sed hoc non est mirum, neque nouum. Quòd enim reprehendit, est bene dictum, quia Hippocrates per alia intelligit ætates & victus genera: sed si legatur vt vult Galenus, non comparabit morbos ad ætates: igitur non rectè, quoniam deficiet vnum ex illis quindecim membris connumerandis.

Quòd si obiicias, Hippocratem velle vt quis vtatur victu contrario, in libro de Salubri diæta, & primo de Diæta: Respondeo, quòd ibi loquitur de ratione victus tutiore, non vtiliore, nam cum scribat vulgaribus, illi tutius reguntur contrariis quàm similibus. Sed ne videar hanc partem absque ratione & Hippocratis sententia tueri, audite illum in libro de Alimento: Pulmo alimentum sibi contrariam trahit, reliqua verò omnia idem. Idest, pulmo gaudet contrario corpori alimento, si frigidum sit corpus, aëre calido: si calidum, frigido: sed reliqua omnia gaudent simili, trahunt ergo: simile igitur similibus vesci conuenit. Idem libro de Natura pueri: Simile transit ad simile. Et primo de Diæta: Concors concordi adhæret: discordia autem rebellant, diffident ac pugnant. Hoc idem, ne dubitare possis, Galenus ipse secundo de Elementis confirmat, Hippocratis authoritate.

Pag.1. Pag.11. Pag.3. Pag.3. Pag.4. Cap.vlt.

APHORISMVS IV.

IN temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

COMMENTARIVS.

GAlenus certè vno verbo se explicat, dicens, quod nomen, sed temperatura est causa morborum: cum ergo temperatura huiusmodi temporis sit autumno similis, meritò in huiusmodi tempore autumnales morbos expectare oportet. Sed infrà tamen, cum dicat, Autumno morbi acutissimi atque lethales maxima ex parte: cum assignet quatuor causas huius, non videntur competere his temporibus, qui sic euariant, nisi vna. Nam nec malus vsus fructuum, nec caloris innati resolutio, nec consuetudo digerendi malos halitus per cutem: quia si hoc in vere contingat, hyemi nihil horum conuenit. Cum ergo infrà autumnales morbos refert, excipere oportet eos qui simul sunt æstiui. Inquit enim: autumno verò & multi æstiui morbi fiunt. Ergo nec de omnibus illis, sed hos sub illis contineri dicit. Consequuntur enim formam illorum, qui propriè ex mutatione à calore in frigus, & contrà proueniunt, non aliorum, tales sunt propriè febres erraticæ, anginæ, anhelationes, vrinæ stillicidia, & difficultates intestinorum & ilei, & morbi comitiales. Intelligit autem, quòd tale tempus diu perseueret, & pluribus diebus continuis hoc contigerit.

Aphor.9. Com.11.

Et extenditur ad alias similitudines partium anni, & ad regiones: velut Romæ hæc sæuitia morberum abundat maximè, quia aëris qualitas etiam vere autumnalis est.

Sunt etiam qui velut per autumnales morbos intelligere inconstantes & mali iudicij, vt infrà. Sed hoc cum sit valde remotum à verbis Hippocratis, non audeo affirmare. Nam ipse in libro de Humoribus hæc habet: Si verò similiter eiusmodi quoque fuerint morbi, & ad talem modum tracti, veluti est morbus regius autumnalis, frigora enim ex caloribus, & calor ex frigore, prosequitur autem idem in aliis temporibus. Inde subiungit: Quum verò æstas fiat veri similis, sudores in febribus, & febres faciles. Et paulo pòst: Et autumnus, si non in tempore ac derepentè hybernarit, non assiduè tales morbos facit, eo quòd non in tempore incœpit, sed inæqualiter fit. Proponit ergo duo genera temporum, primo, cum consistunt secundum naturam, & tunc pariunt morbos secundum naturam in maximè: & cum transeunt in alienam qualitatem, & tunc magis vigent morbi secundum naturam qualitatis alienæ acquisitæ, quam temporis proprij, & hoc est quod hic voluit. Sed illud restat, quare mutatio, quanto breuior, tanto deterior, vt quæ in anni temporibus, quàm in diuersis annis: & in diebus diuersis, quàm anni temporibus: & in horis paucis eiusdem diei, quàm in diuersis diebus? Causa non alia est, quam quæ dicta fuit superius in præcedenti sectione, nam que fit & ad horas &, momenta, cum sit celerrima, multum agitat naturam, nec sinit occasionem habere resistendi, vnde fluxiones & insaniæ, nam libro de Aëre & aquis dicit: Temporum frequentes mutationes mentem percellunt, hoc contingit ex magno impetu humorum ad caput tendentem, inde etiam morbos turgente ex materia fieri conuenit. Vnde cum tot scire necessarium esset, demiror cur Galenus tam sicco pede hanc expositionem transegerit.

Aphor.8. Pag.4. Aphor.51. Pag.15.

Manifestum verò est, dari & tertiam mutationem ad simile, vt autumnus autumnalis: & tunc erit maximè lethalis, id est abundans plurimis morbis, & lethalibus, & celerrimè mortem inferentibus.

APHORISMVS V.


AVstri auditum hebetantes, caliginosi: caput grauantes, pigri, dissoluentes: quando huiuscemodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum & pectoris dolores, quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

COMMENTARIVS.

POst absolutam generalem de mutatione & actione temporum narrationem, ad specialia

ſpecialia deuenit, & incipit à conſtitutione quæ oritur ab ortu ſiderum, aut fortuita, nam flatus ventorum quorundam etiam inſequitur certa tempora, vt eſt Fauonius, qui & Zephyrus, ſpirat fermè nonis Februarij: aut ſub quartum Idus, & tunc terra quaſi iam inchoato vere purpureas edit violas: &
Lib. 2. c. 47. & 18. c. 34. Eteſiæ, id eſt Aquilones, vt à Plinio habetur, qui octo diebus ante exortum caniculæ incipiunt ab æſtiuo ortu, vocantúrque Prodromi, & perſeuerant poſt eundem ortum diebus circiter quadraginta duobus, vt in vniuerſum quinquaginta diebus ſpirent: nec nocte vnquam, nec manè, ſed à tertia ſolum diei hora incipientes fermè tota die flant. In Italia haud perpetui & conſtantes, quaſi vnicum præſidium aduerſus tantos æſtus. At Boreæ & Auſtri flatus apud nos fortuiti ſunt. Martio tamen menſe prope vernum Æquinoctium, cum omnes venti pugnant, Aquilonares maximè apud nos vigent: quòd ea parte fauces montium adſint verſus Germaniam.

Enumerat ergo vndecim morborum genera, quinque pro Auſtris, & ſex pro Borealibus: quorum cauſæ à Galeno rectè explicantur, atque vtinam tam bene vbique, excuſaſſet enim nos à præſenti labore. Cauſa ergo cur Auſtri hebetent omnes ſenſus, ac motus grauantes & diſſoluentes vires, eſt, quòd calefaciunt, humectant, & vaporibus caput replent, ex quo origo omnium ſenſuum ac motuum. Sed dices, cur Auſtri humidi ſunt? de caliditate enim perſpicuum eſt, ob regionis ſitum, quæ ad meridiem iacet. Dicunt, quòd humidi ſunt, quoniam mare tranſeunt. Hæc ratio falſa eſt: nam vapores maris magis ſiccarent, quàm humectarent forſan, & etiam quia habitantibus in Ægypto hi venti humidi ſunt, & magis quàm Boreas, & tamen ibi tranſeunt per arenas. Dico ergo, quòd omnes venti debiles ſecum vehunt vapores terræ, ideo omnes humectant, ideo Auſtri cum procul veniant, humectant: at Boreales cum ſint validi, quia propè adueniunt, ſolum aërem deducunt, & non vapores, ideo non adeò humectant. Et quia frigidi ſunt, & magno impetu feruntur, conſtringunt poros, & partim congelando, partim exprimendo ſiccant corpora. Et hæc fuit cauſa, cur Hippocrates, more ſuo conſulens breuitati, aſſumpſit pro exemplo duo extrema: calidiſſimum humidiſſimum, tardiſſimum & frigidiſſimum, violentiſſimum & ſicciſſimum, per quos de mediis coniecturam facere liceret. Propter hoc dicebat Hip-
Pag. 2. pocrates ſecundo de Diæta: Venti omnes frigidi ſunt, & humidi: quoniam natura aëris talis eſt. Ex quo libet, quòd ipſe concors eſt cum noſtra opinione, qui cenſemus omnia elementa eſſe frigidiſſima, aërem autem & aquam etiam humidiſſima, quamuis cauſa quam Hippocrates aſſignat, ſit alia: ſcilicet quòd ſpirent à niue, glacie, fluminibus, terra perfrigerata. Sed ſatis eſt, quod in effectu & prima cauſa, ſcilicet ventorum natura & aëris frigiditate ſumus concordes, nam de cauſis aliis remotioribus, nondum inuentis principiis veris Philoſophiæ, non potuit Hippocrates illa docere. Magis mirandum eſt, quòd cum habuerit falſa principia, potuerit veritatem de rebus cognoſcere.



Sit igitur circulus finitoris in noſtra regione a b d, & manifeſtum nos eſſe in k centro: ſint igitur K h & K g ſexaginta, erúntque ex deſideratis in Apologia de Sub- Reſponſio ad 80. obiectionem.
tilitate, ortus hyemalis, diſtans partibus viginti ſex, & minutis quinque: ſitque K l & tantundem K m pro ortu hyemali, K autem vernalis ortus: & ducantur a l b & e m f, erunt igitur ortus hyemalis e, æſtiuus a: occaſus æſtiuus b, hyemalis f: & vernalis ortus, c occaſus d, habebis igitur octo ventos principales antiquis notos: Auſtrum ex g, Boream ex h, & reliquos vt dixi. Cum verò c & d ſint magis auſtrales quadraginta quatuor partibus nobis erunt, c a partes ſexaginta octo, & tota a e fermè nonaginta quatuor, non tamen voluimus exquiſitè hæc inueſtigare, ſatis eſt, quod ortus æſtiuus eſt valde borealis. Hoc autem iuuat multum ad ædificationes ædium.


Sed redeo ad expoſitionem textus. Aquilonia conſtitutio refrigerat, & exprimit ac denſat corpora, & ideo facit fluxiones, ex quibus tuſſes & fauces: ſed ex frigore horrores, alui duræ fiunt, bile quaſi gelu concreta, nec inteſtina pungente, ſiccatis etiam fecibus, & vi inteſtinorum torpente ob frigus ipſum. Vrinæ verò difficultates cur fiant, ex ſubſequentibus intelliges, nam & bile ad Aph. 1. in Par.
locum illum tranſeunte relictis inteſtinis, & veſica parum ſe comprimente, fit hæc difficultas. Coſtarum & pectoris dolores cur fiant, Galenus docere prætermiſit: quoniam hoc non ſe ſtatim offerebat ſcribenti. Certè demiror eos qui illi tantum tribuunt, non animaduertere quod in hac expoſitione, vbi quid difficile incidit, ſtatim dilabitur. Si enim ob id coſtæ & pectus dolent, quòd ſint membra exanguia, cur non magis genua & cubiti? at hoc experimento compertum eſt, dolere pectus & coſtas multis mortalibus in hac conſtitutione, non genua vel cubitos. Cauſa ergo eſt, quòd pectus maximè calet vicinitate cordis & pulmonis & iecoris: & quia conſtat maxima ex parte oſſibus & cartilaginibus, & ideo valde exangue eſt, ideo facilè & multum perfrigeratur: ſed mutatio celer à naturali ſtatu doloris propria cauſa eſt, maximè cum ibi ſint membra prædita multo ſenſu, vt in pectore neruorum multitudo, igitur ab his conſtitutionibus ea pars dolore afficitur, non ita aliæ, nam venter & muſculi ac ſuræ, quia carnoſæ, non facilè

perfrige

perfrigerantur, cubiti, genua ac ossa tibiarum perfrigerantur quidem vehementer, sed non dolent: quia natura semper frigent, & etiam minus prædita sunt neruis, frons verò & caput, ob consuetudinem non adeò vt pectus afficiuntur, tametsi exanguia sint, & etiam calida ob cerebrum.

Pag. 4. Hic Aphorismus in libro de Humoribus habet, præter ea quæ hîc referuntur de Austrina constitutione, vlcera fluida & putrida, maximè circa os & pudenda.

Hæc igitur est vis constitutionis, cum venti per multos dies iidem aliqua in regione perseuerauerint. Vapores enim in validis ventis obmotum velocem dissoluuntur, & ita aër purgatur: in remissis autem aër repletur. Quid si leuis aura à Septentrionibus spirauerit? hoc est difficile: sed vbi accidat, nec aërem purgabit, nec replebit. In hac fermè sententia est Hippocrates libro de Diæta secundo, dicens: Auster frigidus est & humidus natura in propinquis locis, velut & Boreas: quia ibi vehemens est, & per loca humida progreditur, at cum ad nos peruenit, naturam mutat ex longinquo itinere, calefacítque & resiccat, per viam enim calidam procedens, exuritur à sole, atque siccatur. Boreas autem naturam suam retinet, & ideo refrigerat & humectat. Sed videtur in hoc contradicere his quæ hîc dicta sunt, quoniam diximus totum oppositum: Austrum humectare, Boream exiccare. Nam Boreas natura quidem humidus est, sed ob motum vehementem exsiccat: sicut videmus in vlceribus, quæ posita in aqua currente mirum in modum siccantur, quanto magis à celeriore venti Boreæ, impetúque adeò acri. Sed Auster etsi siccus natura sit, ob vapores tamen, quos secum vehit, & lentitudinem, humectat. Deinde prosequitur naturam aliorum ventorum ibidem, dicens: Venti vel procedunt à mari, & sic sunt sicciores: vel à niuibus, glacie, fluminibus, stagnis, & sic sunt frigidi & humidi: túmque salubres, nisi immodicè frigidi sint, aut calidi etiam. Reliqui frigidi & humidi, recreant animam, si puri sint sua frigiditate: & corpus non exsiccant, sed humectant. Venti autem à terra prodeuntes, immodicè siccant, scilicet ob vapores & motum: ideo non solùm homines, sed etiam animalia & plantas lædunt: qui verò ex montibus prodeunt ad vrbes, non solùm siccant, sed etiam turbant spiritum, & morbosa corpora reddunt. Manifestè autem duorum horum principalium ventorum Austri & Boreæ originem sub polis esse docuit: vnde etiam naturam venatur aliorum ex regionibus vnde veniunt, quáque transeunt. In libro autem de Sacro morbo ait, Sacer morbus maximè fit ex ventorum mutationibus: inter hos potentissimi sunt Aquilo & Auster, atque maximè contrarij loco & viribus, nam Aquilo purgat aërem, pellucidúmque reddit: humidum, & quod turbatum est ex illo, tum etiam è corporibus ipsis hominum propellens, ob idque etiam omnium saluberrimus. Talésque sunt omnes è mari & aquis (supple mobilibus) proficiscentes. Auster verò calefacit & humectat omnia, atque obtenebrat etiam solem & lunam & sidera: ideo etiam si hîc non sentiatur, ex inspectu siderum, quoniam (vt declaraui in libris de Subtilitate (venti è superiori parte aëris in inferiorem descendere solent, quod iam superius spirare cœperit, cognosci poterit, cum sereno scilicet cœlo vix astra videntur, nec solùm, inquit, aërem & humana corpora turbat Auster, sed & omnia sata, flumina & puteos, & mare & fontes, calidáque ex frigidis, humida ex siccis, turbida ex claris reddens. Quinetiam dicit, omnia vasa quæ in terra sunt humore aliquo plena, illum sentiunt: innuens, quòd experimentum docet, vina ab illo corrumpi, & omnia reddi deteriora. Ideo dicit, Etiam cerebro maxime noxius, ipsum humectando, & eius venas laxando: vt contrà aquilonius constringit, purgat & corroborat. Placet autem declarare verba Hippocratis obscura, sed verissima in libro de Aëre & aquis ac locis: sunt autem hæc primùm: Pag. 2. Quæcunque ciuitas ad ventos sita est calidos (puto autem eos qui inter brumalem solis exortum, itidémque occasum perflant (huic hi venti sunt peculiares: à Septentrionalibus autem non perflatur ea ciuitas. Aquæ verò eius multæ & subsalsæ sunt: æstate calidæ, hyeme frigidæ, ideo mutationes recipiunt corpora hominum, & potissimè ventriculi eorum. Et declarat genera postmodum morborum longo processu, per naturam temporum, & constitutionem eorum naturas & ætates, inde subiicit: Quæcunque autem ciuitas ex opposito ad ventos frigidos sita est inter ortum & occasum æstiuum. Inde declarat, quæ illi succedant, prout in Commentariis exponetur. Non ergo intelligit Hippocrates, quòd ciuitas respiciat inter ortum æstiuum & occasum, vt intelligatur esse inter illa duo loca: esset enim ad Boream posita, neque inter ortum hyemalem & occasum: esset enim planè ad meridiem. Sed vult dicere, Seu sit posita ad ortum hyemalem, seu occasum hyemalem, seu inter hæc duo, quomodolibet (inquit) erit exposita ventis calidis. Et ita in aliis, frigidis. Quæ autem inter ortum æstiuum & hyemalem, aut occasum æstiuum & hyemalem, erit exposita ventis temperatis. Et ita manifestum est, quòd erunt tres status seu situs ciuitatum: calidi, & insalubres: frigidi, & salubres: & temperati non prorsus salubres, nec morbosi. Proponatur



ergo pro illis facilè cognoscendis circulus orizon a b c d, cuius centrum e, & obseruetur fixo e l stylo ad perpendiculum in plano die Solstitij æstiui, in ortu solis vmbra

vmbra E F, & in occasu E G, ducendo lineas retrorsum ab vmbra: & ita in ortu & occasu solis, dum est in æquinoctio vernali, autumnalíve, E B, & E D: & ita in die solstitij hyemalis in ortu & occasu E H, & E K, & diuisis arcubus F G, & H K, per æqualia, ductáque A E C, per puncta media A & C, fiet ex demonstratis in libris de Rerum varietate, A E C, linea meridiei, & Auster flabit ex A, Boreas ex B, qui autem venient ex H A K, erunt calidi: & ex H, erit ex ortu hyemali, ex K, ex occasu hyemali: & ex F C G, frigidi, ex F, ex ortu æstiuo, ex G, ex occasu æstiuo. Ex H F, temperati orientales, ex K G, temperati occidentales.

Pap. 4. Dicit ergo Hippocrates ibidem: Orientales clari sunt, & salubres: occidentales autem turbulenti, & morbosi, & assimilantur autumno, quia calorem & frigus eadem die inducant: sicut quæ ad orientem, veri, sunt enim temperatiores regiones. Vt autem hoc intelligatur, quod pulcherrimum est, elaborandum est, nam Adrianus Alemanus Sorcensis non exposuit, alioqui clarus: est enim perdifficilis hæc ratio. Sed exemplo vtamur. Sit vrbs M detecta ab Oriente, hoc autem dupliciter: natura, secundum Hippocratem, vt quòd montes circundent eam ab aliis partibus: & arte, secundum Vitruuium, vt portæ vrbis & viæ omnes sint ad orientem. Cum ergo sol agat ventos, moueatur ex B, procedátque ad N, refrigerabit igitur M, perpetuò ventis, & calefaciet accessu suo: sed ab N M D, quia tecta est, incalescet quidem, sed non nisi per dimidium diei. Ergo ponatur, quòd dies sit sexdecim horarum propter dimidium diei & noctem, erit temperata sexdecim horis, & calida octo tantum ergo erit similis veris vltimæ parti. Sed si esset conuersa ad D, totis octo primis horis incalesceret, quia non perflatur à parte orientis: nec postremis octo horis, quia venti præcedunt solem, non contra illum veniunt: ergo erit similis æstiuæ constitutioni. Ideo dicit: Eo quòd multum temporis inter matutinum & vespertinum intercedit: Erit etiam similis autumno, quia cum mane exoriente non perfletur ab orientalibus ventis, perflatur à Borealibus, qui tamen non perseuerant: vesperi verò à nullis nisi australibus, quare percoquuntur. Ergo magna fit mutatio in his regionibus, & fiunt similes autumnali constitutioni. Hoc autem quod dixit & repetit, Aër matutinum tempus plurimum occupat: intelligit, quòd venti magis ante meridiem, quàm pòst spirant. Tertia causa est, quòd aër matutinus est rosidus, vt qui à nocte & rore, sed occidentalis, ab aquis iam calefactis: quare cum vnus nocte, alter die suscitetur, vnus aërem temperat, alter corrumpit. Illa verba, ὅτι πολὺ τὸ μέσον γίγνεται, si quis sic interpretetur, Eo quòd multam differentiæ intercedat, non temporis scilicet inter matutinum & vespertinum tempus in caliditate & frigore, clarissimus erit sensus.

Lib. 1. Text. 25.

Definiendo ergo ventorum genera secundum mentem Hippocratis, licet ob breuitatem verba non sint adeò clara, fient septem ordines. Primus est optimus, Boreas à polo ad ortum æstiuum. Secundus, ab ortu æstiuo ad ortum æquinoctialem, valde bonus. Tertius, à polo boreali ac occasum æstiuum, humidu & aquosus valde. Quartus, ab ortu æquinoctiali ad ortum hybernum calidus, non bonus. Quintus, ab occasu æstiuo ad occasum æquinoctialem, malus. Sextus, ab occasu æquinoctiali ad occasum hyemalem, valde malus. Septimus, à polo australi ad ortum & occasum hyemalem, pessimus: quanquam qui ad occasum respicit, etiam deterior sit eo qui ad ortum. Quod si libeat aliqua annectere, vide etiam infrà, dum de Austrina & squalida loquemur constitutione.

APHORISMVS VI.

QVando æstas fit veri similis, sudores multos in febribus expectare oportet.

COMMENTARIVS.

IN libro de Humoribus, Hippocrates hæc addit: Febres faciles, & non peracutæ, neque linguis obaridis fiunt: Causam dicti huius explicat in Commento Galenus: quia sudor & quæcunque alia, fiunt, cum ambæ causæ, scilicet materia & efficiens, adfuerint. Sudoris efficiens, calor: materia, humidum, æstas cum calida sit propria natura, & humida, quia veri similis, ideo generabit sudores plurimos. Alia ratio: æstas cum fuerit veri similis, non erit immoderatè calida: quamobrem non difflabit humidum, quod est in corpore, per vapores, sed per sudorem educet. Simile accidit currentibus, nam plus sudant longè, postquam resederint, quàm dum currunt. Tertium, quod in penitioribus latet Hippocratis sensibus, est, quòd tempora duplicem habent vim: vnam, potentia ad generandos morbos, atque, vt ita dicam substantiam morborum, aliam, ad formam morborum, quæ ex actu pendet. Vnde febres generantur ardentes & tertianæ ex natura æstatis, & per sudorem terminantur ex natura veris, atque hoc erutum ex naturæ intimis visceribus generale est, quòd naturæ morborum sequuntur temporum propriam essentiam: sed formæ & exitus & qualitates vim continentis aëris, inquit ob id Hippocrates in secundo Epidemiorum. Pluuiæ minutæ in æstate, febres sudorificas effecerunt. Sect. 1.

APHORISMVS VII.

IN siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales magna ex parte morbos expectare oportet.

COMMENTARIVS.

SVo more, ex vna proposita re manifesta, ad generalissima transit. Et non solùm ex

prima

prima partem secundam demonstrat, sed ex secunda primam, scilicet quòd in siccitatibus longis ac diu vigentibus febres acutæ generantur. Vnde illud, ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι, squaloribus interpretantur. Est enim squalor summa quædam ac diuturna siccitas. Ergo generaliter morbi tales fient, quales perseuerantes constitutiones producere natæ sunt, non tamen omnes, sed magna ex parte. Scribitur hæc secunda pars in libro de Humoribus: Si annus diutius talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales etiam morbi diutius erunt. Et si maximè validæ fuerint, maximi quoque morbi & communissimi ac longissimi fient. Hæc igitur est amplificatio huius sententiæ. Nec solùm de simplicibus constitutionibus est intelligendus Aphorismus, sed qualibuscunque. Huiusmodi rarum & celebratissimum exemplum habetur in tertio Epidemiorum: vnde ibi aduertendum, quòd prior pars anni, scilicet ver & æstas, fuerunt austrinæ & pluuiæ, sine ventis tamen. Verba illa (cum squalores fuissent superioribus temporibus ad annum) Galenus non explicat, sed intelligenda sunt etiam de hyeme, quæ ver illud præcessit: vt iam duas continuas enarrationes subtexuerit, tertiam autumni aggreditur, inde hyemis: duas ad brumam, & post veris sextam: inde mediæ æstatis septimam, ad ortum Canis vsque post canicularium dierum, inde autumni: vt iam sint nouem, quæ duos fermè annos comprehendunt. Inde proponit morbos vltimæ partis hyemis, sed constitutionem prioris partis edocet, vt sint decem constitutiones, & anni duo, & aliquid vltrà, cum pestis illa inaudita sæuire cœpit. Aliud exemplum est in secundo Epidemiorum, vbi ex pluuiis assiduis tempore æstatis morbos in Cranone ortos enarrat. Seu ergo constitutio tota simplex perseueret, seu euariet, morbi perseuerant vniusmodi, quod etiam in regionibus quæ vni tantum expositæ sunt vento, est intelligendum. Nec idem est dicere, In siccitatibus febres acutæ fiunt, & multi fiunt morbi, nam infrà docebit, siccitates imbribus esse salubriores, nec idem est dicere, In squaloribus abundare febres acutas, aut fieri: & in siccitatibus similiter id contingere. Multa enim meliora cum augentur, naturam mutant: & his quæ natura deteriora sunt, peiora euadunt.

Pag. 5. Cons. 3. Sect. 1. Aphor. 15.

Causa, cur siccitates sint causæ acutarum febrium, est: quoniam, vt dicitur in libro de Humoribus, sicca sunt plerunque etiam calida, & immensa siccitas calorem exacuit: ideo febres fiunt acutæ, quoniam materia attenuatur. Illud operepretium erit referre, cur id accidat, quod dixit Hippocrates sexto Epidemiorum: Terra siccitatibus squalida, volucrium genus abundat. Alius textus habet: Bene se habet. Cur sicci homines in sicco temperamento aëris deterius degunt, aues autem cum sint sicci temperamenti melius? Respondeo, quòd in animalibus quæ ratione carent, natura voluit vt omnibus similibus gauderent: quia animal omne, homine excepto, certo tempore oritur, & eo tempore optimè degit, quia ex eisdem orimur & nutrimur. Homo autem, quocunque anni tempore cum oriatur, contrario aëre gaudet. Accedunt autem præter id auibus & multa alia commoda in victu: quoniam ab imbribus & humido aëre multum læduntur, quæ non sunt aquaticæ.

Pag. 2. Sect. 4.

APHORISMVS VIII.

IN constantibus temporibus cum tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes & boni iudicij fiunt: in constantibus autem, inconstantes, & mali iudicij.

COMMENTARVS.

HIppocrates libro de Humoribus: Si tempora tempestiuè & ordinatè se habuerint, fient morbi iudicatu faciles. Duo sunt quæ proponit hîc, scilicet vt tempestiuè tempestiua reddantur: id est, vt tempus propriam naturam retineat, nec in aliam degeneret, & ob id, quoad hoc, est quasi contrarius ei qui dicit: Cum æstas fuerit veri similis, nam tum æstas non retinet suam naturam, aliud, vt non permutetur in varias formas: sed constet ver in temperamento, æstas in calore & siccitate. Naturam horum temporum à duobus, pluuiis & qualitatibus, sumit Hippocrates in libro de Aëre, aquis & locis, dicens quòd hyems debet esse frigida, sed non immoderatè: & ver, æstas & autumnus, pluuiosa suo tempore, tunc annus erit secundum naturam. Vt videantur fieri quatuor coniugationes, cum tempora anni sunt constantia & tempestiua: cum tempestiua, sed non constantia: cum non, tempestiua, sed constantia: cum neque tempestiua, nec constantia, quorum omnium causas refert Hippocrates in ortus & occasus siderum ibidem, cum rectè processerint, intelligit quod per erraticas temporum vices non confundantur. Vnde notandum, quòd de mundo accidit idem quod de hominibus, vt consuetudo omnia meliora efficiat, tametsi enim caniculæ ortus in æstatem incidat, quo nil minus expediret, cum calidum calido iunctum exurat corpora, quia tamen singulis annis hoc contingit, melius se habent omnia si annus habeat æstatem calidissimam & siccam vsque ad metam naturalem, quàm si æstas esset temperata & mitis. Indicio est, mundum consuetudine teneri, vt mortales ipsos, quòd annus in Italia (qualis in Ægypto) optimus, sterilis erit. Cum ergo fuerint tempestiua tempora, & constantia, morbi planè constabunt, & boni erunt iudicij, & si neutrum aderit, neutrum continget, duo ergo ex quatuor membris explicauit Hippocrates, reliqua duo ergo membra docere oportet. Galenus siquidem confundit constantem cum tempestiuo, & vnum facit, vt constantia tempore vocet, cum tempestiuè tempestiua redduntur: vtrouis modo intellexeris, nil refert, modò scias esse tempestiua tempora, cum (vt dixi) qualitates & imbres suo ordine adueniunt, atque etiam perseuerant non simpliciter, sed quantum perseuerare

Pag. 4. Aphor. 6. Pag. 7.

rare debent. Si igitur aduenerint, nec perseuerarint, morbi erunt constantes, & non adeò mali iudicij, quoniam suo tempore euenerunt, quæ euenire oportebat, non tamen prorsus erunt boni iudicij. At si constant, sed non tempestiuè redierint, tunc erunt quidam boni aut mali iudicij secundum similitudinem temporis, ad quod facta est mutatio. Si ergo ad veris similitudinem, erunt boni iudicij, si autumni, mali, semper autem erunt mali iudicij, id est fallacis, non autem ad mortem tendentis. Quomodo enim verum esset quod dixit supra. Cum æstas fuerit veri similis, sudores in febribus expectare oportet: si semper essent morbi mali iudicij sub hoc sensu, id est ad interitum spectantis? Vnde patet, Galenum perperam valde Hippocratem exponere de malo iudicio, id est ad mortem tendente. Quin etiam, vt melius intelligatur Hippocratis sententia, adducam ex secundo Epidemiorum claram sententiam: *Sect.1.* In quietis ac constantibus temporibus & annis tempestiuè tempestiua præbentibus, boni status & iudicatu facillimi morbi fiunt: in inconstantibus verò inconstantes, & qui difficilè iudicantur. Cum sanè in Perintho defecerit aut abundauerit aliquid, vt aut venti sint, aut non venti, aut aquæ, aut siccitates, aut ardores, aut frigora. Liquet ergo, cum proponat constantem annum, id est, cuius partes suum locum retinent: & constantia tempora, cum perseuerant in suis debitis qualitatibus caloris, frigoris, pluuiarum, siccitatis, & ventorum ac tranquillitatis, fieri morbos, qui constant, & iudicium habent facile, aliter autem difficile, non tamen perniciosum. Vocat morbos constantes, specie & numero & forma: Specie quidem, qui non transeunt de vno in alium, vt angina in peripneumoniam: Forma, cum non habent nisi sua propria signa (velut per contrarium, primo Epidemiorum: *Const.3.* Plurimis febres acutæ, cum sudore, parum insuper rigebant) & talia quæ non sunt propria acutarum. Et in tertio: *Const.3.* Erat autem modus febrium ardentium, ab initio soporosi, horridi, non siticulosi, vide quàm bene conueniant hæc cum ardente febre. Numero, vt ibidem: Diu soporosi, & rursus insomnes. Secundum hos omnes modos fiunt morbi inconstantes, in his temporibus. Sim liter qui difficile iudicantur, multis modis hoc contingit, vel ex forma iudicij, cum in abscessus vel alios morbos transeunt: vel cum serò iudicantur: vel cum magnis laboribus & sæuis symptomatibus: vel cum non perfectè: & vix, vel cum morbus redit: vltimò, cum ad mortem tendunt.

Sed hic dubitatione dignum est de autumno, qui si fit æqualis, pauciores, & minus lethales morbos affert, ex regula suprà data, & ex hac. Videtur saltem magis inconstantes efficere, etsi non magis lethales. Rursus tempora secundum rationem suam plurimos morbos generant, etsi non lethales: quomodo vis immutentur deteriores ex præsenti Aphorismo? Quis igitur erit annus, in quo paucissimi sint morbi, & salubris? nullus sanè, vt patet. Sed experimentum docet, aliquos esse annos salubres, in quibus vix ægri videantur. Hic doctrinam Hippocratis in libro de Aëre & aquis, & locis attendere oportet. *Pag.8.* Quòd si borealis sit autumnus, ac siccus, & neque sub Cane neque sub Arcturo pluuiæ præcesserint, confert pituitosis natura: & maximè qui natura sunt humida, & mulieribus. Biliosis autem hoc tempus infestissimum existit: valde enim exsiccantur. Subiicit, ergo qui nam morbi eis eueniant: docétque quòd per hyemem humidi optimè degunt. Qui igitur regionem humidissimam incolunt (vt Mediolanenses) melius se habebunt eo anno, vel cum boreas assiduè flat. Quæ etiam infrà dicuntur, ad duo referri debent: *A 10. ad 14. Aphor.* scilicet, quòd si modò morbi appareant, hi sunt qui ibi scribuntur, abundant autem, cum annus aliqua in parte vel secundum naturam exuperauerit in temporibus, vel non omnino naturam suam ad vnguem seruauerit, vel homines in recta victus ratione deliquerint aliquo modo. Ad aliam verò dubitationem dicendum, autumno mitius se habente, minus sæuire morbos: constantes tamen minus esse, quàm etiam naturales, nam hoc concordat & cum sexto Aphorismo, & cum præsenti, neque ergo necessarium est morbos non constantes constantibus esse periculosiores, aut perniciosiores ex dubitatione prima: nec annum minus morbosum mitiores habere morbos, nam, vt apparet ex secunda dubitatione, qui Mediolani (vt priore vtar exemplo) ægrotabunt, sæuioribus morbis vexabuntur, quàm in anno minus ei ciuitati salubri. Dispositio autem ventorum Borealium videtur communis omnibus locis, & nec periculosiores facere eos morbos qui adueniunt, quemadmodum constitutio loco opportuna. Sed & loci, in quibus intempestiuè adueniunt tempora, nec constant eorum naturæ, sed pluuiis, frigoribus aut caloribus aut ventis permutantur, sæpius morbis subiiciuntur inconstantibus, & difficulter (vt in temporibus) sed non adeò ob consuetudinem longè à recto tramite iudicantur.

APHORISMVS IX.

AVtumno morbi acutissimi, atque exitialissimi maxima ex parte: ver verò saluberrimum, & minimè exitiale.

COMMENTARIVS.

CVm dixisset in præcedenti Aphorismo, in inconstantibus tēporibus inconstantes morbos fieri, & mali iudicij: & suprà, *Aphor.4.* Quando eadem die modò calor modò frigus fit, autumnales morbos fore expectandos: hîc declarare in genere, quales sint scilicet acutissimi, & lethales maxima ex parte, ver verò esse saluberrimum, & minimè exitiale. Galenus (vt superius dixi) autumni causas quatuor refert, atque inter illas inæqualitatem præcipuam, quare morbos huiusmodi faciat: sed non refert, cur autumnus adeò inæqualis sit. Similiter de vere refert causam, quod sit saluberrimum, & minimè exitiale in temperamentum

ramentum ipsum. In quo bifariam errat, & quòd ver sit temperatum, & quòd ob temperamentum sit causa salubritatis. Non demiror quod Auicenna in nono de Animalibus, tanta mala do Galeno dixerit, & alibi longè maiora etiam, cum dixit ipsum existimasse se Philosophum, atque ausum adnumerare se inter Philosophos, cum nec eam scientiam vlla ex parte degustauerit: ac longè plura, quæ mihi tum videbantur mirabilia, sed cum nunc respicio, qualiter omnia confuderit principia rerum naturalium, non quidem tam ignorantia, quàm incuria, & studio contradicendi antiquis, certè existimo, quantum vtilitatis præbuit curatiuæ methodo, tantum damni attulisse disciplinis.

Cap. 2.

Primùm ergo videamus, cur autumnus sit inæqualior vere, & quomodo, nam de tota inæqualitate ab initio ad finem, vbi non maior sit differentia inter initium & finem autumni, quàm inter initium & finem veris, cum ver ponatur à Galeno aliquanto breuius autumno sequeretur, quòd minor esset inæqualitas dierũ singulorum in autumno quàm vere. Sed cum discrimen illum dierum non accedat ad decem dies, & differentia autumni à vere sit magna inter principium & finem, eo quòd ver procedit à frigore ad calorem, autumnus contrà: sequitur ex demonstratis in expositione primi Aphorismi huius particulæ, maiorem esse varietatem inter dies singulos autumni, quàm veris. Secunda causa est, quod cum noctes autumni crescant, veris autem minuantur: & nox augeat frigus, & dies calorem: & iam frigus sit promptius vt augeatur calore, vt maior fiat mutatio inter calorem meridiei ad frigus mediæ noctis, & etiam crepusculi vespertini in autumno, quàm inter frigus mediæ noctis veris, & calorem meridiei atq; matutinum, igitur maior etiam inæqualitas. Tertia causa est, quòd cum aër autumni sit tenuior, quia succedit æstati, aëre veris qui succedit hyemi, vt iuxta regulam Aphorismi maior mutatio fiat à media nocte ad mediam diem, & à media die ad mediam noctem in autumno quàm in vere: & ita etiã in partibus reliquis diei, eo quòd à media die ad mediam noctem tam in vere quàm autumno sunt duodecim horæ, & similiter à media nocte ad mediam diem semper sunt duodecim horæ. Quarta causa ex eadẽ tenuitate aëris pendet: vt si autũno flent venti, aut imbres decidant, plus immutetur aër quàm vere, & ita ex aliis causis. Quinta est ex ratione cœli, nam vere sol est iuxta Apogeum in fine eius, in autumno verò fermè prope Perigeum, igitur maior est calor autumni quàm veris, pari ratione, sed si maior est calor, ibi etiam fit maior mutatio: cum semper in magnitudine maiore, maiores & euidentiores diuersitates appareant, & ita maior est inæqualitas in autumno quàm vere. Vltima est, quòd inæqualitas autumni est à calore ad frigus: veris autem, à frigore ad calorem, sed quæ est à calore ad frigus, est longè perniciosior quàm à frigore ad calorem: vt à Galeno habetur tertio de Tuenda sanitate, igitur inæqualitas autumni habetur pro maiore, quàm veris. Hucusque non enarrauit Galenus, quia de hoc non est locutus.

26. Quinta particula.

At cum voluit afferre causam, cur ver sit salubertimum, dixit: Quia temperatum, vt primo de Temperamentis, hoc verò est absurdissimum. Primùm, quia finis est longè calidior initio: igitur vel initium est frigidum, vel finis calidus. Stultum est autem dicere ver temperatum, propter duos aut tres dies, qui in eo tales esse possent: cum plures sint etiam in autumno persæpè. Deinde quæro, an intelligatur de meridie? & sic nox erit valde frigida: vel de crepusculis, & sic meridies erit calidus, & nox rursus frigida: & ita stultum erit dicere, ver esse temperatum, hoc modo propter vnam vel duas horas, quæ huiusmodi in die inueniantur, nam & æstate hora matutina est temperata etiam, & ita quomodocunque assumantur partes temperatæ veris, seu in diebus respectu totius temporis, seu in horis respectu diei, non potest dici ver temperatum. Deinde in nostra regione initium veris est valde frigidum. Rhodi rosæ eo tempore apparent, in Ægypto etiam maturantur plerique fructus, quinetiam in Italia tantum est discrimen inter ver Neapolis & Mediolani, quantum inter ver & æstatem hìc fermè, & ver in Scotia est hyems, & in pluribus partibus Germaniæ, quomodo ergo ver dicetur temperatum, quod alicubi est calidius nostra æstate, alicubi frigidius nostra hyeme? Ideo refugiunt defensores isti Galeni, cum ipso, ad id, quòd ver est temperatum in temperata regione, qualis (dicunt) fuit Hippocratis & Galeni. At si ita est, & ver est saluberrimum, & minimè exitiale, quia temperatum secundum Galenum. Igitur ver est saluberrimum, & minimè exitiale, solum in regione Hippocratis & Galeni? At huius primò experimur contrarium, nam ver non minus est salubre in Italia, Gallia & Hispania, quàm in Coo, & Rhodo, & Pergamo. Deinde quæ doctrina fuisset Hippocratis, dicere, Ver est saluberrimum solùm in regione nostra? pari ratione dicere oporteret, quòd ea quæ scripta sunt de præceptis medicinæ ad nos non pertinerent. Demum ratione ipsa demonstratur, ver esse calidum & humidum, humidum planè, quia hyeme terra & aër humidissima sunt, & neque superuenit calor vllus, secundum Galenum, qui dissolueret hoc humidum, & consumeret, ergo ver est humidissimum. Demonstro modò quòd sit calidum, & quomodo, nam ver fit, cum sol est in æquinoctio vernali, & tunc æqualiter distat ab vtroque solstitio, scilicet æstiuo & hyemali, ergo tempus vernum ab initio est medium inter summum calorem ipsius æstatis, & frigus maximum hyemis in ea regione: sed post æquinoctium sol cum perpetuò ad nos accedat, aër incalescit continuè, igitur ver est calidum sub hoc sensu, id est declinans à medio inter summum frigus, & summum calorem illius regionis, versus calorem: humidissimum autem simpliciter, non comparatiuè. Ex quibus sequuntur duo manifesta corollaria. Primum, quòd ver in regione frigida, est frigidum: & in calida, calidum, & hoc etiam est manifestum experimento. Nam cum sit medium inter calorem summum æstatis, & frigus summum hyemis, si regio sit qualis Scotia, aut Germania,

Cap. 10.

Cap. 14.

mania, erit ver frigidum adeò, vt sit simile nostræ hyemi: & si sit ver in Ægypto, erit calidius nostra æstate. Dicitur tamen ad calidam declinare, quia initium eius medium (vt dixi) inter æstatem & hyemem sit, & perpetuò ab initio ad finem incalescat. Sole semper ad nos accedente, dicetur ver declinare ad calidum: id est, simile magis esse æstati illius regionis, quàm hyemi. Secundum corollarium, veris initium est longè humidius quàm calidum vbique locorum, nisi regio ipsa sit (vt Lybia) siccissima: finis verò quandoque pariter humidus & calidus, vt in nostris regionibus: & humidior etiam quàm calidus, in Germania & Scotia: in aliquibus autem calidior quàm humidus, vt Rhodi, & Alexandriæ etiam magis. Et ita patet, Commentum hoc de temperamento veris esse merum somnium: quandoquidem potius debeat dici calidum & humidum, quàm temperatum. Sed nec simpliciter calidum (vt dixi) vt antiqui existimabant, & in hoc decepti sunt: sed calidum, id est declinans à medio statu æstatis & hyemis, versus calorem. Nec est vt torquearis, quòd visus sim ponere vigorem caloris & frigoris in solstitiis, cum superius aliter docuerim, nam hîc accepi solstitia pro summis vigoribus, breuitatis causa: non quòd oblitus sim veritatis.

Causa ergo cur ver sit saluberrimum, & minimè exitiale, non est temperamentum, vt dixi: quoniam ver non est temperatum, sed calidum & humidum: & etiamsi esset, non esset nisi in regione temperata, at hoc de veris salubritate est generaliter verum, à torrida zona vsque ad Septentrionem: & licet in Germaniæ partibus aliquibus ver sit frigidum, & æstas temperata, vt apud Lapones & Biarmios: in Æthiopia autem citra cancri tropicum ver fit calidum, & hyems temperata: nihilominus & apud Lapones & Biarmios ver, non æstas: & apud Æthiopias ver, non hyems, est saluberrimum. Causa igitur salubritatis veris est triplex. Primum, est temperamentum calidum & humidum ita conforme hominibus, sicut æstas auibus, & hyems piscibus, & non solùm ver est saluberrimum hominibus, sed etiam quadrupedibus plerisque. Sicut ergo ver est saluberrimum quadrupedibus, æstas auibus & insectis, hyems piscibus: ita contrariis in temporibus animalia hæc pereunt, homines scilicet & quadrupedia etiam autumno, aues & quæ ex putredine generantur omnia hyeme, cum enim frigida sint, & plurimo calore aëris ad vitam indigeant, hyeme pereunt: sic versa vice pisces æstate ob siccitatem, ideo maximè in æstate squalida. Sic ergo apparet, cur dixerit Hippocrates ver esse saluberrimum, & autumnum lethalem maximè.

Secunda causa est, quia in vere cum non exuperent qualitates prauæ, scilicet nec frigus hyemis, nec siccitas æstatis (vt dictum est) & mutatio fit ex frigore ad calorem, quæ longè tutior est quam ex calore ad frigus, at in autumno sunt opposita, mutatio ex calore ad frigus, iam declarata in primo Aphorismo: & exuperant in eo siccitas & frigiditas, quæ sunt qualitates contrariæ naturæ humanæ: imò omnium animalium in genere saltem, igitur ver vt erit saluberrimum, ita autumnus exitialis.

Dubitabit autem aliquis, quomodo possit demonstrari, in autumno vigere latentem siccitatem, licet non exiguam, & frigus etiam? Et dico, quòd aër æstiuus est siccus, proculdubio ob longum æstum, & similiter terra: & in autumno non fuit causa, quæ illum aërem potuerit humectare, quoniam adhuc calor in meridie viget: igitur autumnus est siccus. Sequitur autem ex hoc, quòd si ab initio autumni multi decidant imbres, erit minus siccus, & ideo longè minus exitialis. De frigiditate dicam, sicut in vere de caliditate, in æquinoctio enim autumnali est medius status inter maximam æstatem & maximam hyemem, & perpetuò Sol recedit à nobis, igitur autumnus erit frigidus sub eo sensu, sub quo diximus ver esse calidum, id est, quod tendit ad frigidum, in comparatione ad medium statum hyemis & æstatis illius regionis: tamen est semper simpliciter siccus, vt ver humidum. Ex quo sequitur aliud corollarium, quòd scilicet autumni initium est magis siccum quàm frigidum, & finis magis frigidus quàm siccus: intelligendo eodem modo quo diximus, ver esse magis humidum quàm calidum ab initio, & reliqua iuxta regionum comparationem.

Tertia causa est, quòd in vere sol accedit ad nos, qui est autor vitæ & generationis & conseruationis omnium (vt secundo Physicorum, & in libro de Generatione & interitu) & autumno discedit à nobis: ideo siccantur folia arborum, & marcescunt omnia, sicut vere germinant ac florent. Quæ si quis consideret, videbit causam aliunde petendam, quàm ex temperamento, etiamsi illud adesset, neque enim tanta est differentia inter temperamentum veris & autumni in qualitatibus manifestis, vt vno tempore omnia rideant, pullulent, læta sint, induant arbores folia, florésque: alio autem omnia tristitia & decidua, exarescántque folia plantarum, antequam frigus sentire potuerint. Quinimo multa sunt quæ ante calorem veris florent, vt violæ purpureæ: & hoc, quia sentiunt accedentem solem. Quòd si quis dicat: Si calor solis est adeò vitæ amicus, cur æstas tot habet morbos, quæ calida est, & in ea solem habemus propinquissimum? Dico, quòd calor ille est alterius naturæ, scilicet factus ex refractione ac collisione radiorum, sicut in speculis cauis: & ideo igneus, & causa interitus, sed purus, quantumuis sol vigeat, vt in montibus sub æquinoctio positis, saluberrimus est. Est & aliud consideratione dignum, quòd tunc, scilicet vere & autumno, sol celerrimè mouetur: ad nos quidem accedendo vere, & à nobis recedendo autumno: adeò vt fermè per quincuncem vnius partis in meridiano singulis diebus vere appropinquetur, autumno autem discedat à nobis. Quæ causa est, vt reor, vt maximè fiant mutationes occultæ, licet non in aëre adeò manifestæ his temporibus, magisque quàm æstate & hyeme, hoc autem propriè paulò

[Margin, right: t. c. 26. Cap. 10.]

paulò antè etiam, post vtrunque æquinoctium contingit. Ideo rectè dixit Hippocrates, Astrologiam medico esse maximè necessariam, libro de Aëre & aquis: & in primo de Diæta. Ergo cum dixit, acutissimos morbos autumno fieri: de his locutus est, qui naturales sunt: cum verò exitialissimi, licet etiam principaliter de acutis intelligendum sit, potest etiam ad omnes alios extendi, ob causas enim dictas, & calore naturali exhausto, & temporis natura nostræ inimica, & mutationibus repentinis à calore in frigus, percellitur animæ facultas adeò, vt qui vel ætate vel longo morbo, vel laboribus vel tristitia exhausti sunt, aut prauo vsi per æstatem sunt regimine, occumbant. Vtrum verò expediat permutare vestes, vt Romæ solent in huiusmodi constitutione, vt vesperi & manè grauioribus vtamur, certum est prodesse: sed & supra modum cauere diligenter, ne exerceamur sic, vt corpus incalescat.

Pag.1.&9.

Pag.1.

APHORISMVS X.

Autumnus tabidis malus.

COMMENTARIVS.

VT in sexto Aphorismo de humida qualitate aëris, in comparatione ad tempora: in septimo de sicca simpliciter locutus est, vt duobus Aphorismis quatuor coniugationes comprehenderet: sic in præcedenti de autumni natura locutus est simpliciter, hic verò in comparatione ad tabidos, vt per hos morbos quoscunque longos intelligeremus, ibi ergo ad sanos de acutis, hic ad ægros de longis comparando sermonem facit, vt sint quatuor & hic coniugationes. Autumnus enim acutos in sanis exitiales reddit, longos etiam exitiales efficit: superueniens autem ægrotantibus acuto morbo deteriorem facit, non tamen lethalem, vt nec longo. Verbum φθίνεσι significat propriè phthoen, consumptionem, quæ ex vlcere pulmonis fit. Accepit hoc pro exemplo vt manifestissimo, quoniam talia esse debent exempla, conspicuum enim est in his, quòd autumnus omnibus longis morbis malus sit: quoniam phthoe laborantes plerunque perimit. Ergo, inquit, eadem erit ratio de omnibus consumptis longo morbo, licet non in omnibus adeò conspicua. Vnde & medico ad prædicendum, & ægro ad præcauendum, præceptum hoc non parum vtile esse potest. Vnde primum clara est ratio interpretandi. Cum enim vellet hic docere, autumnum omnibus fermè morbis longis esse noxium: oportet eam rationem inuenire, qua autumnus maximè generaliter huiusmodi morbis aduersetur: vtpote vel vlceribus, vel consumptioni, vel pulmoni, hæc enim tria habet phthoe. Pulmoni quidem & vlceribus ratione frigiditatis autumnus aduersatur, tum verò quòd eo tempore mala fiat coctio ob natiui caloris imbecillitatem: eam verò inæqualitatem temporis omnia corpora debilia ægrè sustinent, ideo etiam consumpta.

Quot autem tabis sint genera, dicebat Hippocrates secundo de Morbis. Est vnum genus quod est diuturnum, & vocatur à Serapione Phtisis senilis, in qua non est vlcus in pulmone, sed eiiciuntur purulenta, inquit Hippocrates: & est quòd pituita crassa corrumpitur in pulmone, & durat hic morbus septem annis, nonnunquam nouem, ab initio tamen purgato cum elleboro corpore, & adhibita diligenti cura sanatur, aliter, dicit, occidit. Secundum genus est ex feruenti pulmonis vlcere, quod vel statim perimit copioso sanguinis & puris sputo, vel etiam non multo pòst tempore, quod tamen etiam ab initio curatur. Curat autem duobus remediis, quibus vtitur ad curationem primi generis, scilicet veratro purgando, & lenticulæ cremore, φακια & φάκιον Hippocrates habet, id est legumen, φακην Gaza lenticulam, similem lenti, quæ φακὸς vocatur. Duo enim genera affert Ægyptus, πτίσκειν φάκιον, lentis coctæ cremorem, nam & coctalens lenticula vocatur. Tertium præsidium est ex potu lactis asinini. Circa quod sciendum, quòd vlcera omnia indigent exsiccatione, vt etiam in tertio Methodi: sed hæc duplex ab humidis, quia cura vlcerum est exsiccatio, & ab humore prauo influente, qui consolidationem impedit ratione malæ qualitatis. Prima fit lacte asinino, & est tertium præsidium: secunda elleboro, quod etiam educit à profundo, & procul scilicet à pulmonibus. Lenticulæ autem cremor exsiccat vlcera sine morsu: & forsan Hippocrates in ea aliquid vtilitatis etiam specialiter experimento deprehendit. Tertium genus fit ex defluxu seminis, & vocatur dorsalis tabes, quia in dorso iuxta spinam sentiuntur velut decurrentes formicæ: & fit à cerebro, etenim sentiuntur sonitus in auribus, & capitis grauitas & anhelatio in motibus celeribus, & post vehementes febres succedentes lipyriæ hominem perimunt. Cæterùm hoc genus cum febre coniunctum non est, primum autem per interualla (dicit) nonnunquam debili quodam calore corripitur: at secundum genus perpetuam febriculam coniunctam habet, & poma maxillarum rubra, & sputum omnino saniosum & malè olens. Pag.17.

Cæterùm ad dignoscendum hoc sputum saniosum, idem dabat documentum, in Coacis prædictionibus dicens: sputum si oleat, super carbones: si descendat, in aqua marina, posita in vase æneo: si tabescenti defluant capilli, superueniet fluxus ventris, & inde ex illo mors, & ita patet modus, quo secunda species tabis perimere solet: & est valde frequens, vt omnes fermè sic moriantur. Dicit ergo, tabes perniciosissimæ sunt, quæ accidunt ex ruptura venarum crassarum, id est magnarum, & à defluxu ex capite, & habet vtrunque notissimam rationem: & subiungit, quòd fiunt maximè à decimooctauo anno ad trigesimumquintum, & huius causam inferius exponam. Notum verò est & illud, quod fit ex suppuratione in laterali morbo, cum in quadraginta diebus non repurgantur, quinta Aphorismorum. Pag.19.

Aphor.29.

15.

Cum ergo præter ea quæ Galenus & alij docent,

docent, Hippocrates velit etiam exquisitissimum genus tabis sanari posse, quod citra experimentum non semel factum dixisset: videndum est quodnam sit illud in specie, quod sanari possit. Proponit ergo in secundo
Pag.5. de Prædictionibus septem signa, quæ significant ægrum sanari posse. Primum à sputo, vt facilè per tussim educatur, sit album & æquale, & ab inflammatione alienum. Secundum, vt quæ è capite defluunt, per nares educuntur: scilicet vt non fatigetur etiam educendo quæ è capite defluunt, nec etiam ex illa fluxione morbus augeatur. Tertium, vt non adsit febris, scilicet putrida, nam se exponit dicens, Vt cœnare possit, nam qui empyemate correpti sunt, febrem habent molestam hora vespertina, adeò vt à cœna rectè consulendo abstinere cogantur. Quartum, vt sint sine siti, nam hectica, qua laborant, si sola fuerit, sitim non inducit. Si ergo siti vacant & febre putrida, & mala fluxione, & superflua exsiccatione. Quintum, vt minimè sit extenuatus. Causam habuistis in secundo libro, est enim malum signum, & curationem impedit. Sextum, vt aluus deiiciat: ne fortè nimis exusta sit, sed dura tamen: quod indicat vim contentricem ac concoctricem esse incolumem: & pro ratione, inquit, assumptorum, vt corpus nutriri nec absumi indicet. Septimum, vt pectus sit quadratum, hirsutum, carnosum, non magnis ossibus: quod in dicat, naturam membri patientis esse validam, oportet autem, quod curari debet membrum, robustum esse: hæc sunt signa sanabilis morbi. Quæ autem specialiter sanationem prohibent, sunt: Si mulier aut virgo ex suppressione mensium in tabem deuenerit, aut si (vt dixi) ex deflexu humorum in hunc morbum deflexerit, aut ex repetitis suppurationibus, ratò enim huiusmodi euadunt, dicit: sed autumno plerique, vt etiam alij longis morbis laborantes, moriuntur. Ex quo etiam patet sensus Aphorismi.

Sect.7. Scribitur & sexto Epidemiorum sub his verbis: Tabescentibus autumnus malus, malum & ver, cum ficus folia cornicum pedibus similia sunt. Intelligit de illa veris parte, in qua fit magna mutatio ob flatum ventorum. Sed in nostra regione cum sit frigidior illa Hippocratis, sub æquinoctio fit ea mutatio: sed ficus nondum pullulare incipiunt, ideo oportet attendere mutationem ventorum apud nos.

Pag.8. Addit libro do Locis in homine Hippocrates modum, quo fit tabes ex defluxione, dicens: Si pulmo humidus fuerit, fit ex copiosa defluxione suppuratio: si autem siccus, tabes. Tabis autem dorsalis, id est cum fluxio in dorsum incubuerit, duo signa: dolorem lumborum, & quod caput in anteriori parte vacuum esse videtur. Non solùm autem tabes autumno magis affligit, sed
Aphor.22. est etiam morbus autumnalis, vt infrà videbitur.

Sunt etiam tabes quædam propriorum membrorum: velut renalis, quæ fieri solet
Pag.10. ex vlcere malè curato in renibus ipsis, vt in libro de Internis affectionibus: & coxendi-
Pag.5. cis, vt apud eundem in Coacis prædictionibus. Quibus ex intermittentibus sæpius fiunt recidiuæ, his in coxendicum leuem tabem deriuantur. De huiusmodi tabe loquitur in libro de Glandulis, dicens: Pituita si per spi- Pag.4.
nalem medullam defluxerit in coxendicem, tabescátque ex eo coxendix, morbus fit longus, sed insanabilis, ex quo deflorescit totus vigor hominis, & moritur tandem, huic dolent scapulæ, & crura, ac pedes. Si verò pituita defluat ad pulmones (inquit) ex capite in pulmones, fit pus, & erodit pulmones, & fit tabes: si verò in ventriculum, & ibi non quiescat, fit leuitas intestinorum: sed si in intestinis moretur, fit voluulus diuturnus.

Porrò de curatione suppuratorum, diligenter per chirurgiam agit Hippocrates secundo de Morbis: adiicítq; causam, cur tabi- Pag.16.
ficis adueniat fluxus ventris, ex quo pereunt, & casus capillorum, nam inquit: Iam dominante putredine circa cor ascendunt vapores salginosi, ex quibus capillorum radix vitiatur, cadúntque capilli: materia verò illa salsa defluens ad ventriculum & intestina, commouet ea, & non finit conquiescere cibos, & ideo incocti eiiciuntur. Vexátque tabes magis iuuenculas mulieres, quàm anus. Sed notandum, quòd (vt etiam habetur sexto Epidemiorum: Tabescentes statim vrito) Sect.7.
antiquo tempore curabant aliquos, deploratos alioqui, hoc præsidio, quo hodie caremus.

Sed hîc dubitatur, quoniam Hippocrates hoc in loco dicit, quòd tabifici naturâ facilius incurrunt tabem, & facilius sanantur, iuxta illud, In morbis minus periclitantur Aphor.34.
ægrotantes, vbi Galenus vitans illud primi Epidemiorum, Et maximè moriebantur hi, Const.1.
quorum natura ad tabem vergebat: dicit, quòd dictum illud Aphorismi intelligitur de temperatura, non compositione membrorum. Sed dico quòd est generale: quia sanantur, quicunque leuioribus ex causis incidunt in morbos facilius: proni autem natura facilius decidunt, igitur facilius sanantur. Sed in primo Epidemiorum causa erat eadem, quia constitutio temporis, quo in casu non solùm qui compositione assimilantur, sed etiam temperatura, & celerius corripiuntur morbo populari, sed etiam facilius moriuntur. Ergo Galenus non rectè exponit Hippocratem, nec difficultatem soluit. Nam ex præcepto Galeni minus fugere deberent biliosi in constitutione populari ardentium febrium, vtpote qui minus essent periclitandi seu morituri: cum tamen totum contrarium sit, nam & facilius morbo eo corripientur, & facilius morientur: & plures ex his qui sanabuntur, tardius & minus integrè sanabuntur. Ex quo vides, quanta mala pariat malè tradita doctrina.

APHORISMVS XI.

De temporibus, si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines,

tudines, & intestinorum difficultates: præcipuè verò mulieribus & pueris, qui natura sunt humidiores.

COMMENTARIVS.

Amplectitur contrarias temporum naturas in hoc & sequentibus duobus Aphorismis, propter duo, primùm, vt intelligeremus, quod erat obscurius, scilicet mistionem contrariorum: secundò, vt ex euidentioribus doctrinam conficeret, maiores autem sunt effectus contrariarum dispositionum temporum, propter mutationem, vt declarauimus in contrariis temporibus, quàm in eadem qualitate perseuerantibus. Obseruat autem in omnibus, præterquam in quartodecimo, vbi agit de similibus, vt intelligeremus discrimina roboris mutationis & similitudinis, & etiam effectus, quatuor. Primùm, quod accipit tempus primum, quod excedentem habet qualitatem, vt æstatem vel hyemem: & post tempus æquale proximè illi succedens, vt ver post hyemem, autumnum post æstatem. Secundum, quod effectum proponit in tempore primo contrario: vt si accepit æstatem pro primo tempore, proponit de morbis futuris sequenti hyeme. Tertium, quod accipit duplicem contrarietatem à natura pluuiosi & sereni, & à constitutione ventorum: velut australi, aut boreali. Quartum, quòd facit constitutionem temporis similem aëri: vt si accipit constitutionem aquiloniam, accipit & siccum aërem, & serenum: & si australem, humidum & pluuiosum, & hoc fecit ad confusionem nimiam vitandam. Res enim per se obscuræ, si obscuriores etiam tradendo reddantur, à nemine postmodum intelligi possunt.

Hippocrates in libro de aëre, aquis & locis, hunc Aphorismum ad verbum describit atque declarat, vt piaculum fuerit aliter eum interpretari: Si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, vel autem pluuiosum & australe, necesse est æstate febres fieri, & lippitudines. Cum enim æstas derepentè accedat, dum terra adhuc humida est à vernis imbribus & austris, necesse est æstum duplicatum esse, & à terra irrigua ac calida, & à sole vrente, cum ventres in hominibus nondum constricti sint, neque cerebrum resiccatum, non enim fieri potest, cum ver tale existat, vt corpus & caro non humore fluida fiant, adeò vt febres acutissimæ in omnes irruant, maximè autem in pituitosos. At dysenterias par est fieri & mulieribus & viris humidioribus. Et si circa Canis exortum accedat aqua ac tempestas, & Etesiæ spirauerint, spes est cessationis & vt autumnis salubris fiat: sin minus, periculum est ne & pueri & mulieres moriantur, minimè verò senes. Et ne qui superstites euadunt, in quartanas desinant, & ex quartanis in hydropes. *Pag. 7. in fine.*

His visis, discrimen Aphorismi & loci adducti adnotemus, quod quidem exiguum est, cum tres morbos in vtroque enumeret: febres acutas, lippitudines & intestinorum difficultates. Sed in libro de Aëre & aquis, scripsit pro (Acutas) acutissimas, vt etiam Galenus legit in suo Commento. Aliud discrimen est, quòd dicit febres huiusmodi fieri pituitosis, ex quo dissoluitur vtraque differentia, quasi dicat: Febres & lippitudines fiunt omnibus, sed pituitosis acutissimæ. Tertium discrimen est, quòd in Aphorismo legitur, Pueris humidioribus: in libro de Aëre & aquis, viris humidioribus: sed cum rarò viri sint adeò humidi, apposuit pueros, vt compendiosior fiet sermo: scilicet intelligentibus nobis, quòd quando viri & senes adeò fuerint humidi in excessu vt pueri humidi, tunc tales & ipsi corripientur huiusmodi morbis, & ita fiet regula generalis in transitu ab * ad ætatem. Quartum discrimen, quod est maioris ponderis, est, quòd in Aphorismo ea verba (præcipuè verò mulieribus, &c.) videntur referri debere ad lippitudines, febres & difficultates intestinorum: sed in libro de Aëre & aquis, videntur referri solùm ad intestinorum difficultates. Verùm ad omnes morbos referendum est, quia dicit (maximè autem in pituitosos) loco generalis dicti. Et etiam quia in Aphorismo dicit, necesse esse talia accidere, scilicet generaliter, igitur præcipuè aliquibus, & cum non explicet nisi humidiores: ergo illud verbum Humidiores, cum annexis, debet applicari omnibus morbis recitatis.

Cur verò dixerit (necesse est) Galenus disputat dicens, ratione hoc esse deprehensum: quia experimenta vel sex aut septem, quæ vix homini in tota vita obseruare, non sufficiunt ad construendam generalem regulam. Verùm non ob hoc dixerim Hippocratem hoc dixisse: sed quia ipsemet se declarat, rationem sequutum. Credo ergo illud verbum adiectum, quod & rationem sequutus sit, & propria experimenta, & longas etiam prædecessorum suorum obseruationes habuerit, quas cum verissimas inuenerit, ausus sit addere illud verbum Necesse est.

His visis, reddamus rationem quatuor propositorum, à Galeno etiam descriptam, sed obscurè satis: cum nullus expositorum post ipsum videatur assecutus, nec omnino perfecit, sed diminutam rescripsit ex aliquo veterum Commentario, nam nullibi tam acutus videtur fuisse. Sed qualiscunque sit, illi tribuatur, quamuis implicita: ipsius autem contextus rationem addere, superuacuum est, cum ex libro de Aëre & aquis ac locis Hippocrates eam diffusè docuerit, & cur hi tres morbi præcipuè sæuiant: vnum solum addendo ex prima Problematum, videri lippitudines febrium quasi prænuncias, quòd ab eâdem causa, scilicet æstu, proueniant. *Probl. 8.*

Ergo primùm accipit æstatem aut hyemem pro primo tempore, vt dum morbos in contrario tempore gigni docere vult, vehementem habeat qualitatem in illo, velut pro æstate, cum vult morbos ex calore gigni, hyemem assumit, vt interposito vere in æstatem desinat. Et assumpta æstate, interposito autumno in hyemem, vt ex vno tempore in aliud mutans, vel maximum calorem vel maximum frigus causam ipsorum morborum habeat. Subiicit autem secundum tempus, vt

vt in tertium deueniat, vt ver hyemi, vt ad æstatem. Nam non poterat primùm enumerare hîc morbos hyemis, cum hoc infrà facturus esset (neque enim existimes, velle hic, quamuis prætereat, nullos morbos contingere: sed tales, quales paulo pòst docebimus) neque veris, quod cum hyemi contrarium sit, temperat aërem, si enim simile fuisset, potuisset morbos gignere: necessarium igitur fuit vt enarraret morbos tertij temporis, primo scilicet & secundo præterito. Tertij causa (quam Galenus omnino non intellexit) est quod in omnibus accipit duas contrarietates: vnam in actiuis, aliam in passiuis. Nam passionem Cicero vitauit, & passiuum etiam neglexere plures: hoc tamen Charisius Sosipater, antiquissimus Grammaticus, cum omni illorum schola recipit: vtrunque verò Priscianus, Grammaticæ artis princeps, & ἀνάλεκτος, vt inposterum cum Ciceronianis disceptare non cogar: sed vt ens & essentiam induxit Quintilianus, prius recepta (vt cum Horatio.)

Aphor. 23.
Aph. r. 13.

Et noua fictáque nuper habebunt verba fidem, si Græco fonte cadant, parcè detorta.—

vel: —Si volet vsus,

Quem penes arbitrium est.—

Vt si hyems sicca, imò αὐχμηρὸς, id est squalida (vt aliàs dixi) & Aquilonia, id est frigida: ver verò ἔπομβρον, id est assiduè pluuiosum, vt vtramque passiuam qualitatem in extremo concipiat: & Australe, id est calidum, quod ipse declarauit illis verbis, Et à terra irrigua & calida.

Ordinatur ergo ratio sic: Hippocrates volens ostendere morbos, qui accidunt ex mutationibus temporum, duobus temporibus contiguis indiguit, & quia mutatio fit inter contraria, contrariis constitutionibus temporum indiguit: & quia contrariæ constitutiones temporum sibi inuicem succedentium naturales æquant aërem, & ideo non gignunt morbos, indignit tertio tempore. Et quia in eo exigitur qualitas efficax, oportuit vt primum etiam eam haberet.

APHORISMVS XII.

SI verò hyems australis & pluuiosa fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres quibus partus ad ver inest, ex quacunque occasione abortiunt: quæ verò parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt: quare vel statim intereunt, vel tenues & valetudinarij viuunt. Cæteris autem mortalibus difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt: senioribus verò destillationes, quæ citò interimunt.

COMMENTARIVS.

STultum est disputare, & tempus terere in inutilibus: vtpote, cur quidam imperitus adiecerit Serena: cum palam sit, ad confusionem omnium id pertinere. Ita enim aggredi expositiones oportet, vt in manifestis lectorem non cogamus frustra nugis nostris operam dare: vt quidam interpres Dioscoridis, in quo plura verba, nullæ fermè sententiæ. Nec in contentionem reuocare decet, non solùm quæ nullum fructum afferunt, sed nec quæ exiguum, in tanta vitæ humanæ breuitate, in tot impedimentis, in tam magna multitudine rerum nobiliorum & vtilissimarum. Quare operæpretium magis fuerit docere, quomodo Hippocrates ex constitutionibus ambabus fermè naturalibus, scilicet hyeme frigida & sicca (quamuis hyems sicca propriè non sit, sed potius serena) & vere calido & humido, quale esse debet, ad contrariam naturæ temporis in vtraque qualitate conditionem transierit, scilicet hyemem australem, id est calidam, quantum esse potest, & pluuiosam: ver autem siccum & aquilonium seu αὐχμηρὸν, quod magis est quàm siccum & frigidum: vt nos admoneret, non esse eandem prorsus rationem in mutationibus quæ sunt contra naturam, ei quæ est secundum naturam. Sed videamus primùm, quomodo ipsemet seipsum interpretetur in libro de Aëre & aquis: Si verò hyems australis & pluuiosa & tranquilla fuerit, ver autem siccum & aquilonium ac tempestuosum: primum quidem mulieres, quibus partus ad ver inest, ex quacunque causa abortiunt: quæ verò parient, imbecilles & morbidos, infantes pariunt, quare vel statim intereunt, vel tenues & valetudinarij viuunt. Atque hæc quidem mulieribus. Cæteris autem mortalibus difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt: & aliquibus defluxiones à capite in pulmonem. Pituitosis igitur difficultates intestinorum fieri verisimile est, & mulieribus pituita de cerebro defluente, propter naturam humidiorem, biliosis autem lippitudines siccas, propter carnis caliditatem ac siccitatem. Valde autem senibus defluxiones, propter raritatem ac eliquationem venarum, adeò vt aliqui quidem derepentè pereant, aliqui verò semisyderati, aut dextra aut sinistra parte fiant. Cùm enim hyems sit australis & pluuiosa ac tepens, vt corpus non astringatur, neque venæ, vere accedente boreali ac sicco & frigido, cerebrum postquam ipsum dissolui ac purgari contigit à grauedine ac raucedine, tunc simul cum vere stabilitur ac constringitur, quare derepentè æstate accedente, & ardore ac mutatione adueniente, hi morbi incidunt, & intestinorum læuitates, & aqua intercus ferè reliquis morbis desinentibus superueniunt, cum non queant facilè ventriculi à concepto humido exsiccari. Hic primùm additur, In constitutione tranquilla & tempestuosa, atque hoc fuit quod quidam in Aphorismo legunt, ἔνδιος frustra: inde deterius (vt dixi) verbum illud quod tranquillum significat, hic quippe cum tempestuoso opponatur ab Hippocrate, serenum verterunt, & ex nullo duos errores finxerunt, nam oportuit, si ἔνδιος adderetur, addi etiam δυσχείμερος. At verò hîc vtrunque conueniebat, subtiliter & minutim omnes causas disquirenti, in Aphorismo neutrum,

Pag. 8.

neutrum, breuissimè omnia complectenti, nec nisi necessaria. Apparet igitur, sciolum quempiam, existimantem corrigere Aphorismum, eam dictionem frustra interiecisse. Verùm dices, quomodo poterit esse tranquilla & aquilonia? Respondet bene Galenus tertio in tertium Epidemiorum, aërem non secus atque maris aquam perpetuò moueri, atque hæc in summo: aër verò in sublimiore parte, quod probat ex motu nubium, quæ velociter mouentur, tametsi infrà & apud nos nullus ventus sentiatur. Et hoc est quod nos declarauimus in primo de Rerum varietate, vbi docuimus ventos fermè semper ex superiore parte in inferiorem ferri: quod etiam probè norunt nautæ, cum enim vident nubes altius discurrere, statim parant se aduersus ventum illum: & si vident illas bifariàm agitari, subitò expectant certam tempestatem: & si possunt, in tutiorem locum se recipiunt. Si ergo ventus aquilonius in superiore parte tantùm vigeat, aëris dicetur tranquilla constitutio, & tamen erit Aquilonaris. Sed dices, Alia emergit dubitatio: quia dicit Australis, & cum assiduis pluuiis, vt supra exposuimus: & tamen primo Epidemiorum dicit, Hyems austrina tota squalida. Et rursus: Cum esset tota hæc constitutio austrina & squalida. Et per contrarium in secunda constitutione eiusdem, cum esset totus annus humidus & aquilonius. Propterea dico, quòd Aquilo & Auster ex diuersis partibus flant, vt dixi: qui à polo Boreas, serenitatem & siccitatem parit: qui ab Occidente æstiuo, imbres multos, in Hippocratis regione. Auster qui à polo flat, humectat aërem, & imbres adducit: qui ab oriente, etiam hyemali: sed qui ab occidente, exiccat.

Com. 1. post Proœmium.

Cap. 1.

Sec. 1. tex. 4. 8.

Sec. 2. tex. 5.

Primùm quidem,) Adiecit hæc verba in libro de Aëre & aquis, vt intelligeremus hoc principaliter agere, & iurè, corpora enim prægnantium cum sint imbecilliora, citius & magis afficiuntur reliquis corporibus. Dixit etiam Primùm: quia tales vere, & non expectata æstate patiuntur. Et hoc est quod dixit Galenus, exponens præcedentem Aphorismum super verbis illis Hippocratis secundo Epidemiorum: Carbunculi in Cranone æstiui, pluebat in ardoribus aqua larga: contingebat hoc per totum, & maximè ab austro, quando mutatio est magna, & ad qualitates quæ plurimum faciunt ad corruptionem: vt in Cranone ad calidum & humidum, dicet enim infrà: Morbi in pluuiarum multitudine, putredines. At ibi fuit cum maximis caloribus pluuiarum multitudo: vel si corpora sint imbecillia, vt hic in ipsa statim constitutione, non expectata in aliud tempus mutatione, morbi fiunt, & maximè cum constitutio fuerit præter naturam temporis. Tria ergo sunt, quæ non sinunt expectari constitutionem tertij temporis: magna mutatio ad qualitates, quæ sunt causæ putredinis: peregrina & aliena temporum constitutio ab ipsis temporibus, & imbecillitas ac præparatio passurorum corporum. Causam huius cum Hippocrates non expresserit, Galenus aliam subiunxit non sufficientem, ratus Hippocratem eam prætermisisse. Galeni causa ingeniosi inuenti est, sed sanè ridicula, scilicet quòd infantes in vtero repentinum frigus sentientes, alij quidem debiliores ab ortu intereunt, non enim sufficiũt perferre illud frigus, quod laxa corpora humida & mollia matrũ admittunt, alij dum nascuntur, repentino frigore aëris percussi moriuntur: vel si viuunt, tenues & valitudinarij viuunt. Pudet me quod Galenus has nugas scripserit. Primùm Hippocrates non supponit illud frigus repentè aduenire, sed per totum ver manere atque augeri, deinde videtur existimare, quòd caliditas illa hyemis sit res magna, cum sit solùm tepor quidam, & clemens (vt ille vocare solet) hyems: multominus veris frigus comparandum est frigori hyemis.

Sec. 1.

Aphor. 16.

Cur ergo mulieres non abortiunt infantes in hyeme? cur qui nascuntur media hyeme, non solùm non pereunt, sed robustiores sunt his qui aliis temporibus nascuntur? Malè ageretur in Germania, & apud Sarmatas, si infantes nascendo perirent ob frigus aëris, at tantum abest vt frigus aëris perferre non possint, vt etiam quod ipsemet Galenus testatus est in primo de Sanitate tuenda (sed non meminit) fluuio mergant nuper natos infantulos. Deinde quem calorem maiorem sentient infans ex hyeme tepida, qui vix discrimen æstatis & brumæ sentit: & quomodo calidus aër vel frigidus ad illum penetrabit? malè ageretur, si hyeme frigeret infans in vtero, at fefellit illum, quod non animaduertit Hippocratem scripsisse causam huius. Indicio etiam est, quòd causam difficultatis intestinorum & destillationis, & lippitudinis siccæ, verba Hippocratis adducens, scripsit, abortuum prætermisit. Ergo generalis omnium causa ab Hippocrate traditur hoc modo: Cum hyems fuerit australis, pluuiosa & tepens, corpus totum, & præsertim cerebrum, repletur multo humore pituitoso (scilicet etiam salso, vt bene exponit Galenus) venæque laxantur: inde repentino superueniente frigore, generantur grauedines & raucedines, materiáque ad oculos calida deriuatur, quæ foras non exit constrictis omnibus meatibus à frigore (hoc enim rectè etiam à Galeno explicatur) fiuntque lippitudines siccæ, id est, in quibus lachrymæ non profluunt (communiter enim in lippitudinibus aliis effluere solent) & difficultates intestinorum, & destillationes quæ in senioribus etiam citò interimunt, & in prægnantibus eiiciunt fœtum: etsi modò ferant vsque ad partum, nascuntur adeò imbecilles vt vix viuant: aut si superuixerint, languidi erunt, & admodum infirmi, ob naturam illam acrem & crudam à cerebro maxima ex parte expressam. Quis tam mihi iniquus erit iudex, qui fabulam illam Galeni de frigore, huic adeò manifestæ & sensili, atque ab Hippocrate causæ sumptæ præponat? Præsertim cum dicat Hippocrates in libro de Sterilibus: Si qua prægnans decem menses perficere non potest, sed corrumpit, & hoc sæpè patitur ex huius vtero, tum ex toto corpore aquam purgato. Et primo de Morbis mulierum, cum docuisset madidos & humidos vteros non concipere, inquit: Sunt

Cap. 10.

Pag. 12.

Pag. 11.

autem mulieres, quæ facilè in ventre concipiunt, gestare tamen non possunt, sed fœtus corrumpunt tertio aut quarto mense, nulla alia causa manifesta: sed id contigit ob eam, quæ relata est. Et infrà paulo: Si vteri pleni sint, membranæ minus cohærent fœtui, atque ita abortiunt. Quis vnquam de calore aut frigore hæc audiuit, nisi hæc talia sint, vt matrem ipsam corrumpant?

Sec. 3. Hunc Aphorismi exemplum affert secundo Epidemiorum: In Perinthum circa solstitium ferè æstiuum venimus: facta est autem hyems clementi cœlo austrina, ver & æstas valde sine aquis vsque ad Pleiadum occasum, nè si etiam quid aquæ cecidisset, id erat velut minutæ roris guttæ. Et Etesiæ non valde spirarunt, & qui spirarūt diuulsè id fecerūt. Æstate febres ardētes populariter grassatæ sunt multæ. Sed quia non adiicit, quod ver fuerit Aquilonium seu frigidum, ideo loco fluxionum contigere febres. Manifestum est autem, quòd cum sint tria principalia (vt sæpe dictum est) scilicet tranquillitas & venti, imbres & serenitas, calor & frigus, quòd in Aphorismo (vt exponitur in libro de Aëre & aquis) omnes tres mutationes complexus est. Voluit autem intelligi per id quod ventos omisit in præsenti Aphorismo, plus referre qualitatum actiuarum & passiuarum mutationem, quàm ventorum: nam secundo Epidemiorum etsi meminisset mutationis ex humido in siccum, nihil tamen tale secutum est, illud verò exemplum nihilominus hic valde accommodatum est, cum si quid in hac mutatione defecerit, intelligere voluerimus, quid sequatur. Sequutæ enim sunt febres ardentes, & quales ibi describuntur, non sanè valdè mortiferæ: & maximè quibus pustulæ quædam rubræ miliaceæ in cute subortæ sunt. Ex his mulierem nullam mortuam fuisse, cui hæ eruperint, animaduertit.

Sciendum est etiam, Galenum existimare omnes hos quatuor morbos vere fieri: cum tamen Hippocrates æstate omnes præter abortum velit succedere, scilicet lippitudines siccæ, difficultates intestinorum, fluxiones tam quæ citò interimunt, quàm communes.

Duos tamen adiicit morbos, quos vult solum in æstate fieri: scilicet leuitatem intestinorum, & aquam intercutem, nam reliquos vult etiam in ipso vere incipere posse: tamen in æstate magis sæuire, & fieri magis populares. Sed cur in Aphorismo omisit æstatis mentionem? certè si non in alio aberrasset Galenus, venia dignus fuisset. Causa fuit, vt intelligeremus vere quidem, etiam non superueniente æstate hæc contingere, meminerat autem se declarasse in libro de Aëre & aquis, quòd rationem docuerat in omnibus generalem, quòd tales morbi si etiam incipiant in ipsa constitutione, vberius in tempore succedente grassantur, adeò vt abundante humore perueniant homines ad leuitatem intestinorum: seu, vt in septima Aphorismorum, ex Cornario, à leuitate intestinorum, dysenteria: & Sexta eiusdem, à dysenteria aqua intercus: seu quod dissoluta multa pituita hoc etiam per se contingat vtroque modo verum esse potest. (Aphor 54. 41.)

Sed cur dixit, Destillationes in senioribus, quæ citò interimunt? Galenus minus explicuit, quàm ipse Hippocrates, cum doceat se loqui de morbo attonito apertè, cum subiungat: Aliqui verò semisyderati aut dextra aut sinistra parte fiant. Nam si materia illa in valde senibus, cum imbecilles sint, & vacuas (primo de Morbis, quod etiam in textu suprà ex libro de Aëre & aquis retulimus) deferatur per venas iugulares ad cor, loco grauedinis vel raucedinis, repentè moriuntur apoplectici: sin per neruos resoluti, altera ex parte syderantur. Liquet autem, quod hic Aphorismus contrarios status ad vnguem duorum temporum cum præcedenti facit, non solùm autem licet, sed necessarium est sic facere, cum non ex contrariis contraria sequuntur, vt hic, nam non solùm contraria omnia, sed quædam etiam prorsus eadem, vt dysenteriæ: quædam ex parte, vt lippitudines humidæ & siccæ, in vna fluxiones, in altera acutæ febres producuntur. Abortus autem, nihil habent quod eis respondeat. (Pag. 11.)

APHORISMVS XIII.

Si verò æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluuiosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines atque grauedines: quibusdam autem, & tabes.

COMMENTARIVS.

Tres facit coniugationes Hippocrates libro de Aëre, aquis & locis, incipientes ab æstate, vtpote quæ morbos magis perniciosos adducant: vnde etiam quatuor illæ constitutiones, quas pro exemplo ponit in primo Epidemiorum, aut eiusmodi sunt, aut magis ad has quàm ad duas prius recitatas accedunt. Omittit autem Hippocrates primam harum trium hic, quæ talis est, vt melius præsentem ex collatione intelligamus. Si autem æstas pluuiosa sit, & austro multum perfletur, similisque sequatur autumnus, necesse est hyemem morbidam esse: & his qui pituita abundant, & quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri verisimile est, qui verò bile abundant, costarum & pulmonis inflammationes. Hæc de simili, de dissimili verò, de qua in præsenti Aphorismo est sermo, hæc referri: Si verò æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus verò pluuiosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt (& cerebri corruptiones) & tusses, raucedines atque grauedines, quibusdam autem & tabes. Nec plus habet ibi, quàm in Aphorismo, vnde explicatio ex superioribus sumenda erit: solùm id additur de cerebri corruptionibus, quam simul cum reliquis quinque affectionibus declarabimus. Cur æstatis non ascribat morbos, palàm est: quoniam vnius temporis morbos describere propositum non est: & etiam, quia tempera- (Pag. 8.)

rata

rata erit huiusmodi constitutio, ac maximè sine morbis. Sed & autumnus temperatus erit: & si modò aliquantisper calidus & humidus, cum natura sit frigidus & siccus, non pariet multos neque magnos morbos: sed superueniente hyeme, à frigore copia humoris pituitosi, ac etiam serosi constricta in cerebro, pariet omnia quæ dicta sunt: & in præparatis etiam ad tabem, ex acri destillatione phthoen dictam.

Porrò alterius constitutionis causas ascribere, non ad præsentem, vt liquet, sed sequentem pertinet Aphorismum, melius igitur fuerit hîc, vt in sequenti Aphorismo, tum hoc quod proposuimus, tum expositionem, tum etiam vt de ortibus siderum sermonem absoluam: atque quæ Galenus ibi nugatur, partim refellam: partim doceam, quod ille pollicitus nesciebat, vt hîc de causis mutationum temporum historiam perficiam. Mutantur tempora sex ex causis potissimùm, calidáque fit vel frigida constitutio temporis, serena vel pluuiosa, turbulenta vel tranquilla. Primùm ex solis motu in signifero, cuius cum sint quatuor puncta principalia, si in duo media diuidatur, fient quatuor diuisiones: quarum duæ sunt ab æquinoctio ad æquinoctium, in quarum Boreali manifestè calor viget: in Australi autem manifestè frigus, vt hic accessus ad puncta, ad qualitates manifestas pertineat, calorem scilicet & frigus: reliquæ duæ à tropico ad tropicum, occultas faciunt mutationes, quod sol à bruma ad æstiuum solstitium germinare faciat, & vitam augeat occulta vi: in tota alia medietate contrahit se, & vitam debilitat. Cum verò actio solis duplex sit, occulta & manifesta: hinc fit, vt ver vtramque causam complectatur, generationis & vitæ, calorem scilicet & accessum: autumnus verò vtramque oppositam, nam & sol recedit, & abest vltra æquinoctialem. Hyems verò, quæ à bruma incipit, & sub Æquinoctio finitur, occultè quidem sole ad nos accedente, saluti & vitæ & generationi vtilis est: apertè autem aduersatur, propter solis absentiam seu frigus, ita æstas contraria ratione, licet calore vitæ amica videatur, occultè tamen vitæ insidiatur. Vnde plantæ hyeme translatæ viuunt, aut etiam insitæ æstate pereunt: æstate tamen fructificant, hyeme etiam fronde carent. Atque hæc sumuntur à Ptolemæo, primo de Iudiciis astrorum. *Cap. 9.*

Illud adiicere licet, quod cum Apogeon solis nostra ætate sit in secundæ partis cancri fine, ideo cum tunc vigeat æstas, erunt æstates temperatæ: hyems quoque, cum sol sub bruma sit in Perigeo: Antisciis verò nostris, omnibúsque qui sub eodem circulo æquinoctio parallelo habitant, contrà est, nam hyemes habent frigidissimas, cum tunc eis sol in apogeo sit: & æstates feruentissimas, quia sit in perigeo tunc, cum verò æstas apud nos, vt dixi, sæuiat ad 11. calendas Augusti, id est, cum sol distat à solstitio partibus quadraginta, hinc fiet vt post termille & octingentos annos incipiat regio nostra æstates pati calidiores, hyemes verò frigidiores, augebitur autem hoc malum, donec peruenerit Apogeon ad libram octo millibus abhinc ac octingentis annis: tum verò ob inæqualitatem multis inundationibus & æstibus ac conflagrationibus concussa hæc medietas borealis sensim desolabitur, perseuerabitque atque augebitur hoc malum nouem annorum millibus. At interim occultè lædetur constitutio vitalis omnium rerum: apertè autem vigebit atque florescet, vt in æstate solet, partes tamen ad polos minus affligentur.

Secundum est ex motu lunæ: hæc mirificas habet mutationes, quas nisi sigillatim explicauero, intelligere non licebit. Ergo à coitu ad quadrantem septem diebus & dimidio frigefacit & humectat: idem facit ab initio Capricorni ad Arietis initium, imitata solem, à solis primo quadrato ad oppositionem Ver refert, & ab Arietis initio ad Cancri initium: pariter post quindecim dies à coitu, & statim ab oppositione cum sole, & à Cancri initio ad Libram calefacit & siccat. At in vltimo quadrante, & à Libra ad Capricornum, siccat atque refrigerat. Ponamus igitur, quòd dum Sol est in initio Leonis, Luna sit in Arietis initio, erit æstas æstuosa ratione habitus & luminis Lunæ, & signi vernalis: cuius causa non multum siccabit, licet sit in quadrante æstiuo, quare Lunæ effectus cum necessariò contrarij sint, semper ratione luminis & loci: ideo fit vt vix vnquam potuerit constitui ratio manifesta mutationis temporum ex Luna. Si enim Sol accedat ad nos, ipsa prope nos parum calefacit ob luminis paruitatem: si Sol prope solstitium sit, & ipsa prope oppositionem, erit vltra æquinoctij circulum, vt multum calefacere non possit. Hoc ideo factum puto, ne nimis frequentibus & celerrimis mutationibus morbi desæuirent, & perniciem mortalibus afferrent. Cum verò Luna post solstitium statim coierit cum Sole, & ad Arietem peruenerit, congeminatur calor fitque longa æstas non æstuosa, quoniam plus auget calorem Solis in Leonem ingressus, quàm Lunæ quæ antea in eo fuerat potentia.


Tertium est, ex erraticis aliis: quarum duæ Venus & Mercurius cum semper propè Solem sint, eodem fermè in quadrante sunt signiferi: quare illorum ratio parum euariat à Solis ratione, nisi quod cum in Leone simul fuerint, caliditatem augent, & feruidiorem faciunt æstatem: cum in Scorpione, inæqualitatem, & ratione atque experimento compertum est, pestiferos facere Autumnos, quòd si Mars ibi adsit, erit maius malum, & æstuosus valde Autumnus: & si Saturnus Martis loco, idem erit quod ad morbos attinet: sed erit frigidus, nubilosus: vtroque autem modo maximè inæqualis. Porro fiunt quatuor congressus earum, seu per coniunctionem quæ omnium est validissima, seu per oppositiones, Saturni quidem cum sole, refrigeratúrque aër valde, & cum luna obnubilatur ac densatur: cum autem Mercurius coit cum Ioue, aut (vt dixi) opponitur, fiunt venti. Et si Mars cum Venere, fiunt imbres & tempestates, eóque magis, si sol vel luna accesserint: & si hæc contingant, cum

oriuntur,

Pope Astrologorum loquacissimus qua mirabilia adstruit, et comminiscit.

oriuntur, aut occidunt. Et ortus Saturni atque occasus refrigerat, Martis autem calefacit, Iouis aërem temperat atque serenat. Est tertia vis non contemnenda in singulis. Nam Iupiter dum accedit, temperat occultè fouétque hominum & omnium viuentium vitam. Eadémque in quadrantibus peragit fermè quæ sol: nisi quòd loco caloris temperat, & serenitatem cum leuibus ventis adducit, aut aufert, vt in Sole dictum est. Saturnus ab Ariete ad libram temperat æstatem, hyemes acerbas facit. Et vterque Saturnus & Iupiter prope tropicum hyemalem, antequam eum superaue rint, niues magnas mittere solent, at Saturnus à Libra ad Arietem & similiter Mars, parum mutant temporis statum. Mars tamen ab Ariete ad Libram tepidas facit hyemes, feruidas æstates, maximè in Leone. Accessus Saturni & Martis quomodocunque fiat, seu per longitudem hominum & animalium atque plantarum corpora debilitat, & à temperie euertit: recessus, vtilis est.

Quartum, vt dixi, est ex ortu siderum magnorum, atque occasu: præsertim (vt dixi) in Canicula & Arcturo ortum, in Pleiadibus Hippocrates ortum & occasum considerat. Luna quoque illis congrediens his temporibus, auget eorum effectus, sed, vt dixi, hæc ad sequentem transferenda sunt Aphorismum. Quintum verò est pluuiarum abundantia vel defectus, de quibus infrà suo loco dicemus. Sextum est ventorum flatus, *Aphor.16.* de quibus nunc quæ Hippocrates tradidit in suis regionibus, in nostra & omnibus aliis docere propositum est. Sumatur noster orizon *a b c d e f g h*, cuius in centro K, vt dixi, nos semper esse necesse est, & ducta ab



Austro ad Boream *a K e*, cum æquinoctij circulum secet orizon, semper per æqualia sint sectiones *c* & *g*, nam sunt circuli magni. Et ideo cum *K* etiam sit centrum æquinoctij ex demonstratis in geometricis elementis, erit *c K g*, ad perpendiculum diuidens *a K e*, quare ortus æquinoctij & occasus, quasi inter Meridiem & Boream, nobis & omnibus in quacunque plaga habitantibus. Ergo ortus & occasus æstiui erunt Boream versus *d* & *f*, vt dictum est: & hyemales *b* & *h*, quæ omnia puncta veris nominibus ventorum præfiniuimus: quamuis aliàs, dum scriberemus commentaria in Ptolemæum, paululum ab hac nominum descriptione (quod nondum Dialecticam inuenissem) variauerim circa Zephyrum, & quorundam aliorum nomina ventorum: quæ corrigi debent iuxta hanc descriptionem, seruata mathematica ratione, quæ ibi habetur inconcussa, & proponatur vt nobis, quod dicit vernaculus Poëta.

Zephyro spir' el bel tempo rimena.

Quod ventus ille sub vespera spirans serenat cœlum, iuxta illud etiam:

Zephyro spir, el ciel fit rasserena.

Lib. de Aëre & aquis Pag.4. Et moderatè refrigerat. Subsolanus, nubes adducit, & qui inter *c d* positus est ab Oriente: cum tamen superius dictum sit ex Hippocratis sententia, Zephyrum esse nimbosum: & qui ad orientem spectant, siccos. Ptolemæus in primo libro ponit subsolanum siccum, sed Fauonium humidum: sed veritas debet consentire experimento & rationi. *Tex.com.39.* Subsolanus humidus est, & calidus, & assimilatur veri: Fauonius autem autumno, frigidus & siccus: Auster æstati & meridiei, sed ob debilitatem fit calidus & humidus, cum natura sit calidus & siccus: & Boreas frigidus & humidus, sed ob impetum fit siccus, assimilatur enim hyemi & nocti. Aliter Subsolanus habitantibus sub Diaboristhene, transit per parallelum quartumdecimum, ideóque per terras gelidas, & minimè calidas: & si veniat à loco calido ex *c*, peruenit in *K* regionem frigidam, & est per pontum Euxinum, sed procul, & sinum Adriaticum: ideo est lenis & humidus: & pluuias adducit, non tamen magnas, quoniam est prope mare. Sed Etesiæ cum sint validiores, & ferantur ex Oriente æstiuo, magis refrigerant, & parum humectant. Boreas autem, vt dixi, quia propè est, validissimus, & gelidos ventos facit. Zephyrus autem ex parallelo, per Thylen ad nos venit, per mare Anglicum & Galliam, ideo refrigerat & exiccat. At qui aduenit ex Occidente vernali seu autumnali, cum transeat per mare mediterraneum, & non vehementer irruat ob distantiam, humectat, & imbres ex mari adducit, transit enim per Atlantem Africæ tempestuosum. Per idem Vulturnus aquosior est Notolibyco, quia longius aduenit, & vterque calefacit. Transit autem Vulturnus per maria Sudum & Mediterraneum, linea ex *b* in K minus inclinata, quàm ex *h* in K: quo fit vt minus excalefaciat, & magis humectet, at quæ ex *h* in K, præceps est, & ad Austri naturam magis tendit. Porrò Græciam Vulturnus superat,

perat,& ideo etiam Græcus dictus est: sed & Cæcias inter Eurum & Etesias positus, per Græciam transit, vterque orientalis & humidus, sed Cæcias frigidior est. Omnis autem ventus præter Austrum, & qui valde propinquus illi est, refrigerat, eo quòd cum prope nos est, per frigidas regiones transit: & eo magis, quo validior, & in hyeme flat: vel vere, cum nondum terra calefacta est. Venti quoque omnes contrarij imbriferi sunt, cogunt enim nubes, & ideo tempestates & procellas adducunt. Iuxta illud ergo in vnaquaque regione considerabimus,quòd venti contrarij tempestates adducunt, modò sint aut ambo validi, aut ambo remissi: sed tunc longas faciunt pluuias. Secunda autem regula: Venti validi frigidi sunt vehementer, atque ideo etiam humidi natura, sed serenitatis autores: remissi autem naturam retinent locorum, per quæ transeunt. Tertia est, Vt ventos omnes ciuitates ab æquinoctiis ortibus & occasibus temperatos quasi habeant, & humidos generaliter, quoniam procul flant. Qui verò ab æstiuis ortibus & occasibus, frigidi ob propinquitatem: occidentalibus orientales humidi, occidentales sicci, ob propinquitatem: orientalibus autem orientales sicci, occidentales humidi. Ideo Ptolemæus cum esset longè orientalior nobis, scilicet partibus quadraginta propè, orientalem ventum siccum pronunciauit,occidentalem autem humidum. Quinta autem & vltima regula est: Venti naturam sapiunt locorum, per quæ transeunt. Si per terras siccas & aridas, calidi sunt ac sicci: si per terras humidas, frigidas, lacus,stagna,niues, frigidi sunt & humidi:si per maria,sicci: sed si leues, pluuiosi, vapores enim deferunt, & cogunt, nec auehere possunt, ob id à pluuia & imbribus pluuia,& imbres persępè madefacta terra adueniunt. Venti enim omnes tunc humidi sunt, & pluuiosi.

Est etiam aliud considerandum circa causam æstatis, scilicet quomodo post solstitium magis crescat calor,cum sol recedat à nobis. Causa est, quia nostra regio adeò est frigida vt ab æquinoctio vsque ab solstitium totus labor sit, quasi in calefaciendo aërem & terram, & præcipuè quòd noctes adhuc sunt longæ, augetur tamen calor & plus ab æquinoctio ad solstitium, quàm à solstitio ad vigorem æstatis. Sed quia illud quod augetur, vltra solstitinm magis sentitur, quia aduersatur naturæ nostræ: ideo videtur magis augeri post solstitium, quàm ante, augetur ergo calor post solstitium minus, quàm ante solstitium. Demonstro modò, quod recedente sole debeat augeri. Proponatur ergo punctus l, in quo dum sol est in nostra regione, si ibi perpetuò esset, nec variaretur nisi vicissitudine diei & noctis, temperatus esset aër. Tunc ex l in d procedendo augetur calor, hoc est vsque ad æstiuum solstitium: sed recedendo par fit calor in punctis mediis recessus l & d, sicut accessus, qui superadditus iam calori acquisito auget æstum: igitur calor æstatis augetur, donec sol redierit ex solstitio in l. Punctus autem l, est locus in quo declinatio iam parua est: id est, finis Cancri, seu initium Geminorum, nam declinatio à solstitio est partium trium,& paulo plus quadrante: ibi etiam in singulos dies declinatio solis augetur quinta parte vnius gradus (vt vocant) & ita dimidio maximi incrementi, propius autem minus. Cum ergo distantia à solstitio parua sit, & etiam ex hoc discrimen maioris diei, tunc à minima nocte fermè idem permaneat,cum minus sextante varietur, & recessus solis à nobis, cum sit minor dimidio maximi recessus, & ideò minus refrigeretur aër ex recessu quàm ex propinquitate incalescat: sequitur generaliter æstatis calorem tribus his concurrentibus causis augeri per triginta dies à solstitio, & tunc incipere summum æstatis vigorem. Mense quoque ante solstitium generaliter aërem esse temperatum, ita vt calor diei cum refrigeratione noctis temperatum quiddam, & ita de aliis partibus diei correspondentibus partibus noctis. Et hæc ratio cum ea quæ superius est adducta, ad vnguem concordat: & hoc in regionibus borealibus. Rhodus enim, & quæ propiores sunt æquinoctio, tanto citius ad suum perueniunt temperamentum, quantum est differentia diei ad noctem: & quia cum sol est sub æquinoctio, distant solum triginta sex partibus ab æquinoctij circulo, & tunc dies iam sunt æquales noctibus, sequitur vt ver incipiat statim fermè post æquinoctium. Accedendo igitur existimandum est, supposita æqualitate diei & noctis, viginti quatuor partes distantiæ facere temperatum tempus. Et tantundem distant vltimæ declinationes vtrinque ab æquinoctiali, & tantundem fermè distat etiam sol à nobis quarto nonas Aprilis, cum ver est, & aër temperatus nobis, id est maximè conueniens naturæ humanæ: vere autem, quantum decet, calidus & humidus. Manifestum est ergo ex hoc, quòd quanto vlterius procedit æstas, eo caloris incrementa sunt fermè insensilia: licet propter ardores iam vrgentes magna videantur.

APHORISMVS XIV.

SI verò aquilonius & siccus, iis qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & diuturnæ: nonnullis verò & atræ biles.

COMMENTARIVS.

SIc legitur hæc pars in libro de Aëre aquis & locis, atque etiam ab Hippocrate exponitur, vt coniuncta primæ parti præcedentis Aphorismi: Si quidem æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus etiam aquilonius & siccus: & neque sua Cane neque sub Arcturo pluuiosus confert pituitosis natura, & maximè his qui humidi sunt, & mulieribus: biliosis autem infestissima hæc constitutio existit. Valde enim exiccantur, acciduntque eis lippitudines aridæ, & febres acutæ ac diuturnæ, & aliquibus bilis atra. Siquidem quod liquidissimum ac aquosissimũ in bile est, consumitur, Pag. 8.

ſumitur, denſiſſimum verò & acerrimum relinquitur, quod idem accidit ſecundum eandem rationem, & circa ſanguinem: vnde hi morbi his accidunt. Pituitoſis autem hæc omnia commoda ſunt, exiccantur enim, & in hyemem perducuntur minimè humecti, ſed reſiccati. Palàm eſt, quod in hoc loco cum coniungatur eis verbis præcedenti in Commentario recitatis, Si verò æſtas ſicca fuerit & aquilonia, illud præſupponere, quod etiam in Contextu docet, legi etiam debet, Et diuturnæ, non grauedines, litera enim Græca corrupra erat ex πυρετοὶ ὀξέες χρονικαὶ, κόρυζαι, ſic Hippocrates in libro de Aëre aquis ac locis, ſic Celſus libro ſecundo legit. Ariſtoteles prima Problematum vtrumque prætermittit. Galenus ſuo more legit in vtroque textu, Grauedines ſeu κόρυζαι, & vtriuſque omittit expoſitionem: grauis & accuratus certè expoſitor, dignúſque pro quo quidam tantum digladientur. Dixi ſæpius, nec accuſare benedicta, nec omittenda vtilia: ſed non illi fauendum ea in parte, in qua voluntate, non neceſſitate aut difficultate labitur. Sed & in hac ſententia eſt Fuchſius, qui vbi poteſt, ſolitus eſt carpere Braſauolum: cuius eſt hoc ex Hippocrate inuentum. Deinde quod maius eſt, ſi ſic legatur, ratione caret. Sunt qui legunt, χρονικαὶ πολυχρόνιοι.

Cap. 1. 10. & 11.

Explicatio Aphoriſmi perbreuis eſt: Si æſtas & autumnus fuerint ſicci & aquilonij, id eſt frigidi his qui humidiori ſunt temperie, vel ratione ſexus, vt mulieribus: commodus erit humido, ſuperfluo, ſiccato. Bilioſis autem hæc conſtitutio erit infeſtiſſima, nam quod liquidiſſimum eſt, atque aquoſum, à quo temperari ſolet, bilis abſumitur: quod in cerebro eſt relictum ad oculos, ſi extrudatur, facit lippitudines ſiccas, intellige tamen alterius generis ab his quæ in ſuperiore deſcriptæ ſunt Aphoriſmo, ſcilicet deteriores, vtpote à bile flaua valde reſiccata, quòd ſi non extrudatur humor, fient atræ biles: ſi verò ſint humores in toto corpore, fient febres acutæ. Quòd ſi reſiccetur ſanguis, vt inquit, fient relicta melancholia, febres valde diuturnæ.

Per hæc eadem explicemus, quæ in præcedenti Aphoriſmo explicare promiſimus: Si tam æſtas quam autumnus fuerint auſtrales & pluuioſæ, in hyeme ſubſequenti contracto multo humore corrupto fient febres ardentes ex ſalſa pituita, in his qui pituita abundauerint: quibus verò bilis ſuperabundat, coſtarum & pulmonis inflammationes, hic enim humor corrupto ſanguini copulatus, facile penetrat in huiuſmodi loca, cum calor non adeò viget. Ideo adiunxit, In vtroque: ſed tamen magis propter hoc, in his qui quadrageſimum annum exceſſerint. Siquidem infrà dicturus eſt, vltra hanc ætatem (id eſt, quadrageſimi anni) morbi laterales, & pulmonis inflammationes. Omnia igitur hæc bellè congruunt inuicem. Aphor. 30.

Reliquum eſt, vt quæ Galenus pollicitus eſt, quæ tamen præſtare ſe non poſſe (tanquam poſſet) intelligebat, exponam. (Primum igitur incipere) docet inchoandum eſſe à ſimplicibus temporum intemperiebus. Hoc eſt hic extra propoſitum: dicetur autem ſuo loco. Deinde vult tranſire ad duas & tres & quatuor conſtitutiones temporum, atque in hoc numero qui annum complet, terminari, hoc etiam malè, nam vt ſuperius docui ex Hippocrate in tertio Epidemiorum, in conſtitutione peſtilenti ipſe amplectitur vndecim penè tempora, & duos annos, igitur non oportet hunc finem ſtatuere, temporis in anno, nec quatuor conſtitutionum: ſed methodum tradere, qua omnibus ſatisfaciamus, ſeu ſint pauciores quatuor, ſeu plures. Igitur qui exempla Hippocratis intellexerit de duabus conſtitutionibus, ſeu morbi in eis contineantur, ſeu transferantur in tertiam de omnibus intelliget. Sed nec vult Hippocrates, vt dixi, vt à mediis temporibus incipiamus, ſed ab extremis, ſcilicet æſtate vel hyeme: quod cum fecerimus, vel erunt ſimiles, vel contrariæ. Vtrarumque autem harum dedit exemplum: tria in contrariis tanquam difficilioribus, & vnum in ſimilibus vt faciliore. Si verò fuerint partim contrariæ, partim ſimiles, ex vtriſque extremis facere licebit coniecturam. Cum verò differentiæ ſint tres, vt dixi, in qualitatibus actiuis & paſſiuis, & ventis (nam ſerenitas ad ſiccitatem pertinet, vt humida qualitas ad imbres & ventos, niſi dum flant) parum referre putet, niſi quatenus calefaciunt, refrigerant, exiccant aut humectant, manifeſtum eſt redigi hæc omnia in ſexdecim coniugationes tantum, nec plures: cum Galenus non auſus ſit de illis agere, exiſtimans forſan eſſe penè infinitas, nam cum æſtatis conſtitutio ſit neceſſariò calida & humida, vel ſicca vel frigida, & humida vel ſicca: autumnus verò ſequens, ſi ei ad vnguem eſſe debet contrarius, etiam quadrifariàm variabitur, ſi ſimilis, quadrifariam rurſum, erunt igitur omnes modi octo, totidem hyemis cum vere. Igitur modi principales erunt ſexdecim, quorum cum certiſſima ratione quinque attulerit exempla, quibus ſexdecim modi illi cognoſcuntur, palàm eſt non potuiſſe nec plura ab Hippocrate exponi ſine loquacitatis ſuſpicione. Conſt. 3.

Quorum cauſa præſentem Tabulam ſubtexuimus.

1	XI. Hyems Frig. Sic.	Ver Cal. & Hum.
	XII. Hyems Cal. Hum.	Ver Frig & Sic.
2	XI. Hyems Frig. Sic.	Ver Cal. & Hum.
	XIII. Æſtas Frig. Sic.	Autumnus Cal. & Hum.
3	XIII. Æſtas Frig. Sic.	Autumnus Cal. Hum.
	XIV. Æſtas Frig. Sic.	Autumnus Frig. Sic.

4.	XIV. Æstas Frig. Sic.	Autumnus Frig. Sic.
	XIII. Æstas Cal. Hum.	Autumnus Cal. Hum.
5.	XII. Hyems Cal. Hum.	Ver Frig. & Sic.
	XIII. Æstas Frig. Sic.	Autumnus Cal. Hum.


In his cum commune sit, duo tempora, & sibi inuicem succedentia accipi, quorum primum habet qualitates vehementes, secũdum remissas: non sit varietas, nisi quoad qualitates, quorum una semper est actiua, alia passiua, vel in temporibus, vel in commutatione tantum. Sunt igitur quatuor, in quo singulæ constitutiones conueniunt: tempora duo succedentia. Primum, cum excessu: secundum, propè temperatum, & qualitates actiuas & passiuas: tria verò discrimina vel temporum vel qualitatum, vel quod commutentur aut maneant. Si ergo tempora sint eadem, & non commutentur qualitates, solum sint diuersæ, fit quarta coniugatio. Si tempora sint eadem, & commutentur, necesse est qualitates esse diuersas: aliter esset eadem constitutio; fit ergo prima coniugatio. Si tempora sint eadem, qualitates eædem, necesse est si sint diuersæ constitutiones, vt una commutet, alia non; igitur fit tertia coniugatio; manifestum est ergo, quòd in eisdem temporibus non possunt esse plures quàm tres hæ coniugationes. Si autem tempora diuersa sint, vel commutant, & qualitates sunt eædem, & fit secunda coniugatio: vel qualitates sunt contrariæ, & fit quinta coniugatio. Quod si velles vt manerent, et qualitates essent eædem aut diuersæ, oportuisset addere sextum exmplum hyemis & veris similium: & tunc cum addito, & 14. fuissent factæ duæ coniugationes, atque expletus numerus omnium coniugationum, quæ in hoc casu excogitari poterant. Sed non fuit necesse, quia hæ coniugationes fuissent compositæ ex 14 Aphorismo, & secunda & quinta coniugatione. Cum enim in eisdem temporibus exposuisset duo exempla in quartodecimo, & addito Aphorismo, diuersorum autẽ temporum & eiusdem qualitatis in secunda coniugatione, & diuersarum in quinta, patet propositum.

Quòd verò polliceatur se expositurum librum de Aëre & aquis, nemo existimet id perfectũ esse ab eo: neq; enim ausus est illum explicare, cum ei videretur difficillimus nam cum plures alios libros minoris momenti exposuisset, hunc pulcherrimum, & adeò in ore omnium, si ausus esset, inter primos exposuisset. At non exposuisse, optimè animaduertit Brasauolus, vir maximi iudicij inter nostri temporis scriptores: tametsi in hoc vno de Oribasij expositione iudicio cæcutierit. Sed quod non exposuerit (vt ille ait) Galenus eum librum, ex multis coniicitur. non adnumeratur ab eo nec in libris De libris proprijs, nec de ordine propriorum librorum, nec citatur ab illo vllibi, vt solet in alijs facere. nec Oribasius cum in eum sermonem incidisset, nec Aetius, nec Rasis, nec Auicenna, qui plures illus libros, qui nũc non extant, viderunt, vllibi mentionem illus fecere: vt constet, illum rei difficultate deterritum, non ausum exponere.

Quod verò paulo antea.) Proponit tria genera habitationum, temperatam per se: dicitque eam esse, quæ est sub zona contenta inter parallelas, inter Coum & Gnidum. Coos insula distat ab occidente partibus 57, ab æquinoctiali partibus 36, minutis 26. & Gnidus Veneri dicata ciuitas, aliàs Cnidus, in Peloponeso Doris, iuxta Halicarnassum, ab occidente partibus 50. ab æquinoctiali 37 distans. Rhodo paulò borealior, quibus Pergamus est borealior, scilicet partibus 39. minutis 45 distat, ab occidente partibus 57. minutis 26. Sed Rhodos & Coos insulæ sunt, Pergamus & Gnidus in continenti. Itaque Pergamus extra temperatam regionem est. Quædam regiones sunt prorsus intẽperatæ, vt Aegyptus & Libya propter calorem, Thracia & Pontus ob frigus. Tertium genus est regionum, quæ per accidens sunt temperatæ, vt quæ in littore maris sũt. In calida enim, vt Libya & Aegypto, temperantur perpetuo flatu ventorum frigidorum, in Ponto & Thracia ob loci humilitatem calidiora redduntur, hoc dixit, vt Pergamum temperatam esse ostenderet hoc secundo genere temperamenti, licet non primo, est enim in littore maris. Dicit ergo hæc quę hic scripta sunt, solum intelligi debere in temperatā regione. Nolo nunc ob prolixitatem hic de temperamento regionum agere. Satis sit regiones & ciuitates situ reddi, & cœlo, temperatiores.

Ordo autem temporum.) Locus est, vt quæ de ortu & occasu scripta sunt ab Hippocrate, nunc aperiam. Ortus siderum & occasus triplex est Cosmicus, Chronicus, & Heliacus. Cosmicus, siue vt ita dicam, mundanus est, cum singulis diebus astra omnia & sol emergunt supra orizontem, vt videri possint, & vocatur ortus: cum verò merguntur sub occidente, dicuntur occidere, videri enim non possunt, hunc modum cum sit diurnus, & non possit esse causa morborum, aut mutationis aeris, ob breuitatem Hippocrates non curauit. Secundus, est ortus & occasus Chronicus, seu potius Nycterinus, id est nocturnus, cum astrum enim statim post occasum solis exoritur in orientis parte, quasi contra solem, dicitur Chronico ortu oriri: Et si ante ortum solis ex occidentis parte occidit, Chronicè occidere dicitur, vt semper aduerso sole astra oriantur & occidant Chronicè. Tertius, est Heliacus, Solari enim ratione oriũtur astra, cũ ante ortũ solis ex eadem parte orientis astrum sub crepusculo matutino exoritur: occidit verò cum post occasum solis statim astrum solitum videri in occidente, non amplius videtur, bifariam enim occidere tunc dici potest & quod post solem occidat astrum, & quòd propter solem

paulò post abscondatur, desinatque uideri vt semper accidit) præterquam luna, Mercurio & Venere, quæ non semper cum vespertino in crepusculo apparent, post absconduntur. Hippocrates hunc occasum, quæ duplici ratione posset dici & Heliacus & Chronicus, & ortum Chronicum negligit, vt quæ ambo fiant vesperi, & in crepusculo vespertino: solum curat ortum Heliacum & occasum Chronicum astrorum: quoniam vterque contingit in crepusculo matutino. Sed ortus Heliacus fit ex parte orientis, occasus autem Chronicus ex parte occidentis. Proponatur ergo Orizō alicuius regionis a b c d, ecliptica de f, circuli ei parelleli a m & b c h, vt tota plaga cœli cum signifero & insignibus, quotquot astris videntur, in ea contineatur. Palàm igitur est, quæ astrum morietur in a, & occidet in r, quotidie: & astrum l ortum iam est in f, & occidet in d: & astrū o orietur in b, & occidet in c, & astrum n, orietur inter f & a. Cum ergo necessariò sol semper sit in circulo d e f, ponatur sub terra



prope f, sicut iam illucescere incipiat: omnia astra que erunt in c, d, r, vel propè, vt vsque ad s, t, u, chronicè occidere dicentur, quæ si non multum ab ecliptica distent, erunt fermè opposita soli. Cum ergo Pleiadum solum occasum consideret, hæ verò non multum absint ab ecliptica, & ipsæ sint in vigesima tertia parte Tauri: manifestum est, quæ incipient occidere octauo Idus seu die sexta Nouembris. atque hic occasus fermè per quindecim dies extenditur: cum enim ipsæ fermè sint immobiles, & sol moueatur ex p versus d, semper intempestiuius occident, donec occident ante crepusculum, & tunc iam non dicuntur occidere, creduntur autem tunc multum posse hæc astra in huiusmodi occasu, adeò vt faciat initium primæ partis hyemis, finiatque autumnum. Sed ex parte orientis, cum astra sub sole sunt nullam habent vim, teste Ptolemæo. Cum ergo recedit, donec videri possit astrum quod antè est, tunc oriri dicitur heliacè, seu ortu matutino. Hic ortus diuersus est trifariàm, ex natura astri; nam Saturnus videri potest in 11 parte ante solem, Iupiter in 10, Mars in 12. Venus in 6. Mercurius in 10. omnes que cum sunt in Libra, omnes etiam planetæ ratione contraria in Piscibus vel Ariete non videntur, nisi post 20 partes distantiæ: quod contingit ex obliquitate ascensionis, & na- *Lib. 3. de Iudiciis Tex. 40.*

tura ac magnitudine stellæ. Solum in Venere hoc fallit. per viginti quatuor enim minuta distantiæ à Sole in Piscibus videri potest, & in Ariete, & in Aquario paulo plus dimidia parte: cum tamen obliquè ascendant. quod accedit maximè ex eo, quòd tum est in Perigeo fermè eccentrici, & parui circuli: cum sit soli iuncta, & ob solis splendorem. Sola luna oritur vespertino heliace, occidit que chronicè eodem tempore: vt ortus heliacus sit idem cum occasu chronico, cum vesperi primo à coitu in occidente sub crepusculo videri incipit. Tertia causa est astri latitudo, vt in Sirio seu Canicula, qui cum ad meridiem 40. partibus fermè declinet, exoritur multo serius quàm oriri deberet. Ex natura enim splendoris & situ in lōgitudine oriri deberet in distantia 15. partium a sole, & ita oriri circa nonas Iulij. At verò cum distet 40 partibus semper à sole, aut paulo minus, & sit sidus splendidissimum totius cœli, non solùm ob magnitudinem, sed claritatem luminis, ac copiam: cum talia sidera vt etiam luna) 25 partes distantiæ, & etiam minus exigant à sole vt videantur: liquet modò ante solem oriatur, posse videri, nec aliam in longitudine exigere distantiam, oritur ergo cū decima parte Leonis. Ergo dies caniculares incipiunt 11. calendas Augusti, prope id quod etiam Plinij tempore, scilicet 15. calendas Augusti, cum prima Leonis parte. Arcturus autem oritur 13. calendas Octobris, cum tertia parte Libræ, qui inchoat autumnum. Ideo ratio Hippocratis propter stellarum motum nunc euariat. Autumnus enim decem diebus ante Æquinoctium certa ratione inchoare debet. Hos autam quatuor ortus & occasus, scilicet in Cane Arcturo ortum, in Pleiadibus ortum & occasum, obseruat Hippocrates, in sua enim regione Arcturi ortus imbres multos demittebat. Sed videamus quomodo sol impediat astra videri. Certè cum est prope sidus, & cum prope orizontem, experientia enim ostendit, quod quanto aurora magis illucescit, tanto magis absconduntur astra, propinquitas autem ad astrum non impedit, nisi quatenus pars illa clarior est. Vnde astrum quandoque propius soli videbitur, cum sol magis ab orizonte ea in parte distiterit, & procul magis abscondetur, cum duæ lineæ, quæ à sole ad orizontem & ad astrum vnà fuerint. Sit ergo sol in p, linea p q est ad orizontem breuissima, itaque astrum in l melius videbitur quàm in k, licet k magis distet à sole quàm l. Iuxta hoc si placeat de stellis, quæ non plus quindecim partibus ab ecliptica discedunt, rationem ortus colligere, ex arcu K, l & l p colliges, vt Monteregius docet arcum K p, iuxta Monteregium in Tabulis primi mobilis. Sed & considerare oportet arcum p q, & inclinationem (vt dixi) lineæ p K à linea p q, & tempus quo apparent astra, nam si sit æstiuum, melius videntur ob subtilitatem aëris, & etiam regionem, & hominum qui vident qualitatem, adeò vt sit coniecturalis. Regio alta facit vt astra melius videantur: & si aër sit tenuior, & & qualitas temporis etiam variat. Vnum non est prætermittendum, plus procedesse *Lib. 11. Cap. 47.*

desse distantiam solis ab orizonte, quàm ab astro: quandoquidem astrum quanto magis ascendit sub crepusculo, eo semper minus videatur, vnde tum illius distantia à sole parum prodest. Hæc sunt, quæ velle videbatur docere Galenus: cogita modò, si vel tantas difficultates imaginari potuisset, credebat enim rem hanc esse facilem. Ideo longè melius fecisset, pedem (vt dici solet) extra medicinam non efferre: quem cum quidam sequi conati sunt, ridiculos se vel initiatis artium præbuere.

Reliquum est vt doceamus modò, qua hora maximus calor & frigus vigeant quocunque tempore anni, & quæ habeant incrementa ac decrementa quibusuis horis diei. Desumpta autem est ratio ab his quæ in præcedenti docuimus Aphorismo de temporum natura: sed illa est simplicior. Sit ergo orizon *a b c d*, & eius centrum *e*, & circulus per initium Cancri *f g b c*, cuius centrum K, sectio cum orizonte *b c*, eritque portio *b f c* maior medietate, ducatur igitur *K e* per centra, & super *K* ad perpendiculum *m K n* & *b c*, quæ cadet infra illam,



quoniam *b f c* portio maior est semicirculo. Secet ergo *K* in *h*, & ducatur circulus per initium Capricorni *o q a d*, cuius centrum: sit *s*, puncta intersectionis orizontis *a* & *d*, erit ergo arcus *a o d* super orizontem minor medietate circuli ex ratione sphæræ, & ducatur *a d* secans *o h* in *p*, Diuidantur ergo *K h b* & *K h c* per æqualia lineis *h g* & *h l*, itemque anguli *o p a*, & *o p d* per æqualia, lineis *p g*, & *p r*, erunt ergo ex demonstratis in sphæra arcus *f b* & *f c*, item *o a*, & *o d*, semidiurni suorum temporum, scilicet æstatis & hyemis. Et ex demonstratis in Geometricis arcus *f g* & *f l* maiores medietate arcuum semidiurnorum, quia lineæ *h f* & *h l* maiores sunt lineis *h l* & *h c*: & *K f*, & *h g* maiores *h g*, & *h b*, & per eadem arcus *o q* & *o* minores arcus semidiurni medietate, ideóque circulus *q a* & *r d*, nam lineæ *p d* & *p r* maiores sunt lineis *p r* & *p c*: ito *p a* & *p q* maiores *p q* & *p o*, & anguli, vt dictum est, contenti ab illis lineis, æquales secundum cōparationem. Quia ergo homo respectu circuli *f b c* est in *h*, & circuli *a q o r d* in *p*, & circuli *a b c d* in *e*, erit vt sol tempore æstatis augeat calorem vsque ad *l*, si oriens sit *b*, obtinet enim ibi mediam altitudinem, & sub æquinoctio vsque ad dimidium arcus semidiurni postmeridiani, & in hyeme vsque ad *r*, posito quod sol oriatur æstate in *b*, & hyeme in *a*. Constituatur ergo regio, cuius maxima dies sit sexdecim horarum, & minima horarum octo: igitur sub æstiuo solstitio erit meridies hora sextadecima, tempore æquinoctij decimaoctaua: brumæ, vigesima, calor igitur maximus erit in æstate, hora vigesima cum dimidia, quia arcus *f l*, est maior quatuor horis: tempore autem æquinoctij hora vigesimaprima, tempore brumæ hora vigesimaprima cum dimidia: quia *o r* est minor *r d*, nam si essent æquales, esset caloris vigor hora vigesimasecunda ad vnguem: at hyeme anticipat, vt dixi, quantum postponit æstate.

Frigus autem cum maximè ducat originem ab ortu & occasu solis, sicut calor à meridie augetur post occasum solis, donec desinat crepusculum in tempore æquinoctiorum: sed accedendo ad mediam noctem minuitur propter solis ad angulum ascensum, ita vt media nocte minimum sit, verum statim augetur à media nocte vsque crepusculum matutinum, quod est frigori, vt meridies calori, augetúrque ad ortum solis vsque. Sed in æstate frigus non augetur nisi ad mediam horam ante finem crepusculi vespertini, & in matutino vsque ad dimidium horæ ante ortum solis. Qui ortus solis est velut punctum medium arcus semidiurni post meridiem: in bruma verò augetur frigus media etiam hora post crepusculum vespertinum, & manè hora media post ortum solis. In æstate ergo erit maximus calor diei, hora vigesima cum dimidia: maximus calor nocturnus hora quarta, maximum frigus vespertinum hora media, matutinum septima cum dimidia. Bruma frigus diurnum hora sextadecima cum dimidia: calor maximus vigesima prima cum dimidia: frigus nocturnum maximum hora vna & media, minimum octaua.

APHORISMVS XV.

EX anni autem constitutionibus, quod in totum dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

COMMENTARIVS.

CAusam cur imbres plures morbos generent, Galenus docere nititur: cur sint mortiferi magis, non docet, sed suo more accusat Hippocratem peruersi ordinis: nec videt sequentem Aphorismum esse demonstrationem præsentis: ita multipliciter peccat. Igitur volens hoc demonstrare in sequenti Aphorismo, morbos omnes qui ab imbribus & siccitatibus fiunt, enumerat: quod Galenum animaduertere decuit. Quod ad ordinem attinet, Hippocrates proposuit, quæ sunt per se manifesta, cum abundant hi morbi in temporum mutationibus: ideo tum licet animaduertere, quod imbres plures pariunt morbos, & magis mortiferos siccitatibus.

Doctrina etiam generalis cum ex sensibus ortum habet, à propriis ad generalia procedit: vtque sæpius dixi, hic est modus Hippocratis. Sed quod ad textum attinet, Galenus præsupponit euacuationem excrementorum fuliginosorum & serosorum quadrifariàm: sponte per cutim, balneo, medicamento, exercitatione. Balneum solùm quæ extima sunt purgat, medica mentum nocet
3.1. D.2.c.1. plura euacuando quàm oporteat. Sed Auicenna dicit, quòd etiam perturbando corpus, vt suprà prauitate propria medicamenti: vel quia venenosum, vel quia nimis exiccat aut excalefacit. Exercitatione: sed hîc non docuit causam, cur non adeò in pluuia vt in siccitate satisfaciat. Dico, non potest satisfacere adeò bene, cum tempus est humidum & aquosum, sicut quando est siccum: ideo transmitti potest hic lapsus. Alia causa principalis, cur pluuiæ sint magis morbosæ, est qualitas humida, obnoxia putredini. At cum illud prætermittat (Minus mortiferæ)
Aphor.7. cum superius dixerit, In siccitatibus febres acutæ fiunt: excusatione dignus non est. Si quis contendat illum tueri, quod antea dixerit Solum morbos acutos fieri, non tamen plures: fateor hac in parte Galenum satisfecisse: sed non in illis verbis, Minus mortiferæ. Acutæ enim febres toto genere sunt magis mortiferæ cæteris morbis, vt in libro
Pag.2. de Morbis acutis. Nullus expositorum ausus est hunc locum declarare. Solutio colligitur ibidem ex differentia inter morbos acutos, & febres acutas. Morbi acuti (inquit) sunt, velut phrenitides, morbi laterales, peripneumoniæ & febris ardens, & hi magna ex parte lethales sunt: & quoniam abscessibus maxima ex parte copulantur aut constant, ideo in imbribus & ex imbribus maximè fiunt, non siccitatibus: siccitates autem pariunt febres acutas, at hæ non sunt magna ex parte
Const.1. te mortiferæ, vt habetur primo Epidemiorum, vbi dicit, quòd ex ardentibus febri-
Sec.3. bus nulli moriebantur: & secundo eiusdem, vbi ostendit paucos ex huiusmodi acutis febribus mortuos esse. Quod si febres ardentes non sunt valde lethales, multo minus acutæ. Dicit autem in Aphorismo, acutas, non ardentes autem sunt acutarum grauior species.

Sed cur non dixit solum (Minus mortiferæ) Respondeo, quòd per salubriores voluit nos intelligere in siccitatibus morbos gigni plerunque breuiores: in pluuiosis autem temporibus, & longi, plurimi & breues: in siccitatibus, breues etiam sunt, minus mortiferi. Potest autem simpliciter etiam illud salubriores referri generaliter, quòd rariores fiant morbi, non separando genera inuicem.

Pag.4. & 5. Hippocrates in libro de Humoribus inquit: Ad squalores sequuntur febres, itémque ad pluuias. Cæterùm siccitates & austrinæ sunt, & aquilo nares. Considerare autem oportet pluuias, si continuæ sint, aut alternis diebus, aut per alios circuitus, etsi magnæ vel paruæ fuerint. Ex primis aquis, vbi post multam siccitatem aduenerint, de aqua intercutem prædicere licet. Porrò de his atque aliis, scilicet nubibus & temporibus, huiusmodi dicemus suo loco: illud solũ quod obscurius est docebo, scilicet pluuias efficere aërem humidiorem, qui post longas siccitates auidius haustus in toto corpore velut in potantibus aquam multam, generare aquam intercutem.

APHORISMVS XVI.

MOrbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, & anginæ: in siccitatibus autem, tabitudines, lippitudines, articulorum morbi, vrinæ stillicidia, & intestinorum difficultates.

COMMENTARIVS.

HVnc Aphorismum nec Galenus, nec qui eum secuti sunt, perfectè intellexerunt, enumerat de longis morbis, vt doceat mortales magis esse eos qui fiunt per imbres, quàm qui per siccitates, ex siccitatibus enim sola tabes, & intestinorum difficultates perimunt, & serò: eorum autem qui fiunt per imbres, lethales sunt omnes, & citò etiam quidam, præter comitiales. Liquet ergo, quòd hic Aphorismus præcedentem demonstrat, sed non omnino manifestum est, quòd φθινάδες phthoen significet; nam tria significat apud Græcos, φθίσιν, ἀτροφίαν, καὶ καχεξίαν, vt tabes apud Latinos, phthisin, malum habitum, & hecticam. Existimandum est, potius atrophiam significari, quæ & calida & sicca temperie hectica est, frigida & sicca senij: hectica simplici siccitate atrophia nominatur. Sed cur non nominauit, Aphor.7.
vt antè, febres acutas hîc, cum solas eas gigni eo in loco dixerit, nullius alterius morbi facta mentione? hoc certè verè est perquirere mentem Hippocratis. Manifestum est, Hippocratem superius loqui de morbis, qui fiunt in ipsa constitutione: hic verò, qui fiunt post ipsam constitutionem confirmatam. Siccitas cum dominatur, facit febres acutas: cum autem perseuerauerit, tabitudines, vt ita dicam, & eiusmodi morbos gignit. Indicio est, quòd, vt dixi, hi duo Aphorismi præsentes quatuor superioribus coniunguntur. Siccitas enim vbi diu prædominetur, nimis absumpto humido humorum, non amplius gignit febres acutas. Et si obiicias verba illa: Et si annus magna ex parte talis fuerit? Respondeo, loqui de constitutione dominante, quæ sæpius repetitur, non tamen ex toto confirmata est. Duplici enim modo qualitates morbos procreant, vel vt permutantes aërem, atque ita suprà siccitatis vim abundè declarauit: vel vt aërem & corpora præparant, & sic de illa in præsenti Aphorismo agit. Porrò de causa morborum ex imbribus, non est dubitandum. Per diuturnos enim imbres multi crassi, frigidi ac lenti generantur humores, ex quibus fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines,

dines, morbi comitiales, attonitique. Solum restat vt dubitemus, quomodo ex his humoribus fiant anginæ, & quid per putredines intelligat, cum non sit verisimile nec de febribus nec de abscessibus illum loqui. Quòd etsi Galenus multa perperàm adducat, & quater reprehendat iniustè Hippocratem, licet in tabitudine eum defendat, scilicet in articulorum morbis, vrinæ stillicidiis, intestinorum difficultatibus: defessus tamen tot illius contradictionibus & impudenti accusatione, vt in fine Commenti etiam Dioclem & Mnesitheum damnet præter Hippocratem, ad ipsam meram expositionem Aphorismi transire decreui.

Anginas fieri ex descensu pituitæ multæ ad fauces, certum est: vt etiam docetur tertio de Morbis, vbi curat eam suffumigio sulphuris & bituminis, & purgatione per elaterium: vocatúrque paracynanche. Et in Secundo: Angina fit, cum pituita in capite commota, aceruatim deorsum fluxerit: & in maxillis & circa collum constiterit. Et licet hãc cynanchen vocet, alia tamen est ab ea quæ fit ex phlegmone, cum acuta febre, de qua loquitur infrà his verbis: Febris corripit, & rigor & dolor capitis, & maxillæ intumescunt vnde paulo pòst subiicit: Si verò tumor ipsi oboriatur, & ad pectus descendat, rubeátque & ardeat, amplior salutis spes est. Has duas species adeò bene distinxit in libro de Victu in acutis, his verbis, vt mil melius: Angina fit, cum fluxio multa & glutinosa ex capite tempore hyberno aut verno ad venas iugulares influxerit: & hæ fluxionem ampliorem propter amplitudinẽ attraxerint. Quum autẽ frigida & glutinosa fit, spiritus transitus obturabit, tum etiam sanguinis, ipsumque congelans immobilem reddit quum natura frigida sit, & obturandi vim habeat: & propterea suffocantur lingua liuescente. Alterius autem inflammatæ paulo pòst his verbis: Quum verò fluxio æstiuo vel autumnali tempore calida & nitrosa ex capite descenderit, ex temporis natura calida & acris facta: talis vbi est, mordet & vlcerat, spiritúque implet, & erecta ceruicis spiratio accedit, & siccitas multa, & quæ videntur gracilia apparent: & posteriores colli tendines distẽduntur, & velut in tetano cõtenti apparent, & vox abrupta, & spiritus paruus, & illius retractio densa atque violenta, his arteria vlceratur, & pulmo ardet, cum non possint extrinsecus spiritum inducere. Et si non sponte hæc affectio extra ad colli partes deferatur, grauior est, & ineuitabilior: & propter tempus, & quòd à calidis & acribus humoribus fiat.

Pag.4. Lang 3. Pag.8. Pag.14.

Per putredines intelligit depascentes omnes morbos, vt in quarto de Morbis. Vnde in secundo Prædictionum: At verò nomẽ lethalissimæ sunt, quarum putredines profundissimæ, nigerrimæ ac siccissimæ sunt. Prauæ etiã sunt ac periculosæ, quæ nigram saniem remittunt: albæ verò ac muccosæ putredines vt minus occidunt, ita magis reuertuntur, & diuturniores sunt. Palam igitur est, de huiusmodi generibus vlcerum loqui.

Sequitur vt de stillicidio vrinæ dicã, quod humores acres sua sponte inducere nati sunt. nam quod acriores humores fiant ex siccitate, nulla alia qualitate adiecta, nemini dubium esse potest, hi humores, vbi confertim ad vesicam irruentes, si non putruerint, quẽdam affectum generant (quem ego sæpius quàm volui, tamen semper sine noxa expertus sum) similem tinesmo inter ani morbos, quamuis desit acritudo. Vnde conantur mingere, guttásque etiam exprimunt: manifestũ est autem, hunc affectum ad στραγγουρίαν, vt dicemus, non δυσουρίαν pertinere. Similiter ex eo acri humore, qui intestina vesica teneriora erodere aptus est, fit intestinorum difficultas. Vnde pessimè atq; iniustissimè accusat Hippocratem, qua in causa etiam à Brasauolo ipse Galenus meritò damnatur. Aphor.31.

Sed quod est vltimum, atque Galeno paradoxum est, quod addit de articulorum doloribus: perabsurdum enim videtur hos fieri ex siccitate, qui ex humoribus crassis & frigidis fieri solent, cum tamen eadem sit causa quæ in febribus, inquit Hippocrates: Quibus febres longæ, his tubercula aut dolores ad articulos fiunt. Cum ad caliditatem longitudo febris nihil faciat (minus enim calidæ solent etiam esse longæ febres: & sint quantumuis calidæ, longitudo calorem non auget) palàm, est ob siccitatem in articulis dolores fieri: seu siccato humido, per quod facilè circumuertitur iunctura, seu aliquo tenuiore influente humore. Sensus igitur Aphorismi est: In longis febribus si materia abundauerit, fient tubercula: si defecerit, articuli laborabunt. Cuius causam docuit in libro de Flatib. dicens: Amplius etiam & articuli ante febres exoluuntur, calefacti enim nerui diducuntur. Itaque cum ex siccitate postmodum iusto plus contrahuntur, dolent, & non mediocriter. Est autem conuersa ratio quasi aquæ intercutis, in priore Aphorismo explicatæ. A longa enim & non intermittente siccitate tenduntur omnes neruosæ partes, & simul siccantur ac franguntur, quasi propriam amittentes temperiem. 7. Aphor.63. Pag.4.

APHORISMVS XVII.

QVotidianæ autem constitutiones aquiloniæ quidem corpora densant, & bene firma & bene mobilia, bene colorata, & melius audientia faciunt, & aluos exiccant, oculos mordent: & si pectus dolor prius aliquis obsederit, dolorem augent. Austrinæ dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines oculorum faciunt: atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.

COMMENTARIVS.

OPerę precium fuerat magis hũc Aphorismum quinto illi comparare (Austri, auditum hebetantes, caliginosi, caput grauãtes) & videre in quonam inter se differant. Videtur primum ibi noxarum solùm meminisse,

niſſe, hîc verò & commodorum, ſed hoc paruum eſt, & Hippocrate indignum: tum præſertim, quòd neque hîc incommodorum omnium meminerit, tuſſis, faucium horroris: ſi quidem ac δυσουρίαι Mirum eſt autem, tã obliuioſum eſſe, fuiſſéq; Galenum, vt etiam Hippocratem oblitũ eſſe huiuſmodi Aphoriſmi fateri cogamur? abſit. Cum ergo ibi planè de Ventis ipſis locutus ſit, dicens (Auſtri:) verum ſtatim ſubiicit, Cum huiuſmodi tempeſtas præualuerit: & rurſus, Si verò Aquilonia fuerit: at hîc etiam, auſtrinæ: igitur vtrinque de conſtitutionibus agit. Verum Galenus, & cum eo Philotheus, Aphoriſmorum expoſitor, ſole nomine Greco inſignis, illius tamen plerumque imitator compendioſus, affirmat hic de ventis ipſis Hippocratem agere, illic autem de plurium dierũ diuturna conſtitutione. Quod forſan verum eſſe ob id credere decet, quòd hic morbos, vt dixi, multos prætermittat, quos illic connumerauit. Etenim ventus, vt res repentina, mutare valetudinem & habitum poteſt, morbos autem efficere non poteſt. Indicio etiam ſunt verba ipſius Aphoriſmi Græca: αἱ δὲ καθημέρην καταστάσιες. Sed tamen cur in boreali vẽto plura hic adduntur, quæ ibi prætermittũtur, non itidem autem in auſtrali? Forſan ob id, quòd ventus auſtralis ab auſtrali conſtitutione parum differt, cum ventus is leuis ſit: at Boreas cum ad nos magno cum impetu veniat, ipſa mutatione maius diſcrimẽ affert.

Pag. 8. Cauſam huius docebat Hippocrates in libro de Sacro morbo his verbis: Cum igitur etiam his quæ adeò magna ſunt, ac potẽtia, in tantum dominetur (ſcilicet Auſter) & corpus ſentire cogat, vt ex horũ ventorũ actionibus tranſmutetur, neceſſe eſt ab auſtris quidem ſolui atque humectari cerebrum, & venas laxiores reddi: ab aquiloniis verò flatibus, quod ſaniſſimum eſt, in cerebro compingi: quod verò morboſiſſimum ac humidiſſimum eſt, excerni, & forinſecus circumuallare, atque ſic defluxus in horum ventorũ mutationibus ſuccedere, generaliter itaque hæc Propriè verò hæc in tria capita diſtinguit Galenus, operationes naturales & animales, miſtúmque quoddam: velut inquit, Bene colorata ad naturales pertinet operationes, bene mobilia ad animales, bene firma ad vtrũque. Sed tamen quod ad colorem attinet, pudet me in robur facultatis concoctricis hoc reducere: vt iecur vnius diei, imò ne integræ quidem ſpatio ita robuſtũ & temperatũ euadat, vt facies bene coloretur. Sed hoc cõtingit ob calorem intus reductum cum ſanguine, deinde quadam vi ad faciem expreſſum.

Quòd igitur ad omnia ſigna attinet, eadẽ ratio quæ in quinto, eadem quoq; in regionibus & ciuitatibus & cubiculis obſeruanda, nam & ventorum & cõſtitutionum & regionum, in quibus huiuſmodi vigent, tum vrbiũ & domorum, pro ratione idem erit iudicium. Solum ergo videntur explicanda quatuor illa quæ in ſuperiore Aphoriſmo poſita nõ ſũt ſcilicet denſare corpora bene mobilia, & firma reddere, & audiẽtia melius, nõ enim hoc, vt quidã putant, pro exemplo aliorum ſenſuum, ſed ſingulariter eſt intelligendum. Obducitur enim auri, omiſſa cartilagine & cute quæ exterius annexa omnibus in conſpicuo eſt, membrana quædam, quam tympanũ vocant, tranſuerſim deducta: & ſub ea foramen eſt, quod in cauitatẽ in oſſe tẽporis exculptã, fertur, in ea autẽ cauitate tria ſunt oſſa, quorum duo mallei ſuper incudem iacentis, ſatis aptè effigiem præbent, habet enim incus duos pedes, vt ita dicam, & ſuperficiem non æqualem, ſuperius planam dentis molaris, duas tantum radices habentis in ſpeciẽ: malleo verò manubrium, & in fine acies quędã, retrò reſpiciens prominet, ex qua parte infrà vergit mallei tubulus: hic in membranæ quaſi initio nerui quinti paris rami, malleũ ambientes, ipſe neruus radicibus illius ſubiacet: vnde etiam foramen cæcum, & tertium oſſiculum, quare cum ab Aquilone membrana tendatur, os illud in quo cauitas oſſiculáq; & neruus ſiccentur, reſonant primùm in aëre inter oſſicula, oſque temporis contento voces, ac demum in neruum ſpecies transfunditur, ac in cerebrum deducitur, vt tandem audiatur. Liquet autem, non eſſe huiuſmodi ſtructuram in aliis ſenſibus, vnde nec generaliter dictum de illis. Veſal. 1. Anatomiæ c. 8. & poſteriores.

Denſat corpora frigidum, vt etiam ſexto Epidemiorum, & duriora reddit: ſed id præcipuè, ſi poſt calidam adhibeatur, libro de Humidorum. Vnde ortum illud problema, cur calida citius congeletur quam frigida? Vbiq; ob id gentium frigidiſſimũ vinum & aquã bibere licet, effoſſo altius puteo, etiam ſub laticibus, inde immiſſa feruenti aqua in ferreo vaſe puro. De firmitate dicebat Hippocrates libro de Affectionibus? Robuſta efficiũt corpora, quæ carnem denſam & multam generant, denſitas igitur ad firmitatem facit. Porrò de frigoris viribus loquitur in quinta Aphoriſmorum, & in ſecundo de Diæta. Sed illud non prætermittendum, frigida hæc non ſolùm conſidera vt exterius nos afficiunt, ſed etiam vt intus aër ipſe hauritur: nec ſolùm vt frigidus eſt, ſed etiam vt ſiccus: Boreas enim talis eſt. Cur verò mobilia? & illud non difficile eſt, humido corpus grauante abſumpto, quæ enim leuia ſunt, vehementius & facilius agitantur atque aguntur. Sec. 3. Pag. 2. Pag. 12. 11. & 23. Pag. 10. & 11.

Καὶ ἰλίγγους ἐμποιέουσι, ἐν δὲ τοῖσι ὀφθαλμοῖσι, id eſt, Et vertigines in oculis fiunt, ſic enim vertit Theodorus Gaza, cui vni plus credendum eſt in hac cauſa, quàm vniuerſis interpretibus Latinis: vt qui Græcus natus ſit, & exquiſitiſſimam ſcripſerit Græcam grammaticam, vt rationem dicendi nemo melius callere potuerit: omitto modò, quod opus illud omnibus intactum de Animalibus Ariſtotelis, quod nemo aggredi aut tentare auſus eſt, Latinum fecerit adeò egregiè, vt nullus pòſt quicquam mutare tentarit. Sed rei ipſius natura hoc demonſtrat, quippe quid eſt dicere, oculis difficilem motum præſtat. Solum cognoui tres, quibus oculorum motus eſſent conſpicui: Filius meus natu maior, anagnoſta meus, puer duodecim annorum: Benedictus Cataneus Papienſis: & vxor Pauli pharmacopolæ Illyrij, amici mei, in aliis quem motum oculorum vides notatu dignum, vt ei qui mouet, difficilis videri poſſit? itane præſtigiatricem quandam ſcientiam Hippocrati tribuemus, qui eam adeò curioſè ſemper explodit,

plodit, tum maximè in libro de morbo sacro? Tandem pudeat hos: qui relictis rebus ipsis verba sectantur puerilia. Ob id autem adiecit Oculorum, quia alia est vertigo cerebri, quam dum eo verbo explodere vult, vt cuius materia sit eadem quæ comitialis & syderationis, Galenus è directo pugnans, de illa potissimam intelligi existimat. at Hippocrates de hac oculari, quæ non ex ea materia fit, sed solis vaporibus fit. Neque enim vnius diei constitutio materiam congregare potest, comitiali aut syderationi aptam. At Galenus putat de huiusmodi intelligi, non animaduertens inter constitutionem longam austrinam, & vnius diei ventum austrinum, multum interesse, nam constitutiones austrinæ diuturnæ, comitiales & syderationẽ mouent: boreales his morbis aduersantur, at si ad vnius diei flatum respicias, nunquam vidi ex Austri flatu quemquam syderatum, ex boreali plures, inter quos Patricij generis amicus noster Ludouicus Madius, atque id iure. Cum enim vehementes sint, pituita redundante in cerebrum coaceruata, antequam absumatur, exprimit in cerebri ventriculos persæpe, & interficit.

APHORISMVS XVIII.

PEr tempora anni, vere quidem & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optimè degunt, & sani sunt maximè: æstate verò & autumno, vsque ad aliquid senes: reliquum & hyeme, qui mediam ætatem habent.

COMMENTARIVS.

QVi volunt ver temperatum esse, vellem vt id mihi dicerent, num id omnibus in ætatibus prætulerit cæteris temporibus? Sed omitto hæc, quandoquidem confundunt omnia, qui exponunt hunc Aphorismum. Tria igitur cõsiderat Hippocrates, & ex his quartum vnum quoddam efficitur. Quod ad vitæ longitudinem attinet, & corporis salubritatem, ver omnib. ex æquo prodest, vt calidum & humidum. Quod ad robur, quicunque caloris naturalis copiam habent, hyeme melius degunt, quòd coactus calor omnia munia melius perficiat: quòd verò ad temperandam naturam, omnes melius degunt in contraria temporis qualitate. Ergo pueri & adolescentes vere & prima æstate, vt enim pueri vere, ita adolescentes prima æstate, id est ad æquinoctium vsque, optimè degunt, tum generali ratione, tum similitudine, quia calidi sunt, & humidi. Vtraque autem harum qualitatum fouet naturalem calorem & vitam. Hoc eodem tempore etiam calor naturalis in visceribus latet: vt prima Aphorismorum. Ex tribus ergo causis omnes concurrunt. Optimè degere, est robustos esse sine querela, iidem etiam (dicit) sani sunt maximè. Vnum ad habitum & vires, aliud ad sanitatem pertinet. Senes non fruuntur hyeme priuilegio reditus caloris, adeò vt æstate omnibus partibus melius affectis temperati videantur vnde colliquatis humoribus crudis, à multis morbis interim interquiescunt, & robustiores sibi videtur. Idem etiam in principio autumni, vt dixi: quia ante æquinoctiũ olim ab Arcturi ortu incipiebat, ea autem pars calida erat, & humida propter pluuias. Qui media ætate sunt, contracto intus calore, & etiam temperato eo qui est in corde, omnia aduersa contemnunt. Est ergo temperamentum humanum simpliciter, & qui ad hominem, & caloris naturalis vigor. Hoc idem ergo in temperaturis, in regionibus & cubiculis, ac vestibus: sed & regiones ad anni tempora. In Germania æstas, in Æthiopia hyems erit saluberrima: Rhodi autem ver. Porrò habitum bonum declarat in Parangeliis consistere in calore, spiritu, concoctione humorum, vniuersaque victus ratione atque structura. Pendet autem hic Aphorismus ex tertio huius particulæ, & scribitur libro de Humoribus, vt dictum est: sed non explicitè. Per verba autem illa, Et qui hos sequuntur ætate: eos intelligit, qui vsque ad incrementi finem perueniunt: id est vsque ad annum vigesimum quintum, vt aliàs docebimus.

Pag. 3. *Pag. 4.* *11. Contrad. Cont. 20.*

APHORISMVS XIX.

MOrbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: quidam verò magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & excitantur.

COMMENTARIVS.

MOrbos proprios vnumquodque tempus decernit, & præcipuè secundum temperiem: duas tamẽ causas Galenus affert in Commentario suo, cur omnes morbi omnibus temporibus fiant. Vnam prorsus naturalem, scilicet temperaturam, & ætatum diuersitatem: alteram fortuitam, rationem victus. Vnde factum est, vt Patauij aliquando soli Hebræi ægrotarent certo morbi genere: aliquando soli non ægrotarent, cum morbus popularis grassaretur in ciues. Basileæ, cum magna pars ciuium ex pestilenti morbo vno anno extincta esset, aduenarum vnus vel alter tantũ ex eo morbo absumptus est. Si igitur ex temporis ratione peculiares morbi regnare deberent, ob alias duas causas omnes promiscuè, sequitur vt facta mistione partim omnes regnare debeant: sed peculiariter & magis, quædam certa genera. Sed quis credat hanc doctrinam, ei quæ de mistione temporum tradita est, succedere debere, cũ hæc simpliciter videatur? Sed audi: validiores esse cõstitutiones compositas, de quibus dictum est nemini dubium esse potest, cum ex his morbi populares oriantur, qui paucos intactos relinquunt: & tamen longè pauciora genera morborum comprehendunt, cum simplices longè plura: igitur cum à notioribus inchoandum esset, rectè fecit Hippocrates, hos post illos collocans: non antè, vt voluisset Galenus.

Cæterùm videamus, postquã hic Aphorismus generalis est, quot modis tempora morbos efficiant: id enim est verè scire, scilicet causas intelligere, & quomodo illorum sint

causæ, vt Aristoteles ait. Ergo primùm tempora morbos producunt vel ratione loci solis, vel motus eius, vel comparatione ad præterita: velut æstas ratione loci solis mouet febres ardentes & tertianas, quoniam calida & sicca generat bilem flauam multam, & eam etiam accendit. Ratione motus autem, ver generat pustulas & lepras & impetigines, natura transmittente ab intus ad extra. quod enim conceptum est, tunc protruditur, vt etiam in arboribus quæ germinant, & herbis quæ à terra erumpunt. Ratione temporis præcedentis, vter generat atram bilem & furorem ob humores genitos in autumno antè, qui non potuerunt digeri per hyemem ob subsequens frigus, & grauedines & raucedines & tusses ob pituitam præcedentis hyemis. Et in autumno stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum ob bilem flauam in æstate genitam, & melancholiæ & furores ob solis situm. Talis enim humor generatur, & aqua intercus ob imbecillitatem caloris naturalis, quæ aduenit ob recessum solis à nobis. Sic omnes hi morbi ad has tres causas reducuntur, quorum etiam causa subiicit, & in æstate vernos plurimos, & in autumno itidem æstiuos plurimos fieri. Porrò de prima causa generationis morborum, scilicet qualitate temporis, egit longa tractatione in libro de Humana natura: de causa autē ex solis motu, dictū est suprà. De generatione humoris dicit in sequēti Aphorismo. *Pag. 4.* *Aphor. 1.*

APHORISMVS XX.

VErè etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & tusses, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi.

COMMENTARIVS.

ENumerat quatuordecim morborum genera, è quibus comitiales, tusses, grauedines, raucedines, tubercula quid sint, iam declaratum est. Similiter docuimus, quonam pacto omnes hi morbi ad hæc tria principia reducantur: singulos reducere decet, tamen breuiter. Nam ad materiam in hyeme genitam grauedines, raucedines & tusses: ad genitam in autumno lepræ, impetigines, vitiligines, pustulæ vlcerosæ, furores & atræ biles, omnes enim hi ex materia exusta fiūt: ad alterutrius comitiales & anginæ, ad vtriusque articulorum morbi. Ad hæc omnia facit motus solis, sicut etiam ad tubercula & profluuia sanguinis motus solis & locus. Sanguis enim & materia mista ex bile, & pituita in hominibus morbosis loco sanguinis generantur, ex quibus fiunt tubercula.

Reliquum est igitur, vt septem morborū principaliorum essentiam atque causas etiā explicemus. Hippocrates sexta Aphorismorum: Si timor & tristitia longo tempore perseueret, tale est melancholicum. Quod etiam ad fugiendam homonymiam, Fuchsius vertit atram bilem, signa ergo huiusmodi morbi, sunt timor & tristitia. Cuiusmodi autem sit, declaratur in Epistola senatus & populi Abderitarum ab Hippocrate, cuius tota summa est, quod aliena sentiret à communi hominum consensu, diceret, ageret, præsertim verò etiam in his quæ vel dictu impossibilia, vel factu damnosa essent: vt quòd volucrum voces attentus exploraret: hoc enim non potest sciri, quid ille velit, quodque diceret infinitos esse Democritos, cum vnus tātum esset: & quod noctu surgeret, hoc enim damnosum. His enim quinque signis præsertim melancholia dignoscitur: de qua cū multi loquantur, pauci norunt propria signa. Est autem morbus non lethalis, vt dignoscitur ex verbis illis in septimo Epidemiorum: Timocharis seruus cum ex atrabiliariis esse existimaretur à tot ac talibus viris, mortuus est similiter circa eosdē dies. Quasi dicat: Si fuisset, non tam breui spacio periisset. Retulerat enim antè, Canonis seruam ex dolore capitis cum clamore etiam insanientem, in quadraginta diebus mortuam esse. Differt autem furor ab atra bile, sexto de Morbis vulgaribus: Similiter & biliosum & sanguineū corpus atrabiliarium fit, si non habet euacuationes. Sanguineum enim in melancholiam, biliosum in furorem transit. Arabes melancholiam suo nomine vocant, furorem autem maniam. Hi differunt à pręcedentibus, quod minantur, verberant: & se præcipites agūt: quod alij non faciunt. Si tamen in sola cogitatione maneant errores hi, nec loquantur aut agant, nondum sunt melancholici. Profluuia sanguinis quator sunt generum. Aliqua non extrà erumpunt, vnde illud primo de Morbis: Si sanguis ex vulnere aut vena eruperit in superiorem ventrem, necesse est suppurari. Secundus modus, cum foras erumpit naturaliter, sed in maiore quantitate: vt ex hæmorrhoidibus aut mensibus, vel aliena qualitate, vt primo de Morbis mulierum, cum sanguis ex vtero conturbatus, & nonnunquam ter in mense eruperit. Tertius est, cum non naturaliter, sed sponte erumpit, vt è naribus, de quibus dicebat Hippocrates: Quibus sanguis multus fluit ex naribus, qui quidem decolores mero modo sunt, his parū prodest: quibus verò colores rubicundi, non similiter. Est autē sanguis calidissimus natura, & bile calidior: primo de Morbis. Nec meretur sanguis appellari iustè, nisi cum rubicundus ac syncerus fluxerit, secundo eiusdem. Hoc dictum sit pro intellectu dictorum Hippocratis, cum dicit fluxisse sanguinem, nisi atrum, aut alium addiderit, palàm est debere intelligi syncerum ac rubicūdum. Quartus modus est, cum nec naturaliter nec sponte sanguis fluit, sed velut in vulnere & in sectione venæ. De vulneribus Hippocrates sexto de Morbis vulgaribus, inquit: In vulneribus, sanguis concurrit, curandum est igitur vt vacuum repleatur, quomodo intelligēdum, ibi explicabitur. Et septimo eiusdem: Vulnera sanguinem fundentia, exudātia, maligna. Sed in Coacis prædictionibus scribitur, Rigentia loco exudantia: & subiicit, Sic affecti loquentes latenter moriuntur. Vnum non prætermittam, nimis necessarium circa hoc quod dicitur primo Epidemiorum, scilicet quòd *Pag. 19.* *Sec. 7. vlt. textu.* *Pag. 2.* *Pag. 12.* *6. Epidem. Sec. 6.* *Pag. 2.* *Pag. 2.* *Sec. 5.* *Pag. 16.* *Pag. 13.* *Cons. 3.*

Pag.9. quòd sanguinis larga eruptio è naribus, in febribus ardentibus multos seruauit, modica verò occidit. De anginis faciebat Hippocrates tres ordines in Prognosticis: Perniciosissima, & quæ citò interimit, non vltra quartam se extendens, sæpe etiam ipsa die, cuius sunt tria signa præcipua: recta spiratio, dolor vehemens, & nullum ruborem nec tumorem in faucibus aut ceruice apparere: Perniciosa valde, cum tumor & rubor in faucibus apparet: Et simpliciter perniciosa, Pag.vlt. cum non solùm fauces, sed & ceruix rubent. Talium enim & plerique moriuntur, cum absque decretorio signo euanuerint. De lepris, impetiginibus & vitiliginibus, hæc habentur secundo Prædictionum: Impetigines & lepræ & vitiligines albæ, quibus quidem iuuenibus aut pueris aliquid horum factum est, aut paulatim conspectum, in multo tempore augescit: de his non opportet existimare eam papularum eruptionem esse ex abscessu, sed esse morbum. Quibus verò horum aliquid repentè magnum contigerit, 4.Aphor.74. hoc sanè est ex abscessu. Nam vitiligines al- 6.Aphor.9. bæ ex letalissimis morbis fiunt, velut & tabidus morbus: lepræ autem, & impetigines, ex morbis ab atra bile factis. Liquet igitur, non de huiusmodi sermonem esse, sed de his quæ paulatim iam factæ augentur. De reliquis dicemus in sequentibus.

Aphor.9. Quòd verò dixerit, Ver saluberrimum est: quia ipsum generat solum sanguinem, qui sola potest peccare quantitate.

APHORISMVS XXI.

Æstate autem nonnulli horum, & febres continuæ & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, & vomitus, alui profluuia, lippitudines, & aurium dolores, oris vlcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.

COMMENTARIVS.

NOn vbique coniunctiones Latina lingua recipit congruè, vbi Græca. Duas enim nonnunquam, simul, & duas negantes pro vna recipit. Prima autem verba non indigent interpretatione, primum, morbi quicunque ex materia genita in vere, æstate rursum fieri solent, si non antea facti sint: vt profluuia sanguinis, & tubercula. Et qui etiã ex præcedentis temporis materia nondum facti fuerint, ob qualitatis defectum, vt articulorum morbi, indigent enim plerunque maiore aëris caliditate. Enumerat autem decem morbos, ei tempori peculiares, è quibus febrium tres species primæ: vomitus, alui profluuia, & lippitudines, manifestè pendent ex materia, quæ in æstate gigni solet, scilicet bile flaua.

Lib.2.c.1. Sed & oris vlcera, & genitalium putredines, & sudamina ob æstum: at de quartana ex Celso, quamuis Galenus octauo de Placi- Cap.6. tis Hippocratis & Platonis eam addiderit, dicerem expungendam. Sed omnino quartanas plures exusta bile in æstatis fine fieri videmus. Difficultas est de aurium doloribus, quod enim comminiscitur Gaenus de capitis repletione: Si caput æstate repletur, nullo tempore anni immune erit. Dico ergo solutionem huiusmodi longè aliam esse: Auris meatus siccus est, & strictus, vt colligitur libro de Carnibus: ideò non facile recipit ex- Pag.5. crementa, nisi tenuissima, crassissima enim deferuntur ad palatum & nares, mediocria ad oculos, ideo dicebat libro de Affectioni- Pag.2. bus, quòd pituita ad illas etiam intus defluere solet: intellige attenuata, quæ per vlteriorem attenuationem aquæ calidæ digeritur vnde etiam in febribus aures bile replentur, vt in Aphorismo. Ideò cum æstate abun- 4.Par.28. dent tenuissimi humores in ea, maximè aurium dolores & phlegmones etiam excitantur: lippitudines eodem modo siccas oboriri diximus.

Reliquum est, vt de octo enumeratis aliis morbis agamus. Sudamina inquam, sunt pustulæ tenues, rubræ, quæ per totum corpus oriri solent, aquea materia sudoris in illis contenta, quas vulgus Fersam appellat Mediolani: vix inter morbos dignæ adnumerari, nisi Hippocrates ad multitudinem & frequentiam respexisset: hoc ipso forsan, vt in talibus facere consueuimus, nominis additione contentus, vocantur enim ἱδρῶα Græcè. Genitalium putredines. Galenus tertium Epidemiorum citat: & rectè, non ita secundum, inquit enim: Erat ex his omnium gra- Conft.3. uissimum, vbi circa pubem & pudenda vlcera & sacer ignis ac suppurationes accidis- Pag.6. Et lib. sent. Causa autem colligitur libro de Natu- de Genitura, ra fœtus: quoniam locus ille calidus est, ad in princ. eum enim confluunt venæ multæ, & propter calorem genitalium, & humidus etiam: & ibi fit concussio multa, & raritas cutis, vnde etiam pilorum copia, & ortus celer, & salsus humor, vnde fit illa titillatio. Colligitur etiã ibi sudor, ob situm concauum, & membrum prominens. Vnde nullibi plures causæ putredinis concurrunt. Oris vlcera quænam sint, Aphor.24. dicemus infrà. Febrium continuarum & ardentium discrimen est, (cum tamen & continuæ febres pro genere sumptæ, ardẽtes sub se contineant) quod ardens est, vt habetur libro de Affectionibus, vehemens, & vehemẽs Pag.4. sitis, & lingua aspera ac nigra, & color subbiliosus, & sputa biliosa, & intus ardet, & exteriora frigent. In libro autem de Ratione Pag.13. victus in acutis, addit lassitudinem & vigilias, & aluum liquidam, demittentem excrementa biliosa ac pallida: ponitque aliud genus, in quo extremitates frigent, ita vt in prima autoritate de harum cõmuni genere locutus sit. De hac dicebat secundo Epidemio- Sec.1. rum: Febres ardentes in æstiuis magnis temporibus fiunt, & in aliis temporibus: resiccãtur autem magis æstate. Qui autem continuarum & ardentium naturam & discrimen scire desiderat, consideret præcipuè verba illa Epidemiorum primo: Febres horridæ, conti- Conft.1. nuæ, acutæ, & illa rursus: Febres continuæ, & Conft.2. quibusdam paucis ipsorum ardentes. Et in Sec.3. tertio: Erat autem constitutio febrium ardẽ- 4.Aphor.58. tium. Hæc autem inferius apertè explicabũtur, nunc satis fuerit adiecisse ex libro de Coacis prædictionibus: Febres continuæ per Pag.4. tertiam

tertiam diem augescentes, periculosæ. Quibus febris aliquando intermittit, periculo vacant. De vomitu in prima sectione diximus, & etiam dicemus suis locis: tum de alui profluuiis, quod maximè à flaua bile fiant.

APHORISMVS XXII.

Autumno verò & multi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes, & ilei, & morbi comitiales, & furores, & melancholiæ.

COMMENTARIVS.

Quartanam non commemorasse inter æstiuos morbos, hic locus declarat, Connumerat ergo quindecim morborum genera, quòd autumnus morborum sit feracissimus. Facilior autem est explicatio hæc, cum materia non extendatur ad tria tempora, vt in æstate: imò vix ad duo, nam difficultates intestinorum, & stillicidia vrinæ & anginæ, vix materiam habent quandoque æstati communem: possunt tamen & autumno omnino proprij esse. Porrò de erraticis febribus, liene, aqua intercute, coxendicum doloribus & ileis, dicemus nunc, nam de cæteris dictum est in hac particula antè, vel pòst dicetur. Febris erroneæ meminit
Lang. 6. Primo Epidemiorum in Cleanactide: cuius etiam exacerbationes fuere erroneo modo, & vrinæ fuerunt partim tenues, partim cum multa subsidentia rubra: sed non ab initio liberatus est autem octuagesima die. Hæ facilè
Pag. 26. in quartanam degenerant, vnde in Coacis prædictionibus: Vrinæ nigræ in febribus erroneis quartanam indicant. Palam tamen est eas à bile fieri tum flaua & nonnunquam æruginosa, vt in Cleanactide: Bilem flauam, inquit multam vomuit, pòst æruginosam. Consentaneum autem est, fieri talem materiam diuersam, cum flauam bilem æstatis, autumnus partim cogat. Lienes,
Pag. 6. supple duri ac tumidi, vt in libro de Affectionibus. Proponit autem tres diuisiones. Quidam lienosi sunt à bile, qui deterius se habent: quidam à pituita, qui mitius. Quidam curantur, quidam nunquam: & horum quidam in hydropem etiam transeunt. Eorum qui curantur, quidam per purgationes, quidam per diuretica, quidam per sola emollientia, quidam sola ratione victus, quidam
Pag. 6. per vstionem. In libro autem de Internis affectionibus connumerat quinque genera tumorum lienis, qui fiunt à totidem humoribus: bile flaua, nigra, sanguine, pituita, cruditatibus.
Pag. 2. Constat autem illis verbis, libro de Hominis structura (Liem autem ex sanguinis fece alitur, vnde melancholicum sanguinem fieri certum est) cognitam exactè Hippocrati lienis naturam. Aqua verò intercus, cum quindecim maximè causis efficiatur apud Hippocratem (lienis tumoribus non curatis, vt dictum est: suppressa purgatione consueta sanguinis, febribus acutis, alba pituita, & iecoris duricie, ex aqua intercute vteri, ex potu aquæ, ex laterum mollicie, ex vesicis in iecore, ex profluuio sanguinis, ex longis morbis non purgatis, ex diuturna dysenteria, ex vitio circa renes & emulgentes, ex spirandi difficultate) plurimæque harum autumno sint familiares, patet propositum. Aliter reducitur in duas hic numerus: vitium concoctionis in iecore, & impedimentum expurgationis aquæ, in autumno facilè ambæ occurrunt. *Coxendicum dolores à quatuor causis fiunt, libro de* Internis affectionibus: Pag. 19. Pag. 4.
Bile, pituita, sanguine, & solis calore. Est in libro de Glandulis: Generaliter fluxione, & maximè capitis per spinam. Libro de Locis in homine, & ideo cum autumnus & cruditatibus & fluxionibus aptus sit, in eo tales dolores apparent. Vide in secundo Prædictionum plura. Ilei autem vocantur voluuli Latinè, vt Galenus in Commento: & sunt dolores vehementissimi, ex fecum retentione, plerumque ex intestini inflammatione. De eo in libro de Internis affectionibus, sed hæc omnia inferius in sexta & septima particula docebuntur: nunc admonuisse satis sit earum quas superius retulimus causarum, quibus autumnus ad vnumquemque morbum pessimum paratus est, scilicet recessum solis, qualitates naturæ maximè contrarias, repentinam mutationem, exhausta calore natiuo ob æstatem corpora: quibus si praua victus ratio accesserit, coronidem absolueris.

Pag. 6. Pag. 14. Pag. 14. Pag. 25. Aphor. 24. Aphor. 10.

APHORISMOS XXIII.

Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines atque raucedines, tusses, dolores pectoris & laterum atque lumborum, capitis dolores, vertigines & apoplexiæ.

COMMENTARIVS.

Quòd hyems non generet morbos ex autumnali materia, quæ melancholia est: nec ob frigiditatem, quæ morbis aduersatur: nec ob humidam qualitatem, à qua temperatur: neque ob caloris contractionem, qua omnia rectè administrantur, planum est. Infestantur ergo solum membra, quæ frigori sunt obnoxia: inde laterales morbi, peripneumoniæ, capitis dolores, ac huiusmodi. Pulmo enim & pectus frigori, ob multitudinem aëris quem attrahunt, obnoxia sunt: cerebrum verò & ob hæc, & quia frigidissimum natura est. Vnde libro Pag. 2.
de Carnibus: Cerebrum sedes est atque metropolis frigidi ac glutinosi humoris. Et in Pag. 3. 11.
libro de Glandulis addit aliam causam, quòd album sit, & friabile, vt glandula: glandulámque magnam appellat. Quocirca in quinta Aphorismorum ait: Frigidum cerebro inimicum Aphor. 10.

micum. At ergo cur frigidum dolores excitet pectoris & laterum, ſuperius edocuimus. Ex decem igitur morbis, quos enumerat, nullum ſupereſſe puto, cuius cauſam non docuerimus, præterquam lumborum doloris. Sic ille vertit ὀσφὺος: ſed non propriè. Lumbi enim ſunt caro: ὀσφὺς, pars ea vertebrarum quinque, quæ proximè poſt coſtas ſpurias deſcendunt vſque ad os ſacrum, cuius finis extenditur ad coccygem: & in ſacro oſſe eſt latitudo maior, & in eo figuntur oſſa clauium, ſeu annectuntur. continet enim plerumque oſſa ſex, coccyx autem quatuor, vt à Veſalio in primo libro habetur. Cæterùm vt ad ὀσφυὸς oſſa redeam, illa ſunt, quæ in inani parte ventris reſident, nec coſtis nec ancharum innixa oſſibus. Ea hyeme dolere ſolent, ob cauſas fermè eaſdem, quas de coſtis & pectore aſſignauimus. Locus etiam ille quem cingere ſolemus, in febribus continuis atque intermittentibus dolore vexari ſolet. Primúſque eſt qui fatigatur, ſi quis ſe incuruet, ob id quòd non, vt vertebræ aliæ, oſſibus vtrinque munitus ſit. Hæc igitur de Aphoriſmo dicta ſint.

Cap. 18. & 6.

Cap. 18. & 60.

Id verò adiicere non pigebit, differentiam eſſe inter morbos autumnales & æſtiuos (exempli gratia) & autumnales ex æſtiua factos materia: ita & æſtiuos vernaléſque, ac ex verno tempore materia genitos. nam omnes morbi communem non ſolùm materiam habent, ſed etiam qualitatem vnam, aut ambas: vt in prima autumni parte calor & ſiccitas, aut ſiccitas tantum. Sed ſi qualitates permutentur, morbi non dicuntur eſſe communes, à frigore enim & ſiccitate autumni, bilis flaua aliter truditur & vitiatur, quàm a calore æſtiuo. Indicio eſt enim, quod cum furores & atræ biles autumni morbi vere fiant, quia materiæ ſolius agitatæ morbi ſint, non tamen autumnales morbi vere fieri iuſtè dicuntur: quoniam non ab eadem qualitate, vel qualitatibus. Manifeſtior autem eſt differentia effectus, qui prouenit permutata vna qualitate tantum inter contigua tempora, in æſtate cum vere & autumno, quàm aliorum: ideò meminit ſolùm de morbis præcedentis temporis in æſtate comparata ad ver, & autumno adæſta em comparato. Vtrum ergo ver hyemales morbos pariat? Videtur quòd non: tum quia Hippocrates non meminit eorum, tum quia veris morbi fiunt potius à vehementi mutatione, quæ in hyeme non adeſt: quàm ab humida qualitate, quæ communis eſt hyemi.

APHORISMVS XXIV.

IN ætatibus autem talia contingunt paruis & nuper natis puerulis oris vlcera (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tuſſes, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, auri umh umidæ ſordes.

COMMENTARIVS.

IN his ſequentib. Aphoriſmis octo, ſcilicet præſenti connumerato, cum ætates numeret ſeptem, continuato ſermone, niſi quod in vigeſimo octauo loquitur de iudicatione morborum puerilium: neceſſe non eſt vt de continuatione, quæ per ſe clara eſt, aliquid dicam. Neque enim videtur, vt antè dixi, liber magis ordinatus ab Hippocrate, hac ſeptima Aphoriſmorum ſectione: & in ea nil ordinatius, quàm hæc pars quæ hic incipit, & vſque ad finem extenditur, vt ſit omnino ſermo continuus de ætatum morbis ac ſymptomatibus, illas vt ſe habent connumerando. Sed & cum præcedentibus pulchrè coniungitur: ſiquidem in illis de morbis egit, qui ex temporibus anni contingunt, quæ ſunt res non naturales communes: ætates autem ſunt res naturales, ſed & ipſæ communes. Non ſolùm verò ætates morbos ſibi decernunt peculiares, vt in hos magis quàm in illos ſint procliuiores: ſed quod magis mirum eſt, extremæ etiam ætates magis ſecuræ ſunt, & quaſi prorſus à quibuſdam morbis, prout in ſingulis docebimus. Sed iam ad Hippocratis ſententiam explicandam veniamus.

Proponit ſeptem morbos nuper natis familiares. Non per nuper natos ſanè eadem die intelligit ſolùm, ſed etiam vſque ad ſeptimum menſem: quod demonſtrabitur in ſequenti Aphoriſmo. Cauſam horum Galenus non exponit, ſed nos breuiter eam docebimus. Eſt autem duplex: Vna quidem ſecundum naturam, alia ſi quid præterea ſuperueniat. Quæ eſt ſecundum naturam, quintuplex eſt, vt docet Hippocrates libro de Octimeſtri partu. Prima, eſt labor (dicit) in ortu, ex quo tumidus & inflatus naſcitur infans: & niſi tumor ille ſubſidat intra tertium diem, aut paulo ſerius, morbi ex illo fiunt, vt inquit Hippocrates. Secunda, eſt reſpiratio noui aëris, & illius circumambientis refrigeratio. Tertia, eſt abſciſſio vmbilici. Quarta, nutrimentum diuerſum, cum in vtero ex ſanguine, extrà lacte nutriatur. Quinta eſt ſtratum, quod in vtero molliſſimum eſt, inter humores, & tenues membranas: extrà conſtrictus, & faſciis aſperioribus vinctus, & in cubili duro, etiam ſi plumeum ſit, reclinatus. Alia cauſa, quæ non ſemper adeſt, eſt vitium lactis, vel ſi non lactetur à matre, & excretio vitioſi ſucci in ventre matris coaceruati. Quibus intellectis, facile eſt vniuſcuiuſque cauſam aſſignare. Oris vlcera propter lactis acrem qualitatem, non aſſueto infante nutriri in ventre matris per os, ſed per venas & arterias vmbilici, quæ & ſenſu carent, & craſſiores ſunt oris interiore cute. ob id maximè cauere debent nutrices, ne falſis aut acutis aut ſeroſis alimentis vtantur: & præterea purgari debent caſſia nigra, & tamarindis, & ſyrupo violaceo. Sunt autem aphthæ, vlcera non profunda oris & linguæ, & palati & faucium, alba, quæ prohibent ne infans ſtringere poſſit os, & ſugere lac, ideo in hoc caſu ſolent adhiberi cinis radicum bugloſſæ, & per infundibulum ex membrana hœdina lac immitti: & ſic plures ſeruantur, alioquin morituri. Vomitus, quoniam ſeu lac ſeroſum ſit, ſeu coaguletur in ventriculo, ſeu auidius ſugatur, ſeu ſit horribile, ſeu ventri-

Pag. 1.

culus

culus ipse sit refrigeratus ob nouitatem, cùm non sit assuetus excipere, nec contingere, nec concoquere cibum, irritatur facilè ad vomitum. Dicebat Hippocrates in libello de Dentitione: Qui multùm lactis reuomunt, his aluus supprimitur. Tusses, ob aëris nouam respirationem, tum etiam caput ab eo affectum, proueniunt: & maximè si aër frigidus sit. Vigiliæ contingunt multifariam: vel ob malam coctionem, vel ob læsionem cerebri ab aëre, vel ob stratum durum, vt dixi: vel ob sordes, quas in vtero non sentiunt, circa corpus, à quibus mordentur, refrigerantur: vel ob dolores in ventre, ex excrementi veteris separatione: vel ob dolores vmbilici, maximè cum præter naturam læsus etiam fuerit: vel ob morbum aliquem ex numeratis, vel aliis. Circa pauores Galenus dixit, non solùm in infantibus, sed adultis obseruasse pauores contingere, quando multi & vitiosi humores mordent ventriculum, præcipuè illius os, tunc enim, dicit, terribilia somnia incidere solent. Videtur autem Hippocrates de huiusmodi pauoribus intelligere, quanquam etiam in vigilia frustra terreri tales soleant: vnde tum ob causam, tum ob rem ipsam facilè huiusmodi pueri conuulsionibus capiuntur. Vmbilici inflammationes accidunt propter vinculum & incisionem generaliter: specialiter, cum aliquid erratum circa id fuerit, aut ob flatum. Nam & is causa est inflammationis, & inflationis citra inflammationem, quod frequentius accidit. Aurium ὑγρότητες. aëris enim frigiditate compressum cerebrum, vndique exprimit aquosum excrementum, quod etiam ob eandem frigiditatem generatur copiosius, per omnia loca: sed aurium meminit, quia reliqui exitus pro naturalibus habentur, vt nares & os.

Cæterùm quod ad aphthalas pertinet, Hippocrates libro de Dentitione ait: Vlcera tonsillarum periculosa sunt: si tamen febris adsit, tutiora: sin autem cum febre & tussi, periculum est ne in vlcera recurrentia vertantur. Si quid araneosum apparet, adhuc deteriora sunt, & præsertim si deglutire non possunt, aut multam bilem reuomant, vel per aluum deiiciant. Si pituita per os defluat, bonum. æstate etiam facta deteriora sunt quàm aliis temporibus, si fiant circa vuluam, vocem, si diu permaneant, vitiare solent. Vlcera, quæ in tonsillis diu manent sine incremento, non sunt periculosa ante sextam diem. Vlcera grauiora & acuta, circa fauces proserpentia, spirandi difficultatem sæpè pariunt. Tusses autem si in sugendo instent, vuluam maiorem esse indicant. Si dentientes

Pag. 13. infestent, serius dentes prodeunt. De vmbilici affectu dicebat septimo Epidemiorum, Hegesipolis filiolus quatuor ferè mensibus dolorem circa vmbilicum corrodentem habebat. Vnde non solùm puerulis, sed & maioribus incidit. Nam non potuisset percipere qualitatem doloris, & narrare, si fuis-

Sec. 3. set infans: obiit tamen. Quomodo autem pueri purgandi sint, docebat Hippocrates sexto Epidemiorum, dicens: Mulier, capra, elacterium vel cucumerem syluestrem comedentes, pueris purgatio. Docet nutricem esse purgandam, non autem infantem.

APHORISMVS XXV.

IN progressu verò, cum iam dentire incipiunt gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maximè cum caninos edunt dentes, & iis præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

COMMENTARIVS.

QVanquam dentes celerius & tardius di- Lib. 1. c. 9.
uersis puerulis oriri soleant, nihilomi- Lib. 4. c. 9.
nus plerunque, vt Paulus & Aetius docent, Pag. 4. & 5.
septimo mense nascuntur. Hippocrates tamen censuit, etiam in ventre matris lactentes procreari, libro de Carnibus: vbi primum ortum non definit, sed casum primum dentium, & absolutionem omnium in septimum reiicit annum: dentes verò vltimos, quos sapientiæ vocat, ad vigesimumoctauum. Sed si cadant ante septimum annum, signum est morbido ex alimento fuisse procreatos. Cæterùm constituti temporis nulla est meta in maioribus; anno enim quadragesimo tertio cœpit oriri mihi dens vltimus, superior octauus, scilicet dextræ mandibulæ, qui vix quinquagesimoseptimo, cum proximi cadere iam cœpissent, absolutus est. Ergo cum acuti pullulare cœperint, pruriginem primùm in gingiuis efficiunt, pòst stimulo non cessante dolorem: ex quo febres & conuulsiones, aluique profluuia generantur. Quomodo ergo dolor non adeò magnus febres & reliqua mala possit efficere, diligenter est considerandum. Est ei proprium, vt continuus sit: quoniam inflammata particula ab initio nihilo secius perpetuò vrgetur nascentis denticuli acie, vnde maior dolor excitatur: itaque vigilias adesse necesse est, cum causa permaneat, velut si quis aspiculo perforetur, nec quiescat spiculum, sed magis intus prematur. Iam ergo habemus vigilias fermè perpetuas, & dolores qui non quiescunt, nisi tantisper, quantum obdormiscunt; obdormiscunt autem parum. Dolores autem, præsertim acuti, & non cessantes,
inflammationes excitant, libro de Veteri Pag. vlt.
medicina: & in libro de fracturis: Inflam- Pag. 21.
mationes autem, conuulsiones & febres, quas etiam vigiliæ excitant. Sed & profluuia alui, non solùm eo quòd cibus non concoquatur (non enim humeros, sed solus cibus deiiceretur) nec si à cibo abstinerent, deiicerent. Sed & verbum ipsum διάρροιαι, id declarat. Fiunt igitur profluuia ob naturæ conatum, cupientis quod noxium est expellere.

Cur verò comitiali morbo laborent, magis cum canini nascuntur dentes, & crassi, & qui duras habent aluos, dicebat Hippocrates libello de Dentitione: Quibus in dentione aluus plus subducit, minus conuelluntur, quàm quibus parum. Et si febris acuta in dentitione accedat, minus conuelluntur: qui verò dentientes habitiores manent, & altiore

altiore somno vtuntur, magis obnoxij sunt ad conuulsiones. Qui hyeme dentiunt, melius liberantur, neque tamen omnes qui conuelluntur, moriuntur: sed plurimi euadunt. Rarò ergo acutis febribus & conuulsionibus corripiuntur. Hic clarum est, non comitialem esse morbum illum infantium, sed conuulsionem. Ergo qui crassi pluribus abundant humoribus & sanguine, vnde propter dolorem & vigilias materia vberior ad caput rapitur: & similiter, si dura sit aluus. Nam non diuertuntur humores ad inferna, & caput etiam magis incalescit. De caninis autem dentibus, bene fecisset Galenus, si, quemadmodum duritiem alui, & crassiorem habitum retulit ad conuulsiones, tanquam qui tales essent, magis sint conuulsionibus obnoxij: hoc idem dixisset de caninis dentibus, an ad omnia illa, an ad conuulsiones tantum sit referendum. Causa ergo est, quod cæteri qui inter ipsos includuntur, sunt tenuiores: qui verò à lateribus, molares appellantur, pluribus aciebus diuidunt gingiuam, atque ideo minus afferunt doloris. Soli canini tereti corpore prodeunt simul vnà cum acie, ideo conuulsiones magis mouent. Etenim si verba illa (& iis præsertim pueris) vsque in finem ad conuulsionem sunt referenda: quanto magis antecedentia (maximè cum caninos edunt dentes) ad id solum de conuulsione referenda erunt. Est autem conuulsio ob id familiarissima huic ætati, quæ à septimo vel parum ante incipit mense, & ad septimum extenditur annum, vt habetur in Prognosticis. Et rursus: Conuulsio & difficultas spirandi frequenter accidunt pueris, inquit libro de Aëre aquis & locis: quoniam eorum caput est imbecille, & multo humore plenum facilius tamen euadunt quàm viri, vt in Coacis prædictionibus: etiam si febri iuncta sit.

Pag. vlt. Pag. 3. Pag. 14.

APHORISMVS XXVI.

CVm verò magis iam adoleuerint tonsillæ & vertebræ, quæ in occipitio sunt, luxationes ad interiora, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ, satyriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè antedicta.

COMMENTARIVS.

ÆTatem describit, quæ à septimo anno inchoat, & ad quartumdecimum extenditur, enumerans morbos octo ei familiares. Habent Græci duo nomina, παρίσθμια & ἀντιάδες, quæ & glandulas & locum significant, ἀντίας si quidem glandulam, quæ à latere altero est oris: παρίσθμια glandulas prope angustiam oris inter fauces, cui penè superstat pendula vulua, & morbos in eisdem locis ortos, quomodo hic intelligit Hippocrates. Per tonsillas ergo intellige & glandularum & loci medij tumores duros, ac etiam inflammationes: quamuis glandularum non meminerit propriè, quæ vt pars sunt, vt dixi, ἀντιάδες nominantur. Similiter & luxationes vertebrarum, quæ in ceruice sunt ad interiora, & difficultas spirandi, & calculi, scilicet vesicæ. rarò enim in his renum calculi generantur, & ego tantum semel vidi in puero, de Gorlis filio mercatoris pannorum. *Et lumbrici rotundi & ascarides.* Longi sunt & rotundi, & in intestinis tenuibus solent generari priores colore rubro plerumque, qui ad ventriculum sæpè ascendunt, & per os eiiciuntur: etiam non rarò. quandoque, quod mirum est, per nares. Et tunc est signum lethale: quoniam si homo sensu valet, vix potest eam ferre molestiam, quin manibus eos ex ore educat, generantur etiam hi in ventriculo ipso: & commune est, vt aliàs in Physicis demonstrauimus, omnibus non solùm animalibus, sed rebus, simile generare. Commune est etiam omnibus vermium generibus, nihil propriè generare, sed velut halinitro proximam naturam ad generationem præparare: ob id cum omnes vermes generent, id est generationis aliorum causa sint, & nulli propriè generent, non video cur distingui inter se hac ratione debeant. Sunt autem palmi longitudine, & variarum formarum, nonnunquam etiam mirabiles, temporibúsque pestis maximè frequentes. At est genus aliud latum & candidum, quod parum mouetur, vnde nomen sumpsit. Non enim facilè mouentur vt rotundi, quoniam forma reluctatur. Ex his vidi longos 23. cubitis, aliàs etiam 28. quidam sunt seminibus cucurbitæ similes, alij etiam minores ac rotundiores, de his paruis, non de longissimis illis qui in pueris non generantur, intelligit Hippocrates: quoniam materiam lentam valde requirunt. In vniuersum, velle expositionem vltra id quod vtile est, extendere & ad vsum venit, curiosi hominis est: ob id ergo satis sit, sub ascaridibus omnes non rotundos contineri, vt in hæc duo genera vermium omnium multitudo diuidatur, quorum fœcunda omnium est ætas, præterquam illorum adeò longorum. Etiam licet alibi, vt ostendemus, plura describantur genera: hîc tamen sub duobus illis tanquam contraria ratione in duo generalissima distinctis continentur. Verrucæ sunt tubercula dura in cute rotunda, sensus expertia: aspera, quæ maximè abundant in manibus, durántque per annos. Quædam sponte abscedunt, quædam non nisi acri medicamento vel igne: quædam superstitione. Vocantur vulgo porri, propter asperitatem, quæ capillamenta: & rotunditatem, quæ capita porrorum imitantur. Satyriæ, Græcè σατυρίασμοι. Galenus libro de Linguis Hippocratis, σατυρισμοὶ scripsit, absque α. sed forsan eo in libello, error est, inquit, circa aures prolixi tumores durarum concretionum carnis in seipsam conuolutæ. Quidam autem pudendorum intensiones intellexerunt. Malim ego cum Galeno errare, quàm solus rectè dicere, vbi demonstrationem afferre non possum, at in pueris etsi hæc erectio assidua fiat, quod

quod ego vidi in aliquibus, quibus nunquam remittebatur: non tamen erat satyriasmus, nec morbus. Nemo enim ex hoc conquestus est, nec incommodum vllum sensit, sed erat priapismus. Erunt ergo tumores illi post aures, duri, carnei, oblongi. Quòd si dicas Galenum non habuisse hoc verbum in textu, quia non exponit: nihilosecius octauo de Placitis Hippocratis & Platonis, referens hunc Aphorismum, addit: quod forsan hic defecit. Strumæ, sunt tumores in adenosis partibus, sed duræ & annexæ carni: & plures efficiuntur longè numero, quàm sint naturales glandulæ, scrophulas vocat vulgus, quod scrophis soleat simile quid, sed non omnino tale, accidere. Aliquando in collo numeratæ sunt supra triginta: adueniunt & in mammis, maximè mulierum, & per totum corpus in quibus scaturiunt: vixque liberantur, nisi cum omni suo nidulo eruantur. Formant enim sibi inuolucrum: cuius si vel minima pars superfit, redeunt, perficitúrque inuolucrum, fœcundus morbus, vbi cœperit, generantur & tubercula omnia cuiusque generis, sed præcipuè hæc. *Cap. 6.*

Quærenda est igitur causa omnium horum quam prætermisit Galenus. Conantur referre in plenitudinem: sed quæ pleniora sunt corpora, quàm infantium, & vsque ad septem annos? nec tamen his, sed aliis morbis subiiciuntur: & nec minus tunc sunt voraces, imò voracissimi, cum in hac ætate soleant esse molestiores, vtpote subiecti magistris. Pudeat ergo nomen expositoris suscipere, cum non sit hoc exponere, sed verba commutare. Neque existimandum est, obiter Hippocratem hos morbos collegisse, quod multi putant: fuisset enim res infinitæ curiositatis, ac incredibilis diligentiæ. Sed constituta ratione ætatis, qua & ab antecedenti & à subsequenti differt, primùm ratione inuenisse quinam morbi congruerent magis, qui non: indè obseruasse ex his tam numero definitis, qui etiam experimento corresponderent, & qui fallerent: inde ex illis artem constituisse, hos reliquisse, ita & facilè fuit tunc, paucis definitis morbis, obseruare euentum non in infinitis, & artificiosam reddidit inuentionem, quæ ratione simul & experimento constat, atque hic modus omnibus inuentoribus præclaris familiaris fuit: nec est alius præterea vllus. Ergo vt ad rem redeamus, videndum est, in quo ætas hæc à septennio ad quartumdecimum à contiguis dissideat, & in quibus conueniat. Id autem facilè inueniemus, si id consideremus, quod cum vtraque hæc ætas contiguarum conuenit: cum ergo conueniat, qua parte conuenit, cum vna extremarum eadem dissidet ab vtrisque. Veluti nominemus primam, ab ortu ad septimum annum, infantiam: à quartodecimo ad vigesimum quintum, gratia exempli, adolescentiam: à septimo anno ad quartumdecimum, pueritiam: constat pueritiā cum infantia, ob vicinitatem & continuitatem conuenire, & similiter eadem ratione cum adolescentia: ea autem ratione quæ conuenit cum infantia, dissidebit ab adolescentia: ea aut ratione qua cum adolescentia conuenit, dissidebit ab infantia, igitur iunctis vtrisque conditionibus, fiet coniugatio, qua ab vtraque circumpositarum ætatum pueritia differet. Quæramus igitur primùm, in quo præcipuè pueritia cum infantia ipsa conueniat. & hoc docet Hippocrates, dicens: Puer à natiuitate vsque ad pubertatem plenas habet, & tenues venas, seu angustas, & nihil ob id potest secernere: cum verò pubescit, amplificantur venæ, & fit agitatio & conquassatio, & tunc secernit semen: & si puella sit, menses ac semen simul. Igitur puer cum sit medius inter infantiam & adolescentiam, plenas & angustas habebit venas: quia infantiæ adhæret, & conquassabitur in eo humor, atque agitabitur ob vicinitatem adolescentiæ: nec secernet, quatenus infans adhuc, nec humores in eo quiescent, nec expers erit flatus, quatenus adolescens: sed excitabitur in eo, vt videmus in pueris natura salacibus, præsertim erectio virgæ, & voluntas quædam coëundi: quam si explere conentur, primùm nihil exire videtur, exit tamen spiritus quidam, deinde si consuescant sæpius idem agere, exit etiam quiddam tenue & aquosum seminis loco. Nam virgam tendi à flatu, declarat ipse in libro de Ossibus: & argumentum eius etiam est spuma in semine, vt in libro de Genitura, quare huius ætatis proprium est semen generare, sed non effundere, ob angustiam venarum. Quòd si quis dicat: Vis ne vt in octauo anno incipiat hæc agitatio? Respondeo, quòd sic, licet non perficiatur. Et B. Hieronymus refert, nutricem redditam prægnantem à suo alumno, qui nouem esset annorum. *Lib. de Genitura. Pag. 2.* *Pag. 6.* *Pag. 1.*

His igitur constitutis, videamus rationem singulorum. Tonsillæ fiunt calore iam valido, copiosum humorem frustra agitante, vnde & reliqua tubercula: sed circa os maximè, quia adhuc molles sunt partes illæ, & caput plenum abundanti humido: vnde etiam strumæ, colliquato humido à feruescente calore. Accidit enim in hac ætate, quod etiam in vino. Vinum enim vbi expressum est, humidissimum, & dulce, minimè calidum, & comparatur infantiæ, cum verò paululum quieuerit, incalescit & feruet atque intumescit, sed nondum effunditur: & tunc est dulce, calidum & humidum, & assimilatur pueritiæ. cum verò iam feruet & effunditur, fit calidius, minus humidum, minus dulce & inæquale, & tunc assimilatur adolescentiæ, cum verò efferbuerit & repurgatum fuerit, cessat immodicus ille calor, dulcedo, turbulentia, & defecatur, éstque optimum & robustissimum, assimilatúrque iuuentuti. Demum tempore euanescit pars calidior, tenuior & humidior, fitque amarum quasi & acidum: estque tunc simile viro seni iam. Ergo puer hic cum totus ferueat, totus plenus sit, & nihil iam excernatur, & tuberculis & tonsillis & satyriæ ob calorem, & cerebri abundans humidum, & strumis & verrucis subiicietur.

Solum

Solùm restat difficultas, cur verrucis & strumis magis obnoxius sit, quæ ab humore fiunt, aut lento & crasso, vt strumæ: aut crasso & terreo, vt verrucæ? Respondeo, Hippocrates in libro de Glandulis reddit rationem, dicens: Si fluxio è cerebro fuerit multa, acris & lenta, ad aures tendit, atque ita fient satyriæ, de quibus diximus: si autem multa, pituitosa & lenta, strumæ: pessimus, inquit, morbus in collo. Conueniunt ergo hæ fluxiones in multitudine & lentore; dissident, quia in strumis est pituitosa: in satyriis autem, acris. Ergo causa huius est caloris magnitudo, quæ reddit fluxionem multam & lentam, resoluendo quod est tenuissimum. Ita in libro de Aëre & aquis & locis dicit: Si pueri habeant calidum ventrem, & astrictam aluum, vesica erit feruens, & aduret quod intus est, diuque ob caliditatem continebit vrinam: atque eo modo retenta parte crassiore, paulatim generabitur lapis: cuius indicio est vrina aquea, vt lactis serum, & tentio virgæ, alioqui ætati illi non conueniens. Atque hæc signa fientis (vt cum Charisio loquar;) lapidis, quinque alia, iam facti, quarto de Morbis: Difficultas meiendi, vrina subcruenta, dolor cum mingere vult, pruritus in præputio, & arena, vel etiam lapilli parui. Brasauolus inquit, expertum certissimum signum, cum meiunt, etiam aliquid egerunt, aut saltem voluntate egerendi tenentur. Nos quoque illud probamus, quod vel sedentes repentè, vel sedendo concusso vehementer altero pede dolorem sentiunt iuxta anum, in imo virgæ. Nihil tam certum est, quàm cathera: sed molesta res est, vt in pluribus, & rari sunt boni artifices, adde quod lucri causa (nisi tu ipse senseris: sentitur autem, & maximè tangendo, nec enim fidendum est, etiam si strepitum sentias illas tangentibus collisa, cum interiore ferro catheteра sonum repræsentant lapidis) sæpè affirmant lapides adesse, cum non adsint, incidúntque miseros, atque etiam occidunt. Deprehensique sunt in vrbe nostra: & quamuis vincti & conuicti, dimissi tamen. Hippocrates ob id pueris consulit dandum vinum exiguum, aqua multa dilutum, ad prohibendum lapidis generationem, hoc enim, dicit, melius est quàm lac. De verrucis autem, fiunt calore segregante, quod terreum est, dixi enim, illis tria hæc adesse, sanguinem impurissimum, humorum copiam cum venarum angustia, & calorem efferuescentem. Sunt autem verrucæ, vt omnes morbi fermè qui exterius per cutim vagantur, contactu contagiosæ: veluti scabies, lepra, impetigo: adeò vt ex linteo, in quo detergi manus ablutæ solent communi, homines ea vitia contrahant.

Pag. 2. Pag. 7. Pag. 16.

Pag. 14. De lumbricis autem omnis generis, dicendum est. Hippocrates quarto de Morbis vult, lumbricos rotundos alios gignere, quia non sunt in perpetuo augmento: vermes autem isti qui semper crescunt, absumunt alimentum, ideo non relinquitur materia pro aliis: sed si frangantur, pars decidit, aut partes, vocantque huiusmodi vermes cucurbitinos: quod verò in ventre manet, rursus augetur. Et tales vermes sunt lati, & generantur (vt ipse existimat) in vtero matris, quoniam tunc fœtus non expurgatur à fece. Cum verò natus est, expurgatur: igitur vermes huiusmodi tunc non possunt generari. Et sententia Hippocratis est, quòd vermium prima semina ex vtero contrahantur. Cur ergo generentur in hac ætate magis, nam raro infante solum lac sugente: quia pars serosa lactis prohibet eorum generationem, & etiam quia in generatione oportet esse duo: vnum vt agens, aliud vt materia: sed qui sugunt lac, non habent nisi vnam partem. ideo raro generant vermes, tametsi aliquando contingere possit. Ergo lactatio cum cibo mala est, obnoxia generationi calculi & vermium. Sed post lactationem vermes generantur, non tamen adeò frequenter, vt post septimum annum: quia fiunt vermes ex calido & humido, vt reliquæ generationes animalium similium: sed corpora infantium sunt iusto humidiora, & minus calida: ergo non possunt generare vermes. Augent etiam hoc ex motibus vehementibus post cibum, quibus corrumpuntur coctiones, & præparant ad horum generationem. Generantur autem & in vteris mulierum, & in capite & aliis locis, vt suis locis exponendo Hippocratem visum est: & in vesica. Ego sæpius quàm exiguos & albos genui, & per vrinam emisi. Sed de difficultate spirandi, causa est defluxio, quæ, vt dixi, magna fit in huiusmodi ætate ob calorem & humidum & impuritatem. Dicebat Hippocrates in libro de Locis in homine: Fluxiones fiunt ob calorem colli quantem humores ob frigus exprimens, & ob repletionem: in talibus pueris adest repletio & calor. Dicit: Facilis autem fit ad pectus, ob rectum gutturis situm, atque etiam quod detectum sit. Ego aliquot vidi pueros sic affectos, qui in pubertate sanati sunt. Luxationes ad interiora contingunt ob phlegmones, & phlegmones ob fluxiones. Fluxionum causas iam aperuimus. Exponitur secundo Epidemiorum his verbis: Erant autem anginosorum affectiones hæ: colli verticula intro vergebant, quibusdam amplius, quibusdam propè, & collum forinsecis conspicuam cauitatem intrò habebat, & hac parte ad contactum dolebat. Erat autem & cuidam infra os dentis appellatum, quod non similiter acutum est: quibusdam verò etiam valde rotundum, maiore circumferentia. Si non cum dente appellato, fauces non inflammatæ, verùm iacentes. Partes sub maxilla tumidæ, non inflammatis similes. Subiicit autem quod mirum videtur, quòd omnes quos nouit, ex hoc morbo seruati sunt. Verùm dilatus est morbus in quadragesimum diem, quibusdam etiam longius: & quòd ex eis multi sunt syderati altera parte, seu resoluti. Hippocrates in libro de Articulis proponit duos modos luxationes vertebrarum: extra, vnde fit gibbus: & intra, vnde repandus:

Pag. 4. & 5. Sec. 2. Pag. 19. & 20.

& vtranque difficillimam, & vix sanabilem. Verùm dicit, Quandoque spinæ capita, & sunt fines appendicum, luxantur citra vertebræ luxationem: & hoc non est valde periculosum. Colligitur, quòd luxatio in interiora facilior est ex situ vertebrarum, quàm in exteriora: & hoc videmus in acutis morbis, perueniunt ad strangulationem, non ad gibbositatem: quoniam vincula quæ intus procedunt, decurtata ex inflammatione, appendicem cum vertebra intrò trahunt: foris nunquam ex hac causa: quoniam non sunt ossa, neque membra, quibus firmiter alligari possint.

Cæterùm quia sequens Aphorismus aliter est interpretandus, quàm Galenus exponat, ob id subiicere oportet, quínam morbi non eueniant his tribus primis ætatibus. Sunt autem hi, vt scribitur in Coacis prædictionibus: peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix, fluxus sanguineus, carcinoma non congenitum, vitiligo non natiua, defluxus medullæ spinalis, hæmorrhoides, neque voluulus. hos vndecim morbos, inquit, non fieri ante pubertatem, exponens pro pubertatis initio quartumdecimum annum. Diuidit enim ætates in quatuor: ante pubertatem vsque ad quartumdecimum annum: pubertatem cum iuuentute & consistentia, à quartodecimo ad quadragesimum secundum annum, per septenarios scilicet: inde, in senectutem à quadragesimo secundo ad sexagesimum tertium: vltra autem existimat ætatem esse decrepitam. Quanquam ego viderim heri Andream Signorinum Papiensem hortulanum, qui octuagesimum quintum excessit annum, carétque dentibus omnibus, & à solis exortu sine tædio ad occasum vsque hortum colit, nec suum: dicítque non fatigari se, nisi ex itinere: graue illi nunc esse motum de loco ad locum; habétque filium decennem, qui ei satis similis est: gloriatúrque etiam ad Venerem se esse satis potentem, ex quo patet, non olim fuisse vitam hominum aut robustiorem, aut diuturniorem. Cæterùm cum multa superessent dicenda de morbis, qui ætati ante pubertatem non eueniunt, quoniam plura sunt quàm quæ hic transigi breuiter possint, ne quæ alibi dicta sunt, videar transferre, atque sic augere in immensum Commentaria, ad illius loci expositionem te remitto.

Pag. 22.

APHORISMVS XXVII.

GRandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis: & ex naribus profluuia sanguinis.

COMMENTARIVS.

TVrpissimè lapsus est Galenus, si vnquam aliàs in exponendo Hippocratem, hic de ætate, quæ est circiter duodecimum ac tertium decimum annum, quæ est sub pubertate: hoc solo argumento, quod dixerit πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, id est, ad pubertatem accedentibus. quasi non loquatur de puberibus. Sed cur eadem ratione in præcedenti illa verba πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι, non est interpretatus, Senioribus autem factis? cum loquatur de pueris. Poterant verba illa sequentis Aphorismi illum docere, Hippocratem loqui de puberibus, cum subiiciat: τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγεται, ὅσα δὲ ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολύθῃ περὶ τὸ ἡβάσκειν. id est, Quædam verò ad pubertatem accedentibus: quæ verò permanserint, nec in pubertate finierint. Vtitur enim eodem dicendi modo, & tamen exponit se intellexisse non de accedentibus ad pubertatem, sed de ipsis puberibus. Deinde quæ ineptia fuisset Hippocratis, diuidere ætatem tam breuem adeò minutim, ac si esset Geometricus angulus? Deinde vbi reposuit adolescentiam tam longam & insignem ætatem, cum se transferat statum ad iuuenes? Vnde postmodum Galenus in sequentibus admiratur de Hippocrate, cum deberet de seipso admirari, qui tam stupidus hac in parte fuerit. Demum demonstratio Hippocratis, super qua Aphorismus præsens fundatus est, hoc docet. Sensus igitur clarus est, quia multi ex adolescentibus Venere non vtuntur, dicit: his plurima ex dictis accedunt, nam in eis perseuerat plenitudo, impuritas & calor. Vnde contraria ratione, qui in pueritia morbillos & variolas passi sunt, non solùm satis tuti sunt ab huiusmodi morbis in hac ætate, sed etiam in præcedenti: quia ratio periculi magna ex parte cessat. Et similiter qui crustas multas ab infantia passi sunt in capite, & vlcera, & etiam in reliquo corpore, & defluxum multæ pituitæ per os: & quicunque etiam in ventre caput & cerebrum expurgarunt, ritè his quinque in casibus tuti sunt ab huiusmodi incommodis enarratis in quatuor his ætatibus, quæ sunt ad vigesimum quintum annum, exceptis duobus illis morbis, qui sunt adolescentiæ proprij.

Com. 13.

Lib. de Sacro morbo, pag.

Qui ergo ad pubertatem perueniunt, si non Venere vtantur, quia plurimum sanguinis generatur, & incrementum non est adeò magnum, & etiam propter motus vehementes redundante & calefacto magis sanguine, ad effluxiones sanguinis perueniunt: sed si Venere vtantur, multo magis. Nam sanguine feruescente & dilatatis vasorum osculis fiunt hæmorrhagiæ celebres, adeò vt nonnulli ad metum mortis deueniant. De febribus longis Galenus non habuit quid diceret. primùm, per longas exponit acutas expositione Anglicana, vt dici solet: & neque postmodum habet, quo vel saltem illud tueri possit. Nec illum mouit experimentum, cum hoc sæpius videamus. Causa ergo est, quòd ex Venere multum turbatur corpus, & debilitantur non assueti, & etiam quia incremento satisfacere coguntur.

guntur. Cum ergo multi humores corrumpantur, & vires ratione ætatis validæ in radice & ratione Veneris imbecilles, ideo surgentibus viribus sæpius ac sæpius cadentibus febres euadunt necessariò diuturnæ. Dicitur pubertas à pilorum in pube ortu. Cur autem pili in pube generentur, & eodem tempore fermè, quo menses in puellis, semen in masculis apparet, docebat Hippocrates in libro de Natura fœtus, dicens: Ad pilorum generationem necessarium est humidum & dilatatio cutis. Probat hoc, quia dicit: Pili non nascuntur in cicatricibus, quia cutis est astricta: sed in pueris, quia venæ sunt angustæ & tenues (sic enim intelligit tenues) non prodit semen, nec in puellis menses; locus autem pubis est remotus à fonte caloris, & ei subest os: ergo frigidus. Non emittet igitur pilos, donec incaluerit fluentibus mensibus aut semine, vt dilatetur cutis: igitur eo tempore apparebunt pili. Sed in mento serius, quia longius est à corde, & non adeò incalescit in Venere: humidum tamen dicit, ei subministratur à capite abundans, ideo virilitatis tempore emittitur barba.

Tex. 5.

APHORISMVS XXVIII.

Plurimæ autem affectiones puerulis iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus; nonnullæ verò in annis septem, quædam verò iam ad pubem accedentibus. Quæ verò permanserint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis cum menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt.

COMMENTARIVS.

Sectantem leuia nerui deficiunt, animíque inquit Horatius. Maximum studium Galeno fuit in hac expositione, vt videretur diligens etiam in minimis quibuscunque, & vt antiquos reprehenderet: quorum neutrum conuenit. Authores, inquit Hippocrates in primo de Diæta, si malè scripserunt, non sunt reprehendendi, sed sufficit vtilitatem rei explicare. innuit iacturam temporis, cum tam multa essent hic explicanda vtiliter, omnibus omissis Galenus se accingit ad coarguendum Hippocratem, quod non adiecerit (diuturnæ) deinde etiam illos qui Hippocratem defendebant. Primum quidem cum dixit, iudicari in quadraginta diebus, aut pluribus mensibus vel annis: declarabat, se intelligere de diuturnis. Cur ergo in tanta breuitate illud adiicere debuit, quod iam per se erat manifestum? Cum etiam dixit πάθεα, intellexit longos morbos: cum verò morbos νοσήματα, sicut ibi τῶν ὀξέων νοσημάτων: & ibi, τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων. πάθος enim affectio est longa apud Hippocratem & antiquos. Quod verò obiicit de illis duobus Aphorismis, victus tenuis atque exquisitus, & in acutis affectionibus: nihil obstat, cum πάθος etiam de acutis dici possit, quoties nota illius adiicitur. Sic & homo de homine intelligitur: & si addatur, Pictus, etiam de picto intelligemus. Et vrbs de Roma, & vrbs Papiæ de Papia: & Rex noster & Rex Gallorum de eo rege etiam intelligitur. Sed video, me dum reprehendo vitium, in vitium ipsum quod vitupero, labi.

Pag. 1. — 1. Aph. 19. — 2. Aph. 23.

Ergo cum Hippocrates tot morbos recensuisset, in huiusmodi ætatibus accidere docuisset, duo voluit nos scire: Vnum, quòd omnes hi fermè morbi tum finiuntur: alterum, quòd huiusmodi ætates recipiunt mutationem maximam ad pubertatem, postquam non est speranda mutatio ex beneficio ætatis. Ideo dixit: Harum affectionum quædam mutantur in quadraginta diebus, quædam in septem mensibus: aliæ in septem annis, aliæ sub pubertate: id est à quartodecimo ad vigesimum quintum, vbi pubertas finitur, & iuuentus incipit. quod intelligitur ex Aphorismo illo: Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibus autem vigesimo quinto (anno) commoriuntur. Præfinit pubertatis terminum ad vigesimum quintum annum: ideo etiam vt sensus sensui cohæreat, ante pubertatem debet intelligi ante finem pubertatis. atque sic non maliciosè interpretandus est Hippocrates, sed iuxta illius profunditatem sermonis, nostrámque & mortalium vtilitatem. Verùm illud magis ad rem facit, quòd forsan etiam & acutos morbos comprehendere posset, vt dies illi & menses & anni non à morbi initio, sed à natiuitate ipsa numerarentur: velut, si quis infans trigesima die laboret, aphtis non quidem septuagesima die id est quadragesima à die initij morbi, sed die quadragesima die à natiuitate finiatur. Adducit me in hanc sententiam multiplex ratio, quia cum de pubertate loquatur, illa est præfixa à natiuitate: igitur verisimile est eodem modo locutum fuisse de aliis terminis. præterea morbos, qui accipiant mutationem in septimo mense & in septimo anno, videmus quotidie: qui autem curentur post septimum annum vel post septimum mensem, nucquam vidi. Ipse etiam Hippocrates in Epidemiis nunquam extendit rationem dierum iudicatoriorum vltra centesimum & vigesimum diem, qui sunt quatuor menses. Parúmque abest opinio hæc à Celsi interpretatione, nisi quòd ille non de fine morborum, sed potius de initio & origine intelligit: quod etsi verum esse possit, non tamen cum verbis Hippocratis præsentibus congruit. Videmus etiam in pubertate semen & menses in puellis profluere septimo anno, dentes renouari septimo mense, primùm nasci quadragesimo die, primùm hominem se ostendere:

5. Aphor. 7.

dere: tunc enim primùm vigilans ridet, vt in libro de Septimestri partu docet. Illud idem persuadet, quòd Hippocrates in libro de Natura humana cum dixisset, morbos sanari oppositis temporibus: subiicit, aliter annuos fieri, tum etiam quod nullibi de hoc meminit. Nam quod dicit in secundo de Morbis, pertinet ad reditum, non ad iudicationes. Præterea quàm absurdum esset dicere, quòd multi morbi quadragesimo die seu affectiones iudicantur, cum id perspicuum sit ac generale. Propterea non de tempore ab initio morbi, sed ætatis intelligendum est. *Pag. vlt. Pag. 5.*

Causa verò videtur esse in annis & mensibus vna, numeri planetarum absolutio: quæ in mensibus cum sint dierum viginti octo ac horarum duarum, fient dies 196. horæ quatuordecim: quare absoluentur in sex mensibus communibus, diebúsque decemseptem: ideo in septimo mense contingit huiusmodi mutatio. Nam absoluto regimine vniuscuiusque planetæ, res redit ad eundem qui præfuit à natiuitate. Si sol, solem: si luna, lunam. In annis autem subtilior est ratio. Nam luna post dies 354. perfectis duodecim circuitibus cum sole redit ad eundem cum illo habitum, & quod mirum est ad eundem penè locum: quoniam differentia reditus & mensis lunaris est dierum duorum, horarum quinque erunt igitur in duodecim mensibus lunaribus reditus lunæ duodecim, & insuper dies 26. & horæ 12. quare penè tredecim circuitus lunæ. Et hæc fuit causa quòd Iudæi & Græci adeò obseruarunt annum lunarem, qui constat ex duodecim coniunctionibus solis & lunæ, & 13. circuitibus lunæ. Septem igitur anni tales, sunt minores annis septem solaribus, diebus 74. ergo octauus annus, cum res redit ad eundem planetam, incipit in septimi anni mense decimo, die eius mensis 16. & ita quintus decimus in quartodecimo mense octauo, die secunda eiusdem. Annus ergo medicus est, cum ante diem natalem luna redit ad eundem locum, in quo fuit hora natiuitatis, & ad eandem distantiam cum sole. In octo autem annis sol & luna fermè ad vnguem locis suis restituuntur: sed post quadraginta fermè horas à tempore initij circuitus. Ergo cum pro singulis circuitibus addiderimus quadraginta horas, fiet initium quale hora natiuitatis. Quod an sit consideratione dignum, non est præsentis tractationis. Sed id tamen scire decet, nullum esse exquisitiorem reditum, quàm qui fit singulis decem nouem annis transactis. Tunc enim eadem die sol & luna ad propria loca redeunt. Sed de quadraginta diebus, qui adeò celebrantur ab Hippocrate, nulla ex astris alia causa reddi potest, nisi quòd sunt tertia pars tertiæ partis totius anni: & ita sol progreditur ad locum, quem respicit amico aspectu: quoniam trigona radiatio est similium; tum ergo primum partem peragrauit integram totius circuli, & imparem. Sic & vigesimaseptima pars, quæ in quatuordecim diebus peragratur, ad soluendos morbos idonea erit: talia igitur quæsiuisse præstitit.

APHORISMVS XXIX.

IVuenib. aut sanguinis sputiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij: sed præcipuè antedicti.

COMMENTARIVS.

CVr hic dixit (& alij) sed non in præcedentibus? Quoniam, vt dicebat in Coacis prædictionibus, ætas à quartodecimo anno ad quadragesimum secundum, omnium morborum est ferax: at extremæ, vt dixi, non ita. Quia ergo in iuuentute solent generari omnes morbi, & calculi vesicæ cum pueris, & renum cum senibus, & huiusmodi: propterea de his quatuor præsertim, tanquam sæpius euenientibus, meminit. Intelligit ergo hanc ætatem ab anno vigesimoquinto ad quadragesimum secundum. Nam ex sequenti hoc intelligere licet, & his quæ dicta sunt in Coacis prædictionibus, & quinta Aphorismorum. Noluit autem definire certis annis hic ætates, quoniam pro regionibus & habitu variantur. Voluit tamen intelligi, nullibi, nec in aliquo iuuentutis initium proferri vltra annum vigesimum quintum. Vnde quæ hîc dicuntur, etiam in his qui decimum octauum excesserunt, etiam veritatem habebunt, si tales sint Germani, aut ex familiis quæ non multum senescant. *Pag. 13.* *Aph. 7.*

Galenus hic quater Hippocratem accusat: deinde queruntur quidam quòd ego iustè damnem Galenum, qui iniustè & turpiter damnat Hippocratem, adeò vt subiungat, aliter debuisse scribere Aphorismum: sed & hoc perspicuum est apud illum, & de prima accusatione dictum est in præcedentibus Aphorismis. Ergo rationem dictorum Hippocratis reddamus. Sic enim quid velit docebimus, & illum à calumnia Galeni vindicabimus. Ergo in iuuenibus stat summa uis concoquendi, & calor maximus, & cessat incrementum: igitur iuuenes plurimum habent de sanguine calidissimo, cum plurimum generetur, nec absumatur: & sanguine calidissimo, ob bilim mistam, & maximè circa pulmones: quia nutriuntur ex dextro cordis ventriculo, & sanguine biliosissimo, igitur paratissimi ad sanguinis sputum. Rursus, cum habeant plurimum de bile flaua & sanguine, à quibus omnes morbi, acuti generantur & sint calidissimi: igitur maximè corripientur morbis acutis, & non solis tertianis & ardentibus febribus, vt Galenus ait. Rursus de tabe, non intelligit tabem quæ sequitur sanguinis sputum, vt Galenus dicit. Nam Hippocrates non solet quæ notissima sunt subiicere, sed abdita. at quis non norat, sanguinis sputa plerunque tabes consequi? Sed cum calida sit ac sicca maximè temperies iuuenum, & curarum capax, omnia habet per quæ facilè ex quouis morbo in tabem, id est hecticam transeant. atque hæc ita se habere, etiam experimentum docet. De comitialibus tanquam recondita *Com. 17.* *Li. de Corde, in fine.* *4. De vsu Par. cap. 11. & 15. eiusdem cap. 6.*

dita magis causa si dubitasset, ignosci poterat. Dixerat enim Hippocrates in lib. de Sacro morbo. Postquam verò viginti anni praeterierint, non amplius hic morbus corripit. Sed cum iterum dicat: Quòd si corripiantur, post vigesimum-quintum annum non sanari: manifestè intelligit esse morbum, qui ei aetati non repugnet. Qui ergo ex consensu oris ventriculi, ex Veneris vsu aduenit, frequens est: & ex febribus in hos morbos & conuulsionem plus aliis aetatibus incidunt, & moriuntur. Quare dictum illud in libro de Sacro morbo, de eo comitiali qui proprius est cerebro, nec perimit, est intelligendum. Liquet autem ex hoc, quòd comitialis per consensum saepè perniciosior est eo qui per essentiam. Pag.7.

APHORISMVS XXX.

VLtra hanc aetatem cerebri anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluuia, cholerae, difficultates intestinorum, leuitates intestinorum, haemorrhoides.

COMMENTARIVS.

PRoponit vndecim morbos grauissimos, qui maximè homines corripiunt ab anno trigesimoquinto ad sexagesimum tertium: noluit tamen, vt dixi, has aetates distinguere per annos, quia finis vnius est alterius initium. Et quidam morbi paulò antecedunt, quidam tardant. Propterea in Coacis praedictionibus quod dixit, Ætas quae est à quartodecimo anno ad quadragesimumsecundum, est omnium morborum ferax. Pag.23. Declaratum est ab Hippocrate in praecedenti Aphorismo per illa verba (Et alij.) Verùm dubium est, quòd dicat in Coacis praedictionibus, à quadragesimo secundo anno ad sexagesimumtertium non fieri haemorrhoides, nisi praefuerint: cum hic dicat oppositum. Nam de aliis morbis quos ibi fieri hac aetate negat, & sunt strumae, nephritis, lapis in vesica, fluxus sanguineus, & defluxio spinalis medullae, nulla est cum dictis contradictio. Aphor.51. Alia est difficultas, quia sexta Aphorismorum inquit: Apoplexiae fiunt maximè à quadragesimo anno ad sexagesimum: hic verò praetermittitur, & inter morbos vltimi senij numeratur. Hoc volui dixisse, quoniam Hippocrates has aetates hic vltra quartumdecimum annum per annos & differentias temporum certas non distinguit: quia non tantum est discrimen inter illas vt inter primas, & etiam, quia posteriores cum prolixiores sint, terminos etiam habent latiores. De haemorrhoidibus autem cum inclinante aetate sanguis minuatur, non est verisimile, praesertim quod venas peculiares expostulant, aut saltem magnitudinem earum: quòd eo tempore primùm nasci debeant, nisi causam antea nactae fuerint vt temperaturae ex calida & sicca mutationem, suppressionem consuetae euacuationis, aut aliud huiusmodi, ideo ibi adiecit, Nec alium fluxum sanguineum.

Vt verò quae dicit, ritè possimus interpretari, sciendum est, non ex alio quaerendam nominum significationem, quàm ex ipsomet Hippocrate. Tum verò considerandum, cum longa haec sit aetas, tribus septenariis scilicet conflata, nihil mirum est pluribus morbis subiacere quàm aliae: quosdamque magis esse proprios initio, quosdam fini, quos distinguere neglexit Hippocrates ob breuitatem: nempe phrenitis initio magis est propria, crebri anhelitus fini. Praeterea morbi hi partim ex humoribus qui tum generantur accidunt, tum partim ex his qui tam praecedenti aetate geniti fuerant: sicut antea de autumno dictum est. Propria autem huic aetati sunt, minui calorem naturalem, sed non adeò manifestè, vt homo rationem victus mutet: generari loco sanguinis humores crudos, partim humidos, partim siccos. His visis, singula discutiamus. Febres ardentes & phrenitides fiunt in initio, maximè huius aetatis, vsque ad medium: quia bilis deterior & acutior fit, & vires imbecilliores. Crebri anhelitus & lethargi ex pituita, & in fine huius aetatis magis. In libro de Hominis structura dicit: Cum cerebrum frigidis humoribus repletum fuerit, lethargus efficitur. Pag.2. In secundo de Morbis ita distinxit: Tussis oboritur, & saliuam multam spuit, & liquidam, & nugatur: & vbi nugari desierit, dormit, & excrementa malè olentia emittit. Pag.13. Et in Coacis praedictionibus: Lethargici tremulis sunt manibus, somnolenti, discolores, tumidi, pulsibus tardis, & partes sub oculis eleuatas habent, & sudores: insuper accedunt alui biliosae, intemperatae & subtumidae. Pag.20. Si verò obaridas habuerint, vrinae & egestiones alui ipsis non aduertentibus exeunt. Vrina autem velut iumentorum est: potum non expetunt, neque aliud quicquam. Postquam verò resipuerint, collum dolorosum habent, & sonitibus aures infestantur. Lienteriae fiunt ventriculo labefactato, & ob id maximè iuxta finem aetatis, at difficultates intestinorum & diarrhaeae ex hoc, & defluxu humorum, qui in his abundant. Cholerae autem eadem ratione, cum bilis & suprà & infrà simul eiicitur. Sic enim definitur quinto Epidemiorum. Est & cholera sicca, de qua in libro de Ratione victus in acutis, cum iidem motus manent, sed nihil excernunt. Pag.10. Qui morbus fit à caseo, dicit, & bubulis carnibus, & silphij succo. Pag.21. Morbi verò laterales, & pulmonis inflammationes fiunt, quod pectus senibus fit imbecille, quoniam pulmo ob assiduum motum & raram substantiam: & quia à capite ob situs rectitudinem excrementa maximè suscipit, cum tota cauitate debilitatur. Et ob caloris etiam multitudinem ac perpetuam refrigerationem, facillimè corripitur abscessibus. Quòd si natura ab initio huius aetatis secernat purum sanguinem, & prauum expellat per haemorrhoidas, optimè illi consultum erit, namque nulli reliquorum morborum obnoxius erit: vt sexto Epidemiorum. Sec.3. Adueniunt autem magis Meridionalibus ventis regionibus expositis, & vbi

vbi aquæ prauæ ſunt, vt in libro de Aëre & aquis & locis refert Hippocrates. (Pag. 3.) Cæterùm ridicula eſt excuſatio Galeni, cùm vult nos remittere ad ſuas quas vocat demonſtrationes: fucula facere volens veritati, cùm ex ipſa re nos docuerit, qualinam ratione demonſtrandi vſus ſit.

APHORISMVS XXXI.

SEnibus ſpirandi difficultas, deſtillationes cum tuſſi, vrinæ ſtillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum affectiones, vertigines, apoplexiæ: mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & narium ὑγρότητες, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.

COMMENTARIVS.

DEcem & ſeptem ſeu quindecim morborum genera enumerat, quibus ſubiiciuntur qui vltimam ætatem agunt. Sed cùm dixerit in priore ἄσθματα, in hoc dicit δύσπνοιαι ἆσθμα παρὰ τὸ ἄω lædo, καὶ τὸ πνέω ſpiro: at δύσπνοιαι autem, difficultates ſpirandi. Atque inter hæc hoc intereſt, quod ἆσθμα eſt qualiſcunque ſpiritus læſio, tametſi ſpirans non ſentiat offenſionem, velut qui anhelat quaſi à curſu: at δύσπνοια, cùm ſit difficultas ſpirandi, ſentitur à patiente neceſſariò, modò ſenſus non abſit. (Lib. 4. c. 4.) Fateor hæc diſcrimina confundi, ſed cùm hic in præcedenti vnum alteri comparauerit, diſtinguere neceſſe eſt vnum ab altero. Aliter Celſus: Leuis difficultas ſpirandi δύσπνοια, grauis, cum iam non ſine ſono fit, ἆσθμα: cum verò erectus ſtare cogitur, ὀρθόπνοια appellatur. Horum primum diu trahi poteſt, duo ſequentia acuta eſſe conſueuerunt. Commune eſt illis ſibilus, quoniam aër per anguſtum permeat. (Com. 4.) Galenus ſecundo in tertium de Morbis vulgaribus, comparat ἆσθμα orthopnææ, quaſi velit eſſe grauiorem affectum: nihilominus dicit eſſe reſpirationem ſimilem his qui curſu nuper agitati ſunt, ea eſt magna, velox ac crebra. Quod magis me mouet, eſt quod ſexta Aphoriſmorum (Aphor. 44.) vult, quod gibbi fiant ex aſthmate: at ſi ſic eſt, oportet aſthma eſſe grauiorem affectum, ex quo moueri queant dorſi vertebræ. Videtur ergo ex his aſthma eſſe magnum anhelitum ſub hoc ſenſu, cum multum pectus attollitur, non crebrum propriè: δύσπνοιαν autem, difficultatem reſpirationis. Ætas enim primi ſenij cum adhuc calor maior eſt & vires validiores, magis poteſt extendere pectus: nec eſt tantus morbus, licet ad ſenſum maior videatur, hæc verò grauior eſt, licet non videatur: quia pectus minus attollitur. De tuſſi declarat Hippocrates in libro de Flatibus, (Pag. 4. & 5.) quatuor: originem, naturam, cauſam cur difficulter amoueatur, & detrimenta. Origo quidem eius eſt, quòd caput flatu impletum primùm aggrauatur, deinde circumuoluitur: & eſt cum dicunt videri ſibi caput eſſe cucurbitam, hoc enim eſt ſignum flatus in capite: deinde repletis venis extruditur quod tenuiſſimum eſt in eis, vel ad oculos, vel aures, vel nares, vel ad pectus. Tunc ſi ad pectus, occurrit illi ſpiritus, & lædens pulmones cum ſpiritu eiicitur, eſtque natura tuſſis, at tum ex deſcenſu, ſed magis ex tuſſi fauces (dicit) exaſperantur, exulcerantur & inflammantur, trahuntque humorem ob id è capite, & caput è toto corpore, atque ita ita fit reditus cauſæ ex morbo ipſo, propter quem difficillimè ſoluitur. Cum verò pituita acris ſit, & calefacta motu atque faucium inflammatione, facilè penetrat carnes, & venas erodit: inde effunditur ſanguis, qui putreſcens cum nec ſurſum poſſit prodire, quia liquidum: nec infrà ob ſeptum tranſuerſum tabe laborantem perimit. His quatuor modis ratio perſeuerandi ſe docetur, nam vitare oportet aërem vehementer calidum, frigidum, ventos, capitis repletionem purgando victu parum nutriente, nec petente caput, vtendo, diuertendo. Vbi autem fluere cœperit, fauces munire oportet ad nares, & per corpus diuertere balneis crurum. Muniuntur autem tragacátho & ſucco glycyrhizæ, diacodione detento in ore. Conuenit & commanducatum papauer, cogens humorem ne defluat. Quòd ſi iam inciderit arteriam & pulmones dulcibus & frigidis, venam ſecare. Sed hoc periculum rarò in ſenibus adeſt. Eſt & tuſſis ſicca, de qua tertio de Morbis vnum recenſetur genus, hæc in huiuſmodi ſenibus interficit, niſi ſit à ſola mala intemperie frigida. (Pag. 5.) Vertigines & tuſſes etiam, citra aliud incommodum, inducunt apoplexiam in ſenibus. De hoc habetur ſexto Epidemiorum: (Sec. 7.) Duriſſimæ & violentiſſimæ tuſſes ad leuem ſiderationem & reſolutionem perducebant. Per Apoplexiam hic etiam intelligite reſolutionem, ex regula illa generali medica: Quæcunque cauſa parere poteſt maiorem morbum, parit etiam longè facilius minorem, qui eſt ex eodem genere. Vnde Hippocrates: Valde ſenibus defluxiones, (Li. de Aere & aquis pagin. 8.) propter raritatem & eliquationem venarum: ex quibus aliqui repentè pereunt, aliqui altera parte ſyderantur. Meminiſſe autem oportet eius quod dixit ſexta (Aphor. 55.) Aphoriſmorum: Apoplexiæ fiunt maximè à quadrageſimo ad ſexageſimum annum, cauſa ibidem explicabitur: nam hæc narratio per ſe nimis longa eſt. Abundante humore crudo vigiliis, vt etiam in textu, & imbecilli facto cerebro, ac refrigerato, nil mirum eſt apoplexias fieri: vertigines autem ob ventriculi prauam coctionem, vt ait Galenus, ſed nihil potentius vigiliis: cum cerebrum ſiccatur, debilitatur, & ſpiritus concitantur. Dicebat Hippocrates ſecundo (Pag. 13.) Prædictionum: Senibus vertigines cum dolore capitis maximè fiunt, cauſam eſſe reor, præter illam Galeni, vaporem acrem, qui etiam delatus ad cutim, generat pruritum. Vnde illud ſecundo de morbis: (Pag. 2.) Vertigo fit delato ad faciem ſanguine, humor enim ille ſalſus petit cutim maximè, & facit pruritum: caput, & facit vertiginem, & vigilias: veſicam, & generat ſtillicidia, & difficultates

cultates vrinæ. Vigiliarum igitur duæ causæ sunt: Vna, vapores salsi: altera, ætatis temperies, scilicet siccitates. Porrò, vt rectè inquit Hippocrates in libro de Flatibus: Pituita acribus humoribus mista quocunque in Pag.17. insuetos locos defluxerit, eos exulcerat. Et quarto de Morbis: Pituita descendens in ventriculum, non eum exulcerat: quoniam prædurus est, adeò vt Lybiæ populi, cum ex coriis ferarum faciant vestes, ex ventriculis earum faciunt vtriculos pro potu: sed si in mollia membra descendat, vt pulmones, ea exulcerat. Quod verò praua coctio omnium malorum causa sit, quæ in senibus ob caloris 1. Aph.14. innati paruitatem, de qua antè egit Hippocrates, necessariò contingit, nemini obscurum est. Abundant verò multis humidis succis, quoniam natura frigidi sunt & humidi & humidum illud præternaturale est, quod Pag.11. colligitur ex Hippocrate primo de Diæta: qui cum constituisset pueros humidos, iuuenes siccos, rursus senes humidos statuit. Inde fiunt & mali habitus, & alui & oculorum & narium redundantiæ succi humidioris, & plorant sine fletu, tum maximè, quòd caro quæ est in fontibus, absumitur. Ex aluo si humor ille aqueus non extrudatur, dolent, & sæpius in ventris profluuium incidunt. Eiusdem pituitæ redundantia fiunt glaucedines, & visus obtusi, & auditus graues: articulorum etiam dolores, & renum affectiones: omnia hæc ex frigidis & crudis humoribus generantur, στραγγουρίαι verò & δυσουρίαι inter se differunt, στραγγουρία, seu vrinæ stillicidium, fit multiplices ob causas, vt in li- Pag.9. bro de Affectionibus: vt ex inflammatione Pag.3. recti intestini, vnde libro de vlceribus: Vrinæ stillicidium ex inflammatione intestini recti incidit. Vesica enim ab illo calefacta pituitam trahit: à pituita autem fit vrinæ Lib.11.c.19. stillicidium. Aetius conatus est vnam ab altera sic distinguere: Dysuria dicitur, cum meiere æger cupit, & cum vi vrinæ excernuntur: stranguria autem appellatur, cum paulatim & guttatim vrinæ destillant, & assiduam ad mingendum irritationem faciunt. Quantas Galenus tenebras vbique offudit, vt nec ab ipso nec à posteris multa eruere liceat. I. modò, & dic quid dysuria sit, quid stranguria? quinimò, quod im- Cap.45. pudentius est, Paulus in tertio libro curam vtriusque, tanquam idem sint, eandem ponit, cum tamen quasi è diuerso pugnent: & vnaquæque, vt dixit Hippocrates, plures sub se contineat species. Ipse nihilosecius Gale- Com.44. nus in septima Aphorismorum, suo more, dum rem declarat, inuoluit dicens: Quòd στραγγουρία significet vrinæ tardè & obliquè, ac quasi expressæ) quod ille stillatim vertit) exeuntis emissionem, nomen ipsum ostendit. Mingendi verò difficultas potest, & quæ cum dolore fit, mictio dici: potest & quæ cum difficultate aliqua, adeò vt vix vesica operetur. Vrinæ stillicidium ipsius acrimonia facit, & retinendi impotentia, quæ ob intemperaturam fit, præsertim frigidam. Vrinæ verò difficultatem, si quidem cum dolore fuerit, inflammatio abscessus, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus siue motus quidam difficilis, & potentiæ imbecillitas, vel tumor contra naturam. Debuit sanè declarare quid esset hoc στραγγ.: sed absit tantum facinus. Rei veritas est, quòd vrina vel supprimitur, & vocatur ἰσχουρία? vel non emittitur liberè, & vocatur στραγγουρία: vel emittitur cum dolore, & vocatur δυσουρία: hoc enim est difficile emitti, vnde etiam δυσεντερία, quoniam cum dolore fit, vocata difficultas intestinorum. Ergo impedimentum hoc meiendi contingit, seu guttatim emittatur, seu non: στραγγουρία, seu tenuiter, seu inæqualiter, dolor verò ad eam nihil attinet, sicut nec impedimentum ad δυσουρίαν. Verùm, quia plerunque accidit, vt cum vrina guttatim effluit, dolor etiam adsit, & cum dolor qui propriè vocatur vrigo (est enim dolor quidam diuersus ab aliis natura) raro adsit sine aliquo mingendi impedimento, ideo δυσουρίαν cum στραγγουρία adeò confuderunt, vt nunc penè incertum sit quomodo vtramque distinguere liceat. Difficultas ergo vrinæ semper est cum dolore, & stillicidium (si ita volumus appellare) cum impedimento: cum verò vtrumque adest, quod plerunque contingit, mista est affectio ex stillicidio & difficultate. Indicatur & id ex verbis Hippocratis quinta Aphorismorum: Aphor.56. Vtero aut recto intestino inflammato, vrinæ stillicidium superuenit, vt etiam superius diximus, quod si per δυσουρίαν impedimentum vrinæ intelligere possemus, cum id potius quàm vrina guttatim stillans superuenire soleat, non στραγγουρίαν, sed δυσουρίαν potius dicere debuit. Ita Galenus, dum nimis properat, scribendo omnia confundit: non negarim aliquando vnum pro alio, sed errore positum. Hæc inquam proposui, nescius quam sim pro meritis habiturus gratiam. Sed iam ad textus expositionem redeamus. In his accidunt stillicidia propter imbecillitatem, præoccupante natura emissionem vrinæ, antequam vesica plena sit, & ob id guttatim defluit: vnde plures ex senibus eò deueniunt, vt non possint vrinam continere, sed & lectos & caligas conspurcent. Laxatur enim musculus, collum vesicæ continens. Quòd si vesica refrigeretur, musculus autem non lædatur, fit aliud στραγγουρίας genus: quia cum difficultate emittitur. At δυσουρίαι fiunt ob id, quòd vrina lentè permeans, & guttatim erodit membrum virile, quod longè tenerius est vesica: & plurimo salso humore ad vesicam delato, ver ob pituitam retenta vrina, ac corrupta eroditur ipsa vesica, & præsertim collum eius, fitque dolor in meiendo.



IN QVARTAM SECTIONEM Aphorismorum Hippocratis,

PROOEMIVM.



SÆPE illud dubitatum est, cur tam pauci homines veri amantes sint, etiam in his rebus quas scire ac nosse perquàm vtile esset. Videmus medicum is sit peritus an imperitus, studiosè quærimus, & tamen nos nostráque charissima pignora quasi cæcutientes illi committimus. Plurimum certè potest inueteratus error. Cum enim perspiciamus in omni artium genere, quæ ad homines spectant, dico militia, iurisprudentia, ciuili conuersatione, aulicorum disciplina, eosdem esse sapientes, & qui tales habeantur, & qui maximè callidi sunt atque dolosi, fraudulentique: ipsæque leges vt omittam cætera, & decipere & frustrari iura ipsa doceant: falsò creditum est (quòd humanæ hæ disciplinæ obtinere videantur principatum, quibus Reges, Duces belli, Magistratus, Senatus, Prætorèsque creantur, aut omnino constant) eandem in diuinis hominibus & naturæ opificibus rationem obseruari debere. Hoc tantillo argumento ab exemplo sumpto, omnia bona vera euertuntur: nec vnquam iidem sunt veri opifices, & eruditi in precio. Sic querebatur Hippocrates in Epistolis, Galenus autem non semel, imperitissimos & longè ab artis notitia positos sibi præponi. Diuisus autem bifariam est hic error, nam in his disciplinis, in quibus nihil potest casus, vt Geometria & Arithmetica, cum cogantur fateri eruditos esse eruditos, ob certamen, eos qui eruditi sunt lacerant: aliis calumniis crimina, stultitiam, aliáque fœda, & si nihil aliud possint, simplicitatem appingentes. At in his in quibus fortuna & casus aliquid possunt, vt in Medicis, architectis, nauiumque gubernatoribus, eò processit improborum perfida audacia, vt sibi artem adiudicent: ab illis qui eas norunt, detrahant. Hæc est causa tam funesti atque intolerandi erroris, imò non erroris, sed consutæ fallaciæ impostorum, quam questi sunt omnes celebres viri. Sed Hippocrates vltra querelam non processit, credo rei indignitate motus, hanc hominum stultitiam tam rudem centemnens. Cæteri, ex quorum numero est Galenus, cum sua admirabili Dialectica morbo huic mederi non potuit, quia causam non inuenit. Causa autem ea est, quæ dicta est. Quomodo igitur huic tanto dedecori ipsorum præstantium artificum, tantæ iacturæ humani generis atque bonarum disciplinarum, tam acerbæ improbitati atque iniuriæ huiusmodi impostorum occurremus? Certè id primùm scire decet, eos qui humana calliditate adeò valent, nec literis nec opere ipso præstare posse, nam quòd scire, & scire operari idem sint, aliàs sæpe docuimus, fallimur autem & in hoc, quòd eos qui nugari didicerunt, quosque falsò ob humanam calliditatem eruditos putamus videmus opere ipso aberrare, & esse inexpertos. Itaque ex hoc vno errore, quòd ignorantes artis eruditos existimemus, duo alij pessimi exoriuntur errores. Vnus, quòd eruditos imperitos esse credamus: & quòd aliud esse existimemus scire, & scire operari: quæ tamen in his qui verè sciunt artes, nunquam perpetuum, vel in vno disiunguntur. Quis enim est tam amens, aut quomodo fieri potest vt quis norit, aquam & oxymel conuenire febricitantibus tertiana notha, & quando, & quantum, & quomodo norit, etiam qualiter oxymel componatur, quæ sint qualitates bonæ aquæ, mellis, aceti, inde pro aqua & oxymellite dare velit vinum ptisanamue? Ergo qui opere aberrant, imperiti sunt aut omnino, aut non rectè totam artem callent. Itaque fieri non potest, vt dixi, vt qui callidi admodum sunt, artes ipsas, nec exercitationem artis teneant, multis de causis. Prima, quòd artes simplex & stabile ingenium exigunt: at contrà illa calliditas, vafrum & inconstans, deinde, quòd tantum confidunt huic suæ calliditati, tum etiam violentiæ si insidiæ non valeant, vt negligant præcepta artis haurire. Et rursus cum ars longa sit, & quæ ad artem longiora, vt Philosophia naturalis, Dialectica, Mathematica, Grammatica, supernaturalis Philosophia, ipsa quoque Medicina satis verbosè à Galeno tractata: at calliditas illa humana & pseudopolitæ peritia totum hominem, totam vitam videatur exigere, cum tot salutationibus, ceremoniis, vt non pluribus sacerdotes in sacrificiis, nec etiam Hebræi vtantur tot cauillationibus, consiliis, dolis, fraudibus, conspirationibus: denique his quæ ad hæc consequuntur conuiuiis, nuptiarum tractationibus, gratia potentiorum, aulico plagiario, & sexcentis aliis huiusmodi nequitiis: fieri non potest quin studia artis deserantur, atque adeò vt quidam etiam libris ipsis carerent. Et quanquam occurrere his, non hîc spectaret, sed potius ad Commentaria in primos Hippocratis libros, vbi de huiusmodi argumento diffusè agitur etiam ab ipso Hippocrate: breuiter tamen malui docere hîc, quomodo his sceleratissimis homuncionibus resistamus: vt nec qui nostra legent, vtilitate iniustè fraudentur, scilicet opibus & autoritate inter sui similes, nec cogantur ob illorum iniurias & oppressiones deserere optima studia: atque ita etiam inanis

inanis sit labor, pereátque gloria scribentium ac docentium, quæ sunt inutilia humano generi. Demum, vt fidei nostræ satisfaciamus: scilicet vt his omnibus prosimus, qui nobis non nocuerunt, hi sunt omnes posteri, & hac ætate qui ex fide mecum egerunt, nec se de misera nece filij intromiserunt, nec facti illius vllam cepere voluptatem: quinimò miserati nostram communem fortunam, & execrati Cardianorum mores & consuetudinem, quam & Demosthenes inter prodigia & monstra sui seculi recensuit, acritérque insectatus est, dolorem pro voluptate præ se tulerunt. Ea igitur erat occasio, quòd, vt dixi, ad acquirendam artem multum temporis, ob Galeni prolixitatem consumere necesse esset: nunc Hippocratis Commentariis seu totis plenè, seu his tantummodo super Aphorismos, breuiter vniuersam artem paruo temporis spacio perdiscere licebit. Quicquid verò in Dialectica assequenda etiam temporis impendere necessarium antè erat, nunc nostra Dialectica, quæ decem foliis continetur, duorum mensium in spacium contrahi potest. Quod ad cæteras artes attinet, quæ necessaria erant Medico, ex Philosophia nos paucis restrinximus. Quæstiones illæ de principiis primis nec absolutæ, nec satis firmæ, nescio cui bono sint, aut auxilio ad medicinam perdiscendam, vtiliores enim essent disputationes Ricardi Suisset Angli, quòd de rebus magis sint, quàm elenchi illi circa ea, quæ qualia sint nondum constat. Porrò sapientiam illam improbam & fine & modo nos sanctè castéque in pauciora præcepta restrinximus in libris de Vtilitate ex aduersis capienda. Nam illam vulgatam, qua isti adeò & gloriantur & sæuiunt, quis demiretur quinque tantum præceptis contineri? Ea sunt: blandiciæ in cognitos: inflatio in leues: vis & minæ in acriter resistentes, nec cedentes his nugis: fallax prædictio: & conspiratio inter participes. Horum omnium vna radix tamen est, Dei contemptus: neque enim sine eo quisquam vllum horum aggredi, præcipuè vim, minas & conspirationem, potest. At nostra si sequaris in his libris præcepta, paulo maiore diligentia atque labore cuncta hæc assequêris, haut læsa pietate: quod maximum munus esse reor. Sed, vt dixi, paruo constaret disciplina illa tota, si condisci & exerceri salua pietate posset. Admiratur Plinius in Cicerone eloquentiæ vim supra conditionem humanæ naturæ, his fermè verbis: Te dicente, legem Agrariam, id est alimenta sua, abdicauerunt tribus. Te suadente, Roscio theatralis autori legis ignouerunt, notatasque se discrimene sedis æquo animo tulerunt. Te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit. Sed aufer C. Plini inflationem, videbis leue artificium, & quàm paruum fuerit armare plebem contra sua commoda. Difficile est agnoscere proprium adulatorem, adeò vt Plutarchus integro vno libro de hoc scripto solum docuerit, posse id fieri, non ipse forsan hoc præstare confisus. At in populo quis tam acutè perspicit, vt adulatores effugere possit, qui singulos laudant sub alterius specie? & dum alios laudant, intelligis teipsum magis ab eis laudari. O quàm perniciosa assentatio, quàm perditissimi illi rhetores, Demosthenes præcipuè & Cicero, captantes eos populos ad omnia facinora impulerunt: neque hoc contenti, inanis gloriæ cupiditate in suam perniciem armarunt: deinde etiam euerterunt. Demosthenis ambitio enim Athenas Alexandro, Ciceronis Romam Augusto subdiderunt, nec puduit gloriari, decepisse hos populos: coactique sunt fateri, suam patriam perdidisse: ne inficiari quis velit, quod dicimus. Cæterùm quàm leuis sit hæc res, inflare homines, ex eo perdiscere licet, quòd Cicero, qui populum Romanum toties inflauit, coegitque vt phanaticos suam perdere libertatem, in priuatis negociis nullus fuit. Si mihi non credis, exemplar vitæ suæ Epistolas ad Atticum lege: videbis quàm leuis, stultus, ambitiosus, perfractus, inconstansque fuerit, & quolibet fabro vulgari consilio & prudentia inferior. Vnde nil mirum, se suosque euertisse. Quid est hoc mirum, cum tanta raperet, tot dona ex fori labore acciperet, amicorum hæreditatibus locupletaretur, adeò vt referat ex Diodoro H. centies, id est ducenta quinquaginta millia aureorum (sed mendum esse, haud dubium est: legi debet H.C. id est, sexteria centum, quod est aureorum bis mille & quingenti) semper tamen ære alieno opprimebatur, nec potior alia causa interitus fuit tam ipsi quàm fratri, fratrisque filio, quàm pecuniarum inopia, vt Plutarchus refert, quamuis toto triennio Qu. Frater Asiam proprætor ita expilarit, vt redeunte illo, magis Cicero ei, ne repetundarum accusaretur, timeret, quàm sibi qui in exilio erat. Omitto scelera reliqua illius, & inauditam crudelitatem, & stultitiam: quæ Cicero quantum poterat, reprimere conabatur. Itaque, vt ad rem redeam, parua res est Deum non timenti, falsis blanditiis notos, & in ipso confidentes, alios inflatione, impotentiores vi ac metu, tum conspirationibus aliorum improborum euertere, & sibi viam ad principatum sui ordinis sternere. Postquam ergo hoc facile est, perdiscere autem medicinæ artem, vt ab Hippocrate atque nobis tradita est, labor perbreuis, vtrique satisfacere negocio poterimus: non tam sibi vindicando quod iniustum est, quàm retinendo quod nobis debetur. Si igitur peritus in dignoscendo, & cautus in prædicendo, & promptus & elegans in operando (quæ quatuor sunt præcipuæ medici dotes) fueris: non abs re erit, garrulos istos factis coarguere, concutere experimentis, perterrere periculis, sublandiri omnibus, quosdam alios ex amicis ægri atque coniunctis inflare, conspirare cum tonsoribus & pharmacopolis, sed probis. Nam si illi sibi licere volunt aduersus veritatem, iusticiam, commodáque ægrorum & Reipublicæ tam ciuitatis quàm literariæ: quare nobis non licere debet ad repellendum iniuriam, ad tuendam veritatem, gloriámque rei literariæ sustinendam, & vtilitatem eorum qui vestræ fidei se suáque chara pignora commiserunt? Præsertim cùm hi cum malis conspirarint, bonos euertant; tu contrà malis resistas, & cum bonis conspires.

conſpires. Nec difficile eſt ſuperiorem euadere arte fallenti parem, bonis verò præceptis diſciplinæ adeò longè latéque ſuperiorem, nam hos euertit euentus rerum, detinet conſcientia ſui, terret iuſtitia, vindictáque deorum, adeò vt vel ſic concidant. Memini cum Mediolani eſſem nec inſtructus his præceptis, nec ambitionis cupidus, ſed ſola medendi exercitatione clarus & fœlix, quot diſſiparim aliorum, nec imperitorum prorſus conſpirationes, vt palàm eſſet, me magis timeri quàm contemni: necdum tum armatus Hippocratis doctrina, quam non niſi condita Dialectica conſequi potui. Quid ergo times, ne non ſuperior euadas? modò caueas præcipitem iram, & importunam iactantiam, aut quædam huiuſmodi vitia, quæ nobis præproperam gloriam & autoritatem quærentibus falsò, tanquam vtilia, & maximè iuuenibus abblandiuntur. Vnum enim ex præcipuis impedimentis ad retardandam autoritatem & gloriam, quam quærimus ex arte, eſt, nimia cupiditas properandi, qua præcipites ferimur non minus per dedecora noſtra, quàm per iniurias aliorum. Sed quoniam hac in cauſa longius progreſſus ſum, in poſterum à procemiis abſtinebo: ne imitando, quos damno, inſectari videar. Vnum rogo, vt quemadmodum in medicina precatus ſum, vt Galenum inſpicerent: deinde de his quæ diximus, atque illum accuſamus, iudicarent: ita etiam in hac Ciceronis accuſatione, prius legant illius vitam, facta rimentur, exitus inſpiciant: inuenient tantum profudiſſe propriis animi perturbationibus, quantum acceperit beneficio naturæ, quod certè immenſum fuit: nec poſſe quenquam duabus in rebus præclarum eſſe. Ei dicendi ampliſſima facultas data eſt, & immoderata, quanquam Tacitus illum non leuiter perſtringat, dicens: Lentus eſt in principiis, longus in narrationibus, ocioſus circa exceſſus, tardè commouetur, rarò incaleſcit, pauci ſenſus optimi, & cum quodam lumine terminatur: nihil ex tempore referre poſſis, & velut in rudi ædificio firmus ſanè paries & duraturus, ſed non ſatis expolitus & ſplendens, non tamen bello Cæſar, integritate Cato, conſilio & prudentia Atticus, ſcientia Ariſtoteles fuit. Diuiſa hæc ſunt munera, diuiſi & homines. Hæc igitur adiicere volui, magis veritus inuidiæ in Galenum ſuſpicionem, quòd medicus medicum arguat, & qui de iiſdem conſcripſerimus: quàm iram & furorem Grammaticorum, quos læſa Ciceronis maieſtate, ſcio in me impetum facturos. Sed tamen hic ſuſpicio omnis inuidiæ aberit, neque enim ſuſpicari quis poteſt, me adeò excordem eſſe, vt ſcribendi genere, eloquentia facundiáque cum Cicerone ipſo contendere velim, at ſi recta ſapient, nec cum Galeno, & multo minus. Quæ enim cauſa eſſe debet, vt in iam tamdiu ſepultos manes inuidia ferri velim? ſola rei veritas, & vtilitas mortalium, me ad hoc impulit: qui ſeducti vitiis hominum, & autoritate nominis, laudant iuſtè & meritò bona in illis, vitia autem imitantur. Vide quod inuidiæ genus? vbi omnes Hippocratis libros diligenter intellexeris, etiam iubeo, non conſulo ſolùm, vt ſex Galeni libros de Locis affectis, & decem ac ſeptem de Vſu partium, quatuordecim Methodi medendi, quinque primos & tres vltimos de Simplicibus medicamentis, decem de Compoſitis ſecundum locos, & ſeptem Secundum genera, qui in vniuerſum ſunt ſexagintaduo, euoluas. A reliquis eius libris ſi abſtinueris, non ſolùm id temporis lucri feceris, quod eſſes impenſurus: ſed minus perplexus hærebis in his quæ ab Hippocrate clarè tradita ſunt. Non defuit Galeno ingenium, facundia, methodus, exercitatio: ſed quædam, vt reor, nimis iuuenis, quædam minus diligenter, alia aliis impedimentis occupatus, negligenter ſatis ſcripſit. Sunt & extra contemptum Dioſcoridis & Oribaſij, qui ſuperſunt, & Auicennæ libri: tum Veſalij Anatomia. Sed redeo vnde ſum digreſſus. Dices forſan: Hæc quæ dicis facilia factu, non tamen erunt prompta, vt volumus, populo perſuadere, vt contra commoda ſua agat: res ardua eſt, falleris. Paruane & exigua, cum Quirites ſe vocari audiebant, quaſi à Romulo progeniti, cum eſſent deſcendentes latronum & Amphamiotarum, tum Volonum & Proſpolitarum aut Pecuariorum nobiliſſimi, ex paſtoribus, bubulcis, ſubulciſque: cum identidem illud inculcabant. En Romanos rerum dominos gentémque togatam: cum tot bella, tot victorias, tot triumphos, æquam, imò maiorem cum diis ipſis poteſtatem decernendi ius ſummum, vt quos beatos eſſe vellent, ſtatim ſuffragiis ſuis efficerent: quoſque miſeros, etiam repentè damnatos exiliis, vinculis, mortéque multabant. Demum hæc omnia pro nihilo habebantur, & templorum ornatus, & magnificentiſſima vrbis ſpecies, & populi frequentia, & magiſtratuum potentia, & Senatus autoritas, cum geſta illa maiorum referebant: & Decios ſe deuouentes, & Manlij in filium ſæuam & ſtultam animaduerſionem, & Bruti in Reges odia, ſecurimque armatam in duos filios, & Fabricij pauperis ſuperba reſponſa, & referentem ſigna Camillum, & Porſenæ ac Virginij Scæuolæque miracula. Attilij Reguli conſtantem fidem, Horatij Coclitis robur & fortitudinem, Martij ſe in voraginem præcipitantis audaciam, Scipionum victorias, innumeráque alia ſeu ficta ſeu vera: inde fidem, patientiam, innocentiam, religionem erga deos, & viciſſim illorum anxiam de populi Romani ſalute curam. Quò non flexerit callidus orator iſtis exemplis, non minus ſtultam quàm imperitam plebem? Sed quorſum hæc tanta dicis? Vt intelligant ſtudioſi, opus eſſe præclaris aliquibus ingeniis, atque eruditis, vt honos bonis literis reſtituatur: neque enim ab imperitis, qui huic cauſæ aduerſantur, hoc ſperandum eſt: nec à mei ſimilibus, qui omnem hanc gloriam omnéque nomen prorſus contemnimus: nec ab his qui quamuis ſint abundè eruditi, artibus tamen his humanæ vafriciei natura ſimplices, & vſu inexercitati, & ſtudiis abhorrentes, deſtituti ſunt. Sed primùm abundè in arte doctis, inde etiam natura, vſu, ſtudio, diſciplina ſubdolæ huius ſeplaſiariæ vſque ad aras inſtructi. Quòd ſi quintum genus illud

technæ

technæ times, quo prædi ctionem conantur eludere, cum enim dicis, Laborat phthisi: dicunt, Non: sed tamen periculum est, ne si morbus perseueret, in phthisim delabatur. Laborat causonide: Non, respondent: sed bene in periculo est, ne in causonidem deueniat: ita improbi illi, sine scientia, sine studio laboribus tuis fruuntur: quin etiam prudentiores videri volunt, quasi tu fallaris in morbo: & illi, cum tu quæ sunt, non agnoscas, illi etiam antequam sint, præuideant: demum si fortè fortuna euadat, obiiciunt tibi publicè quòd deceptus sis: si pereat, ipsos præuidisse ac prædixisse putent. Malè sit his nebulonibus: multique fures & latrones, qui laqueo perierunt, ea nece minus digni sunt his ipsis sycophantis. Sed tamen (quanquam durum sit, & maximè si mediocriter sint eruditi) resistere debemus. Itaque cum tam malignè agunt, & tu clàm sis, insidiis resistas, perpensa igitur re integrè, & futuro fine, dicas illos non rectè agere, qui morbum pro morbo curent. Et quamuis à te admoniti periculum imminere fateantur, nihil tamen prodesse hoc ægro, cum iam occasio salutis dilabatur, præterito enim principio, nullam amplius spem salutis superesse. Tum astantes rogabunt, vt occurras: tu si speres aliquo modo euadere posse, clàm affer auxilium aliquod lene, quod ei conducat, non ex ratione suorum: præfatus differri posse, per hoc, vt principium non elabatur, nec occasio prætereat. Ita versa rerum vice, si moriatur, culpa eorum mortuus videri poterit: si euadat, tua solertia & prouidentia.

APHORISMVS I.

VTero gerentes sunt medicandæ, si materia turget quarto mense, & vsque ad septimum: sed hæ minus. Iuniora autem & seniora vereri oportet.

COMMENTARIVS.

CVm tradidisset in prima sectione curam generalissimam morborum: in secunda verò generaliter multa, nihil speciatim, sed quæ vel ad signa generaliter, aut ad rationem victus vel côualescentes nihil proprium (nam si excipias septem Aphorismos, non est qui dubitare possit de hoc) at neque in his quicquam particulatim. Æstiuas quartanas enim dum cômemorat, de morbis omnibus dictum intelligi vult. Sed & in illo, Vbi fauces ægrotant, nil proprium exponit: neque enim morbum nominat, & curam etiam solum generalem: in eo verò cuius est initium. In profluuiis alui mutationes, nec de cura quicquam, nec de quo genere profluuij loquatur docet. A quadragesimo quoque ad quadragesimumtertium, tametsi quædam specialiter de morbis dicere videatur, nihil quod ad curam (nisi ad curam spectare dicas, quòd curari non posse doceat) quadragesimus quintus tametsi curam doceat solus alicuius morbi, non tamen nisi generalissimè. In tertia verò egit de his quæ ad constitutiones etiam generales pertinent ætatis, têporum & huiusmodi: in præsenti incipit tradere curationem speciatim morborum atque dispositionum, tum signa magis propria: quod vt demonstrem non expedit, ne quod in aliis maximè vitium reprehendere soleo, quòd in manifestis infinita faciant commentaria, vt aliquid dicere & multa scire videantur, difficilium locorum omnino posthabita non solum interpretatione, sed etiam mentione. Sileant ergo, & suam fateantur posthac non solùm inscitiam, sed ignauiam, qui negant has particulas vlla ratione esse diuisas, postquam vniuscuiusque Aphorismi ad hunc vsque, & ipsarum etiam inter se particularum & ordinem & continuationem exposuimus. Nec est quod crimini dent, intermista in hac & subsequentibus multa generalia, cum id necessarium sit doctrinam tradenti, à generalibus ad propria: neque vitium sit, sed esset si inter generalia quicquam membratim doceretur: quod ita vitauit Hippocrates, vt ne suspicionis quidem vmbram præstiterit.

14. 15. 25. 40. 41. 43. 44.

Duo igitur contraria maximè proponit Hippocrates: vnû secundum naturam, alterû contra: quæ adinuicem comparando, vbi côtrariæ sint indicationes, media inuenire docet. Quæ vtero gerunt, ab omni auxilio medico maximè abhorrent: purgatione siquidê, in hoc Aphorismo: sectione verò venæ in illo, Mulier vtero gerês sanguine misso ex vena abortit, & eo magis, si fœtus sit maior. *Aph. 31.* Vbi etiâ de inedia vehementi à Galeno sermo idem confirmatur. Verùm in sanguinis missione ex vena, nulla exceptio vel morbi ratione vel causæ fit: in purgatione autê excipit materiâ turgentem, quòd minus vereatur purgationem quàm venæ sectionem, nô quòd magis morbi qualitatem formidet, nam in venæ sectione nullam morbi aut causæ mêtionem fecit. Quocirca melius fecisset, non hic sermonem habere de venæ sectione, cum Hippocrates vnâ prorsus admittat, alterâ non Sed quoniâ propositum est, Galenum tueri quantum possumus, dicamus côparando purgationem sectioni venæ, in purgatione vinculum cum matre firmum respicere, in venæ sectione abundantiam alimenti. Dicemus ergo purgandas prægnantes, cum maximè fœtus hæret matri, à quarto scilicet mense ad septimû, & quæ non facilè abortiunt, & medicamento non concutiête, & si fœtus sit altior. Ex materia turgente triplex est indicatio periculi scilicet magnitudo, materiç caliditas & facilitas purgandi ob motum. In venæ sectione, quòd fœtus sit paruus, mulier sanguinea, venæ sectioni assueta, atque refectio copiosa cibi. Quod verò dixit de materia turgête, eadem ratione de ea quæ est iuxta aluû, intelligendû est: vt in vêtriculo, mesaræo, intestinis etiâ magis. Quid verò sit materia turgês, suprà docuimus, & infrà proprius est locus, at per medicamenta intelligit elleborum vtrunque, & illo sesamoidem tutius, ac peplium ac peplum: quæ quantum differant, in libro quarto de Ratione victus in acutis edocebimus. Illud solum restat indiscussum, quod addidit his verbis, Et vsque ad septimum. *1. Aph. 22. Aphor. 10.* *In fine.*

mum. Hoc,sed has minus, Brasauolus existimat dictum, quia in septimo mense vitales aliquando pariuntur: atque hic terminus, vt colligitur libro de Septimestri partu, incipit à centesima octuagesimatertia die, & finitur in ducentesima: à ducentesima autem ad ducentesimamdecimam non sunt vitales. Verùm nimis subtilis est hæc interpretatio, cum velit Hippocrates, magis vitandum septimum mensem, quia fœtus cum magnus sit, maius est periculum in abortu. Fuchsius autem, cum venia dictum sit, ob veritatem, totam confundit sententiam, excludens septimum mensem à purgationis munere, non enim dixisset Hippocrates, Sed has minus: verùm vt de aliis mensibus vereri oportet. Clarissima igitur est illius sententia, si non inuertatur, atque huiusmodi: Vtero gerentes, si materia, à quarto mense vsque ad septimum sunt medicandæ, sed in septimo minus quàm antè: primis autem tribus mensibus ac duobus vltimis, scilicet octauo & nono, non nisi maximo cum periculo medicamenta dare possumus, scilicet quæ per inferna aut superna purgent. Ita vt semper medicari liceat à quarto ad sextum mensem satis tutò, in septimo non adeò tutò: à septimo vltrà, & ante quartum, maximo cum periculo.

Sed occurret aliquis dicens: Vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale, est quinta Aphorismorum: quomodo ergo curabuntur perituræ iam purgatione? Respondeo: Deterior est morbus acutus quietus in prægnante, quàm ex turgente materia: quoniam cum destituatur auxilio sectionis venæ & inediæ, & longior sit etiam & purgari non possit nisi concocta materia, ideo letalis efficitur: qui verò ex materia turgente fit, securior est: quia breuior, & quia purgationem admittit. Quidam autem plus sapere se quàm Hippocratem existimantes, multa extra propositum nugantur: cum hæc sit veritas.

Vtrum verò ante quartum mensem vel post septimum purgare liceat, in dubium reuocant frustra, quod concessum est ab Hippocrate, sed non sine magno metu, cum norit quantum periculi immineat. Cum verò non liceret regulam generalem tradere, admonuit nos incumbentis periculi: ideóque vtilitatem, necessitatem & noxam pensitanda esse. Et noxæ quidem medicamentorum purgantium superius declaratæ sunt, sed eas repetere non pigebit. Prima est, quòd agitant totum corpus, & vomitum mouent, ex quibus in abortum facilè deuenire posset ægra. Tertium, quòd commouent dolores. Quartum, quòd accendunt febres, quia omnia talia excalefaciunt: sunt etiam pleraque venenosa & abominanda & amara, sed has vltimas noxas vitare licet, & debemus. Vnde cessat contentio de aloe & rhabarbaro, stultè enim aliquis talia propinabit, quæ fœtum interficere possint. At verò ex aduerso sunt, si quis santala & nucem myristicam & garyophilos ac mentam, tum chærefolium, ac huiusmodi odorata, non admodum calida, neque amara & astringentia misceat cum saccharo, tutum reddet medicamentum: idque magis, si scammonio & iam mandato constet, vt in compositione vocata Diaphœnicon, id est ex palmulis, cum iam fuerit fermentata. Nec ad cassiam nigram, neque ad magna confugiendam erit. Linquamus hæc & Mesuæ & Actuario, dicentibus hæc, quibus validiora exhiberi tutò non possunt, vt pueris & prægnantibus commoda esse, nam talia fuci sunt, vt quod natura curat, nos curasse videamur. Vix enim continget semet in centum ægris, nec nisi sub fine morbi, vt per talia medicamenta quicquam de materia peccante expurgetur. Quòd si quid esse vtile ex his potest, erunt potius tamarindi, omnis praui saporis expertes, qui purgant bilem, & etiam tenuem pituitam, ac astringunt corriguntque detrimenta aliorum medicamentorum, maximè calidorum, cum impensè refrigerent: & myrobalani, citrini chebulique & emblici ac nigri, vt magis opportunum fuerit, & quibus iucundus est odor: rosæ, rosaceus syrupus seu serapium malis multo rore plenum, quod etiam pituitam crassam expurgare potest, maximè sale gemmeo addito, hæc omnia grata sunt odore, sapore, frigida, astringentia, naturæ amica, non immodicè expurgantia: nec vrinã proritantia, quod maximè malũ abortus excitat, & familiare est expurgantibus medicamentis. Licet igitur semper si morbus validus sit, & periculum videatur ne materia in membrum principale decumbat, & vires validæ fuerint: non tamen sine maximo metu fiet, his temporibus scilicet ante quartum mensem & post septimum, minusque dare ex medicamento: minimè tum conuenit, si emendatum fuerit. Nam periculum est in opere, non in ipso medicamento. Sed si fœtus maior fuerit, solum magis nutriemus.

An verò semper debeamus purgare, cum materia turget, & mensis fuerit à quarto ad septimũ vsque, & maximè quintus & sextus, non (vt dicunt) quartus. Vbi enim est initium, ibi etiam est incrementum. Si igitur initium securioris purgationis à quarto mense incipit, in quinto erit adhuc securius, & maxima securitas, cum minimè solet abortire mulieres, scilicet sexti sub mensis initio, vnde etiam in hoc falluntur expositores & medici ipsi artem exercentes, pernicioso nimium errore cum (vt dixi) & minus quarto mense purgandæ sint prægnantes quàm sexto, & leuioribus medicamentis, dubium non solùm Hippocrates, sed omnes expositores reliquerunt. Respondeo ergo, quòd si morbus primùm letalis sit, non esse purgandas. Secundò, si affulgeat spes salutis, ob id quod dixit Hippocrates secundo & sexto Epidemiorum: Prægnãtibus si nihil præter naturam accidat, vitales fiunt partus. Itaq; cum morbi & medicaměta res sint contra naturam, adeò vt etiam ab infantibus medicaměta arceantur, vt Princeps docet, si adhibeantur, fœtus aut abortiuntur, aut remanent inualidi, vt post ortũ breui intereant, vel imbecillitatem quandã perpetuò retineant. Quia tamen damnaui imbecillia medicamenta, & hîc agitur de vita humana, ne quis perperàm intelligat dicta nostra, explicabo tibi meam sententiam: & est, vt

Pag. 3. Pag. 7. 3. 1. De regimine infantium.

vtaris

vtaris clysteribus, si aluus astricta, lenientibus, licet & , si in ventriculo & propè, sint crudi humores,& minimè lenti, tenues, vel etiam crassi, leuibus medicamentis purgare:sed non ita, vt credas materiam morbi huiusmodi auxiliis euacuari posse. Verùm vt
Pag. 4. ad rem redeam, in quinto Epidemiorum narrat de vxore Antimachi, cui, cum esset prægnans secundi mensis,datum fuit catapotium validius quàm conueniebat, è genere purgantium per inferius,& non eduxit, sed per superiora tantùm bilem combustam propter febrem & abstinentiam cibi, pluribus enim diebus fastidium cibi passa erat, & mortua est eadem die(dicit) quæ forsan potuisset seruari,si aquam bibisset loco catapotij, & euomuisset. Igitur etiam leuia medicamenta per superna purgantia conueniunt, non elleborus aut sesamoides. Ex quo constituemus aliam regulam: Quòd si materia sit in ventriculo, leuibus medicamentis vomitum prouocantibus est expellenda. Rursus in octauo mense periculosissimum est purgare, quoniam facilè abortiunt: & si abortiant,plerumque mater moritur, tum ob fœtus magnitudinem,tum mensis proprieta-
tem. Septimo Epidemiorum datur exem- Pagin.
plum vxoris Olympiadæ, quæ octimestris erat:& cum ex casu abortisset,mortua est.Inter menses ergo curandi, pessimus est octauus: inter priores autem, minimè periculosus est tertius de abortu: sed de vita primus medius inter vtrosque, & quo ad vtramque conditionem secundus. Difficultas est de nono,nam cum sit mensis partui opportunus, videtur esse securissimus. Respondeo: In ea parte qua posset parere vitalem,est securissimus, sed si non pariat vitalem, periculosissimus est, propter fœtus magnitudinem. Ideo etiam cauendum est à medicamentis validis omnino, nam si fœtus intereat, perit etiam sæpe mater. Sic ergo ordinabimus hos meses.

Pro abortu securissimi.	Pro vita matris si abortiat.	Generaliter pro vtroque.
1 Quintus,& Sexti initium.	1 Primus.	Quartus.
2 Quartus, & Sexti finis.	2 Secundus.	Quintus.
3 Septimus.	3 Tertius.	Sextus.
4 Tertius.	4 Quartus.	Primus.
5 Secundus.	5 Quintus.	Secundus.
6 Primus.	6 Sextus.	Tertius.
7 Nonus & octauus.	7 Septimus.	Septimus.
8 Decimus.	8 Nonus,	Decimus.
	9 Decimus.	Nonus.
	10 Octauus.	Octauus.

Lang.13. Habetur autem tertius ordo ex primis duobus, iunctis simul numeris, vbi minor euaserit, erit securior. In primo autem Epidemiorum:Quamuis laboraret periculosissimo morbo, non purgauit eam, quæ in littore habitabat: sed trimestris solùm erat, & materia non turgebat, imò decubuit statim ad locum non periculosum.

Aph.19. Hic etiam Aphorismus scribitur in quinta particula, sed eo loco est prorsus superfluus.

APHORISMVS II.

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, vtilia: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

COMMENTARIVS.

POstquam docuit purgare in præcedenti, vtero gerentes: hîc docet in morbis, in quibus aliquid excernitur de materia peccante. Videtur autem Galenus suo solito more & accusare statim Hippocratem ab initio, & velle Aphorismum extendere ad omnem euacuationem, ac simul ipsum secundo primæ particulæ assimilare. Verùm non animaduertit, quòd non solùm hic specialis est,ille generalis: sed quòd hic loquitur de proprio quodam genere morbi, non de omnibus. Ita vt hic Aphorismus bifariàm sit specialis, illius comparatione, ille enim de omni morborum genere & omni euacuatione loquitur: hic peculiariter, & solùm de purgatione, & de morbis solis,in quibus iam aliquid sponte excernitur. Doleo quòd Galenum accusare toties cogar, sed magis quòd in longum extendere sermonem. Neque enim vidit quòd hic Aphorismus priori optimè continuatur. Cum enim dixisset, expedire turgente materia purgare etiam in vtero gerentibus, adiecitque tempus, quo id facere licet: addit nunc, quòd si præter id quòd turgeat, etiam aliquid excernatur, tum maximè expedire purgationem, cognoscentibus nobis non solùm materiam purgandam, & adiuuante natura motum medicamenti,sed iam inchoante. Quis non videt luce clarius, Galenum non intelligere Hippocratem,nisi ex cortice: nec aliud maius testimonium, quàm quod illum accuset, cum minimè veniat accusandus, nam neque bis repetiit idem, nec hic Aphorismus sic intellectus sub illo continetur, nec potest amplificari. Existimauit quòd Hippocrates solùm qualitatem materiæ & illius similitudinem, non motum iam inchoatum, & quod maius est, turgentem illum impetum animaduerteret. Vide ambitiosam insectationem benemeriti Hippocratis apertam (non tamen quicquam hic plus docet de purgatione, quàm quod de omnibus euacuationibus ipse iam dixit) Quid turpius, quid fœdius? Deinde irascuntur mihi, quòd Galenum iustè damnem, vt iniustè ab illo accusatum Hippocratem tuear. Quæ igitur adduntur ab illo Asiatica dicendi luxuria, tametsi vera essent, extra propositum sunt, neque enim omnia omnibus in locis referre expedit.

expedit, hoc enim est infinitam & nugacem facere disciplinam. Illud solùm ad rem, quod connectit hunc Aphorismum sequenti, sed ibi eum exponendi locus erit, neque enim illum cur rursus ascriptus sit, cum bis in primo libro scribatur, cum tot verbis ac sua continuatione docere potuit. Quòd, etsi adhuc dubitas de his tantùm quæ iam prodeunt, non quæ si prodirent, vtilia essent, Hippocratem sermonem facere, verba vltima considera (Quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet) vbi nulla esset connexio. Sed & Itali omnes vertendo aberrant, pro χρήσιμα, id est vtilia, χρήσιμον vtile interpretantes, nam sic secunda pars Aphorismi primæ non conuenit. Sensus igitur est: Cum turgente materia aliquid vtiliter excernitur, totum purgare conuenit: sin autem alium humorem euacuauerit natura, tum illum cohibere oportet. Malè autem fecit Fuchsius, cum emendasset cum Cornario id χρήσιμον rectè, totam peruertere Hippocratis sententiam: vt legeret, Qualia etiam si sponte prodirent: pro, sponte prodeuntia. Omitto quòd autoritas omnium refragetur. Dicam ego Hippocrati: Quî sciam ego, quæ si prodirent, profura essent? Clarus igitur sensus est verborum Hippocratis: Si materia turget, & aliquid iam prodeat vtiliter, adiuua naturam: sin autem inutiliter, cohibe. Tu modò cogita tecum, an hic sit sensus Hippocratis genuinus, & quid huic sententiæ affine habeat vel secundus Aphorismus primi libri, vel tam longa Galeni expositio, vel aliorum authorum. Inde etiam soluitur facilè quæstio illa vulgaris de symptomatica purgatione, an adiuuanda sit. Dicit Hippocrates: si vtiliter excernantur, iuuanda: si secus, cohibenda. At dices: Hoc non Hippocrates dicit, sed vtilia, non vtiliter. Si ergo immodica sit euacuatio noxiorum, vt aliquando accidit, adeò vt natura exsoluatur, debeone purgare? Dico quòd non: quia per illud verbum ἰόντα prodeuntia, intelligit parua sub quantitate exeuntia, nam si voluisset intelligere de magna quantitate, dixisset ἐξινομῶα: hoc enim commune est etiam purgationi copiosæ.

Cæterùm dices, Nonne hic Aphorismus saltem ad alias euacuationes traduci & ampliari poterat? Dico quòd non, nulla enim est euacuatio securatione loci præter purgationem per aluum: neque etiam conuenit, si fluat sanguis per nares, mittere sanguinem ex brachio (nam sanguinem non noxium educeres) neque ex naribus: periculosa enim esset eiusmodi attractio. Vides igitur Hippocrati nihil potuisse addi. Verùm dices, in famula Onesidemi, quinto Epidemiorum, cum prodirent suprà & infrà, quæ non conueniebant super purgata, tamen non cohibita: & neque mortua est ob id, dicit Hippocrates. Pag. 4. Respondeo: Erant contrariæ indicationes, vincebántque illa quæ de purgatione indicabant, velut bilis, sed tamen sine vtilitate. Dicemus autem suo loco.

APHORISMVS III.

SI qualia, oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria verò grauiter.

COMMENTARIVS.

SIc constituitur ratio. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria verò grauiter. Sed si medicus ea purget, quæ natura dum purgat, iuuatur æger, qualia oportet purgari purgat, igitur si medicus talia purget, qualia sponte prodeuntia vtilia sunt, conferet, & leuiter æger feret: & si supprimat, puæ dum exeunt, malè afficiunt, iuuabit, igitur in medicationibus talia educere, & reliqua, vt in præcedenti Aphorismo. Ex quo patet demonstratio præcedentis Aphorismi, & continuatio sine repetitione, non igitur eximendus.

APHORISMVS IV.

MEdicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores.

CMMEONTARIVS.

CVm docuisset rationem purgandi morborum quorumdam habita consideratione, hic comparat ad tempus anni diuersos purgandi modos: vnde etiam connectitur generali ratione secundo, nam, vt docui, tertius pars est secundi, sed & speciali, nam dictum est in illo, quòd in medicationibus expedit talia educere è corpore, qualia sponte prodeuntia vtilia: at æstate solent magis corpora per supernam partem, scilicet per vomitum, & hyeme per infernam, id est aluum expurgari, igitur & hoc facere debet medicus. At dices: Igitur ad priorem opinionem redis, vt non solùm quod iam fit vtiliter, sed solet fieri vtiliter, sit respiciendum? Respondeo, Quòd non: sed ibi præcipit purgandum, hîc verò non: sed si expedit, modum eligere docet. Itaque est ac si diceret: Cum medicari oportet, æstate magis per vomitum, hyeme per aluum id facere expedit. At ibi cum materia vtiliter excernitur, nec sufficienter, expurganda est: si inutiliter, cohibenda. Ideo clara est differentia. Cur autem æstate magis per superiorem ventrem & per vomitum, Galenus rationem adducit in Commento. Pag. 5. Hippocrates enim in libro de Humana natura inquit: Per æstatem bilis augetur, hyeme verò pituita, ob frigus, ac noctium longitudinem. Sed & vicissim, inquit, minuuntur pituita in æstate, bilis flaua in hyeme. At bilis ob leuitatem sursum facilè fertur, & sponte eò tendit: contrà pituita infrà, igitur ratione humoris euacuandi res ita se habet. Quamuis non semper istud verum sit de humoribus, sed plerumque. Addit & aliam causam Galenus, propriè sumptam à natura temporis, ambiens enim aër calidus materias sursum facilius propellit,

propellit, vt frigidus deorsum. Et licet hi duo sensus veri sint, nihilominus potius de purgatione ventriculi in æstate qualicunque, & ventris ac intestinorum hyeme loquitur, quàm de modo purgandi, de quo inferius aget. Plurimum enim interest dicere, φαρμακεύειν τας ἄνω, & ἄνω φαρμακίης, omittendo articulum τας, qui pronominis vicem gerit. Quod verò grauius est, quod dicat in libro de Salubri victu: Sex hybernis mensibus vomendum est, hoc enim tempus pituitosius est æstiuo, & morbi circa caput fiunt, & eam regionem quæ est supra septem transuersum. Quum verò æstas & calor fuerit, infusis vtendum est. Hora enim hæc æstuosa est, & corpus biliosius, & lumbi ac genua grauantur, & calores oboriuntur, & in ventre tormina fiunt. Quapropter corpus perfrigerare oportet, & quæ in sublime eleuantur, infernè subducere ex istis locis. Hic se contorquet mirum in modum Galenus, & qui eum sequuti sunt, adeò vt dicant æstate totum corpus purgandum esse per vomitum, vt hic docet, at peculiariter ventriculum & intestina per inferiora: hyeme autem ventriculum à pituita per vomitum, totum corpus autem per aluum medicamento. Quæ verba non sibi inuicem cohærent: imò si bilis sit æstate in ventriculo, magis vomitu educenda erit. Quòd si dicas, hic non loqui de modo purgandi, sed de loco: obstat illud, Graciles & facilè vomentes purgare superius, cauentes hyemem, tum etiam: Vomẽtes verò difficulter & mediocriter bene carnosos per inferiora, cauentes æstatem. Ergo & hunc nodum soluere oportet, vt reliqua difficilia. Hippocrates in comparatione purgandi per aluum vel vomitum principaliter quatuor obseruat: locum, humorem euacuendum, tẽpus anni, & habitum. Locus præponi debet omnibus. Si materia sit in ventriculo, per vomitum semper est educenda, nisi omnino quàm multa prohibeant: quoniam si per inferna nitaris, multa subsequentur detrimenta, cum labore enim id fiet, & venæ rapient malos succos, & tardè prodibunt. Cum ergo hyeme soleant ventriculi ob frigiditatem aëris repleri pituita, licet humor ille alioqui indigeret purgatione per inferna, ratione loci per superiora purgandus est: æstate autem, licet bilis abundet, quia imbecillior est ventriculus, non debet vomitu fatigari, ideo aluũ clysteribus subducere oportet. In ægris verò sequi oportet naturam humoris, si locus affectus peculiaris non obstet. Nam si hyeme materia in ventriculo biliosa sit, vomitu tamen educenda erit: sin aliter, postulat per aluum educi, quòd grauis sit: & etiam quoniã ventriculi cura maxima habenda sit, vt etiã primo ad Glauconem. Si verò bilis redundet per superiora, quòd adeò facilè expellatur, vt vẽtriculus minimè afficiatur. Hic ergo de ægris, ibi de sanis loquitur: hic considerat naturam, quæ temporis qualitati assimilatur: ibi locum, qui magis tempore afficitur. Sed nunquid præter locum & humorem aliquam indicationem peculiarem habet tempus? Dico sic: æstas enim duos facit humores tenues qui facilè etiamsi pituita sit, aut crudus humor, per superiora educuntur. At est alia causa potior, scilicet motus facilior ad vomendum ob musculos calidiores eo tempore: quoniam cum sit motus violentus, indiget maximè instrumentorum robore. At frigidum inimicum neruis: calidum verò amicum inquit Hippocrates, & vtile. Sic & ventriculus ipse cum exanguis sit, vehementer læsus per vomitum, ac distentus æstiuo ab aëre refocillatur, ab hyemali destruitur. Quapropter has noxas Hippocrates hìc in ægris maximè considerat: ideo etiam vomituros, & eos qui vomuerunt, calido loco collocare expedit, aliquibus enim ob frigiditatem singultus perniciosi successere: alij disrupti sunt stillis sanguinis promanantibus.

Marginalia: Aphor.17. | Par.1. | Aphor.6. Aphor.7. | Cap.14. in princ. | 5. Aph. 18.

APHORISMVS V.

SVb Cane, & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset conditionem sumptam ab æstate, nunc declarat ab ea parte æstatis, quæ maximè ardet, sub cane scilicet, ab ortu illius ante solem, de quo dictum est superius in Tertia particula, & pòst per quadraginta dies, & ante canem per decem dies, vt sint dies quinquaginta, scilicet à quinto idus Iulij ad pridie calendas Septembris, dicens molestas esse medicationes, scilicet per superiora vel inferiora. Cum verò medicina sit inuenta experimento: aucta ratione, absoluta denuo experimento, ideo in nostris regionibus manifestum est, nobis id animaduertentibus, hos quinquaginta dies, quod regio sit frigidior, ortum habere à vigesima Iunij, & finiri ad decimam Augusti, tametsi certus non possit assignari terminus. Nam nec quinquaginta dies vbique habet canicula nec vbique solum hos. Quid ergo melius quàm Hippocratem sapienter loquentem, sapienter interpretari? Quoties circa caniculæ ortum, seu antè seu pòst calor ardẽs & squalor vrget intelligere medicationes molestas futuras? Quę verò nugatur Brasauolus circa astrorum ortum occasum, quanto plura, tanto magis risum mouent. Quandoq; contigit mihi mirari, homines alioqui doctos & prudentes adeò insanire, vt ea scribant quæ in publicum proditura sint, nec nisi maximo cum rubore, nisi omnes artis auctores pereant. Ob hæc mecum dicere solitus sum, omnes homines nimia ambitione & φιλαυτία, stultos fieri. Quis cogebat, quis impellebat hunc virum tanta in hoc dicere loco, in ea arte quam facile quisque norit, cum nec à limine, vt dici solet, salutasset? cũ liceret multa ad propositũ ex arte adducere, in qua grauis certè & eruditus auctor est. Nõ hæc subieci, quòd hominem oderim: imò apud nullũ maior est quàm apud me, qui illius eruditionem, labores ac iudicium omnib. qui nostra ætate scripserint, mea sententia præferam: sed vt intelligãt legentes, quã facilè sit perire. Nã & secundum admittit errorẽ, volens non ad Antarcti cum polũ hæc accidere, cum magis æstiuo tempore quibusdam eorũ oriatur, est enim

Marginalia: Aph. 1. 14.

enim vltra æquinoctij circulum, & aliis atque aliis diuerso tempore oritur. Tertius error est, quòd putat hanc stellam non nisi augendo solis calorem hæc facere: quod falsum est, namque etiamsi non multum aër caleat, multi tamen quandoque morbi & perniciosi eo tempore contingunt. Nonne Hippocrates prohibet æquinoctij temporibus purgationes, cum tamen sint tempora temperata? vt in libro de Aëre, aquis & locis habetur. Nonne docuimus tres esse operationes astrorum: lucem, ex qua calor & frigus: motum & influxum, qui licet per primas qualitates operetur, aliud tamen ab illis est: Multa tamen recitat ex Plinio ad propositum, ex libro decimo-actauo: Sentiunt caniculam maria & terræ, multæque feræ, vt suis locis diximus. Neque est ei minor veneratio, quàm descriptis in deos stellis: accenditque solem, & magnam æstus obtinet causam. Et secundo libro: Cuius sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur, feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina mouentur stagna, orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu eius contra stare ac contueri, & velut adorare, cum sternuerit. Canes quidem eo toto spacio in rabiem agi, haud dubium est. Et infrà Aquilones biduo pòst flant quadraginta diebus, quos etesias vocant, & octo antè qui prodromi: hos moliri vapor solis geminatus ardore sideris. Et nono etiam libro: Fluuiatilium silurus exorto caniculæ sideratur, & aliàs fulgore sopitur. Hoc & in mari accidere Cyprino putant. Et alioquin totum mare sentit exortum eius sideris: quod maximè in Bosphoro apparet, algæ enim & pisces superferuntur, ab imò versa omnia. Et quartodecimo libro: Vina apothecis canis ortu mutantur quædam, deinde restituuntur. Hæc vt voluptatem afferrent ex illo intermista. Meminit & morborum euenientium ex Canis exortu, in quinto Epidemiorum, & in septimo eiusdem. Sed his omissis, quæramus duo. Primum, quænam sit stella hæc, duæ enim sunt in cœlo figuræ, Canis maioris vna, & constat decem octo stellis: quarum quæ in ore est fulgentissima, Regina stellarum dici potest, ob magnitudinem, pulchritudinem, candorem & splendorem: micat autem vehementer, vt, si vera sint quæ Aristoteles prodit, altissimo cœlo recōditam esse necesse sit. Hæc pulcherrima stellarum à Ptolemæo in Magna compositione appellatur, & Canis nomine configurationis dicitur: quam etiam caniculam quidam, vt stellam à configuratione distinguerent, appellarunt, sed verè canicula est Procyon, id est stella & ipsa primæ magnitudinis, sed non adeò fulgida & magna velut Canis, & ipsa Canis minoris configurationis, alterius scilicet: quam nescio quo modo Canem dixerint, cum solis duabus stellis constet. Atque id rectè à Fuchsio dictum, sed antea à nobis, & ante nos ab omnibus Astrologis. Laudo tamen diligentiam, & carmina illa Ciceronis ab eo citata non extra propositum.

Pag.9. Partic.3. Com.9.13. & 2.Cont. contrad.3. *Cap.28.* *Cap.42.* *Cap.47.* *Cap.16.* *Cap.18.* *In fine. In princ. & iuxta finem.* *Lib.8.*

Namque pedes subter rutilo cum lumine claret.
Feruidus ille Canis, stellarum luce refulgēs.
Hunc tegit obscurus subter præcordia vesper,
Ver toto spirans rabido de corpore flammam
Æstiferos validis erumpit flatibus ignes,
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.

Cæterùm & illud bene, quòd ob id medicationes difficiles sint his temporibus, à Fuchsio dictum est: & quod natura sit imbecillis reddita à calore, & corpus siccatum & calefactum, & humores extrà ferantur: vnde sudores multi eo tempore, medicamentum intro eos trahit, calefacit & siccat corpora, & naturam quæ nostrum regit corpus debilitat. Ideo non cauendum ab ea admonet, nisi cum vel vires fuerint imbecillæ, vel cum sine illa esse possumus.

APHORISMVS VI.

Graciles & facilè vomentes purgare superius, cauentes hyemem.

COMMENTARIVS.

Tres conditiones superius purgandi docet: easque hic vt quarto Aphorismo iungi possent, exponit. Ibi cur hyemem cauere doceat declarauimus: æstas optima est, sed licet etiam mediis purgare temporibus. Sed cùm in omnibus operationibus optima sit facilitas, tum maximè exigitur in his quæ laboriosæ sunt, velut vomitu. Ideo dixit, Facilè vomentes. Cur autem graciles? Quoniam plerunque biliosi sint, exponunt omnes cum Galeno. Et quamuis dicat Celsus, quòd vomitus nocet exilibus, & imbecillem habentibus ventriculum: exponunt Celsum de melancholicis, non autem biliosis. Sed verè videmus obæsos lædi vomitu, non autem ita omnes graciles: ob id gracilium conditio generalis est, non vt omnibus conueniat, sed non aliis. Duplex enim est: generale velut, & proprium, quòd omni, vt Grammaticæ esse scientiam: & quod nulli, vt in anima esse scientiam: non enim omne quod est in anima, est scientia: sed quod non est in anima, non est scientia. Videamus ergo cur pinguiores non sint prompti ad vomitum, etsi faciliter vomant, periculum enim est in illis de fractura venarum: omentum etiam pingue & ponderosa ventriculi substantia sursum trahitur: præterea eorum humores lenti sunt, & crassi. Itaque in pinguibus & obæsis nihil est quod suadeat vomitum. *Lib.14.*

Porrò quibus in casibus conueniat vomitus, partim declarabo ex secundo de Diæta, inquit enim: Vomitus attenuant propter cibi euacuationem, non autem siccant, si quis postridie rectè curet, sed humectant, propter replexionem ex colliquatione carnis à labore factam. Si verò quis sinat hanc consumi postridie, calore alimentum consumente, & victum sensim adhibeat, siccant. Ventrem autem compactum vomitus soluit, & egerentem plus quàm oportet sistit: illum quidem humectans, hunc autem siccans. Quum igitur *Pag.11.*

alunm

aluum quis sistere volet, auidè deuoratum cibum euomere oportet, priusquam humescat, & infrà detrahatur: & magis acerbis atque austeris eduliis vti. Vbi verò soluere aluum quis velit, plurimo tempore cibis immorari confert, & acribus ac salsis & pinguibus ac dulcibus tum cibis tum potionibus vti. Iam ergo vtilitatem habes, quam præbet in sanis. At in ægris, inquit, libro de Locis in homine: Vomitus, inquit, vomitum sedat, dum causam illius euacuat, & fluxionibus à capite conducit. Et infrà: Si quis homini vomenti aquam multam dare velit ad bibendum, eluentur ea propter quæ vomit, vnà cum vomitu: & sic quidem per vomitum vomitus sedatur. Ex indiciis autem malè administrati vomitus est singultus succedens, & oculorum rubor, vt habetur septima Aphorismorum. Administrabatur autem antiquo tempore sesamoide, vt habetur libro de Ratione victus in acutis: & dabatur cum aceto mulso. Differt ab oxymellite, quia sine aqua fit, & absque igne, vt colligitur ab Hippocrate. Plurimùm autem iuuat in duobus casibus, vel in morbis diuturnis membrorum inferiorum: licet Hippocrates tantum exemplum det de coxendicum inueterato dolore, in Coacis prædictionibus. Sic enim in podagra, arthritide, si spumosa educantur, quoniam fit purgatio & reuulsio simul, & ventriculi venæ, quod plurimum conducit, exinaniuntur: vel si materia ibi in ventriculo præparata sit. Ordo autem sic se habet. Primum, si cibus non vtilis: secundum, si cruditas: tertium, si bilis flaua: quartum, si pituita non hærens: quintum, si bilis assata, con nigra: sextum, si flaua bilis in atram conuersa: vltimò, si melancholia; ea enim propter pondus ægrè educitur: educitur tamen & in quartanis. Est & genus acidi humoris crudi, quod facilè educitur, & magna cum vtilitate, in quibusdam hominibus. Nam in eo effunditur a splene, maior tamen pars ex cruditate ob splenem eructantem generatur. Sed in repletione ventriculi ex cibis adeò necessarius est, vt Hippocrates consulat quandoque ter repetendum. Secundum auxilium pro vomitu Hippocratis valde bonum & securissimum, habetur libro de Internis affectionibus: constat melle, aqua, aceto, sale, in olla tepefactis, inde origano orientali, (cum Italico ne tentaueris) quod est gingiberi sapore simile: inde penna in os iniecta, inquit, vomitum prouocato, sed prius pannis multis integatur. Est etiam Hippocratis præceptum obseruandum, vt à vomitu os vino austero colluatur, & fauces, ne venæ ob laborem quicquam attrahant. Erat autem res adeò consueta vomitus suo tempore, vt in libro de salubri Diæta referat, homines quosdam solitos vomere bis in mense.

(Marginalia: Pag. 12. — Pag. 14. — Pag. 11. — Lib. 1. De veratri vsu. Pag. 1. — Pag. 3. — 1. De diæt. Pag. 5. — Pag. 17. — 3. De diæta Pag. 4. — Pag. 3.)

APHORISMVS VII.

VOmentes vero difficulter, & mediocriter bene carnosos: per inferiora, cauentes æstatem.

COMMENTARIVS.

QVòd hic Aphorismus sit deductus ex ratione contraria priori, satis perspicuum est. At non intellectam esse rationem illius à Galeno, neque alio qui illum secutus sit, satis perspicuum est. Nam & causam huius repetitionis prætermittunt: & cur etiam ex hoc non sequatur maximum inconueniens, non animaduertunt, scilicet nunquam æstate purgandum esse per inferna quenquam. Nam si hos qui maximè purgari non possunt, quippe vomentes difficulter, non vult æstate per inferna purgari, quos nam alios permittit sic purgari? Ergo primùm id sciendum, graciles purgandos esse per superna, quoniam per inferna læduntur, & ægrè purgantur ob musculorum ventris tenuitatem, vt etiam in secundo libro visum est. Atque hæc causa, & ea quam adduximus, potiores multo sunt, quàm dicta à Galeno, quòd biliosi sint graciles, & ob id superius purgandi: hoc igitur vt doceret, oportere esse mediocriter carnosos non solùm naturaliter, sed etiam ita relictos à morbo, nos in præsenti Aphorismo admonuit. Cæterùm quínam possint æstate purgari, nullos habita temporis ratione, sed ob morbum, hos ipsos quos hic connumerat solos, si necessitas vrgeat, at cum nihil ab Hippocrate, vel ipso Galeno teste, vulgatum dicatur, hic verò in tanta breuitate multominus, existimare oportet, illum hic voluisse aliquid non pertritum docere. id siquidem ergo erit, vt præcipiat purgandum per superna in priore, per inferna in præsenti: sed cauenda tempora aduersa. At si de sanis loquatur, absolutus & clarus sermo erit. vt sit sermo dignus Hippocrate hic: Graciles & facilè vomentes, quoties opportunum fuerit, vomitu purgabis, modò hyems non obstet: scilicet æstate, autumno & vere, bene carnosos autem, & difficulter vomentes, per inferna, modò non sit æstas, sed hyems vel ver aut autumnus. Si autem morbus exigat & vrgeat, sic euacuabis quocunque tempore.

(Marginalia: Aphor. 35.)

APHORISMVS VIII.

TAbidos verò, cauentes ad superiora purgationes.

COMMENTARIVS.

CVm docuisset graciles per superiora esse purgandos, videbatur etiam tabidos idem facere debere, quoniam hi graciles maximè esse consueuerunt: monet igitur nos, ne hos graciles intelligamus tabidos, sed illos excipiamus. Nam per graciles intelligi debere docuimus, circa inferiora & ventrem: tabidi autem superioribus partibus magis gracilescunt. Hìc quid Hippocrates per φθινώδεας significare voluerit, Galenus non intellexit, sed cæcutiendo diuinauit, morbum scilicet phthoëm & paratos

interpretando: quòd si ad sequentem contulisset, haud dubiè sensum percepisset. Quamuis enim ad corporis constitutionem tabidam necessariò sequatur, si verum sit in ea, multo magis etiam in iam tabidis id vereri: non tamen contrà. Itaque multum hoc refert, an intelligat de constitutione, an de morbo. Siquidem de morbo sub gracilibus etiam tabidi, id est ad tabem inclinati continebuntur: purgaríque per superiora debebunt, sin autem corporis constitutionem, secus. Ego, vt vera dicam, credo potius de constitutione loqui. Nam & in sequente Aphorismo melancholicos vocat, qui multo humore nigro abundant, non eo morbo laborantes. μελαγχολικοὺς enim appellat, insaniam verò μανίαν, vt in Epistolis, & Prædictionum primo, μανικὰ, id est insaniam: ἐκμανεῖσα, ex insania. Tum etiam quòd primo Epidemiorum Galenus per φθινώδεις, ex mente Hippocratis, eos qui sunt angusto thorace atque restricto, vt à tergo ad instar alarum promineant, operta scoptula, & quibus caput facilè impletur, ac destillat humorem in pulmones & thoracem, vel etiam ad fauces. Verùm màgis dico, si cũ his humor illeacris sit, aut salsus, aut fœtidus, & si collum tenue sit & faciei color liuidus aut fuscus citreúsve cum maxillis rubentibus, ac quasi lucidis: & anima tristis, & quæ minimis ex causis afficiatur & irascatur: tum verò corpus vniuersum aridum, & non solum pinguedine, sed carne destitutum. Vult ergo Hippocrates non obæsos, nec contabefactos nimis aut angusto pectore ad vomitum esse ducendos: sed mediocriter graciles, pectore tamen lato. Præponit ergo primùm compositionem & temperaturam, vt in sequenti Aphorismo: inde facilitatem ac tolerantiam, aut difficultatem: pòst, habitum corporis gracilem vel obæsum: demum tempus anni, vt hæc omnia sint quatuor.

De atra bile. Pag.2. Par.1. Com.18.

Animaduertendum est etiam, tabidorum formam pro constitutionibus variari, quod Hippocrates nos docuit tertio Epidemiorum, dicens: Forma tabidorum erat leuis, subalbida, lentis colorem referens, subrubra, raua, pituita alba referti, scapulas alarum modo eminentes habentes, & mulieres sic, neque enim omnes tabidi, tales sunt. Est etiam tabes dorsalis, de qua in secundo de Morbis: at de ea non est intelligendum, cum statim medicamentum sursum purgans exhiberi iubeat. Vnde etiam clarius habemus, illum de constitutione corporis potius quàm morbo intelligere.

Const.3. Pag.4. — *Pag.17.*

APHORISMVS IX.

Melancholicos autem plenius per inferiora, eadem ratione contraria apponentes.

COMMENTARIVS.

Cvm locutus esset de constitutione tabida, quæ ad compositionem potius pertinet: hìc subiecit de melancholica, quæ magis ad temperamentum. neque hunc Aphorismum intellexerunt, nec verba illius connectere potuerunt. Verùm explet iam quintam conditionem, in eligendo modum purgandi obseruandam, postquam illum superiori continuauit. In vtroque enim de constitutione corporis locutus est. At quinta conditio pertinet ad humorem, hunc ex constitutione melancholica deducit, vt priori, velut dixi, sermoni connecteretur. Docet nos duo, scilicet humorem non solùm, velut reliqua quæ in præcedenti commentario connumerauimus, partem per quam euacuandus sit nobis præscribere, sed etiam medicamenti robur. Vt enim bilis flaua debili, ita melancholia potenti medicamento educenda est. Propterea subiecit illa verba, contraria eadem ratione apponentes: non vt comparet ad dicta. neque enim locutus est antè de vlla euacuatione humoris specialiter: nec decebat longius referre Aphorismum, cum in præcedenti locutus sit de tabidis. Esset hic sermo, quasi tabidi melancholicis aduersarentur. Sed in hac quinta obseruatione ne cogeretur, vt de tempore anni, corporis constitutione, habitúque plures facere Aphorismos, subiecit illa verba: nos admonens, vt intelligeremus flauam bilem per superna, & leui medicamento expurgandam: similiter & tenuem pituitam, velut bilem flauam: crassam autem, velut melancholiam. ita & aqueum humorem semper, si in ventriculo redundet, per superna, & vomitum & leui medicamento purgabimus. Loquitur autem de vera melancholia naturali vel exusta. nam fit tertia ex cruditate, vt apud Aetium, quæ non magis commodè quàm vomitu excernitur. *Lib.1.c.9.& alibi.*

Circa validorum medicamentorum exhibitionem videtur etiam occasio ex aquis stantibus, vt in libro Aëre de aquis & locis: vbi docet Hippocrates, quòd qui bibunt huiusmodi aquas, non purgantur, nisi à validis medicamentis: ideo tales aquæ efficiunt habitum melancholicum. Est etiam alia causa necessaria intellectu ad Aphorismum, & à Galeno prætermissa, atque aliis, quod scilicet huiusmodi homines habent omnia viscera frigida: & ideo non solùm humorem melancholicum excernunt difficulter, sed etiam ipsas fæces, nisi adeò frigida intemperies inualuerit, vt leuitatem patiantur intestinorum, & tunc ad ascitem conuertuntur, & metam sanorum corporum excedunt. Sed dices: Medicamenta valida non sunt nisi validis corporibus, & in validis morbis exhibenda, libro de locis in Homine. Et assignat causam vtriusque, & sunt quatuor membra diuisionis. Si enim validis in morbis debilia medicamenta dederis, morbus non transmouetur, quamobrem, inquit, augetur: imò dicit, nec partiendo idem efficies: contra illos qui nunc exercent medicinam, nam à nulla parte morbus propulsabitur, quare morbus augebitur. Reliqua membra diuisionis, vt manifesta, reliquit: velut, quòd natura imbecillis à valido medicamento euertitur: morbus imbecilli in oppositum transmutatur. id tamen antea ex parte declarauerat, dicens. Medicamenta debilia

Pag.4. — *Pag.15.* — *Pag.11.*

debilia debilibus, valida validis sunt exhibenda. Postea verò comparat morbum cum natura his verbis: Si quis in morbis quid permutaturus est, valido quidem ægroto, debili autem morbo, tum quidem confidenter fortiore quàm morbus sit, medicamento vtendum est. Nam etiam si quid de Pag. 11. sano abducat vnà cum debili & ægroto, nullum detrimentum est. Si verò morbum validiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis ipsum curabis, quæ Pag. 8. morbum superent & abducant, ægrum verò ipsum nihilo debiliorem reddant. Porrò quinto Epidemiorum dedit exemplum de Euboeo adolescente, qui ob medicamentum imbecille, quod non mouit, mortuus est: & duobus aliis, quæ ex superflua purgatione etiam periere. Præcipuè autem docet duo detrimenta medicamentorum: calefacere caput, Pag. 12. & febres accedere, libro de Locis in Homine.

APHORISMVS X.

Medicari in valde acutis, si materia turget eadem die. tardare enim in talibus, malum est.

COMMENTARIVS.

Ex valde acutorum morborum natura, & turgente materia, elicit regulam ipsa die medicandi. Acutos morbos, dixit in secundo libro, Aphor. 23. quatuordecim in diebus finiri, at in libro de Carnibus: Acutissimi morbi aut septenario numero dierum, aut eorum dimidio iudicantur. Diximus & suprà de his. Pag. 7. Ergo Hippocrates noxam & vtilitatem considerat. Si quidem noxa est, quòd medicamentum excalefacit, quòd cum labore educit, cum materia non sit præparata. Ex quo Com. 24. patet, Galenum prima Aphorismorum nouam & perniciosam doctrinam inuehere, dum vult humores præparare, cum periculum sit in mora, ne decumbat in aliquod membrum principale. Secundum, ne penitus ingrediatur, nec reuelli possit. Tertia vtilitas, quam ex celeritate consequimur, est, vt motu illo naturali adiuuemur: sæpe enim contingit, vt materia mobilis breui in vno loco quiescat. Quarta, quòd vires statim ab initio sunt validissimæ. Construitur 1. Aph. 19. & alia ratio sic: Cum morbi inchoant, si quid videtur mouendum, moue, cum verò initium morbi valde acuti pertranseat, persæpe in ipsa prima die: igitur si mouendum est, eadem die statim mouere oportet: mouendum est autem, turgente materia. Id verò primùm de vomitu, deinde purgante medicamento intelligendum est, vt quinto Epi-Pag. 9. demiorum: Sursum in exacerbationibus ipsis purgare oportet, tunc enim etiam sua sponte eleuantur, quum anxij & capite gra-Pag. 4. uati fuerint. Et suprà de Antimachi vxore: Videbatur superuictura fuisse, si aquam bibere potuisset, ac statim vomere antequam deglutisset.

Porrò ex huiusmodi Aphorismo hæc excipiuntur. Primùm, quòd oportet medicamentum esse velocis purgationis, tria autem ille præposuit principalia: ad bilem flauam, scamonium: ad nigram, elleborum: ad pituitam, colocynthidem: oportétque illa cum odoratis miscere, quæ iuuant medicamenti opus, humorem attenuant & discecant, ac noxam quæ ex purgatione accidit, emendant. Secundum, quod vbi prima die non contigerit posse purgare, debemus considerare super omnia, an materia iam decubuerit, an adhuc sit in motu: & si est in motu, debemus adhuc purgare, tanquam essemus in prima die: propterea dixit, Tardare enim in talibus, malum, non dicit, mortiferum, aut prohibet nos ab instituto. Quòd si iam decumbere cœperit, vel ad membrum principale, vel principali proximum, vt pectus, pulmones, vesicam: tanto validiore medicamento vti decet augendo quantitatem, quanto longius à ventriculo desederit humor: & quanto loco periculosiore & maiore quantitate, & quanto diutius iam resederit. At si loco non periculoso, vt in adenes, quod optimum est, aut in articulos, iubet nos Hippocrates à medicamento abstinere, libro de Affectionibus, ibi enim de eo Pag. 10. & de regio morbo sermonem habet. Manifestum est autem, quod prima die prorsus abstinere à cibo debent, medicamentis enim validis purgandos ieiunare pridie iubet Hippocrates. Quomodo autem dignoscantur morbi acutissimi, si cum febre fuerint, docuit quarto Epidemiorum dicens: In acu- Pag. 5. tissimis febribus pulsus maximi atque densissimi. An verò etiam intelligendum sit de morbis qui sine febre sunt, velut sideratione ac doloribus huiusmodi? Respondeo: Dolores hos, si mobiles sint, & à flatu, non conuenire. Quidam enim imperitus medicus sic peremit ægram ipsa die, cum nec flatui nec medicamento exitus relictus esset. At si ex humore qualiscunque morbus sit, modò spes sit posse purgare: quanto magis facere debemus, cum nihil obstet eorum quæ in febre timemus incommodorum, præcipuè calefactionis & imbecillitatis virium? At de morbo attonito cum iam inuasit, neque spes est posse educere, neque materia illa fluctuat, nec turget: sed quàm primùm vt visum est, superius decumbit in cerebrum, vel cor aut venas iugulares, vel cordi proximas: ideo clysteriis potius ac sectione venæ, Pag. 3. si spes aliqua supersit, opus est, quàm medi- Aphor. 13. camento deorsum purgante. Nam vomitu haud dubiè magis iuuarentur: sed palam est, tales omnino vomere non posse. Et qui ex eis semiattoniti vomere potuerunt, omnes plenè seruati sunt.

APHORISMVS XI.

Qvibus tormina & circa vmbilicum dolores, & lumborum fatigatio, quæ neque medicamento, neque aliter soluuntur, in aquam inter cutem siccam firmantur.

COMMENTARIVS.

IN Coacis prædictis loco περὶ τὸν, quod est circa, scribitur ὑπὲρ, quod est suprà, & verius, nam hic morbus vitio ventriculi, vt animaduerti sæpius, velut ascites iecoris, oriri solet. *Pag. 12.* Quòd ibi scribatur solùm, Neque medicamento, idem est ac hic, Neque medicamento neque aliter: quoniam medicamentum purgans, ibi medicamentum quodcunque intelligit. *Pag. 20.* Eò etiam tendit quod scribitur: In hydropico sicco sui significationem præmittente tormina circa tenue intestinum incidentia mala sunt. *Pag. 19.* Et antea: In hydropicis siccis vrinæ stillicidia mala. Quòd verò πόνοι pro doloribus interpretari debeant, haud absurdum: tum quod nullam possit hoc verbum aliam interpretationem verisimilem hic habere (quanquam per se labores potius significet) tum quod frequens experimentum his qui artem diu exercuerunt, palàm attestetur. Cum verò ventris tunica exterior sex partibus constituatur: epidermide, cuticuláve, & cute, pòst pinguedine, inde carnosa membrana, quam siphac Arabes vocant: inde musculis, pòst peritoneo Græcè, Latinè abdomine, Arabicè mirac: quandoque inter cutem & membranam carnosam, quandoque peritoneon, quandoque inter vtranque membranam aqua colligitur: húncque morbum vocant Græci hydropem, nos aquam intercutem. Sed nobis propriè hæc est aqua intercus, non autem communis vt hydrops: sed defectu nominis etiam eam aquam quæ in concauo & inani, quod inter peritoneon & omentum iacet, Arabes vocant zirbum, vt apud Hascen seu Principem habetur: *22. Tertij. Cap. 1.* vocamus etiam aquam intercutem, quoniam hydrops Græcè dicitur. At hydrops Græcè non eam ambiguitatem parit, quamuis de pluribus morbis dicatur, quam aqua intercus apud Latinos. Neque enim ascites est aqua sub cute, sed sub peritoneo. Et plurimum differunt aqua intercus vera, quæ extra peritoneum est, & secura sui natura, & similior œdemati, nisi quòd si scindatur, aqua citrei coloris profluit: in œdemate nihil, aut alba pituita & glutinosa. & hoc hydropis genus ob id leucophlegmatiam Græci vocant: & ascitem, quæ multa cum aqua est inter peritoneum & omentum, & ad intestina penetrat, & viscera vrit, & morbus est penè insanabilis. Porrò tunica illa carnosa, vt & pinguedo, penè communis est toti corpori, & quibusdam in locis crassior, & valde conspicua, velut collo, fronte & faciei partibus, vt à Vesalio habetur. *Lib. 2. ca. 5. 6. & 24.* Ergo cum cutis impletur ea aqua, etiam ad crura penetrare solet, & vt dicebat Hippocrates quarto de Morbis: *Pag. vlt.* Cum materia penetrare potest ad inferiora, implentur crura: cum ad superiora, facies & pectus: aliter in ventre tota colligitur. Aër ergo collectus inter peritoneum & omentum, cum non possit penetrare, sæpe efficit vt in tympanite (hoc enim nomen à similitudine obtinuit, vt ait Galenus) vt corpus totum reliquum sanum videatur, nec tumescant crura aut pedes vel facies, vt in ascite, quæ sui grauitate & qualitate magis humida penetrat ad has & illas partes, & etiam putrefacta coctionem iecoris plus vitiat, & habitum corrumpit. Qui etiam sint lumbi, *Par. 3. Aph. 23.* superius docuimus: quos dicit ἄλγημα inuadere, id est ægrotare, vt in expositione de linguis Hippocratis Galenus docet, non dicit dolore, sed est fatigatio quædam, & morbus. Turpe enim fuisset idem significare, tam propè positis diuersis verbis, cum potuisset per πόνοι aut ἀλγήματα tantùm vtrique satisfacere. Quis enim apud nos ita loquatur, pes dolet & manus laborat: vt intelligamus idem per laborare & dolere? & non potius tunc dicat, Pes & manus dolent? hoc enim vix pædagogo puerulos docente dignum esset. Quid & tormina, dicemus inferius. Ergo reliquum est vt videamus, cur *Aphor. 20.* hunc Aphorismum inter tam multos qui de purgatione loquuntur, Hippocrates posuerit? vt ex ordinis ratione sententiam, vel ex sententia ordinem intelligamus. Deinde cur hoc ex antedictis eueniat, & num aliqua arte possint seruari. Palàm est enim huiusmodi morbum esse insanabilem, qui sic fiat: quandoquidem antequam fiat, non possit prohiberi, cum factus erit, quomodo curabitur? Videtur autem, vt antea causam docui, maximè hic morbus fieri vitio vêtriculi, cum tabefactus ac refrigeratus, iecori calido oppositus fuerit: ob id & in hoc casu visus est à me sæpius, & post febres acutas omnino perniciosus, dum ventriculum frigidis potionibus & medicamentis purgantibus, & maximè iecur calefaciendo consumunt: velut cum illa sua hiera simplici Galeni, & aquis destillatis ex plumbo. Tertium genus, quod vidi, ex suppressione mensium accidere solet: cui si quis occurrat, citò sanari possunt. Vidi etiam quasdam fluxu ventris multis annis iam confirmato affectu sanatas: quarum vnicum præsidium est assidua exercitatio, & breuis peregrinatio, sed frequens. Quòd si per medicamenta vtinam ducentia, quod optimum est curationis genus, euacuetur tota aqua, inde exuratur pars affecta siue iecur siue lien siue renes, aut imũ ventriculi, Hippocratis more, vt suo loco diximus: spes est sanatos iri infirmos, nisi attritus sit ipse ventriculus seu tabe, seu villorum raritate. Semper enim cum illo flatu in imo ventris aliquid aquæ residet. Persæpe verò ita iunguntur, vt sub quo genere sit hydrops, discernere queas. Atque hæc propè est insanabilis, vt quæ cum aqua vix vlla est, facilius senatur, non enim potest flatus ille seruari semper, nisi & reclusa sint vndique loca, & fomes adsit. Propterea multi inflationem ventriculi diutius ferunt, & similiter dolores intestinorum ex flatu: quia his infrà, illis suprà flatus exitus patet. Cùm ergo hæc contigerint, nec medicamento soluuntur, materiam non esse in causa ostendunt: cum autem nec fomentis nec vnctionibus, nec theriaca ac similibus, signum est intemperiem confirmatam esse. Genito igitur sæpe flatu ob dolores, hoc enim signum, & successu debilitatis membris iam in morbum deueniet, qui sibi mutuam opem afferet: de quo libro de Ratione victus in acutis agit, ob idque in hydropem siccam transit: tum

Pag. 4. 5. 6. maximè, quòd (vt rectè dicebat in libro de Flatibus) morbi fermè omnes à flatibus fiunt. Collocauit autem hunc Aphorismum hic, vt intelligeremus, eos qui sic purgantur, lædi: vt sit vnus eorum, qui nos admoneat, abstinendum esse à purgatione per inferiora, sicut sequens per superiora. Propterea inquit:

APHORISMVS XII.

QVorum alui intestinorum leuitate laborant, hyberno tempore suprà purgari, malum.

COMMENTARIVS.

COnuenit & hic cum præcedentibus, vbi de purgatione per tempora anni loquitur. Fit aut leuitas intestinorum & ventriculi vitio, quia incoctum chylum illa retinere nolunt, & proprio etiam eorum, vterque modus & ex intemperie & ex humore acri & mordaci, & ex frigida & crassa pituita, & ex vlcere fit: vt sint octo modi. In singulis id accidit, vt cibus incoctus deiiciatur. Tametsi enim intestina parum trahant, & ventriculus sit incolumis, nihilo secius ex consensu non perficitur coctio. Nam vt liquet ex dissectione, tunica vna est. Ergo quamuis, vt superius dictum est ex libro de Locis in homine, præstaret, vbi materia in ventriculo contenta in causa esset, vomitu illam educi, vt etiam secundo de Diæta: de spontaneo etiam clarum est primo de Morbis, & sexta Aphorismorum: nihilominus dicit, si hoc fiat hyberno tempore, malum erit. Quanto deterius, si ex alia è sex quæ supersunt dictis contingat? diximus autem suprà causam huius, cur adeò reformidet vomitum in hyeme. Certùm est, de euacuatione ab arte facienda hic loqui, sed de spontanea non est locus vt disseramus, sed in sexto libro. At verò leuitatem intestinorum Arabes lienteriam vocare solent. Quòd si dum morbo laborant, id malum est: quanto deterius in paratis solum? Itaque & si hyeme vomitum, æstate purgationem per inferna deuitet, longè tamen magis vomitum: hyeme quàm purgationem æstate refugit: vnde & de hoc plures scripsit Aphorismos. Porrò de intestinorum læuitate quæ supersunt, in aliud tempus reiicimus.

Pag. 14. Pag. 11. Pag. 4. 15. Com. 4. Lib. 6. Aphor. 1.

APHORISMVS XIII.

AD elleboros qui non facile suprà purgantur, eorum corpora ante purgationem pluri cibo atque quiete humectanda sunt.

COMMENTARIVS.

QVatuor perpetuos Aphorismos de elleboro scribit Hippocrates, hunc scilicet, & tres sequentes, in hoc autem loquitur de albo: nam nigrum propriè per inferiora purgare solet, quanquam & ipsum vomitum cieat. Intelligitur autem de omnibus quæ vomitu purgare possunt, velut nuce vomica, & daphnoide seu laureola, vt vulgus vocat, & aliis huiusmodi. Vocatur autem elleborus à Græcis, veratrum à Latinis. De modo exhibendi scripsisse referunt Philonidem Siculum Ennensem. Sed nobis sufficit Galeni formam præscripsisse, ex libro cuius titulus est, Quos purgare cōueniat. In raphani radices, oliuæ ligno aut arūdine perforatas drachmam aut sexquidrachmā radicum ellebori intrudes: has in oxymelite per horas 24. infundes, inde radicibus abiectis oxymel ipsum dabis. Constat autem hoc medicamētum optimum esse, cum raphani radices dissecent strenuè lentos ac crassos humores, attenuéntque simul & oxymel, vímque medicamenti veneficam retundant. Tria autem necessaria sunt corpus purganti: medicamenti, humoris, & corporis præparatio. Atque hæc adeò generalia ac certa, vt nunquam sint prætermittenda. Hic ergo de corporis præparatione agit, cum de humore aliàs egerit. 1. Aphor. 22.

Sunt autem quatuor Aphorismi continui de elleboro: atque in hoc primo de albo solo loquitur, tum in sequentibus, nam ellebori nomine album intelligitur. Docet igitur hic corpus præparare ad purgationem non naturalem, scilicet vomitum. Sed tamen quæ hac ratione naturalis dici possit, quatenus cuilibet membro hoc naturale inest, vt expellat quod ei noxium est. Iubet igitur nos corpus ipsum præparare: verùm præparatio hæc ab instrumento, scilicet ventriculo, sumenda partim est: partim à totius corporis dispositione. Ab instrumento siquidem aliàs non docuit, cum dixit: Qui consueti solitos labores ferre. Itaque cum vomitus ex helleboro violentus sit, vt suo loco videbitur, oportet paulatim illi assuescere cum leuibus medicamentis quæ vomitum prouocant, qualia sunt ius pingue cum oleo, hoc enim est innocentissimum. Post anethum decoctum & radix peponis arida cum aqua mulsa, vel betonicæ radix & agaricus: Elacterium verò, & succus ebuli, aut sambuci helleboro adnumerari possunt. Sed hæc mutari solent, quamuis valde generalia sint, iuxta regiones & secula: at ratio propria manet. Ea autem est, quod pinguia leniter mouent vomitum, quia supernatant & fluctuant: ideóque titillant, & os ventriculi irritant. Quæ verò vehementer irritant, sunt, quæ vim purgandi habent, sed omni astrictione vacant, & naturæ inimica sunt: vt helleborus albus, laureola, electerium, nux vomica. Et forsan quòd inimicitia quadam naturæ id efficiunt: nam venena omnia vomitum prouocant. In vniuersum, cum talia sint immodicè sicca & calida (nam helleborus in tertio genere calidorum est) & præterea violenta corporis præparatione indigent, tum per assuetudinem vomendi cum facilibus, tum cum his quæ humectant: qualia sunt pinguia & iura, maximè castrorum, & quiete, & cum dixit, Pluri cibo: non qualitatem, vt sæpè dixi, nos intelligere voluit. Et hæc de purgandis. Nam qui non sint per vomitum purgaudi, antea docuit. In quibus autem talis purgatio conueniat, nunc explicandum, si cætera conueniant in omni articulorum

2. Aph. 49. 5. Aphor. 1.

culorum morbo, & rerum, & vbi materia frigida in ventriculo sit. Præsupponit etiam generalem corporis præparationem, scilicet vt viæ sint apertæ. Scribitur alibi hic Aphorismus ab Hippocrate. Præparanda autem sunt corpora, tum quia vehemens est purgatio, tum quia medicamentum violentum est, tum quia purgandi modus præter naturam est.

APHORISMVS XIV.

CVm biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad somnos verò, atque quietem, minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

COMMENTARIVS.

QVamuis, vt dixi, de solo albo helleboro sit sermo, tamen transferri potest etiam ad nigrum: nec de præparatione corporis ante sumptum helleborum, vt in priore, sed post, sermonem habet: extenditúrque, quod exemplo docuit de helleboro, ad omnia medicamenta quæ per aluum purgant, aut etiam per vomitum. Vtitur autem hellebori exemplo, quod per vomitum & aluum ducat, licet diuersis generibus, nigri enim proprium est, aluum subducere: vt albi, per vomitum, Dioscoride autore, éstque medicamentum potens. Nec existimes, vt Galenus & reliqui, qui Hippocratem faciunt nugacem, docere illum quónam pacto opus medicamenti augendum sit, hoc enim & quomodo sistere oporteat, in sequenti edocebit. Alienum enim est ab Hippocratis grauitate, non solùm bis de eadem re verba facere, in tam breui præsertim interuallo: sed etiam in altero de purgatione augenda, scilicet in præsenti, in reliquo de cohibenda sermonem habere. Quin potius hîc dicemus, Hippocratem loqui de commoda purgatione, ac facili, & quomodo celer & minus molesta fiat: in sequenti autem, de augenda producendáque ac cohibenda. Neque nobis, vt aliàs diximus, vitio vertatur, quòd Galenum iustè reprehendamus, vt Hippocratem iniustè accusatum tueamur.

Lib. 4. ca. 45. & 146.

Iubemur itaque helleboro assumpto corpus mouere: sed quali motu, exemplo declarauit (non enim omni:) deambulatio enim fatigat, & quandoque impedit: sed qualis est nauigatio, sic vt corpus moueatur, non vt se moueat, velut gestatione & cunis. Etenim cum equo haud tutum videtur. Somnus igitur incommodam purgationem reddit: media est vigilia, quæ cum quiete fit. Somnus enim omnem cohibet euacuationem præter sudorem, teste Galeno: helleborus autem, teste Dioscoride, omnes humores purgat tam albus quàm niger, sed niger propriè nigram bilem: purgátque peculiariter cerebrum, & sensus eo modo acuit. Cui similis est agaricus, sed aliquanto mitior, etiam si helleborus niger corrigatur. Propterea omnibus medicamentis purgantibus hæc duo longè præstant. Cum verò vt commodam faciant euacuationem, æger, & ante sumptum medicamentum, & post sit præparandus, idem de medicamento censet Hippocrates. Vtriusque pondus est drachma: sed agaricus vsque ad duas drachmas vtiliter datur. Veratrum in aqua madescit: inde abiecto ligno, cortex radicis in vmbra siccatus tunditur, & cum passo datur, vtrunque horum, scilicet nigrum (nam de eo nunc est sermo) & agaricus, sanguinem purgare ab omni fece potest: & morbis grauissimis, elephantiasi, lepræ, spirandi difficultati, comitialibus, hydropicis, morbo regio laborantibus auxiliatur. Cúmque nigri veratri tres sint species, solùm id probatur, quod florem mittit purpureum, & in montibus nascitur: sicut ex agarico candidum admodum ac leue, quódque solo tactu in puluerem tenuissimum soluitur, absque lignis: dulce primo gustu, inde amarum. Non statim autem motio adhibenda est, sed postquam in ventriculo sedem fixerit: aliter nihil plus assequeris, quàm vt medicamentum, non humor euomatur. Si igitur ab assumpto medicamento dormiat etiam vsque ad secundam horam, non vltrà, haud lædes. Quo verò medicamentum leuius est, ac imbecillius, eo motus commodiorem purgationem reddit. Quare post rhabarbarum, quod medicamentum tertio loco est, & vndequaque innoxium, licet bilem nigram purgare non possit, motus magis est necessarius. Et quamuis ita sit quies, tamen & somnus prolixus minus nocet. Rhabarbarum autem in biliosis febribus, frigidis & humidis medicamentis mistum, vtilius est agarico, & multo securius veratro nigro, nam album in talibus febribus nefas est. Omnibus his commodè flos nymphææ, si quid aliud, admiscetur, refrigerat, humectat, cordi prodest. Quarto loco colutea est, quam senam vocant, sed ventriculo inimica: purgat sine noxa vtramque bilem. Multo autem magis ad vomitum necessarius est motus, quàm ad purgationem.

APHORISMVS XV.

CVm volueris magis ducere helleborum, moue corpus: cum verò sistere, somnum facito, & non moueto.

COMMENTARIVS.

SI quis prorsus non cæcutiat, intelliget Hippocratem, ex solo loquendi modo, hic demonstrare quid agere debeas, dum alterutro opus est: in præcedenti autem generali præcepto vtitur. Inquit enim in præcedenti: Cum biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, supple expedit, non dicit, Si vis vt purget, sed generaliter seu parum seu multum purgare volueris, modò commodè. In hoc verò, dum vis augere purgationem, mo-

tum iniunge: cum verò inhibere, quietem ac somnum. Hæc adeò clara sunt, vt pluribus verbis opus non sit. Hoc solum diluamus oportet, quod meritò quis possit obiicere: scilicet, quòd si commoda debet esse euacuatio, mouere corpus oportebit: igitur & magna erit, nulla igitur exigua commoda, verùm facilè soluitur. Motus commodam & facilem facit euacuationem, si tamen breuis sit, erit quidem commoda, sed pauca. Ita si quieuerit, postquam euacuatum fuerit corpus, non incommoda erit euacuatio: sed non amplius euacuabis. Si autem ab initio dormierit, erit parua & difficilis euacuatio. Atque ita clara est Hippocratis sententia. Somnus & quies opportuno tempore prohibent euacuationem: importuno autem difficilem, & paucam reddunt. Loquitur autem non solùm de omni veratro, sed etiam valido medicamento, declaratum enim est à Galeno, omnia talia facultate calida esse, & sicca. Galenus verò de solo albo interpretatur, quòd hellebori nomine, sine adiectione, existimet solum album intelligi ab Hippocrate.

1. Aph. 22. Censet igitur, ita adiuuandam vel comprimendam medicamenti vim. Sed videntur septem esse, quæ hoc faciunt, atque hæc sunt: Primum est, astrorum dispositio, nam si luna fuerit in ruminantibus signis, quæ sunt Aries, Taurus, & Capricornus, medicina facilè euometur, aut nauseam magnam mouebit. Et si vomitoria sit, per vomitum melius educet. Si in signis fixis, maximè Tauro & Leone, vel Saturno & Ioui iuncta aut opposita, vel in radiis trigonis eorum, vel quadratis, vel cum Planetis stantibus, maximè siccioribus, vt sunt Saturnus, Mars, & Mercurius occidentalis, parum aut nihil educet: contrà applicata velocibus, & maximè humidis, vt sunt Iupiter & Venus, ac stellæ ex earum natura, ac in signis mobilibus, quæ sunt Aries, Cancer, Libra & Capricornus, augebitur opus medicinæ purgantis. Et similiter Planetæ ascendentes ad absidem, & retrocedentes, si luna eis applicet, aut in angulis sint, vomitum prouocant, nauseámque excitant, Secundum est ex constitutionibus aëris: nam siccæ omnes opus medicamenti minuunt. Calor quoque maximus, dum humores auocat exterius, & frigus magnum congelando opus medicamenti sistunt & minuunt, & ob id etiam ventus, quia siccat, multum impedit medicinarum purgantium opus. Primam causam Hippocrates, vt extra artem, omisit. Secundam attigit superius. Tertium, est præparatio corporis, de qua hîc & in secundo libro egit. Quartum, est dispositio humoris, de

Aph. 5. qua in primo actum est, nam & coctionem & præparationem humor, qui sic educendus est, exigit, Quintum, est natura hu-

Aphor. 9. moris, atram enim bilem & melancholiam

Aphor. 22. non nisi maximo labore, aut in parua quan-

& 14. titate educere licebit. Atque de hoc dixit,

1. Aph. 23. deiectiones non multitudine esse æstimandas. Sextum, est corporum proprietas, nam rustici & incolæ montium non facilè purgantur, nisi à validissimis medicamentis: ciuiles homines, & in humidis locis habitantes, facilius soluuntur. Septimum, est medicamenti electio, aut iuxta genus, velut helleborus candido aut vario flore nihil fermè operatur: aut si sit natus in vmbra, & locis humidis, & regione frigida, vnde helleborus natus apud nos, vt robore plerunque vacat, ita etiam noxa. Sed & modus colligendi, & si sit antiqua radix, aut nimis noua, aut exesa vetustate, postquam collecta fuerit, aut carie, aut in pauca quantitate, nemini dubium est quòd inualidis erit viribus. Contrà, quæ calorem augent & attenuant, iuncta medicamentis, illorum opus iuuant, & noxam minuunt: qualia sunt aromata. Hippocrates horum meminit partim, partim nota esse existimauit. De corporum autem natura in libro de Aëre & aquis actum est, licet non propriè adhuc finem.

Finem facerem, nisi occurreret dubitatio non leuis, nam ex dictis nullus veratri aut agarici vsus videtur. Cum enim omnes purgent humores, & fermè æqualiter & rarò peccent omnes humores: igitur cogetur, qui dederit veratrum, euacuare cruda, & similiter agaricum. Dico quòd medicamentum moderatum trahit humorem concoctum, absque molestia trahit: cum verò traxerit cum molestia, melius est vt non trahat: túncque docet Hippocrates, sistere somno & quiete. Sunt etiam alia, quæ vim medicamenti sistunt, non minus quàm somnus & quies: quæ Hippocrates prætermisit, quia non erant generalia auxilia. In Aphorismis autem docet solùm generalia auxilia. Propterea è re esse existimo, vt etiam propria subiungam. Hippocrates ipse iubet dari vinum fuluum, & substantia tenue tum ante tum post balneum, hominémque in balneum demitti, quod & Aëtius expertum se testatur. Vehementes verò purgationes etiam iuribus pinguibus cohibebimus, & absinthij decocto, vbi vomitus adsit, tum cucurbitulis & frictionibus. Lib. 3. c. 117.

Non prætermittam generalem quandam omnium medicamentorum præparationem. In mel purum, ac (vt dici solet) virgineum, coniicito medicamentum in puluerem redactum, & per sexaginta dies misceto in vmbra: demum mel reiiciet medicamentum totum, vt ne vestigium remaneat, auferto quod spumam referet singulis diebus donec planè purum reddatur, hoc vim & præparatam retinet, & substantia caret medicamenti, & gratum gustui est, ac facile. Poteris, si libet, & odorata & gustui iucunda alia immiscere, seu cum miscentur, seu pòst: mel enim omne leue reiicit.

APHORISMVS XVI.

Carnes sanas habentibus helleborus periculosus. Facit enim conuulsionem.

COMMENTARIVS.

NOn per Iouem helleborus periculosus, propter vehemētiam purgationis, nam scamonium non parum plus purgat quàm veratrum, neque tamen conuulsiones facit, neque etiam solùm quia vomitu purget, cum oleum, anethum, & multa huiusmodi quæ vomitu purgant, fermè innoxia sint. Sed si hæc quatuor iungantur, patebit causa, cur helleborus periculosus sit. Sanum corpus, cui omne medicamentum difficile, affirmauit antea esse: medicamentum vehementer purgans, & per vomitum: & quòd qualitatem prauam habeat. Accidit enim medicamentis, quod & equis, quidam enim cum parum itineris agant, multum concutiunt, quos tortores appellare solemus. Atque his similis est helleborus, præcipuè albus, cum ad scamonium comparatur, maximè emendatum ac præparatum, hoc enim cum vehemētius soluat, minus tamen conturbat: atque id tribus de causis. Primùm, quia scamonium per aluum, helleborus vomitu purgat: scamonium bilem flauam, helleborus cum omnes humores & atram bilem, & maxime purgat, cuius exitus fermè semper molestus est: tum verò maximè, si sanum, quod hîc præsupponitur, corpus sit. Denique helleborus siccat admodum corpora, & concutit. Vnde scamonium conuulsionem non mouet, nisi eam quæ ex superflua purgatione quandoque contingit: quæ etiam non letalis est, sed solùm mala, vt infrà docet Hippocrates.

2. Aph. 37.

5. Aph. 4.

Non solùm autem conuulsionem mouet helleborus, sed, vt author est Hippocrates, etiam strangulat, propterea sesamoidem adiungi iubet, quòd hanc noxam minuit. Quærendum est autem, postquam ita est, quomodo id faciat? neque enim ob solum vomendi impetum hoc accidit, quoniam neque in choleris neque in sesamoide id contingit, cum tamen vomitū egregiè prouocet. Quinimò, vt Hippocrates author est: nō præfocat, sed helleboro mistū noxā præfocationis aufert. Conuulsionis ergo species est hæc præfocatio, cum nerui gulæ & arteriæ asperæ sursum ac deorsum tracti ad imaginem crumenæ, quæ loris constringitur, fauces comprimunt, adeò vt hominem præfocare videantur. Est autem sesamoides, herba vi helleboro similis, ac qualis agaricus, scilicet longè mitior: forma autem plurimum differt ab helleboro.

Epistola de hellebori exhibitione.

Vtrum verò periculosus sit helleborus ob conuulsionem, quæ periculosa sit: an quia periculum sit ne in conuulsionem incidat, dubium forsan esse posset, nisi Hippocrates quinto libro hoc determinasset, cum enim dixit, conuulsionem ex helleboro letalem esse, docuit, non quando faciat conuulsionem helleborum esse periculosum (idem enim esset letale & periculosum) sed ob id helleborum esse periculosum, quia conuulsionem persæpe faciat: quæ, vt dixi, cum euenerit, letalis est: Verba igitur illa (conuulsionem enim facit) ita interpretanda sunt, persæpè enim conuulsionem mouet, aut natura sua conuulsionem excitat, ita vt Periculosum referamus ad id quod possit excitare conuulsionem: non quia excitet conuulsionem, aut excitata conuulsione periculosus sit. Nec forsan quis admiretur aut negligat hanc tantam subtilitatem in verbis Hippocratis, quæ ad rem plurimum facit, nec indigna sit authore: si quidem Hippocrates author fuit tetragonismi rudi illo seculo, & tamen adeò eleganti ratione, vt posteriorum nullus æquare, nedum superare potuerit.

Aphor. 1.

Cur verò dixit, non vt alibi, corpora, sana, sed carnes sanas? Et quomodo talibus helleborum quis ex arte dabit, cum sit adeò vehemens medicamentum, causa verò exhibendi nulla? Ambobus vna responsio satisfaciet. Albus helleborus solebat antiquo tempore exhiberi multis affectibus, qui tamen cum sanitate corporis quadam ac temperie constabant. Libet autem verba Hippocratis in libro de Veratri vsu adiicere, ea sunt: Purgatio sursum eis commoda est, qui absque febre laborant cibi fastidio, ventriculi punctione, vertigine, oris amaritate, & in vniuersum doloribus supra infrave septum transuersum: seu etiam in lumbis sint, & genuum grauitas adsit, vel mensium suppressio: & similiter, vbi morbus ex defluxione è cerebro oriatur. Constat igitur in his omnibus & carnes, id est humores in venis contentos bene se habere posse, & tamen helleboro indigere.

APHORISMVS XVII.

SI quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum & tenebricosam vertiginem patitur, & oris sentit amaritudinem, purgatione indigere per superiora significat.

COMMENTARIVS.

COntinuatio haud obscura est. Ex quinque conditionibus purgationem per superiora opportunam ac necessariam docet. Opportunam dico, facilem atque vtilem: necessariam autem, quam nisi magno cum detrimento vitare non possumus. Hæc enim tria in omnibus spectanda sunt, sed necessitas primum obtinet locum: secundo vtilitas, tertio facilitas. Quandoque ita sibi opponuntur, vt dicebat Hippocrates in libro de Articulis, quod oportet operationem & ægrum relinquere. Cum enim necessitas, cogit & damnum quod sequitur mortem affert, relinquendus est æger. Et loquebatur de luxatione vertebrarum. Igitur conditiones sunt hæ: Quòd abstineat à cibo, id est adeò abominetur cibum, vt abstinere cogatur ab eo: Cordis morsum, oris scilicet ventriculi, quod veteres cor nominare solebant, ob propinquitatem & consensum sæuitiámque symptomatum: & Oris amaritudinem, & vertiginem tenebricosam, & vt sine febre sit, omnia hæc cum simul consenserint, purgatione illum per

Pag. 19.

per superiora indigere significant. Hæc sunt, ac si diceret, Bilis in ventriculo grauiter infestat, igitur per vomitum reiicienda, quoniam enim grauiter infestat, auferenda est: quoniam bilis leuis est humor, & quoniam in ventriculo, commodè per vomitum est
Par.5. eiicienda. Has tres conditiones probat ex quinque signis: quod à cibo abstinere cogatur, & amaritudinem oris sentiat: hæc enim bilem in ventriculo sequuntur, namque sexto Epidemiorum dicebat: Lingua concolor attingentibus ipsam humoribus. Quapropter per hanc humores cognoscimus. Si salsæ carnes, gustanti redundantiæ signum. Ex colore & sapore abundantiam humorum dignoscere licet. At verò & ἀποσιτίη, & oris amaritudo ex febre fiunt, etiam quòd humor biliosus non sit in ventriculo, nam calor præter naturam adurendo humores qui sunt iuxta linguam, generat amaritudinem, & odium ciborum parit: ideo additur, Febrem non habens. Cordis verò morsus & tenebricosa vertigo duo significant, & causam noxæ, scilicet bilem, sextum par neruorum à cerebro descendentium infestantem, & magnitudinem illius, cum cerebrum afficiatur, & cor affici videatur. Palàm est autem, Hippocratis tempore per καρδιωγμὸν significari ventriculi affectum, quandoquidem, vt omnes attestantur, καρδία etiam os ventriculi, vt etiam cor indicet. Quod Galenus, Aëtius, & vt Brasauolus refert, Gregorius Nyssenus testatur.

Hic par erat hos expositores docuisse, an hyemem excipere oporteret. Ignoscendum est illis: non enim id poterunt facere, quoniam opportunorum principiorum scientia carebant. Velut quod vomitus in hyeme magnam parit offensam: atque ideo si non fit iactura, hæc intollerabilis, illum cauere oportet. Dixit autem tenebricosam vertiginem, quia alia fit à capitis imbecillitate, cui nec vomitus est necessarius, nec conducit: & ea maximè fit in senibus, vt
Par.3. Aph. 31. superius ostendimus. Alia, de qua secundo de Morbis, vertigo fit, cum ad faciem
Par.2. accruatur sanguis. Alia, quæ habetur cum
Par.16. febre, vt libro de Ratione victus in acutis, cum dixit, Quibus in febribus vertigines ab initio fiunt, & capitis pulsus, & vrinæ tenues. Liquet quòd hi etiam ab hoc Aphorismo sunt excipiendi, quoniam deest id febrem non habens, cum febre laborent, ita ergo nihil frustra adiectum est, aut defecit in Aphorismo.

APHORISMVS XVIII.

SVpra septum transuersum dolores, purgatione indigere per superiora significant: quicunque verò inferiora molestant, per inferiora.

COMMENTARIVS.

IN hoc Aphorismo nihil sani sapiunt, vt necin plerisque aliis, delyrúmque faciunt Hippocratem, vbi maximè dignus laude est. Etenim quis coniectari possit, nedum persuaderi illum voluisse in morbo laterali aut simili morbo vomitu vtendum, re absona & incommoda? Sed sermo hic ex dissectione pendet, & modo loquendi. Definit ergo generaliter materiam purgandam vomitu, ab ea quæ per secessum. Expendendúmque primò verbum illud, ὀδυνήματα, quod non propriè dolores sed molestias significat, quemadmodum æstus, anxietates, dolores quidam incerti ac fastidia: sunt autem λύπη. Ergo quoties hæc sine febre contingunt, ex materia fiunt in ventriculo contenta, materia enim in ventriculo aut intestinis contenta, febres non solet, nisi casu aut ephemeras excitare. Quod licet coniectari ex illo adolescente, quinta Aphorismum in Commento primo descripto: qui cum æruginosam materiam in ventriculo contineret, non febricitabat, multo minus in intestinis. Quòd si fluxus sibi febres iungat, non ex materia illa quæ in intestinis est, & effluit, sed ex ea quæ præparata est, & quæ per venas mouetur, febris fit. Talis igitur materia vel per aluum ducenda, si in intestinis fuerit, quoniam superius magna cum difficultate, & nunquam tota reduci potest: vel per vomitum, si in ventriculo, vix enim ad intestina tota exprimi poterit, & magno cum nixu. Horum autem locorum indicium est septum transuersum. Nam vt habetur à Vesalio libro quinto: sed libet recitare illius verba: Statim enim ac stomachus septum (transuersum) in sinistra neruosæ ipsius partis sede penetrat, continuum cum ventriculo corpus efficitur, quod in sinistro latere amplam septi sedem contingens totam regionem inter iecur & lienem vacuam complectitur: in dextro autem latere ventriculus nusquam septum attingit. Constat igitur, ventriculi os quod stomachus Græcè dicitur, conterminum ipsi septo esse: atque etiam ab illo docetur idem, os multis neruis, venis atque arteriis quæ inferius tendunt, esse munitum. Cum ergo sine febre molestia hæc sit, non potest abscessum in partibus pectoris significare. Et cum sit superiorum partium molestia, non est dolor neque tussis nec asthma: ista enim habent proprium nomen, sed est affectus quidam ex consensu: quare cum ex dictis, si supra septum transuersum fit, in ventriculo necessariò fit, quoniam per venas & arterias & neruos parti superiori communicatur: igitur purgatione per superiora indigebit, licet ergo affectus sit in ventriculo sentitur in superiore parte tantùm ob naturam loci.

Aphor.1.

Cap.3.

Lib.5. figura 14. & 15.

Ne verò ista videantur voluntaria & quasi conficta in sexta Aphorismorum, cum voluit nos considerare dolores, non dixit, Supra septum transuersum: sed, si in latere vel pectore fiant. Constat ergo huiusmodi molestiam quæ ex ventriculo procedit, curandam euacuatione per vomitum, non per secessum: quæ verò in partibus inferioribus, per aluum. Liquet etiam si per hyemem hæc contingant, non omnino

omnino generale esse præceptum, sed seorsum esse suam indicationem accipiendam.

APHORISMVS XIX.

QVi in medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt, priusquam sitiant.

COMMENTARIVS.

DVplicem sensum habere potest, Non quiescunt, seu οὐ παύονται, quod quiescere non debeant: quoniam scribitur suprà, *Aphor. 15.* Quum volueris veratrum magis ducere, corpus moue: cum verò sistendum censueris, somnum conciliato & non moueto, aut quod non quiescit ipsa purgatio, atque sic erit prognosticus Aphorismus, vt prior, docens operari, & (vt dicunt) ad praxim pertinens. Adducitur à Brasauolo auctoritas ex libro de Veratri vsu, pro secundo sensu, vbi Hippocrates inquit: Quicunque in medicamentorum potionibus non sitiunt dum purgantur, non cessant purgari priusquam sitiant. Hic sensus etsi verus sit, potest & alius etiam esse verus. Sed omittamus hæc, & quæramus potius, quomodo fiat sitis in medicamentis: deinde, si cum non aduenit sitis, non quiescunt, an cum aduenerit, quiescant? Rursus, an si non sitiunt neque purgantur, purgatio expectanda sit. Demum, quomodo hic Aphorismus superiori de veratro coniungi possit, nam de continuatione ad præcedentem Aphorismum perspicua nimis est ratio, quoniam sermo perpetuus de purgatione agitur.

Igitur cum dixit, Quòd in medicamentis non sitiunt: id innuit, quod sitire deberent generali ratione. Cur autem, Galenus satis bene quatuor explicat causas. Prima, quia ventriculus calidus sit natura, vel tum primum incalescat: intelligit quòd ex motu ipso & nixu quodam incalescit & exiccatur, etiamsi talis natura non sit, multi autem ventriculi calidi ac sicci natura sunt. Secunda causa est ex natura medicamenti, acri, calida & sicca. Tertia ex natura humoris, qui eiusmodi sit, scilicet acris, calidus aut siccus. Hæ causæ facilè apparent ex concursu necessariorum ad purgationem, scilicet ventriculi, medicamenti, & humoris. Quarta est ex superflua euacuatione, nam educto humido illo quod Roridum appellant, necessariò sitis subsequitur. Nunc verò singulas examinemus. Calida & sicca temperatura ventriculi, maximè per se sitibundos facit, vt Galenus in Arte medica do- *Cap. 60. 64.* cebat. Porrò ad hoc spectat etiam tertia causa: purgatur enim humor ad ventriculum attractus, vnde ex attractione vehemente incalescit ventriculus, laborat enim vnumquodque membrum in operatione, quæ supra vires suas est: non solùm ambulando crura, continendo manus, sed intentè aspiciendo oculi, vnde visum est multis hac ratione, quòd visio actio quædam esset, quoniam diutius spectando oculus fatigatur. At auris non ita: incalescunt autem omnia quæ fatigantur, manifesto experimento: quamobrem in attractione humoris par est sitim fieri. Secunda quoque causa ad hoc manifestè facit: nam humor ad ventriculum trahitur, priusquam ad intestina perueniat, indicio est primùm vomitus, qui subsequitur medicamenta quæ purgant, quamuis non sint ἐμετικά: deinde quod ab ipsis emeticis educitur materia per vomitum, igitur transit per ventriculum. Demum, quòd post purgationem remanent sitis, horridi saporis & odoris vestigia quædam satis aliena a natura medicamenti: igitur necesse est operationem hanc fieri deducta materia ad ventriculum, per mesaræi venas. Secunda igitur causa quæ ad attractionem humoris pertinet, dupliciter sitim excitat, & fatigatione ventriculi attrahentis & exprimentis, & transitu humoris acris super membra gustui coniuncta, scilicet os ventriculi, quod linguæ tunica iungitur, demum purgatio ipsa exuberans. Omnis enim euacuatio immodica sitim facit, seu ex medicamento, seu sponte: non quoniam materia nocens expellatur, sed quòd, vt dicebatur sexta Aphorismorum, super illa sententia Hip- *26. Aphor.* pocratis, Quicunque suppurati, cum praua materia copiosè effusa multum vtilis etiam humoris excernitur: difficile enim est puros humores in corpore inuenire.

An verò adueniente siti quiescat purgatio? Dico quòd non, quoniam sitis fit à calore & siccitate medicamenti: facta ergo impressione calida & sicca, aliquando purgatio augetur & inualescit. Sed si medicamentum sit humidum, non calidum, vt pruna, tamarindi, rosæ, violæ, myrabolani citrini, manna, & huiusmodi: tunc aduentus sitis significat instare operationis finem, transitus enim humoris biliosi cum breuis sit, non adeò excitat sitim, vt caliditas medicamenti, quia medicamentum diutius moratur in ventriculo: at humores vbi eò peruenerint, statim emittuntur per aluum, aut per os. Quæ igitur maxima est sitis, est, quæ fit à vi medicamenti: quæ autem penè inextinguibilis, est à superflua purgatione: quæ verò à ventriculi operatione, breuis est, & non magna: quæ ab humore illac transeunte, breuis semper est, licet sit valida: sed etiam cum abominatione iungitur.

Si verò non sitiunt, fieri potest, si non purgati iam sint, vt non purgentur amplius: & potest etiam esse vt purgentur. Indicia igitur à tempore sumi debent: at hoc debile est, vidi enim post duodecim horas & vnam diem sequi purgationem egregiam, quamuis ab initio nihil purgasset, à conturbatione, à pulsus negociatione: & quoniam medicamentum adhuc retinetur, quamdiu enim retinetur, spes est purgationem fieri posse: vbi prodierit medicamentum vel suprà vel infrà, & non purgauerit pòst per duas horas, non est spes, nisi turbatio maneat: ideo est securissimum indicium.

Quòd verò dixerit antea, Cum volueris ducere helleborum, moue corpus: hic, Si traducatur ad operationem: est ac si dicat,

dicat, Cum medicamentum non inducit sitim, bonum est mouere corpus, ne aut omnino non purget. Medicamenta enim quæ non purgant, si non eiiciantur, quandoque interficiunt: vt de adolescente Eubæo, quinto Epidemiorum. *Pag.7.* Liquet autem, quod quamuis hic sensus sit verus, non tamen est intentus ab Hippocrate. Quæ autem hîc appellat medicamenta, sunt de quibus dixit libro de Locis in Homine, *Pag.15.* Et quæcunque in calidis attenuantur. Nam sunt tria alia incidentia, vt cnicum: lubrica, vt cassia nigra, & olea multa: & salsuginosa, vt iura piscium multorum marinorum, & maximè quæ testa integuntur, tertio de Alimentis, & brassicæ. *Ca.13.* Quòd si quis obiiciat ex Mesue, dari etiam medicamenta exprimentia, vt myrabolanos. Respondeo: Quòd si loquamur de materia quæ sit in via, dicet Hippocrates, quod istud est per accidens, vt dicunt: & hoc docebat Galenus secundo de Alimentis. *Ca.11.* Porrò de purgationibus, si libet aliqua inspicere, Hippocratem iuxta finem libri de Coacis prædictionibus consule.

Illud quoque non omittendum, validam sitim fieri, cum medicamentum trahit humorem alium: tum quia multum succi boni educitur, cum non sit separatus: tum quia magno conatu fit. Dicebat enim Hippocrates libro de Natura humana: *Pag.3.* Medicamentum postquam proprium purgauerit humorem, si validum sit, purgat etiam alienum.

APHORISMVS XX.

NOn febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgare per inferius oportere significatur.

COMMENTARIVS.

17. HIc Aphorismus fermè superiori opponitur, in quo dicitur: Si quis febrem non habens, habet enim commune suppositum, febre scilicet carere: & contraria, veluti genuum grauitatem, ei quæ est, tenebricosam pati vertiginem, nam duo proponit, & locum humoris cum deriuatione, & naturam humoris, scilicet prægrauantis, vnde significatio purgandi per inferiora deducitur, sicut suprà de Melancholico humore. *Aphor. 9.* At adiicitur lumborum dolor, Hippocrates libro de Coacis prædictionibus: *Pag.11.* In dolore præcordiorum submurmuranti lumborum dolor super accedens in febribus, ventres vt plurimum humectat, si non flatus eruperit, aut vrinæ copia prodierit, hæc enim abundantiam humorum in mesaræo contentorum significant. Cum enim per se hic dolor purgatione à natura per aluum solui soleat, indicat etiam arte sic tollendum. At si dicas, Hoc signum si sufficiens est, quorsum addere illud de genibus? Respondeo, quòd Hippocrates habet hoc signum pro neutro, quod ad euacuationem per inferiora pertinet, inquit enim paulo pòst: Quibus ex lumborum dolore recursus ad caput, & manus torpidæ, & oris ventriculi dolores, & aurium sonitus, his sanguis largè profluet, sed & alui deorsum erumpunt, & mens vt plurimum turbata est. *Pag.13.* Et rursus: In lumbis dolentibus, oris ventriculi dolores insuper accedentes, signa sanguinis fluxionis sunt, etiam prægressæ. In vniuersum, cum truncus cauæ venæ maximus spinæ dorsi ea parte illi subiiciatur, & pars illa, vt aliàs dixi, minimè munita sit vinculis ossium, cum ibi affuerit plenitudo, dolor facilè magis ibi sentitur in parte fatigata: velut pondus aliquod plus à debiliore homine ac membro, quàm robustiore. Sed cum hoc significet venam illam magnam humore redundare: necesse est magnum periculum imminere vel podagræ, huiusmodi materia ad inferiora reptante, vt in secundò Prædictionum nos admonet: Licet (dicit) minus malum sit, quàm si ad superiora vergat: *Pag.vlt.* Et ob id hic docet purgationem faciendam per inferiora. At si superius tendat, morbos prauos gignit, nisi sanguinis fluxione è naribus præoccupetur æger. At si omnino erumpere non possit, vel quouis minimo signo, vt in Coacis prædictionibus docetur, ad conuulsionem terminatur, atque ideo ad mortem: & ob id dolor ille lumborum minimè contemnendus est. Ego verò id animaduerti, hæmorrhoidarum aduentum liberare homines ab huiusmodi periculis, ob loci in quo redundantia est, propinquitatem, tum etiam facilitatem purgationis ex venis enim ad venas defertur humor. At dolere iam genua, ac grauari, significat materiam illam iam non solùm trudi inferius, sed etiam extra venas, aut saltem ex magnis venis ad paruas: vnde sic facilè, aut saltem facilius medicamento obedit. Tot igitur & tanta concurrunt ad intellectum istius loci: quæ prætermittentes expositores, non iam Hippocratem exponunt, sed corticem verborum illius. Sicut & illud animaduertere decet, quòd dixit Κάτω φαρμακίης δεῖσαι: *Aphor.* idest, non vt antea, cum dixit simpliciter, ἄνω φαρμακεύειν, & in sequentibus tribus, vt intelligeremus eam esse electionem purgandi, non præceptum: hic verò dicit, purgari oportere per inferius, scilicet indicans & quod purgandum sit, ne materia decumbat in articulos: aut sursum retrocedat, quæ duo pericula in huiusmodi dispositione imminent, vt secundo Prædictionum adducto scilicet iam loco diximus: *Aphor.4.* & quòd per inferiora purgare oportet. Itaque & in illo, Medicari æstate superiores, perperàm additur (Oportet) à Fuchsio, quasi Hippocrates aliquid absolutè consulat, cum sensus sit: Si oporteat medicari superiore parte in æstate, medeberis. *Lib.2.c.6.* Quòd verò dicitur tormina seu στρόφοι intestinorum, sunt dolores, vt Celsus docet. Sed propriè qui velut fusi nendo, aut dum implexum aliquid contorquetur cruciant, vt sint dolores cum inuolutione & contorsione.

APHORISMVS XXI.

DEiectiones nigræ, qualis est sanguis sponte venientes siue cum febre, siue sine febre pessimæ. Et quanto colores magis praui fuerint, plures peius. Cum medicamento verò melius, quanto colores plures, non praui.

COMMENTARIVS.

NOn de atra bile illi sermo est iuxta Galenum: & etiam quoniam de illa in sequenti Aphorismo tractans, non nigram, qualis est sanguis, eam vocat, sed atram bilem nominat. Quocirca dubium est primùm, quid hìc per deiectionem nigram intelligat, Qualis est sanguis? quòd si ita legatur, Deiectiones qualis est sanguis niger sponte venientes, sensus idem manebit, & clarior erit sententia. Agit autem in hoc & sequentibus quatuor Aphorismis de nigris deiectionibus.

Com.23. Præstat ergo primùm nigrarum deiectionum genera distinguere. Galenus infrà quatuor conditiones atræ bilis ponit præter nigredinem: quòd splendeat, quòd liquida sit, non autem concreta, quòd acris & mordax, adeò vt ab illa muscæ & vermes refugiant, quòd velut acetum acerrimum super terram fusa ferueat. Nigra verò bilis similis est sanguini nigro, sed relicta non concrescit vt sanguis: nec splendet, aut acris est vel
Com. 53. feruet, vt atra bilis. Idem in Sexto libro duo genera atræ bilis facit, velut & in libro de Atra bile. Alterum quod ex flaua bile fit, quod est tenuius & acrius: reliquum quod ex sanguinis fece, quod tanto mitius est priore, quanto crassius.

Aphor.23. In vniuersum infrà videtur Hippocrates declarasse nigras deiectiones, vt sanguis & atram bilem, vel idem esse, vel idem posse, quando vtraque pessima sit. Quamobrem laborandum exactius non est, nisi vt quod concretum atque nigrum est, sciamus esse sanguinem aut aliud: sanguis verò cum
4.Aph.25. per inferna deiicitur, quid significet, aliis
6.Aph.11. locis declarabitur.

Quòd verò, Sponte venientes adiecerit, medicamenti vim primò excludit: deinde etiam ἰόντα quod est, venientes temporis spatium per quod perseuerent, indicat. Nam repentè si semel effluant, vel absque morbo, vel iam finiente cum vigore virtutis, signa sunt eo modo exonerantis se naturæ.

Cur autem dixit, Cum febre seu sine, nisi in intelligamus prauitatem maximam? sed tamen constat cum febre hæc omnia esse deteriora, vt etiam quæcunque alia fermè mala, quæ febrem non per se & necessariò comitantur, nam talium quædam minus sunt mala cum febre, velut horror, sudor, sitis valida: quædam ex æquo quasi, velut dolor capitis & lassitudo. Verùm excretiones omnes & vitia facultatum fermè omnia in febricitantibus sunt deteriora. Ergo si de nigris his quæ sanguini similes sunt, scilicet solutæ & liquidæ hoc intelligit, idem etiam de atra bile intelligere oportet: vt sit sensus, Deiectiones liquidæ nigræ seu splendeant seu non, letales sunt, seu cum febre seu absque febre perseuerent, Verùm splendentes, & cum febre, deteriores sunt reliquis: concretæ verò nigræ à fecibus tinctis fiunt, quæ vel tinguntur à cibis, vt in primo Prorrhe- *Com. 13.*
ticorum, & tunc nihil significant: aut sponte, & tunc signum est non bonum, cum nigredo exquisita fuerit. Excretio enim liquida vires tum iecoris, tum ventriculi imbecilles declarat: concreta validas: hìc quod excernitur, minus est, duplici igitur de causa: multo minus mala est, quam quæ sanguini assimilatur. Vidimus & concretam nigram in Augustino Fornario: qui cum conualuisset, dum reficeretur corpus, ab aqua intercute obiit. Non enim tales excretiones absque vitio iecoris atque insigni fiunt. Quomodo verò dixit Pessimas, cum statim subiungat, Quæ constant ex magis prauis coloribus, deteriores esse? Nam pessimo peius nihil esse posse videtur. Hippocrates in Prognosticis, pro pessimis colori- *Lib.2.Sec.*
bus nigram & liuidam exponit. Galenus *22.*
ibi inquit: Vtraque ab atra bile fit: sed nigra syncera, liuida cum modicè permista est. Tertium locum obtinebit, quæ æruginimeræ similis est. Omnes hæ, sed nigra maximè, cum syncera fuerit, vt tertio in primum de Morbis vulgaribus, letalis est. *Com.18.*
Pessima igitur hæc est, quia celeriter & omnino interficiat. Quæ autem ex malis colo- *t.23.*
ribus constat, vt secundo Prognosticorum, exitialis est non minus, sed tamen longius procedit morbus. Quomodo ergo peior, si serius moriturum pronunciat? an serius mori, vt apud Philosophos, sic apud medicos deterius? ridiculum. Quid igitur? Serius obire mortem, qui varia excrementa emittunt, his qui syncera & pessima, constat, quòd eo minus pessimi humoris habeant. Qui enim nigram bilem emittit solam, totius illa abundat: at qui ex nigra, liuida & æruginosa tertiam partem, tantùm ex nigra habeat necesse est, quare & vt multo serius moriatur oportet. Est tamen hæc non minus letalis quàm prima, dicebat loco adducto Hippocrates: quoniam hæc humorum varietas certius indicat de morte quàm syncera, quia plures causas prauas adesse significat. Et etiam quia tollit omnem spem, ne sit sanguis corruptus, aut excretio iudicatoria, aut lienis se exonerantis indicium; quæ omnia cessant, cum plures mali colores, ac valde praui fuerint. Propterea malè interpretantur, qui de coloribus multis malis dictum Hippocratis in Prognosticis exponunt: vt albo, viridi, croceo, rubro, ferrugineo. Nam tales morbum quidem longum decernunt, ob causam dictam, quia natura plures humores non nisi longo tempore potest superare: sed si vires sint robustæ, salubrem.

Cur autem nigra hæc deiectio letalis sit, & quomodo differat ab ea quæ à splene, nunc dicendum est. Altius sermo Hippocratis residet, dum dixit, Qualis est sanguis: admonens nos, ne sanguineam deiectionem vllo

vllo modo pro hac accipiamus, nam & à liene imbecilli, & obstructione venæ aperta, & rupto abscessu, & hæmorrhoidibus nigra excretio fit, & diluta: sed omnis hæc sanguinea cum sit, nihil valde malum: etsi quandoque malum significat, oportet igitur humorem hunc, nigram bilem, aut assatam, aut omnino saltem secretam esse. Atque iudicio meo Hippocrates duo genera atræ bilis attigisse videtur, quandoquidem fex sanguinis, si citra exustionem eiiciatur, & ipsa sanguinea sit, & non cum magno periculo, nec videtur alius quartus humor niger posse assignari. Sed vtcunque sit, constat non oportere has nigras deiectiones, de quibus hîc loquitur Hippocrates, neque esse sanguinem, nec sanguinis fecem, nec sanguinem corruptum, nam hoc persæpe vidimus, & maximè in Petro Maria Locarno: qui cum maximam talis excrementi quantitatem, ac supra libras viginti eiecisset, nec semel, semper tamen euasit, quamuis postmodum ex magna sanguinis eiectione debilitato iecore, in aquam intercutem inciderit. Quærere autem cur hoc fit, ad Hippocratem non pertinuit, frequenti enim experientia hoc didicisse, certum est. Nos autem ex manifestissimis id inueniemus, nam Galenus causam huius dicere non ausus est, & tamen aliquid dixit, vt infrà: Oribasius autem multa, & quæ non sufficiunt. Rei autem series sic se habet. (Cō.14.) Omnis humor qui eiicitur, vno ex tribus modis eiicitur: vel vi musculorum & fibrarum, quas villos vocant, cum in cauitatibus continetur, sic feces, aqua in ascite, cibus è ventriculo seu ad intestina seu per vomitum: aut vi propria, atque ita oportet rem quæ eiicitur, calorem & humidum naturale continere, atque potentia tale existere. Cum enim potentia actum præcedat, oportet quòd vim recipere debet, potentiam in se habere prius. Vnde si cinis in venis sit, expelli non poterit, nisi cum alia re quæ particeps sit caloris naturalis expellatur. Actiones enim quæ in corpore non compositionis ratione proueniunt, consensu partium fiunt, quæ omnes vita participant. Tertium genus est eorum, quæ ob id expelluntur, quia attrahuntur ab aliis membris, cuiusmodi à renibus pars sanguinis aquea, & à liene nigra, biliosa à felle. At nullo modo atra bilis, nec fex illa secreta expelli possunt à natura. Generantur enim hæc, cum ad extremam exustionem humor à natura peruenerit, nihilque penitùs in se vtilis continent: vt nec cinis, quod viri possit. Quod igitur est cinis ignis comparatione, id atra bilis & humor ille niger, quem hic breuitatis causa atræ bilis nomine, ob exiguum ab ea discrimen, intelligi volo, corporis humani & caloris eius comparatione est. Vtque diuersarum rerum cineres substantia & colore diuersi sunt, ita etiam cinis hic humani corporis. Neque humor talis vlterius exuri potest. Vnde absurdum videri debet, æruginosam bilem ex atra vllo pacto fieri posse. Vt enim cinis est vltimus terminus caloris ignei, ita ater humor eorum quæ in humano corpore viri possunt. Qua de causa humor ater nihil vtile in se, nihil naturæ familiare continet: sed vt amaritas in saporibus priuatio sola quædam est vtilis, ita cinis inter alimenta ignis, atra bilis inter ea quæ sunt in humano corpore. Talem autem humorem generari in aliqua corporis cauitate, vt ventriculo, vtero, vesica, prorsus est impossibile: & multo minus in intestinis, quoniam superassari materia in cauitate vlla, cum calore indigeat maximo, non potest. Si quis enim edat mora, & euomat, aut sæpiæ atramentum aut defrutum euomet, certè nigra: sed ridiculè dicemus hunc atram bilem euomuisse, sed cruda. Solùm autem in iecore ob caloris magnitudinem, & venarum angustiam, vt quæ capillis similes sint, & in liene ob easdem causas, & humorem iam nigrum, & in cordis finibus ob incendium magnum, fit hæc generatio aut discretio nigri humoris. Et ex ea quidem, quæ in liene generatur, fiunt quartanæ, quoniam limus ille sanguinis facilè putrescit: ex ea quæ in iecore elephantiasis, carcinoma, febrésque continuæ ac pestilentes, ob calorem iecoris, & sanguinis corruptionem: ex ea quæ in corde mentis perturbatio & furor, ob sanguinis leuitatem: quo fit, vt ob id & ob immensum calorem cerebrum petat, nec putrescit ob id quamobrem tales morbi absque febre accidere solent. Cum igitur humor hic in cauitatibus non generetur, protrudi foras non potest villis aut musculis: cum verò omnino alienus sit à calore naturali potentia extrudi non potest, nam in ea caloris naturalis actio quemadmodum (vt dictum est) in cinere ignis, finem accepit. Videmus enim in igne quòd ligna & humidum, quod in eis est, & fumum agitat, & eiicit cinerem, non attingit, sed relinquit: ita & de nigro humore, seu sit exustus, seu penitus separatus: multo minus membrum vllum illum trahit, cum naturæ cuiusque sit inimicissimum. Talis igitur humor naturæ opere nunquam expellitur, multo minus concoquitur: quia oportet in eo quod concoquitur, partem esse calori & naturæ nostræ familiarem: quæ cum nulla sit, non potest concoqui. Cum autem in insanientibus varices aut hæmorrhoides innascuntur, soluitur ob hoc morbus: (6. Aph. 21.) quia signum est, materiam illam iam tractari à natura, & ideo non exquisitè exustam, nec ab vtili secretam: sed immistam sanguini, & ob caloris & humidi naturalis participem trahi à membris, aut saltem expelli. Cum igitur humor tam inutilis è corpore prodierit, constétque non naturæ actione propelli, manifestum est ipsum tamquam rebellem & inobedientem vi propria, vt venena & vermes, moueri. Superata igitur natura, & tali humore dominante (nam ex se non mouetur, nisi multus fuerit) mortem sequi par est. Habes igitur causam veram dicti primi Hippocratis.

Ex quo habes secundum, nam si à medicamento trahatur & exeat, non iam sponte mouetur, sed vi medicamenti: si numque est, adhuc vtili talem humorem esse mistum. Quare duplex signum bonum est, & quod mitior sit humor natura, quare hoc melius est. Non quidem dixit simpliciter bonum, sed melius: id est aliquando minus malum, quàm quod pessimum sit: aliquando

& bonum, id est vtiliter excretum: nunquam tamen simpliciter bonum vt signum esse potest, cum adesse talem humorem quomodolibet, semper malum signum sit, est enim naturæ prorsus inimicus, etiamsi immistus sit, habes ergo Hippocratis sententiæ partem aliam. Nam cum dixit, Et quanto colores plures non praui, minus malum esse intellexit, neque enim vt signum, excretio varia, bona vnquam esse potest: sed vt causa bonum esse nil vetat, quando noxium absque iactura extruditur.

Dices, Cur ergo natura hunc humorem tam prauum generat? qui neque retentus nec reiectus noxa letali caret. Respondeo: Et naturaliter, & à causis non naturalibus, &
Cap. 41. præter naturam generatur. Galenus enim in Arte medica docet, quòd in temperie calida & sicca iecoris per ætatem consistentem generatur atra bilis. Quod tamen verius intelligo, si cor cum iecore calidum sit, & siccum: & præterea aliqua accedat causa præter naturam, aut ex ratione victus, aut alia. Raró enim ex sola naturali intemperie ad generationem tam praui humoris peruenitur, nisi aliqua alia causa superueniat, veluti ex aëre & exercitatione, aut aliis. Quamobrem dictum Galeni, licet per accidens sit verius quàm per se: nihilominus hoc per accidens tam certum est, vt per se etiam dici possit. Medicus enim quæ frequenter cōtingunt, tametsi non per se sint tanquam per se sint habet: & quæ per se frequenter tamen impediuntur velut per accidens, hæc tamen causa media est *Faciunt* & atram bilem cibi ex leguminibus, saliti, antiqui, & omnes cibi vehementer acres, vt porri, allia, cæpæ, & quæ aromata vocantur: & ex vinis nigra & crassa, & potentia, nam imbecillia non nigram bilem, sed nigrum potius succum generant.

Quæ autem putrida sunt, aut semiputrida, talia propriè atram bilem generant. Atque hæc in tertio genere sunt, sicut quæ calida sunt simpliciter, in primo causæ genere, id est debiliore quàm etiam naturalis tem-
Cap. 4. peries constitui debent. Velut & ira & tristitia & vigiliæ, labores quoque vehementes, quarto de Tuenda sanitate æstate bilem flauam, autumno atram generare solent, verū si cum hoc diuturni fuerint, semper atrā bilē generant: atque hæc causa satis potens est. Sed maximæ & potentissimæ generationis atræ bilis causæ sunt, aër & febres ardentes: autumnus quidem in primo genere constitui debet, pestilens autem in quarto, velut & ardentes febres: febres autem pestilentes in extremo potentissimarum causarum collocari debent. De autumno siquidem
Sec. 1. dicebat Galenus in primum de Vulgaribus morbis, commentario primo: Atra bilis fit autumno superassato sanguine, & flaua bile per æstatem. Quomodo autem ex sanguine
Com. 27. generetur, idem docuit tertio Prognosticorum, cum dixit: *Quod atra bilis* fit vel ex flaua bile, vel ex sanguine crassiore, qui est veluti fex: & hæc est mitior, nisi à calore externo irritetur, etsi diu in corpore moram contraxerit. Quomodo autem ex febre, de-
Com. 10. clarabat, & quo ordine, in Primum Prorrheitici dicens: Per febres vehementes flaua bilis exuritur, quæ primùm in æruginosum humorem, inde ad atram bilem transit. Idem dicebat quarto de Locis, inquit enim: Sed ea quam crassæ fæci similem esse dixi, in ter- Cap. 7.
ram effusa non inducit bullas, nisi ex ardente febre ipsam assari vehementer contingat, neque vlla acida etiam qualitate participat. Quòd etiam ex pestilenti aëre morbóque fiat atra bilis, in hoc Commento docet: nec tamen in initio aut incremento, sed morbo iam consistente. Hæc quidem qui Galeno nimium addicti sunt, ita prætereunt, vt postmodum in inextricabiles nodos incidant. In principio ergo rarissimè, quia calor febrilis nondum inualuit: & si contingat, vt in sequenti Aphorismo, perniciosa est: in incremento verò semper, cum in statu apparuerit, neque enim cum fit, eiicitur, sed cum facta est. Status etiam tempus in acutis maximè breuissimum, vt non tunc verisimile sit atram bilem generari maiore ex parte. Fieri tamen potuit, vt raró ante statum eiiceretur: quod etiam vix credo, præsertim in morituris. Vtcunque sit, constat quinque ordines esse in generatione atræ bilis causarum ratione. Primus, vt à leuissimis exordiar, fit à tristitia, vigilia, leguminibus, piscibus & carnibus salitis, & acres & amari omnes, & vina nigra, & ira, & tempus anni calidum, & exercitatio vehemens. In secundo ordine est temperies calida & sicca valde, vel plura ex his quæ sunt in primo ordine simul concurrentia, vel assiduitas eorum. In tertio sunt, suppressio hæmorrhoidarum in calida temperie, cibi putridi, copia vini nigri potentis, labores quoque vehementes & diuturni. In quarto, aër pestilens, vel febris ardens In quinto ordine febris pestilens, & venenum mortiferum. Ita fit, vt in pestilenti febre intra quatuor horas superassetur humor, & more ebibiti letalissimi veneni confestim occidat: cum prius bene se habere existimaretur, & ipse æger confideret: quod toties contigit in illa peste anni M. D. XXIV. vt non expediat referre.

Fit autem hæc atra bilis vel ex pingui humido, quod instar adipis & olei est in nostro corpore: & hoc genus est tenue, lucidum, & maximè nigrum, nam & ex oleo seminis lini solo typographi atramentum illud nigerrimum conficiunt. Hocque genus in pestilentibus febribus maxime abundat, estque letalissimum, & celerrimè absoluitur, vt quod ex materia tenuissima fiat: solentque id præcedere liquidæ excretiones, pingues & valde fœtidæ. Secundum fit ex sanguinis fece, quod nigrum est, crassumque, nec multum splendet: atque id generare solet carcinomata. Ob id hoc genus morbi in mulieribus magis abundat quàm in viris, & diuturnum est insanabile propter crassitiem, velut quod in pestilentibus febribus generatur, vt facillimè & subitò accidit: ita si quis primos impetus euaserit, facillimè etiam resoluitur. Medium est, quod & à cibis & exercitationibus, & per æstatem, & in ardentibus ex bile flaua gignitur, dum in æruginem primùm, inde in atram bilem transit quod erodens est, & vehemens, atque huius

minima

minima portio carcinomatibus inclusa torquet, alioquin paruum dolorem ac tolerabilem sensuros. Verùm scio quod obiicere aliquis possit, dicens: Non igitur seruabitur aliquis ex hoc humore laborans, totúsque in corpore manebit perpetuò, postquam illius eiectio semper tam periculosa est? Animum igitur animaduerte diligenter. Atra bilis rarò in corporibus, nisi per febres ardentes, aut pestilentem coustitutionem, aut in morbosis corporibus absoluitur, antequam enim absoluatur, natura multis modis, maximè per hæmorrhoidas, tum pustulas eiicit, aut medicamento expurgatur, nec retinetur præter hos tres modos: aut absoluitur, nisi natura aliis morbis, aut validis obstructionibus, aut animi curis fuerit impedita: alioquin cum hunc humorem in corpore senserit, protinus antequam absoluatur, antequam morbum excitet, ad expellendum insurgit. Quo fit, vt qui diu obstructiones passi sunt, aut cui diuturnæ hæmorrhoides sunt suppressæ, aut curis animus grauioribus obstrictus est, aut morbus aliquis infestus, velut lapis in vesica, ardor vrinæ, Gallica lues, seu Indica, cum ægrotant, maximo in periculo versentur. Rarò autem febres generat hic humor, ob immodicam siccitatem: quam ob causam etiam rarò qui melancholia & furore & elephantiasi & carcinomatibus detinentur, febre laborant, atque ob multo pauciores affligit. Superuenit tamen febrientibus iam, & plerunque occidit. Quandoque etiam ex illo febres accenduntur, maximè letales. In vniuersum veneni vim habet, & illi omnino similis est. Quamobrem etiam pestilentes febres rarò per vera iudicia liberantur, sed ægri sanantur abscessibus, tam prauus enim humor quòcunque vergat, præterquam ab abscessus, lancinat & occidit. In abscessibus verò nondum absolutus inuenitur, sed cum sanguine, & ob id concoquitur ac suppuratur.

Vapores quoque qui ab eo resoluuntur in febribus, delyria, timores, terrores, tristitiam, mortuorúmque visiones ac dæmonum efficiunt. Purgatur tamen & ipse in morborum statu, cum fuerit paucus, non absolutus, & bene immistus cæteris humoribus, è medicamentis autem nihil habet par veratro nigro, è mollibus autem ac blandientibus auxiliis, cognitisque Galeno, lactis aqua probatur, & epithymum, ab ipso: semper autem per inferiora purganda est atra bilis. Ego verò vnciam epithymi exhibere cum lactis aqua soleo. Probatur & sena herba, & siliqua Inda, quam cassiam fistulam vocamus, & origanum, tum lapis Armenus diligenter lotus. Purgatur etiam, qui ex eo tenuis est, sudore: ob id sudor in ardentibus febribus saluberrimus, quòd is humor citra magnam noxam expellatur.

Lib. Quo & quando purgare conueniat.

Memineris etiam, tum in his, tum aliis letalibus excretionibus: quòd si in constitutione appareant vulgarium morborum, non adeò firmiter mortem significant: prout suo loco docebimus.

APHORISMVS XXII.

MOrbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel suprà vel infrà exierit, letale.

COMMENTARIVS.

NEmo dubitat adhuc letaliorem esse, si suprà prodeat, vtpote magis naturæ aduersum, quàm si infrà, solent autem per superiora excerni, & sanguis concretus: cuiusmodi anus, Felicis mater, quæ prope centesimum annum accessit. Aliam quoque vidi, quæ hoc modo ad extremam senectam peruenit. Ne igitur hunc humorem cum illo coloris similitudine confuderis. Solet & sanguis liquidus sic emitti, de quo parum infrà Hippocrates loquitur. *Aph. 25.* Solent & biliosi humores, amaríque & pituita absque sapore, vel dulcis vel acida, rarò salsa, excerni vomitu. Quandoque verò cibi ipsi qui ex substantia, tum etiam quia proprium saporem retinent, dignoscuntur. Euomitur & sæpissimè aqua quædam substantia, sapore acido & subamaro, quæ neque exactè melancholia est, hanc enim, vt dixi, prius Galenus acidam esse negat: neque pituita, cum non consistat, sed crudus humor melancholiæ aut atræ bili immistus. Neque enim Galeno omnino credendum est, neganti melancholiam esse acidam. Expediebat enim hoc probare, postquam contra experimentum est. Ratio quoque id suadet, cum bilis tenuioris, & quæ caliditatem multam habet sapor sit amarus: imò & atra bilis, & acida cum sit, subamara est: sanguis autem dulcis, vt in his qui sanguinem ex vulnere aut rupto vase expuunt, quotidie licet scire, pituita insipida, aut pro qualitate immisti humoris sapore imbuta: atra bilis & melancholicus humor, cum aliis non imbuantur, nec aliorum sapores habeant, acidum susceperunt: sed melancholicus humor minorem & puriorem: atra bilis vehementem, & amariori immistum. Itaque constat humorem illum aqueum, qui euomi solet, à pluribus crudum debere dici humorem, feci atri sanguinis immistum. Porrò terrea omnia, acida etiam sunt.

Cur igitur morbus, in cuius initio non crudus humor, qui citra periculum, sed atra bilis, aut (vt dixi) humor ille niger, qualis est sanguis, euomitur, mortalis sit, haud obscurum est, cum enim in motibus naturæ præparatio, vel etiam concoctio, tum separatio ante expulsionem sint necessaria: hæc autem in principio esse non potuerunt: constat: hunc esse motum proprium materiæ, non naturæ. Atque ita victam naturam succumbere iam, & præsertim tam prauo humori. Apparet igitur Aphorismum ad omnes extendi vomitus species, imò etiam purgationes spontaneas, quæ in principio morborum adueniunt, maximè cum humores valde praui fuerint, vt liuidi vel æruginosi. Verùm caue ne cibi corrupti sint, generaliter autem in

initio

initio morborum, præterquam tertianæ aut alterius febris intermittentis vomitus malus: & quanto deterioris humoris, deterior. Excipere autem oportet primum, si initium morbi sit, & initium accessionis. Secundò, si cum vomitu illo morbus soluatur, non enim tunc erit inchoante morbo, sed pura naturæ exoneratio. Tertiò, si iam vomitus ille ante morbum inchoauerit. Quartò, si ab externa causa. Quid si inchoante morbo superueniant hæmorrhoides, aut fluxus sanguinis narium, aut menses, aut abscessus inguinum, aut carbunculi? Cum hæc omnia citra externam causam aduenerint, morbóque,& præsertim febri successerint, non illis febris, diuturnum morbum: & si virtus imbecillis fuerit, lethalem pronunciant, nam talia ex materiæ prauitate aut multitudine, aut vtroque proueniunt. Quouis autem horum modorum prouenerint, difficultatem morbi significant. Porrò febrem talibus superuenire, nihil absurdum, cum ex pathognomicis, signis, maximè abscessuum & carbunculorum sit. Deterius igitur multo fuerit, si tales abscessus interni febribus succedant.

Verùm iurè forsan dubitabis, cum dixerim atram bilem humorem perniciosum esse: quoniam cum exit purus, motu proprio exit, atque ita naturam iam superauit. Hic verò quoniam ante separationem, ideo letalis est. Constat sanè idem esse, negare Hippocratem, & veritatem, nam Hippocrates experimentis innititur, is ergo secundo Prognosticorum inquit: Vomitus syncerus deterior est. Et paulo pòst: Sputum syncerum, flauum, periculosum est. Quod in multis obseruaui, præsertim consultore coniugis Principis Istonij, quem ob id moriturum ex laterali morbo prædixi, humor enim syncerus omnis malus, præter pituitam, etiam crudus, sed non admodum: reliqui ordine suo. Syncera ergo, mala, Hippocratis iudicio. Quomodo ergo natura secernit humorem noxium, vt expellat? Syncerum ergo omne malum, nam vt dicebat ibi Galenus priore loco, vtrumque crassum bilis ob calorem nimium, pituita ob frigus, frigus enim cogit, calor resoluit quod tenue est. Atque, vt dixi, alia causa etiam manet, scilicet caloris aut frigoris immoderantia. At magis præcipua est motus materiæ, non à natura (nam natura prius concoquit, & concoctum secernit) syncera autem omnia cruda. Cur si syncera secreta sunt, & secreta cocta? Accipere primùm oportet quod sensu constat: siquidem syncera cruda esse, tum ex substantia, tum ex tempore, cum plerumque & sub initiis morborum, & in incrementis expellantur. Quæ igitur cocta sunt, non sunt syncera sed neque speciem vnius humoris seruant: sed cum humor noxius cum vtili concoquatur, in vtilem partem naturalis calor agit, in noxium proprius scilicet naturali contrarius: ab vtroque operatio resultat, quæ vocatur concoctio noxij humoris. Cum igitur humor qui concoctus est secernitur, vtriusque substantiæ & immutatæ indicia manent. Nam si in vnum coacti fuerint, vt in pure, vna quidem substantia, sed non humoris, verùm puris apparebit: quæ etiam sanguini aut pituitæ permista, si ex pectore ducatur, apparebit. Si in vrina, & substantia vrinæ & contenta non sub humoris specie, multiplicabuntur. Si in excrementis, substantia aut varia, aut quæ planè permista ac concocta videbitur. In sanguine quoque partes diuersæ videbuntur. In vomitibus quoque idem contingit, cum quæ vomuntur, permista sint. Hæc igitur separatio non ab humoribus aliis alterius generis fit, dum secernitur, quemadmodum in synceris excrementis, sed à parte humoris eiusdem generis, quæ vitio caret: totum autem inutile, quod ex diuersis constat generibus, necessariò si natura dominari debet, eiicitur. Fingamus flauam bilem febrem excitasse continuam, tempore concoctionis, pars ea quæ peccat, ab alia tota flaua bile, quæ vitio caret, secernitur & expellitur. Fingamus autem quòd per aluum excernatur: apparebunt eo tempore, cum fuerit concocta, excrementa flaua quidem, sed lenia, æqualia, commista multæ pituitæ: cuius causa cócocta fuit colore subuiridi, non planè flauo: quia dum concoquitur præternaturalis calor, vt in æruginosam deducat, nititur: atque ita egestio illa vnius coloris erit, sed non exquisiti, nec varia, sic enim non esset bene commista, sed color ille varius dici potest. Apparebunt & quandoque variorum excrementorum plures colores, propter peccantis materiæ inæqualitatem.

1. cap. 38.
1. cap. 46.

At si ab initio porracea bilis euomatur, post olerum comestionem multam, aut flaua post mellis & leguminum, nec febris subsequatur, non est metuendum: quod si humores non in iecore, sed in ventriculo geniti sint, ob imbecillitatem coctionis. Sin autem morbus subsequatur, metuendum, omnis autem vomitus, deiectio, sputúmque humoris (non dico puris) sincerum (sed & hoc præstat esse pituitæ permistum) malum est in principio: sed longè deterius in incremento, & peius in statu, quia victoriam humoris, ac libertatem decernit: quæ tanto deterior est, quanto temporis ad concoquendum minus relinquit: tum quia interim naturam nihil præfecisse, sed morbi vim potius indicium sit. Cum igitur in vigore morbi nullum sit, pessimum est. Spectare autem decet in omnibus, an virtus ferat, & robustior fiat, contingit enim nos non bene aduertentes in æstimatione sinceri & crudi temporúmque morbi dignotione persæpe falli: quare ad virtutem diligenter aduertas.

Non sunt audiendi, qui Aphorismum tanquam de causa loquatur mortis, interpretantur: tanquam scilicet atra bilis exeundo exulceret, interficiat, nam id non solùm contra Galeni mentem, sed etiam veritatem est. Non enim quæ exit, cum tunica vice plerumque solùm exeat, interficit: nam etsi gladius esset, discinderétque semel ventriculum, sanari posset, nedum atræ bilis vomitus, cuius noxa vix sentitur: sed signum est, talem succum in corpore abundare Nec is humor solùm mortem significat, si sincerus euomatur vt cæteri, sed etiamsi cum aliis permistus, quanquam non adeò celerem mortem portendat. Quòd si quis obiiciat, de

perseuerante vomitu Hippocratem loqui. Primùm id Hippocrates nec apertè nec tacitè, vt in præcedenti Aphorismo expressit, sed in subsequentibus potius de hoc verba faciet.

Aph. 14.

Animaduertendum hoc nunc esse rarum, nec à me in xxx. annis, nisi semel visum, in Alexandro bibliopola, qui & quarto die mortuus est. Hippocratis autem tempore frequens hoc fuit, nam aliter non scripsisset: perpetuis enim inniti solet experimentis Hippocrates. Brasauolus tamen quendam sanasse robustum equitem, & extrema passum, & non nisi post sex menses. Quem certè credo non mentiri: circa cognitionem autem humoris decipi posse non negauerim.

Quòd verò miscendo praua cum bonis natura concoquat, Hippocrates declarat in libro de Veteri medicina his verbis: Et quos quidem acuta atque acris ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies & morsus viscerum ac pectoris, & desperatio. Non sedantur autem hæc, priusquam expurgetur & prosternatur, & aliis permisceatur. Concoqui autem ac permutari, attenuari ac crassescere in humorum speciem permultos & varios modos contingit. Liquet ergo prius permutandam, inde permiscendam, demum euacuandam.

Iuxta finem.

APHORISMVS XXIII.

QVibuscunque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger subter exierit, postridie moriuntur.

COMMENTARIVS.

QVod suprà letalius sit quàm infrà, sæpius diximus. Hippocrates tamen æqualia statuit, dum dixit: Postridie moriuntur, quoniam tanto validior est qui euomit, quanto deterius afficitur. Vomitus enim fit à maiore nixu, & musculis epigastrij secessus, vel etiam solo ani musculo resoluto, quod ab imbecillitate sola prouenire potest. Vnde exonerando ventrem multi mortui sunt, velut de Arrio hæretico ferunt: vomendo nullus, tametsi suffocari contingat. Ob id igitur æquali temporis spacio pereunt qui talia vomunt & deiiciunt., hi quidem, quia imbecilliores: illi, quia tanto deterius vomendo afficiuntur. Manifestum est autem, quod (vt dixi) parem aut eandem facit atram bilem cum humore sanguini simili.

Dubium tamen est, etsi ad medicum pertinere non videatur, omnia tamen scire, quæ ad artem reduci possunt., expedit, quonam pacto multi ab obitu nigra & alia euomunt, imò sæpius quàm per aluum deiiciant, si vomitus validioribus viribus indiget? Primum quidem, mortuos euomere quicquam omnino tam absurdum est, quàm etiam comedere, loqui & ambulare. Omnia enim hæc vi musculorum necessariò fiunt: per os tamen reiiciuntur quædam quæ sponte defluunt, vt in his qui proni dormiunt. Disrupti etiam abscessus erumpunt, qui teste Auenzoar, in morte disrumpuntur, quia magna fit mutatio. Dixerim etiam quoniam constrictis circumiacentibus partibus franguntur. Multis cibus copiosè ingestus, & in ventriculo retentus, vbi continens virtus sublata est, nec ventriculus amplius constringitur iuxta os, sponte quod continetur, effluit: præsertim subsidente pectore, & membris naturalibus, vt iecore, descendentibus, aliis contractis, vt septo transuerso. Feces verò cum sæpius soleant euacuari, & plerumque sicciores sint, non tam facile in mortuis dilabuntur. Si tamen liquidæ fuerint, effluunt, vt in bobus claua ictis.

Extenuatos ad extremum virium lapsu, & carnium consumptione intelligit, non simpliciter debiles aut macilentos. Ex quo apparet quod dixi, scilicet Hippocratis ætate frequentem fuisse horum humorum eiectionem, tum per superna tum per inferna, atrãque bilem esse aut idem, aut valde similem, eiusdémque penitùs potestatis, cuius est niger humor, qualis est sanguis. Duos quoque præcedentes, & hunc & eum qui sequitur Aphorismum, de vtroque intelligi debere, scilicet nigro humore, qualis est sanguis, & atra bile: viderique Hippocratem voluisse in his quatuor continuis Aphorismis declarare, quod ex quinque modis, quibus tales humores eiici possunt, quatuor omnino sint letales: quintum, velut cuius regula generalis assignari non possit, prætermisisse. Sunt autem hi modi: aut enim hic humor ab initio eiicitur, perseueransque causa est morbi, vt in sequenti Aphorismo: aut ab initio quidem eiicitur, sed neque perseuerat, nec reiectus ob id morbum facit, quia reiicitur, vt in præcedenti: aut in fine morbi extenuato corpore, vt in præsenti: aut nec in initio nec in fine, sed generaliter per morbi decursum perseuerans, vt in vigesimoprimo, atque in omnibus casibus letalis est, in 21. propter multitudinẽ in vigesimo secundo, quia significat morbum fieri ex eodem materiæ genere: in præsenti, ob motum materiæ non à natura factum, sed sponte: in sequenti, ob morbi prauitatem, quæ ab exitu materiæ, non ab illius substantia pendet, ne cum 22. Aphorismo confundatur. Quòd si in fine morbi viribus constantibus eiiciatur, hic quintus erit modus, cuius regula generalis assignari non potest.

Apparet autem, cum talis humor in mortis prodeat, tum etiam aliis persæpè, non esse inuentum nostrum de materia quæ sponte mouetur, vt dici solet, chimericum. Adiuuat & hoc in viuentibus calor ille naturæ contrarius, qui moriente homine cum naturali licet quandoque serius paulo extinguitur. Cur igitur, si à mortuis reiicitur, quia sponte exit, in morbo debilitatis atque extenuatis reiici sponte non poterit.

Alios modos quibus corpora extenuantur, intelligit, velut naturalem quandam tabem, in copioso defluxu sanguinis à puerperio, quamuis hic si morbus in diu flagellatis aut verberatis, in fame, vt solet contingere tempore penuriæ, cum homines solis oleribus

bus vescentes extenuantur. In extenuatione tria sunt necessaria: consumptio carnium vsque ad membra solida, recessus coloris illius floridi, & virtutis casus, nam si virtus maneat, non verè, sed sola specie erunt extenuati, impossibile enim est solida colliquari, & virtutem manere robustam: quandoquidem quomodocunque contingat hoc, necesse sit antea floridum sanguinem, & omnem adipem, & carnes absumi, at floridum colorem & virtutem excidere absque extenuatione contingit, quoniam minora absque maioribus, non contrario modo esse possunt. Fieri etiam potest, vt viso tali humore æger postridie nondum extenuatus moriatur. Et præsertim in morbis pestilentibus, & si humor ille copiosus sit, qui reiicitur: aut si virtus fuerit imbecillis, & in decrepitis. Sed Hippocrates huius non meminit, quia generaliter non sunt vera. Vidisse hoc in Prisciano, nobili viro, affirmat Brasauolus. Sed Hippocrates nobis ex propinquitate & distantia ad extenuationem iudicium faciendum relinquit. Sicut è diuerso genere, sed tamen simili, in extenuatis si liuida aut æruginosa appareant, paulo serius moriuntur.

Tres igitur in vniuersum praui humores, atra bilis, sub qua (vt dixi) niger humor, qui apud Galenum secunda species est atræ bilis, comprehenditur, nam si is non esset niger hic humor, sed sola fex sanguinis, neque admodum perniciosus esset, vt Hippocrates vult: nec Galenus rei species connumerasset in libro de Atra bile, aliisque in locis. Constat enim verè non tres esse pessimos humores, sed tantùm duos. Quod si niger humor Hippocratis non est species atræ bilis Galeni, necesse est & Hippocratem præteriisse atram bilem, quæ ex melancholia fiat: & Galenum, quod apertius est, nigrum humorem Hippocratis. Hæc igitur atra bilis, qui est humor niger, purus, siue omnino dilutus, & minus splendidus: seu splendidus admodum, non tamen dilutus, sed vt cinis aqua concretus, aut vt melius dicam, terra illa nigra splendida, qua pictores vtuntur, aqua diluta est humor ille pessimus. Secundus est bilis æruginosa, quæ qualitate ab atra bile deficit, neque enim adeò exusta est. Tertius est humor liuidus, qui quantitate deficit ab atra bile, cum fiat ex modica atra bile, alteri humori mista. Constat sanè atram bilem his ambabus esse deteriorem: horum verò duorum quis sit deterior, non adhuc constat. Sed Hippocratis iudicio liuidus deterior est quàm etiam æruginosus. Secũdo enim Prognosticorũ inquit:
t.9.& 41. Si verò vomitio fuerit porracea aut liuida aut nigra, transiens à minus malis ad pessimam, si quis ordinem hunc cum antecedentium ordine conferat, nigræ proximiorem liuidam constituit. Et paulò pòst: Ocyssimam verò abolitionem significat vomitus materiæ liuidæ, si graue olet. Et vt in vniuersum dicam, liuida extinctionem caloris naturalis indicat, ideo deterius signum: viridis autem deterior causa, vnde plus affligit: atra bilis vtroque modo pessima est. Liuidam tamen præfert tanquam deteriorem atræ bili: non quia ita sit, sed quia circa liuidam falli non ita contingit, vt circa nigram, nam nigra quandoque ex sanguine sanguinisve fece constat, quæ non mala persæpe est, atræ bilis ergo exitus licet sit deterior quàm liuidi humoris, bifariam tamen minus certum affert exitium, quàm liuidi humoris: aut quia decipimur in cognitione, vel si per viam crisis fiat. Quamobrem non semper liuidus humor fit permistione atræ bilis, vt Galenus censet: sed vt plurimùm cum natura concoquendo deficit, & calor non naturalis exurit tamen. Ob id liuidus color imbecillitatem caloris naturalis semper refert: atra bilis non sed maiorem caloris vim præternaturalis & materiæ prauitatem. Vnde neque deiectio aut vomitus liuidus detrimenta afferunt, quæ nigra aut æruginosa: sed solùm signum natiui caloris extincti sunt. Porrò æruginosi vomitus ab initio exemplum habes tertio in tertium de Morbis vulgaribus, vbi Hippocrates phrenitici mentionem faciens, inquit, t.75. quòd prima die ἰώδεα πολλά, id est multa virulenta. Cornarius æruginosa vertit, & bene meo iudicio, sed tamen virulenta aliquid magis significant, quàm æruginosa, scilicet colorem vltra viridem quendam subobscurum, & forsan liuidum. Is igitur, vt recitat Hippocrates, breui mortuus est tertia scilicet die: Cornarius quarta exponit. At Cleonactides, tertio in primum de Morbis vulga- t.13. ribus, cum vigesimaquarta vomuisset virulenta seu æruginosa, in octogesima seruatus est, ac liberatus. Tanto enim mitior est morbus, quanto in vomitu aut deiectione praua tempus vigori proximius est. Serius autem liberatus est, quoniam vigesimaquarta sub incrementi initio fuit. Nigri autem vomitus exemplum habes tertio in tertium Epi- t.19. demiorum, vbi cum æger pauca biliosa & nigra in octaua vomuisset, in vndecima obiit. Epicratis autem vxor, cum circa vigesimam similia vomuisset, seruata est, in octo- t.Com.1. gesima iudicata: quoniam prope statum id contigit, nam vigesima septima subsidentia in vrina erant, & morbus decubuit ad abscessus. Herophon autem, cum in quinta ni- t.Com.12. gra & pauca deiecisset, in decimaseptima iudicatus est: quoniam non erant biliosa, neque vti sanguis, sed nigra simpliciter. Verùm nullius tam admirabilis historia, quàm tertij ægri primo in tertium Epidemiorum descri- t.Com.18. pti, siquidem inquit: Deiectiones nigræ, tenues, spumosæ, quæ in retrimentis subsidebant, liuida erant, atque hæc secũda die. Pòst subiicit: Quarto vomuit biliosa, flaua, pauca, postea æruginosa. Et rursus quinto: Deiectiones plures nigræ, spumosæ, in his nigra subsidebant, sexto die retrimenta nigra, pinguia, spumosa, tenacia, fœtida: octauo etiam retrimenta nigra, pauca, compacta. Quintodecimo etiam aluus subiecta balano nigra reddidit stercora, & in decimo septimo etiàm spõte nigra deiecit, in quadragesimo tamen cum his omnibus perfectè iudicatus est, quanquã per totum morbum nigra apparuissent. Quatuor videntur hunc ægrum præter spem seruasse, quorum tria Galenus adducit: abscessus 1.in 3.Epid. com.19.22 23. in lienem, signa fallacia, & virtutis robur: quartum est, quòd nigra dixit, non autem nigram

gram bilem, æruginí autem addidit, quia necessario æruginosa sunt biliosa. Hæc omnia adiecisse volui, vt intelligeres hos colores minus malum afferre in augmento quàm in initio, vel dissolutis viribus, vel si diu perseuerauerint.

Liquet etiam cur in Prognosticis dixerit, liuidas, fœtidas, omnium celerrimam mortẽ prædicere, nam in liuidis caloris naturalis debilitas ostenditur, in fætidis præternaturalis abundantia & vehementia. Quid igitur ad mortem properare magis faciet, quàm caloris natiui imbecillitas, & ignei seu præternaturalis magnitudo? Deinde atris caloris nõ naturalis abundantia, si adsit fœtor, tamen nullus magnus adesse potest, quoniam sunt velut cinis in his quæ igni comparantur, cinis autem minimè fœtet. Sin autem locum obtineant fecis sanguineæ, neque sic fœtent: calidæ enim non sunt. Obiicies quòd Hippo-
Com. 1. Sec. 9. crates dixerit tertio Epidemiorum: Vomuit multa nigra graueolẽtia duodecima die, vbi etiam recitat quod subsequenti vomuit nigra virulenta. Sed varietas lectionum nunc nonme torquet, Græca simili modo se habent: ἤμεσε πολλὰ μέλανα δυσώδεα, vomuit multa nigra graueolentia, hæc quidem mortem quartodecimo die prætulerunt: non tamen fœtida dixit, sed graueolentia: quoniam vomitus non soleant olere malè: hæc autem grauiter olebant, non tamen fœtida erant, vt in deie-
1. Ep Com. 3. Tex. 31. ctionibus. Sed dices: Melidiæ pauca, valde biliosa, mordacia, nigra, graueolentia deiiciebantur, quæ etiam seruata est. Dico, non erant mera.

Reliquum est tandem, vt doceamus an in aliis casibus nigra eandẽ vim obtineant, velut vrinis, sputis, sudoribus, tuberculis & abscessibus? Sed vrinarum tractationem suo loco reseruamus: sudores nigros neque vidisse, neque audisse, nec legisse vsquam memini. De tuberculis dicebat Hippocrates primo Epi-
Com. 3. t. 26 demiorum: Critoni in Thaso pustulæ nigræ cum febre acuta & delirio, pes ad talum cum tumore subrubro & contentione: deiectiones multæ, meræ, biliosæ, obiit autem in secunda die. Galenus in Commento inquit, hoc fuisse signum malignitatis materiæ, quòd pustulæ nigræ fuerint. Vidi ego puerum ætatis annorum circiter octo, filium sacerdotis, cui pustula nigra apparuerat in mento, & gingiuæ putruerant, & cum fœtore oris tam magno, vt nemo appropinquare illi posset, mortuusque est in sexta: venter ab initio intumuerat, vrinæ albæ, non planè claræ. Erat in villa ad secundum milliare à Saccensi oppido. Solent autem istæ nigræ deiectiones tum pustulæ & abscessus, tum sputa ac vomitus, taliáque ruri & in rusticis potius quàm in vrbibus apparere, propter laborum & exercitiorũ & æstus immoderantiam, tum ciborum prauorũ vsum insolationem in aqua. Tempore verò Hippocratis parum differebant mores ciuium, & vita à moribus, & vita nunc nostrorum rusticorum. Referebat medicus quidam mihi anno M.DXL. vidisse in villa quadam innumeros ægros, qui nigra veluti sanguis deiiciebant, dolebántque præcordio dextro: neque vel vnum ex octoginta fermè seruatum. Ex quo apparet, talia gigni, indéque deiici, ob substantiæ iecoris corruptionem.

Sputa verò nigra, praua admodum sunt, t. 48. & 49.
& cæteris coloribus deteriora: secundo Prognosticorum. Sed illud animaduertendum diligenter, quod cum omne sputum quanto tardius aduenit, eo peius sit, vt ibi docet Hippocrates, seu flauum seu alterius coloris: ob id in sputis nigrum deterius est in successu morbi, quàm iuxta initium, cuius contrarium de deiectionibus, abscessibus, vomitibus, tuberculis, vrinis est dicendum, nam hæc vt seriùs apparent, modò constante virtute, eo minus timenda. Excretiones enim omnes, præter sputum, vt dictum est, à sola naturali facultate fieri possunt, quanquam in vomendo & deiiciendo exigua virtute animali adiuuemur, at sputa non fiunt absque magno animalis virtutis robore aut nixu: propterea sputa nigra quanto serius apparent, eo sunt letaliora, contra ordinem aliorum signorum.

Illud non prætercam, quod ansam errandi pluribus dedit, cum Galenus secundo Pro- Com. 47.
gnosticorum inquit, nigra sputa posse à frigiditate fieri, & ab vtraque atra bile, nam liuidum à frigido fieri potest, nigrum autem nunquam. De fusco forsan dubium est, nam etsi subgrundiis, vbi sol non lucet, terra nigra videatur, quia aqua plurima ac diuturna maduit, in humano corpore tanta frigiditas esse non potest, vt quicquam nigrum appareat. Fuscum non negarim, nec tamen audeo affirmare. Nigrum igitur semper ab immoderato calore, liuidum à frigore, si tota substantia tale sit: aut si secundum superficiem tantum à pauca atra bile, fuscum plerunque à calore. Sed illud nos decipit, quod sicut cinis ab immoderato calore fit, nec tamen calidus, sed frigidus est, ita humor niger. Liuidus autem vtroque modo frigidus est. Itaque vt cum venia dicam, ita me superi seruent, vt vellem potius Galenum tueri quàm accusare, quædam maxima ac difficilima satis inconsideratè protulit.

APHORISMVS XXIV.

Difficultas intestinorum si ab atra bile incœperit, letalis est.

COMMENTARIVS.

Vlcera ani difficillimã sunt ad sanan- 4. Artis ult. Cap. 5.
dum, quod humidus ille locus sit admodum, nec quiescere ob situm medicamenta super eis possint. Sanatio autem vlcerũ ex siccatione prouenit, adeò vt huiuscemodi vlceribus Arcis custos nostræ, & Aloysius Siculus, & Lopes, viri nobilissimi, tum alij multi perierint. Multo magis insanabilia sunt intestinorum vlcera, cum eis medicamenta adhiberi commodè non possint, reliquaque quæ in ani vlceribus diximus obstent. Prorsus ergo insanabilia erunt, quæ ab atra bile fiunt, simillima carcinomatibus, ob causæ facientis contumaciam & prauitatem. Sed hæc in intestinorum difficultatibus, in quibus & vlcera sunt, & sanguis apparet.

Verùm si diarrhœa tantùm sit, nec adhuc exulcerata sint intestina, quærendum est, vtrum necessarium sit subsequi vlcera, & sanguinis exitum. Ego in nobili adolescente diarrhœam à materia nigra incipientem vidi, perseuerantemque vltra quadraginta dies: nec tamen ad intestinorum difficultatem transiit, sed sanatus est, & adhuc viuit. Neque reor quod vlcera illa carcinomatibus sint comparanda, in quibus materia intus est: sed ob velox incrementum adiecta sanationis difficultate tales pereunt. Pereunt & quicunque vlcus paruum & profundum contraxerint, quia mala materia intus seruatur. Sanantur hi potius, quibus vlcera lata fiunt: ea enim minus profunda sunt.

Omnes verò fluxus videntur medici in tria genera diuisisse: lienteriam seu intestinorum leuitatem, cum cibus nondum coctus exit per aluum: dysenteriam seu difficultatem intestinorum, & diarrhœam, cum humores infrà effluunt, vt habetur primo Epidemiorum.

Com. 2. Sec. 36. Atq; hæc sunt mala effluentis nigri humoris. Si autē retineatur, facit furores, melācholiam, comitialem, carcinomata: exedit corpus habitum corrumpit, facitque elephantiasim.

Difficultatis intestinorum causæ sunt, venena acria, & humores humorum plerunque flaua bilis, pòst nigra, inde viridis, post pituita salsa aut serosus humor. Omnium leuissima est, quæ à flaua bile. Raro ab aliis bilis generibus fit, nisi in pestilentibus constitutionibus: tum quia substantia intestinorum dura est, tum quia acribus humoribus assueta: tum quia lento humore interior superficies vestitur: tum quòd maximum est, quia protinus vt acris humor inhæserit, excutitur. Quo fit, vt facile colicam dysenteria consequatur, non solùm ob dolorem attractis humoribus acribus ad locum, sed impedita facultate expultrice, quæ in intestinis alioquin valida esse solet. Est & aliud dysenteriæ significatum, quarto de Articulis, cum apertis venis intestinorum citra erosionē sanguis profluit, iecoris imbecillis vitio, atque in hoc iecur, non intestina curanda veniunt: sed & hoc genus magis letale est, quā quod ex erosione fit. Commune vtrique est, tormina pati, antequam deiiciant sanguinem, & pingue quippiam deiicere. Discrimen doloris magnitudine, & humorum acrium permistione, qui in epatica desunt. Cum verò ad curam & prædictionem multum prosit scire, cum vlcus adest, vbi sit, Galenus sexto de Locis docet. Nā quæ in gracilibus intestinis per erosionem fiunt, tribus de causis celerius pereunt, quàm in crassis. Dolor enim maior, & substantia tenuior & perforata maiorem noxam afferunt. Ex harum in recto intestino exulceratione tenesmi fieri solent, secundo Epidemiorum. Contingit & dysenteriam sequi lienteriam, cum lienteria ex acribus humoribus in ventriculo contentis facta fuerit, vt sexta Aphorismorum. Item ex potu aquę, quæ per canales plumbeos fluunt, dicit Galenus ob limum, qui in ea continetur, septimo de Compositione secundum locos. Mihi videtur quod potius ob plumbum id eueniat: quoniam vis sulphurea erodit, & natura plūbi debilia reddit intestina, vnde humores acres influunt: & aqua ob frigiditatem grauis, tùm plumbi substantiam lentum humorem, quo intestina circumuestiuntur, educit, vnde nudata facilè exulcerantur.

Secundo in 1. Epi. c. 7. 1.

Com. 40.

Cap. 2.

Com. 1. Sec 36.

Com. 1.

Cap. 2. Sec. 9.

APHORISMVS XXV.

Sanguis quidem suprà qualiscunque fuerit, malus: infrà autem nigra deiecta, bonum est.

COMMENTARIVS.

Memorem te esse, præsupponit Hippocrates: nam quæcunque nigra deiiciūtur, modò non sint nec atra bilis, nec vti sanguis, bona sunt, id est vtilia: non tamen bona signi ratione, cum melius esset naturam omnino inculpatam habere. At dices: Quomodo coniunxit nigra hic sanguini? Hoc est quod non animaduertunt expositores, oppositionē enim proponit duorum contrariorum: rei naturalis præternaturaliter emissæ, & hoc est malum, vt sanguis suprà emissus: & rei præternaturalis naturaliter emissæ, nigra enim præter naturam sunt, cum nihil nigrum exquisitè naturale sit: infrà autem deiicere secundum naturam est, hoc igitur bonum, coniungitur veræ præcedēti, quia ibi iambo emittuntur, simul & naturale & præternaturale omnino, & in vltimo, quod dicit, letale esse Vnde præternaturalia secundum accidens, vt nigra cruda si eiiciantur, hominem leuant: at quæ ad substantiam attinent, quia cocta esse non possunt, vt malè olentia & atra bilis, mala sunt. Si tamen constantibus viribus eiiciantur, iuuāt, vt mala: nocēt, vt eximiè mala, in eiiciēdo, quare patet cōcordia Aphorismi.

At dices, sexta Aphorismorū: Mulieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus fit solutio. Et illud etiam magis in septima: Quicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si verò cum febre, malum. Curare autem acerbis & refrigerātibus. Galenus subterfugit memoriam huius Aphorismi. Fuchsius autem illum totum peruertit, comparatiuè legendo: vt liqueat verè dictum à Christo, Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Non curabo illorum errores, sed vt sententiæ concordentur, vt sensus qui aliter elici non potest habeatur. Omittamus ergo illorum errores, quorum nō est numerus: & quos, cum aliter dissimulare non possunt, obliuione tegunt. Illud autem solùm ex Galeno defendi potest, omissa illa inuersione lectionis, Nigra deiecta melius est, pro bonum: quæ expositio Anglicana est, quod ait posse de sanguine hæmorrhoidarum hîc intelligi, attamen, etiā si niger non sit, sed flauus vel crudus & albus, vtilis persæpe esse, experientia deprehenditur, vt adiectione nigri non indigeret: Dicamus ergo, sensum Hippocratis esse simplicem & clarum: sanguis niger bonus est, si deiiciatur: at deiectiones, qualis est sanguis niger, pessimæ sunt, deiectiones etiam nigræ, non qualis est sanguis, nec vt atra bilis, bonæ etiam sunt: vt vterq; sensus sit verus. De sanguine verò, qui per superiora, id est per os eiicitur, vt rectè exponit Galenus, si quidem per tussim malus. Dicente eodem, à sanguinis sputo, saniei sputum, à sanie

31. Aphor 36.

nie autem tabes, à tabe mors sequitur:si verò per vomitum aut cum febre,& tunc nulla est contradictio, malum enim palàm est. Sola difficultas est de sanguinis vomitu atra febrem. Clarum est autẽ,quod in illis Aphorismis loquitur de sanguine exeunte per circuitum, est enim tuta satis expurgatio, & paulo magis periculosa ea quæ fit per sanguinem narium,vt enim vidimus, à magnis morbis nos tutos reddit:adeò vt viderim matrem Florij in Saccensi oppido,iam annis ab hinc triginta sex,quæ huiusmodi vomitu nonagesimumsextum, vt aiebant, annum excessit: alias quoque plures fœminas, viros paucos,omnes tuti euasere. At si vnica tantum sit euacuatio, non poterit fieri reclusis vasis ob redundantiam, sed vel concussione vel erosione vel medicamento pernicioso, vel ob nimium dolorem, vel ruptura venæ: quicquid in causa sit,malum est, & periculosum. Propterea verbum illud, Euomunt, cum præsens tempus significet, circuitum manifestè innuit.Velut dicimus,Dilapidant, id est quotidie ad dilapidandum redeunt.Occupat enim præsens omnia tria tempora: proprium, præteritum & futurum: præteritum autẽ & futurum,suo loco contenta sunt.

7.Aph.15. & 16.

APHORISMVS XXVI.

A Difficultate intestinorum habito si veluti carunculæ exeant, letale est.

COMMENTARIVS.

LEtale dicitur apud Hippocratem, quod plerumque mortem affert, & natura sua, non necessariò, nec semper. Quòd si huiusmodi signo vel imbecillitas virium, vel materiæ prauitas magna, vel vt portio integra intestini exeat,adiungatur,omnino æger morietur.Nihil tamen certius cùm in aliis morbis, tum in hoc ipso præcipuè, imbecillitate virium.Cur verò dixerit,ὁκοῖαι σάρκες,quod melius vertit Fuchsius, veluti carnes, patet quoniam tota substantia intestini iam exesa, partes mesaræi absumuntur.Vnde nec sic intellexerunt Aphorismum. Si enim de exteriore tunica intestini loqueretur,nec adeò letalis esset,nec carni simillima. Apparet autẽ ex Vesalio,colon mesaræo,& rectum intestinum musculis insidere. At cur non dixit:Caro:sed,Veluti caro exit?Quoniam extra intestina sunt & caro & corpus glandosum, cui colon insidet & pinguedo, quæ concreta est: quæ singula si exeant,necesse est perforatum esse totum intestinum & lata plaga:& tamen cum non sint carnes omnes, sed carnibus quodammodo similia,dixi, Veluti carnes.

Lib.5.c.19. & Figura 13.

APHORISMVS XXVII.

QVibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, cum reficiuntur, alui his humectantur.

COMMENTARIVS.

VNdecunque fluat his sanguis,veritatem habet,seu ex hæmorrhoidibus,seu è naribus, seu plaga: quando vna est ratio dicti huius,si quidem dum renutriuntur non posse ob imbecillitatem caloris nec concoqui cibos, nec distribui, neque agglutinari: vnde prægrauantes naturam ab illa expelli per secessum solent. Quoniam non solùm tenuis redundat humor, sed etiam crassus, vt non per solas vrinas excerni possit.Hoc verò magis continget, si plurimo & crasso & minimè astringente vtantur cibo, nam in quibusdam qui acrem retinent calorem, dum solidior pars retinetur, vrinarum profluit multitudo.Dictum igitur Hippocratis,cùm generaliter verum sit, par erat Galenum exponere,cur id dixerit accidere in febribus, non sine illa?Fuchsius respondet satis bene ex Galeno, tertio de Crisi, quòd febres ardentes plerunque narium sanguinis fluxu finiantur. Ob id causam causæ adiecisse videtur. At hoc tamen non satisfacit, tametsi inuento laudandus sit, nam quid attinet quod generale est, speciale facere? si enim omnis sanguinis fluxio etiam sine febre,naturam euertendo, & calorem naturalem minuendo hoc facere potest, quorsum adiicitur in febribus? Dicam ergo hoc solum tunc contingere, quod experientia docet. Verùm causa est, quod corpus febre siccatum duplici modo imbecille redditur: & etiam, quonam plus necessario effunditur sanguinis quàm necesse sit,& à febrili calore irritato, vnde maior imbecillitas necessariò succedit. Sæpè enim contingit, vt excretio quæ sine febre fit, ob multitudinem sanguinis cõtingat, haud multum tamen debilitatis viribus. Scribitur autem in primo de Iudiciis,valde dissimili sensu: Quibus sanguinis eruptiones plures, his temporis progressu alui malè afficiuntur, si non vrinæ concoctæ fuerint.Clarum est discrimen huius & illius, nam generaliorem causam generalior etiam effectus consequi debet, ideo illò te remitto.

APHORISMVS XXVIII.

QVibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.

COMMENTARIVS.

LIquet hunc Aphorismum, velut & præcedentem, & alium ante hunc, continuam cum eo in quo dicitur (Sanguis quidem qualiscunque suprà fuerit, malum) & cum aliis habere tractationem, nam de euacuationibus, quæ per infernas aut supernas partes fiunt, agitur in omnibus. Scribitur in libro de Iudicationibus sic: Quibus in febribus aures obsurduerunt, his non soluta febre insanire necesse est. Soluit autem sanguis ex naribus erumpens, aut aluus biliosa demittens, aut dysenteria aut dolor coxarum vel genuum accedens. Quandoquidem igitur nulla sit inter hæc contradictio: Pag.4.

non enim vult Hippocrates quod vel ex surditate egestio biliosa succedat, aut ex biliosa egestione surditas:sed si euenerit ex vnoquoque illorum, alterum tollitur. Si enim dum biliosa sunt excrementa,surditas aduenit,necesse est materiam retineri, quæ apta est ad surditatem faciendam.Et si surditati eiusmodi superueniat egestio, euacuatio fit eorum quæ surditatem pepererant. Sic quatuor illa parem habent rationem cum deiectionibus biliosis, sed non ex æquo, surditatem tamen soluunt,dicemus autem suo loco.Eodem modo si quis dicat generaliter: Surditas aluum
Pag.8. sistit,vt Hippocrates in Coacis prædictioni-
Pag.13. bus.Et rursus: Post sanguinis eruptiones, & nigrorum egestiones in acutis morbis surditas superueniens, malum. Sanguinis egestio his perniciosa:surditas autem soluit. Soluunt enim quæ ad superiora,inferiora,atque econtrà.Sic in secundo Epidemiorum: Dolorem in locis infernis surditas soluit, quod etiam
Pag.4. scribitur in libro de Iudicationibus. Cæterùm,illud potius videndum, cur sic surditas soluatur, non vrina potius: quanquam non repugnante Hippocrate, quidam etiam per vrinam liberentur. Respondeo, leuem oportere esse materiam,quæ eò deferatur, & lentam:talis est bilis flaua,& pituitæ commista, neque enim ascendere potest facilè, nisi leuis:nec obstruere meatus,nisi lenta.Cum verò dicat, Superueniente:intelligit,paulo pòst succedente. Quare non indigemus ea particula,quam Galenus adiicit. Sed generale dictum est, etiamsi sine febre hæc accidant, modò paulo pòst succedant sibi inuicem,aut surditas deiectionibus,aut deiectio surditati. Surditates autem insanabiles ex crassis humoribus fiunt.Atque ideo sensim, & plerunque præeunte tinnitu aut sibilo. Huiusmodi,
Pag.15. quanquam hic parerga,docet sanare Hippocrates septimo Epidemiorum, exemplo filij Parmenisci.

Illud non prætereundum, cuius Brasauolus meminit,hos affectus surditatis ac biliosarum deiectionum sæpius in eodem morbo recurrere, vt etiam ter ac quater: quod & ego obseruaui.

APHORISMVS XXIX.

QVibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

COMMENTARIVS.

CVm duo vocabula Græci habeant, ῥίγος & φρίκη, per quæ significantur sensus acris, tristis, quasi discurrens, maximè circa dorsum:verum ῥίγος est validus, & φρίκη imbecillis.Latini verò habent tantum horrorem per quem vtrumq; poterat significari:maluerunt per horrorem solum φρίκην: idest leuem punctionem intelligere: per rigorem autem grauem,& cum concussione,cũ tamen apud Celsum vox ea, scilicet rigor non id significet,sed distentionem in vtraque partem, qua homines rigent, ac immobiles permanent. Bonum fuit admonere lectores, quòd inuentum est Brasauoli,& benè etiam explicatum à Fuchsio. Sed his omissis, quid primùm per difficile iudicium intelligat, deinde cur in sexto,neque enim audiendi sunt, qui dicunt de intermittẽtibus non intelligendum, quòd singulis diebus rigores eis adueniant,nam etsi in continuis vt quibusdam compositis contingit,idem eueniat,non fit difficilè iudicium magis quàm in aliis,cum loquendi modus id apertè insinuet: quod intelligit nouè superuenire.Potest autem exemplum haberi multis locis ex Epidemiis:velut in primo Epidemiorum Philini vxor, cum superriguisset Lang.4.
octaua die, mortua est in vigesima. At Epi- Lang.5.
cratis vxor, cum superriguisset quattadecima (qui dies est indicatorius) liberata est in quadragesima. Quidam verò ipsa die, vt Cleanactis in octogesima: Dromeade verò Lang.6.
vxor,cum sexta superriguisset, quanquam & Lang.11.
antea in tertia,eadem die periit.Melidiæ autem vxori non rigor,sed horror sexta die in- Lang.14.
cidit cum magno labore, ideo in vndecima liberata est,quoniam reliqua omnia erãt mitiora:nec rigor fuit,sed(vt dixi)horror,rigor enim à potentiore causa fit,& viribus etiam imbecillioribus,licet non sit is qui fit ab imbecillibus viribus cum magno motu. Sic &
Hermocrati tertio Epidemiorum, cum mor- Lang.2.
bus regius sexta die aduenisset, periit in vi- Pag.2.
gesimaseptima.Sic Euryanactis filia,cum iu- Lang.6.
dicata esset in sexta, & erupisset etiã aliquid Pag.3.
suppuratum circa sedem, nihilominus periit decimaseptima die.Virgini verò quæ in Ab- Lang.7.
deris habitabat, horror cœpit sexta die, sed Pag.10.
plurib.diebus cum perseuerauerit,ægrè liberata est in vigesimaseptima:virgo verò quæ in Larissa,licet videretur primũ passa horrorem in sexta,quotidie admonuit eam passam, ideo euadere facilius potuit, & quanquam
sudauerit,tum & liberata sit. Refert Hippo- Lang.11.
crates causam in menses,qui primum ei eru- Pag.11.
perunt. In vniuersum, mutationes quæ secũdum naturam fiunt, bonæ sunt:natura enim principium est conseruationis,quæ & alimẽti & nutritionis: at quæ fiunt stimulante nimis morbo,aut morbi causa in febribus, bonæ esse non possunt:quæ verò ex vtraq; ancipites.At natura mouet adiuta motu siderũ,& motu materiæ,qui fit per accessiones,& cõcocta illa.In sexta autem die nec motu siderũ iuuatur,ad summũ enim luna peragrauit partes octuagintaquatuor, quocirca cum tã parum desit ad quadrantem, necesse est vt tam paruo spacio,cum nũ possit expectare,vt magna causa vrgeatur,ac etiam superetur.Vnde & victa & causa potente,& destituta cœlesti auxilio,non nisi malè cedere potest. Sed nec ab accessione,cum soleant diebus imparibus procedere,iuuari potest: neque coctione, nã solet & illa imparibus diebus aut indicatiuis aut iudicatoriis absolui,& si iã absoluta fuit, statim si potest natura emittit: opera enim naturæ ne vel momento differuntur,vbi congruè fieri possint,modò non impediãtur.Iam ergo habes causam,cur sexta dies adeò mala
sit. Verũ quod dixit iudicationes difficiles,li- Pag.3.
bro de Affectionibus inquit:Iudicari in morbis,est cũ morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinũt.
Et in primo Epidemiorum: Cruda & inco- Sec.2.
cta, & in malos abscessus conuersa, aut Const.2.
iudicationem non futuram, aut dolores, Pag.5.
aut

aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Itaque ex iis manifestum erit, difficiles fieri iudicationes, quoties morbi non desinunt primùm:& si desinant etiam, vel sine iudicatione, vel serò, vel cum doloribus, aut si postmodum reuertantur.

APHORISMVS XXX.

QVibuscunque accessiones, fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

COMMENTARIVS.

HVnc Aphorismum de difficili iudicio loqui, velut & præcedentem, & eum illum qui ante ipsum est, & rursus tres sequentes, palàm est. Sed in tribus sequentibus, & in eo, Quibus biliosæ deiectiones: loquitur de difficilibus iudicationibus, eas per exempla abscessuum & surditatis declarans: in hoc & antecedente generaliter. Constat ergo, quod cum Aphorismus ille, Quibus biliosæ deiectiones: continuetur cum prioribus altera parte, scilicet cum de expurgationibus locutus sit, quæ à natura in morbis fieri solent: atque illi prioribus rursus, vbi de purgatione ab arte, à primo vsque ad tres succedentes miro ordine continuatos esse hos omnes Aphorismos. Sed & in duobus illos sequentibus palàm est de iudicatione difficili loqui, quæ ad mortem tendit, sicut antea de salutaribus. Demum distinguit generaliter ratione à diebus sumpta, & exemplo iudicij à sudore bonas iudicationes à malis, vt suo loco videbitur, nam malæ iudicationes omnes sunt difficiles: at non omnes difficiles, malæ sunt. Hæc volui longius tracta subiungere, non solùm ob continuationem, quàm pauculis in Aphorismis prætermiseram: sed vt intelligant lectores, quod neque voluntariè quicquam à nobis adiectũ est, & qualiarte opus sit Hippocratẽ interpretanti.

Igitur de difficili iudicio satis dictum est in præcedenti Aphorismo, solùm illa verba obscura videntur (Si eadem cras occupauerit) solentque interpretari bifariam. Primùm, cùm Galeno vt accessiones eadem hora singulis diebus adueniant, quomodocunque pòst finiantur: & has febres longas esse experimento frequenti dicit Galenus se animaduertisse. Quod verum est, & à nobis comprobatum: nihilominus hoc idem est, ac si quis exponendo Homeri Iliadem, adducat libros de Naturali auditu Aristotelis, qui vera continent, & pulchra, sed quid ad rem? Qui verò dicunt secundo, secundo sensum esse vt desinente prima alia occupet, rationem: non habent quam afferant vllam cum hic casus imaginarius quasi, sit adeò rarus. Itaque constat, vt plerosque alios, non esse intellectum. Deinde aliud est, morbum esse diuturnum: aliud, difficile fore iudicium. Hoc quidem licet illud contineat, non decebat tamen Hippocratem speciem per genus ipsum significare. Sensus ergo clarus est cum in febribus continuis: hoc enim indicauit, cum dixit, Si eadẽ cras occupauerit, quasi finẽ & initium in eodẽ statuat momento, aduentus succedentis fuerit, dum febris omnino remitti videtur, iudicium erit difficile. Hoc quidem certum iam est: quoniam cum intermissionem expectas & quietem, tũ primum à febris insultu apprehenditur, vnde id periculosissimũ est. Quomodo autẽ id fiat, si declarauero, dilucidior fiet sermo.

Cum materia in venis fuerit, computrueritque, ex illius putredine, vt in libro Artis medicæ nostræ docui, alia succenditur. Sed exacerbationem, nec accessionem facere potest, quoniam quiescit materia: vbi verò consumpta tota fuerit, natura illam aliam aggreditur, non secus ac vir robustus, qui plurimos habet inimicos in insidiis: vnde hoc ostendit robur virium & materiæ multitudinem, ex quibus sequitur iudicium difficile. Nos verò sæpius hoc obseruauimus, & claram euidentémque habet rationem. Verùm cum & illud quod Galenus dicit, etiam verum sit, non solum dum singulis diebus, sed etiam cum alternis diebus & quartanis circuitibus febris redit: operæprecium fuerit, non vt rem intentam ab Hippocrate, sed vt appendicem examinari. Galenus ergo rationem huius refert in stabilitatem causæ, vt fixa sit. Quod probabile primo intuitu videretur, nisi & febres quæ anticipant æqualiter, & quæ postponunt, cum idem tempus exigant, eundem effectum facere oporteret: quod experimentum non confirmat, quæ enim postponunt, communiter finiuntur breui: & quæ anticipant, magno spacio. Vt primus ordo in breuitate sit earum quæ inæqualiter & multum postponunt: pòst, quæ ęqualiter multum postponunt: inde, quę multum & inæqualiter anticipant: deinde quæ æqualiter, sed multum anticipant: deinde quæ parum postponunt, deinde quæ parum anticipant, longissima, quæ (vt dixi) eadem hora reuertitur. Quòd si quis hunc ordinem consideret, inueniet huiusmodi febres ex solis statu oriri: ille enim eadem hora & fermè momento eodem eundem signiferi locum obtinet: quapropter materia quæ mouetur, cum tam certo ordini subiiciatur, solis exitum ex signis atque reditus ad loca aspectus expectat, ideóque raro ante quadragesimam accessionem finitur: in tertianis verò longior, ac magis in quartanis.

APHORISMVS XXXI.

LAssitudinem habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

COMMENTARIVS.

SCribitur hic Aphorismus in libro de Humoribus sic: In febribus ad articulos & circa maxillas maximè abscessus fiunt, prope sanè dolores vniuscuiusque, ad supernam partem magis, & in totum. Si verò lentus fuerit morbus, & deorsum tendens, infernè etiam abscessus fiunt. Maximè autem

tem pedes calidi infernè significant, frigidi supernè. Nescio quomodo Brasauolus interpretatur Hippocratem de longis febribus, cum generaliter loquatur, imò ibi generalius quàm hìc. Sensus ergo talis est, si licet Hippocratem per Hippocratem exponere: In febribus sæpe fiunt abscessus, vel articulis, vel ad maxillas, iuxta locum doloris seu lassitudinis, nam si dolor in toto fuerit, id est in omni corporis parte, ad articulos magis decumbunt: sin autem ad supernam partem, magis ad maxillas. In lentis autem febribus magis ad infernas, quoniam materia crassa est, & similiter si dolor descendat. Tertium signum sumitur à pedum caliditate: nã eò materia tendit, ac ibi concoquitur, aut saltem vapores, ideo abscessum in infernis partibus significat: sin autem frigidi; contrà, vt sint tria signa, cum abscessus fiunt, in suprema parte, in inferna, & in toto. Pro superna parte maximè obnoxia sunt loca circa maxillas, id est adenes, non, vt quidam dicunt, maxillæ ipsæ: namque periculosissimum esset, si propriè in earum iunctura fierent: alibi verò absurdum est, nec experimento congruit. Patet igitur, materiam quæ febrem facit, quandoque in ambitu totius esse, & quandoque etiam in partibus circumiacentibus cerebrum, nonnunquam in ipso cerebro contineri. Galenus quoque hunc ordinem secutus videtur, dicens: In febribus generaliter fiunt tales abscessus, quòd febris liquefacit humores, & impellit tum vapores) accidit enim velut in pluuia, vt ex humore fiat vapor, & ex vapore rursus humor) qui ob latitudinem iuncturarum & adenum imbecillitatem facilè recipiuntur, atque colliguntur in eis, fiúntque abscessus: frequentius verò, si lassitudo adsit, nam illa & locorum horum plenitudinem, & imbecillitatem partium significat. Quòd si etiam lassitudo hæc spontanea sit, magis fiunt abscessus: ipse verò sibi contradicit in quatuor verbis, nam labore contractam lassitudinem vult esse magis causam abscessuum, ob caliditatem & imbecillitatem locorum: spontaneam verò, vt significantem plenitudinem. Sed labor non indicat, quia antequam semicocta fuerit materia (tunc enim solet ad iuncturas detrudi calor ex labore acquisitus) cessare solet. In vniuersum, ex labore si fiat lassitudo, magis à morbi initio decumbunt humores in articulos: si verò à multitudine, magis in febrium fine. Quartum igitur ordinem proponit, cum febri ac spontaneæ lassitudini plenitudo maxima coniuncta fuerit. Vix enim tales ægri abscessus hos effugere possunt.

Hic verò Fuchsius, dum paruum emendat errorem, vertendo γνάθους buccas, non maxillas (de quo non est contentio) impingit in magnum, nam παρὰ τὰς γνάθους, id est circa buccas, vertit, In buccis: quasi nunquam febricitantes viderit, & etiam præter sensum literæ. Quis enim non videt, illum omnia ex Brasauoli opere transcripsisse, nec alium quenquam expositorem illi adiunxisse: sed solum fecisse compendium Brasauoli, adiecto suo iudicio? Sed hæc mittamus, volui solum adiicere, quoniam hæc expositio falsum redderet dictum Hippocratis, quia potissimum adiicit illi in eo morbo: qui si sic intelligatur, vix in mille febrientibus vni continget. Dicebat Hippocrates in libro de Glandulis: Collum ab vtraque parte hinc atque hinc glandulas habet, & vocantur glandulæ hæ tonsillæ: in hunc vsum atque vtilitatem, caput suprà in superiore parte positum, est rotundum & cauum, quod humidum ex toto corpore colligit, nam corpus ipsum vapores omnis generis in illud mittit, quos caput rursus infrà demittit, non enim morari ac manere ibi potest, quod ibi collectum est, non habens sedem firmam quò consistat, nisi sanè caput ægrotet, tunc enim non demittit sed isthic retinet. At postquam attractionem remiserit, in glandulas fluxio vergit, & nihil molestat, donec pauca & moderata fuerit, & ipsæ glandulæ validæ ac robustæ. Si enim multa & acris influxerit, manseritque acris & glutinosa, inflammatur & intumescit, & collum distenditur, & ad aurem progreditur. Et si quidem ad vtranque partem progressa fuerit, vtraque auris ægrotabit: sin ad alteram, vna tantum. Si autem pituitosa & multa ac lenta fluxio fuerit, etiam sic inflammatur: eáque inflammatio quum stabilis humor existat, strumas pessimum colli morbum generat. Hinc manifestus fit sẽsus totius Aphorismi, & quare dixerit, Non in buccis seu mandibulis, sed circa buccas aut mandibulas, parotides enim & strumæ & tonsillæ apparent in febribus, non in mandibulis seu buccis. Hæc sunt quæ verbis, rationibus atque experimentis consentiunt, vt de his non sit dubitandum. Nunc verò quæ de articulis dicat, videamus. Quibus febres longæ sunt, his aut tubercula, aut ad articulos dolores fiunt, septima Aphorismorum in Hippocratis volumine: licet apud Galenum ibi non legatur, Humores concoctu contumaces causam horum, vt etiam prius, esse oportet. Scribitur autem sexto Epidemiorum: Venæ temporum non considentes, & non splendida viriditas, si spiritus intus relinquatur, aut tussis sicca, non ferina, vt in articulos decumbat expectare oportet: è directo distentionum secundum ventrem vt plurimùm. Galenus ibi vt sæpe in verbis Hippocratis cæcutit, cum clara sit sententia: cum pulsant venæ temporum significatur, est ergo ac si dixisset in febribus: Et non splendida viriditas, quæ humorem crudum significat tam in vultu quàm vrinis, nam splendida bilem exustam peccare docet, & spiritus intus relinquatur, quod signum est abundantiæ illius: vel tussis sicca, quoniam in humida tussi humor extruderetur, significat decubitũ materię in articulos, vt plurimũ qua distẽtus parte fuerit vẽter, id est ea parte qua humores peccantes abundant. Vnde palã est, quatuor præcipuè ex signis decubitum materię colligi, ac locum decubitus. Primũ à febre, quia perillã humor colliquetur, & ex colliquatione fluit: ex cruditate, aliter concoctus eiiceretur per vrinas: ex multitudine, aliter quamuis crudus posset etiam concoqui, si validæ essent vires: demum ex loco, nam vt ibi paulo pòst dicebat, Omnes iudicationes secundum rationem ad eandem partem fiunt, quoniam nimis operosum est ad aliam transmittere.

Pag.1. Aphor.6. Part.1. Pag.1.

Hæc

Hæc igitur si ad præsentem Aphorismum transferantur, illius sententiam aperient. Nam febris causa est colliquationis, & exinde fluxionis: lassitudo, multitudinis ac cruditatis, de parte autem hîc non agitur. Igitur hic Aphorismus concors est cum dicto in Epidemiis.

Cur autem humor colliquatus confluat facilè in articulos, colligitur in libro de Articulis, dicens: Articulorum compago bifa- Pag. 3. riam fit laxa: aut ob vinculi humidum abundans, vnde facilè luxatur: aut ob paucitatem carnium, vnde bobus circa finem hyemis, quia tunc sunt macilenti, excidunt facilè ossa. Cum ergo in diuturnis febribus loca illa extenuentur, facilè in fine febrium, & magis macilentis quàm carnosis concauitates illæ humoribus implentur. Adiuuat ad hoc natura etiam articuli exanguis, qua facilè excipit humores influentes. Duabus igitur causis natura materiam ad articulos ducit, quæ ex natura articulorum ipsorum ambæ sumuntur: atque vna varietatem suscipit, scilicet cauitas: alia non, siquidem exanguis natura, quatuor aliæ ex natura humoris, quod sit crudus, colliquatus, pituitosus & multus:

APHORISMVS XXXII.

QVibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abscessus.

COMMENTARIVS.

LAborare, dolere est. Scribitur magis distinctè in libro de Humoribus his verbis: Pag. 3. Quibus ex morbis se erigentibus, statim in manibus aut pedibus dolores fiunt, in his abscessus contingunt. Sed etsi quid doluerit antea quàm ægrotet, ad eas partes firmatur. Quemadmodum etiam tussientibus & anginosis in Perintho, faciunt enim tusses abscessus, quemadmodum etiam febres. Tria genera dolorum considerat Hippocrates: præsentium, vt in antecedente Aphorismo: & subsequentium, vt in præsenti: & præcedentium, vt in sequenti. Quam differentiam Galenus & alij expositores animaduerterunt. Atque ex vtroque laboris genere fieri abscessum docet, priore tanquam signo sumpto à causa generaliter efficiente, in hoc autem à materia seu loco, vt fit vnus prorsus Aphorismus hoc modo: Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potissimum abscessus fiunt. Vt autem scias quo loco, is erit, vbi dum resurgunt ex morbis, dolores sentiuntur. Sed & illud rectè, quamuis obscurè satis vtrunque, & implicatis verbis dictum, quòd dolor duplici modo abscessum ostendit: & vt signum, & vt causa. Vt causa quidem: nam materiam ad se trahit tum calefaciendo locum, tum natura nitente temperare illum, namque videmus, postquam plurimus humor ad locum influxerit, intumueritque, particula dolorem qui secus deberet ob tumorem ipsum augeri, minui, temperat enim calor naturalis adueniens dolorem: atque eo exemplo mitigare solemus dolores, admotis tepidis fomentis. Vt signum autem, quoniam præsentem causam ostendit sui, quæ alia esse non potest, si quis vulnus aut contusionem non acceperit, quàm humor influens atque influxus: significat igitur bifariam causam abscessus, scilicet materiam præsentem, & illius motum ad locum. Sic etiam bifariam causa est, & materiam, vt dixi, trahendo, & locum reddendo debiliorem. Ea verò Galeni distinctio ad idem tendit, dum dolorem à labore distinguit: sed vt clarum est, confusionem sic tradita potius addit, quàm iuuet: præcipuè cum Hippocrates πονέειν verbo vtatur, quo in secunda particula cum dixit, ὁκόσοι πονέοντές τι τῆς σώματος, id est, Quicunque parte aliqua corporis dolent: vt palàm sit, dolorem intelligere, at dolor, vt dixi, & causa est fluxionis, & debilitatis loci atque coloris. Aphor. 6. Plurima enim ex dolore etiam ante fluxionem, & absque humore incalescunt: & signum præsentis materiæ & motus ad eum locum. Quòd verò dixerit in libro de Humoribus, Quemadmodum tussientibus & anginosis: ad sequentem id totum pertinet Aphorismum, non pigebit tamen hîc ob continuitatem illum exponere. His verbis ergo docet, dolorem non solum causam esse, sed quemcunque etiam alium laborem: vt tussim, quæ non est dolor, tamen excitat abscessus ob agitationem: & anginam, quæ etsi plerunque cum dolore fiat, nihilo secius potius in ea considerauit suffocationem quàm dolorem, nam & suffocatio abscessus non solum faucium & circumiacentium partium comitatur: sed etsi non adsint, excitare solet. Proponit autem exemplum de Perintho. Qui vult historiam noscere, legat sexto Par. 7. Epidemiorum, ibi: In Perintho. Pag. 3.

APHORISMVS XXXIII.

SEd etsi ante morbum aliqua parte laborauerit, hic morbus firmatur.

COMMENTARIVS.

IAm in præcedenti Aphorismo, si animaduertis, dixi, Hippocratem loqui de dolore qui accidit conualescentibus: in antecedente illum, de eo qui ægrotantibus: in præsenti autem, de illo qui ante morbum ipsum. Ratio autem eadem videtur fermè, tum à causa, tum à signo sumpta. Dictum est autem in præcedenti Aphorismo, quòd hic ipse in libro de Humoribus describitur per ea verba: Sed etsi quid doluerit antea quàm ægrotet, ad eas partes firmatur: & quomodo id acciderit in Perintho. Causa ergo est dolor, & vt locus debilior reddatur, & vt in eum confluant materiæ: & signum materiæ præsentis & inclinationis ad eam. Quocirca animaduertere decet, si in membro sit vitæ necessariò, vel nimis prope membrum principale, vel in loco vbi perducat ad morbum insanabilem: si abscessus contingat, velut in anno, fiunt enim vlcera eiusmodi,

vt parum lucrifaciat qui superuixerit: quanquam aliqui igne plenè curentur, aut exquisitissimis medicamentis auertenda est materia: aliter euacuato toto corpore sinere, vt præsertim si in articulis contingat, aut adenosis partibus quæ sub mento, aut etiam post aures. Consules tamen in his expositiones Coacarum prædictionum, & primi Prædictionum: atque interim ipsum Hippocratem in eisdem locis. Nunc sat dixisse sit, hunc & duos præcedentes Aphorismos fallere, si multa crassa vrina effluat, vt infrà docebit. Et eius exemplum proponitur sexto Epidemiorum, de Archigenis familiari: & citatur à Fuchsio.

Par. 23. Pag. 6. & 7.

Aphor. 47. Par. 4.

APHORISMVS XXXIV.

SI à febre habito, vbi tumor in faucibus non sit, strangulatio repentè superuenerit, letalis est.

COMMENTARIVS.

QVapropter propositis, vnum quod ad prædictionem attinet, concludit. Proponuntur, quòd à febre detentus sit, nec adsit tumor in faucibus, & superuenerit strangulatio, & repentina: hoc ait esse letale. Vtrum verò, si adhuc perseuerante febre? non ita sanè, quoniam ex febris vehementia id contingere potest. Attamen alia ratione letalis est morbus, quoniam angina omnis quæ sine tumore est, cum acuta febre letalis est. Dicebat Hippocrates in Prognosticis: Anginæ horrendissimæ sunt, & citissimè occidunt, quæ neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt, neque in ceruice: verùm plurimum dolorem exhibent, & erecta ceruice spirationem inducunt: hæ enim eodem die suffocant, secundo item, tertio ac quarto. Quæ verò alioqui similiter dolorem exhibent, attolluntur autem & in faucibus rubores faciunt, perniciosæ quidem valde sunt, verùm prioribus diuturniores. Planum est hîc Hippocratem doloris non meminisse, quamobrem de angina ei nullo modo sermo est. Placet tamen proponere quatuor genera anginæ, quæ Galenus nominat: Cynanchen, cum tunica & masculi gutturis inflammantur, quæ deterrima est ex quatuor: Synanchen, cum fauces ipsæ inflammantur: suxta cynanchen, quando extra guttur: iuxta synanchen, quando iuxta fauces. Igitur vt ad propositum redeam, de ea præfocatione agit, quæ subitò accidit. An verò de illa quam Galenus citat ex primo Prædictionum: In faucibus gracilibus dolores strangulatorij, habent quid conuulsorium, tum aliàs, tum à capite oborti. Sed & hîc doloris meminit, propterea se excusat Galenus, quòd prætermiserit, quoniam etiam citra dolorem fieri strangulatio hæc potest. Videtur autem Galenus hoc ipsum supponere, quòd strangulatio hæc non possit repentè fieri, nisi per materiam defluentem ad guttur ipsum, nullus enim locus tam angustus est, vt repentè possit concludi, nisi ille: & nec ille, nisi à materia. Ideo iurè existimat de angina intelligi debere. Sed præter dolorem, de quo dictum est, qui in angina consequi solet, quis stupor fuisset Hippocratis dicere, letalem per se morbum conualescenti iam aduenientem esse letalem? Quamobrem hîc loquitur de symptomate per se haud letali, nisi hoc modo superueniat, scilicet iam à febre habito. Id ergo intelligemus, si similitudinem huius Aphorismi cum sequenti intellexerimus, propterea illum prius declarabimus.

Pag. 9.

Pag. 4.

APHORISMVS XXXV.

SI à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, letale est.

COMMENTARIVS.

LIquet hunc Aphorismum per similem esse præcedenti. In his qui iam conualescunt, contingit & strangulari repentè: & hi valde breui moriuntur, vtpote in vna vel duobus diebus, neque enim perfectè, vt quidam putant, strangulantur. Similiter & & qui deglutire non possunt, intereunt, sed paulò serius, neque enim isti ex toto ab initio sic impediuntur, vt nihil deglutire omnino possint, sed tandem omnes intereunt. Nec memini vidisse quenquam liberatum, nisi vnum quem ego sanaui, dum essem iuuenis, cuius memini in libro de Curis admirandis, cui iam de more velut expiranti, accensæ erant candelæ. Ex hac dispositione multo plures corripi vidi quàm priore: atque ideo etiam plures perire. Fiunt ergo ambæ dispositiones ex lacertorum inflammatione, nonnunquam exiccatione, & ideo attracto collo vel gula stringitur, & fit impedimentum deglutiendi potum, & magis cibum: vel guttur, & fit suffocatio. Præcedunt hæc signa incipientis dispositionis, in priore, cum bibunt, videtur potus demitti in arundineum tubum, & resonat descendendo, nec appetunt cibum (iam enim terrentur, ob difficultatem occultam deuorandi) in posteriore autem valde malè se habent: & in quibusdam copia magna vrinarum præcedit. At dices, Quomodo à siccitate repentè fieri possunt eiusmodi? Deinde cur in hac peruertitur collum, non in priore? Tertiò, cur non dolent, cum est ab inflammatione? Respondeo, non dolere, cum fit à siccitate: in aliis verò, si non sunt sui compotes, non agnoscunt dolorem: & si sint, adeò timent mortem præsentem, vt non recordentur de dolore, imò cogitant solùm de respiratione, vt ego vidi in Henrico cerdone, cum essem iuuenis: qui cum doleret & strangularetur, doloris non meminerat. Et scias quòd tales non sunt conualescentes, nisi ex mendosa morbi declinatione. Quomodo verò possit repentè à siccitate fieri, istud à paucis est intellectum: lacertus extenditur quantum potest ob necessitatem, & operationis nobilitatem, & tunc sentiunt quandam leuem molestiam:

lestiam: deinde paululum siccatus cum sit res breuis, paulo magis contractus, & viribus debilitatis fit breuior, quantum est dorsum gladij, & tunc sentiunt strangulationem repente. Quædam enim actiones pendentes à duabus causis: quarum vna operatur sensim, alia repentè, & maximè cum mutuò se adiuuant causæ, subitò effectum producunt. Cur autem peruertatur in hoc collum, in illo non, causa pendet ex dissectione. Cum enim guttur à quinque musculorum paribus ducatur (vt Gabriel Fallopius docet) aliquo affecto, & maximè quinto, cuius munus iuxta illum est, qui ligulam dilatat, eo inflammato, nulla obliquitas in collo accidere potest, cum sit res tenuis: at gulæ vinculis inflammatis altera ex parte, cum vincula illa dorso annectantur, necesse est ea trahere collum in alteram partem. Quæ verò referuntur ab Hippocrate secundo Epidemiorum, & citantur à Galeno in Commento, sic se habent: Colli verticula intrò vergebant, quibusdam amplius, quibusdam propè, & collum forinsecus conspicuam cauitatem intrò habebat, & hac parte ad tactum dolebat. Erat autem & cuidam infrà os dentis appellatum, quod non similiter acutum est: quibusdam verò etiam valde rotundum, maiore circumferentia. Si non cum dente appellato fauces non inflammatæ, verùm iacentes: partes sub maxilla tumidæ non inflammatis similes: neque glandulæ vbi intumuerunt, sed magis secundum naturam. Horum igitur quære expositionem, si libet, à nobis eodem in loco, si nondum perfectè hæc assecutus es.

Sec. 2. Pag. 3.

APHORISMVS XXXVI.

SVdores febricitanti si incœperint, boni & tertio & quinto & septimo die, ac nono & vndecimo, & quartodecimo, & decimoseptimo, & vigesimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

COMMENTARIVS.

HAud obscurum est, Hippocratem velle potius dinumerare dies iudicatorios, quàm explicare vim ipsam sudoris. Quod ergo de sudoribus dicit, de omnibus intelligendum est euacuationibus. De sudoribus tamen euidentius est, propter tres causas: tum quia euacuant totum corpus fermè æqualiter, & singulas eius partes: tum quòd non indigent peculiari aliqua via, velut vrinæ & alui egestiones ac vomitus. Sæpè enim accidit vt natura tentet excernere per aluum, & illa dura sit: aut per vrinas, & viæ obstruantur, & vnde salus sperabatur, mors eueniat. Non sic in sudoribus: indigent enim sola cutis apertione: quæ & si non adsit, modico calore cubiculi habetur. Tertia causa etsi non admodum propria sit, quòd sudor morborum acutorum, qui his diebus terminantur, crisis sit. Exemplum igitur more sapientū in rebus simplicissimis dedit, vt de reliquis excretionibus intelligeremus. Reuocanda est igitur in memoriam sententia in secunda Particula proposita, quæ ad vnguem cum præsenti concordat, nam eosdem numerat criticos dies. Quòd verò hîc dixerit Boni, non simpliciter securos dixit, sed quantum in illis est, bonos esse & salutates pronunciauit, bonus est potus sitientibus: in magna tamen siti, quibus bibere licuit quantum voluere, mortem attulit. Sic & calor frigori, gelidis tamen ignis membra corrumpit: vtiliórque est frigida quàm tepida. Hîc igitur tria quærere oportet. Primum, cur in libro de Iudiciis apposuerit vigesimumprimum, & trigesimumprimum loco vigesimi & trigesimiquarti, & hoc in sudoribus? Et in libro de Diebus iudicatoriis quartam adiecit, & loco vigesimæ vigesimamprimam. Secundum est, vnde ratio horum dierum sumatur? Tertium, cur cum sint boni dies, tamen aliquando perimant? Neque enim talia quæ quotidie videntur, hi viri clarissimi declareuere, nec propriam rationem reddidere. Durum enim videtur, quomodo natura ad rectum finem tendente, & iuxta rationem operante, homo possit perire: & maximè, quòd operatio illa videtur salutaris. Quæ enim Galenus de his narrat, non satisfaciunt: non docent rem, animam plenam dubitationibus relinquunt. Sicut & illud quod de sudoribus Hippocrates egerit, quoniam sudores sunt euacuationes propriæ acutis: cum id proprium sit, quòd vel omni: id palàm falsum est, nam non essent aliæ euacuationes, vel non aliis: at videmus quartanas post annum etiam sudoribus terminari. Cleanactis, primo Epidemiorum octogesima, per solum sudorem liberata est. Et qui in Dealcis horto habitabat, quadragesima die, vt tertio Epidemiorum habetur. Causa ergo diuersitatis in iudicando, est locus materiæ, non morbi longitudo vel breuitas, nam si in ambitu sit totius, & nullum habeat peculiarem locum, sed prope cutim sit vel tenuis, per sudorem expellitur: sin crassa & intus, per aluum, sin autem in mesaræo, per vomitum: & etiam si in cauo epatis, & biliosa, vel in vesica fellis, neque enim potest propter leuitatem per aluum excerni. Quòd si sit in venis magnis, per fluxum sanguinis narium: si verò paruis, per vrinas, at si collecta vno iam in loco, & contumax, per abscessum aut transmutationem: vnde parotides materiam in capite esse denunciant. Quæ autem in pectore, & concoquuntur per screatum: quæ in cerebro ipso, per nares. Præter locum & naturam materiæ est, anni tempus humidum ac calidum, quod sudores prolicit.

Aphor. 24. Pag. 2. Pag. 4. Sec. 3. Languente 6. Sec. 1. Languente 3.

Verùm vt ad id vnde digressus sum redeam, illud maximè conueniebat Galenum in tam prolixis disputationibus quærere, cur sit quòd dies non iudicatorij nunquam bene iudicant, iudicatorij non semper bene, nam ex hoc quæsito solo plus

doctrinæ haberi poſſet, quàm ex illis, ſex libris de Criſi, in quibus cum multa præclara dicat, nihil dicit de diebus iſtis ſanum, aut viro vel mediocriter exercitato dignum. Oportet autem ſupponere, quæ ab Hippocrate ſunt enarrata de his. Primùm, vt cum *[Conſt. 3. Languens 11. Languens 7.]* iſti dies ſint ab illo experientia comprobati (nam in Thaſo mulier tertio Epidemiorum, è ſexdecim illis in tertia die liberata eſt: & Meto primo Epidemiorum in quinta ſeruatus eſt) mortui autem ſunt eadem die Eraſmus, qui illum ſequitur: & Philiſtes, qui eſt *[Languens 4. 2. Conſt.]* ex his qui in tertio deſcribuntur. At in ſeptima tres mortuos connumerat, adoleſcentem in tertio Epidemiorum, & mulierem apud Pantimedem, & aliam ex abortu: qui ſunt omnes ex prioribus ægris in eo libro adnu- *[8. 10. 11. Lãguentes.]* meratis. Mirum quòd neque in primo nec in tertio vllius fecerit mentionem, qui in ea die ſeruatus ſit inter eos, quos ordine deſcribit. Nonam autem diem prætermiſit. Cauſam vtriuſque ibi exponendo diximus. Porrò quod vndecimus ſit celebris, ex primo Epidemiorum habetur, vbi tres dinumerat ea die iudicatos, quorum duo mortui ſunt, ſcilicet vndecimus & duodecimus: vltimus verò Melidias ſeruatus eſt. Quartidecimi meminit, dum de muliere agit, quæ in litore habitabat, & ſeruata eſt in eodem primo. *[Languens 13. Conſtit. 2. Languens 12.]* Et in tertio, eadem die quæ in Mendacium foro habitabat, periit. In decimaſeptima ſeruatus eſt Herophon: mortua eſt quæ in Cizico habitabat, & eſt quartusdecimus languens ex ſexdecim, qui in tertio Epidemiorum in fine ſcribuntur. In vigeſima tres po- *[1. Epi. Languens 3.]* ſuit, quorum Chærion tantum ſeruatus eſt, qui quintus eſt languens eorum qui in initio tertij Epidemiorum connumerantur: Euryanactis autem filia quæ illum ſequitur, & Philini vxor quæ in primo libro deſcribitur, *[Lang. 4.]* periere. In vigeſimaquarta Nicodemus ſeruatus eſt, adoleſcens autem mortuus: qui *[Conſtit. 3. Lang. 10. & 16.]* ambo ſunt tertij Epidemiorum. At in vigeſimaſeptima Hermocrates, qui ſecundo ſcribitur, periit. Virgo autem in Abderis, quæ inter vltimos languentes numeratur, ſeruata eſt. Sic & in trigeſimaquarta duo nume- *[Languentes 8. & 13.]* rantur. Anaxion qui ſanatus eſt, & Apollonius qui obiit, ambo ex tertio libro, & inter vltimò deſcriptos languentes. In diebus autem non iudicatoriis nemo ſeruatus eſt, niſi per magnam ſanguinis effuſionem, maximè verò in ſexta: atque hi quidem miniſtrorũ malorum vicem referunt, qui damnare poſſunt, liberare non poſſunt. Videamus ergo cur in his diebus mors contingere poſſit.

Conſtituta ratione dierum qui ad pugnam idonei ſunt, ſeu ex aſtris, ſeu alia quauis ratione, ne infinitam faciamus tractationem, ſciendum eſt, naturam perpetuò a morbo & cauſa morbi ad pugnam propter moleſtiam irritari. Si igitur adeò potens ſit morbus & cauſa, vt natura inducias dare non queat, pugnatur & die non iudicatorio, & materia non concocta: ideo niſi ex nimio ſenſu naturæ hæc pugna anticipauerit, homo neceſſariò perit. Fit autem hic ſenſus nimis acer vel ob teneritudinem temperaturæ, vel materiæ motum aut acredinem. Sin autem tam potentes ſint vires, vt prorſus morbo & materiæ morbi dominentur, fit pugna concocta materia, & in die iudicatorio vno ex dictis, & æger neceſſariò euadit. Quòd ſi adeò vrgeat, vt concoctionem anteuertat, non tamen quin electionem diei iudicatoriæ naturæ permittat: tunc ſit pugna anceps, & quandoque homo perit, quandoque commutatur morbus, & ſeruatur, aut ægrè tunc ſeruatur. Cum autem materia concocta fuerit, in poteſtate naturæ eſt, quare fit criſis in die iudicatoria ſemper, niſi ex intempeſtiua cibatione, aut alia cauſa præuertatur, aut differatur.

Hoc cognito, videamus de ratione horum dierum, quæ (vt aliàs dixi) ex vltimo termino febrium, & eſt centeſimus vigeſimus dies accipienda, hoc tempore ſol peragrat tertiam partem totius circuli. Et ſi dicas, quòd eſſent dies centumuiginti vnus cum dodrante: Reſpondeo, quòd ille exceſſus cauſa eſt, vt vigeſimusprimus dies quandoque pro vigeſimo ad pugnam à natura eligatur ac præferatur, Atque ſic patet concordia inter dicta Hippocratis. Galenus verò nimis refugit vigeſimumprimum, cum non animaduertat cæteros dies, ſcilicet ſeptimum & quartumdecimum communicare cum vigeſimoprimo, & non vigeſimo: nec ſequitur, quem maximè ſequi ſe putat, Hippocratem, nam ille etiam vigeſimumprimum obſeruauit non ſolùm in his, ſed etiam vbi exempla eorum connumerat. Vt de Dealcidis vxore, quæ ea die mortua eſt, tertio Epidemiorum. Solùm ergo Hippocrates ad *[Conſt. Lang. 13.]* hos numeros deduxit ob numerandi facilitatem, & naturæ anticipationem. In omnibus enim natura videtur in his inferioribus anticipare cœleſtes motus, quod & in æquinoctiis & pleniluniis ac nouiluniis palàm videmus, adeò vt negare non poſſimus.

Habes igitur totam rationem deductam ex loco ſolis, nam vt centeſimusuigeſimus dies eſt tertia pars totius anni, ita quadrageſimus centeſimæuigeſimæ, & vigeſimus dimidium quadraginta, & quatuordecim tertia pars, & ſeptem dimidium quatuordecim. Quæ omnia cum ignorauerit Galenus, longè petitis auxiliis à luna hanc doctrinam dierum criticorum totam confudit, nec ſibi nec Hippocrati concors. Conſtat ergo, Hippocratem à circuitu ſolis hanc rationem deducere: vnde fit, vt circa vigeſimum coactus ſit nutare propter exceſſum quadraginta duarum horarum ſupra viginti dies, nam

D.	D.	H.
CXX.	CXX.	
XL.	XL.	
XX.	XX.	
XIV.	XIII.	VIII.
VII.	VI.	XVI.
IV.	III.	VIII.
XVII.	XVI.	XVI.
XXIV.	XXIII.	VIII.
XXVII.	XXVI.	XVI.
XI.	X.	
XXX.	XXX.	
XXXIV.	XXXIII.	VIII.

cum diuidantur per ſex, exeunt dies viginti, & horæ ſeptem. Si ergo materia ſit tenuis, & in æſtate, ſit criſis in vigeſima.

Sed

Sed de quartadecima non est dubitatio quomodocunque enim tertia pars quadraginta, aut quadraginta vnius in quartumdecimum diem incidit, atque ita de septima, & quarta, & vndecima, & vigesimaquarta. Proposuimus autem ad facilitatem, in Tabula, numeros dierum & horarum: in qua constant omnia, præter vndecima dies, quæ videtur solùm habere decem dies: sed hoc contingit, quòd cum necesse sit absolui tempus propositum abiectis horis, ideo absolutis decem diebus, fit vndecima per terminorum connumerationem. Exemplum: Ægrotauerit aliquis die Dominico iam proximè præterito, cum connumeraueris decem dies integros, incidet in diem Mercurij, non Martis: & hic est vndecimus à die Dominica præterita.

Languentes 4. 5. & 6. Restat vt videamus, quare non numerauerit quartam: quam, vt dixi, alio in loco connumerat. Et tertio Epidemiorum, continua serie in vltimis languentibus sexdecim, connumerat tres perpetuos ægros: Phreniticum Caluum in Larissa, & Periclem, qui omnes in quarta iudicati sunt: & duo primi periere, tertius autem seruatus est. Galenus adducit rationem, quoniam in acutis fiunt exacerbationes per dies impares, iudicia autem fiunt in exacerbationibus: igitur iudicia non fient in quarta. Quid si exacerbentur per dies pares, vt in exemplis illis, maximè Periclis? Dico ergo, quòd nec hîc satisfacit Galenus menti Hippocratis, qui vult tractare solùm de diebus Decretoriis bonis, non autem omnibus simpliciter: sunt autem boni, vt sint verè decretorij: & ita quartus non est decretorius, sed indicatiuus, aut impar, dicente illo primo Epidemiorum: Morbi qui diebus paribus exacerbantur, difficiliores sunt. Et pòst enumerat dies iudicatorios, ab exacerbationibus paribus sumptos: vt sit Hippocratis responsio, non nostra. Constituatur igitur sic ratio in secunda figura: Hippocrates hic enumerat bonos dies iudicatorios: sed quartus est malus: igitur non est ex hoc numero. Est autem malus, quia dicit Hippocrates ibi: Febres, iudicantur in diebus, in quibus exacerbantur: sed quæ exacerbantur in quarta die, malæ sunt: igitur quæ iudicantur in quarta die, malè iudicantur. At dices: Quomodo ergo Pericles seruatus est? Respondeo: Sicut dixi, quòd etiam in septima multi moriuntur, quantùm ad genus iudicationis perire debuit: quia tamen & multus sanguis fluxit, & vrinæ concoctæ satis fuere, ac crassæ, & vires robustæ, euasit. Discrimen igitur solutionis nostræ à Galeni & aliorum solutione est, quòd nos animaduertimus illud boni: non enim enumerat iudicatorios omnes, sed solùm bonos. Dicebat in hanc sententiam in libro Prognosticorum: Sudores optimi sunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus iudicatoriis fiunt, & febrem perfectè submouent. Ex quo planum est, quod hoc est signum per se bonum, vt diebus iudicatoriis fiant, & maximè validioribus, ob quæ non connumerauit nec vigesimumquartum, nec trigesimum, nec trigesimum-septimum.

(Marginal notes: Const. 2. Pag. 1. — Sec. 3. circa finem. — Pag. 2.)

Cum verò dixit, Qui verò non ita fiunt (intelligit iudicatorio modo) labores significant, scilicet pericula & molestias, & hoc est pessimum è tribus his, quoniam includitur mors: aut longitudinem morbi, hoc est mediocre: aut reciduas, & hoc est minimum ex omnibus malis. Atque hic est quasi modus loquendi primo Epidemiorum, cum inquit: Cruda & incocta, & in malos abscessus conuersa, dolores, aut morbi diuturnitatem, aut reciduas. Sed ibi alia addit: Quia cruditas deterior est sudore in die non iudicatoria. Sec. 2. Pag. 5.

APHORISMVS XXXVII.

SVdores frigidi, cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori autem, morbi longitudinem significant.

COMMENTARIVS.

IN sudoribus præcipuè consideranda sunt nouem: Dies, de quâ dictum est: concoctio materiæ, vel cruditas: odor, color, sapor, frigidus sit an calidus: quantitas vnde proueniat, & alleuiatio. Hîc igitur de qualitate sudoris agit: quæ res multis simplex videtur, at mihi difficillima. Certè vidi Hispanum, qui cum in tertiana sudaret frigidissimo corpore, tamen intra quatuor dies à me curatus est: & parum abfuit, ne gloriam, quam multis laboribus magnâque diligentia cum ea gente consecutus eram, hoc Aphorismo sauciarem, præsertim quod esset nobilis, & in magistratu, abstinui tamen à prædictione, quod videretur robustarum virium, nec lædi ab eo sudore. Primùm igitur videndum est, ne ex loco & tempore decipiaris, nam si æger frigido fuerit in loco, paulo pòst sudor omnis frigidus tibi videbitur. Considerandum est igitur, an si calidum sit corpus, sudor autem frigidus: aut frigidum corpus, sudor autem calidus, quodnam horum velit Hippocrates. Absurdum enim est, dubitare de corpore & sudore frigido an intelligat: vel de corpore & sudore calido, nam palàm est de hoc non intelligere, de illo autem omnino. Mihi autem videtur, quòd si corpus calidum sit, sudor autem frigidus, vt verbis hoc conueniat: at nihil certius ad mortem, quàm si calidus sudor è frigido corpore emanet: quis enim dubitare potest, quin hæc sit naturalis caloris extinctio? itaque vni verba Hippocratis subscribunt, non reluctante ratione: alterum ratio manifesta docet. Scribitur hic Aphorismus ex verbo in libro de Iudicationibus, nec quid habet iunctum, quod ad rem faciat. Sed & in Prognosticis habet hæc: Pessimi sudores sunt frigidi, & circa caput ac faciem oborientes, & circa ceruicem, hi enim cum acuta quidem febre mortem prædicunt: cum mitiore verò, morbi longitudinem. Et qui per totum corpus fiunt, similiter his qui circa caput, significant, at verò milio similes, & circa collum euenientes, mali sunt. Qui verò cum guttis fiunt, &

(Marginal notes: Pag. 3. — Pag. 2.)

& euaporant, boni sunt. Considerare ob id sudores docet in summa: quoniam quidam fiunt ob corporum exolutionem, aliqui verò propter inflammationis vigorem. Iam ex his duo lucramur recondita. Primum, quòd dictum hoc de sudoribus verum non est, nisi fiant in facie & capite, tum etiam circa collum, vel per totum corpus, si enim crura vel brachia, & minus pedes aut manus sudore frigido madescant, non est plurimùm timendum. Secundum, quòd sudores huiusmodi quidam fiunt ob resolutionem innati caloris, quidam ob inflammationis vim: hîc verò primùm occurrit illud, an etiam sudores frigidi fiant ex inflammatione constantibus viribus, cum calida sit tota inflammatio. Deinde, quomodo resolutis viribus & naturali calore, manet sudor frigidus, cum nihilominus causa calida sit. Et ego vidi quosdam, qui tribus aut quatuor pòst horis obiere, sudasse calido sudore, & cum guttis magnis, sed non euaporabant: in quibus verisimile fuit calorem naturalem eo sudore dissolutum, postquam tam celeriter, ac (vt ita dicam) continuato cursu peribant. Certè calorem naturalem dissolui contingit etiam per sudores, citra magnum mortis periculum, in vehementibus laboribus, & coacta Venere: nec tamen tuti sunt hi omnino à periculo, nam si interim, antequam restaurentur, aliquid accederet quod vires euerteret, interirent: vt, magnus metus, alia Venus repetita, lætitia, febricula, aër pestilens, ob id non tutum est huic periculo se exponere. Non ergo moriuntur ob resolutionem calidi innati in febribus: sed quoniam vel causa vrget, vt calor immensus circa cor, aut febris pestilens: aut quoties hic sudor & hæc resolutio ob iam factam malam in corde intemperiem generatur. Cæterùm vt ad rem redeam, illud inquirere oportet, quomodo ex resolutione virium calidus sudor emanare possit? Iam ergo sudor frigidus tribus ex causis in acuta febre contingere potest: vel cum inflammatio in profundo corporis fuerit, iuxta quod alibi dicitur infrà:
Aphor. 48. In febribus non intermittentibus si partes exteriores frigent, interiores vrantur, & sitim habeat, letale est. Quid ergo mirum est, si frigidis partibus exterioribus sudor diffluat frigidus? Alius modus est, cum ex multitudine humorum calor suffocatus, tenuiorem partem dissoluit, veruntamen non potest illam calefacere: vt niui & glaciei, quæ verno tempore à sole dissoluitur: aqua tamen liquefacta vehementer frigida est. Atque in hoc non adeò frigidam cutim esse, est necessarium. Tertius modus est, cum ex prauitate materiæ calor naturalis, naturaléque humidum dissoluitur: ídque bifariam, vel prius resolutis spiritibus, & calore febrili, sola praua intemperie manente, præsertim astrictis meatibus cutis, túncque sudor manat frigidus, at si calor febrilis adhuc manet validus, aut cutis rara est, & tempus calidum, aut spiritus non extinguuntur, nisi ob dissolutionem subiecti humidi, tunc destillat sudor calidus: qui tamen si ex primo genere sit letalissimus, vt apertè liquet. Manifestum est igitur, quot modis letalis sudor fiat, & quando calidus, quandóque frigidus.

At illud nondum declaratum, cur in toto corpore vel superioribus partibus? quanquam hoc aliunde petendum esset. Nam si toto corpore talis emanet, necesse vt etiam ex superioribus partibus: ergo si superiorum partium rationem reddamus, satisfactum fuerit vtrique. Constat ergo, in superiore parte esse cor & cerebrum, & arterias magnas, & sanguinem feruentiorem ac tenuiorem ad illas ferri: si ergo ibi refrigerentur partes, necesse est causam frigidi sudoris esse potentissimam, nam in sene exangui non esset mirum refrigerari partes pedum, vel etiam in abundè bilioso, & tamen facilè seruari, propterea declaratur hoc in partibus illis.

Similiter aliquis dicet, ac facilè dubitabit, Quomodo calore naturali, contingant sudores? Dicimus calidos sic non posse contingere, frigidos autem multis de causis, quarum aliquæ à Galeno referuntur. Prima, quæ dicta est, quoniam calor poterit dissoluere, non tamen calefacere. Secunda, quia resoluitur pars tenuior ab exili illo calore: non fons morbi, nec quantitas magna pro ratione, raró copiosus fluit sudor frigidus, vt calidus. Tertia, quoniam calor ille magis colliquat ob tenuitatem & siccitatem, quam ob magnitudinem: vt de calore fulminis, qui dissoluit metalla, licet sint paucæ tantùm scintillæ. Ideo prope mortem contingunt sæpe isti sudores, cum antea non apparuissent, & tamen humidum est minus, & etiam vterque calor est minor, dico tam febrilis quàm naturalis. Quòd verò adiicitur, in mitiore significare morbi longitudinem, cum hic sudor in miti febre non possit significare nec inflammationem in visceribus, quam necessariò consequeretur acuta valde febris: nec virium resolutionem, cum illa sequatur morbum, non causam morbi, nisi quatenus alium morbum progignit, vt multitudo materiæ obstructionem vel frigiditatem: & iam morbus supponatur mitis: igitur frigiditas sudoris non potest prouenire à resolutione virium. Cum ergo nec à prima nec à secunda causa possit prouenire sudor frigidus, & sint tantum tres, reliquum est vt à tertia necessariò fiat: hæc autem est multitudo materiæ, igitur ab hac procedet. Cum ergo materia sit multa, & non multum tenuis (sic enim vel non excitaret sudorem frigidum, aut febrem vehementem accenderet) & vires suffecturæ sint diu propter morbum mitem, vt diximus, sequitur necessariò quod ab Hippocrate vltimò proponitur, morbum futurum diuturnum. Ex quo patet, commenta de humoribus frigidis abundantibus, esse extra propositum: cum etsi id accidere possit, rarissimè tamen contingat, in corpore abundante humoribus frigidis accendi febrem acutam. Et si contingeret (omnia enim contingere possunt, quæ non repugnant) nihil absurdi sequeretur. Sudorem autem frigidum æstimare oportet, non qui ægro frigidus videtur, sed astantibus, & dum fluit, nam copiosus valde vbi fluxerit, statim refrigeratur: est enim sub-

stantia

Comm. Aphor. 42. stantia aquea, & præsertim in continente frigidiore. Dicemus & reliqua inferius, ne nimis hîc extendam hanc expositionem.

APHORISMVS XXXVIII.

QVa parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

COMMENTARIVS.

DIxi in sudore illa nouem considerari oportere, è quibus hoc vnum est, scilicet locus. Hîc Galenus suo more, dum pro morbo causam explicat, absurdum facit Hippocratem. Etenim in abscessibus iecoris & pleuræ membranæ sæpe dum moriuntur, sudat facies & caput: non tamen ibi materia morbi residet. Possemus subterfugere, quòd loquatur de morbis tantũ sanabilibus: sed non conuenit vt generale præceptum contrahamus, tametsi verè hi Aphorismi de sanandis solum scribantur: nisi malum aut Aphor. 30. letale adiiciat, vt in præcedenti. Porrò quod ad continuationem attinet, cum suprà docuerimus illorum continuitatem vsque ad Aphor. 36. illum Sudores febricitanti, hîc & in præcedenti perpetuo sermone de sudoribus agit. In succedentibus autem duobus de loco & Aphor. 30. 40. longitudine morbi: duos postmodum sequentes coniungit de sudore tractantes, vt in vniuersum sint quinque Aphorismi de sudore tractantes. In hoc igitur dicemus, quòd sudor necessariò fit colliquata materia: ac rursus refrigerata, vt à Galeno colligitur primo de Tuenda sanitate, & in octauo Artis curandi, vbi docet per balnea curare diarias: & vbi balneorum vim indicat, quòd calefacta corpora refrigerent, educendo per sudorem halitus illos fumosos, quamobrem contingit vt homines ab exercitatione & in vmbra magis sudent, quàm dum exercitantur & in sole. Eam verò sententiam sumpsit Galenus ex libro de Flatibus, cum dicit Hippocrates: Liquefit sanguinis ipsius quicquid ignea vis attigit, fitque inde spiritus, qui cum ad meatus corporis irruerit, fiunt inde sudores. Si quidem spiritus compactus in aquam transmutatur, meátúsque transit, atque extrà prorumpit: eodem fermè modo quo à feruentibus aquis vapor eleuatus, si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pinguefit ac condensatur, guttæque destillant ab his corporibus, quibus vapor ipse fuerit impactus. Hæc apertè satis: quæ verò in primo de Morbis, sunt obscuriora, sed tamen ad idem tendunt, & magis faciunt ad præsentis loci interpretationem. Sunt autem hæc. Sudor fit hac de causa: Quicunque morbi in iudicatoriis diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit, in his de pituita & bile, quod tenuissimum est eliquatur & secernitur, & partim extra corpus secedit, partim intus: & isthic in corpore relinquitur, partim præ caliditate attenuatur, & vapor fit, & cum spiritu extra procedit. Atque hæc quidem huiusmodi sunt, & ab his sudor generatur. Hic ergo de sudore morboso agit, propriéque huic loco tractatio conuenit, & ex ipso loco rationem Aphorismi desumere expedit. Si ex ventriculo vapor deferatur in cerebrum, ibi, non in ventriculo morbum excitat: prodit autem ex loco in quem fertur, morbus igitur fit eo in loco vnde vapor foras exit. Nam si ibi exit, seu ibidem generetur, seu alibi, necesse est vt eodem in loco noceat homini, partíque illi, neque enim fieri potest, vt ex loco illo in quo nocuit, ad alium transmittatur, atque ibi prodeat. Causa ergo erroris Galeni est, quòd non animaduertit sententiam Hippocratis in libro de Flatibus huiusmodi: Mortalibus vitæ, & morborum ægrotis, solus spiritus auctor est. Si igitur sudor ex spiritu fit, vt demonstratum est, vel ipso Galeno, nedum Hippocrate auctore: necesse est perpetuam esse hanc orationem, Vbi sudor, ibi morbus at si de sede intellexeris, dupliciter aberrabis: & quod non erit Hippocratis dictum verum, & quod morbi materiam alio loco, quàm sit, esse existimabis.

Cap. 1. Cap. 12. in fine. Cap. 4. Pag. 4. Pag. 12. Pag. 2.

APHORISMVS XXXIX.

ET qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus.

COMMENTARIVS.

ET ex sudoribus & ex primis qualitatibus docet locum morbi, id est sedem affectam dignoscere, indicio est coniungi præcedenti, quod dixit, Et. Cum enim prior Aphorismus per materiam iungatur, illum præcedenti, scilicet quia in vtroque tractat de sudore, præsenti per formam annectitur, quia tractat de loco patiente in morbis dignoscendo. Proponitur autem in libro de Pag. 3. Iudicationibus, nec quicquam additur. Est enim caliditas, vt inquit in septimo Epide- Par. 6. miorum, acrimoniæ signum: frigiditas autem, extinctionis caloris naturalis, cum ergo exuperauerint, morbum adesse significabunt. Sunt etiam calor & frigus morbi ipsi, & ab eis signa sumuntur secundum essentiam, iuxta Galenum in libro de Differentiis morbo- Cap. 4. 12. rum, tum in Arte medica. Cap. 8.

APHORISMVS XL.

ET vbi in toto corpore mutationes. Et si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat, morbi longitudinem significat.

COMMENTARIVS.

ALiter legitur in libro de Iudiciis, hoc Par. 3. modo: Et vbi in toto corpore mutationes repentinæ fiunt, adeò vt repentinas esse velit, hîc verò intelligitur, nam repentinas mutationes pariunt omnes febres intermittentes, nec tamen omnes intermittentes febres longæ sunt. Brasauolus tamen expungit particulam Repẽtinæ. Græcus codex meus

Aldmus tamen habet, μεταβολὰς ὀξεῖαι γίνονται. Vnde nescio cur omittatur: nam dicit, Mutationes repentinæ fiunt. Hic apparet Fuchsium satis obiter transegisse hanc expositionem, nam si codicem consuluisset Græcum, habebat quo iustius Brasauolum damnaret, quàm alibi vsquam. Sed omittamus hæc, causámque potius dicti Hippocratis quæramus. Ergo talis mutatiò tam in qualitatibus primis, quàm secundis aut tertiis, quales sunt colores, cum repentinæ fuerint, non ordinatæ (nam ordinatæ fermè in omnibus febribus sunt, scilicet ex accessionibus aut exacerbationibus pendentes) significant varios humores peccantes, at varij humores non simul misti, longius tempus ad coctiones postulant: igitur tales mutationes ostendunt morbi longitudinem. Quomodo verò colores mutentur, docebat Hippocrates in libro de Ossibus: Laxatis enim venis ex corde fiunt rubicundi colores, ac lucidi: astrictis, inquit, virides cum pallore, & liuidi. Ergo hæc magis pugnam variam ac luctum naturæ significant, quàm humorum varietatem. Atque ita est, nam & ob eam causam, vbi pugna est inter pares, consentaneum est magis quàm ob aliam causam, quamuis morbum fieri diuturnum. Sed dices: Cur Hippocrates in Coacis prædictionibus inquit, Color qui sæpe in calore transmutatur, vtilis est? Respondeo, Materia qua quæ facilè permutatur, facilè etiam euincitur. Ideo sic intelligere oportet Hippocratem, cum sæpè refrigeratur & calescit & mutat colorem corpus eadem die, manéntque hæc, morbi longitudinem significant, fiunt enim, vt dixi, istiusmodi ex pertinaci pugna virium cum causa morbi. Sed si leui ex causa color mutatur, fit ex ascensu vaporum à materia tenui: & significat breuitatem morbi, non sine periculo. Contingit autem hoc maximè in variolis, morbillis, ephemeris, & huiusmodi. Quod verò dicit, In toto corpore: intelligitur etiam indifferenter modò vna in parte, modò in alia, nam sic in toto corpore duplex habet significatum.

In fine. *Pag. 5.*

APHORISMVS XLI.

SVdor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus vti pluri cibo significat: si verò non accipienti cibum hoc accidat, scire oportet quod euacuatione corpus indiget.

COMMENTARIVS.

Pag. 3. SCribitur in libro de Iudicatione: Sudor multus intemperatè oboriens, sano morbum significat: æstate minorem, hyeme maiorem. Cum enim multus fuerit, & absque causa externa, velut balneo, exercitatione, nec possit esse ex sola raritate meatuum & cutis, nec imbecillitate virium, neque continuare posset, (nam cum dixit, Ex somno factus: intelligit, vt repetat) necesse est vt sit ex plenitudine aquosi humoris, nam pluribus qui corpus habent plenum humoribus, non prodit hic sudor, ob illorum crassitiem. Cum ergo plenitudo hæc vel contingere possit ex additione quotidiana, & tunc fiet ob nimium cibum seu potum (τροφὴ enim vtrunque significat, quia significat alimentum) visum est autem superius, quòd facilius est impleri potu quàm cibo: quare oportebit illum subtrahere. Sed si non accipiat hunc cibum, repletio iam facta est. Et cum ex seroso, vt dixi, humore sanguini admisto fit, oportet euacuare corpus, facit enim retentum hoc excrementum aut febres, velut dicebat Galenus secundo de Alimentis, aut hydropem aquosam, aut hydropem aquosam, aut vrinæ fluxum: aut si retineatur, ex hoc obstructis vrinæ meatibus supra vesicam, moriuntur. Mihi autem contigit, vt ab initio octaui anni, dum in fine septimi ad mortem laborassem, vt multitudo sudoris per totum corpus singulis noctibus post somnum flueret. Et perseuerauit ad annum vsque trigesimumquartum: & tunc transmutata est copia hæc sudoris in copiam vrinæ, citra noxam, aut habitus deprauationem, cum iam sint anni viginti sex. Et causa huius mutationis fuit exercitatio assidua, cum iam in patria mea, quæ vrbs magna est valde, munus medendi profiterer. Quomodo autem multus dici possit hoc modo in curandis morbis, maximè Indica lue, sic excogitaui: interulas mundas siccásque permutando, ac pondere examinando scies, quantum sudore accreuerint, plerunque bene plena sudore vncias duodecim æquare solet, adeò vt nonnunquam ex quatuor interulis singulis diebus colligerem in curando Indicam luen, supra quadraginta vncias sudoris. Huic numero debes semper addere tertiam partem, quæ dum reliquum defluit, extruditur. Altera etiam vice, licet non tantùm, sudare cogebam, vt cum eo qui nocte defluebat ad centum vncias, singulis diebus sudoris æger remitteret, terminus autem est, quantum bene & commodè ferre potest: nec vigilias patitur, nec appetentia cibi minuitur, nec febris accenditur, nec vertigo eum inuadit. Quæ quatuor mala indicant, si vnum eorum adsit, nimiam & importunam esse eam euacuationem. Similiter & de colore, illum ex siccis interulis deprehendes: sed caue ne calce dealbentur. Est autem sudor, si naturalis sit, vt Galenus testatur, similis colori vrinæ. Est enim modicè pallidus, vt etiam decimo de Simplicibus medicamentis habetur. Quomodo verò tantus sudor ex me profluere potuerit, indicabat hoc tertiam quandam causam? Non, sed eandem: scilicet me, licet non sumerem simpliciter plusquam liceret alimenti, plus tamen comparatione habita ad naturalem iecoris temperiem, quæ ægra erat. Liquet ergo, quod his medicamentum non congruit: sed si collectus iam sit serosus humor, qualis est brassica marina, quæ aquam ducit: per vrinam autem prolicere multitudinem vrinarum repentè, haud tutum est. Cur autem, Ex somno, adiecerit, palàm est, quoniam ille propriè secundum naturam eiicitur: non ex imbecillitate, vel

Par. 2. Aphor. 11. *Cap. 1. & 6. simul collatis.* *14. Method. cap.* *Cap. propri.*

vel labore, vel aëris calore, sed tanquam excrementum concoctionis secundæ aut tertiæ.

APHORISMVS XLII.

SVdor multus, calidus vel frigidus, superfluens: frigidus magis, calidus minus, significat morbum.

COMMENTARIVS.

DEmiror Galeni hîc expositionem, cum velit calidum sudorem significare calidorum humorum multitudinem: frigidum autem, frigidorum, nam frigidi & calidi sudoris causas suprà retulimus, sed & ex primo de Morbis, quæ desunt non pigebit adiicere, inquit enim: Quare quandoque calidus sit sudor, quandoque frigidus, hæc est causa. Calidus nanque de percalefacto malo & exusto & attenuato & debili, & non valde multo secernitur, & necesse est calidiorem ipsum ex corpore excerni. Frigidus autem de ampliore malo secernitur, & de eo quod reliquum est, & adhuc validum, & nondum putrefactum, neque attenuatum, neque exustum: & frigidior ac crassior, ac graueolens magis, prodit. Manifestum autem hoc ex hac re fit. Qui frigidum sudorem exudant, è longis morbis plerunque ægrotant, inualescente malo eo quod in corpore relinquitur: qui verò calidum sudorem excludunt, citius à morbis liberantur. Sententia igitur Hippocratis est manifesta, sudor frigidus significat semper paruum dominium caloris supra materiam morbi, seu id contingat ob materiæ frigiditatem, quod rarissime contingit, nanque eiusmodi febres non sunt sudorificæ, vt amphimerina & continua quartana, nisi post coctiones, & tunc iam materia est superata: vel ob multitudinem materiæ peccantis, quæ non potest vinci à calore nec febris nec naturali: & ideo si morbus acutus sit materia calida erit: & cum adeò vincatur natura, vt sudores prodeant frigidi, igitur hoc est maximè letale. Quòd si non sit acutus, non est adeò mirum, & ideo significat tantum morbi longitudinem. At si calidus sit, tunc multitudini humorum dominatur calor. Si igitur naturalis salutis est signum: si autem præternaturalis, mortis, vterque modus significat longitudinem, quia multam materiam indicat, licet certum sit quòd à calore vincatur, propterea frigidi & periculosiorem semper, & plerunque longiorem morbum significant. Ob id scriptum est sexto Epidemiorum: In Cranone antiqui dolores frigidi, recentes verò calidi. Clarum est autem ex his, quàm parum accuratè Galenus hos exposuerit Aphorismos, cum ex clarissima re obscurissimam fecerit: & ad frigiditatem materiæ & ad materiam non morbo coniunctam se transferendo, quod ei primum errorem admittenti fuit necessarium. Quòd verò dixit, Superfluens: melius (iudicio meo) à Fuchsio vertitur, Assiduè fluens, ἀεὶ ῥέον, quasi semper fluens: quod per morbi decursum fieri solet, intelligit magis significare morbum, id est (vt dixi) periculosiorem & pertinaciorem. Sed videtur Hippocrates sermonem generalem contrahere frustra, & maximè quia dictum superius est: Sudores frigidi cum acuta quidem febre, & ideo videretur hic, quòd si sudor non esset multus, nec assiduè flueret: quod etiamsi frigidus esset, posset non esse deterior calido. Respondeo, quòd intentio Hippocratis seu sensus est talis: Multitudo sudoris assiduè fluentis, id est per multos dies, magnum semper significat morbum, nam significat materiæ multitudinem, cum non possit esse decretorius, cum per multos dies fluat. Si tamen frigidus sit, maiorem etiam morbum indicabit, quàm si calidus sit. Timuit enim, quoniam dixerat significare morbum magnum, ne non distingueremus maiorem à magno. At dices: Meritò non dicit hoc Hippocrates, quod vterque significet magnum morbum. Dico, quòd siluit tanquam manifestum. Vel ex hoc intelligitur, quòd scriptum est secundo Epidemiorum: Signa decretoria, quæ non decernunt, mortem aut difficilem iudicationem significant.

Aph. 37. Par. 1. Aphor. 37. Sec. 1. Par. 1.

APHORISMVS XLIII.

FEbres quæcunque non intermittentes, tertia die maiores fiunt, magis periculosæ: quocunque autem modo, intermiserint, periculum abesse significatur.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset signa prognostica à sudore sumpta, transit ad signum sumptum à natura morbi. Omnis enim morbus aut intermittit, aut continuus est. Dicit ergo, Febres omnes quæ intermittunt, periculo mortis vacant: at earum quæ non intermittunt, maius est periculum, licet non sit necesse vt sint letales. Dubium autem est, an velit omnes intermittentes periculo vacare, an solas tertianas, nam si omnes intermittentes intelligat, & quotidianæ, & duplices tertianæ, & tres ac quatuor quartanæ, sub periculo vacantibus continebuntur: si non, non vacabunt à periculo. Præterea solet adduci oppositio de quartana, cum scirrho lienis: quæ mortalis plerunque est, maximè in senibus, sed hoc est ratione alterius morbi, illi iuncti, non solius febris. Esset & tertius sensus, absurdus omnino, vt Intermittere referatur ad Maiores fieri, vel solum Declinare: qui repugnat omnino his quæ videntur. Melius autem est, ex primis duobus, propter emphasim orationis, in secundo sensu intelligere. Atque hæc est causa, febres quæ tertia die exacerbantur, biliosæ sunt: atque ex humore biliosæ sunt, si intermittant, necesse est vt materia tota singulis accessionibus extrudatur. Quare neque admodum lenta erit, neque admodum crassa: sic enim non posset tota expelli. Itaque cum talis sit, non poterit esse admodum diuturna;

diuturna: sed febris quæ diuturna non est, & intermittit aliquod, cum relinquat tempus restaurationi, quippe cum liber calor naturalis prorsus perfectè possit concoquere & assimilare: secundo de Facultatibus naturalibus. At si morbus breuis sit, & ex natura febris & corpus possit restaurari, non poterit homo mori: quare patet demonstratio secundæ partis. Et si obiicias ex primo ad Glauconem, de Adolescente, cuius tertiana post æquinoctium autumnale inceperat, & ante occasum Pleiadum, & liberatus est sub æquinoctio verno, vt fuerit longissima: Respondeo, quòd illa tertiana, vt ibi testatur, non fuit intermittens, sed continua.

Cap. 8. post medium, vbi de casu agit & bubone.
Cap. 8.

Quas verò vocet tertianas non intermittentes, Fuchsius quidem videtur confundere continentem cum continua proportionem habente, de qua hic sermo principaliter est. Galenus inquam secundo de Differentiis febrium inquit: Continuarum, quæ ex flaua bile proueniunt, febrium duplex est species. Altera earum quæ Synochæ appellantur, quarum vniuersum tempus in vna accessione consumitur, quæ à principio vsque ad finem pertingit: altera, quæ idem cum genere nomen sortitur, & continua appellatur, quæ in pluribus propriis ac particulatim factis accessionibus continetur. Inde paulo pòst habito sermone de prima specie, scilicet synocha (quasi continuò feruens) inquit: Continuarum autem duæ sunt primæ differentiæ, nonnullæ enim sunt, quæ singulis tertiis diebus inualescunt: aliæ verò, quæ intermedio die alteram faciunt accessionem, hæque nullum propriè obtinent peculiare nomen. Cum quæ tettio die inualescant, ego tritæophyes quasi tertianæ naturam referentes, appellare consueuerim. Quæ verò media die accessionem facit, non voco hemitritæum: nec tamen veto, quin si quis ita velit, nominare possit: modò tamen vt nullam febrium speciem, vt nunc ego facio, prætermittant. Demùm subiicit: Hæ igitur ex bilioso genere magis: quæ verò singulo die accessionem faciunt, ex pituitoso. Est & tertia species febrium continuarum, quæ perraro tamen eueniunt, quæ cum continuæ sint, accessiones habent quartanarum instar. Et sicut duplex fit aliquando, nonnnnquam triplex: ita & huiusmodi quartanarum genus duplex triplexve. Inde etiam pòst docet, quòd sanguineæ febres, cum sanguis putrescit de generante sanguine vel in flauam bilem vel atram, fiunt putridarum duo genera. Meminit & huius secundo de Morbis Hippocrates, in secunda specie febris biliosæ: & in libro de Ratione victus in acutis, licet periodum non apposuerit. Proponit & exempla huiusmodi languentium continua febre, quæ alternis diebus exacerbabantur. Ignoscendum illi esset, si res hæc rara foret: nunc pro continente vna, viginti liceat videre huiusmodi febres, nescio qua ratione tam longè, rei quæ quotidie præ oculis habetur, exemplum petierit, nisi quòd adactus verbis solis sensa auctorum non percipit, expérsque exercitationis sit. Sed si quæras, an etiam de hemitritæo intelligatur: Respondeo, posse etiam intelligi, & verum esse quod dicitur ab Hippocrate, quare dictum generaliter erit intelligendum de omnibus continuis, quæ tertio die inualescunt, seu per exacerbationem: & de his propriè & primò intelligit, & vocantur continuæ proportionem seruantes à vulgo medicorum, seu per nouas accessiones, dicuntúrque à Galeno hemitritæi.

Cap. 2.
Cap. 9.
Pag. 13.
Pag. 13.

APHORISMVS XLIV.

QVibus febres longæ, his tubercula vel labores in articulis fiunt.

COMMENTARIVS.

POtest continuari præcedenti. Cum enim finem proposuisset acutarum, hic proponit longarum, vel cum illo lassitudinem habentibus in febribus, vt sit sensus: Seu præcedat lassitudo in febribus, seu febris longa sit, tubercula contingent, vel in articulis labores. Differunt tamen tubercula ab abscessibus, & abscessus etiam à laboribus: propterea præcedenti melius cohæret. Habet Græca lingua φῦμα, id est tuberculum: πόνος labor: & ἀπόστασις, abscessus: re autem differunt, quoniam abscessus generalior est tuberculo, nam propriè de exterioribus tuberculum dicitur, quamuis etiam in pulmone tubercula oborta dicamus. Sunt etiam tubercula minora, quàm generaliter abscessus: labores autem, molestiæ quæcunque dici possunt. Et est, cum materia spargitur in concauis articulorum partibus, fit labor: cum colligitur, abscessus: vterque cum dolore. Cum verò in carnosa parte, & eminet, dicitur tuberculum, à similitudine tuberis, quod in terra nascitur: & exinde dicimus extuberata, quasi in similitudinem tuberis prominere à φύομαι, quod est nascor, dicitur φῦμα. Est & alia dubitatio, an tubercula ad articulos referri debeant, vt sic legatur: Quibus febres longæ, in articulis tubercula aut labores fiunt. Hoc autem palàm est, non debere sic legi: quoniam, vt dixi, tubercula in adenibus aut carne, non articulis fieri solent. Valde mirabile est autem, quod cum alij expositores soleant etiam errantem excusare auctorem, Galenus non errantem accusat suo more Hippocratem, dicens: Non esse hoc generale, sed vt plurimum contingere: cum neque speciale sit, nec generale, sed coniunctum sequenti. Vt sic debeat legi: Quibus febres longæ, si pluribus vtantur cibis, tubercula vel in articulis labores fiunt. At dices: Cur non sic scripsit, sed primùm tanquam absolutè, Quibus febres longæ, his tubercula? Respondeo: Vt magis nos redderet attentos non ex vi morbi fieri, sed errore ægri vel suorum: propterea subiicitur.

Apho

APHORISMVS XLV.

QVibus tubercula vel in articulis dolores post diuturnas febres fiunt, ij pluribus vtuntur cibis.

COMMENTARIVS.

Ἐκ πυρετῶν μακρῶν. adest in Aldino codice, cum Galeni expositione: in alio autem non adest μακρῶν, vt trifariam legatur, vel simpliciter, vt Gadaldmus legit, nescio ex quo codice: vel post febres, vel post diuturnas febres, quod etiam est iuxta Galeni mentem. Potest autem hic Aphorismus iungi illi, Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, aliisque duobus ei proximis. Ex tuberculis autem incolumiora sunt, ac minus verenda, quæ extra extuberant, & acuta sunt fastigiata, & æqualiter maturescunt: non dura neque bifida, sed deorsum vergentia, sexto Epidemiorum. Nascuntur autem à pituita & sanguine, cum vulnere aut casu collecta fuerint, libro de Affectionibus. Alibi verò repetitur Aphorismus. Causa autem huius est, quoniam cum morbus longus sit, & sanabilis, non cogitur natura eò detrudere materias, nisi ob malum regimen: secus in acutis, cum materia eò sponte obrepat.

Par. 2. Aph. 10. & 15. *Sect. 1.* *Pag. 10.*

APHORISMVS XLVI.

SI rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, letale est.

COMMENTARIVS.

Com. 29. SVprà vidimus, quid hoc nomine Rigor significetur: nunc videndum est quomodo fiat, nec simpliciter, sed apud Hippocratem ipsum. In primo igitur de Morbis inquit: Rigor quidem in morbis fit, & ab externis causis, ventis, aqua, serenitate sub dio degentibus, & aliis huiusmodi. Fit & ab ingestis cibis & potibus: maximè verò & vehementior fit, quum bilis & pituita sanguini permista fuerint, aut altera ex his, aut vtraque magis autem, si pituita sola permista fuerit. Est enim pituita natura frigidissima, calidissimus autem sanguis: frigidior etiam est aliquanto bilis sanguine. Quum igitur hi humores ambo, aut alter solùm permisti cum sanguine fuerint, ipsum congelant, non tamen omnino. Neque enim viuere posset homo, si sanguis frigidior ac densior seipso multis modis fieret. Frigescente igitur sanguine, necesse est totum reliquum corpus perfrigerari: & vbi huiusmodi quid factum fuerit, Rigor appellatur. Et si quidem vehementior fiat rigor, fit etiam vehementior tremor. Nam dum contrahuntur venæ sanguine & coacto & congelato, corpus etiam contrahunt, & tremere faciunt: si verò minus aliquanto coactio fiat sanguinis, hoc rigor appellatur. Horror autem, est debilissimus rigor. Quòd autem post rigorem necessariò febris corripiat seu maior seu minor, sic habet. Hic vides ignauiam omnium expositorum, à Galeno vsque ad hæc tempora: cum fieri non possit, vt Aphorismus iste vllo modo absque illis verbis intelligatur. Si enim per rigorem intelligamus vehementem illum motum, qui à Galeno describitur, quomodo poterit æger esse debilis? validi enim motus à valida facultate fiunt, & motus secundum locum non potest fieri à causa morbi. Placet autem quod dicit Galenus, atque animaduertit, si rigor incidat, id est perseueret, nam infrà scribitur: A febre ardente habito, rigore superueniente, solutio. Est igitur ac si diceret: Si rigor perseueret in febre, vt qui sit motus quidam à congelatione sanguinis factus nec febris deficiat, id est, nec tollatur nec aboleatur, letale est. Quod sic demonstratur (sed malè à Galeno, quia assumit falsum, vt dixi, scilicet agitationem vehementem aut validam: nos autem loco agitationis contractionem ac refrigerationem subiiciamus. Si rigor assiduè, scilicet quotidie, aut etiam sæpius febrientem inuadat, nec febris minuatur, aut aliquid excernat æger, sicque letalis erit morbus trifariàm: & propter motum illum contractionis sanguinis ad cor, ac refrigerationem eius: & propter excretionem ipsam, quæ vires debilitat, tum ratione motus ipsius & conatus naturæ, sicut in tenesmone videmus: tum ratione eius quod educitur, vt sexta Aphorismorum videre potes: Et demum, quia signa decretoria, quæ non decernunt, ostendunt virium imbecillitatem. Quòd si nihil ex rigore excernatur, dupliciter erit malum: tum quia refrigerabitur sanguis, vt dixi, & contrahetur ad interiora: tum signi ratione, quia cum natura tentet, extrudere non potest. Accedit quod proponitur ab Hippocrate, scilicet febrem sequi rigorem, est enim initium alterius febris. Sic vides quanta manca sint in hac expositione Galeni, & aliorum eum sequentium: tam frustráque rigorem Galeni expectant videre in morituris, quàm Iudæi suum seruatorem.

Pag. 12. *Aphor. 58.* *27. Com.*

APHORISMVS XLVII.

EXcreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ, omnes malæ. Et si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ: si verò non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

COMMENTARIVS.

TRia in præsenti Aphorismo docet, ad prædictionem opportuna. Signum, ab eo quod excernitur à facilitate & à iuuamento, & ideo est memorabilis inter reliquos: & coniungitur priori, quoniam ibi docuit de actione, quòd inutilis sit fermè semper: hic autem de excretione. Verùm prior ei continuatur. Febres quæcunque non intermittentes, interposuit autem illos duos, propter id 43.

id quod diximus in Aphorismo illum proximè sequente, Tum magis decuit: quia, vt dixi, duo præcedentes hunc quem nuper exposuimus, sunt vnus, non duo Aphorismi. Proponit autem quatuor genera, à quibus sumenda sit ratio eorum quæ excernuntur: color, & proponit liuidum pro exemplo: substantia cruenta: odor, vt sit fœtidus: & permistio, vt sit biliosa. Vnde patet Hippocratem genera, non species, nec ea perperam enumerasse. Hic verò impudentem errorem Galenus admittit, legens coniunctim secundam partem cum prima, ac si dicat, Excreationes liuidæ, cruentæ, &c. tametsi malæ sint, si tamen bene exeant, bonæ. Quis hoc audiat sana mente, cum tales omnes etiam sic prodeuntes, aut saltem aliquæ, scilicet fœtidæ & liuidæ, letales sint: Atque sic experientia semper didicimus. Præterea fuisset dictum speciale, cum Hippocrates generalem efficiat doctrinam, hoc modo: Quæ excernuntur, an bona sint, trifariam expendes ex illorum natura: mala enim semper mala, siue sint mala à colore seu substantia, seu odore, seu mistione. Ex modo quo educuntur: nam quæ facilè educuntur, ea ratione semper bona sunt, contrà mala: & ex successu, si ex his iuuatur æger, aut detrimentum recipit. Eodem modo exemplum de sputo ad vrinas & excrementa amplificando traducit, quod generaliter in prima & tertia parte intelligendum est: veluti si dicamus, Excretiones alui fœtidæ, cruentæ, biliosæ, puræ seu synceræ, liuidæ, malæ. Et ita etiam in tertia parte eam amplificationem declarat. Præterea animaduertendum est, in prima parte sic scripsisse Hippocratem, vt tam singillatim quàm simul posset intelligi, neque ob id posuit duos colores aut duas substantias, ne existimaremus singillatim intelligendum. Vt sententia Aphorismi hæc sit: Excreationes in febribus intermittentibus qualitercunque malæ fuerint seu colore, seu odore, seu substantia, seu permistione, seu etiam aliæ excretiones, malum significant. Eædem excretiones si facilè educantur, ea ratione bonæ sunt omnes. Et si iuuant, rursus bonæ: si non iuuant autem, malæ.

Consideranda sunt hîc alia quædam, quare dederit exemplum de excreationibus peculiare, nec dixerit euacuationes quæcunque. Quis dubitat quòd non intellexerit etiam, cum peculiaris particula afficitur, vt in excreatione pectus, & partes in eo contentæ, nam euacuatio, quæ fit ex pectore, ad particulam vnam attinet: vrina autem & & egestio ad totum corpus pertinent, & super febris materiam significant. Aliud quod in excreationibus, non poterat dicere nisi malum: quoniam bonæ excreationes in febre non sunt bonum signum, sicut nec vrina in morbo laterali, sed impertinentia. Specialia enim signa in morbis vniuersalibus, & vniuersalia in morbis specialibus, non significant bonum, neque salutem: sed si mala sint, significare possunt mortem. Tertium est, quod quæ excernuntur, si non iuuant, malum significant, dicit Hippocrates: non obiter, sed profunda illa mente nos docens, quod non est necessarium vt noceant, ad hoc vt sint mala, sed sufficit vt non iuuent: quoniam interim & natura fatigatur, & non excernitur quod excerni debet, aberrante natura. Ex his patet, Galenum frustra in Commenti initio accusare Hippocratem, vnde summam laudem merebatur: ipsum verò vix quartam partem sententiæ illius intellexisse. Sed causa fuit nimia conscribendi celeritas, & confidentia in propria auctoritate, quæ persæpè facit aberrare claros viros, & vt decipiantur in successibus rerum.

Porrò vt breuiter transigam modò per exemplum quæ dicta sunt de excreatione, deducendo in species adducam ea quæ in Prognosticis scripta sunt: Sputum in omnibus doloribus, qui circa costas fiunt, & pulmonem, citò & facilè expui conuenit (hoc ad modum pertinet.) Et flauum sputo valde mistum apparere (hoc peculiare est morbo pectoris, quia bonum, & ideo huc non pertinet.) Si enim longè postea post principium doloris expuerit quod flauum est, aut fuluum, aut quod multam tussim inducit, & non valde permistum est, deterius est (hoc partim ad primam partem, partim ad secundam Aphorismi pertinet.) Nam & flauum meracum periculosum est, & album ac tenax, rotundúmque inutile est (hoc ad colorem & substantiam attinet.) Malum quoque est, & quod viride est valde, & quod pallidum vel spumosum (hæc à colore rursus & substantia, non enim per spumosum saliuæ admistum intelligit: hoc enim salutis signum.) Si verò ita fuerit meracum, vt etiam nigrum appareat, hoc ipsum deterius est quàm illa (& illud ad colorem.) Porrò quòd addit, Omnia sputa mala sunt, quæ dolorem non sedant: quæ verò sedant, omnium optima sunt: ad tertiam partem Aphorismi pertinet illud, docens per hanc repetitionem contrariorum, præter solitum signum id esse constantissimum.

Verùm cur dixit, In febribus non intermittentibus: non vt credamus loqui de abscessu pectoris solùm, aut partium eius, vt quidam credunt, dixisset enim: Sed de qualicunque materia ibidem collecta, seu abscessum faciente, seu non: ne fortè ex grauedine, quæ febrem continuam associare non solet, decipiamur. In his enim quandoque & difficilis screatio, & fœtida, & mali coloris ac substantiæ, & quæ non iuuat nisi sub fine, contingit citra vllum vitæ periculum.

APHORISMVS XLVIII.

IN febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vrũtur, & sitim habeat, letale est.

COMMENTARIVS.

SCribitur hic Aphorismus alio modo, sed non est omnino idem, septima Aphorismorum: In acutis morbis frigiditas extremarum partium, malum, loco intermittentium

acutæ

acutæ ponuntur:at cum ad non intermittentes seu continuas ponantur tres conditiones, in acutis tantùm vna frigiditas extremitatum:manifestum est, si sermo congruus esse debet,oportere vt frigiditas extremitatum in acutis febribus tantum sit, quantum in aliis continuis febribus,si interiora vrantur,& sitim habeat, at cum hæc adfuerint, febris continua acuta erit:igitur vtroque modo in febre acuta & non acuta hæc tria adesse supponuntur. Verùm non est hoc necessarium forsan, quia hic dicit, Letale: ibi,Solum. Et in Prognosticis: Caput & manus & pedes si frigida sunt, malum est:vbi & venter & latera calida sint,hoc idem est, quod in septima Aphorismorum dicitur. Sed multum interest, dicere partes exteriores & extremas, ideo exteriores significant mortem, quia vbique calor retrocedit intus: non tamen in his, quibus extrema refrigerantur, quoniam senibus,& maximè longis hoc accidit, & tamen nonnunquam seruantur. Ex paucitate enim caloris naturalis,calor ad medium retrahitur, non ob solam vim inflammationis. Hic ergo Aphorismus de morte est, illæ auctoritates de periculo: hic de omnibus partibus exterioribus, illæ de extremitatibus solis:hic de continuis omnibus, illæ de acutis solùm, hic supponit quod partes interiores vrantur,& quod sitim habeat: in illis neutrum. Verùm cum hæc adfuerint, vt iam dixi,plerunque aut semper morbus acutus erit: vt prorsus sint similes, nullo modo eædem sententiæ.

Μὴ διαλείπουσι, ex sermonis ratione videtur omnes continuas, non solùm simpliciter continuas complecti, nam quæ coagmentatis accessionibus non dimittunt hominem, sub hoc nomine,μὴ διαλείπουσι, dicuntur:tum ratione differentiæ nominis.Continuæ enim appellantur ab Hippocrate ξυνεχέες,aliud ergo synochæ, aliud non intermittentes. Vnde apparet,Galenum non rectè synochas definisse,seruata scilicet vsus proprietate Hippocratis: qui(vt dictum est) sub his etiam puras continuas, quas proportionem habere diximus, comprehendit. Itaque & in his, & in aliis quæ plurium coniunctione vnam febrem efficiunt, verum est quod in Aphorismo dicitur.

Dubitat autem Galenus, cur addiderit, Non intermittentes, cum in nulla intermittentium hæc accidant, namque dicit, Solum in pernicioso causone & lipyriis hæc ista contingere videntur:quasi velit lipyrias toto genere esse letales. Lipyria enim, vt ipsemet refert secundo Prognosticorum, febris est acuta, quæ internas inflammationes viscerum subsequi solet: Aetius verò magis propriè eas distinguit. Cum enim erysipelas est in ventriculo, lipyria dicitur.: cum in iecore, typhodes:cum in pulmone, crymodes, vt etiam Fuchsius recitat. Sed lipyria Principis est huiusmodi,quod ad symptomata attinet,nec tamen fit ab abscessu interiore:sed est duplex. Vna à pituitâ,in hac non vruntur interiora: alia à bile crassa, pauca, profunda difficultas est in nomine.Miratur Galenus,quare adiecerit, Non intermittentes, cum hoc includatur: quasi esset immemor,

Pag. (margin, beside "necessarium forsan")
Com.4. Lib.5 c.80. (margin)
1.4 Tract.2. cap.50. (margin)

in omnibus tertianis in initio accessionis, & nonnumquam per plures horas interiora vri, exteriora frigere vehementer, & sitire clamosa siti, adeò vt querantur admodum tum de medicis:nec tamen febres illæ letales sunt, imò à vitæ periculo vacant,si quæ aliæ. Ideo dixit, Non intermittentibus:vt intelligeremus, materiam non contineri in vlla cauitate, præcipuè in ventriculo, vbi hæc facere potest. Propterea melius fuisset quærere, quare cum dixisset, Interiora vrantur: adiecerit, Et sitim habeat?videtur hoc enim ex præcedenti sequi. Ob id respondeo, Hippocratem voluisse excludere febres, quæ fiunt ex materia biliosa tenui, in profundo sita,nam in his non fit sitis, cum sitis fiat à terreo, vt etiam salsus sapor. Indicat igitur hæc signorum coniunctio, quam Galenus & alij medici vocant συνδρομὴν signorum, phlegmonem in visceribus, & valde magnum & acrem. *De Medico Cap.8.*

APHORISMVS XLIX.

IN febre non intermittente, si labrum,vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili corpore,quicquid horum euenerit,iam mors proxima est.

COMMENTARIVS.

ET in hoc & sequente continuat sermonem de febribus non intermittentibus, quem etiam in tribus præcedentibus prosequutus est, vt frustra aliam continuitatis rationem quærere sit. Hæc sententia habetur libro Prognosticorum his verbis: Si retorta, aut contracta, aut liuida, aut pallida palpebra, aut labium aut nasus cum aliquo ex aliis signis,morti proximus est, hic verò explicat,de imbecillitate virium propriè.Nam si hæc accidant cum febre intermittente, ex genere resolutionis esse poterunt:hæc autem parum solet vires prosternere. Si igitur cum febre non intermittente huiusmodi accidant, conuulsoria sunt. At si vires imbecilles, tum ex natura febris,quam prauam esse necesse est,quæ & vires prosternat, & conuellat partes anteriores, atque ideo neruos ex cerebro orientes, tum quia conuulsio aduenienѕ imbecillibus viribus breui occidit, necesse est vtrisque causis signisque iunctis mortem proximam esse. Atque hæc de primis quatuor signis. At si non audiat, nec videat, hoc ad summam imbecillitatem facultatis animæ, quæ in cerebro est, pertinet: quæ non nisi sublata iam febre hominem superuiuere finit, priora autem signa quandoque cum robore virium, ad decretorium significandum pertinent. Vnde illud de Iudicationibus: Quibus in febribus coxarum dolor, & oculorum distortio,aut cæcitas, aut testium tumores, aut mammarum eleuatio, febrem ardentem soluit: aut etiam sanguinis ex naribus fluxus.Nam & illud in Coacis *Pag.1.* *Pag.4.* *Pag.10.*

Aphor. 28. prædictionibus: Labium contractum alui biliosæ eruptionem significat. Surditas quoque vt superius visum est, biliosarum egestionum retentionem nullo malo signo consequitur.

APHORISMVS L.

VBi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit, letale.

COMMENTARIVS.

CVm in præcedenti signa connumerasset à facultate cerebri sumpta, hîc etiam de eisdem agit: sed seorsum in illo, in hoc simul duo signa complectens. Est autem quæsitu dignum illud, & à qua facultate spiratio fiat, & vnde sumpserit Hippocrates signa imbecillium virium? hoc quidem vsque nunc dilatum est, quod ad præcedentem pertinebat Aphorismum, quia sine priore dubio dissolui planè vix poterat. Ergo motum omnem tribuit Hippocrates cerebro medio spiritus, Pag. 5. ibi. Qui vere ad venas. libro de Sacro morbo: igitur etiam pectori. Et quod per neruos docet in Mochlico his verbis: Ossa corpori stabilitatem & rectitudinē ac speciem exhibent, nerui flexionē ac distentionem & contractionem, hoc idem in Pag. 5. In fine. quarto Epidemiorū docet, & in libris de Fracturis atque articulis, dum illos cauere docet, & præcisorum damna refert. Neruos quo-Par. 4. que à cerebro oriri affirmat secundo Epidemiorum. At ibidem & in Mochlico seu de Ossibus, eisdémque locis volens hæc definire, docet quòd ad septum transuersum nerui è cerebro veniant, par enim illud neruorum maximorum, quod sextum est cerebri, quodque ad ventriculum, septum, iecur, pulmones, cor, renesque venit: Hippocrates tum etiam aliud dignouit, & quòd motus esset à neruis, & nerui à cerebro orirentur. Similiter & singulare illud, quòd læsa conuulsáque spinali medulla, omnia quæ inferius sunt membra læduntur. Iuuat autem verba adducere ipsius Hippocratis, ne quid additum vel diminutum videatur, ex secundo libro Pag. 9. Prædictionum: Medulla spinæ si ægrotarit, siue ex lapsu, siue ex aliqua quauis causa, siue sua sponte, homo & cruribus impotens fit, vt neque si tangatur percipiat: & ventre ac vesica, vt circa prima tempora neque stercus neque vrinam egerat, nisi ad necessitatem. Quum autem vetustior factus fuerit morbus, non vrgente homine, & stercus prodit, & vrina. Itaque constat pectus ipsum moueri à septo transuerso, tum etiam à neruis, à medulla spinali exorientibus, quod Pag. 22. etiam apparet ex his quæ in libro de Articu-Pag. 2. lis, & in libro de Morbis scripsit; nimis longum esset describere singula. Quod verò necessarium cognitu est, motus necessitatem longè aliam esse quàm facultatem ipsam. Si Pag. 2. quidem in libro de Corde inquit: Cum enim considerasset figuram solidam futuram ipsias visceris propter sanguinis effusi collectionem ac concretionem, deinde attractorium ipsum totum vidisset: folles ipsa apposuit, quemadmodum & fabri ferrarij fornacibus solent, quo per ipsos spiritum apprehenderet. Cuius rei signum est hoc, quod videas cor ex toto ventilari, aures autem illius priuatim tum inflari, tum considere ac contrahi. Necessitas igitur motus pectoris est à corde, facultas autem à cerebro: quocirca Hippocrates vsus est hoc signo à respiratione sumpto, in dignoscendo an facultates illæ vitalis atque animalis afficiantur. Dico autem respirationem vtranque amplecti facultatem animalem, & rationis & motricem. Vnde cum de motrice dictum sit, de ratione illud clarum est etiam, cum dixerit in Prognosticis: Spiritus densus dolorem aut inflammationem significat in locis qui sunt supra septum transuersum (hoc ad motricem vim cerebri & neruorum pertinet.) Qui verò magnus expiratur & per multum temporis interuallum, delirium indicat, (hoc igitur ad rationem,) Si verò frigidus è naso & ore expiretur (supple in acutis) valde iam perniciosus est, (hic proponit causam illius esse cor.) Bonam autem spirationem valde magnam vim ad salutem habere in omnibus acutis morbis existimare conuenit, qui cum febribus sunt, & in quadraginta diebus finiuntur. Nam si vel læsa facultate motrice vel rationali valde in cerebro, vel vitali in corde, necesse est spirationem non esse bonam: igitur si bona sit, è diuerso necesse est omnes has facultates illæsas esse omnino, aut parum, hoc est quod tantum tribuit Hippocrates spirationi bonæ atque malæ, in prædicendo de morbis. Erasistratus autem, abnepos ex Aristotelis filia, Hippocratis, pulsus rationem inuenit satis perfectè: sed eam Archigenes, Agatinus ac Philotimus mirum in modum exornarunt: in quo nihil habet facultas animalis imperij, sed sola vitalis. At Hippocrati sufficit, vt dixi, respiratio: illud nos admonens, quod quę in ea ad qualitatem spiritus frigidi aut calidi, aut multi aut pauci vel densi, omnia quidem ad vitalem pertinent facultatem: quæ verò ad raritatem & ordinem, ad rationalem: quæ autem ad frequentiam cum paruitate coniunctam, & ad labores, vt cum omoplatæ mouentur, cum pinnæ narium, cum totum pectus mouetur, laborantque lacerti inferiores, ad imbecillitatem facultatis motricis.

Hippocrates igitur siagna debilis corporis ac validi cum quærit, vt in præcedenti Aphorismo, à solo motu corporis, & capitis præcipuè, accipit. Vnde Aphorismus ille non de imbecillitate virium, sed corporis loquitur: quæ in illo casu sufficit ad mortem significandam. Est igitur imbecillitas corporis eadem, quæ virtutis motricis, seu animalis. At cum de imbecillitate virium loquitur, omnes tres facultates considerat: atque in vitali respirationem, vt dixi, etsi totum corpus perfrigeretur, nec recalescat: palàm enim est calorem omnem nostri corporis à corde proficisci, nam qui à iecore prodit, non tantus est, vt exterius sentiri queat. Atque hic duobus signis vitalem explorat. Animalem rursus à spiratione, vt dixi, & quod relinquitur a constantia rationis, motibus corporis & sensibus, vt sint quatuor iam, & cum signis vitalis sex. At naturalem facultatem

tem nil aliud vult esse quàm calorem naturalem, cuius cum sint quinque facultates seruientes, & tres principales, scilicet nutrire, augere, generare: seruientes autem, appetere, attrahere, retinere, concoquere & expellere: omnes considerat operationes has. Sed principaliter eam quæ concoquit, pòst eam quæ appetit, inde quæ expellit, nam quæ attrahit, non est necessaria, nisi ratione operis, & raro vitiatur: est igitur principalis ratione operis si enim non trahat, non potest concoqui, & hac ratione est consideratione digna, sed raro eò deuenitur, quia hoc fit per villos, & villi sunt cōmunes omnibus operationibus vt etiam Fallopius credit: & si non ita sit, parum refert hoc ad rem. Quæ verò continet, facilè redit, facilè aboletur, vt in vna die bis ac ter abeat & redeat in eodem membro velut ventriculo. Igitur concoctricem maximè considerat, & eam ab excrementis primùm materiæ morbi, vt in vrinis & alui excrementis, pro morbis vniuersalibus, vt sunt febres: & pro morbis earum partium, vt excrementorum alui, pro ventriculo, iecore, mesaræo, eiusque venis, splene & intestinis: in vrinis pro iecoris gibba, venis omnibus quæ sunt vltra iecur, renes atque vesicam: in sputis, pro his quæ in partibus sunt pectoris, affectibus. Secundum signum sumit ab appetendi facultate, vt etiam in Aphorismo illo secundæ Particulæ: In quouis morbo mente constare, ac bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrarium verò, malum. Vbi geminatio illa ab Hippocrate facta (vt dixi) semper vehementiam signi indicat. Et est ac si diceret, Valde bonum & valde malum. Ideo dici potest meritò quadruplicatio, nam si dixisset solum Bonum, non intelligeretur de contrario, quod esset malum. Et similiter si dixisset, valde bonum: duplicasset vim significati. Modus hic loquendi significat, & quod hoc valde bonum sit, & contrarium valde malum. Et in morbis perniciosis ac pestilentibus maximè idem obseruat, vt in tertio Epidemiorum, libet autem verba nimis congruentia proposito adducere, inquit enim ibi: Magnum autem malum & hos & alios comitabatur, cibi fastidium, velut præscriptum est, nam neque potum cum cibo libenter sumebant, sed valde sine siti degebant. Itaque auersari cibos in morbis per se, ob humores prauos contingere potest, atque sic malum est: sed tamen non valde, cum plerisque id contingat, at si sine siti sint, hoc est deterrimum, cum indicet appetendi facultatem prorsus extinctam. Et humor enim & febris sitim augere solent. Abhorrere ergo cibos, & valde sitire, non potest esse indicium extinctionis facultatis appetendi, quandoquidem vna sit radix appetendi cibum & potum, si igitur potum appetunt purgato corpore, spes est posse appetere cibum: at extincta sitis, ostendit facultatem esse sublatam. Est autem id, cum nec appetunt cibum nec potum, nec oblatos recipere volunt: & si coganturn, potum tandem assumunt: cibum autem adeò fastidiunt, vt omnino auersentur. Quòd si oblatos assumunt, delectantúrque ex assumptione aliquorum ciborum, quos sibi deligant, quamuis antea non appetant,

Pag. 8. parum ante ægri vltim.

indicium est hoc solum impedimenti facultatis, non autem abolitæ seu defectæ. Hæc autem in pueris & infantibus, quæ ad cruditatem & appetendi defectum pertinent, pessima sunt: minus mala in senibus, quia pueri & infantes melius, imò optimè concoquere & appetere solent. Prima Aphorismorum, & in Prognosticis, cum dixit, Aquosæ autem vrinæ in pueris pessimæ sunt. Sic & excerni aliqua sub coctionis fine, & vim expultricem validam esse, bonum: in totum conquiescere, vel nimis fatigari, malum est, præsertim in iuuenibus, in quibus hæc facultas solet esse robustissima. Hæc igitur sunt tria signa, quæ sumuntur à naturali facultate ab Hippocrate, quæ cum aliis sex iuncta sunt nouem. Quo demiror valde de Galeno, qui has facultates seruientes statuat tantum quatuor, cum sint quinque & omittat secundam in ordine nobilitatis, cum videat tanti æstimari ab Hippocrate. Quòd si quis dicat volens illum tueri, quòd eadem sit cum attractice: nihil minus, videmus enim quosdam, qui optimè appetunt, & glutire non possunt, sicut ipsemet Galenus in Methodo narrat, de eo qui post multam sitim ac magnam, confertim hausit quantitatem aquæ frigidæ multam, alij rursus bibere possunt, & glutire, sed auersantur cibos omnes ac potus. Adeò verò est manifesta distinctio inter vnam & aliam, vt non sit dubitandum. Et si dicat, quod non sit facultas, quia non habet opus. Imò habet, & est ipsum appetere. Et si dicat, quod non sit operatio, sed sensus, fateor quod est sensus: & vitium illius est symptoma, & causa eius morbus, sicut etiam vitium in concoctione vel retentione. Et si dicat, quòd illæ facultates sunt communes toti corpori, hæc soli ventriculo: & ideo descripsit facultates solum communes toti corpori, & hæ sunt tantum quatuor: Dico quòd hæc facultas, licet sit euidentior in ventriculo, est etiam in toto corpore: nec minus communis aut necessaria, quàm attrahendi vel retinendi. Et hoc ipsemet fatetur primo de Symptomatum causis. Ex quo sæpe adducor in opinionem, quod hic vir non tantus esset, quantum illum existimauit posteritas, & quod integras paginas ex aliis auctoribus transcripserit in suos libros sine aliqua examinatione, sine aliquo iudicio, imò nec ipse id fecerit, sed per anagnostas fieri curauerit, quod palàm est fecisse in libris illis de Dogmate Hippocratis & Platonis, in libris de Pulsibus, in Anatomia: in quibus sanè longè plura corrupit, quàm vtiliter addiderit. Namque quomodo potuisset eum latere hæc facultas, si Hippocratis dicta toties, si rationem ipsam pensitasset? Hæc non dixi, illius inuidens gloriæ: sed vt quorundam pertinaciæ obstem, qui malunt res ipsas periclitari, quàm vnius auctoris, quem sæpe etiam non intelligunt, paucula verba, forsitan etiam vitio vetustatis, vel alia causa deprauata. Nam quod etiam de vi discernente ac separante additur ab Auerroe, vt sic essent sex, non probo: & fuit ambitio potius quædam Auerrois, quàm vtile inuentum, est enim quæstio de solo nomine, nam trahendo solùm quod vtile est, separatur vtile ab

14. Pag. 5.

Lib. 7. c. 7.

Cap. 7.

ab inutili, & ita concoquendo semper fit maior separatio, nam naturalis calor partem vtilem concoquit, inutilem autem præternaturalis: ideo quanto diutius in coctione proceditur, tanto partes illæ substantiæ fiunt dissimiliores, quæ autem dissimilia sunt sponte separantur: sicut quæ similia, in vnum coguntur, vt non sit opus hac virtute discernente, cuius neque signa languentis neque causæ neque cura apponuntur ab Hippocrate, at virtutis istius appetendi vbique sunt manifesta opera, signa causæque si vitietur & cura non solùm ab Hippocrate, sed etiam ab ipso Galeno, cæterisque omnibus medicis.

Nunc ergo his visis, sententiam Aphorismi, quæ iam perspicua erit, breuiter exponamus, neque enim quæ diximus, declarando operam inutilem præstitisse opinamur. Dicit igitur, δύσπνοια cum habeat duo significata, generale & proprium: generale est, cum aliqua spirandi non naturalis differentia supponitur, quæ est multiplex, vt habetur sexto Epidemiorum: Spiritus parui densi, magni rari, parui rari, magni densi: extrà magni, intus parui: intus magni, extrà parui: alius extendens, alius vrgens: dupla intro reuocatio, velut super inspirantibus calidus, frigidus. Et sunt decem. Galenus verò, vt solet, multis verbis non rem expedit. Dictum est autem de his suo loco. Dupla reuocatio est, vt in flentibus, bis enim aut sæpius intrò reuocat spiritum: qui verò extrà magni sunt, intus parui, sunt morientium, magna enim extensione pectoris paruum hauriunt spiritum. At quæ propriè difficultas spirandi dicitur, adhuc duo habet significata proprium, & est cùm quis videtur non posse trahere spiritum: generalior est, quæ δύσπνοια & ἆσθμα, id est anhelitus creber (qualis his qui cum labore montem celeriter ascenderunt, coguntur enim anhelare multùm, etsi non patiantur in respirando difficultatem) & ὀρθόπνοια, cum quis non potest nisi recta ceruice spirare, atque hæc similiter duplex est: alia è genere crebræ spirationis, alia impeditæ. Differunt crebra & impedita, quòd in crebra homo non timet ita statim mori: sed in impedita videtur sibi mors impendere, quia non in operatione, sed in defectu sensis noxam: in asthmate autem in operatione. Videndum est, igitur de qua difficultate spirandi intelligat Hippocrates, & palàm est quòd non de illa intelligit, quæ solùm ab ægro dignoscitur, cum iam delirare ipsum præsupponat, sed ea quæ à medico. At cum dixit, in febre non intermittente, & in delyrio: vult difficultatem spirandi vel in causa esse delyrij, vt in abscessu septi transuersi: vel saltem iunctam, & vocatur Brisen ab Arabibus: aut delyrium difficultatis spirandi ob obliuionem, cum sit motus voluntarius, vt in omnibus cerebri abscessibus: quare res ad abscessus cerebri & septi transuersi deducitur. Et tertiò, cum in pestilentibus febribus plerunque post longas vigilias iam adeò vitiatum est cerebrum vel membra spiritus, & maximè pulmo, vt æger suffocari videatur. Liquet autem, quòd hæc omnia letalia sunt, hoc autem vltimum non solùm letale est, sed etiam letalissimum. Sufficeret autem spirandi difficultas, si non ex destillatione prouenire posset: quare delyrium addidit.

Par. 2.

3. de Diff. spirandi, capite 3.

APHORISMVS LI.

IN febribus abscessus qui ad primas iudicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant.

COMMENTARIVS.

CVm scripsisset signa letalia, adortus signa mala, vt longitudinis, magnitudinis, ac talium: & signa etiam bona, vt salutis, aut quod in melius mutari debeat morbus, & perseuerat vsque in finem: neque enim est vllus Aphorismus vel de morbo letali, vel de curatione, sed solùm de signis bonis aut malis, aut pathognomicis. Quare non est vt laborem de continuatione in singulis, quamuis etiam singuli propriam habeant ad præcedentem continuationem: sed vt etiam aliquid lectori relinquam, omissurus sum eas, tum præsertim, ne nimis extendam hæc Commentaria: & quod in Galeno & Brasauolo damno, id etiam vitium ego alios accusando subeam. Ergo vt ad rem redeam, hunc Aphorismum Galenus cum dixit adeò esse facilem, vt interpretatione non indigeat, & nec Hippocrate dignus videatur: clarum est omnino non intellexisse. Ideo isti adeò Galeno addicti considerent, quàm frequenter, & in minimis cæcutiat: & quod deterius est, Hippocratem perperàm accuset. Sententia igitur ardua est, sensúsque illius est: Cum in febribus abscessus fiunt in prima iudicatione, nec soluunt, significant longitudinem morbi. Potest enim habere tria significata. Primum, vt superueniens abscessus primæ iudicationi non soluat febrem. Secundum, vt sit abscessus cum febre iam, & disrumpatur, nec soluat febrem: & hoc est minus verisimile. Tertium, vt liberetur ab abscessu: & hoc etiam valde minus verisimile. Rationes non adduco, ob longitudinem nimiam vitandam: quo magis demiror, quomodo cum tot interpretationibus Galenus potuerit dicere, esse per se clarum, quod est obscurissimum. Ratio igitur est, si in febre superueniat abscessus, qui non iudicet ad primam iudicationem, cum dies iudicatorij fiant processu temporis rariores, vt in primo Epidemiorum habetur, dum sic connumerat illos: Est autem primus indicatorius ex circuitibus diebus paribus iudicantibus, quartus dies, deinde sextusdecimus, decimusquartus, decimusoctauus, vigesimus, vigesimusquartus, vigesimusoctauus, trigesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octuagesimus & cétesimusvigesimus. Et suprà etiã in Aph. Alia causa est, quod cum fiunt iudicationes per abscessus, signum est contumaciæ materiæ, vt ipse Galenus testatur secundo de Crisi. Si ergo non finitur febris, non tota materia in abscessum detrudi potuit: relicta est ergo pars contumacior, si igitur materia quæ in abscessu est, non poterat

Sec. 3. aegro.

Cap. 1.

terat aliter euinci, quanto minus illa quæ non potuit ob contumaciam eò detrudi: at- In fine. que ita morbus erit longissimus. Huiusmodi exempla plura habes in primo Prædictionum.

APHORISMVS LII.

Qvicunque in febribus vel aliis morbis ex voluntate illachrymant, nihil absurdum: qui verò non ex voluntate, absurdius.

COMMENTARIVS.

Hic rursus Galenus vult emendare Hippocratem, quòd dixerit absurdius comparatiuè, sine positiuo: deinde corrigit excusando, non fuisse errorem Hippocratis, sed librarij mendum, & ita vult vt legatur Absurdum. Quæ lectio & emendatio & modus loquendi est absurdus & inusitatus: sed debet legi, vt iacet, comparatiuum enim positiuo succedens auget: sed negatio positiui est minus quàm positiuum, & significat leuem affectionem, vt, Ille non est eruditus, alter est eruditior: id est, Non eruditus, sed aliquanto magis eruditus, quàm si nihil prorsus sciret. Erubesco vices Galeni, qui cum de Grammatica libros conscripserit, grammaticique insignis filius fuerit, in his friuolis adeò hallucinetur. Quid hoc est aliud, quæ vt voluerit declarare lachrymas esse signum, vel neutrum & indifferens, cum sunt cum causa & sine causa, etiam non multum malum. Habet & aliud comparatiuum sine positiuo, quo à positiuo differt, vt possit significare & comprehendere superlatiuum, adeò vt multis sine causa lachrymæ profluentes exiguum malum significent: quibusdam etiam mortem præsentem. Vxori enim meæ Luciæ Bandarenæ, cum ex fluxu obierit seu diarrhœa, fluxere vbertim lachrymæ per tres
Pag.9. horas ante obitum. In quarto Epidemiorum scribitur sic: Qui quidem volentes lachrymantur, non malum est: quibus autem inui-
Par.1. tis lachrymæ profluunt, malum. Et rursus in sexto: Lachrymæ in acutis malè habentibus, vltroneæ bonæ: inuoluntariæ verò defluentes, malæ. Hîc voluntarias bonas esse dicit, quia signum sunt metus & cognitionis & cerebrum purgant, indicántque non valde esse exsiccatum: at in hoc Aphorismo & quarto Epidemiorum, sufficit ei non malas dixisse: quia hæc quæ significantur ac præ-
Pag.1. stantur, parua sunt. At dices: In libro Pronognosticorum vult, quòd inuoluntariè lachrymæ sint etiam exitiales. Dico quòd in acutis ibi loquitur, hîc generaliter, propterea dixit Absurdius, vt posset extendi vsque ad letale. Ita tamen intelligendum est, vt non sit ante iudicium in ardente febre, nam tunc si nullum sit prauum signum decretorij, & per fluxum sanguinis narium indicia sunt:
Pag.7. seu cons.3. p.5. vt primo Epidemiorum habetur. Porrò cur lachrymæ inuoluntariæ profluant, nec illud ab imbecillitate continentis facultatis, bene dictum, si quidem ibi eas esse oporteret iam prius. Verùm cum celebrum non sit verisimile esse humidum, indicium est ardentis vaporis ad illud transmissi, & colliquantis cerebri humidum: cum verò facta est lachryma, vix contineri potest, vt apparet in pueris verberatis, flere erubescentibus, nam & in illis præ dolore calidus vapor è corde ascendit, qui in humido cerebro facilè excutit lachrymas: ita ex corde & ad lachrymas, & ad venerem, & ad impetum iræ, & pudoris & timoris principium & substantia emanat.

APHORISMVS LIII.

Qvibus in febribus circa dentes quidam lentores nascuntur, his vehementes fiunt febres.

COMMENTARIVS.

Scribitur & hic Aphorismus post præcedentem, quarto Epidemiorum, vt hic, sed à Galeno redditur causa, non tamen clara. Si Pag.9.
enim hoc est propter caloris vehementiam, cur non omnes febres vehementes hoc faciunt? neque distinxit, an futuras tales præiudicaret: non igitur ob caliditatem hoc signum apparet, cum nondum caliditas tanta in illo fuerit, aut iam præteritas: atque ita erit signum, vt aliàs dixi, ἀναμνηστικόν. Itaque hoc signum & ob vehementiam caloris febrilis, & materiæ lentorem eximium, & redundantibus vaporibus ad superiora, vt cum soleant afficere linguam, maius est, etiam si dentes attigerint, itaque & præteritarum & futurarum exacerbationum huiusmodi signũ vehementiæ est, sed diuersa ratione. In his autem sucessu temporis dentes sicci fieri solent. Sed & quod addidit in quarto Epidemiorum: Et hiare fixis oculis, malum. Quasi indicet, dentes, quod verum est, contrahere eum lentorem ob hiatum, qui enim aperto ore dormiunt, hos contrahunt: febres autem validæ cogunt hiare ob vehementem calorem, qui efflatur, ita triplici causa fient hi lentores: & calore febrili valido, & vaporibus feruentibus per os delatis, & ab aëre exteriore hiante ore. sed sensus aphorismi non attingit.

APHORISMVS LIV.

Qvibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

COMMENTARIVS.

Hic Aphorismus recitatur sexto Epide- Par.2.
miorum, hoc modo: Tusses siccæ parùm irritantes à febre ardente, non pro ratione siticulosæ: neque linguæ torrefactæ, non feritate, sed spiritu. In hoc loco docet id plus quod neque linguæ siccæ sunt, ea enim ratione qua humectantur vt non sitiant, etiam non torrentur linguæ. Sed cur dixit, Leuiter irritantes?

irritantes? quia validæ tusses possunt accendere febres, & concalefacere pectus ob vehementem motum. Sed cur adiicit, Non feritate, sed spiritu? Quia, vt bene ibi Galenus exponit (qui vtinam hos Aphorismos tam apposite declarasset, vt Epidemia, nos excusasset ab hoc labore) quoniam sunt quædam tusses siccæ malignæ seu ferinæ, quæ sitim non extinguunt, vt in tabidis & erysipelate pulmonis: siue ex empyemate, siue ex aliquo vlcere seu praua destillatione: sed oportet vt sit tussis, quæ solùm à spiritu excitatur, non sit autem ferina. Vt autem sciamus eam dignoscere, subiicit: Constat id inde, cum enim loquuntur aut hiant, tunc tussiunt: cum verò non, minimè, hoc autem in febribus ex lassitudinibus obortis maximè contingit. Declarat quæ sint tusses à spiritu excitatæ, & dicit: Illæ sunt, quæ cum quis loquitur aut ore hiat, excitantur: aliter, si homo clausum teneat os, non infestant. Et dicit quòd tales febres plerunque è lassitudinibus sunt excitatæ, quod Galenus experientia deprehendisse affirmat. Causa verò huius est, quod ex tali tussi trahitur aliquid pituitæ ad locum, ex quo humectatur lingua & os ventriculi. Sed hæc responsio Galeni est valde languida, nam primùm, cur ex modico potu id non magis fit? Deinde cur accipit Hippocrates tussim siccam, non humidam potius? Demùm cur adiecit: Hoc autem in febribus ex lassitudinibus obortis maximè? Propterea dico, quòd hoc est ex natura febris, & attractione etiam aëris frigidi frequenti, quæ fit ex tussi. Tales enim febres obortæ ex lassitudinibus, iunctæ sunt cuidam leui destillationi, quæ venas ingrediens, magna ex parte cohibet tussim. Cæterùm hoc dictum est ab Hippocrate, quoniam meminerat scripsisse se in libro de Ratione victus in acutis, quòd febris ardens primi generis vehementem habet sitim: non ita secundi generis, cum qua plerunque tussicula illa associari solet. Meminer- *Pag.13.* ris autem, quòd in sexto Epidemiorum scribitur: Quòd tales febres plerunque ad articulos decumbunt, si cum leui tussi iunctæ sint. *Par.7.*

APHORISMVS LV.

Ex bubonibus febres omnes malæ, præter diarias.

COMMENTARIVS.

Hac in parte Fuchsius adeò apposite exponit, vt nihil melius: vtinam semper sic, & nos ab hoc labore, & seipsum vindicasset. Sed rara apud illum auis, & melior tamen rara quàm nulla. Ex sexto igitur *Par.2.* Epidemiorum hic Aphorismus declaratur, dum Hippocrates hæc dicit: Abscessus, velut glandularum tumores, signum quidem sunt earum partium, quæ germina habent: sed & aliarum, maximè verò circa viscera, maligni autem hi sunt. Sed & suo more addidit, quæ ab Hippocrate non dicuntur: credo vt quis dicere possit securè, nihil in tota Aphorismorum expositione sani dixisse, nam si nihil addidisset, hoc dici non poterat verè. In summa, demonstratio est hæc, & non qualem proponit Galenus. Externi bubones non possunt ob distantiam à corde febres producere alias, quàm diarias. Ergo si producunt, non sunt puri abscessus externi, sed germina internorum: at interni abscessus si in visceribus sint, letales sunt: si non, sunt profundi, & periculum est ne antequam maturescant, penetrent intus, & occidant. Sicut periit frater egregij Iurisconsulti, amici nostri, Angeli Crucei, ex medicorum imperitia, & inscitia interpretationis huius Aphorismi. Nam *Par.3.* vt iubet Albucasis, debent tales abscessus scindi ante maturitatem: quia cum febris esset continua, erat profundus, dicit Albucasis: Si abscessus sit profundus, & excideris ante maturitatem, non poterit intus penetrare: & licet sanatio sit difficilior, maior tamen est vtilitas iactura. Quòd si abscessus sit externus omnino, nec profundus, & febris ad eum putrida, erit pestilens, aut ex lue Indica, ideo malignus.

Quod docet Galenus loqui Hippocratem de succedenti febre, aut simul adueniente, verum est, necessariúmque scitu. Atque vtinam tam etiam admonuisset de hoc, quòd febres istiusmodi diariæ dicuntur, non ob hoc quòd vna tantùm die durent (hoc enim rarò accidit) sed durant pluribus diebus vna alteri succedente. Verùm à natura febris, cuius proprium est habere vrinas coctas, pulsum æqualem, sine rigore ac tremore, vehementique agitatione vlla incipere, sine dolore capitis ac siti valida, & sine oris amaritudine: finiri cum rorida humectatione, lassitudine carere. Calor quoque suauis est, & contractio pulsus non celer neque crebritas, adest sola magnitudo, & distentionis celeritas, ascenditque continuè ad suum statum sine anfractibus ac reciprocationibus, vt ex Galeno primo de differentiis febrium *Cap.7.* habetur. Docet autem differentiam febris *Cap.3.* Ephemeræ ex bubonibus à febre putrida, nam in vtraque putredo est origo febris: sed in Ephemera solus calor ad cor peruenit, non vapor, in putrida autem etiam vapor.

APHORISMVS LVI.

Febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum, prorogatur enim morbus, & multam significat humidam substantiam.

COMMENTARIVS.

Dictum est in superioribus generaliter, quòd signa decretoria quæ non decernunt, mortem aut difficilem iudicationem significant, ex secundo Epidemiorum. Et suprà, *Par.1.* sudor multus, calidus aut frigidus: frigidus magis, calidus minus significat morbum, *Aph.41.* Sed liberemus prius Hippocratem à Galeni accusatione, qui cum dicat oportuisse sequi illum Aphorismum, non adducit differentiam inter hunc & illum, nam hîc loquitur de sudore in comparatione ad morbum, ibi autem

autem vt distinctionem multi frigidi à multo calido declaret. At hic, cum, vt dictum est, intendat docere, signa quæ mediocria sunt, aut bona aut pathognomica: ibi verò cum egisset de sudore frigido, qui vt plurimùm perniciosus est: manifestum est nec hunc Aphorismum illum sequi potuisse, nec Galenum ordinem procedendi Hippocratis animaduertisse. Videamus igitur in quo hic Aphorismus differat ab illo suprà adducto, quantum ad eam partem in qua loquitur de sudore calido. Et clarum est, quod ibi loquitur solùm de substantia sudoris copiosa, hìc verò de natura temporis in quo superuenit. Et construitur ratio sic (aliter enim plenè illius interpretationem docere non liceret:) Sudor qui non soluit morbum, non est criticus: & decretoria quæ non decernunt, mortem aut difficilem ostendunt indicationem: igitur sudor qui aduenit non deficiente febre, aut mortem, aut difficilem ostendit indicationem. At cum loquatur in morbis sanabilibus, significabit solùm morbi difficilem indicationem, non mortem. Non præsupponit ergo, esse multum, quia primò id dictum est superius in alio Aphorismo: & quia significaret magnum morbum, hoc autem non præsupponit, & ita patet qualiter à superiore Aphorismo differat.

Relinquuntur modò tres dubitationes. Prima, cur specialiter repetat, quod generaliter alibi scriptum est. Secunda est de sudore indicatiuo: tertia, quare addiderit, illud significare multam humidam substantiam. Dico ergo ad primam, quòd propter duo id addit: quia tametsi omnia signa decretoria cum non decernunt, difficilem ostendant indicationem, illud tamen magis in sudore contingit, quod si particulatim effluat, malus sit: si per totum corpus, debilitat ægrum. Nam in sudore duo sunt necessaria, quod generetur & emittatur: in aliis, vtpote vomitu, successu, sanguine narium, vt emittatur solùm. Præterea ob id quod addiderit significare multam substantiam, quod non conuenit aliis purgationibus. Quòd hoc non sit commentitium, apparet, nam alia signa decretoria, quæ non decernunt per se, non significant nisi morbi longitudinem, hoc autem illam etiam abundantiam humidæ materiæ: & ideo dicit malum, cum in aliis solùm difficilem indicationem. Quare verò significetur copia multæ materiæ humidæ, est causa: quia quæ expelluntur, aut concocta sunt, & hoc non (nam febris deficeret) vel ob consuetudinem naturalem, vt vrina & egestio: id non contingit de sudore, cum sit res præter naturam, aut quia irritat acuitate: nec hoc in sudore, cum sit in venis, & victus à natura: ergo relinquitur, vt expellatur ob multitudinem. Et quia fit ex substantia tenui, ideo significat abundantiam humidæ materiæ, id est liquidæ non potentia, nam plerunque biliosa erit. Ad reliquam dubitationem respondeo, quòd illa doctrina Galeni de signis indicatiuis, posita tertio de Crisi, quam adeò extollit, non est ad mentem Hippocratis: qui cum numerauerit quadraginta duos ægros in primo & tertio Epidemiorum, ne vnum quidem inuenies, cui fuerit crisis, per sudorem indicata, & pòst morbus finitus per sudorem, nam Anaxion etsi sudauit in vigesima, & liberatus est in trigesimaquarta per eundem, non fuit tamen prior sudor indicatiuus secundi, sed crisis inperfecta, ex qua cessauit etiam febris prorsus. Et similiter Nicodemus etsi sudauit in vegisima, & liberatus est in vigesimaquarta per eundem: non tamen prior fuit indicatiuus, sed criticus imperfectus, subijcit enim Hippocrates: Visus est sibi liber à febre esse. Et etiam esset contra Hippocratem hic, quia non significasset morbi longitudinem, cum sit sanatus quatuor post dies. Ideo doctrina illa Galeni de indicata crisi, quod ad euacuationis similitudinem tota falsa. Imo ex ominibus illis ægris, qui ibi numerantur, omnes fermè alio modo indicati sunt, quàm fuerit signum in die indicatiua. Vt si in die indicatiua fluxit sanguis è naribus, liberatus est languens per fluxum alui: & si in die indicatiua fluxit aluus, liberatus est per sudorem, & ita de aliis, sed plerisq; nihil effluxit in die indicatiua. Memento etiam quod in morituris hic Aphorismus de longitudine morbi veritatem non habet, nec loquitur de his Hippocrates: nam si morituri sint, abundantia multæ humidæ materiæ, quam dicit significare, facit vt citò pereant. Sic primo Epidemiorũ non solùm Philiscus, qui frigidum sudauit in sexta sudorem, ipsa die mortuus est: & Silenus, qui in sexta & octaua, & ipse frigidum sudauit sudorem, in vndecima mortuus est: sed etiam Erasinus, qui calido sudore sudauit, in quinta tamen obijt.

Cap. 3. & 4. in princ.

8. Languens tertio Epidē. ex vi.

10. Languens, ibidem.

Vide 7. contrad. 1.

1. Lang.

2. Lang.

8. Lang.

APHORISMVS LVII.

QVi à conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente, liberatur.

COMMENTARIVS.

¶ QVomodo intelligenda sint verba conuulsionis atque distentionis, & in quo differant apud Hippocratem, & quantum in eis Galenus interpretando deliquerit, in sexto libro docebimus. Superius quoque declarauimus, febrem conuulsioni melius esse vt superueniat, quàm conuulsionem febri, & cur. In libro de Decretorio hic idem Aphorismus describitur, & cum conuerso, scilicet quod conuulsio adueniens febri, illam soluit intra tertium diem. Sed hoc non tam generale est: sed intelligitur solùm de febre, quæ nuper hominem inuaserit: hic verò Aphorismus generalis est, etenim si febris conuulsioni aut distentioni superuenit, & signum est protrusam esse materiam extra cerebrum in conuulsione, & extra neruos in distentione, & ob febrem incalescunt hæc eadem membra, & materia cruda concoquitur, & eius pars tenuior digeritur: quamobrem tot modis necessarium est conuulsionem illam

Aphor. 37.

2. Aph. 26. in fine.

seu distentionem finiri. Apparet autem, quòd cum vterque morbus per se letalis sit valde,& valde acutus, cum excitet febrem, mutationem facere in melius, neque enim minores morbos excitare solent,qui maximi sunt, præcipuè contrarios, nisi natura duce. Quæ verò Galenus dubitat de distentione, an sub conuulsione contineatur, & Brasauolus ac Fuchsius, & inaniter, distorquentur: omnia proueniunt ex ignoratione eorum quæ à nobis dicta sunt in Aphorismo illo sextæ Particulæ: quæ repetere non decet,ne bis eadem dicamus, præsertim hîc.

APHORISMVS LVIII.

A febre ardente habita, rigore superueniente, fit solutio.

COMMENTARIVS.

Rigor, est perfrictio dolorifica,cum quadam totius corporis agitatione atque
Cap. 6. concussione, hæc, inquam, de Rigore morboso, libro de Rigore habet Galenus, quòd si magnus sit, non solùm concutitur homo,
Cap. 2. sed etiam vibratio fit.Et in secundo de Symptomatum causis inquit: Qualis motus palpitatio est,paucus, tardus, rarus: talis est rigor, numerosus, celer, & creber: sed non omnino præter naturam totus est rigor, verùm vt tremor,imò si vera fateri volumus, est motus expultricis facultatis totus. Nam principium, ex quo oritur causa, est præter naturam. Dij boni quæ verba,tanto viro indigna? quamuis imperitus magna,qui quod non intelligunt, magis admirantur, forsan videbuntur. Quomodo expultrix facultas lacertos mouet? nonne hoc opus animalis? At alibi dicit: Subsequuntur excretiones, vomitus, sudores. Pulchra Dialectica: Sudores & vomitus sunt excretiones, quæ sequuntur rigorem: ergo rigor fit ab ea vi quæ eas mouet excretiones. An vigintiquatuor scripsit libros de Demonstratione, vt sic argumentaretur? Indignor sanè, cum lego librum de Rigore, vbi dum quæro vnde fiat rigor? mihi obiicit Attaleum, Praxagoram, Asclepiadem, Philotimum, Erasistratum, quos persequitur. Non illud ego quæro, siue delyrarint, siue rectè dixerint: requiro quid sit rigor? quomodóue fiat? An timuisti ne haberes quod scriberes, si non nugas illorum & argumenta, quibus illas confutares adiiceres? Nimis est rerum explicandarum, adeò vt timeam, ne si his quæ mihi in mentem veniunt, non aliàs dictis velim satisfacere, ex quacunque re liber ingens consurgat.Quid plura? tandem vnde fieret rigor, non ausus est docere,quippe qui non posset, nolebat enim tremorem vehementis rigoris partem esse: quoniam tremorem dixerat iam non fieri, nisi ob imbecillitatem virium: rigor autem fit etiam validissimis cum viribus.
6. Aph. 15. Sed si tantum horrebat fateri tremorem (quod tamen falsum esse docebimus) fieri à validis etiam viribus, quid prohibebat, ne tremorem non esse rigoris partem negaret, sed tamen à rigore oriri? At dicetis: In idem tu vitium incidis, reprehendendo Galenum. Non: nam ego id ago, ne seducti lectores auctoritate viri, quod nunc vitium maximè regnat, veritatem inquirere negligant. Neque enim ego, quot errores admiserit Auicenna, quibus in rebus Paulus defecerit,quæ Aëtius absurda dixerit, quæ Rasis, Celsus, aut si quid peccauerint Manardus, Brasauola, Fuchsius, prosequor: sed potius, si quid bene ab illis inuentum est, vt eorum, his nostris lucubrationibus ascribo. Satis gnarus,si Galeni auctoritas homines non segnes ad inquisitionem veritatis reddiderit,omnia quæ dixerimus lecturos, & an vera sint consideraturos: ego autem nil plus postulo,quàm audiri & legi, legi etiam Galeni scripta, deinde seu ad rationem seu ad mentem Hippocratis, seu ad experimentum examen reducatur (quæ tria sunt, quibus Aristoteles dixit posse confirmari opinionem) iudicium non refugio. At dicent: Aristoteles opiniones antiquorum refellit, Galenus illum secutus est. Si id eo exemplo egit,satis pulchrè Aristotelem intellexit, nam Aristoteles solùm de principiis maximarum rerum hoc egit, non in specialibus singulorum tractationibus. Veluti quot Mundi? an vnum & immobile? quot principia? quid anima? At cum de sensu, & de memoria, de terra,aqua, de equis, de ossibus tractat, vix vnum verbum tangit, persæpe nullum. At vt primum erat maximè necessarium & decens, ita hoc fuisset turpe atque ridiculum. Opiniones enim de rerum principiis abditæ & multæ, & quod maius est, probabiles omnes, adeò vt & nunc, quanquam ab Aristotele iugulatæ, & amissi libri, nihilominus reuiuiscant. Sed iam ad propositum redeamus. Vnde fiat rigor, Galenus non nisi obscurè dixit, scilicet fieri caloris naturalis impetuosa latione. Sed quid hoc melius erat, vt dixisset, quod fit in febriente, quod in initio febris, atque huiusmodi: quæ etiam geruli dicere sciunt. Quæro ego, quomodo ex his fiat? non enim musculi sic mouentur. Sed neque verum est, ab impetuosa latione fieri hunc motum, nam nec cum expanditur calor, nec cum sudor eiicitur, cum tamen tunc maximo impetu calor se foras exerat. Inquit: Tremor vnius partis, est rigor totius. Ne hoc quidem semper verum est: vidi enim etiam tremulos toto corpore. At dicit: Rigor est cum frigore, & totius corporis: tremor sine frigore, & partibus etiam aliquando conuenit, attamen & præ frigore quidam tremunt. Sed vocet illum rigorem, quando hoc satis sit, quod tremor conueniat partibus, rigor nunquam, ad distinguendum. Hoc quæro ego, cur rigeant à frigore & in febribus, sicut concutiantur atque vibrentur? Nam & illud quod rigor semper cum frigore fit, forsan non omnino verum. Tandem concludit, quod rigor fit accedente calore ad externa, ac quasi erumpente è carceribus, inde resiliente, ac rursus denuò extra cum vapore & ad membra sensilia, vt fiat dolorifica illa affectio, & inæqualis perfractio. Verba certè tanto indigna, vt dixi, non philosopho, sed medico. Sed timuit, ne si vera fateretur, ipsis suis præceptis comprehenderetur,

nam

nam vapor ille, quod dicere nunquam voluit, pungit ipsos musculos, atque neruulos vexat, cogitque illos se contrahere inuitos, vt in his qui acu punguntur, concuteréque corpus. Pag.13. Sed omittamus Galenum. Nunc Hippocrates quarto de Morbis inquit: Aquosus humor crasso commistus, dum volutatur circa ossa & neruos, rigorem creat, incalescens enim crassus humor, tenui affligenti miscetur. Pag.12. Porrò videamus quid dicat in primo de Morbis: Frigescente sanguine, necesse est & reliquum totum corpus perfrigerari. Et vbi huiusmodi quid factum fuerit, rigor appellatur. Et siquidem vehemens fiat rigor, vehementior etiam fiet tremor, nam dum contrahuntur venæ, sanguine coacto & congelato, corpus etiam contrahunt, & tremere faciunt. Si verò minus aliquanto sanguinis coactio fiat, hic rigor appellatur. Horror autem dicitur, debilissimus rigor. Hunc librum Com. 18. ipse Galenus tertio de Articulis, & in initio primi libri de Natura humana, Hippocrati tribuit: cum palàm fateatur Hippocrates, tremorem rigoris vehementis esse partem & affectionem. Iam ergo ad Aphorismi expositionem veniamus: Rigores fiunt, inquit Galenus, flaua bile sparsa super membra sensus: vnde bile eiecta è venis, soluitur febris. Atque id verum est: sed quippiam amplius voluit Hippocrates, crisim scilicet 4. Lang. significari. Nam Cleanactidi, primo Epidemiorum, rigor superueniens octuagesima die sudore cum multo, soluit febrem erroneam, non ardentem. Grauida quoque illa trium Lang. 13. mensium, & ipsa in primo Epidemiorum, soluta est à febre vehementi per crisim in quartadecima, licet rigor apparuerit in vndecima: nec tamen tunc solutus est morbus, sed vt dixi, triduo pòst. Et rursus in quarto: Pag.4. Qui in sutrina decumbebat, indicatus est in Pag.7. septima cum rigore. Quæ etiam in Bullagore, non iudicata est ante rigorem. Sed nec rigor solùm, sed horror signum est, sed non adeò certum, iudicationis, vt in Nicodemo in Abderis: qui cum horruisset in vigesima, Consil.3.10. & 11. Lang. solutus est à febre in vigesimaquarta per sudorem, vt tertio Epidemiorum. Et virgo in Larissa, quæ cum inhorruisset in sexta, iudicata est eadem die per sudorem, ex ardente febre libera facta. Hoc est quod dixit in libro de Iudicatione: In febre ardente si insuper adueniat rigor, exudare solet: In febre ardente, rigore superueniente fit solutio. Hæc enim vna est causa generalis in rigore & horrore, quod cum fiant ex biliosa & acuta materia sparsa super membra sensus ac motus, significant iudicationem futuram, ex qua soluitur febris ardens: non quòd soluatur ex pauca illa materia, quæ fecit rigorem, vt credit Galenus, sed quoniam signum est iudicationis, Est autem signum iudicationis, quoniam cum in venis antea contineretur, & iam incipiat expelli: igitur iam separata est tota, quia non expellitur ante separationem: & ideo concocta, quia non separatur ante concoctionem: quare cum sit concocta & separata, & iam incipiat expelli, igitur subsequetur crisis, per quam desinet febris ardens. Et hic est modus familiaris demonstrandi Hippocratis, & sua Dialectica. Cum verò repetierit rigor, & febris est ardens, separatio facta non est, & ideo exitiale est: vt in muliere, quæ decumbebat in Mendacium foro, tertio Epidemiorum, quæ 12. Languente, ex primis. bis in vndecima riguit, & semel in tertiadecima, & mortua est die sequenti. Vnde etiam illud: In oculorum distortione cum febre & lassitudine rigor perniciosus, primo Prædictionum. Pag.3. Rigor enim hic fit ex læsione neruorum, non secretione. Si ergo esset, quia spargeretur humor faciens morbum extra venas, esset semper & statim & sine alia iudicatione, salutis & causa & signum certum: at non est: non est igitur euacuatio humoris, facientis morbum extra venas, sed indicium futuræ euacuationis.

APHORISMVS LIX.

Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, iudicatur.

COMMENTARIVS.

Tria nos voluit scire ex hoc Aphorismo Hippocrates: Primùm, dies intermittentium penes circuitum debere numerari, seu accessiones. Sicut enim continuarum, quæ à flaua bile pura pendent, vltimus terminus est septimus dies, ita & intermittentium. Quam sententiam etiam in Prognosticis secutus est, dum dixit: Fit autem & quartanarum febrium constitutio ex eiusmodi ordine. Pag.8. Secundum est, quòd febres quæcunque possunt circa suum vltimum terminum finiri, vt tertiana, in quatuor aut quinque accessionibus, non autem octo, nouem, nisi error in cura acciderit. Tertium, quòd sicut humores habent in febribus suos circuitus, ita etiam habent in numero eorundem terminum: vt tertiana, si ex pura bile sit, redit de tertio in tertium diem, & terminatur in septem circuitibus. Quotidiana, si ex pura fiat pituita, redit singulo die, & terminatur sexaginta diebus. Quartana autem, si ex pura fiat melancholia, redit singulo quarto die, & finitur in centum viginti circuitibus. Et ideo rectè dixit Princeps Prima quarti, quòd durat per Trac.2. Cap.61. annum, ductis enim centum viginti circuitibus per tria, & est numerus dierum circuitus, scilicet qui continet accessionem, & interuallum fiunt dies trecenti & sexaginta, qui penè annum implent. Est enim annus dierum trecentorum sexaginta quinque, cum quadrante non integro: vt in Supplemento Ephemeridum docuimus. Est etiam tertium, quod consequitur ad hæc: & est, quòd accessio tertianæ puræ durat per horas duodecim, quotidianæ autem decem octo, & quartanæ viginti quatuor, cuius causa tabellam à latere descripsi.

	Tert.	Quot.	Quar.
Acces. hor.	12.	18.	24.
Period. die.	7.	60.	120.
Circ.	altern.	Quotid.	Quart.

Nec est vt exigas alium sensum, tanquam etiam de tertianis, quæ in eo termino non finiuntur, loquatur Hippocrates, quantumcunque enim vera essent, de his non agit Hippocrates hic: nec omnia vera omni loco conueniunt. Porrò

Cap.3. Cap.5. Porrò exquisitæ tertianæ signa sunt, vt habetur secundo de Differentiis febrium, & primo ad Glauconem: Rigor, qualis si ab acubus pungeretur, citra sensum frigoris vehementem, pulsus minimè inæqualis inter putridas, maior tamen ac celerior, maximè iuxta statum: calor acris valde. Sitis, amaritudo oris, vomitus bilis, dolor capitis, hoc quartum signum in plerisque non omnibus: accessio non vltra duodecim horas, sæpe minor: sudor in fine: pura tranquillitas magis quàm in aliis omnibus putridis, vrinæ tenues, & magis coloratæ. Nonum est ex circunstantibus iuuentus, biliosa temperatura, æstas & calida, & multarum tertianarum euentus, & causæ bilem augentes, quæ præcesserunt. Non tamen ille omnia connumerat, quod vix vnquam facit. Causam ergo quod in his circuitibus finiatur, aliam Galenus, aliam alij: nulli quicquam ad propositum sanè, sed vt aliquid dicere viderentur. Nam Galenus ait, quoniam continua ex bile exquisita eodem numero accessionum finitur. Ridiculum, ignotum per ignotius, nec est causa hæc, sed exemplum. Recentiores, quoniam est tenuis. Sit sanè, hoc potest esse causa manifesta breuitatis accessionum, non totius circuitus morbi. Propterea, ô amice, arduum est docere quæ nescias. Dico ergo, quod materia tota cuiusuis morbi, qui sanari possit, & rectè curetur in omnibus, est tota præparata ab initio (& in hoc aberrat Cap. vlt. Galenus secundo de Differentiis febrium, qui scribit, singulis diebus vniuscuiusque febris materiam generari exemplo abscessuum: sed non est locus hic demonstrandi tantam absurditatem, cum præter cætera, si quis non comederet, necesse esset febres omnes finiri statim.) cum ergo bilis sic præparata sit, non potest propter continuitatem putredinis, quæ fit, & tenuitatem substantiæ differri succensio plus quàm per dies illos: aliter oporteret eam esse crassam, nam vnius accessionis materia ab alia præcedentis accenditur: quare necesse est vt vel transmutetur, vel expellatur, vel succendatur in eo tempore, cum actio naturalis caloris nunquam cesset. Et ideo omnes intermittentes verè sunt continuæ. Calor enim semper putridus aut factus est, aut succenditur. Ideo hoc bene dixit Galenus, in omnibus his quandam sorditiem relinqui in pulsibus interualli tempore: sed hæc est minima, vt dixi, in tertianis exquisitis.

APHORISMVS LX.

QVibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.

COMMENTARIVS.

28. VIsum est Galeno, quod superior Aphorismus, cuius est initium, Quibus biliosæ deiectiones: sit par huius, nam ibi proponit, quòd surditas soluitur deiectionibus biliosis: hic iisdem, tum sanguine è naribus fluente, quod si ita est, videtur Hippocrates fuisse immemor eorum quæ antè scripserat, sed non est ita, ibi enim recursum docet scilicet, quòd biliosis deiectionibus cessantibus, surditas aduenit: aduenientibus illis, soluitur. Et ita ostendit vicissitudinem causarum: propterea neque addit, In febribus, vt hic. At verò hic docet modos quibus surditas, quæ cum febre aduenit, soluatur. Nam cum surditas ex obstructione & frigiditate adueniat, vt in senibus & crapulæ deditis: febris verò morbus sit calidus & siccus: surditas quæ ex ea prouenit, fit à causa cum febre coniuncta, non à febre. Igitur cum causæ febrium continuarum plerunque sint bilis aut sanguis, vt Galenus docet secundo de Cap. Differentiis febrium: par est, vt vel turbata aluo, & bile eiecta, aut sanguinis effluxione Pag.4. per nares, morbus soluatur. Sed obiicies, quia in Decretorio plures adducit causas dicens: Quibus in febribus aures obsurduerunt, his non soluta febre insanire necesse est soluit autem sanguis ex naribus erumpens, aut aluus biliosa egerens, aut dysenteria accedens, aut genuum dolor. Dicemus itaque, per aluum turbatam & dysenteriam & diarrhœam comprehendi. At coxarum dolor imperfectam iudicationem facit: non ignorantibus nobis, quod quæcunque ex optima iudicatione soluuntur, etiam per huiusmodi possunt, at non contrà. Manifestum erat, si surditas per sanguinis è naribus fluxum, aut alui turbationem solui poterat, posse etiam per decubitum ad infernas partes seu in contrariam finiri, quod ergo ille locus explicatum habet, hic ob breuitatem implicitè docuit.

APHORISMVS LXI.

FEbricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.

COMMENTARIVS.

SCribitur hic Aphorismus & in secundo Pag.5. Epidemiorum, & maiore cum emphasi hoc modo: Si non die impari febris dimittat, recidiuare necesse est. Ob id nescio cur Galenus audeat negare illum esse Hippocratis. Durum hoc illi visum est, quoniam in Prognosticis hæc habet: Quibus febres cessant sine signis solutionis, neque in diebus Pag.9. iudicatoriis, his expectandum est eas reuersuras esse: cum antea iam declarasset inter iu- Pag.8. dicatorios plures pares numerari, inter quos decimumquartum, vigesimum & trigesimum quartum, quadragesimum, sexagesimum, eadem sententia repetitur in Coacis prædi- Pag.5. ctionibus, & clarius ibidem, sed antè: Quibus- Pag.5. cunque desinunt febres non in diebus iudicatoriis, his recidiuæ fiunt. Atque sic mallet Galenus legi Aphorismum, vt pro imparibus, Iudicatoriis substitueretur. Addunt exempla ex ipso Hippocrate ægrorum, qui in quarta, in quartadecima, vigesima, vigesimaquarta, & aliis diebus paribus, de quibus etiam 36. suprà partim egimus, perfectè sunt iudicati, & experimenta quæ quotidie videntur.

Propterea

Propterea quibusdam applausit Philothei expositio, quòd cum hic loquatur de acutis valde, qui intra septimam diem finiuntur, & neque septimus neque quintus aut tertius, quos suprà laudauit, pares sint, constat impares omnes dies ad septimum vsque criticos esse, igitur quod de imparibus dixit, de criticis dictum esse quisque credat. Sed neque hîc, neque in Coacis prædictionibus acutorum meminit: nedum vt de valde acutis, qui soli intra septimam diem terminari solent, verbum habuit. Præterea nec id verum erit semper, cum, vt diximus, Pericles in quarta fit liberatus: subiecitque Hippocrates, Nec reuersus est morbus. Respondeo ergo, quòd Hippocrates hîc loquitur de febribus, quæ relinquunt absque iudicatione, cui enim dubium esse potest, quin si voluisset scribere de iudicatione, Quæ paribus in diebus iudicantur, solent recidiuare. Vel dicas, quod cum docuerit iudicationes fieri in accessionum diebus, & accessiones pares sunt letalium morborum, vt visum est, oportet iudicationes in paribus diebus non esse bonas: sed spectare ad reuersionem. Et si obiicias de quartadecima & vigesima, quòd Hippocrates vult hos dies esse impares ratione accessionum: ita quòd quartusdecimus dies est tertiadecima accessio, & vigesimus decimanona. Sed vsque ad septimam diem accessionis, & diei idem est numerus. Et hæc est causa quod dies iudicatorij vsque ad quartumdecimum diem numerantur per integras septenarias, & pòst non: quoniam in secunda septenaria sunt sex accessiones tantum, & septem dies: & in tertia septenaria sex accessiones, & sex dies. Et hæc fuit ratio Hippocratis profundissima.

Lang. 6. ex vltimis Tertij Epi.

APHORISMVS XXII.

QVibus in febribus morbus regius ante septimum diem accidit, malum.

COMMENTARIVS.

REgius morbus, seu auriginosus, vel ictenus, vel arquatus à Latinis, duplex est: flauus seu niger, cum totum corpus eo colore inficitur. Atque primus à fellis vesica flauáque bile, secundus à liene & nigra bile fit. Manifestum est autem, quòd vt diximus in libro de Gemmis & coloribus, vel horum mistione, vel flaua aliquantulum exusta, vel nigra non exquisitè exusta medij multi colores generantur, medij viridis, cæruleus, amethystinus, aliíque illis proximi. Verùm vt flauus frequentissimus est, & rarus niger: ita medij colores exquisiti, rarissimi propter raritatem mistionis vbique: at medij inæquales, frequentiores ipso nigro. Causa raritatis nigri, est paucitas illius humoris in comparationem ad flauam bilem: magnitudo visceris, scilicet lienis, & viarum quæ à iecore ad illum tendunt, & earum quæ à liene in ventriculum. Fit vterque morbus vna ex tribus causis: vel quoniam nimis iusto plus generatur de huiusmodi humore: vel quia genitus non separatur: vel quia separatus non potest emitti, ideo retinetur in sanguine ipso, & transmittitur ad cutim quasi mēbrum debilius, illamque inficit. Primumque ac magis oculos, & maximè interiores angulos, quòd ad eam partem venæ satis magnæ & in exteriore parte veniant: inde quòd pars illa cādida sit ac nitens, in qua maximè quisque color deprehenditur: iisdem fermè rationibus vngues, inde totus vultus, & circa oculos, magis prope nasum & in fronte, vbi cutis tenuior est, vnde etiam in pectore: minimè autem in malis ipsis, quoniam venæ magis eminent, & nulla caro subiecta impedit sanguinem. Sed malè agitur, cum malæ etiā aurigine detinētur. Causæ igitur quòd copiosior bilis generetur, duæ sunt: internæ & externæ. Internæ duæ sunt, inflāmatio pro abscessu calido: túncque est perniciosissimum signū, quia causa perniciosa est per se abscessus iecoris: & inflammatio pro intemperie calida & sicca, & fit morbus tunc quasi familiaris aliquando. Et huiusmodi viri sunt crudeles, iracundi, perfidi. Et plerunque coniungitur eis dispositio flatuosa, & sunt acres & impigri. Et color tyrannorum plerunque talis est, nam ipsi etsi natura non sint tales, tales euadunt ob cogitationes, nam cogitatio exurit humores, & humores exusti ferinas generant cogitationes. Et sunt similes leonibus ac serpentibus. Externæ tres sunt, venenatorum ictus, vt echidnarum, & sunt viperæ toto genere exitiales. Et mirum est, quod persæpe in ictu oculi, icti ab his contrahunt talem colorem, adeò celeriter sanguis immutatur. Et ideo etiam quòd euadant, integrè non sanantur. Alij verò ex potu veneni mortiferi sed in his non totum corpus æqualiter afficitur, sed diuersis maculis inficitur, luteis plerisque sed & nigris & cæruleis ac fuscis, maximè in dorso: quod etiam contingit in pestilentibus febribus. Cúmque alicui post cibum morsus in ventriculo sentitur, & aluus vel vomitur mouetur, & color intra sex horas fit auriginosus, & (vt dixi) maculosus, scias quod ebibit venenum letiferum. Et si statim hoc accidat, & frigent extrema, morietur omnino. Si verò appareat color postquam incaluerit, iam habet rationem iudicij, & superest spes salutis, si bene regatur. Et hæc est secunda causa. Tertia est, ex malarum aquarum, vt Hippocrates de phasianis ait libro de Aëre, aquis ac locis: & cibi corrupti, & satietas, & vigiliæ ac curæ. Corrumpitur enim habitus bifariam: & ad calidum & siccum, & fiunt arquati: & ad frigidum & humidum, & fiunt cacechici, & est deterior corruptio: & pessima est, cum vtroque modo afficiuntur, & est habitus mortuorum, habent enim fermè omnes colorem illum flauum, & carnem tumidam, & corpus inflatum, maximè ventrem. Sunt ergo quinque modi. Cum verò non separatur bilis à sanguine, cōtingit tribus modis: vel quia non coquitur, & ideo non separatur & transmittitur celeriter ad cutim, vt natura se exoneret, vel quia vesica fellis est nimis imbecillis, & non trahit: vel quia est nimis plena, aut parua. Si verò separetur, & non transmittatur, contingit duobus modis: vel vt non transmittatur

Pag. 11.

ex iecore ad vesicam fellis, vel vt ex vesica fellis non transmittatur ad intestina. Et vterque horum modorum est duplex, vt à duplici causa, vel ab obstructione, vel à duricie locorum, maximè iecoris: vt sint quatuor modi, & in vniuersum duodecim, quorum Cap.7. magnam partem Galenus quinto de Locis describit.

His visis, afferamus demonstrationem dicti Hippocratis, vt illum planè intelligamus. Morbus regius aut fit per crisim, aut per inflammationem: in febribus, per crisim bonam ante septimam diem fieri non potest, nec ex inflammatione vnquam, hoc enim per se notum est: igitur ante septimam semper malus erit. Quòd ante septimam diem non possit esse per bonam crisim, patet, quia est trasmutatio: & visum est in omni transmutatione materiam esse contumacem, Cap.3. tertio de Crisi. Sunt enim abscessus & decubitus propria morbis longis ac difficilibus: sed materia huiusmodi intra septimum diem concoqui non potest: igitur talia fiunt ex oppressione naturæ: & ideo mala sunt, si ante septimum diem fiant.

Pag.20. Ex his patet solutio primæ obiectionis. Hippocrates enim quarto de Victu in acutis inquit: In febre biliosa ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens, febrem soluit: verùm sine rigore si accedat extra temporis occasiones, exitialis est. Ibi Galenus negat esse hoc verum: sed quomodo, non intelligo, nam Hippocrates ibi intelligit ardentes febres, quibus rigor superueniens, vt antea dictum est, soluit morbum: Aphor.58. & cum subsequatur arquatus, signum est materiam morbi ea accessione depulsam ad cutim. Igitur duplici modo causa est solutionis febris, & duplex est signum in idem coincidens. Quòd si dicas, ergo non malum, vt hîc in Aphorismo. Respondeo, quòd ex dictis apparet conciliatio, nam hoc modo est malum, quia significat materiam esse multam aut acrem, quæ naturam irritauit: in comparatione tamen ad præcedentem febrem est bonum, quia febris materia ad cutim protrusa est, & febris cessauit. In Aphorismo igitur hoc loquitur de signo: at in libro de Victu in acutis, de effectu.

Cap.43. Auerroes quoque Quarto suorum collectaneorum sugillat Hippocratem, sed certè modestissimè, dicens: quòd in sua regione sæpe euenit icterus in quinta die, & cessat febris, & quod hæc est sententia etiam medicorum Persarum, & maioris Indiæ, & Entalis. Et quod illud Hippocratis est verum in regione sua, quæ est frigidior: sed quod non est absurdum, vt id quod accidit in septima, in regione temperata contingat, eodem modo in quinta in regione calida. Et Brasauolus dicit vidisse morbos regios, qui finiebant febrem ante septimam diem: sed quòd non erant verè regij morbi. Dico vt prius, quòd Hippocrates non dicit hoc, sed solum quod est malum: quia melius fuisset expectari coctionem, non tamen negat quin febris possit hoc modo finiri, aut alleuiari. Sed dices: Quid ergo lucrabor ex hoc dicto ab Hippocrate sic interpretato, vt tu interpretaris? Multum equidem, nam si febris non minuitur, erit in maximo vitæ discrimine: sin etiam minuatur & abscedat, diu manebit cum illo malo habitu morbi regij. Ex quo si non omnino diligenter se custodiat, in tabem vel hydropem transire posset, quia materia est contumax ac cruda. Quòd si post coctiones aduenisset, ab vtroque periculo essemus immunes.

Plinius quoque carpit Hippocratem dicens, Lib.16.c.11. multos visos esse, quibus morbus hic ante septimum aduenit diem, & tamen sanati sunt. Cui, vt Auerroi, respondendum est, non enim hoc negat Hippocrates. Et si negare voluisset, dixisset letale, aut saltem valde malum, dixit malum, quia malum ex se est signum hoc, licet per accidens solui possit febris. Ob hæc igitur scripsit Hippocrates in libro de Iudiciis: In febribus ardentibus si accedat morbus regius, Pag.4. & singultus quinto die, letale est. Hic enim cum admittatur error à natura in maiore morbo, scilicet febre ardente, & consequatur prauum symptoma, significatur læsio maxima iecoris, & inflammatio, & mors.

Ipse verò in libro de internis affectionibus Pag.10. meminit quatuor generum morbi regij. Primum, quod fit ex pura bile flaua tempore æstatis, maximè in quo caput præcipuè affligitur, & vrina tingitur, & fiunt quasi escaræ sub capillis, seu squammæ: & fit cum febre, rigore, dolore capitis: & ieiunus magis torquetur, & color est vt corticis mali punici, flauus, virescens. Et interficit in quatuordecim diebus. Secundum fit à melancholia cruda plerunque in hyeme, & fit ex ebrietate & frigore, & corpus est subdurum ac liuidum, febris cum rigore illum detinet, pruritum patitur, & venarum tumorem: letalis est non minus præcedenti, sed serius occidit. Tertius est popularis, qui fit à repletione: & fit cum febre lenta & exigua, paruóque rigore, colos cutis vt in primo, sed pallidior, dolor adest capitis, minus letalis est: prioribus longe, imò satis facilè sanatur. Quartum fit à pituita planè: plerunque hyemis tempore, omnia pituita abundant, éstque omnium mitissimum. Hîc Hippocrates de primo ac secundo genere intelligit: sed non vt per se oboriuntur. Dicemus etiam de his paulò pòst. Aphor. 64.

APHORISMVS LXIII.

QVibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.

COMMENTARIVS.

IN Decretorio inquit: Quibus febribus rigor accedit febris soluitur, nec possumus Pag.4. dicere quòd intelligat de ardente, paulo antea, scripserat enim. A febre ardente habito rigore superueniente fit solutio. Hoc igitur idem intelligit ibi, quod hîc: & non de frigore, vt Brasauolus transtulit, repugnante litera Græca. Quid autem sit rigor, & quomodo fiat, superius visum est. Galenus & plerique expositores hîc toto cœlo Aphor. 46. aberrant.

aberrant. Vnde torquentur & circa quotidianas & circa hemitritæos & duplices tertianas extensas, generaliter omnes febres quæ non peruenire sinunt hominem ad interuallum. Et caligant in clarissima luce, parumque abest vt suo more non damnent Hippocratem. Afferamus demonstrationem, & facilè omnia discutientur. Quibuscunque febricitantibus rigores quotidie fiunt, iis quotidie materia extra venas detruditur: sed materia detrusa extra venas, cum non habeat cum qua iuncta sit necessariò absumitur: ea absumpta finitur illa febris, non enim potest accidens esse sine suo subiecto, igitur vbi rigor fit quotidie, quotidie soluitur illa febris, non omnis febris: vtpote in hemitritæo remanebit sua continua, in duplici tertiana quæ præoccupauit tempus.

Sed dubitaret aliquis, in extensa tertiana, etsi soluatur febris, non tamen quotidie, sed altera die, quædam enim vsque ad tertiam producuntur. Respondeo, quòd Hippocrates obuiam it huic dubitationi, dicendo Rigores, hi enim, vt declaratum est, cum sint motus validi, non fiunt nisi ex materia leui, igitur in vna die finitur accessio. Quartana enim quæ longissimam habet accessionem, parum habet rigoris, & potius frigus, & tamen fermè semper finitur in vna die.

Iterum dices: Quædam continuæ ab initio incipiunt cum rigore, vt de Philini vxore primo Epidemiorum, perseuerauit enim febris eadem vsque ad vigesimam diem, in qua mortua est. Huic obuiam it Hippocrates, dicens Quotidie: quod enim quotidie contingit, non contingit semel tantum, ideo clara est responsio. *Lug. 4.*

At dices: Quid superlucror ex hac doctrina? Respondeo, duo docet nos Hippocrates, primum, quod quamuis videantur permanere illæ febres, tamen quæ aduenit cum rigore, finitur. Secundum, quod vbi affuerit febris cum rigore, & non finitur, necesse est vnam continuam esse coniunctam, nam tametsi duæ essent tertianæ, aliquantulum intermitterent: & forsan etiam tres. Est autem è genere præcedentis, si quis bene animaduertat, in illo non malum simpliciter, sed malum vt eo modo sit pronunciauit: ita in hoc non febre vacare ægrum dixit, sed febrem illam finiri.

Ex his concidit conuersio Fuchsij, per ῥίγεα frigora interpretantis. Sic enim verus non esset Aphorismus, vt quotidie febres soluerentur. Admonet tamen Galenus, & bene, quod in omnibus febribus, tametsi febres ipsæ soluantur, remanet tamen quædam dispositio in ægro, qua non potest dici perfectè sanus, in pulsibus, vrinis, coctionibus, appetentia, somnis, viribus.

APHORISMVS LIV.

QVibus in febribus septimo vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo morbus regius superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit: si verò non, non bonum.

COMMENTARIVS.

HAud sui immemor Galenus, statim ad accusandum Hippocratem descendit de interposito præcedenti Aphorismo: nos autem necessitatem huius facti ostendimus, nam hunc clarum erat illi esse coniunctum, vt continuatio huius perire non posset. At nisi interposuisset præcedentem, nemo poterat intelligere cur appositus esset. Declaraui enim, quid in eo docet Hippocrates bonum non simpliciter, sed in eo quòd aduenit rigor quotidie: sicut nec in illo malum simpliciter, sed in eo quòd ante septimum diem fit. Melius vtique fecisset, si modò ea vltima verba, Si verò non, non bonum, in textu, quod suspicor non habuisse, declarasset. Sensus igitur vnus erit: Si in febribus morbus regius superueniat diebus enumeratis, bonum erit, nisi dextrum hypochondrium obduruerit. Sed si aliis diebus non hic enumeratis aduenerit, quamuis hypochondrium non obdurescat, non erit bonum. Quia, vt diximus, decubitus omnis per se malus est: cum ergo fiat natura non dominante, malum prædicit. Vnde tertio de Morbis vulgaribus, segmento primo, omnes abscessus (non solùm æruginosum) factos ante coctionem malos esse, post coctionem autem bonos. Igitur seu ante septimum quacunque die, seu post septimum in die non iudicatoria, semper fit ante coctionem: igitur malum. Oportet igitur in duabus propositionibus hoc fundari, quarum prima est, quod statim facta coctione natura mouet: aliter quid prohiberet, ne facta coctione in vndecima expelleretur humor in duodecima, vel tertiadecima? Et ita esset bonum & non in illis diebus. Secunda est, quod coctio non perficitur nisi in diebus criticis enumeratis: aliter posset concoqui in duodecima, & expelli & sanari, & non esset verus Aphorismus. *Com. 5. in fine.*

Multa hic prætermittit Galenus, quæ essent vtiliora accusatione Hippocratis. Primùm, quid voluerit dicere per illud, Non bonum. Sed forsan, vt dixi, non habuit in textu: vult ergo dicere non bonum, quoniam vix sanantur, & ægrè: persæpe etiam in hydropem deueniunt, quidam tandem moriuntur, vt Hermocrates, qui fuit factus auriginosus in sexta die, & mortuus est in vigesimaseptima. Aliud est, quod ex errore potest differri hæc transmutatio: & hoc modo adhuc bona non est, non tamen adeò mala vt si fiat à natura Hippocratis tamen omnes regulæ intelliguntur, in his qui bene reguntur & in victu & in medicamentis. Dubitabit etiam aliquis, si vltra quartumdecimum morbi huius transmutatio differatur, an erit bona. Dico quod Hippocrates vult, quod sit in die critica, aut indicatiua saltem: licet vndecima posset laudari magis, vt dies impar quàm indicatiua. Nihilominus declarat se velle sequi regulam de sudore datam superius, nisi quod morbus regius non est bonus ante septimum quamuis in die impari: sudor autem, modò fit in impari, est bonus etiam ante septimum. Similiter quæret aliquis, an deterior sit ante septimum, an post septimum, non in diebus *Aphor. 63.*

enumeratis? Respondeo, quòd deterior est ante septimum: quia dicit malum, hic autem non bonum. Rursus dubium est, an in morbo regio splenis, & nigro, cuius meminit secundo de Morbis, soleat dextrum hypochondrium inflari? Dicit ibi Hippocrates, quod splen: & ideo non intelligitur hic Aphorismus de eo genere morbi regij, sed commmuni, de quo tertio de Morbis. Et dicit, quod refert colorem malicorij, qui est pallidus cum virore. Quòd autem morbus regius niger fiat à splene, dicebat Hippocrates secundo de Morbis vulgaribus (volo autem omnia referre, quamuis hic non omnino necessaria.) Quibus id quod medium est inter abdomen & cutem, inflatur, & non sedatur, color est velut qui multum pallidus est, & ex candicante pallet: quoniam omne huiusmodi ab hepate est, & ex hoc sunt hepatici in his morbi: Et morbi regij ab hepate ad subalbidum colorem vergunt, & qui ex aqua intercutem, & ex pituita alba laborãt, qui verò à splene sunt tum hydropes tũ morbi regij, nigriores sunt. Experientia etiã hoc confirmat, quod liẽ prius durescit in his: & si modò epar, etiam fit pòst. Porrò vt ad rem reuertar, hic Aphorismus cum alio magis clarè scribitur libro de Coacis prædictionibus, vt sit sensus clarior: Morbus regius ante septimum diem accedens, malum: septimo verò ac nouo & vndecimo & decimoquarto, iudicatorius est, si non præcordia induret: sin minus, ambigua res est. Quasi dicat: Si præcordia induret, tunc res est ambigua: quia ratione diei bonum est, ratione tamen illius duriciei est periculosum, ideo ex hoc lucramur, quod huiusmodi duricies non sunt omnino perniciosæ, vt quidam existimant. Non est autem hoc idem, quod inferius dicet: Morbo regio laborantibus, si fiat epar durum, malum. Hic enim dicimus, quòd duricies simul cum morbo regio adueniat: in Aphorismo illo, quod duricies adueniat post morbum regium, hoc enim longe deterius est, propterea locum illum consules.

Pag.12. *Pag.4.* *Partic.1. in fine.* *Pag.4.* *6. Aph.40.*

Sciendum quòd vt habetur in Coacis prædictionibus, licet in febribus morbus regius quandoque vt hic salutaris sit, si tamen febres sint cum delyrio, semper morbus regius est malus. Et illud quoque non prætermittendum, quod dicitur primo Epidemiorum: Si morbus regius adueniat sexta die (intelligendum est etiam eo magis in aliis diebus non iudicatoriis) & fluat copiosus sanguis è naribus, aut fluat aluus, aut multitudo vrinæ erumpat, liberantur & euadunt: & eo magis, si hæc omnia. Sed si nihil horum, solent perire.

Pag.8. *Const.3. Pag.1.*

APHORISMVS LXV.

IN febribus circa ventriculum & fortis ęstus & cordis morsus, malum.

COMMENTARIVS.

HIc Aphorismus vix potest bene explicari ob sermonis homonymiam, nam duo sunt verba, κοιλίην & καρδιωγμὸς, quorum primum significat propriè ventrem, sed non pro ventriculo accipitur: secundum autem orisventriculi morsum, & cordis palpitationem, hocque propriè. Et de his ambobus vt par est, admonemur à Galeno in Commento. Verùm ego, quanquam verterim vt reliqui, magis tamen in proprio significato legendum puto hoc modo: In febribus circa ventrem vehemens æstus & cordis palpitatio, malum. Vehemens enim æstus ventris significat feruorem ebullientis bilis, vt etiam morsus acris: at cordis palpitatio vel ob humorem prauum, vt in pestilenti febre: aut malam intemperiem, vt in fine ardentium febrium: aut imbecillitatem magnam vitalis facultatis, quodcunque horum pessimum est. Ergo feruor ille significat ardentes febres, quia in his bilis est in iecore & ventre, vt Galenus testatur secundo in primum de Morbis vulgaribus Palpitatio verò malignitatem, aut cordis imbecillitatem. Cum verò possint hæc signa simul & singillatim intelligi, singillatim intelligenda sunt, sic enim frequenter videntur. *Com.10.*

APHORISMVS LXVI.

IN acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores vehementes, malum.

COMMENTARIVS.

EAdem difficultas quæ in priore, nam singillatim possunt intelligi: rarò enim coniuncta hæc videntur, doctrina autem Hippocratis, est de his quæ frequenter apparent. Sed cur coniunxit ergo illa? Breuitatis causa, dicet quispiam. Absit, solum hac causa: sed cum iungit, vel simul vult intelligenda, vel habere vult parem fermè vim, hoc enim malum latiùs extenditur. At cum dico, Conuulsiones, in febribus acutis periculossimum dico casum, ita ergo de vehementibus circa viscera doloribus est intelligendum. Cum ergo dixerit Malum, non letale: palàm est quod nõ intelligit de conuulsione, quæ fit à siccitate, à qua forsan nemo euadit. Turpe enim esset Hippocrati, tanquam nos derideret, dicere malum de eo quod letalissimum est, & præsentem affert mortem. Itaque Galenus non est omnino assecutus illius sententiam. Quin potius dicamus, vt in Decretorio. Si à febre detentum conuulsio corripuerit, soluitur febris eadem die, vel postridie, vel tertia die. Sed quia transmutatur in morbum deteriorem, ideo commutatio ista mala est. Cum verò dixit de doloribus idem: fiunt enim ex mordacibus humoribus. Vnde in Coacis prædictionibus: Duricies circa ventrem cum dolore in febrientibus, cum horrore cibum auersantibus, si aluo insuper parum humectata purgationem non faciant, ad suppurationem peruenient, at hic de tumore nihil agitur. Propterea non de abscessu, sed humoribus est intelligendum: melius ergo esset vt illud adderemus ex 6. particula, quod tales *In fine.* *Pag.12.* *Aph.7.*

les dolores minimè sublimes sunt dicemus autem suo loco, nam sublimes, ait, ibi vehementes non sunt. Manifestum est igitur, quod neque de abscessibus hîc agit, neque de conuulsione, quæ in febrium acutarum fine accidit: sed ea quæ febrium initia sequitur, qualis in infantium febribus frequens contingere solet, à qua tamen plures liberantur: ideo malum dixit, non letale, nec tamen putes speciale esse dictum. Sed conuulsiones complectitur, quæ sunt à siccitate: & dolores, qui sunt ab inflammatione.

APHORISMVS LXVII.

IN febribus ex somnis timores vel conuulsiones, malum.

COMMENTARIVS.

ET hic pariter non animaduertit cur hoc dixerit, cum in secundo, Aphorismorum generaliter pronunciauerit: In quo morbo somnus laborem facit, letale, hîc verò cum multo deteriora laboribus scribat, nempe timores & conuulsiones, quæ per se sunt perniciosæ, & eo magis in febribus: hic adiiciens etiam à somno, postmodum subiungit, Malum: cum debuerit adiungere, Letalissimum. Has quæstiones par erat Galenum attigisse, sed absit vt duri quicquam arrodere velit. Intacta enim erant hæc à prioribus, expositoribus, intacta etiam ab illo. Sed videamus quæ suprà diximus, ibi: In quo morbo somnus etiam status tempore, & declinationis laborem facit, letale est: hic verò generaliter quouis tempore somno succedat timor aut conuulsio, malum. Sed si in statu vel declinatione, erit letale non solum, sed letalissimum. Vides igitur quomodo apertè differant hi duo Aphorismi. Timores ergo, melancholiæ dominium significant: etsi cum perturbatione sint atræ bilis. Ostensum est autem à nobis in Arte medendi parua, neminem posse ex febre interire: nisi humores ad naturam alterius horum sint transmutati. At conuulsiones non ob causam, sed morbum occidunt. Apparet autem, Galenum & omnes expositores aberrare toto cœlo: quandoquidem maximè excipiunt, quod præcipuè intendit Hippocrates, scilicet tempora initij & incrementi. Nam qui Galenum & hos tueri vult frustra, oportet vt absurdum ostendat Hippocratem.

Aphor. 1.

APHORISMVS LXVIII.

IN febribus spiritus offendens, malum. conuulsionem enim significat.

COMMENTARIVS.

HAbet hîc spiritus offendẽs interruptionem & repetitam attractionem in inspiratione, quod frequentius accidit tũ etiam expiratione, musculis septi transuersi iã conuelli incipientibus: quamobrem nil mirum si conuulsionem significare prædicit, vtpote iam cœptam, & eo in loco qui vitæ maximè necessarius est. Est autem simile hoc fermè illi 6. Aphorismorum: In acutis febribus luctuosa suspiria, malum. Quod verò & in inspiratione hoc contingat, 2. Epidemiorum docuit Hippocrates, dicens: Dupla intrò reuocatio veluti superinspirantibus. Quæ verba etiam in sexto repetit, & in expiratione in Coacis prædictionibus: Spiritus qui cum suspiriis extrà feruntur. Meminit horum Galenus tum in Commento hic, tum in tertio de Difficultate spirandi, & maximè vbi agit de Lycia, & citat locum ex 2. Epidemiorum. Spiritus intrà duplicabatur. Vult ergo nos docere Hippocrates, quoniam ex leui coniectura, quo ad sensum, deueniamus in cognitionem futuræ conuulsionis, ex qua mors subsequi solet, maximè cum sub morbi fine hæc acciderint.

Aphor. 12. Pag. 3. Pag. 2. Pag. 23. Cap. 9. Par. 2. post medium.

APHORISMVS LXIX.

QVibus vrinæ crassæ, grumosæ paucæ, non sine febre, multitudo veniens ex his tenuis, iuuat: præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio vel breui, sedimen est.

COMMENTARIVS.

VIx effugere poterat Galeni increpationem Hippocrates, taxat illum quòd dixerit Tenuis, dicens: Tenuioris dicere debuit, quippe quæ ad crassam comparata, solum tenuis sit: per se verò mediocris & concocta, adiiciens, hunc Aphorismum etiam sic intellectum esse de his quæ rarò accidunt. Itaque quis ferat iure hunc hominem & tamen non deerunt qui me iniustè calumniabuntur, haut memores me iustè tueri cum veritate vtiliter Hippocratem, Galenũ iniustè magna cum iactura medicorum & humani generis accusare. Vter nostrûm delinquat, apparet: nisi adeò in Galeni verba iurassent, vt iam non Galeni commentaria in Hippocratem, sed Galenum ipsum appellent, omissóque textu legant solùm commentaria. Sed mittamus hæc, & ostendamus, Galeni interpretationem præter id quod damnet Hippocratem, falsam esse, & inutilem. Et quanquam de vrinis quatuor libros conscripserim satis magnos, non possum tamen hac in parte deesse Hippocrati, & quod magnifaciendum est, magis ipsi veritati. Putat primum Galenus, eam esse rationem vrinæ, quæ per crisim eiiciatur, & quæ significet. Ipse cum dicat, rarum esse quod scribit Hippocrates: imò illi addo, vix vnquam accidere non solùm, sed posse, si interpretationem suam sequamur. At si (vt verba iacent) ego sæpius vidi, ac frequenter & in dies contingit, medicinam legitimè exercenti, & ne res testimoniis agatur, ratione desumpta ex hismet quæ ipse supponit in Commento, edocebo. Inquit enim: Par est multas effundi vrinas, quoniam multa fuit retenta vrina, nam pauca effluxerat ob crassiciem. Et rursus ait: Cum

Cum magna pars humorum illorum crassorum eiecta sit, reliqua concoquatur, tunc excernuntur multo prioribus tenuiores. Demum adiicit, quod sedimen illud haud bonum est, ac concoctum. Quibus suppositis, si iam conceditur multam retineri vrinam, igitur non poterit esse concocta: quoniam natura non potest tantam multitudinem superare: vt nec in cibis. Præterea cum sit iam diu retenta, igitur corrupta, ergo non concocta. Addo, quòd cum materiæ crassæ illæ dissolutæ sint, igitur & vrina ab igneo calore, & ita perueniet ad subtilitatem maiorem. Ideo dico quòd Aphorismus est per se clarus & illius exemplum sæpe vidimus.

Superest modò vt exponamus verba illa difficiliora, (Præcipuè verò tales veniunt, &c.) nam Galenus inter reliqua quod erat exponendum, omittit, Hippocratem autem in manifestè veris accusat. Igitur sensus horum verborum est, quod hæc multitudo vrinæ tenuis, si ab initio morbi, vel statim pòst crassa & grumosa, & pauca venerit, expectanda erit: quod certè experimento comprobatur fermè in omnibus. Sed dices, Vbi coctio? Dico quòd non est necessarium vt præcedat coctio illa exquisita in vrinis semper, sed sufficit vt sint bene coloratæ, & non
Lang. 3. 4. 7. 10. 11. tenues, vt in Herophonte, Cleanactide, Metone Clazomenio, muliere quæ decumbebat in littore, 1. Epidemiorum: cum in quibusdam etiam tenues fuerint. Multo verò minus, vbi crisis per vrinam fit. Vix enim vnquam antè vrina concocta apparet.

Pag. 3. Verùm obiici solet illud ex Decretorio: Si vrinæ ab initio similes non fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, & penitùs tenues, tales ægrè iudicant, ac inconstantes sunt. Vult Hippocrates, quod mutatio magna in vrinis ad vtrumque extremum, scilicet mala sit ex medio: at de extremo in extremum semper ad crassam, mala: ad tenuem etiam, si cum paucitate fuerit. Repetamus ergo sensum Aphorismi: Cum in vrina principaliter considerentur substantia, quantitas, qualitas, & contenta: in Aphorismi initio accipit tria, omissa qualitate, cum de hac sit inferius verba facturus: scilicet quantitatem, sub-
In 72. 74. & 81. stantiam & contenta. Grumosas appellat, in quibus contenta crassa sunt inæqualiter, nam crassicies æqualis quandoque inuicta est: & tam diu supprimit, quandiu ad mortem perueniant. Cumque vrina hæc multa profluxerit, nonnunquam moriuntur, etsi melius se habere videantur: ideo iuuat per se non simpliciter. Iam enim corrupto sanguine, & debilitatis viribus, etsi materia morbi educatur, & morbus etiam cesset, ex alio tamen morbo ex priore genito pereunt. Ero autem breuiter ob id, quod vsque in finem libri de nulla alia re continuato sermone, quàm de vrinis, sermonem facit.

APHORISMVS LXX.

QVibus vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.

COMMENTARIVS.

NOn est cur meminerim hac in parte Galeni, qui doctrinam de vrinis totam confudit, vt in libris de vrinis docuimus. Neque enim in quo differant concreta, turbida & confusa cognouit, namque vrinæ semper concrescunt à frigore, & turbantur à calore, & confunduntur ab imbecillitate. Ignoscant ergo lectores, si parcè vsque in finem de eo verba habuero, cum nullius partis medicinæ quam huius expers magis fuerit, neque enim vbi & quomodo fieret dignouit: potius consulamus Hippocratem, qui nihil ignorare in arte visus est. Is igitur in septimo Epidemiorum inquit: Eualcidæ famula cum multo tempore densæ vrinæ prodiissent, & capitis dolores adessent, phrenitica facta est, & mortua est. Eodem modo ex vehementibus doloribus. Nam vrinæ densæ & conturbatæ certum signum sunt doloris capitis, & conuulsionis, ac mortis. Et rursus parum antè: Polyphanto in Abderis prodiit vrina rubicunda, conturbata, velut iumenti: mente motus est phenitico modo, mortuus est in vehementibus conuulsionibus. Quidam cauillantur Hippocratem, volentes vt adiiceret In febribus: quia dicunt, citra febres non est verum, vt in equitantibus incommodè, dico etiam, Ex esu peponum vrinæ mihi proueniunt valde turbidæ, sine dolore capitis, omnia hæc ex ignorantia adueniunt verborum, ad quid adiecisset Hippocrates, Quales sunt iumentorum, si quod sint turbidæ sufficit? Vrinæ iumentorum duo alia habent, quod ad substantiam attinet: omitto modò de odore tetro, & etiam colore: scilicet quòd sunt vehementer turbidæ, scilicet mistis materiebus crassis: deinde quod non clarescunt, aut resident. Cum igitur hæc inueneris in vrinis turbidis, scies non renum vitio tales esse: etenim in illis turbulentum ab vrina intra aliquot horas separari solet. Sed neque materia est adeò crassa. *Pag.* 11.

Demonstratio igitur talis est: Si vrina fuerit huiusmodi, necesse est materiam crassam ob substantiam contentorum à magno calore præter naturam agitari, aliter non posset misceri substantiæ vrinæ: & naturam esse imbecillem, aliter non esset confusa: igitur oportebit propter calorem cum sit attenuata, ferri sursum, & à capite recipi ob imbecillitatem, quare fiet dolor. Quòd verò pluribus caput doleat citra vrinas, clarum est: quandoquidem execrabilis esset morbus capitis dolor, si semper cum huiusmodi vrinis accideret, namque hæ vrinæ si sint quales dixi, ne decipiaris omnino, fermè semper occidunt hominem. Apparent autem in morbis pestilentibus, & plerunque fœtent, & tunc pestilentiæ quasi certum signum sunt. Porrò totam hanc tractationem breuiter percurram, propterea quæ de illa in eis libris scripsi. Non omittam tamen illud Adest, vel aderit, quasi dicat: Vrina huiusmodi præsentem quandoque significat dispositionem, etsi tum deterior est: quoniam semper futurum indicat, & ob id perseuerantiam: quia tamen vulgus non id nouit, quòd futurum non excludit

cludit præsens, propterea nos de hoc admonuit. Memento quod in Coacis prædictionibus etiam de alba intelligitur, inquit enim: Alba, velut iumentorum, capitis dolorem.

Pag. 16.

APHORISMVS LXXI.

QVibus septima iudicatur, his nubeculam habet quarta die rubeam, & alia ex ratione.

COMMENTARIVS.

TOt mihi occurrunt, quæ confusionem in dictis Hippocratis pariunt, vt nisi ad demonstrationes recurrerem, impossibile esset eius mentem explicare: quorum omnium causa est, facundia nimia Galeni, & tractatio postmodum parum diligens. Dixit tamen superius, quòd natura vbi coxerit materiam, statim mouet illam, igitur fieri non potest, quod dicit Galenus, vt sit cocta in quarta, & fiat crisis in septima, nisi in malo curandi modo. Si ergo crisim expectare oportet, etiam perfectam coctionem expectare ea die: igitur in die indicatiua mediam, scilicet in medio itinere. Sed quarta est indicatiua septimæ, secunda Aphorismorum: igitur in
24. quarta apparebit signum mediæ coctionis. Est autem media coctio rubra nubecula, igitur illa expectanda erit in Quarta. Sed quia videbat Hippocrates, quod non est necessarium semper vt vrina in crisi sit perfectè cocta, ideo subiecit illa verba, Et alia ex ratione, tria innuens. Primum, quod erit dimidia coctio in quarta non perfectæ semper, sed eius quæ futura est in septima: veluti si in septima erit multa, & crassa erit: in quarta multa tenuis, bene colorata. Secundum, vt intelligeremus eadem signa debere intelligi in aliis generibus sputi, tum accidentium. Tertium, vt in aliis diebus, vt in vigesimaseptima pro trigesimaquarta, in quadragesima pro sexagesima aut octuagesima, atque ita de aliis. At verò rectè subiungit Galenus quòd exemplum Hippocratis de quarto & septimo firmius est quàm in reliquis. Quibusdam enim signum mediæ coctionis apparuit in vndecima die, & facta est crisis in quarta decima: aliis in decimaseptima, aliis in vigesima. Et rursus dicit vidisse signũ in septima, & iudicatus fuit in quartadecima. Quia ergo determinare hoc longum fuisset, ob id Hipp. paucis regulã generalẽ tradidit: velut si dicamus, quod in vndecima appareat multa vrina mediocris substantiæ, coloris boni cum sedimento rubro, iudicabitur in quartadecima: & si cum sedimento rubro fuerit, vrina tenuis & boni coloris in decimaseptima, & si sit tenuis & rubra cum sedimento seu nubecula rubra (nam nunc non distinguo) iudicabitur in vigesima. Sed dices, quod etiam obiicit Galenus in expositione, Hippocrates in Prognostico inquit: Si verò fuerit vrina subrubra, & subsidentia eius similis & leuis, diuturniorem quidem hæc morbum quàm prior significat, sed valde salutarem. Vbi Galenus exponendo dicit, quòd talis vrina significat non separari sanguineam partem, nec planè euinci ipsius vrinæ. Itaque hoc non repugnat dictis Hippocratis: quia si alba fuerit, significat statim solutionem morbi. Sed raro accidit, nisi in ipsa die crisis, vt sit omnibus naturis absoluta vrina. At dices: Si est iudicandus morbus ipso die in concocta vrina, quare Hippocrates non id dixit: sed solum securitatem morbi, & breuitatem significare dixit? Et maximè cum præsupponat, per totum morbum perseuerare? igitur non significat crisim statim. Respondeo, quòd aliud est de mutatione, aliud de ea quæ perseuerat, quæ non potest significare morbi materiam. Dictum est autem suo loco, quando morbus sit crudus, & vrina cocta, de mente Hippocratis.

Com. 4. Pag. 4. 1. Prog. Com. 27.

APHORISMVS LXXII.

QVibus vrinæ albæ & perspicuæ, malæ: præsertim si in phreniticis appareant.

COMMENTARIVS.

VT in primo de Vrinis visum est, hoc genus perfectæ est cruditatis signum, ac primum, quod semper malum est & in ægris & cum perseuerat: magis verò si vtrumque adsit, & in acutis mortem breui, in diuturnis morbum significat insanabilem: in morbis autem capitis, præcipuè phrenitide, deterior atque eo magis si permutetur ex mala, & ad contrarium, velut ex vinosa vel fusca vel nigra, vel cærulea vel viridi, crassis, tunc enim intra tertiam diem mortem prædicit. Percurramus verò causas omnes aquosæ vrinæ, sic enim vocatur alba & perspicua. Prima est, potus aquæ maximè copiosæ, cum enim non possit euinci, prodit qualis bibitur, magis autem tempore hyemis: & senibus ac mulieribus, non solum quod frigidiores sint, sed quia ob situm minus in vesica retinetur. Propterea dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum: vrina concolor cibo & potui, & Sec. 5. qualis fuerit intus colliquatio. Et hic modus solus est innoxius aliquando in sanis. Vidi enim matrem meam, etiam cum biberet vinum, quandoque permultos dies in hyeme talem mingere vrinam. Secunda, est obstructio in renibus atque locis vicinis, & maximè cum ibi abscessus durus fuerit: & si non adsit, dolores tandem prænunciat congregata sordicie, atque retenta: vnde lapilli, arenulæ ac talia. Tertia est hectica renum, & extenuatio locorum huiusmodi, in quibus solet concoqui vrina. Quarta, est caliditas renum ac iecoris, trahentium potum, & non concoquentium, vt in Diabete, profluit, enim aqua vt bibitur. Quinta est, cum non continetur ob imbecillitatem membrorum vrinæ à causa frigida, vel ob multitudinem potus: vt in his qui bibunt copiam aquæ, præsertim Thermarum Villæ atque Lucensium, vel aliarum, prodit enim, qualis bibitur. Sexta est

sicca

ſicca & frigida intemperies iecoris, confirmata præſertim, à frigiditate enim alba, id eſt aquei coloris: ſic enim album intelligi debet, cum omnia perſpicua talia ſint, aqua, vitrum, cryſtallus, adamas, vt in libro de Coloribus & gemmis docuimus: à ſiccitate tenuis, atque ideo perſpicua efficitur. Atque hæc tandem mortem affert ex doloribus, plerunque ob retentionem eorum quæ excerni debent. Vitant periculum diu, ſi natura protrudat ſalſum humorem ad cutim, perpetiatúrque homo quandam ſcabiem quaſi perpetuam: vt ego patior, & paſſus ſum. Sed intemperies eſt lenis, & ætatis beneficio etiam rationis victus potius imminuta quàm acta. Septima eſt, quæ maximè huius Aphoriſmi extremæ parti conuenit, cum bilis alio fertur, præſertim ad caput, vt in phreniticis: fitque vrina alba, & ſæpe etiam, vt vidi, egeſtio, quæ ſtatim quaſi perimit. Sed generaliter alba vrina noxia eſt in morbis capitis.
Pag.27. Vnde illud Coacarum prædictionum: Comitiali morbo laborantibus, vrinæ tenues & crudæ, præter morem ſine repletione, morbi inuaſionem ſignificant: tum aliàs, tum ſi quis dolor aut conuulſio in ſummum humerum aut dorſum aut collum incidat, aut torpor corporis fiat, aut ſomnium turbulentum viderit.
Pag.3. Sic illud eiuſdem: Vrina aquoſa quandoque ſignificat affectiones ſtatim turbulentas, vigilias inducentes & delyrium, quæ ſanguinem largum fundunt, & ſic ſoluuntur. Octaua, eſt lapis in veſica vel renibus, etiam
Pag.7. ſi non obſtruat, & reducitur ad Quintam. Vnde illud in libro de Aëre, aquis & locis: Vrinam ſplendidiſſimam calculoſi mingunt ad modum ſeri, & loquitur de lapide veſicæ. Cum enim ob irritationem contineri vrina non poſſit, cruda mingitur. Fieri enim non poteſt, vt non contenta concoquatur: ex quo apparet, non ſolùm in iecore & renibus, ſed etiam in veſica vrinas concoqui. Nona cauſa ad exitum potius reduci poteſt, velut illud
Pag.13. in Coacis prædictionibus: Vrina aquoſa aluos temporis progreſſu malè afficiendas ſi-
Pag.5. gnificat. Et in Prognoſtico: Quicunque tenues & crudas vrinas mingunt, multo tempore, ſi alia velut ſuperſtitibus futuris ſigna fuerint, his expectare abſceſſum oportet in
Pag.16. locis infrà ſeptum transuerſum. Et rurſus in Coacis prædictionibus: Vrina aquoſa aut turbata friabili aſperitate aluum liquidam eſſe ſignificat. Comparatur autem vrina quandoque ad conditionem ſtatus huiuſmodi: In quibus febris ceſſauit, ſi vrinæ crudæ ſint, & alia ſigna non ſecundum rationem euenerint, morbus in die iudicatoria recidi-
Pag.4. uat, in Decretorio ait Hippocrates. Quan-
Pag.26. doque ad mutationem referuntur, velut rurſus in Coacis prædictionibus: Tenuis valde vrina, ſi denſa fiat, num ſudorem futurum indicat? Quandoque ad operationem: Quibus ab initio vrinæ tenues, tales ne purga-
Pag 16. to, de Ratione victus in acutis. Neque omit-
Pag 4. tere oportet, quod dicebat ſecundo Prædictionum: Vrinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & ſemper æqualem, & aceruatim, & momento paulo craſſiorem quàm id quod in potu acceptum eſt. Si verò fuerit aquoſa & copioſior quàm id quod in potu imperatum eſt, ſignificat hominem non obedire, ſed copioſiore vti potu, aut non poſſe nutriri.

APHORISMVS LXXIII.

QVibus hypochondria ſuſpenſa: murmurantia, lumborum dolore ſuperueniente, his alui humectantur: niſi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat. Hæc verò in febribus.

COMMENTARIVS.

IN febribus ſi tumeant hypochondria, & murmurent, humores cum flatu contineri in ventre decernitur, nam ſi humores ſoli, nec diſſoluti, murmur non aderit: ſin flatus, etiam ſoli non murmurabunt, verùm à febre ſoluentur. Si ergo lumbi doleant, materia deſcendit: quoniam dolent infrà trahentibus, meſaræo atque inteſtinis, vnde alui humectantur, ſi materia craſſior fuerit: aut ſi tenuior, conuerſa à calore febrili in aqueam ſubſtantiam per vrinas educatur, non per ſudores, cum nimis in profundo decumbat: aut ſi tenuiſſima ſit, per flatus erumpat. Cauſa igitur diuerſitatis eſt quadruplex: agens, & eſt calor febrilis: materia tenuis, craſſa, vel tenuiſſima: locus, & eſt tenſio hypochondriorum cum murmure in eiſdem, & motus ad inferiora, ſcilicet ad lumbos. Quid lum- 2.Aph.35.
bi, quid hypochondria, dictum eſt ſuperius. Illud non ferendum, quod dicat in febribus quaſi ab abſceſſibus diſtinguat, hoc enim operoſum eſſet, ſed & cauſa clara eſt. Etſi 4.Aph.15.
enim hæc ſequi poſſint febre non adiuncta, ſæpe tamen non eueniunt, quia non diſſoluuntur materiæ illæ: vel ſerius, vt ex eo veniſſe non credas. Murmura autem fiunt, vt Galenus refert libro de Differentiis ſympto- Cap.5.
matum, vel ob anguſtias meatuum, vel ob in fine.
flatus, vel vtrunque, nam quod additur de motu, ad triſmos pertinet.

APHORISMVS LXXIV.

QVibus ſperatur ad articulos futurum abſceſſum, liberat & ab abſceſſu vrina multa, craſſa & alba facta, qualis in laſſitudinariis febribus quarto die quibuſdam incipit fieri: ſi verò etiam ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit.

COMMENTARIVS.

SVperius dixerat, laſſitudinem habentibus Aphor.31.
in febribus, in articulos & circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt. Et rurſus: Quibus febres longæ, his tubercula vel la- Aph.44.
bores in articulus fiunt. Si igitur in huiuſmodi febribus contingat vrina, qualis dicitur euacuata, abſceſſus materia liberatur æger, abſque illius aduentu. Quòd verò

dicat, in quarto die tales vrinas aduenire in febribus lassitudinarijs: scire primum decet, quænam sint eiusmodi febres, an illæ quarum meminit primo Prædictionum, dicens: Pag.6. Quibus ex rigore febres ex lassitudine, his menses muliebres decurrunt, at collum in his dolorosum est, sanguinis eruptionis è naribus signum. Clarius in Coacis prædictio- Pag.14. nibus: Quibus ex rigore febris lassatoria, mẽses decurrunt, collum in his dolorosum sanguinis eruptione inducit. Vel vt in 3. de Diæ- Pag.5. ta: Dolet corpus totũ, aliquibus pars, & dolor est sicut lassitudo, & delassati sibi videntur, segnitieque ac repletione curantur, donec ad febrem perueniant, & adhuc nondum hoc cognoscant. Inde subijcit aliud genus: Caput ipsis dolet, & grauantur, ac palpebræ Lag.1. ipsis à cœna concidunt, & in somnis turbantur, & calor ipsis inesse videtur. Sed nullibi melius quam in primo Epidemiorum: Silenum ex lassitudinibus & potationibus atque exercitijs intempestiuis febris corripuit. Et Lib.8. ex primo. Pag.3. tertio Epidemiorum de adolescente in Mendacium foro, & primo de Prædictione: Febres soporosæ, lassatoriæ, caliginosæ, vigilias inducentes, exudantes, malignæ. Videtur autem mihi non de his vltimis intellexisse Hippocrates: quandoquidem & Silenus & adolescens ille interierit: sermo autem est hîc de superfuturis. Vt sint duo earum genera, et in primo quoties acciderit, hoc in quarto: raro enim serius differt ob abundantiam caloris acquisiti humidum dissoluentis, fiunt etiam multo securiores ac breuiores. Sunt qui loco lassatoriarum, vel lassitudinum, legant laboriosarum, magis Latinè, sed idem.

Declaratur hic Aphorismus satis pulchrè, Sec.4. ac quasi exemplo doctrinæ admisto, sexto Epidemiorum, his verbis: Vrina crassa, alba, qualis Archigenis familiari erat, in lassitudinis febribus quarta die aliquando prodit, & liberat ab abscessu: si verò vltra hoc sanguis etiam eruperit è naribus largè, etiam valde. Et citatur à Fuchsio apposité, declaratque nobis mentem Hippocratis, quomodo intelligendus sit Aphorismus, maximè circa eam partem profluuij sanguinis narium: quia præsupponit, vt sit vrina illa dicta non per se. Ergo per lassitudinem febres intelligere oportet eas, quæ in tertio de Diæta scribuntur, non laboriosas, id est periculosas: sed neque quas multus labor præcessit, sed mitiores, in quibus adest lassitudinis sensus.

APHORISMVS LXXV.

Si sanguinem aut pus mingat, renum aut vesicæ exulcerationem significat.

COMMENTARIVS.

Ex duobus sub diuisione sumptis, de duobus iudicium etiam sub diuisione facit. Seu ergo sanguinem mingat, exulceratione in renibus vel vesica significat, seu pus. Ideo quòd cum dixerit in libro de Humana na- Pag.vlt. tura, Quibuscunque vrinæ cruentæ sunt, his venæ laborant; neque enim alibi sanguis inuenitur, præterquam in cordis ventriculis, quàm in venis, qui enim in lacuna capitis sub craneo est, ex venis se inuicem collidentibus est. At ergo si οὐρέῃ, id est mingat, sanguinem diu mingere & perpetuò significat, laborantibus igitur sic venis, vt perpetuò sanguis cum vrina prodeat, fieri necesse est vt in renibus causa sit perpetua mictus, aut in vesica. Quare neque in pene ipso, sine vrina etiam aliquando prodibit: neque in iecore, nam non sanguis, sed vrina sanguinea meijtur: igitur in vesica vel renibus vlcus erit; nam is qui prodit per circuitus, quemadmodum ait Paulus & Aëtius, quique Lib. 3. c. 45. suppressus ex toto solet hydropem parere, Sec. 3. non perpetuus est, vt in Aphorismo dicitur. Laude dignus est ergo hac in parte Galenus Lib. 11. c. 2. qui hoc animaduertit, velut & reliqua om- & 3. nia optimè, neque enim in tota serie Aphorismorum tam breuiter & perfectè quicquam exposuit. Nam & illud optimè consideratum, si non in venis effatu dignis vlcus sit, apparere solum pus.

Supersunt tantùm duo consideratione digna. Primum, cum ex imbecillitate expurgãtur renes, nec per circuitum, vt ijdem auctores docent, videbũtur sanguinem mingere sine vlcere earum partium. Mihi sanè non sanguinem excludere posse videntur, sed sanguineum cruorem: verùm si ob caliditatem fiat apertis venis, sanguinem quidem minget, sed non perpetuò. Duo enim illud Mingat continet, & vt breuibus interuallis solùm mingere desinat, Alterum est vreteris, putat Galenus comprehendi, cum inter duo nominata mẽbra contineantur. At forsan melius est dicere cum tam angusti sint, non diu perseuerare vlcus in iis posse meatibus, quin ad hydropem intercepta vrina perducant. Iisdem rationibus etiam quicunque sanguis aut pus quoduis per crisim eiecta, vel ex pulmone, vel ex altioribus locis, explodun- tur per verbum illud Mingat. At verò si quis. Et pro Aut in prima parte Aphorismi legere velit, nimis in angustum, & frustra (meo iudicio) contrahet illius sententiã. Multi sunt & de hoc Aphorismi infrà paulo 78.80.81. post explicandi. Sed illud non est omittendũ, libri de Vlceribus: defluxionem sanguinis ex omnibus vlceribus: recentibus vtilem esse, modò in ventre non sint, quod pus non generatur, neque sanies, & quod vlcus siccatur. In his autem ob viarum angustiam non est irritandus, vt ibi præcipit fieri: sed vt defluat sinere, statimque exiccãtia adhibere, nam illic cum vlcus oculis subiacere supponat, spongiam alligat siccam. Scribitur autem in huius Aphorismi sententiam secundo Prædictio- Pag.4. num: Sanguinem mingere raro quidem, & sine febre ac dolore, nihil mali significat: sed lassitudinum solutio fit. Si verò sæpius mingat, & aliquid ex his accesserit, malum est. Verùm prædicere oportet, siue cum febre siue cum dolor emingatur, futurum vt insuper pus mingat, & dolores cum his & afflictiones quiescant.

APHORISMVS LXXVI.

QVibus dum vrina crassa, carunculæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeunt, ijs à renibus excernitur.

COMMENTARIVS.

Pag. 4. SCribitur hic Aphorimus libro de Natura humana, hoc modo: Quibuscunque dum vrina crassa est, carunculæ paruæ capillorum instar prodeunt simul, iis à renibus excerni scire oportet, & ab atthriticis: & eodem modo Aphorismus à Celso exponitur: at Galenus legit seorsum, Capillamenta & carunculas. Nihil mirum est in hoc genere, quod non videatur: capillos primum flauos ad palmi maioris longitudinem vidimus, quandoque cum doloribus renum vehementissimis, & suppressione vrinæ: quandoque absque morbo vidimus, & aliorum colorum, velut etiam arenulas lapillos. At in nobis duo magis admiranda præterhæc, & quæ pluribus annis, licet non perpetuò perseuerarunt, grummos atramento simillimos, & in magna copia, omnes eiusdem formæ & magnitudinis lentis minoris quasi, & circiter sexaginta coni rotundi, sed non acuti emittebã vna vice modò plures, modò pauciores, sine vlla prorsus læsione. Occiso filio (nam ego deterrebar, quasi ominosum esset) nihil tale vidi. Aliud fuit, mictus vermiculorum plurium alborum, breuium, tenuissimorum, qui nec pediculi dimidium æquabant, diuque viuebant. Aliàs dixi de quodam nobili Hispano, qui in omnibus excrementis & sanguine pilos emittebat: & me consuluit, non paucis datis aureis coronatis. Carũculas an viderim, non memini. Differt autem hæc excretio: quæ carunculãrum fit, vlcera renum significant: pilorum autem nequaquam. Generantur pili hi prælongi in renibus, ex materia tenui, lenta, terrea à calore immodico, vt reliqua omnia quæ consistentiam habent. Vnde curatur patiens hæc, humectantibus, attenuantibus ac dissecantibus: quamuis tenuis enim sit materia, magis attenuata, non postmodum coire potest. Ait autem Galenus, vidisse semper in huiusmodi vrinam crassam ac pituitosa substantia, imò pot ius cruda materia. Pituitæ enim calor dominatur, vt ipsemet ait in octauo de Decretis Hippocratis & Platonis: humori crudo minimè.

Lib. 2. Cap. 7. *Cap. 7.*

APHORISMVS LXXVII.

QVibus in vrina crassa furfurea quædam simul exeunt, iis vesica scabie laborat.

COMMENTARIVS.

VIdetur mihi altius quiddam insinuasse Hippocrates, quã ab expositoribus plenè explicetur: est autem huiusmodi: Si vrina crassa est non est verisimile, neque fieri potest vt furfuracea altius quàm à vesica deducantur, angustis meatibus tum renum tum vreterarum. Præterea quòd quę deciderentur à membris velut fieri consueuit in morbis acutis, calore violento adurente, vrinam coniungerent tenuem, non crassam. Si igitur & saluum est venenosum genus, & vrina liberè prodit vsque ad vesicam per meatus angustos, necesse est materiam illam furfuream non venisse longius quàm à vesica. Sed cum nec ex pituita alioque humore in ipsa vesica generari possit (quoniam locus ille non adeò calidus est, nec siccus, vt quotidie possit talem materiam cogere) necesse est igitur vt ab ipsa vesica prodeat, quæ humore exusto laborans, eas squammulas (velut in psora, lepra, scabie, impetigineq;) resecat: quo fit vt huiusmodi morbus sit insanabilis qui nec à salsedine vrinæ prohiberi potuerit, nec ab illius acredine vesica possit liberari. Memento autẽ vt furfuracea à squammulis, de quibus infrà aget, distinguere scias: nam illa vlcus, non scabiem vesicæ significant: quamuis ex scabie persæpe in vlcera deueniant, quemadmodum etiam in communi scabie, quomodo verò furfuracea à squammis differant & tenuitate & paruitate & colore magis obscuro (ob tenuitatem enim magis aduruntur: & quia non eum reddunt tetrum odorem quem squammulæ, neque vrina purulenta est) perspicuum est naturam vtriusque contemplanti, & substantiæ vesicæ non oblito. Videtur autẽ mihi opportunum, vt addam quod scripsit Hippocrates quinto Epidemiorum: In Larissa Theophorbi filius vesicam scabiosam habebat, & vrinam tenacem ac lentam mingebat, dolebatque dum mingere inciperet ac desineret, & pudẽdum confricabat. Hic cum bibisset pharmacum, vrinam ciens acre, in vesicam quidem nihil processit, verùm multum purulentum cum bile euomuit, & deorsum alia huiuscemodi egerebat, & ventrem dolebat, ardebatque intrinsecus: reliquum verò corpus frigidum erat, & totus resolutus est, & nihil assumere volebat. Huic ex vi medicamenti exulceratus est vehementer valde vẽter, & mortuus est tertia post potionem die. Quibus significatur, non vtendum acribus, neque deducendam materiam ad locum arctum iam læsum, & tam vitæ necessarium. Est autem glutinosa vrina finis scabiosæ vesicæ, & propriam iam vlcere laboranti. Porrò quæ mala prodeant ex vesica affecta, ex tribus dignoscere oportet: operationis impedimento, si vrina supprimatur aut ardeat, aut tinesmonem patiatur, aut nimis fluat: & ex iis quæ perpetuò eijciuntur, de quib. diximus in his Aphorismis & sequentibus, tum maximè in septima particula Aphorismo illo, Qualia etiam sint vesicæ & alui excrementa, & ex adiacentibus, veluti tumore, duricie, febre, vt in Coacis prædictionibus. Scribitur autẽ & hic Aphorismus in libro de Natura humana hoc modo: Quibus pura est vrina, & aliàs atque aliàs velut furfures in vrina innatant, horum vesica scabiosa existit. Itaque furfuracea in imo sæpe vidimus innatare, suprà nunquam: sed bene dum minguntur, circumuoluuntur in ipsa

Aphor. 81. *Pag. 4.* *79. In edit. ne vlt. Hippoc. sine comment.* *Pag. 10.* *Pag. vlt.*

ipsa vrina, nec statim descendunt, vt capillamenta, arenulæ, squammæ: & quod carunculis simile est, & à nobis non semel visa: hæc verò, vt in vrinis turbidis, diu luctantur ne descendant.

APHORISMVS LXXVIII.


QVicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus venulam ruptam significat.

COMMENTARIVS.

Ἀπὸ ταυτομάτȣ, & sine causa manifesta, & repentè significare potest: cum verò absque causa manifesta, ex vlcere vesicæ etiam contingat sanguinem mingere, non autem repenté, sed paulatim ex erosione soleat accrescere, repentè prodire non potest ex illa: at ex renibus potest fracto vase, quippe venæ renum oppletæ sunt sanguine, cum membrum sit carnosum: ad vesicam verò non prodeunt venæ, quæ sanguinem deferãt (cum vrina iam à sanguine expurgata, ad illam veniat) nisi quantum sufficit nutrimenti gratia. Atque hæc optimè (vt mihi videtur) à Galeno explicata sunt. Sicut & illud, Quod si ex apertione venæ renum cõtingat prodire sanguineam vrinam quia non confertim prodit, non autem sanguinem: quare relinquitur, vt repentè per vrinam prodeunte sanguine, necessarium sit venulam aliquam ruptam esse in renibus. Quòd etsi sponte intelligamus, id est absque causa manifesta, etiam defendi fermè eodem modo potest Hippocrates, nam vlcera vesi- *Aphor.81.* cæ cum adsunt, declarantur: & maximè si magna sint, tum ex dolore tum ex squammis, vt infrà videbitur, indicantur: ideoque si tum sanguis fluat per vrinam, non erit absque causa manifesta. Quamobrem dictum Hippocratis quomodocunque exponatur, verum est, atque etiam euidens.

Pag.6. Illud forsan è re magis fuisset inuestigare, quare Hippocrates scripserit, φλεβίȣ, id est venulæ: non φλεβὸς aut φλεβῆς, id est venæ. Inquit enim in Mochlico: Principalis vena quæ iuxta spinam est, etiam in renes *Pag.2.* radices agit tenuibus ac fibrosis venulis iuxta spuriam costam. Et rursus in libro de Locis in homine: Duæ quidem venæ iuxta tendines colli feruntur, & iuxta *Pag.2.* verticula, & desinunt in renes, hæ autem in testes etiam penetrant: quæ cum affectæ fuerint, homo sanguinem mingit. Et rursus in Mochlico: At verò ren caua sui parte ad venas magnas situs est. Vnde ex ipso in vesicam venæ enascuntur, qua parte potus trahitur, per intestina ac venas, per quas procedit in renes, vbi veluti per qualum aqua percolatur. Cum enim spongiæ simile sit eius corpus, qua ad vesicam conuersum est, ideo hìc percolatur vrina à sanguine, secerniturque quapropter etiam rubra (supple antea) existit. Neque enim in renes aliæ procedunt venæ, quam quæ dictæ sunt: neque est alius locus, vbi potus colliquescat, ego noui. Et rursus secundo Epidemiorum: Arteriæ ex ipso rene hinc atque hinc oriuntur, neruum secum coniunctum habentes. Ergo vt ex Vesalio Li- *Par.4.* bro quinto habetur, Dexter ren altior paulo est sinistro: in vtrumque vena arteriaque *Fig.23.* prodit ex vasis magnis, quæ sub spina posita sunt. inde ex vtroque rursus vreteræ prodeunt in vesicam: peculiariter autem ex sinistro, scilicet ex emulgẽte, antequam in renem ingrediatur, vasis seminarij portio defertur in testem sinistrum, nam cætera vasa huiusmodi ex trunco venæ & arteriæ, qua spinæ subtenduntur, infra ipsos renes oriuntur. Inde infrà ait: Antequam venæ & arteriæ truncus insignis ille in renem ingrediatur, in duos ramos singulæ diuiduntur: vnum *Cap.10.* superiori, alterum inferiori sinus parti offerentes. Moneo (inquam) ne ob id duos sinus interseptos membrana esse credas (superiorem, alterum inferiorem) quæ vrinam colet. Verùm vt omnia ad amussim intelligantur verba, ex Fallopio de hac re subijcere decreui, tum maximè quòd Aphorismi huius causam pulcherrimè aperiunt. In hominis renibus non reperio ego sinum illum exteriorem perforatum, à Vesalio proditum, per quem ferantur venæ & arteriæ: sed video *In obseruationibus. Pag.179.* manifesta ipsa vasa per totam horum viscerum carnem diducta: idque in arteriis ac venis obseruaui, quod in renibus ita earum substantia attenuatur, velut in vasis illis quę per cerebrum feruntur. Hæc tenuitas fortasse cum sit aptissima ad lacerationẽ, efficiatque ne vasa tam facilè à sensu ipso dignoscantur, in causa etiam fuit, ne hoc ab Anatomicis animaduersum sit. Sinum etiam illum secundum & interiorem ab eodem Vesalio traditum non reperio, sed alium huius loco positum. Nam inter venas & arterias, quæ in duas partes diuersæ disseminantur: aliæ per substantiam renis posteriorem, aliæ per anteriorem prope renis portas (appello simam illam partem, per quam ingrediuntur vasa, & egrediuntur meatus vrinarij) vel parum intra substantiam ipsius, sinus quidem est factus ex neruea membrana, qui plures possidet ductus vel fistulas veluti si digitos perforatos haberet, in quibus fistulis extremis singulis operculum est carneum, veluti verruca quædam acutum, quod aliquantisper in fistulam ingreditur, illamque obturat, & lotij stillicidium constituit. Nam operculum hoc ex substantia renis constat, quæ ad illud foramen, vel fistulam pertingit, vt in cauitatem lorium percolet. Et aliquando in vnoquoque renis sinu reperiuntur octo vel decem foramina, aut fistulæ dictæ, quibus huiusmodi carunculæ aptantur, quæ ipsas operculi ingredientis modo obstruunt. A venis igitur ac arteriis transfunditur omnis sanguis aquosus ad renes: huic similitudine substantię consequitur serum. Sanguis postea retinetur pro nutritione: qui quia parum ob tenuitatẽ alit, multus sub inde attrahitur, atq; ideo multũ seri cõtinuo subsequitur, quod retẽto sãguine tãquam noxiũ per carũculas dictas expellitur, & instillatur

instillatur in sinum, ibique collectum in latiore sinus parte fluit ad meatum, qui oritur ab eodem sinu, & vrinarius vocatur, deorsumque latus desinit vtroque in latere in vesicam. Vera hæc est renis humani constructio, non autem canini aut caprini. Nam in capris aut canibus ista minimè sunt explicanda, quod vtinam animaduertisset præceptor meus Vesalius. Quoniam neque in larynge, neque in lingua, neque in oculo ita facilè lapsus esset, deceptus potius à bouinis vel aliorum animalium partibus, quas humanarum loco aliquando secuit ac delineauit: quam aut negligentia, aut ingenij crassitie, cum in minutissimis quibusdam rebus ipsum oculatissimum, maximéque diligentem ac perspicacissimum fuisse videamus. Nimis enim in renum hominis anatome pinguedinem, non ita tamen timendam, timuit: atque inde manauit describendi renes brutorum occasio. Ergo cum hæ sint venulæ exclusit emulgentes: quæ si frangantur, non mingitur sanguis, sed homo in hydropem asciticam transit: sicut etiam ex seminariis vasis, apposui autem figuram simplicem. Hæc volui diffusius docere, vt paucis ad hanc vsque diem cognita: & sub obscuris verbis, ne ignorasse deprehenderentur ab omnibus, præterquam Fallopio descripta.



Lib.7.c.1. Sec.1. Demùm est animaduertendum, tria esse genera emissionis sanguinis ex venis, iuxta Alexandrum Trallianum: rupturam seu ῥῆξιν, erosionem ἀνάβρωσιν, & apertionem seu ἀναστόμωσιν. Hic Hippocrates intelligit rupturam, sed hæc ruptura etiam accidit sensim aliquando: & tunc etiam dicitur sponte secundum expositionem nostram, licet non Galeni, ita quòd omnino & hic verus erit Aphorismus: & non erunt nisi duo genera emissionis sanguinis ex venis, scilicet ruptura & apertio, nam erosio est causa diuersa, non species morbi, est enim ruptura primum leuis, inde fit magna: apertio autem oris venæ aliud est omnino, & differt genere à ruptura ipsa. Vnde sciendum, in finibus venarum esse ora velut sanguisugarum, & maximè narium, hæmorrhoidarum, pulmonis & vteri: sed hæc manifestiora cum aperiantur singulo mense, & iuxta etiam rationem structuræ hominum, ideo homo naturaliter potest sanguinem sudare propter hoc.

Est forsan difficultas ex dictis Hippocratis libro de Internis affectionibus, cum inquit: Fit autem morbus à labore, cum ruptæ fuerint venulæ ad renem tendentes, & ex hoc ren ipse sanguine repletus fuerit. Hic vbi hæc patitur, cum vrina sanguinem mingit in principio morbi, deinde processu temporis pus. Dico, quòd verba illa corrupta, Venulæ ad renem tendentes: sunt etiam in Græco codice, scilicet τὰ ἐς τὸν νεφρὸν τείνοντα: melius, τὰ ἐν τὸν νεφρὸν τείνοντα, id est, quæ quæ in renem tendunt: quod apparet ex subsequentibus verbis, cum dicat, repleri renem sanguine: tum his quæ dicta sunt. Nam inguis venæ ad renes tendunt, sed in eis distribuuntur. Pag.10.

APHORISMVS LXXIX.

QVibus in vrinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calculo.

COMMENTARIVS.

MAxima & grauissima dubia relinquentes, exigua animaduertimus, nam quòd etiam laborantibus renibus subsidant arenosa, verum est: sed maius est, quod citra calculum plurimis arenulæ prodeunt. Mihi quidem iam ab annis hinc triginta rufæ prodeunt, & nunc etiam albæ, & quotidie & copiosè, atque omnino citra omnem calculi suspicionem, tam renum quàm etiam vesicæ. Quinetiam, quod longè maius est, iam toto decennio exacto, tantum albæ arenæ adhæret matulæ parietibus, adeóque concretæ, vt intra quindecim dies si non abluatur, tota lapidescat intus: nec nisi magno labore & corticibus ouorum, atque sic nec perfectè elui ac detergi queat. Vnde mirum, cur non in vesica idem contigerit iamdudum. Et si non contigit, vt certum est (nam nullo vsque nunc vesicæ, imò nec renum vitio laboraui) cur concrescat tam celeriter hæc materia, in cementum in matula, à vesica autem perfectè quotidie eluatur. Item, quando indicia lapidis ex arenulis sumi licebit, cum nos frustula ad magnitudinem dimidiæ lentis arenulæ albæ sæpius, & maximè per æstatem emiserimus. Neque hoc solùm in nobis, sed in multis aliis animaduertimus. Leo monachus B. Augustini, qui annum excedit lxxx. sæpe mihi ostendit tantum pituitæ lentæ in matula simul concretæ, vt ouum anseris magnitudine superaret: & tamen lapidem nunquam genuit. Cur verò arenulæ & calculi renum ex vesica protinus excludantur: vesicæ autem proprij, & in ea geniti maneant. Si enim protinus excluderentur, nemo calculo vesicæ laboraret. Videmus etiam arenulas frequentes, vt vix in lotiis è decem vnum ab hoc vitio immunem esse videam: attamen rari sont admodum qui renum calculo laborent, longè rariores qui vesicæ. Oportet autem eorum quæ sunt, causas esse, non enim hæc dicuntur solùm, sed ita se habent. Ob id Galenum imitati,

rem ipſam, quomodo ſe habet ſpectare decet: inde illi verba ſententiamque Hippocratis accommodare, non autem verbis ipſis ſententiam atque ſententiæ rem. Vulgaris codex ita ſe habet: ὁκόσοισι ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. Braſauolus autem refert, codicem inueniſſe, in quo ita Aphoriſmus hic ſic legeretur: ὁκόσοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ τουτέοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσταται, id eſt: Quibus veſica calculo laborat, his arenoſa in vrinis ſubſiſtunt. Quæ lectio proculdubio verior eſt? ſed tria obſtant. Primùm, quòd ipſe non affirmat, quo ex codice tantam lectionis varietatem ſumpſerit, decebat autem docere, in re tanti momenti. Secundum, quòd nec ſic exquiſitè vera eſt ſententia Aphoriſmi: cum multi ſint qui calculo laborant, quorum vrinæ vt aqua ſunt, & abſque vllo ſedimento non ſolùm arenæ, ſed neque alterius rei. Tertium, quod maius eſt, quoniam hic Aphoriſmus inter multos ſcribitur, in quibus ex his quæ in vrina ſunt, docet morbos renum & veſicæ dignoſcere. At ſic ſcriptus Aphoriſmus inutilis fermè eſſet, niſi vt intelligeremus, vbi non eſſent arenulæ in vrina, calculum non adeſſe in veſica. Quod ſi nunquam, hoc raro contingit, paucique eſſent ab hac ſuſpicione liberi. Si non ſemper: falſum prorſus eſt, multis enim calculo in veſica laborantibus, vrinæ, vt dixi, claræ, & ſæpe abſque vllo ſedimento exeunt. Non tamen induſtriam Braſauoli reprehendo, neque prohibeo quin quiſque vtatur hac lectione: quamuis mirum valde ſit, Galeno adeò in harum varietate exquirenda ſedulo nunquam obueniſſe.

Verùm res ita ſe habet: Materia multa craſſa ac terrea cogitur in vnū in veſica: primùm quidem ad quantitatem ciceris aut fabæ, cuius pars intima concreſcit: & quoniam eiici non poteſt, tantem calore ac frigore parte tenui conſumpta in lapillum coaleſcit. Poſtmodum pars ea circundans, & quæ ei denuò adiicitur, in lapidem tranſit, atque ita ſenſim augetur. Hinc fit, vt hi lapides margaritarum more corticibus conſtent, & vt intima pars durior ſit. Cum verò iam concreuerit, vt magnitudine limum exuat, veſicam atterit, ob id in valde ſe exercentibus nunquam multùm magnus fit. Vtrum verò à calore, an à frigore potius generentur: dicam, calorem cum craſſa materia & frigus fermè idem poſſe. Vnde in pueris & ſenibus tales lapilli maximè, non autem in iuuenibus generantur. Hippocrates ipſe in libro de Aëre & aquis hæc habet:
Pag. 6. Quorum quidem aluus ſatis fluida eſt, ac ſana, & veſicā aut veſicæ os non ardet, his facilè vrina effluit, & in veſica nihil congregatur: quorum verò aluus ardens ac feruida fuerit, in his etiam neceſſe eſt veſicam idem perpeti. Quum enim magis quàm pro natura fuerit calefacta, ſtomachus eius inflammatur: vbi verò hæc perpetitur, vrinam non demittit, ſed in ſeipſa concoquit & adurit: & quod quidem tenuiſſimum in ipſa eſt, excernitur: & quod puriſſimum eſt, tranſit ac emingitur: quod verò craſſiſſimum ac turbidiſſimum eſt, coaceruatur & concreſcit, primum quidem parum, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina quicquid craſſum compactum fuerit, ſibi ipſi adiungit, atque ſic augetur, in tophúmque euadit. Et cum vrinam emittit, ad veſicæ collum lapis impellitur in veſicæ ſtomachum, & vrinæ emiſſionem impedit, grauéſque dolores excitat: quare pueri calculoſi trahunt fricantque pudenda. Videtur enim ipſis cauſa mictus ex loco eſſe. Signum autem huius, quod hæc ita ſe habent, hoc eſt: Vrinam ſplendidiſſimam mingunt calculoſi ad ſimilitudinem ſeri, eo quòd id quod craſſiſſimum eſt ab bilioſiſſimum, iſthic manet & coaceruatur ac concreſcit. Et plerique ſanè lapidem hoc modo contrahunt. Fit autem pueris etiam ex lacte, ſi non ſalubre id fuerit, ſed valde calidum ac bilioſum: ventrem enim percalefacit, ac veſicam. Quare vrina dum aduritur, hæc patitur, ob id magis pueris vinum minimè meracum confert: minus enim venas adurit ac reſiccat. Mulieribus autem cum vrinæ meatus breuior ſit, & latior, minus contingit calculi generatio, quoniam vrina facilè impellitur, ob id etiam plus bibunt hæ, quàm pueri. Atque hæc eſt vera calculi generatio, & iuxta Hippocratis ſententiam.

Aliam Braſauolus ex quarto libro de Morbis, quem Hippocrati tribuit, affert: ſcilicet vt ex arenis fiat, ſedimento veluti glutine copulante: atque tunc in vrinis arenoſa ſubſident. Hic modus Hippocrati poſſet aſcribi, ſi non iam ex genuino illius libro veram illius ſententiam de hoc edocuiſſemus, neque enim veriſimile eſt Hippocratem in vno loco vnum, in alio aliud ſentire: nec liber ille grauitatem Hippocratis ſeruat, nec ſententiam. Neque enim Hippocratis mos eſt numerare ſigna, quemadmodum ibi facit. Quæcunque autem ex eo ad rem faciunt vtiliaque fuerint, ſuo loco addam. Non propria ergo eſt hæc calculi generatio, etiamſi quandoque contingat: quia natura vt ſtatim arenam ſenſerit, protinus eiicit. Atque hæc cauſa eſt cu rarò ex arena renum, & calculis eorum, calculus veſicæ generetur, nam tales calculi & multo facilius arenæ, cum è loco arctione prodierint, quàm ſit veſicæ collum, ſtatim eiiciuntur è veſica à natura, quæ ſenſum illorum, tanquam rei valde abhorrentis, pati diu non poteſt. Quanquam aliquibus ob ſitum ac formam, & quia valde immunda ſiue ſicca, differatur: velut contigit ſacerdoti ex ordine B. Auguſtini, quos vocant Canonicos, erat autem, vt dicunt, prior id eſt præfectus illi congregationi: & Hieronymo Gorlæ mercatori pannorum, hi enim cum aliquandiu renum dolore diſcruciati eſſent, ſacerdoti vinum gramineum, mercatori Alexandri medicamentum è ſanguine hyrcino ac myrrha dedi: ambobuſque ſtatim quieuit dolor, ita vt ſurgerent. Verumtamen moleſtiam quandam patiebantur, vt nec ſani eſſent, nec ægri dici poſſent, nam quid ſentirent, neſcire ſe affirmabant. Tertio poſt die ſacerdos lapillum oſſi dactyli ſimilem, ſed breuiorem eiecit, ſanuſque in poſterum manſit: mercator autem non niſi poſt quindecim, eiecit autem forma & magnitudine

dine dimidij famæ. Augusto tum statuario, cum per medici incuriam mansisset in vesica in tantum auctus est, vt eo morbo cum maximis cruciatibus, vt hi solent, obierit. Atque hoc cur rarò contingat, dictum est. Cum enim renum calculus nudus sit adeò vesicam vexat, vt diu non possit retineri, quare nec augeri: qui verò in vesica oriuntur, tum quia simul gignatur, tum quia circumuestiatur glutine illo, retinetur. Sensim autem gignitur, ob idque ex corticibus constare videtur: moles tamen simul quodammodo antequam perficiatur, adeò magna euadit, vt eiici nequeat. Atque hic tertius est modus generationis calculi vesicæ.

Parum quoque author quarti libri de Morbis (quanquam Hippocratem illum non esse existimem) ab hac sententia differt. Sic enim inquit: Sic profectò etiam fex in vesica, dum pituita glutinum fit, emingitur id quod ab vrina liquescit. Fex autem subsidet & densatur, ac solida fit velut ferrum vbi verò subsedit, ac solida facta est, sursum ac deorsum in vesica volutatur, & feriens vesicam, dolorem inducit: & si vehementer feriat ac vlceret, aliquid de ipsa aufert. Verùm id quod insuper affertur, adhuc magis quàm id quod arenosum decessit, concretionem efficit. Atque tali modo fit lapis de lacte in vesica: & si puero anxietas aliqua ob hoc oboriatur, aliàs atque aliàs vbi meiere vult, vrinæ meatum apprehendit. At si puero iam adulto lapis gignatur ex terræ esu, dolor non adest ipsi, priusquam ipse sibi ipsi cibum deligat. Et hæc à me de hoc relata sunt. *Pag.15.*

Cæterùm morbus signa quinque habet. Nam vbi meiere vult, dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, velut in vrinæ stillicidio: & est subcruenta, nimirùm vesica à lapide exulcerata, & vesica inflammata est. Verùm hoc signum inconspicuum est, indicat tamen summa pars præputij. Quandoque mingit arenosa: verùm à talibus, qualia ego dicam. Eiicit autem aliquando lapides duos, aut etiam plures paruos, generatos eodem modo, velut de vno dixi. Fiunt etiam tali modo. Quum lapis fuerit concretus, & profundè subsederit in vesicam in arena separata, ita vt ipsam aduenientem lapis non assumat in seipsum, sed grauior ac copiosior fiat, vt tamen ipsa ad sepsam non concrescat, etiam sic duo lapides fiunt. Fiunt etiam plures eodem modo. Sed & collisis inter se in agitatione aliquid disparatur, & arenosum per vrinam eiicitur. Quod etiam aliquando contingit, vbi arena ad vesicam descendit, & non coaluit.

Refert Brasauolus, dissecto Alberto Sauonarola, qui ex huiusmodi morbo obiit, viro eruditione ac moribus præstante, inuentos decem calculos pondere simul vnciarum sex ac semis, forma simili inter se. Verùm, vt dixi, ex arenulis non fiunt, ob ea quæ dicta sunt: tum etiam quod si simul coalescant, in tophos euadunt, non lapides, attritúque franguntur, cum illi de quibus nuper diximus, necessariò duri essent: quoniam facilè collisi, atque inter se attriti, dissoluti essent. Ex arena igitur rarò aut nunquam lapides fiunt aut in renibus aut vesica, sed in hac multo minus: Et si fiant, non manent, faciléque in frusta diuiduntur.

Omitto nunc, quibus in locis præter renes & vesicam lapides generentur, nam longa satis per se narratio hæc est. Primùm igitur in intestinis, vt Brasauolus recitat, Gallam mulierem quinque lapillos mespillorum seminibus magnitudine & colore similes eiecisse. E pulmone vnum vidi grandini similem, magnitudine grani maizi. In iuncturis gipsum generatur, idem refert, contusum ad vnciæ pondus eadem præstitisse, quæ verum gipsum. Non mirum videri debet illi, qui ea quæ de mistorum viuentium proprietatibus scripsimus in libris de Subtilitate, legit. Generantur in vesica fellis certè, atque in ventriculo: rarius in vtero, ob pronum situm. Sed color & substantia varia est rubri enim sunt renum, quia renes tales sunt: vesicæ albi, molles, nigri, rufi, ferruginei, varij. Et nisi duri sint, in arenas resoluti exeunt, ob id qui relinquuntur, duriores existimantur: leuiores etiam sunt renum calculi, quàm vesicæ plerunque, non semper.

Vt autem causam generationis illorum diligentius perquiramus, sciendum quibus communiter generentur, & sunt tria maximè: vinum nigrum crassum, potens: casei copia & lactis: tum quæ in mari gignuntur salsa & crassa, vt meæ: & quæ arenis plena sunt, vt solenes & chamæ, alia verò est generatio salis, alia tophi, alia lapidis. Sal nunquam lapidescit, quoniam humidum potentia est, vt etiam glacies: tophus inter sal & lapidem media est substantia. Generationis igitur lapidis principium est siccitas. Siccitas autem fit, vel quia materia crassa exuritur, vel cogitur. Siccitas igitur causa est cum materia crassa, crassicies in pueris ob ingluuiem & cibos crassos, in senibus ob imbecillitatem innati caloris, in vtrisque autem cruditas est causa propinquissima crassiciei: siccitatis verò in senibus qualitas ipsa, in pueris autem caloris efficacia. Iuuenes sicci quidem sunt, & calidi vehementer, sed ob robur caloris & exercitationem, humorem crassum non gignunt. Ob id Galenus dicebat, turpe esse homini bonam temperiem nacto, calculo laborare, scilicet quoniam non citra culpam suam id contingere possit. Verùm in pueris lactantibus calculum fieri, existimat author quarti libri de Morbis, quod nobis videre nondum contigit: sed triennes & quadriennes pueros, postquam cibum accepissent, hoc morbo tum vermibus primùm tentari vidi, & liberari execto lapide. Quod etiam in vermibus obseruauimus, non enim ante cibi vsum vermes in pueris vidi. Cum verò, quæ de natura & compositione eorum qui ad calculorum generationem sunt apti, dicit, in rem faciant, ante ea quæ recitauimus nuper, etiam hæc habet. *5. De tuen. San. c.1.*

Cæterùm calculi morbo principium oboritur à lacte, vbi puer lac impurum sugit. Lac autem in nutrice impurum fit, si pituitosis cibis ac potibus & alimentis impuris nutrix vtatur. Conferunt enim omnia in ventriculum illabentia in ipsa ad lac. Habet autem & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa aut aquosa aut sangui- *Lib. 4. de Morbis Pag. 14.*

nea,

nea,aut pituitosa, lac etiam malum puero generatur. Consentiunt enim corpus & ventriculus. Primùm verò ipsi ad lac cedit, de eo quod ipsa plurimum in seipsa habuerit. Et puer si de nutrice lac non purum suxerit, sed biliosum, velut dixi, morbosus fit ac debilis: & in præsens maximè affligitur, quandiu lac prauum ac morbosum suxerit. At vbi suxerit lac non purum, sed terreum ac pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes, amplas ac attrahentes: procedit autem & quod bibit nutrix, & lac in ventriculum pueri, tale quale trahit à ventriculo de lacte in totum similiter, prout venæ ad ventriculum detrudere possunt: si quid sanè in lacte non purum fuerit, id quo vesica fruitur, lapis fit tali modo, velut in aqua non pura, in calice aut vase æneo turbata, & rursus sedata, fex aceruata fit in medio: sic sanè & in vesica de vrina non pura existente. Et non per vrinam eiicitur, vt quæ in cauo sit loco, & maximè aceruata, dum fit præ dolore per mistionem non pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glutinum enim fit pituita ad fecem admista. Et primùm parua lanugo superstat, deinde quod accedit, arenosum fit: gluten, dum fit pituita, quæ est in vesica de lacte, & augetur: & quicquid humoris in glutinatione accesserit, emingitur. Rursus autem fex solida fit, & lapidis speciem accipit.

Hæc quàm turpiter verterit hic vir, non est vt dicam: quia tamen non Hippocratis est hæc sententia, nec nos verbis authorum, sed rebus fidimus, duobus tantùm verbis omnino barbaris commutatis, reliquum, vt iacebat, transcripsimus. Satis autem constat ex his, tum etiam antea demonstratis, lapidem ex fece terrestri exustáque fieri. Sed hæc mittamus, quoniam neque nostris principiis repugnant: nec adeò absoluta sunt, vt clarè quod verum est ostendant, rémque vt se habet, perspicuè doceamus.

Fit lapis ex materia crassa, semper exiccata, vel ob siccitatem loci, vel ob vehementiam caloris, humidum resoluentis. Atque ob id tam in senibus quàm pueris generatur. In pueris quidem nunquam fermè in renibus, sed in vesica semper: quoniam calor adeò vehemens est in his, & materia tenuis, vt in renibus liquescant omnia, velut quæ parua sunt, dum in paruis clibanis exuruntur. In senibus verò latiores sunt meatus in renibus, materia crassior, & calor siccior: cum in pueris materia crassa solùm ob id sit, quia multa autem in renum meatibus esse non potest. Pueris igitur in vesica, senibus vtrobique lapis generatur. Generatur autem trifariam: vel ex arena, idque rarò, fitque tophus, non lapis: aut lapide iam in renibus concreto, idque rarissimè: quoniam vesica illum, si licet, statim expellit: aut ex fece vrinæ, cum membra naturalia, quæ vi tamen villorum expellunt, imbecillia fuerint, velut in infantibus: vel materiæ crassicie ac lentore, vt in senibus, tuncque simul materia cogitur lapidis, paulatim tum concrescit limo eum ambiente. Adiuuant, latitudo meatuum, cruditas & calor non naturalis. Prohibent, quæ diuidunt, vt cappares: balsami succus: & quæ humectant, vt oleum, cuius vsu ob id, tum alia multa, delector. Arena renum hæret matulæ, & rubra est: vesicæ retrimenta candida sunt, plerunque leuia, arenosa, non arenæ, nam lapillorum partes potius sunt, & puluis, quàm arenæ: ob idque arenosa vocantur. Quæ autem salis naturam habent, siccantur cum abest humor, & in formam tophi duri transeunt, si humor adsit, non concrescunt. In matula igitur eiecta vrina vt sal concrescunt, dum vesica plena est, non concrescunt ob humorem: eiecta vrina etiam non concrescunt, quoniam statim humor adest, & locus calidus est. Et quod maius est, ob vim vesicæ expultricem, dum vesica vrinam exprimendo tota inuertitur cauámque partem gibbam efficit: quod in matula dum purgatur, nec fit, nec fieri potest. Calor autem actu dissoluit quod est in vrina, nec in sedimentum transire permittit. Calor autem potestate, seu vrina calida & acris, ad lapidis generationem facit. Iuuat ergo, dum mingitur, ad prohibendam lapis generationem, comprimere bene vesicam, & expurgare perfectè, idque quasi subsultim mingendo, non continuè, quod ego mihi à lapide metuens obseruaui, nunquam in pluma cubans, nec vinum nisi album leuéque bibendo: sed & loco plumæ stupam sericeam mihi subieci. Hæc igitur sex maximè prohibent lapidis generationem, vtrobique scilicet tam in renibus quàm vesica: tomentum minimè potestate calidum: expressio diligens sedimenti dum mingitur, quæ fit subsultim mingendo: vsusque olei: abstinere à caseo, tum his quæ ex lacte fiunt, tum à terreis ac salsis: tum quod multa ac ferè omnia complectitur, à cruditate cauere.

Hæc igitur sunt quæ oportuit declarare etenim iam proposita ab initio fuerant. Nunc solùm restat declarare, cur vrinæ habentium calculum aqueæ sunt: affecta enim calculi frigiditate, vesica vrinam neque concoquit, neque renes trahendo expurgat, vnde aquosæ vrinæ prodeunt. Quibus intellectis, quæ quam oscitanter ab omnibus tractata sint quisque intelligit, neque aliter tractari potuerant veris deficientibus principiis, ad Hippocratis sententiam exponendam accedo. Inquit ille: Quibus in vrinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calculo. Si arenosa, inquit, subsistunt: hoc assiduè intelligendum est, non aliquando, verbum enim, Subsistunt, cum sit præsentis temporis, per omnem temporis successum extenditur: vnde non de arena renum intelligi potest, quæ neque subsistit, sed adhæret: nec arenosa, sed arena dici potest: nec perpetuo apparet, sed quandoque. Quòd verò arenosa hæc, id est lapidum frustula & puluis, lapidem significent, patet: quoniam quod molle est, quotidie atteritur, maximè in se exercentibus: aut si plures sint lapilli, itaque cum non possint singulo die generari, necesse est vt ex lapidibus resecentur. Sed si materia hæc arenosa singulis diebus excerneretur atque generaretur, non iam subsideret, sed salis naturam haberet, essetque tenuis, & superficiei matulæ intrinsecus adhærens. Cum ergo volueris scire certius an aliquis calculo vesicæ laboret,

laboret, iube eum equitare, saltare, exerceríque vehementius, exhibe lapidem comminuentia, inde subsidentia in vrina inspice, in qua si tribus aut quatuor diebus puluis appareat, lapis est durus: si lapidum frusta & quasi arenæ, non autem arenæ, tophus est: si nihil horum appareat, lapis proculdubio non est. Atque hæc sunt quæ duobus millibus annorum latuere expositores. Caue tamen ne exercendo magnum ardorem vrinæ, vt dicunt, seu vriginem intolerabilem efficias. Improbi enim & ignari medici maledicendi ansam, postquam benefacere non norunt, vndique arripiunt. Nos ergo nec extorsimus Hippocratem, nec redarguimus, vt neque Ptolemæum: at qui non profundius quærunt, coguntur multa vt superflua aut imperfecta damnare.

APHORISMVS LXXX.

SI sanguinem & grumos mingant, & stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum ventrem, & pectinem, & fœmen incidat, circa vesicam labor est.

COMMENTARIVS.

Aphor.78. SVperius dixerat: Quicunque sanguinem sponte mingunt, his à renibus venulam ruptam significat: ne quis crederet semper in mictu sanguinis renes laborare, subiecit vnam rationem quæ vesicam laborare ostenderet, scilicet quoties vel sanguinem & grumos mingendo & stillicidium patiendo, dolor in imum ventrem & pectinem & fœmen incidat. Hìc quam oscitanter, ex tot difficultatibus ne vnam quidem attingendo, Galenus præter hanc vnam, an vesicam pati dixerit, in qua palàm aberrat: alij verò alteram addentes, scilicet an quæ coniuncta sunt disiungi debeant? quæ per se satis manifesta est non est vt dicam. Attingã autem primum difficultatem illam à Brasauolo motam, scilicet an singillatim illa intelligenda sint, scilicet sanguinem mingat, aut grumos, aut stillicidium vrinæ patiatur? Dico verum esse solùm de omnibus simul, tum primò quia in illis coniunctione non minus quàm in sequentibus vtitur: & grumos mingant, & stillicidium vrinæ habeant. Non dixit Aut, tum etiam quia semper fermè in hoc casu omnia illa tria simul coniunguntur. Tametsi enim non eadem die semper hæc omnia contingant, semper tamen se consequuntur. Quod verò partes illæ, Et dolor in imum ventrem & pectinem & fœmen incidat, coniunctim etiam legendæ sint, ex ratione notæ coniungentis καὶ, vel & palàm est, & iisdem rationibus conuinci potest: vt demirer audaciam Leoniceni, qui cum non intelligeret Hippocratem in hoc loco, contrà verterit quàm in textu Græco omni iaceret, existimans esse plures conditiones, cum sint tantùm duæ, scilicet quòd si sanguis ex vesica fluat, conuertitur in grumos aliquando, ob id quod paucus est: nec adeò prouitat ad meiendum, cum sit illi familiaris: nec etiam tam bene vrinæ miscetur, vt qui ex renibus prodit, ideò in grumos vertitur. Secunda, quòd si morbus est in vesica eiusmodi, & accidat dolor in pectine, apparebit & in imo ventre & interfœmineo. Melius enim legitur sic, quàm Fœmine.

Videndum est igitur quid sit fœmen, imus venter, & pecten primum. Græcè autem sic: ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸν κτένα καὶ τὸν περίναιον vertitur ὑπογάστριον, imus venter, id est sub ventre. Pars ergo est in imo ventris super pubem in medio, vbi cum vrina retinetur in vesica, prominet rotunditas: vt in Arte medica etiam testatur Galenus, & nos quandoque vidimus in retentione vrinæ. Cap.71. Situs enim vesicæ fundi ibi eregionè est supra vterum in mulieribus, in viris autem supra rectum intestinum: collum autem & prima pars vesicæ ossi pubis subtenditur: pars autem inferior residet inter virgam & anum. Vnde qui lapidem vesicæ patiuntur, ibi pondus & molestiam sentiunt, præsertim si repentè sedeant. Et pueris tangitur immisso in anum digito medio lapis, non quidem versus dorsum, sed in anteriore parte, scilicet ad fœmen, seu inter fœmen, vt Fuchsius vult. Nam fœmina, inquit, partes sunt interiores coxarum à pudendis ad genua. Liquet igitur, quod laborante vesica tria hæc loca maximè afficiuntur, quoniam omnia sunt circum vesicam, & prope cutim: nisi quod & in pube & interfœmineo iacet os tenue. Dicitur autem interfœmineum, quoniam eo in loco vulua sita est, scilicet inter anum & pudendum paulo magis vtrinque diductis ossibus quàm in masculo. Vbi Nero nixus est transformare sporum, exciso toto inguine, puero & loco illo perforato, in fœminam. At pecten vocamus partem superiacentem ossi pubis, quod super virgam adiacet, vbi pili nasci solent tam masculis quam fœminis. Et quamdiu carent pilis ea in parte, vocari solent ephœbi. Est autem, vt etiam Vesalius Lib.5.c.11. docet, oblongior vesica quàm latior, id est secundum longitudinem corporis magis extensa: & fundus amplior est, vt sensim ad illius ceruicem contrahatur, leuis est illius tunica, intus & extra prædura: valida membrana enim est, triplici genere villorum contexta, inæqualis crassiciei, maximè tamen ad collum crassior est, & in hominibus adnascitur peritonæo in imo ventris. Et ob id nimirùm Hippocrates docuit, eam partem affici, in Aphorismo: non sic in canibus, quoniam situs illis magis fauet homini, quòd erectus esset, ne pondere vrinæ nimis grauaretur, hoc fuit necessarium, imminet (vt dixi) intestino recto è posteriore parte: vnde fit, vt & mingentes compresso intestino illo facilè pedant: & egerentes dum inflant intestinum illud, ad mictum incitentur: & qui lapidem patiuntur, & hæmorrhoidas excitent, & tinesmonem patiantur. Musculo comprimitur imum ceruicis, qua parte ventri vesicæ iunctum est supra glandulas, ne coeundo necesse esset vrinam cum semine ipso fundi: & est quasi ex ipsa vesicæ substantia musculus, ideóque parum profundus.

Constat

Constat enim vesica tribus tunicis: exteriore carnea, sed non rubra, verùm subrubra ex peritoneo nata, tenuiore altera & splendida, ac tertia crassiore neruea que collum autem vesicæ situm mutat: cum penis tenditur, σ Græcum: cum non, s Latinum imitatur.

Hæc volui necessaria non præter propositum subtexuisse, tum ad sequentium intellectum: tum vt ostenderemus Galenum longè aberrasse, qui credat per ea verba, τὰ περὶ τὴν κύστιν, intelligi debere quæ circa vesicam laborare, id est partes quæ illi annectuntur, etiam cum ipsa vesica, manifestum est enim ex dictis, non posse hæc contingere nisi laborante vesica: & quotiescunque vesica laborauerit, hæc necessariò contingere. Dico laborauerit, vlcere magno, vel vasis maioris sui (nam omnia parua sunt) fractura. Obstat tamen litera, dicit Galenus, τὰ περὶ τὴν quæ sunt circa. Sed & illud, quod in sequenti vesicam vlcere laborare dicit: igitur Hippocrates inter vesicam & quæ sunt circa vesicam distinguit. Sed si sermonis efficaciam, & vt ita dicam, exquisitam energiam exigamus, non poterit intelligi de vesica vllo modo, cum non dicat, Vesicam & quæ circa vesicam, sed solùm, quæ circa vesicam. Sermo igitur Hippocratis est huiusmodi, quod tota vesica laborat, adeò vt etiam circumiacentes partes afficiantur, quasi omnibus noxa illa participantibus. Magnum ergo vesicæ affectum & cum consensu declarare voluit, cuiusmodi si febris adsit, cum vesica phlegmone laborat: vel magno, id est lato elcere, si febre caruerit, nam de profundo statim subsequetur. Hoc ergo voluit docere, laborare omnino vesicam, sed non necessariò ex se, sed consensu alterius: licet quandoque consensus hic ex ipsamet ortum habeat.

APHORISMVS LXXXI.

SI sanguinem & pus minxerit, & squammulas, & grauis odor adsit, vesicæ vlcerationem significat.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset morbum vesicæ ex consensu, quantum est ex merito signorum docet morbum per essentiam, ita vt signa in præcedenti Aphorismo sint signa vesicæ per consensum laborantis: hæc verò per essentiam. Nec inconuenit signa per consensum morbi posse iungi morbo per essentiam: at bene inconuenit signa morbo per essentiam esse morbi per consensum. Sic enim morbi per essentiam distingui non possent à morbis per consensum. Dico igitur, quod si omnia hæc adsint, non autem alternatim, vt Leonicenus (qui temeraria audacia omnino Hippocratem non intelligens, illum delirare facit) vertit, quod vlcus adesse in vesica significatur. Et demiror de illis qui hanc vltimam editionem emendarunt, cum iam haberent Commentaria Brasauoli emendata, tum etiam Fuchsij, quare plus tribuere voluerint Leoniceno erranti, & contra fidem Græcorum exemplarium exponenti, quàm ipsi Hippocrati, nam quòd Leonicenus aberrauerit, senex primùm, minus est mirum: deinde tot opera Hippocratis vertenti, licet dicere cum Flacco, Verùm opere in longo fas est obrepere somnum.

At de illis qui castigasse profitentur, non habeo quod dicam, namque nec dici potest illos suspicatos meliorem codicem habuisse Leonicenum, vt librarius pro ἢ scripserit καὶ, quia similia sunt valde: quoniam ignoscendum esset, si semel hic error admissus esset in textu, sed cum ter καὶ ponatur in hoc contextu, semper aberrasse librarium existimare, est perinde monstro simile, & omnino fidem codicibus omnibus abrogare. Itaque mihi videntur viri persimiles his qui malos pannos texunt: nam initia variegata & pulchra faciunt, reliquum autem nulla diligentia conficiunt, nulliusque precij. Nam de Leoniceno plurimum illi debet tota doctorum caterua, & vt ad Flaccum rursus redeamus, de illo dici potest,

Ili robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci.
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit.—

Facile ignoscere debemus magnis viris etiam mediocria errata, nedum parua, quandoquidem tot laboribus & incommodis propter posterorum vtilitatem insudarunt. Atque ego illum Galeno sine dubio præposuerim, qui ætatem quàm longissimam cum vixerit, totam in purganda medicina consumpsit: Galenus, cum ne ad triginta annos propè accesserit, immodica ambitione plura confudit quàm addiderit. Debemus illi plurimum tanquam in eo negocio feliciter versato, vt ei contigerit genius illustris. Ergo vt ad rem redeam, si per disiunctionem legatur in quo differet à superiore illo: Si sanguinem aut pus mingat, renum aut vesicæ exulcerationem significat? Palàm enim est, alterum falsum esse, aut superfluum. Si enim mictus sanguinis aut puris significat vesicæ vlcus, frustra illi additur Renum: si autem alterum horum tantum, falsum est quod hîc dicitur Vesicæ exulcerationem significari: coniunctìm igitur, vt rectè Hippocrates, legi debet.

Nec verò tametsi omnia ista signa ostendant vlcus, in vesica semper omnia necessaria sunt. Mala enim non solùm, sed insulsa Dialectica vtetur, si quis dicat: Publico monumento & decem testibus & tua confessione constat, te mihi debere centum coronatos: igitur nemo alteri debere conuictus dici potest, nisi testes decem proponant, monumentum publicum doceat, & ipse debitor fateatur, quòd autem hæc vera sint, ostendamus, nam si mingat sanguinem & pus, necesse est altero eorum vas esse apertum vel ruptum, sed pus ostendit putredinem & vlcus, igitur non potest esse vasis apertio: at cum squammæ affuerint, non possunt esse ex colliquatione, quia cum pure non essent, igitur ex vesica sunt, renes enim squammas parere non possunt, nec quæ supra renes, cum substãtia eorum sit carnea. Sed quare addidit

Et

Et grauis odor adsit? nonne omne pus malè olet? certè dum dixit hoc, aliquid plus voluit significare quàm consuetum puris odorem, sicut in Prognosticis, Pus optimum est, quod est minimum graueolens. Omne pus ergo malè olet: sed quod ex vesica resecatur, trifariam magis olet, etiam si minimè malum sit, quod in aliis partibus non contingit. Primum ob substantiæ quæ corrumpitur, scilicet ipsius vesicæ, naturam, quę nō est carnea, maximè in interiore parte: ideo cum longiore tempore ad putredinem egeat, aut violentiore causa, magis putrefacit. Secundum, ob admistionem partium aquearum vrinæ, quæ corrumpunt & corrumpuntur: demùm ob moram, quam ibi ob vrinæ retentionem naturalem contrahit. *Pag. 3.*

Quid si appareant omnia præter hoc signum, odoris valde fœtidi? Dicet Hippocrates, vix fieri posse: & si fiat, erit morbus compositus: velut si renes laborarent vlcere, squammulæ autem illæ aliunde procederent.

Consequuntur autem se hæc, nam à sanguine rupto quomodocunque vase, seu per erosionem seu aliter, sequitur sanies, & ex sanie erodente squammulæ illæ ex vesicæ substantia excidunt: demum profundo facto vlcere fit odor ille teterrimus, cum etiam antea incipiat. Similiter si pus adsit, fœtor ibi adest, & necesse est etiam præfuisse exitum sanguinis, tum etiam squammulas succedente tempore excidere. Et ita squammulæ si ex vesica decidant, non autem aliunde proueniant, per putredinem decidunt, & malum odorem & pus præcessisse indicant: ac etiam exitum sanguinis, atque ita à fœtore argumentum de aliis tribus sumitur.

Λεπίδας aliqui squammas interpretantur, sed oportet in communi significato intelligere, sic vt plerunque squammulæ, id est paruæ squammæ sint: nonnunquam etiam ad magnitudinem grani ciceris, cum vlcus magnum est: & crassæ profunditatem illius declarant.

APHORISMVS LXXXII.

QVibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur, iis suppuratione facta, & eruptione, solutio.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset modos plures, quibus significantur morbi vesicæ & renum: hoc Aphorismo docet, quandoque morbos aduenire in fistula vrinæ, qui similes videntur morbis vesicæ: & huiusmodi planè, non sicut alij, ex parte liberantur. Est ergo ac si dixisset, si quis stillicidium vrinæ patiatur, & sanguinem cum pure mingat, vt superius dixit, & hoc contigerit ex tuberculo in meatu vrinæ: tunc dignoscitur, quia suppuratione facta & eruptione soluitur plenè morbus. Et in aliis casibus si perseueret, hō erit ex tuberculo in virgæ meatu, adeò quod docet hoc *Aphor. 80.* Aphor. distinguere morbos veretri ab aliis morbis viarum vrinæ: hi enim suppuratione facta soluuntur, antea autem sunt valde periculosi morbi illi vesicæ & renum: antea non adeò videntur periculosi, cum non impediant vrinam: successu tamen temporis cum non soluantur plenè, deteriores euadunt. Hic ergo duæ dubitationes contingunt.

Prima est, an tubercula in meatu veretri possint absque suppuratione solui, vt Galenus censet? & videtur quod Hippocrates hoc velit in textu. Nihilominus apparet, quòd caro etiam excrescens facit impedimentum in vrina, & sponte decidit, ac etiam mollientibus medicamentis. Per tuberculum ergo intelligo in hoc loco, illud idem quod ab Hippocrate intelligitur in Coacis prædictionibus, dum inquit. Quibus tuberculum est circa vesicam, quod mingendi difficultatem facit, ad omnis generis figuras vexantur: huius autem solutio fit pure erumpente, illud idē quod docuit in primo de Morbis: Tubercula fiunt disrupta aliqua vena intus, aut non prorsus disrupta à laboribu, svel etiā ex pituita aut bile, vt in lateribus: vultque omnia suppurari. Idem sentit in libro de Affectionibus: & etiam id postularet longius tempus, vt dissoluerentur. Impedimentum enim meiendi dolorem auget, vt cogatur natura morbo crescente moliri suppurationem. Neque ego vidi quenquam cui ex tuberculo suppressa sit vrina, cui non fuerit suppuratum. Hic idem Aphorismus scribitur in septima particula, & additur in fine dolor, id est quòd soluitur dolor, cum hîc nihil apponatur. Verùm, vt dixi, causa est hic, quòd voluit distinguere morbos in vrinaria fistula, ab aliis qui in vesica & supra vesicam fiunt. *Pag. 10.* *Pag. 9.* *Pag. 10.* *Aphor. 57.*

Secunda dubitatio est, quare vlcera virgæ sponte sanentur, non autem in aliis locis adeò facilè? Et habet aliud caput hæc difficultas, quoniam generaliter suppurationes sunt maioris spei quam reliqua vlcera. Quod deprehenditur, cum dicat Hippocrates septimo Aphorismorum: A sanguinis sputo, puris sputum: à puris sputo, phthisis & fluxus. Cum verò sputum retinetur, moriuntur. Et tamen dicit in Prognosticis, Ex his autem maximè superstites manent. Causa ergo est, quoniam vlcus quod ex suppuratione aduenit, non est coniunctum cum materia erodente aut destillatione, & etiam est accidens ipsius abscessus suppurati: at aliud est morbus. Præterea non omnis suppuratio est cum vlcere, sed solùm ea quæ cum eruptione est. Quæ autem in meatu vrinæ fit vlceratio, adhuc facilius sanatur: quoniam sanatio vlcerum est exiccatio, hæc autem fit ab vrina, quæ sicca natura est: & etiam propter motum & impulsum, ideo talia vlcera sponte sanantur. In vesica autē non ita, quoniam vrina ibi quiescit ac putrescit, non autem eluit locum. Si tamen vlcus illud sit ex eruptione abscessus suppurati, maior est spes sanationis, & non debent retinere diu vrinam. *16. & 17.* *Pag. 7.*

Et quoniam hîc actum est de tuberculo impediente mictum, & dolorem creante, sciendum est, quòd, vt habetur ex dictis, *80.*

vrina ſupprimitur vel propter materiam aduenientem, vt in Aphoriſmo, Si ſanguinem & grumos: aut ex tuberculo nato in meatu, vt in præſenti Aphoriſmo: aut ex frigiditate & ſiccitate, vt in libro de Affectionibus, & tertia Aphoriſmorum: aut propter vteri conſenſum, vt in ſecundo de Mulierum morbis: Et ex inflammatione inteſtini recti, vt in libro de Fiſtulis. Et fit etiam propter abſceſſum in ipſa veſica, velut ſeptima Aphoriſmorum innuit Hippocrates. Fit etiam propter vlcera & carnem, quæ excreſcit in veretro, & retentionem meiendi diuturnam, extenta adeò veſica, vt neque ſe comprimere poſſit. & etiam diſtenta parte circa imum ceruicis, vbi veſicæ annectitur, ſicut exitus non pateat. Vlcus verò quamdiu durat, impedit: ſed, vt dixi, facilè ſanatur. Caro autem tumefacta cum neque ſanies neque ſanguis effluat, intumeſcit ex flatu aut humore aquoſo, aut aucta per ſe, vt dicebat Galenus in libro de Morborum differentiis, de lingua. Eſtque hic morbus Mediolani endemius, & ciuibus noſtris familiaris. Hic modus ad tuberculum pertinet.

APHORISMVS LXXXIII.

Mictio noctu plurima facta, paruam ſignificat deiectionem.

COMMENTARIVS.

NOn inſulsè Galenus hunc Aphoriſmum & ad cognitionem & ad curationem traducit, ad cognitionem quidem, ex quatuor orationibus duas nos docet Hippocrates neceſſarias, neceſſariæ quidem ſunt, mictio noctu plurima paruam ſignificat deiectionem, & multa deiectio pari ratione paucam vrinam, vt etiam in fluxibus euenire ſolet, hæc autem omnia comparatione ad eundem hominem, eandémque victus rationem ſunt intelligenda. Duæ non neceſſariæ ſunt: mictio pauca ſignificat multam alui deiectionem: aut contra, parua alui deiectio multam vrinam. Poterit enim vtraque ſupprimi, & vrina & deiectio, vt ardente corpore in febribus: item ex ſudoribus, item in his qui ad aſcitem præparantur. Ad curationem, ſi volumus ſiccare aluum, prolicere vrinam: ſi humectare, ab illis abſtinere, & potum exhibere copioſiorem, minimè tenuem: qualia ſunt vina dulcia, craſſa, nec aſtringentia, nec odorata, nec flaua, ſed nigra.

At verò vrina ex ſui ratione potui ſimilis eſſe debet, aut paulum diſtans in quantitate, vt primo de Facultatibus naturalibus Galenus docet: atque id nobis in hyeme id conſiderantibus, nam æſtate & ob ſudorem & exhalationem fit minor, atque id eſt ſecundum naturam ſe habentibus. Cæterùm quibuſdam ineſt, vt ob imbecillitatem naturæ non poſſint tranſmutare partes frigidiores alimenti, atque in his plus iuſto vrinæ apparet: contrà verò quibuſdam ob caloris vim & acuitatem, non ſolùm quæ eſt in cibis pars diſſoluitur, ſed etiam in ipſo potu quicquid eſt tenuius aut calidius: vtque priores ad hydropem, ita hi ad hecticam ſunt parationes. Sed cur non dixit, Mictio plurima ſimpliciter: ſed adiecit, Noctu? Quoniam in die fieri poteſt vt etiam multum mingat, & mingat ob cruditatem. Cum enim cibus non concoquitur, vtrumque abundare ſolet, & vrina & egeſtio. Et ſi non abundent, ſuſpicionem morborum afferunt: vrina quidem podagræ, & egeſtio doloris colici: tantum abeſt vt in cruditatibus ex multa vrina paucam debeamus expectare egeſtionem.

Quomodo verò hæc fiant, declarandum eſt. Vbi quis aſſumpſerit cibum atque potum, clauditur in ventriculo, ſed non ita vt ſuperius nihil poſſit penetrare, vt quidam exiſtimant. Nam & à cibo ſtatim, & poſt horæ dimidium, & quandocunque quis edat cibum, aut bibat etiam, longè facilius eum deglutiet. Præterea gula ipſa, ibi ventriculo committitur, cum ſit longè anguſtior & craſſior ac durior ventriculo, non poteſt adeò conſtringi. At neque neceſſitas tanta adeſt, ne quid effluat. Pylorus autem concluditur perfectè, auxilio etiam glandularum, quæ illi imminent: aliter in multa repletione, cum ſit à dextro latere non in ſumma neque ima ventriculi parte collocatus, cibos in duodecim inteſtinum illi coniunctum effunderet. Ergo his pro ratione clauſis concoctio celebrari incipit. Iecur autem moræ impatiens & robuſtum, trahit ſi quid eſt tenue, gratum, dulceque ac dilutum, per quinque illas venas quæ ex illo ad imum ventriculi veniunt, ſugitque velut ore potum præcipuè vini flaui, dulcis & odorati (placet enim hoc iecori) vnde ſequitur ex tali ſuctione & potu reſtauratio illa repentina, quam homines ſentiunt, maximè labore delaſſati, inde cibati. Sequitur etiam in pluribus mictio ſtatim à cibo. Hoc peracto, concoquitur cibus, & priorem partem ac potiorem ſuſcipit ventriculus, vt tertio de Naturalibus facultatibus habetur, ex quo nutritur interior ventriculi tunica: poſtmodum reſeratur communiter circa nonam horam à cibo pylorus paulatim: & ſugente iecore, & pellente ventriculo trahitur chilus in duodenum inteſtinum: & quia pendulum eſt, non quieſcit: pars tamen adhærens parietibus illius, exſugitur per meſaraei venas, tandem per ieiunum ad ileon & colon traducitur, vbi quieſcit, & multis venis exſugitur. Si igitur calor iecoris ſit magnus, acris, & robuſtum iecur, exſugitur: fex quæ eſt in inteſtinis ad vltimum vſque, atque eodem vt fiat ſicca & pauca quæ relinquitur: & tunc cum ob attractionem plurimùm aquoſum in iecore ſuperabundet, excrementum vrina augetur. Fex igitur cum liquida eſt, multa eſt: & cum multa, liquida, nam pars tenuior ſemper trahitur. Vena autem iecoris, in quam confluunt meſaraei venæ, Stelechia vocatur, vt quæ eſt in gibba illius caua. Dicebat Hippocrates ſecundo Prædictionum: Egeſtiones alui in his qui laboribus exercentur, quamdiu parum ederint ac potarint, modicas & duras procedere, quotidiéque

Margin notes (left): Pag. 9. 5. / Pag. 15. 37. / Pag. 1. / Aphor. 44. / Cap. 9. / Cap. vlt.
Margin notes (right): Cap. 13. / Pag. 3.

Manuscript note (right margin): ignava Antiquitas ... partium Cermani ... suorum officium non inspexit.

tidiéque oportet, si verò tertio quoque die aut quarto aut longiore interuallo processerint, periculum est ne febre aut alui profluuio corripiantur. Quæcunque verò egestiones liquidiores sunt quàm vt in transitu conformentur, hæ sanè omnes peiores sunt. At verò his qui multum edunt, multúmque laborant, egestiones transitum mollem, oportet esse siccum, & copiam ciborum ingestorum pro ratione laboris. Procedunt autem ab æquali ciborum copia his quidem qui minimùm laborant, plurimæ egestiones: his verò qui plurimùm laborant, modicæ, si sani fuerint, & recta victus ratione vtantur, nam ad hæc coniecturam facere oportet. Liquidiores autem egestiones, & sine febribus euenientes, & quæ septima die aut citius iudicantur, commodæ sunt, si semel & vna vice omnes fiant, & non reuertantur: si verò insuper febrierint homines, aut alui profluuia redierint, si longa fuerint, penitùs mala sunt, siue biliosa fuerint, siue pituitosa, siue cruda. Et victus ratione propria singula opus habent, itémque medicamentis alia aliis. Cæterùm vrinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & semper æqualem, & quàm maximè aceruatim, & momento paulo crassiorem quàm id quod in potu acceptum fuit. Si verò fuerit aquosa & copiosior quàm pro eo quod bibi imperatum est, significat hominem aut copiosiore vti potu quàm illi præceptum sit, aut non posse renutriri quàm diu tantam vrinam faciunt. In Prognostico quoque id confirmat, vt sit pro ratione ingestorum & hora solita. *Pag.4.*

Porrò quod de egestionibus dictum est, posset dici de aliis euacuationibus: sed cum solùm hæ naturales sint, propterea de his tantùm mentionem fecit. Nam sudor si abundet, non solùm minuit naturalia excrementa, sed etiam morbum præsagit: quoniam tota substantia medius est inter naturalia excrementa, & præter naturam: reliqua autem omnia, vt saliua, mucus, sanguis hæmorrhoidarum, ad morbosam constitutionem corporis pertinent: reliqua verò ad morbum, vt sanguis per sputum eueniens, & bilis vomitus. Vt eorum quæ excernuntur à corpore nostro, sex sint ordines: naturalia prorsus, egestio & vrina, quæ quantitate mutata non ostendunt morbum: naturalia, sed determinata quantitate, vt saliua & mucus, nam hæc si exuperent, morbosam constitutionem significant. Medium inter naturale ac præter naturam sudor est, qui sine causa manifesta morbum significat: cum causa, nihil absurdum, cum omnino vapore prodeat è corpore, absque eo quod sentiatur. At quædam sunt præter naturam, & morbosa ex se, non tamen morbum indicantia: vt hæmorrhoides, & sanguis narium, & vomitus consuetus. Quædam sunt naturalia excrementa, vel partes, quæ morbum significant, quia vnde non oportet excernuntur: vt bilis flaua per vomitum, & sanguis per sputum. Quædam omnino præter naturam, vt bilis aut pituita corrupta. In naturalibus igitur abundantia vnius nil aliud significat, quàm defectum alterius: naturalia autem media causam præter naturam, si abundauerint, non morbum. Quæ autem præter naturam, sed exonerantia corpus, vt hæmorrhoides, causam morbi, non morbum: quæ autem naturalia pauca cum abundauerint, incipientem morbum, non autem grauem significant, reliqua duo morbum iam factum. Hæc autem diligenter consideranda sunt.



LIBER QVINTVS.

In quintam Aphorismorum Hippocratis particulam.

APHORISMVS I.

Conuulsio ex helleboro, letalis est.

COMMENTARIVS.



QVomodo fiat conuulsio, & quot sint illius genera, tum verò in quo à resolutione differat, de causis quoque eius, superius dictum est. Hìc verò Hippocrates, & in sex sequentibus, prædicere nos docet ex conuulsionis causis: aut his etiam morbis qui cum conuulsione coniuncti sunt, velut singultus atque comitialis. Nihil autem refert, seu morbum seu symptoma appellaueris. Hunc verò Aphorismum si cum eo coniunxeris, qui dicit: Carnes sanas habentibus helleborus periculosus: concludes, sanis helleborum vitæ periculum afferre. De helleboro illi albo (inquam) sermo est. Vnde si quis ad purgantia per aluum sermonem extendat non aliter quæstionem instituet, quàm si de asini volatu disputet. Oportet autem meminisse diligenter de his quæ in duobus allegatis Aphorismis dicta sunt à nobis, ne aut necessarium quicquam prætermittere cogamur, aut frustra dicta repetere. Cum enim quinque sint conuulsionis species: tres propriæ, à siccitate, plenitudine, frigore: aliæ ob consensum, dum euacuantur musculi, atque vellicantur:

Lib.2. Aphor.16. *4.Aph.16.*

vellicantur: vellicantur autem præcipuè ab humore erodente, qualis est æruginosus: qui quandoque ita efflorescit, vt mera ærugo videatur: hic humor acutus & erodens pungit vellicatque neruos, vnde conuulsio fit.

Aliud meminisse oportet, quòd ad os ventriculi duo nerui veniunt, qui sextum par efficiunt ex cerebro, quibus in toto corpore nulli sũt maiores: atq; hi soporariis arteriis in collo vtrinq; iunguntur, & in pulmone, cor, iecur, lienem, renes, ac omnia viscera deriuantur: quibus ligatis vox intercipitur, vt in libro de Dissectione neruorum à Galeno habetur. Horum igitur læsione nihil mirum totum corpus offendi, atque grauiter: tum præcipuè, quòd hi soli in ore ventriculi fermè detecti sunt, vt sensum famis atque sitis excitare possent. Quomodo autem conuulsis his magna pars corporis, & quandoque totum conuellatur, Galenus declarabat exemplo arboris, cuius si ramum conuellas, tota planta etiam inflectitur vi, atque distrahitur. Fit ergo hæc conuulsio ab humore acuto vellicante, quandoque medicamento trahente humores lentos & hærentes, infractosque. Verùm hoc genus conuulsionis, quod ob consensum fit, videtur prætermisisse Hippocrates in Aphorismis, quoniam raro mortem adducat. Causa igitur mortis in conuulsione ex helleboro, est vis maxima naturæ illata: non ipsa conuulsio, quæ persæpe, vt dixi, ex solo consensu fit. In conuulsione enim spontanea materia sensim ad neruorum principia, inde in ipsos neruos deriuatur: at in ea quæ fit ex helleboro, oportet totum corpus agitari, ac maximam vim inferri. Videmus autem in omnibus morbis, eos esse periculosiores qui fiunt à causa externa, præsertim manente. Est etiam alia ratio: nam causa conuulsionis adhuc manet in conuulsione, quæ ex helleboro fit, (non enim tam citò helleborus expellitur) neque aliquid est quod helleborum propellat, vbi iam conuulsio cœperit natura symptomate præterita & afflicta. Ita vomitus & dolor & febris, quæ fiunt à veneno, nisi venenum euomatur illo vomitu, mortem afferre solent. Generalis est ergo sententia, morbi magni qui fiunt sumpto medicamento aut veneno, letales sunt: quoniam vim maiorem naturæ afferunt, & morbi & causæ ratione: & quia non facilè finiuntur, cum causa ipsa in corpore maneat.

Cap. 10.

3. de Locis, pag. 6.

Intelligit autem conuulsionem ex helleboro, eam quæ fit non vi morbi, sed solùm hellebori assumptione facta eadem die. Hoc autem ab Hippocrate experimento deprehensum est: quia eo tempore familiaris erat hæc medicina, vt nunc agaricus: rarissimeque contigisse credendum est, ex hellebori assumptione conuulsum potuisse sanari. Quamobrem Hippocratis sententiæ verissimæ sunt, ac minus longè fallaces quàm Galeni, qui multa sola edoctus ratione scripsit, quæ ratio persæpe fallax est: sicut & hìc, cum causam quòd conuulsio hæc letalis sit, assignare nititur. Nos verò nondum vidimus hanc conuulsionem, quoniam vsus albi veratri exoleuit: nec medicamentum id adeò est formidabile in nostris regionibus, vt in Græcia. Conuulsio autem quæ ex helleboro fit, qualis sit, dictum est in quarto libro. Liquet enim quod neque ex siccitate neque ex vacuitate fiat, sed repletione partim, partim vellicatione neruorum, vt genere ipso: letalis alioquin non esset. Aphor. 16.

APHORISMVS II.

Conuulsio ex vulnere, letalis est.

COMMENTARIVS.

Constat hoc, vt & præcedens, experimento ipso: sed & hoc experimentum frequens admodum est, cum plerique qui ex vulnere moriuntur, aut ex fluxu sanguinis, aut ex conuulsione moriantur. Est autem fluxus sanguinis, mortis magis causa quàm signum: sicut contraria ratione resolutio magis in vulneribus, in quibus neruus non est præcisus, magis signum quàm causa: conuulsio verò tam signum quàm causa, & est fermè æqualiter. Nam & resoluuntur ægri membris, in vulneribus maximè capitis: atque id letale est signum, si, vt dixi, non præciso neruo fiat, nam sic eam sequi necesse est. De quo autem conuulsionis genere loquatur Hippocrates, palàm est, quod tam de propria conuulsione, quàm etiam distentione loquitur. Eques enim Principis Istonij, cum esset vulneratus satis leuiter in digito medio sinistræ manus, in septima correptus est distentione vtrinque: & quamuis esset valde iuuenis, in vndecima mortuus est. Antonius verò Pussianus ex vulnere capitis iuxta suturam coronalem correptus est conuulsione vera, & à die conuulsionis quinque superuixit diebus. Constat igitur, Hippocratem in hoc quàm præcedenti Aphorismo de vtroque conuulsionis genere, id est tam de exquisita conuulsione, quàm etiam distentione, loqui. Quamuis conuulsio in helleboro sit magis familiaris, distentio in vulneribus: & plerunque ambo genera, si quis diligenter animaduertat, in vnum commiscentur, nam & distentio conuulsionem inducit, & conuulsio distentionem: cum sæuissima fuerit, plerunque terminatur. Diximus etiam, resolutionem letale esse in vulneribus signum, maximè capitis.

Et quamuis generaliter verum sit, conuulsionem & distentionem, & resolutionem, quæ fit non ex nerui præcisione, letalem esse plerunque (hoc enim & in hoc & in præcedenti, vt aliàs diximus, intelligitur) nihilominus omnia hæc longè letaliora sunt, cum ad capitis vulnera sequuntur. Atque his hæc familiaria, sicut in vulneribus pectoris, tabe mori: & in vulneribus magnorum musculorũ, in quibus præciditur magna pars carnea, sanguinis fluxu. Causa autem cur conuulsio ex vulnere sit letalis, partim dicta est in præcedenti, quoniam scilicet violenta sit, simulque afficiat: partim à Galeno adducitur, scilicet phlegmonis generatio: partim aliundè

ſumenda, cum ex punctura quoſdam intra horam expiraſſe viderimus, ante ſcilicet quàm phlegmone generari potuerit nobis, igitur perſuaſum eſt, ex dolore vehementi cerebrum quandoque diuelli, atque ita ſtatim interire, neque eques ille, cuius ſuprà meminimus, ob phlegmonem mortuus eſt, cum febris abeſſet: aut tam exigua fuerit, vt phlegmonem adeſſe non ſignificaret.

Rectè mihi videtur animaduertiſſe Fuchſius dictionem τραύματι, vt τρώματι legi poſſit, quod omnem noxam grauem exterius illatam ſignificat, vt contuſionem, vulnus, percuſſionem, nam in omnibus his conuulſio, non in ſolis vulneribus, letalis eſt.

Quærunt quidam, an etiam in vlceribus conuulſio letalis ſit? dicimúſque non eſſe letalem magis quam communem, ſi vlcera ſponte nata ſint, nam conuulſiones ſponte natas, non ſponte natas, Hippocrates non appellat letales: quia multi ſeruantur, etiam ſi plures pereant quàm ſeruentur. Sunt autem ſponte natæ, quæ in vomitibus ſpontaneis, quæ in choleris, & quæ abſque cauſa alia manifeſta fiunt. Sponte autem aduenientium duæ ſunt letales, ſuccedens ſanguinis fluxui, vt in ſuccedenti Aphoriſmo, & febribus, de *Lib. 2. Aphor. 26.* quibus aliàs loquutus eſt. Earum quæ fiunt ab externa noxa, tres ſunt ſpecies, & omnes letales: ab helleboro, à percuſſione, & quæ ob timorem fit, maximè in infantibus, cuius Hippocrates hic non meminit: non tamen omnino hæc adeò letalis eſt, niſi magnus præfuerit timor: ſoletque hæc eſſe vera conuulſio, non autem diſtentio.

Sed vt ad rem redeam, non æqualiter fit conuulſio in vulneribus, aut ex illis, ſed cum punctim infertur maximè. Cum enim, vt ha- *Cap. 92.* betur à Galeno in Arte medica, neruus aut tendo, aut pars aliqua valde ſenſibilis pungitur, cerebrum offenditur tum ſenſu partis maximo, tum conſenſu continuitatis, ob idque conuulſio conſurgit: non ita facilè ex vulneribus, etſi neruus etiam præcidatur, multo tamen minus quàm ex punctura. Ideo etiam in vulneribus ſi ſanguis non effluat, aut cutis ad locum ſuum redeat, non ſunt citra periculum vitæ: & etiamſi ante tempus conſolidentur. Iuuat ergo dilatatio vulneris, & in conſolidando procraſtinatio: nec ſtatim ad conſolidationem deuenire, & fouere etiam illa calidis medicamentis. Chirurgici verò apponunt ſemper album oui, & acetum, medicamenta frigida, vitantes ſanguinis immoderatum defluxum, & in maius periculum incidunt.

Cæterùm illud docere expedit, cur in vulneribus quandoque conuellatur pars eadem, aut reſoluatur, quandoque autem oppoſita. Memini me vidiſſe virum ſtrenuum, qui in monomachia effoſſo oculo ſiniſtro, conuulſus & reſolutus eſt in parte dextra, & ob virium robur & diligentiam medicorum euaſit, ſuperuixitque multis annis impotens eo latere. Dico ergo, quòd offenſa quandoque ex vna parte trahit ad ſe ſanguinem ad partem illam, & reliqua remanet ſine ſanguine & calore naturali, & ideo fit paralyſis in parte illa quæ ſana eſt, hocque rarius contingit. Alius modus eſt, vt materia ad vtrunque latus ſimul concurrat ad cerebrum in vulneribus capitis, ſed fluente per vulnus multo ſanguine latus vulneris à phlegmone liberũ remanet, reliquum inflammatur: & ob id cõuellitur aut reſoluitur quod illæſum erat, & hoc frequentius euenit. Modus tertius eſt, vt ex percuſſione in vno latere affligatur aliud, non illud quod vulneratur, quia cedit: ſicut quandoque videmus etiam de ſanie in vulnere capitis, quæ inuenitur ſub oſſe capitis, & non in directo vulneris: & hoc etiam, etſi rarò contingat, attamen ex omnibus cauſis accidit, vt frequenter pars ſana conuellatur, aut diſtendatur, aut reſoluatur, & non vulnerata. Et ſcias, quòd in vulneribus reſolutio plerunque ſociam habet conuulſionem, quia offenſa eſt magna, & quæ prouenit ex phlegmone, aut magno impetu motus materiæ.

In percuſſionibus autem ob cauſas dictas & conuulſio & reſolutio ſunt magis letales, aut ſaltem inſanabiles, quàm in vulneribus: & quæ fiunt ex luxatione vertebrarum dorſi, penitùs ſunt inſanabiles, vt etiam dicebat Princeps. Quæ verò ex attritione neruorum, *2. 3. c. 1. in* cum ſint neceſſariæ, minus ſunt periculoſæ, *fine.* ſed euentus earum diſpoſitionum eſt iuxta magnitudidem læſionis. Et reſolutio ſenibus, ac tremor, ſunt magis familiares, & conuulſio pueris, & diſtentio iuuenibus, nam in infantibus ac pueris humor tenuis qui in ipſis neruis eſt, facilè inflatum vertitur & reſoluitur: in iuuenibus verò neque facile vertitur, neq; facilè reſoluitur: in ſenibus non vertitur, ſed ſua craſſitie impedit: propterea, vt dixi, talia pro ætatibus accidunt. In cura verò vulnerum ob hæc, ſi vehemens ictus fuerit, multuſque defluxerit ſanguis, veliſque ſanguinem mittere, ſemper ex aduerſo latere mittes: quoniam, vt diximus, ex illo conuulſionis imminet periculum. Si autem vulnus abſque contuſione fuerit, exiguuſque fluxerit ſanguis, ex eodem latere: ſi autem magnum, nec fluxerit ſanguis, ex vtroque. Si verò ſanguis multus fluxerit, ictus verò leuis, hac ratione ſanguis mittendus non eſt.

APHORISMVS III.

VBi ſanguis multus fluxerit, ſingultus aut conuulſio ſuperueniens, malum.

COMMENTARIVS.

NOn letalem conuulſionem appellauit, quæ ex hoc accidit, neque ſingultum, ſed malum. Galenus autem putat Hippocratem temerè pronunciaſſe malũ pro letali: quia ipſe conſueſſet multa ſcribendo confundere pleraque, ac ſæpè vnum, ſæpe aliud in cauſa dicere, non ſic Hippocrates, ſed omnia penſitatè protulit. Cur autem, dicam. Neque ſolum hoc indiſcuſſum reliquit, ſed cur ſingultum conuulſioni copulauerit: nec dixit quomodo ex hac ſanguinis effuſione in horum alterum deueniatur. Recitat Braſauolus, ponderaſſe ſanguinem, qui fluxit ex ſiniſtra nare Principis Dianæ Eſtenſis: qui cum effuſo per terram libras viginti duas æquauit, & tamen quamuis

ægre,

ægrè,seruata est. Igitur conuulsio fit non solum,vt credit Galenus, ob repletionem vel inanitionem,vel etiam abscessum,sed ex insultu bilis flauæ effrenis sanguine euacuato, & tunc non multum periculosa est:sin autem ex inanitione, letalis est, vt igitur vtranque comprehenderet, dixit malum, non letale. Sed & ex hoc apparet,cur dixerit singultum: tam singultus enim quàm conuulsio fiunt ex offensione neruorum primigenia, id est facta
6.Aph.37. ex cerebro,vt infrà videbitur.Sed & ibi demonstrabimus, cur conuulsionem singultui
Pag.14. copulet.Scribitur hic Aphorismus in Coacis
Pag.1. prædictionibus ad vnguem.Porrò de singultu
Pag.3. ait in primo Prædictionum, quòd vocis interceptiones, & in Coacis prædictionibus, delyrium si iungantur, lethalia sunt.

APHORISMVS IV.

EX superflua purgatione,conuulsio aut singultus superueniens, malum.

COMMENTARIVS.

7.Par.39. Est id dubitatione dignum,cum infrà dicat: Si senioribus suprà modum purgatis singultus superuenerit,non bonum: quomodo hìc adijcit malum generaliter?nam quæ mediocria sunt in alijs, lethalia in senibus esse deberent. Constat igitur non magnum esse malum singultum,quandoque cum ob materiam biliosam ad os ventriculi attractam contigerit.Ob id in his duobus Aphorismis comparat duo similia,sed proprium morbum generali mitiorem esse nos vult intelligere. Nec enim credere oportet conuulsionem, & multo minus singultum ex inanitione esse, similem ei qui ex siccitate accidit, nec æquè pernisiosum: multo verò minus illum qui ex acrium homorum morsu contingit.

APHORISMVS V.

SI ebrius quispiam repente obmutuerit,conuulsus moritur,nisi febre corripiatur:aut vbi ad horam peruenerit,qua soluuntur crapulæ,vocem recuperauit.

COMMENTARIVS.

VInum,cum copia sua replere neruos soleat, ob id quòd ardentem continens aquam ad cerebrum rapitur, atque inde demittitur, conuulsionem excitat ex ea repletione. Sed antea occupato cerebro tum vi mentis,tum neruis qui ad linguam deferuntur, impeditis obmutescunt Si igitur febris superueniens, aut calor ipse naturalis, non vini ipsius(is enim nimirum obrutus est)humido humorem discutiat, antequam cerebrum conuellatur,& à neruis ob repletionem contrahatur, bene actum erit: aliter homo perit,magis quam ex alia conuulsione: quoniam cum hac & cerebrum repletum est corrupto humore,& illum discutere non valet ob multitudinē, quo fit, vt tales in sphacelon quoddam cerebri deueniant. Quamobrem fieri non potuit,vt plenè hæc sententia à Galeno explicaretur,qui verè naturam vini non nouit:neq; enim vllum aliud calidorū & humidorum potuum aut cibariorum id efficere potest,præterquā vinum, & quæ ardentem aquam continent. Memini enim me bibisse apud pontificem Scotum Hibernicam ardentem aquam, ex zetho extractam:id ergo zethum & inebriare potest, & mutos ac stupidos facere:non lac aut simile aliquid,vel decoctum ex pipere copioso, tametsi multò calidius sit.Sed neque illud satis aptè declarat, quomodo vinum repleat neruos,non illos replet, nisi postquam ad cerebrum delatum fuerit,ob id primum delyrant, cum parum ebrij sunt, vt tertia particula Problematum Aristoteles refert: inde victi Probl.2.
vino,alij dormiunt,quod minus malum est: alij vigilant, quod mediocre:alij stupent, quod est maximum. Defertur autem ad cerebrum bifariam: & per gulam ac palatum ascendentibus vaporibus, vnde quidam solo odore inebriantur:& per venas,vt antea dixi. Indicio autem est, quod cerebrum maximè Par.4.
læditur, tremor, de quo Aristoteles ibidem Aph.vlt.
loquitur,& balbuties & delyrium. Vnde pue- Probl.5.
ri,& qui conuulsionem passi sunt, & cerebro imbecilles,ab eo magis confliciantur:& qui non sunt vino assueti, facilius, non tamen magis læduntur. Quibusdam contingūt hilaritates: aliis tristitiæ, timores, lachrimæ,ira, vertigo, cuius etiam meminit Aristoteles. Probl.5.
Proprium est autem vini, facere furibundos. Est enim vinum ab initio calidum, postea cū resoluta fuerit pars illa ignea, symptomata frigiditatis agit, cuius etiam causam Aristoteles declarauit. At idem docet extenuatos maximè perire, quoniam naturalis color Probl.22.
obruatur. Multique sic conualescentes ex magnis morbis obière,nam hi verè extenuati sunt & corpore & viribus. Neque id animaduertunt medici, quoniam non videntur ebrij:sed tamen ob imbellicitatem non secus ac ebrij morte corripiuntur. Id verò magis contingit,non solum quod omnia sint imbecilla,sed quod à membris ob inanitatem auidius vinum rapiatur. Quamobrem periculosissimum est in illis qui vigilia laborarunt, exsiccatum enim his cerebrum affatim sugit. Cur verò vertiginem patiantur,causa est, quòd vapor ille circūrotatur in opticis neruis, & effigiem refert imaginis rei quæ vertatur. Inebriantur autem homines à vino magis diluto quàm meraco,vt Aristoteles testatur: idque indicium est manifestum, non Probl.3.14.
ob caliditatem, vt Galenus vult,sed tenuitatem,vinum noxium esse. Porrò stuporis indicium est futuri vertigo,vt Philosophus re- Probl.10.
fert,qui vertiginem graue ebriorum symptoma esse dicit. Videt autem & res geminatas, aut etiam plures,vt ille refert.& rectè causam docet:multis enim modis res videtur, quod autem sic videtur, plura existimatur, velut etiam in speculis plurium superficierum & vitreis aut crystallinis prismatibus.

Pag. 8. Hippocrates secundo de Morbis sic declarat Aphorismum: Si qui ex ebrietate voce priuetur, & statim sanè ipsum febris corripiat, sans fit: si verò non corripuerit, die tertia moritur. Si itaque in sic affectum incideris, multa calida lauato, & spongias calida aqua madefactas capiti apponito, & cepas decorticatas in nares indito. Siquidem sic apertis oculis loquatur, & ad se redeat, nec deliret, hac die sopore pressus iacet, postridie sanus exurget: Si verò exurgens bilem vomuerit, insanit & moritur, maximè in quinque diebus, si non dormierit. Huic igitur hæc facere oportet, multa calida lauato, donec ad se redeat: deinde copioso oleo mollibus in stragulis repone, ac contege cum silentio, & in tenebris. vtplurimum enim ex balneo dormit: & si dormiet, sanus euadet. Postquam autem redierit, primis tribus aut quatuor diebus milium tenue aut ptisanæ succum sorbeat, & vinum mellis speciem referens bibat. Deinde cibis vtatur mollissimis, ac paucis primùm. Et rursus in tertio libro: Pag. 3. Quum à capite dolor acutus statim vocem intercipit, tum aliàs, tum si ex ebrietate hoc contingat: qui sic afficitur, in septima moritur, minus tamen moriuntur, qui ex ebrietate tale aliquid perpessi sunt, & voce priuati permanserunt. Nam si eadem die aut postera aut tertia vocem edant, sani euadunt: faciunt autem aliqui hoc ex ebrietate, & neutri moriuntur. His validas sternutationes excitare cõuenit, & clysterem bilem ducentem, & ipsum validum inijcere. Quòd si sensum æger receperit, Thapsiæ succum in multa aqua calida dato, quo quàm citissimè reuomat. Postea attenuato, & à cibo abstineto vsque ad septem dies. Detrahendus est & à lingua sanguis, si venam comprehendere possit. Atque hæc cura communis vtrique causæ, & validior, illa propria.

APHORISMVS VI.

QVicunque à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt si verò hos effugerint, sani fiunt.

COMMENTARIVS.

GAlenus suo more rem hanc transit sicco pede, inquit enim: Cum sit morbus peracutus, natura non potest illum vltra quartum diem ferre, quare necesse est vt iudicetur & sanetur. Quid hoc est magis in hoc morbo quàm in alio? & si tulit vsq; ad quartum diem, cur modò causam illius morbi necesse est cedere, tũ maximè afflictis viribus? Dicamus ergo primũ cum illo, quòd distẽtio est morbus cõpositus ex emprosthotono & opisthotono: in quo corpus videtur esse trabs, adeò rigidum manet, & immobile prorsus, quo ad totũ & partes, solũ pectus ægrè mouetur. Afferamus modò demonstrationem dicti Hippocratis, cum morbus sit adeò violentus, in tertia occidit, aut quarta, iuxta primum circuitum paris vel imparis, si ergo euaserit quartam diem, signum est quòd morbus est remissus, aliter non tolerasset: sed si remissus est, non potest recidere, quia morbi violentissimi omnem conatum efficiunt, si igitur natura tulit eò vsque, & morbus est remissus, nec potest redire, ergo euadet. Et ita vides, quòd est ratio sumpta à signo, & non à causa. Circa quod nota vnam regulam valde necessariam in cogitatione reditus morborum, quòd morbi, scilicet quanto longiores natura, tanto obnoxij magis recidiuæ: quanto acutiores, eo minus.

Hippocrates in Coacis prædictionibus hæc habet: Pag. 15. In distentionibus antè & retrò venientibus, & in dorsum solum, si maxillæ soluantur, letale est, letalis etiam est sudor in distentione dorsi, & corpus dissolui, & in eadem affectione remouere per nares, aut clamare aut, nugari si ab initio vox intercepta fuit in posteram enim diem mortem significat. Febriles in dorsum distentiones, vrinę genituræ similes soluunt.

Porrò quod ad continuationem attinet, clarum est, Hippocratem perpetuo sermone ab initio ad hunc vsque Aphorismum egisse de conuulsione & distentione, morboque conuulsioni obnoxio, scilicet ebriorum stupore: quomodo verò conuulsio distentioni proxima sit, in sequenti Particula ostendam: at cõuulsioni comitialis proximus, est de quo mox agetur.

APHORISMVS VII.

QVibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem; mutationem accipiunt: quibuscunque vigesimo quinto, commoriuntur.

COMMENTARIVS.

MEminisse oportet eorum quæ in secunda particula dixit: Aphor. 4. Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis liberantur. Constat iuuenes ibi intelligi ante vigesimumquintum annum, vt dixi, maximeque mutatione ætatis liberari, non solùm ad vigesimumquintum vsque annum, sed vltra. Vnde demonstratio constat in hoc: Comitialis morbus, qui fit ante vigesimumquintum annum, fit ab humido, si fit à natura: (hoc enim præsupponit Hippocrates) sed cerebrum perpetuò exsiccatur ergo cæteris rectè procedentibus sanabitur tandem. Vnde non, vt Galenus, præcidere oportet spem in vigesimo quinto anno, sed vsque ad extremum vitæ spes sanationis extenditur At si sponte inuadat, post vigesimumquintũ annum, ab humidi abundantia prodire non potest: igitur ex ætate nulla est spes sanationis. Sed nec aliter, cum sit naturalis: naturales enim morbi non nisi naturaliter sanari possunt, exceptis his quæ ad repositiones & numerum & formam pertinent. Et generaliter quæ manuum auxilium exigunt: aliqua enim ex his sanari possunt, vt Hippocrates Pag. 31. aut libro de Articulis. Nam aliquæ (inquit) ex his luxationibus, quæ a natiuitate fiunt, si parum elapsæ fuerint, ad naturalem

statum

ftatum reduci possunt. Et maxime articuli circa pedem. Quicunque mutili fiunt à natiuitate, ex his plerique curari possunt, si non valde magna emotio facta fuerit, aut etiam præauctis iam pueris contigerit. Itaque potius quærere oportet causam, cur morbus comitialis post vigesimumquintum annum naturaliter exoriri possit: quandoquidem de fortuito morbo, & qui ex errore contigerit, hic Hippocrates non loquatur. Nec est vt nos Galenum persequamur, quemadmodum ille facit Erasistratum, maximè autem Asclepiadem, palàm enim est, quot modis hic iniustè accuset Hippocratem. Sed iam explicemus quid Hippocrates hic dicat. Si comitialis morbus sponte ante vigesimũquintum inuadat, antè quam ad vigesimumquintum annum mutationem accipit, scilicet qua sanatur, aut minuitur, & leuior fit. Si autem, cum prius non fuerit, in vigesimumquintum iam attingentibus annũ sponte incidat, toto vitæ, tempore perseuerabit: qui ergo mentem habet videt quantum hoc à Galeni sententia discrepat. Primùm, non dicit quòd cessent, vt ille: sed mutationem accipiunt, id est cessant, aut minuuntur. Secundum, non dicit, quòd si vltra vigesimumquintum annum procedant, quòd sint insanabiles: (absit) sed, si post illud tempus inchoauerint. Tertium, quòd præsupponit, non omnes sanari, nisi victu vtantur bono, id absurdè adiectum fuisset ab Hippocrate: quandoquidem constet, etiam si non adsit, ex mala victus ratione aduenire posse: quanto magis si adsit, non curari? Quartum, quod dicit, post vigesimumquintum, etiamsi adueniat, curari posse. Si ex mala victus ratione: extra Aphorismum, loquitur enim de sponte eueniente. Si de comitiali sponte eueniente, aberrat toto cœlo: est enim prorsus insanabilis, vt dixi. Quintum, quòd frustra reprehendit. Hippocratem, quod non dixerit, vigesimoquinto anno, aut vltra. Stultè sanè: nam non nescit, in maiore contineri minorem numerum. Et ego cum sexagenarius sim, annos habeo etiam quindecim.

Illud tamen benè animaduersum ab illo, pubertatem ad vnguem finiri ad vigesimũquintum annum: eousque enim corpus cum robore siccatur. Ipse verò cum hanc quæstionem attigisset, primo in sextum Epidemiorum, declarat, quod eousque corpus & cerebrum fit calidius ac siccius. Ex quo cessat quæstio, cur hanc sanationem vltra non distulerit Hippocrates, cum etiam vltra vigesimumquintum annum, & vsque ad mortem siccetur: nam etsi perpetuo siccetur, non tamen caliditas augetur. Dixit autem, se narrasse, quomodo caliditas augeatur ad iuuentutem vsque in libris de Temperamentis: sed hoc non dixit vnquam, quòd iuuenis sit calidior seipso puero, imò dicit oppositum, quod non est. Et si dicas, quòd dicit calorem esse magis mordacem: hoc attinet ad siccitatem, ergo ad huc sumus in vado & impliciti. Et si dicas, quòd calor tunc est maximus, quia integer vt in puero cum maxima siccitate, hoc non est verum: quoniam trigesimo anno calor ad sensum est idem, & siccitas maior. Igitur hæc mutatio & morbi imminutio poterit vsque ad trigesimum annum differri. Duo

Com. 5.

igitur supersunt declaranda. Primum, quomodo iuuenis sit calidior puero, omisso somnio, quòd tetigerit puerum & iuuenum eundem, & inuenerit æqualem in vtrisque ætatibus caliditatem. Quis, si ego talia dicerem, me non exibilaret? memoriam retinuit quantitatis exquisitæ caloris decem annis? Deinde quo tempore? corpora enim calidiora sunt æstate quam hyeme exterius: & annus anno, & dies die, propter siderum status varietatem. Deinde calor manus Galeni erat vnus? an & hoc memoria tenebat? Quòd si nõ: calidiora apparet manibus frigidis, frigidiora calidis. Sed iam nimis de his. Dico ergo, iuuenem esse calidiorem iuxta caliditatis vim ac gradum, quæ puerum; nam & plus generat de bile, & motus habet validiores, & mentem perspicaciorem: Et semen fœcundum generat, & rarius ægrotat, & melius dura concoquit: æqualiter autem mollia, etiam ipso iudice Galeno: & morbis diutius resistit, & aërem appetit frigidiorem, & calidiorem absque dubio exspirat. Et vrinas habet coloratiores & excrementa, & regio morbo magis corripitur: & denique ad tactum, reclamante quantumis Galeno, & turpiter in hoc mẽtiente, vt antiquis contradiceret, manifestè nec paruo interuallo calidior est, non dicam, ne in meos casses incidam, eundem iuuenem eidem puero comparatum: sed si capias viginti iuuenes, & totidem pueros, vix è viginti iuuenibus vnum frigidiorem pueris inuenies, certè puerorum nullum calidiorem omnibus iuuenibus. Omissa igitur dubitatione de re solum quærere causam huius oportet: quandoquidem Princeps singularem contra nos rationem adducat: inquit enim. Non superuenit puero ad iuuentutem tendenti, & rectè viuenti causa, quæ illius calorem, quod ad vim attinet, & essentiam augere aut minuere possit: igitur permanebit æqualis: Dico quòd calor sese accendit vt flamma, nam motu augetur motus autem in adultis validiores sunt & cordis & arteriarũ: quocirca sicut est incrementum in corpore, in animi viribus vsque ad certam metam, ita etiam in calore: causa autem est motus liberior. Finge folles duos, vnum impeditum, alium liberum & maiorem: impedito autem coneris flammam accendere crebris insufflationibus, ignis minor erit, ac minus vret: at ex libero folle splendidior flamma & ardentior micabit. Nesciebat Galenus (hoc audacter dicere possum, quandoquidem huius inuenti auctor ego sum) quomodo calor agat, & quid sit. Constat in motu, vt frigus in quiete. Et quamuis later ferreus ignitus quiescere videatur, mouetur tamen validis motibus clanculum. Cum ergo in iuuene liberius moueatur tum ob motus validiores, tum ob spacium latius, tum ob substantiæ tenuitatem: maior erit calor iuuenis, quàm pueri. Non latet, nos tutatos fuisse Galeni sententiam in primo contradicentium, quia defendi potest, sed non verba eius simpliciter.

3. de causis Symp. c. 3.

p. 1 Doc. 3. Cap. 3.

Cont. 15.

Causa verò, cur sponte iuuenibus aut senibus hic morbus aduenire soleat, ab Hippocrate libro de Sacro morbo assignatur, ex tribus enim principiis, venarum cauitate, raritate cerebri & defluxione, morbi comitiales

Pag. 7.

les creantur. Dicit, Et si defluxio fiat, non potest superare sanguinem calidum ac multu. Quoties ergo cerebrum rarum valde fuerit & calidum, poterit successu ætatis adeò (crescente caliditate) repleri cerebrum, vt fiat morbus comitialis, & hic erit insanabilis: non tamen solet occidere, vt ibidem docet Hippocrates, propter venarum amplitudinem, nisi cum homo valde consenuerit. *Pag. 6.*

APHORISMVS VIII.

QVicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur.

COMMENTARIVS.

QVantus stupor sit horum, qui exponunt, non est vt dicam, ad hanc enim fermè diem vix potui scire, quid sit hoc concoqui in morbo laterali: etenim dicunt medici, saniem expui, & effectus ipse id ostendit, atque substantia rei, pus enim expuunt. Hippocrates autem dicit, quòd suppurant, si non repurgantur in quatuordecim diebus: quasi nolit, quod prius expuitur, esse pus. Hæc quæ ad artem, quæ ad textum, quæ quotidie videntur, & maximè necessaria sunt, omittunt: quæ autem procul posita sunt, longius repetunt, & quæ etiam scire parum refert. Sed neque in hoc neque in alio huic congruenti verbum facit Galenus de huiusmodi re, tanquam cæcus esset prorsus: aut difficultatem rei, quod magis credo subterfugerit. Verùm ad suos criticos dies refugit, quos quàm rectè fecisset, si omisisset, contentus his quæ Hippocrates de illis antè tradiderat? Quoniam verò nihil tale in externis abscessibus apparet, Galenus rem hanc prorsus reliquit intactam. Et forsan bono, nam fieri potuit, vt nos à labore excusaret: fieri etiam potuit, vt duplicaret. Interiores ergo abscessus quinque habent fines: resolutionem occultam, suppurationem resudantem, suppurationem perfectam, transmutationem & conuersionem in scirrhum, quæ rarò accidit in morbo laterali ob loci caliditatem. Ex resudatione nemo liberatur, nisi materia fuerit tenuis, virtus valida, & membrana laxa, nam tum suppurat abscessus, & absque ruptura membranæ æger liberatur qui modus est optimus post primum Extià non est tantus calor, qui hoc possit facere. Per suppurationem ergo intelligit abscessum, in saniem conuersum, cùm prius non sit facta suppuratio: quia non tota materia simul in saniem vertitur, sed paulatim vertitur, & paulatim expuitur. Quatuordecim autem dies in exputione non tamen ab initio morbi intelligere oportet, vt bene exponunt: Brasauolus ac Fuchsius. Anaxion enim tertio Epidemiorum in decimaseptima cœpit expuere, & liberatus est in trigesimaquarta, vt fuerint tum ab initio sputi dies decemocto: sed à vigesima ad vigesimamseptimam non spuebat materiam morbi, ideo vndecim tantum diebus purgatus est. Videamus demonstrationem: Cum materia in quatuordecim diebus non repurgatur, & semper adest putredo, necesse est totum abscessum simul suppurare: at tamen non potest expui, cum vix rupta membrana eiici possit, quanto minus per illam penetrare.

Aphor. 15. *3. Lang. vlt. ordinis.*

Continuare præcedenti, quoniam agit de stato tempore sanationis: velut & illud quod in sequenti Aphorismo docetur, sed is ad morbum pertinet, & in alio similiter. Sicut præcedens artificiosè interpositus sit, cum & terminum proponat, & de conuulsione loquatur.

APHHRISMVS IX.

TAbes fiunt maximè ætatibus, à decimooctauo ad trigesimumquintum.

COMMENTARIVS.

SVprà inquit: Adolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes. Ibi suo more, vt hic Galenus, reprehendit frustra Hippocratem. Diximus ibi, quòd est morbus secundum naturam, & non causa malæ victus rationis. Dixit autem Ætatibus: nam à decimooctauo ad vigesimumquintum est ætas adolescentiæ, vt visum est superius: & ab eo ad trigesimumquintum iuuentutis. Par est ergo nos duo intelligere, siquidem in hoc Aphorismo certum numerum præfinitum, vt dixi, de duobus antecedentibus & sequente, & sunt anni decem & septem, qui etiam numero iudicialium continentur: & priores septem esse periculosiores, vt non sit repetitus, sed per hunc illum per illum rursus hunc intelligas. Diximus & de his suprà, dicemusque paulo pòst.

Pag. 3. Aphor. 19. *Com. 7.* *4. Par. 1. Ab 11. ad 14.*

APHORISMVS X.

QVicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si verò hos effugerint, suppurantur.

COMMENTARIVS.

SEquutus sum conuersionem Leoniceni: quandoquidem non sim nescius, suppurari non esse Latinum. Veniant modò Choraules isti, & Galenum tueantur, qui in tot difficultatibus, & adeò præclaris, ne verbum quidem attigit. Prima est igitur, cur dixerit, Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur: quare hoc est necessarium nonne possunt simpliciter liberari? Respondeo, quòd non, quia dixit in Prognostico: Anginæ horrendissimæ sunt, & citissimè occidunt, quæ neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt, neque in ceruice: verùm plurimum dolorem exhibent, & erecta ceruice spirationem inducunt, hæ enim eodem

Pag. 9.

eodem die suffocant, secundò etiam, tertio & quarto: quæ verò alioqui similiter dolorem exhibent, attolluntur autem, & in faucibus rubores faciunt: perniciosæ quidem valde sunt, verùm prioribus valde magis diuturnæ, si rubor fuerit magnus. Quibuscunque verò fauces & ceruix simul rubuerint, hæ anginæ diuturniores sunt, & ex ipsis maximè euadunt: si & ceruix & pectus ruborem habuerit, & erysipelas ignis sacri non intrò recurrerit: si verò neque in diebus iudicatoriis iudicetur erysipelas, neque tuberculum ad externam partem conuertatur, neque pus tussiendo reiiciat, facileque ac sine dolore degere videatur, mortem significat, aut ruboris recidiuam. Securius tamen est, tumorem & ruborem quàm maximè foras verti. Si verò ad pulmonem vertatur, & delyrium inducit, & quidam ex ipsis suppurati plerumque fiunt.

Aphor.8. Quid per suppuratos intelligat, iam superius dixi, scilicet concoctum abscessum. Cum ergo morbus sit letalissimus, & inducias non det ad coctionem, necesse est vt si seruari debet, vt transmutetur ad locum latiorem, & minus periculosum, nam neque coctionē expectare potest, nec sine coctionē bene iudicari: relinquitur igitur, vt si materia benignior aliquanto sit, & paucior, & vires robustæ, vt extrudatur ad locum minus periculosum, sed cum de vera angina loquatur, non est spes vt ad colli partem feratur, vt in Aphorismo illo: Ab angina habito si tumor fiat in collo, bonum. Illud enim verum est in leuibus anginis: & plerunque post aliam quandam transmutationem in pectore fit hæc transmutatio ad exteriores partes, si angina sit sæua. Quamobrem cum morbus sit difficillimus, in valde periculosum etiam transit: siquidem fit erysipelas, aut peripneumonia. Si erysipelas, intra septem dies pereunt, vt Hippocrates tertio de Morbis: Interficit, inquit, in quarta, vel ad summum in septima. Si ergo euaserit (nam ex hoc euadere non licet, qui letalissimus sit, & alteri etiam deteriori succedat) necesse est materiam esse mitiorem, & fieri peripneumoniam. At cum vires sint imbecilles ob morbi magnitudinem & longitudinem (nam septem dies ab initio secundi morbi superauit, & materia praua est) non est spes vt in aliis peripneumoniis, vt materia expuatur per resudationem pulsa: quamobrem tota putrescit, natura non potente regere illam: vbi autem tota conputruerit, necesse vt disrumpatur purmonis substantia cum tunica. Sed quomodo ex faucibus in pulmones transferri potest, cum pulmo non habeat venas, nisi quæ ex corde? Dico, transit per arteriam asperam inter tunicam & cartilagines, consensu illo communi, de quo dicebat Hippocrates, quod totum nostrum corpus transpirabile est, & in vnum consentit: trahente caliditate pulmonis vehemente, natura pellente ob periculum, & materia descendente motu naturali libenter ad inferiora, cum grauis sit. Vides quàm sicco pede tantas hi viri egregij transierint difficultates.

Margin notes: 6.Aphor.35. (beside "fiat in collo"); Cap.7. (beside "terficit, inquit"); De Alimento, pag.2. (beside "totum nostrum corpus")

APHORISMVS XI.

QVi tabe molestantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum, graue olet, & capilli è capite defluunt, letale.

COMMENTARIVS.

QVia suppurationes in tabem plerunque transeunt, vt infrà videbitur, si non repurgentur, propterea de tabidis hic subiungit, cum de suppuratione egisset in præcedenti: & etiam quòd communis sit hîc Aphorismus ipsis supuratis, & nondum tabificis, vt in Prognostico: Et pus pallidum siue viride, & liuidum aut pituitosum, & spumosum. Et pòst paulo: Euadunt autem quorum pus album, & non fœtidum: quibus autem subcruentum & cœnosum, hi pereunt. Et secundo de Morbis: Si pus sectis defluat instar lutei oui, aut crassum cum virore, subpallidum, fœtens, moriuntur, vbi pus effluxerit. Aphor.15. Pag.7. Pag.16.

Hic porrò multa sunt consideranda, & negliguntur tamen omnia ab expositoribus. Declarabo autem ego hanc rationem, quia in facto fui, proximus scilicet tabi, quamuis non essem tabidus. Primum ergo dicit, Iniectum super carbones. Brasauolus vult, vt in vitreo vase superponatur, & probo vtrunque modum, diutius enim fumus durat. Dixit autem hoc Hippocrates, quoniam nisi ignibus admoueatur, paucum pus sub multa pituita latêre potest. Deinde cur dixit, In tabidis? quia fieri potest, vt in ruptura abscessus in basilari osse hoc accidat, vnde etiam sanguinem profluere vidi citra periculum, & non moriatur. Rursus, cur adiecit, Et capilli à capite defluant? nam corruptio puris sufficere debet ad mortem prædicendam, quandoquidem sufficit etiam in suppuratis, in quibus educitur pus, & nullum est vlcus? Respondeo, quod datur pituita saniosa, quæ non solum super carbores, sed etiam per se fœtet: vt in meipso vidi, & eram consumptus, & tamen euasi. Propter hoc igitur oportet adesse casum capillorum: ille enim casus fit, vt bene Galenus docet in Commento, partim ob defectum alimenti siccata cute, & laxatis osculis, in quibus capilli complantati sunt: aut corruptis humoribus, & vapores prauos exhalantibus, vt radices capillorum erodant: vnde etiam in quibusdam pruritus innascitur. Quæret etiam quispiam: Si omne pus olet, cur adiecit, Vt graue oleat? Respondet Hippocrates secundo de Morbis, quod significat computruisse pus circa cor. Et etiam, quia non possumus cognoscere quòd sit, nisi hac via certè. Sed quia quidam ex Græcis dant alias notas, vtpote quòd pus in aqua descendat, licet hoc malè sit intellectum (nam crudus humor etiam descendit) ideo dicendum, quòd pus spargitur in aqua statim, non autem pituita quia est magis lenta: & post sparsum fuerit, statim descendit. Dicet Hippocrates, quòd Pag.16.

Nn 4 istud

istud signum fœtoris est certum & proprium: quia licet conuenire videatur crudæ pituitæ corruptæ, tamen est alterum genus tetri odoris in pure, cum sit pars carnis corruptæ, quàm in humore crudo. Ex hoc demum concluditur, quod aliàs dixi, non existimare Hippocratem, omnem phthisim esse insanabilem, & maximè si secentur & vrantur: & etiam sine sectione, vt in secundo de Morbis. Cur verò, dices, adiecit profluuium capillorum pro signo præcedente, cum in secundo de Morbis velut sufficere sputum malè olens; dicitque quòd signum illud per se letale est, indicio quòd sequitur profluuium capillorum? Respondeo, quòd in suppuratis ob saniei multitudinem sufficit fœtor, non autem in tabidis: quia, vt dixi, aliunde pus corruptum, quàm ex pectore vel pulmone prodire posset: propterea etiam addita est ea particula, quòd extussiunt. *Pag. 17.*

APHORISMVS XII.

QVibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, iis alui profluuio superueniente, moriuntur.

COMMENTARIVS.

MOdum quo id accidat, scripsit ipse Hippocrates primo de Morbis, dicens: Cum pus ipsum in ventre moram traxerit, totum corpus ab ipso calescit, tum maximè vicinissimæ partes: calescente autem corpore humidum maximè eliquatur, & quod quidem à supernis partibus eliquatur, in supernum ventriculum præcipuè confluit, fitque pus, ad hoc quod iam in ipso est. Pars verò eius etiam in infernum ventriculum defertur, & quandoque aluus ab ipsa turbatur, & hominem perimit, nam cibi ingesti succedunt inconcocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit. Et sputi sursum purgatio non æqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorsum trahēte in seipsam. Et à sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur: à ventre verò fluente debilitatur, & plerunque perimitur. Paulò pòst subiicit: Cum igitur caput fluere cœperit, & reliquum corpus colliquari, non amplius æqualiter, ne vsti quidem euadunt. Superant enim supra pus influentia mala, ea quæ defluunt: & carnes magis à malis liquescunt, quàm nutriantur ab ingestis. Et rursus in secundo: Huic si iam è capite capilli defluant, & nudum sit caput, velut ex morbo: & si prunis inspuenti saliua graueolens sit, intra breue tempus moriturum ipsum pronuncia: id verò quod occidet, alui profluuium fore. Nil mirum de hoc superesse videtur, nec me posse quicquam adiicere ad dicta persuadeo, nam de continuatione adeò manifesta est, vt vnus cum priore videatur Aphorismus legentibus sic: Qui tabe molestantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum graue olet, & capilli è capite defluunt, letale est, nam alui profluuio superueniente moriuntur. Quocirca demiror Galenum & expositores laborare in hoc, vt doceant Hippocratem loqui de morti vicinis, cum hoc expressè ille in textu ipso dicat. *Pag. 7.* *Pag. 16.*

APHORISMVS XIII.

QVicunque sanguinem spumosum expuunt, iis è pulmone eductio fit,

COMMENTARIVS.

CVm docuisset, tabidos quibus modis possent dignosci, & qualis eorum exitus, intendit docere quonam pacto tabidi euadant, siquidem ex vlcere pulmonis: vt autem illud dignoscamus, Ex sputo sanguinis, inquit, spumosi. Nam si tabidus verè esse debet, oportet vt vlcus pulmonis præsit, nam ex vlcere pectoris non fiunt verè tabidi, sed omnes fermè curari possunt: Et si non curentur ad multos annos, tamen vita illorum protrahitur: at vlcus præcedit vulnus, & vulnus consequitur sanguinis exitus: & sanguis è pulmone exiens, spumosus est, & sputo eiicitur, non aliter. Veri ergo tabidi, etiamsi non deprehendatur, sanguinem aliquando expuunt: latet autem propter exiguitatem, & non animaduertentibus, & præsertim noctu, & inter alias sputi partes latitat. Et cum celer fuerit transitus in saniem, vt in tenerioribus corporibus. Quibus verò tabes fit sine vlcere, sed cum sphacelo pulmonis, vt Galenus narrat quarto de Locis affectis, hi non sub hoc comprehenduntur, quia morbus ille qui illis tribus accidit, endemius est, non autem ex sporadibus. Nec Hippocrates negat tabidos non posse fieri absque sanguinis sputo: sed bene dicit, A sanguinis sputo, puris sputum: à puris sputo, phthisis & mors sequitur. *Cap. 1.* *7. Aph. 15. & 16.*

Cæterùm ne hoc quidem exponunt rectè, quare necessarium sit sanguinem spumosum è pulmone venire, cum spumosa sit saliua, quæ non in pulmone, sed glandulis sub lingua generatur. Diximus autem de spuma suprà, nunc verò quantum sit ad propositum, constat enim pulmonem nutriri ex sanguine ab arteria venali, à corde deducto, sexto de Vsu partium. Qui igitur ex ea parte prodit sanguis, spumosus necessariò est: at si ex pectore educatur, spumam quidem admistam habere poterit, at substantia non erit spumosus, vt etiam qui è capite in asperam arteriam (quod non raro accidit) fluit, deinde ex illa per tussim reiicitur. At dices, Nonne arteria vel in capide vel in pectore frangi poterit? certè sic: sed duo obstant, quo minus fallere possit. Hoc signum primum, quòd cæteræ arteriæ vix disrumpi possint ob crassitudinem, nam Galenus ibidem ex Herophyli sententia docet, arteriam venæ sexcuplam esse in tunicarum crassicie, vnde magno miraculo esset arteriam frangi aut erodi, quin prius proxima illi vena frangeretur aut eroderetur. Aliud maius est, quod cum *Lib. 1. Aphor. 41.* *Cap. 10.*

spiritus

7. de Vsu. Par. c. 8. spiritus ex aspera arteria in arteriam venalem delatus in cor ingrediatur, solus sanguis arteriæ venalis est manifestè spumosus, non cæterarum arteriarum, solùm candidior. Quare si spumosus substantia sit, sed non nisi ex arteria venali, quæ in pulmone est, eiici potest. Quamobrem dictum Hippocratis verissimum est, & clarum. Opus est autem in dignoscendo multa exercitatione, plerique enim scientes ratione, tamen sensu ipso falluntur.

APHORISMVS XIV.

A tabe habito, profluuium alui superueniens, letale.

COMMENTARIVS.

Aphor. 11. DVbitare posset quispiam, cum iam superius dixerit, letale non solum esse, sed quòd statim moriuntur: hîc & repetierit, & quod iam dictum est, imminuerit, minus enim, & multo est, letale esse, quam tum mori, seu statim. Propterea rectè exponitur à Galeno, quod modò iam diu tabe laborauerit, hoc enim per verbum illud Habito intelligi debet: licet neque sputum malè valde oleat, nec capilli decidant, letale tamen esse etsi non statim: ab initio tamen morbi letale non est hoc signum, natura se exonerante per crisim quandam. At iam debilitato ægro per diuturnam tabem, spes non est vt per crisim fit hæc expulsio, sed lassatis nutritionis membris. Quocirca in hoc fluxu neque leuatur æger, nec cessat, vt in profluuio, quod ab initio morbi contingit. Nonnunquam enim in suppuratis sanationem affert, præsertim cum non vera fuerit suppuratio, sed destillatio tenuioris pituitæ collecta in cauitate pectoris, ac putrefacta. Meta autem initij non est tempus, sed virium robur, & corpus adhuc succosum. Ostendit Hippocrates id in primo de Morbis. Pag. 7. in princ.

APHORISMVS XV.

QVicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus, à qua fit ruptio, repurgentur, liberantur: si verò non, ad tabem transeunt.

COMMENTARIVS.

QVòd hic Aphorismus præcedentibus continuetur & ratione materiæ, de qua tractat, scilicet tabis, vt in præcedenti, & ratione dictorum de morbo laterali superius: Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur: & ratione numeri constituti in omni genere morborum, quorum exemplum non solùm in eo attulit, sed pluribus aliis, vt dictum est, manifestius est quàm vt à me declarari postulet. Expositio autem Galeni somnio similis est, cum nos ad libros de diebus Indicatoriis remittat totos primum legendos: quos non scripsisse, illius gloriæ præstitisset, in quibus maximè sibi placuit, deinde, quid ad rhombum, dici solet, numerus ille cum causa phthisis. Certè in febribus circuitu stellarum, aut abditis naturæ causis materiam moueri, iudicia fieri, & experimentum frequēs docet, & ratio aliqua naturalis illuscescere posset: at pulmonem exedi in eo temporis spacio, putrescere saniem rursus, quæ iam putredo quædam est in tot diebus: neque rationem hic, nec ibi affert, & mirabile dictu. Et tandem plus nihil dicit, quàm quòd Hippocrates docuit, scilicet ita contingere: & modò quòd scriberet, quid scriberet non cogitabat, nam dicit, verbum illud Ruptio significare ruptam suppurationem in morbo laterali. At hoc dixerat, cum protulit priora verba, Morbo laterali suppurantur. Subtilius Brasauolus docet, adiecisse, A qua fit ruptio: vt intelligeremus non ab initio morbi, quod est vnum: nec sputi, quod est plerunq; aliud, à morbi initio: semper autem suppurationis sed à suppurationis die numerādos esse quadraginta dies. At suppurationis signa quædam antè, quædam iam facta sunt. Audi igitur Hippocratē in Prognostico: Cæterùm Pag. 7. omnes suppuratos ex his signis cognoscere oportet. Primum quidem, si febris non dimittit, sed per diem quidem tenuis est, noctu verò amplior: & sudores multi oboriuntur, tussésque, ac tussiendi promptitudo ipsis adest, & nihil memoratu dignum expuunt, & oculi caui fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt, & vngues quidem manuum curuantur: digiti verò calescunt, & potissimum summi, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & pustulæ per corpus nascuntur. Inde loci affectus hæc subiicit signa: Si verò suppuratio fuerit in altero latere solum, vertere & considerare oportet in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum altero sit calidius: & ægro in latus sanum reclinato, interrogare ipsum, an videatur ipsi graue quid ex superno latere incumbere? Si enim hoc fuerit, in eo latere est suppuratio, in quo grauitas percipitur. Sed quòd diuerso tempore rumpantur, docet: at verò aliæ suppurationes rumpuntur plurimæ quidem vigesimo die, aliæ verò trigesimo, aliæ quadragesimo, aliquæ verò ad sexaginta dies perueniunt. Considerare verò suppurationis principium oportet, supputatione facta à die qua primum homo febricitauit, aut si fortè ipsum primum rigor apprehendit: etsi pro dolore grauitatem sibi factam esse dixerit in eo loco, in quo dolebat. Hæc enim in principiis suppurationum fiūt. Ex his igitur initiis suppurationem iuxta tempora prædicta futuram expectare oportet. Quando verò breui vel tardè, sic definit. Si quidem dolor & spirandi difficultas ab initio adsint, & tussis & sputatio perseuerans ad vigesimum diem pertingat, eruptionem tunc expectare oportet, aut etiam prius: si verò quietior fuerit dolor, & alia omnia pro huius ratione, eruptio posterius expectanda est. Necesse verò est accedere & dolorem, & spirandi

ſpirandi difficultatem, & ſputationē ante puris eruptionem. Factæ autem eruptionis non meminit, quanquam Galenus malè exponendo ſuperiora illa verba: Cæterùm omnes ſuppuratos etiam, de rupta ſuppuratione velit intelligere: credo hoc argumento, quòd ille de ea ibidem non faceret mentionem. Sed cum dicat: Et nihil memoratu dignum expuunt: hic verò velit in quadraginta diebus poſſe expurgari, imò ipſe Galenus referat decem heminas nonnunquam eiectum pus ſuppuratorum collectum ſuperare, quinto de Locis: neſcio quomodo fieri poſſit, vt Hippocrates de ſuppuratis iam ruptis intelligatur. Cum ibi hoc generale ſit ſignum, nihil effatu dignum expuere. Et etiam quia vbi ruptus eſt abſceſſus, huiuſmodi ſignum apponit, ſecundo de Morbis: Hunc vbi decimuſquintus ab eruptione dies adeſt, multa calida lotum in ſella firma collocato: & alius quidem manus ipſius teneat, tu verò humerum concutito, vt audias vtrum in latus affectio ſtrepitum edat: optandum autem eſt, vt in ſiniſtrum, quæ eadem fermè in tertio etiam referuntur. Duo igitur cum ſint ſigna præcipua ruptæ ſuppurationis, ſputum & ſonitus: qui fieri poteſt, vt alterius non meminerit, alterius contrarium pro ſigno attulerit, ſcilicet non ſpuere?

Cap. 5. Pag. 16. Pag. 9.

Habes igitur ſigna rupti abſceſſus ſeu ſuppurationis, quæ non tanquam propria, ſed communia conſequuntur etiam illa, quæ ſunt ſuppurationis nondum ruptæ, at quædam alia in eodem tertio libro deſcripta, velut frequentia anhelitus & pedum tumor, nec me latet, fieri poſſe, vt ibi docet Hippocrates, nimium repleto pectore quandoque nihil ſpui, nullum ſonitum audiri in pectore. Sed tamen fieri non poteſt vnquam, vt nihil expui, & nullum ſonitum audiri, ſigna ſint rupti abſceſſus.

Reliquum eſt autem vt videamus, quonam pacto in quadraginta diebus, ſi non ſpuant, in tabem tranſeant, nam & hoc in dubium Galenus cum ſuis diebus creticis reuocat, dicens: Niſi vtplurimùm in quadraginta diebus: τὸ πλεῖστον ἐν τεσσαράκονθ' ἡμέραις. Itaquè non putat hoc generale. Neque veriſimile eſt, tam diu pulmonem perſiſtere, ne corrumpatur, ſi tangitur à pure: ſi non tangitur, neque in totidem diebus. Hoc igitur eſt indicium, quòd ſi in quadraginta diebus liberantur, non eſſe vitiatum pulmonem: ſi non liberantur in tot diebus, vitium aliquod adeſſe in viſcere, aut fluxionem in tanto etiam tempore veriſimile eſt vel acrem factam ſaniem, aut craſſam aut crudam, adeò vt in naturæ arbitrio non ſit, ideóque vitiare membra ipſa reſpirationis.

Pag. 10.

APHORISMVS XVI.

CAlidum, vbi quis ſæpius eo vtatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluit ſanguinis, animi defectiones, ad quæ mors.

COMMENTARIVS.

DE calidi immoderato vſu, non quidem ſolum temperati & tepidi, ſed qualiſcunque qui cum voluptate fit, velut hyeme, cum nobis indulgentes iuſto plus etiam, ac prope dolorem vſque lectos calefacimus, & corpora noſtra iuxta ignem. Nec malè Galenus quarto de Simplicibus medicamentis hic inducitur. Inquit enim: Calida temperata, grata amicáque ſunt, funditur enim quod in corporibus noſtris concretum fuerat, quo maximè pathemate voluptas maximè in animantibus conſtat. At ſi moram etiam trahant, ſenſim quoque & ipſa moleſta euadunt, ad tantam enim fuſionis immoderantiam recidunt, vt ſubſtantiam noſtram diſcutiant, diſſoluant atque diſperdant. Verùm tum quidem ſine mordicatione infeſtant, & animi deliquium afferunt, vireſque deiiciunt, vt mors quoque tandem ſequatur. Sumptum autem eſt hoc totum ex vno aut duobus dictis Hippocratis, libro de Carnibus: Calidum diffundit, in multo verò etiam tempore exſiccat. Et ſecundo de Diæta: Quæ corpus calefaciunt, & alimentum non præbent, carnem humido euacuant: etiamſi non exceſſum faciant, corpus tamen refrigerant. Ergo non difficilis hæc eſt ratio, calidum cum aperiat poros, educit etiam ſpiritum, & immodicam facit perſpirationem ex arteriis: & contrà trahit humorem, qui in continenti adeſt, vt dupliciter laxet carnem & neruos, vocat autem effœminationem, etiam laxitatem neruorum, vt ibi crurium effœminationem, vt Galenus non perfectè reddiderit cauſam huius incontinentiæ: eò fit, vt calefacta corpora inde frigido aëri & humido expoſita, ſtatim laſſitudinem ſentiant, vt etiam tertio de Tuenda ſanitate Galenus docet. Mentis autem torporem duplici cauſa, cerebri vi, vt reliquarum partium, diſſoluta. Aperit & oſcula maiorum venarum, vt facilè profluuia ſanguinis eueniant: & in deliquium etiam animi multi tranſeunt, ſumptum hoc eſt ex experimento eorum, quæ accidunt pluribus qui in caldariis ſe lauant. Sic enim vocari debet ſecunda pars adeò æſtuoſa balnei, quandoquidem mediocri & temperata careant noſtra ætate. Partim igitur ſuffocatione, partim calore, multi in animi deliquium incidunt. Et ego anguſto in caldario Londini in Anglia penè peremptus ſum, iens in Scotiam: dum ego illorum conſuetudinem, illi rationem huius vſus parum callerent. An verò velit, animi defectiones ſequi profluuia ſanguinis, vt Galenus exponit? certè non. Et rectè Braſauolus illum arguit. Primùm, quòd ſolam mortem facit conſequentem reliqua, non vnum ex alio deducit. Deinde, quòd non ſolent hi tepores excitare tantam ſanguinis effuſionem, vt homines animo ob id deſtituantur. Verùm ſubiicit: Ad quæ mors. Hic nota reconditum ſenſum Hippocratis: ſicut ſi hæc omnia contingant, & valida ſint, mortem repentinam inducere ſolent: ita ſi hæc frequenter adueniant, tandem interficient hominem, & breuiorem efficient vitam. Voluit

Cap. 1. Pag. 1. Pag. 11. 6. Epidem. Part. 1. Cap. 10.

luit ergo nos intelligere, quòd suauitas hæc & effœminatio, vsúsque mollis eneruat hominem interim, demum etiam breuiorem efficit vitam. Valeant ergo Germani cum suis caldariis, in quibus si bene animaduertis, fit iactura trium optimarum rerum: roboris corporis, perspicacitatis mentis, ac promptitudinis animi (vtrunque enim intelligi potest) & temporis vitæ à nobis constituta à Deo, γνώμης νάρκωσιν, νάρκωσις, idem quod νάρκη, dissolutio: & pertinet ad opera corporis, scilicet hebetudinem & animi languorem: & stupor, ad mentis propria opera. Videtur autem ex causis assignatis vtrunque significare:

APHORISMVS XVII.

Frigidum autem conuulsiones distentiones, liuores, rigores febriles.

COMMENTARIVS.

Verbum (autem) declarat, quòd hic Aphorismus eodem modo sit intelligendus, quemadmodum & præcedens, hoc modo scilicet: Frigidum vbi quis immoderatè, seu plusquam oportet (hoc enim per dictionem πλεονάκις interpretandum est, vt sit commune ad nimiam frequentiam & magnitudinem) generat conuulsionem & distentionem, & reliqua quæ in Aphorismo.
6. Aph. 37. Discrimen conuulsionis à distentione tam sæpe retulimus, & infrà dicturos sumus polliciti, vt repetere superuacuum sit. Galenus solito more, vult suo modo scribendum fuisse sic: Frigidum autem rigores facientes conuulsiones, distentiones, liuores atque febres. Vides modò, qui tam es addictus Galeno, si ille vir Hippocratis tempore fuisset, quàm illum acriter fuisset damnaturus, qui vix ex decem Aphorismis vnum velit rectè scriptum esse ab Hippocrate. Sed & illud grauius, quod velit: hos omnes Aphorismos de calido & frigido tractantes, de aqua intelligendos censet, quandoquidem generalem contineant doctrinam: & aëri non minus quàm aquæ, imò magis, quod aërem perpetuò hauriamus, congruat. Quomodo verò rigores excitet, ab Hippocrate facilè colligitur, primo de Morbis Et quomodo ad rigores febris necessariò sequatur, si ex huiusmodi causa fiant: diximus & aliàs, locúmque illum adduxisse in præcedenti particula me memini, de Liuoribus. Melius est nigrities conscribere, quod in Græco habeatur eius dictionis loco μελασμὸς, at liuores appellantur πελιώματα: has nigrities excitat frigidum dum extinguit, vt in libro de Humidorum vsu. Distentiones quoque dum rigent, quod in transitu Alpium sæpius contingit viatoribus. Oporteret enim qui vellet huius Aphorismi experimentum videre, ibi in caupona aliqua per hyemem commorari, nam frigore congelati nerui redduntur immobiles, atque tēduntur: estq; distentionis genus quoddā diuersum ab aliis, quæ aliis etiam ex causis sunt excitata. At conuulsiones fiunt refrigerato cerebro, quemadmodum & comitiales, vt in libro de Sacro morbo, vbi de Aquilonaribus ventis agit. Itaque capita infantium frigori exponere, periculosum est. Tametsi ergo frigidum immoderatum conuulsiones pariat in infantibus, id maximè facere consueuit, atque dum caput afficitur. Manifestum est autem, quòd de frigido, quod sentitur, intelligit.

Pag. 11. (margin: at "primo de Morbis")
Pag. vlt. (margin: at "vt in libro de Humidorum vsu")
Pag 8. (margin: at "vt in libro de Sacro morbo")

Cæterùm vt cum omnia conueniant, reliquum est vt videamus, quomodo hi Aphorismi prioribus cohæreant, nam de his duobus inter se, & vsque ad illum, Aqua quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuissima est: 28. haud obscura est continuatio, cum perpetuò agat de operibus calidi & frigidi. Videtur autem mihi manifesta continuatio etiam ad præcedentes, cum dixerit: Quicunque ex Aphor. 15. morbo laterali suppurantur, suppurationem autem ex calore fieri, docturus sit infrà, caloris vires pertractare aggreditur. Aph. 22. Duplex autem est huius argumentum, præter rei ipsius euidentiam. Vnum, quòd (postquam de calido & frigido agere cœpit) vndecim perpetuos subiungit in eadem materia Aphorismos. Alterum, quod Aphorismum illum, Quicunque ex morbo laterali suppurantur, in interliminio, quod sæpius dixi, constituit Aphorismorum eorum, in quibus agit de morbis pectoris & pulmonis, & calidi frigidique. Liquet autem, quòd abscessus & suppurationes pectoris non possunt cum calido aut frigido conuenire, nisi vt calidum suppurationes iuuat, frigidum verò prohibet. Hæcque causa fuit, cur non hunc, scilicet, Quicunque ex morbo laterali suppurant: subiecit statim illi, Quicunque morbo laterali laborantes, cui maximè congruere videbatur: vt non solùm non obiter ordo hic Aphorismorum sit institutus, sed admirabilem rationem in se contineat. Cum igitur generaliter damna calidi & frigidi enarrasset, in sequenti Aphorismo specialiter membra recenset, quibus frigidum est inimicum, aitque:

APHORISMVS XVIII.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò, vtile.

COMMENTARIVS.

Qvicunque hunc Aphorismum legerit, nostrumque de Aqua & æthere librum tum eiusdem Hippocratis libellum de Humidorum vsu, statim & orationem eius tanquam falsam coarguet, & ipsum Hippocratem obliuionis, namque aquam frigidam tot locis salutarem esse dixit & ossibus & neruis, & experientia ipsa cerebro vtilem esse declarat. Sed nullibi maior lapsus (ne forsan quisquam vanitatis ac contradicendi studij me arguat) quàm in dentium salute conseruanda, in quibus plures dum studiosos se Hippocratis ostendunt decepti, calidisque cibis

cibis ac potibus vtentes, primùm quidem dolores, deinde cariem excitarunt : ob quæ mala dentes sponte cecidere ante tempus, vel eruere coacti sunt. Atque id iure, nam calida fluxiones mouent, ac robur dissoluunt. Vnde illud in libro de Aqua & æthere ex Q. Sereno : quanquam præter morem nostrum, repetere liceat :

Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha,
Dentibus vt firmum possis seruare vigorem.

Itaque & Galenus & alij expositores, qui in quæstiunculis minutis persequendis adeò seduli sunt, in hac tanta re oscitanter se gerunt, breuissimè Aphorismum & absque distinctione vlla exponentes, tanquam quod falsissimum est, verissimum esse nos credere velint.

An igitur senex noster errauit? minimè, absit hoc ab auribus nostris, menteque nostra. Quid igitur? longiores facis procàtheses ipsis commentationibus : Fateor, non aliud possum, nam non de verbulo, vt Grammatici solent, longas facio Iliadas : sed de hominum salute actio est, atque querela. Quidam de frigidæ aquæ vsu interpretantur. At ego vitium agnosco, cum generalem sententiam speciatim exponunt, solutionem dubitationis non intelligo. Adiiciunt, de eximio frigore hæc, non de mediocri esse dicta. Tanquam non magis multo à vehementi calore, quàm frigore: ac celerius hæ partes, tamen omnes aliæ offendantur. Si quis non credat, prunas & glaciem seu simul seu seorsum experiatur. Ideo tamen probandi sunt, quod ipsa veritate inducti, cum viderent hæc membra, atque alia omnia à calore magis lædi quàm à frigore, summam vim frigoris calumniantur, quæ si caloris summæ vi non conferatur, rationem habebit, sed absurdum atque delyrum faciet Hippocratem: ob id ad causam inquirendam se conferunt, atque ex causa ipsa ad demonstrandum, quòd hæc ita se habeant. Dicunt enim ex libro de Semine: Os, arteria, vena, membrana è semine fabricantur: adde etiam cerebrum. Solæ carnosæ partes è sanguine genitæ, vt primo de Natura humana habetur. Ob id ergo exanguia omnia, ideóque frigida, par est vt à frigido lædantur : velut in animalibus, quæ si sanguine carent, omnia sub hyeme aut moriuntur: aut si robustiora sint, latent. Quot in his dictis, cum partim etiam Galeni sint, dubitationes emergant, non dico. Primùm apud Aristotelem id dubium est, an hæc membra ob id sint frigidiora, quòd ex semine generentur, cum velit vniuersa generari ex sanguine: apud Galenum etiam, qui semen calidius sanguine esse existimat, est enim magis concoctum, & spiritu copiosiore præditum, & vt principium generationis in corpore. Aristoteles etiam sanguinem sua sponte non esse calidum, sed solum ob motum affirmat. Sed his omissis, cor nonne calidum sua sponte est? & tamen è semine, si quid aliud, potius quàm è sanguine constat. Neque rursus id statim affirmandum, si frigidum sit membrum & exangue, à frigido lædi par est. Quid enim frigidius, aut magis oculo exangue? quid verò à frigida aqua magis iuuatur? An

Lib. 1. c. 8. & 11.

Com. 27.

2. de partibus Animal. c. 3.

neganda sunt prorsus experimenta in hominum perniciem, vt falsæ subscribamus autoritati? Sed non falsa est autoritas: aliud intelligit Hippocrates. Dices, ex sequenti Aphorismo se declarat, cum dixit: Quæcunque refrigerata sunt, excalefacere oportet: exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. De frigido palàm est, iuxta sensum illum loqui. Verùm melius, opinor, de frigido potestate erit Hippocratem interpretari. Quæ enim frigida sunt, hoc modo nocent omnibus exanguibus membris, cerebro, ossibus, oculis, auribus, neruis, membranis: calida autem vtilia sunt. Destituta enim hæc membra, vbi primùm frigidam vim alterci aut opij, aut mandragoræ vel solani, aut lactucæ, aut endiuiæ sentiunt, ita torpent omnibus viribus, vt læsa statim appareant: non sic iecur, cor, carnésque. At ab actu frigidis, præter solam aurem, nihil offendi didici, nisi refrigeratio calori vehementi succedat (tunc enim dentes confringere potest) aut omnino immodica sit, ac diuturna. Certum est enim canes & equos ob id dentibus vsque ad senectutem firmis vti solere, quamuis durissimos cibos edant, quòd à calidis cibis abstineant. Et quicunque oculos, cerebrum, à fluxionibus, ac dentes, vsque ad extremam senectam immunes seruare voluerit, ab omnibus prorsus calidis perpetuo abstinebit. A frigido etenim membra quæ exanguia vocantur, coguntur, consolidantur, roborantur : calidum cum soluat compaginem, & calorem naturalem exhalare faciat, quamnam vtilitatem præstare poterit?

At dices, in prioribus duobus Aphorismis palàm est, Hipocratem de calido ac frigido, provt sensu percipiuntur, loqui. Fateor, ob id in repetitionem potius incidisset, si de illis denuò sermonem habuisset. Et ne quis voluntariam hanc expositionem putet, addam in eam sententiam ex Galeno tertio κατὰ γένη, interpretationem, vbi de medicamentis vulnerum neruorum loquens, hæc habet: Rursus apud me contemplatus, frigidum verè ab Hippocrate neruis inimicum dici, optimum fore neruorum vulneribus medicamentum intellexi, quod & siccaret, & inter calidum esset ac frigidum, vel non multum à medio ad calorem recederet: calidum verò esse satis posse etiam, modo siccandi potestate polleat. Hæc Galenus, vbi animaduertendum, illum verè calidum dicere, quod potestate tale esset, non autem actu. Neque tamen prohibeo, propter ea quæ antedicta sunt, vt etiam in detectis membris frigidum arceamus: non ob illorum naturam sanguinis inopem, sed ob vulnus ipsum, quod à frigore, vt expositum est prius, mordetur. Hanc autoritatem cum Brasauolus citet, non tamen animaduertit quantum ponderis haberet: sed sensum illius peruertit.

Cap. in initio.

Cur verò dentes hic non sub ossium communi nomine comprehenderit, non aliam suspicari causam oportet, quàm quòd in dentibus hoc videbatur obscurius, quod facilius licet experiri. Quicunque os colluunt omphacio vel lacte, vel punica mala mandunt, egregiè dentes lædunt : at si acri aceto aut

suluo

fuluo vino, iuuant, oportet autem frigida adhibere, ob quæ etiam ardens aqua in doloribus persæpè vtilissima est. Cum verò calida ac frigida, licet non ex æquo, dentibus sint noxia: nihil tamen nocentius, quàm si post calidiora, frigidissima deuorentur. Velut contigit Ioanni Casanato, medico Hispano, patri Guglielmi amici nostri, qui cum omnino sine dentibus esset, interroganti mihi causam, respondit: Potus frigidiores post calidos cibos id efficere potuerunt. Hanc voluptatem multi tam magno incommodo compensare solent. Cum enim vtrunque noxium sit, alternatis vtrisque multiplicatur iactura, hoc enim à nobis in Physicis demonstratum est.

Verùm ex hoc etiam ratio curandi neruos, maximè ex punctione læsos, habetur quam Galenus in sexto Artis curandi docet: Cap. 2. scilicet non calida, sed calidissima adhibet, trebentinam, sulphur, euphorbium, quibus nulla est inuenire calidiora medicamenta. Sic & cerebrum, lacryma elemi, atque huiusmodi. At nostri medici ferro, oui candido, aceto, aliisque medicamentis frigidioribus curantes, in capite vulneratos perimunt. Eadem noxa euidens est in dorsi medulla, cui si frigida potestate applicueris, in resolutionis periculum induces, certè ægrum lædes. Quid igitur est quòd dubites, an de actu, an de potestate medicamentorum frigidorum locutus sit Hippocrates: quandoquidem videas ab omnibus medicamentis frigidis lædi plurimum has partes, à calidis iuuari? At de his quæ talia actu sunt, non idem contingit, plurimi enim à frigidis refugiente intus calore iuuantur, quoniam cogitur: à calidis autem, eo dissoluto læduntur. De oculis verò alia ratio est, nam cum humores contineant, à calidis potestate læduntur: non quia exangues, sed quia humidi ac tenuis substantiæ. Sed nil ad Aphorismum, quandoquidem non id quæratur hîc, an calida potestate iuuent, sed an frigida actu noceant: quod nos negamus voluisse Hippocratem, ac verius etiam est in oculis, quàm etiam in aliis connumeratis ab illo partibus. Verùm id nos ad quæstionem sequentem explicandam excitat, scilicet, cur dixerit, Calidum verò vtile? Nam vt dixerat, πολέμιον, id est inimicum: subiungere ex aduerso debuerat, οἰκεῖον: aut ἄρθμιος, quamuis refragante persona, sic φίλος: at nihil horum, sed ὠφέλιμον, id est vtile, vt duobus duarum differentiarum assumptis terminis omnes intelligeremus, quasi diceret: Ossibus frigidum inimicum, & iacturam afferens: calidum verò vtile, atque amicum. Vtilitas tempore etiam in his quæ non sentiunt, percipitur: iucunditas verò statim, & non nisi à partibus sensu præditis. Neque tamen necessarium erat, vt si frigidum esset inimicum, quod calidum amicum esset. Vt enim diximus de calido frigidóque, prout sensu percipiuntur: vtraque dentibus iniucunda sunt, si exuperent: si parua sint, molestiam non afferunt, non quia grata, sed quoniam non sentiuntur.

APHORISMVS XIX.

QVæcunque refrigerata sunt, excalefacere oportet: exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

COMMENTARIVS.

CVm deterruisset nos ab admotione frigidorum medicamentorum in his membris, simul ostendit necessitatem quandoque admotionis illorum, vt sit par ratio in supercalefactis frigida admouendi, quæ in refrigeratis calida: simul etiam, vt curam eorum intelligeremus, quibus perperam frigida admota essent. Dedit autem exemplum de refrigeratis, quoniam calida, vt diximus, nũquam noxam afferunt, nisi exuperent. Hoc etiam ipso ostenditur, de potestate frigidis & calidis, non actu illum loqui, nam secus nihil plus doceret, quàm quòd non solùm rustici, sed etiam canes, & illis stupidiores boues norunt, refrigerati enim & solem & calida cubilia quærunt: & excalefacti aquam frigidam, & auram. At Galenus ab hac iniuria vindicauit Hippocratem, dicens illum nihil vulgatum scribere, nec etiam quod mediocriter eruditus medicus per se scire possit. Ergo excipit ea, in quibus periculum imminet fluxionis sanguinis, illa enim neque actu neque potestate excalefacere dignum est. Ostendit id verum esse, quod dicit infrà: In his frigido vtendum, in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. Id etiam Galenus fatetur in commento, cum dixit: Inde ad temperiem est reuocandum, palàm autem est, id fieri cum his quæ potestate calida sunt magis, quàm cum illis quæ talia sunt actu. In libro autem de Natura muliebri, vbi enumerat sanguinem prolicientia, medicamenta omnia calida potestate enumerat.

2. de diff. spir. c. 71.

Aphor. 23.

Pag. 10.

APHORISMVS XX.

VLceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem qui suppurare non potest facit: liuorem obducit, rigores febriles, conuusiones, distentiones.

COMMENTARIVS.

NOn de vlceribus, & sana cute ei sermo est, vt Galenus exponit, quippe iterum oporteret ad idem redire, cum dixit, Liuorem obducit, neque enim sanis, sed vlceratis partibus frigidũ liuorẽ inducit. Cum ergo frigidum comparasset membris, hîc morbis comparat, scilicet vlceribus, enumerat autem octo mala, quæ inducit. Primum enim mordax est, siue actu tale sit, seu potestate. Scribitur in libro de Humidorum vsu, paululum variatus hoc modo: Vlceribus quidem frigida (aqua) mordax, cutem obdurat, dolorosa non suppurari facit, liquefacit, nigrefacit, rigores febriles facit, conuulsiones, retro & antè distentiones.

Aphor. 18.

Pag. 4.

Sed Græce apertius sic : ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει: ὀδυνώδεα, ἀνεκπύητα ποιέει: πελιαίνει, μελαίνει, ῥίγεα, σπασμοὺς, τετάνους : id est : Vlceribus quidem frigidum mordax, cutem obdurat: dolorosa, in suppurabilia facit, liquefacit, nigrefacit, reliqua vt suprà, non vt legamus sub absurdo sensu, Dolores qui non suppurant facit, neque dolores suppurare prohibet: neque enim dolores suppurant, sed causæ dolorum abscessus. Vt sit sensus: Frigidum vlceribus mordax, & obdurat cutim, seu vlceris labia, dolores facit: & quæcunque in vlcere sunt, prohibet suppurare, nam non solum abscessus, sed vulnera etiam ad suppurationem perueniunt, dicente Hippocrate in libro de Vlceribus: Vlcera omnia recentia, tum ipsa, tum circumsitæ partes, minimè inflammationem incurrent, si quis quàm citissimè suppuret, & pus ab osculo vlceris non interceptum supprimatur. Videntur autem mihi omnino rerum ignari, aut obliti, qui scribunt. Quatuor igitur iam explicata sunt, inde succedit illud quod liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones atque distentiones. Palam est, quod in vlceribus loquitur, nam si de moderato vsu in sanis hoc intelligatur, palam falsum est, neque enim vllus à modica frigida aqua talia patitur: si ab immoderato, hoc iam superius dixit. Vides quali stupore tenentur. *Pag. 1.* *Aphor. 17.*

Reliquum est, vt causas singulorum doceamus frigidum cum astringat, idem facit quod qui vellicat: vellicare autem iam diuisam carnem, morsum excitat. Sed neque quid per morsum intelligant, explicarunt. non enim dixit, Dolores: imò postmodum subijcit etiam ὀδυνώδεα, id est dolorosa. Ergo re ipsa se prodit, immissa frigida vlceribus, vriginem seu flagrantiam excitant. Est autem doloris genus quoddam, de quo aliàs diximus, qui solis externis partibus accidit, præcipuè veretro in mictu, cum vrigine propter vlcus vel lapidem, meiendi laborant. Ex internis non scio membrum, præter ventriculum, quod hoc affectu corripiatur. Omnes norunt qui vulnerantur, qui digitos incidunt, sed & pueri maximè cum virgis cæduntur, hoc enim doloris genere vexantur, qui neque internas partes occupare solet, nec phlegmonem excitare, sed videtur peculiaris cuti & vulneratis partibus, dum aëri exponuntur, hoc igitur est quod dixit Mordax. Postmodum vrigo, cum perseuerat diu, seu per se, seu materiam trahendo, & phlegmonem excitando, in dolorem conuertitur. Sed dolor non fit in superficie carnis diuisæ, sed in profundo. Iam ergo duos habes, nam causa (vt dixi) eadem est, nisi quòd frigus cogit partes intimas, dum dolorem excitat: atque sic soluit ac diuidit illas, propterea si quis vtrunque simul sentiat, vriginem in labiis interioribus vulneris percipit, dolorem autem in intimo, quod vulneratis paulo post vulnus aut curationem accidit. Labia autem exteriora vulneris ob dolorem & ob frigus contrahuntur, quòd, cum discissa sint ex parte vlceris, cutis non distendatur. Prohibet in vlceribus suppurationem, calor enim ibi debilis à frigido non potest confirmari, sed extinguitur. Materia etiã quæ fluere deberet, retrò agitur: coctio autem ab humore & calore fit. Inde etiam liuores in labiis excitantur: quod periculosum est, nam ab eisdem fiunt, quibus prohibetur suppuratio. Detectis autem neruis carne ob aërem & vulnus corrupta superueniente, etiam dolore excitantur rigores & febres & conuulsiones, distentionesque. Nam idem accidit huiusmodi vulneribus, quod his quæ in locis neruosis, & tendonum fiunt. Consequuntur enim dolores, febres, vigiliæ, deliria & conuulsiones: ita generaliter in omnibus aliis, si à frigidio lædantur. *4. Artic. c. 6.*

Verum vlcera quædam sunt adeò bene purgata & disposita, in quibus caro interior nihil molestum sentit, atque de huiusmodi non intelligit Hippocrates. Licet enim caro succrescat, non tamen magis offenduntur, quam si cutim tangas, quæ sana sit. Quòd verò addatur, Ibi nigrefacit: hoc est, Quoniam aqua frigida ob vehementẽ frigiditatem hoc potest, non omnia autẽ frigida hoc possunt. At in libro de Humidorum vsu sermo ei est de aqua frigida, quæ tum frigida est, postea autem non (est enim elementum) hic autem sermo generalis est: & ob id non omnia frigida id possunt, velut si folia aizoi aut plantaginis tepefacta superponas, aut vinum moderatè frigidum.

APHORISMVS XXI.

Est autem vbi in distentione sine vlceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat: calor autem hæc soluit.

COMMENTARIVS.

Non, vt quidam putant, enumerat commodum frigidi, sed tacitæ obiectioni respondet. Quoniam aliquis dicere posset: Aqua frigida iuuat in distentione: igitur frigidum, vt dixisti, distentionem non efficit. Respondet Hippocrates, quod hoc contingit seruatis quinque conditionibus: quòd sit sine vlcere, iuuenis bene carnosus, media æstate, & quod multa frigida affundatur. Hic rursus labitur Galenus, putans in quacunque conuulsione id agendum, cum hæ conditiones affuerint: quo nihil absurdius, conuulsio enim est morbus ex capite in neruos, cum motu concitato : distentio ex neruis in caput, sine motu. Quomodo autem etiam cõuulsis prodesse frigida possit, & qualiter intelligendum, inferius docebimus. Sed etsi oporteret, esset aqua non parti conuulsæ, nec neruis, sed capiti adhibenda: Videant modò isti qui mordicus Galenum tuentur, an id facturi sint: & infantem qui conuellitur, aspersuri aqua frigida (nam conuulsio parum accidit aliis ætatibus in nostra regione, quæ letalis non sit (Si sic, occisuri puerum coram parentibus : si non, coguntur velint nolintve illum relinquere. Sed & in *Aphor. 25.*

in eo errore tota Aphorismi expositione perseuerat, non distinguens à distentione conuulsionem. Illud etiam malè, sed non adeò, quod existimet omnia hæc adesse oportere, si iuuari debeat æger:sed non est sic. Verùm si hæc omnia adsint, iuuabitur æger: at si aliquid desit, poterit & iuuare & prodesse. Potest enim, gratia exempli, homo senex esse adeò validarum virium, vt iuuenis mediocris quod cum ipse passim, & maximè in libro de Sectione venæ, affirmet, nescio cur hic obliuiscatur.

Cap.13. Sed neque reprehensione indignus est Paulus, qui hæc habet in cura distenttionis: Frigidæ superinfusionem (quemadmodum ait Hippocrates) maximè temerariam, eoque posteris (credo) vituperatam, & nos damnamus, deuitamusque. Sed iam omittamus hos homines, nam & Aetius tam parum prouidus est, vt cum Galenus conuulsionem à distentione parum differre existimauerit, ille vnum prorsus cum alio confuderit. Potest autem εὐσάρκῳ, & mediocriter carnoso, & bene carnoso generaliter legi:

Lib.3.c.20.

Lib.6.c.38. & 39.

Cap.7. Causa autem huius curationis ponitur à Principe in secunda tertij, & subiicit: Et plures hoc modo euaserunt. Hic sanè vir, si superfuisset decem annis, vt rectè dixit Montanus, poterat non tantum Galeni interpres, sed exornator esse: quandoquidem vel sic plus vita mortalium illi debet, quàm vlli alij qui post Galenum profecerit. Atque hæc non in Epistola præliminari Principis, sed operum Galeni. Ergo, inquit Princeps, hac perfusione obstructis meatibus cutis, & refugiente calore intus, atque collecto, materia illa consumitur atque difflatur, neruique ad pristinum redeunt statum. Verùm ob malam translationem, legit conuulsionem pro distentione. Meminit huius curationis Hippocrates tertio de Morbis, dicens: Quòd si voles, etiam sic facies: Aquam plurimam frigidam superfundito, & postea vestimenta tenua pura ac calida superintegito: ignem autem tunc non adhibeto, hoc auxilium & ad tetanos & opisthotonos adhibe. Sunt enim distentionis tres species, & de omnibus hic intelligit Hippocrates: & deterior est tetanos vocata, cum in vtranque partem, vt lignum, distenditur: inde frequentior opisthotonos, ad posteriora. Emprosthotonos autem adeò rarò accidit, vt nunquam vidisse me meminerim, nam ab anterioribus neruis, nisi in infantulis, vix potest solis distendi corpus: ab his verò qui è spinali medulla oriuntur vix, non extensis etiam partibus posterioribus: vt ratione potius quàm experimento constat. Et nota, quòd (vt dixi) rarò conuulsis hoc auxilium conuenit, neque enim infantibus, cum de his Hippocrati sermo non sit, nec iuuenibus, cum rarò admodum iuuenibus, nisi cum moriuntur, accedat, est enim cum grauissima offensa cerebri: ipsi verò cum iam sint calidi & sicci, non possunt pati hoc, ob repletionem. Et etiam si patiantur, morientur, iuxta Aphorismum Hippocratis secundæ particulæ: In morbis minus periclitantur ægrotantes. Quòd etsi sanari possent, nihil conferret frigida, & maximè neruis adhibita. Animaduertendum est, quòd cum multis modis frigida adhiberi possit, nos admonuisse Hippocratem, vt perfusione vtamur, quæ ex alto & copiosa, & ex valde frigida aqua fieri debet, donec cutis color mutetur, inde lintea tenuia circumuoluere.

Pag.5.

APHORISMVS XXII.

CAlidum suppuratorium, non in omni vlcere, magnum ad securitatem indicium: cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones & distentiones mitigat: & ex his quæ ad caput attinent, soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè, eorumque maximè qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vesicæ: his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

COMMENTARIVS.

CAlidum suapte natura suppurat, quoniam calorem naturalem ad suppurandum iuuat. Cum enim quæ suppurant, duo patiantur: vnum à calore naturali, quod sibi assimilare nititur, atque ob id dealbat: alterum à præternaturali, quod putrefacit & attenuat: Calidum in prima actione quandoque aliquid præstat, quandoque nihil, in abscessibus namque nihil, sed in vulneribus prohibet naturalem calorem corrumpi, vt superius visum est, cum sit imbecillis: in secunda *Aphor.20.* autem operatione iuuat, accelerando putredinem, & attenuando quod putrescere debet vnde quod ad hanc partem præstat, duo egregia nos docet hic Aphorismus: curam vtpote abscessuum & vulnerum, quæ dixi suppurare oportere, quodque tum vacant vulnera periculo, vt Hippocrates docet in libro de Vlceribus: & prædictionem, quoniam si non *Pag.1.* suppurant ex calido, mala sunt. Huiusmodi autem non suppurare solent, quamuis à calido foueantur carcinomata, & quæ iam conuulsionem afferunt, & sphaceli, & phagedenæ, & chironia atque telephia: quæ vel cum duris sunt labiis, vel virus potius quàm saniem emittunt. Iuuat etiam, & in herpete maximè, si actu quidem calidum fuerit, potestate autem contrarium: de erysipelate verò magna dubitatio est. Galenus quartodecimo Methodi medendi vult, vt vtamur frigidis potestate *Cap.3.* inde subiicit, de calidis potestate loquens: Quorum nullum est erysipelatis medela, antequam scilicet mutatū desinat esse id quod ab initio fuerat, atque alterum iam, illique contrarium euaserit: vt dubium non sit, cuiusmodi potestate sint applicanda. Subiicit autem: Quod vbi liuor ex medicamentis frigidis superuenerit, incisa cute locū aqua calida superfundendum ait: ita videtur sentire, quod nos

nos diximus, scilicet dictum Hippocratis de calidis potestate intelligendum, nam actus ne meminit quidem, hoc vnum supponens, quòd calida actu debeant applicari omni vlceri, nisi locus ardeat planè, nam in hecticis refrigerantibus & actu & potestate vtitur. *Lib. de Marcore cap. 8.* Sunt verò qui velint Hippocratem intelligere non solùm de calidis actu, sed calida etiam aqua: atque id, tantùm ob id, *Cap. 9.* quòd Galenus quinto de Simplicibus medicamentis dicat, Igitur omnium ad puris generationem aptissimum est, ex his vtique quæ perfunduntur aqua temperata. Et rursus *Cap. 5.* quarto Methodi: Præterea fomentum multę calidę aquæ. Verũ Fuchsius ex his quæ affirmant, in secunda figura facit syllogismum, neque enim si calidum suppurat, aqua calida suppurat: de aqua calida loquitur, nedum vt de sola. Turpe fuisset Hippocrati, propter vnum verbum tantam perplexitatem in scriptis relinquere, cogereque nos vt diuinaremus, non intelligeremus. Deinde quid illa verba, Non in omni vlcere? nam si de calido temperato aquæ agit, vel in his quæ suppurare possunt loquitur, atque sic in omni vlcere prodest, aut in omni vlcere etiam quod suppurationem non admittit: sicque superfluum esset addere, Non in omni vlcere. Notissimum enim est, quod quæ nullo modo suppurare possunt, per aquæ calidæ superfusionem etiam non possunt suppurare. Ideo loquitur de potestate calidis, quæ ad suppurationẽ faciunt: non tamen semper, vt in erysipelate. Verum *Com. 24.* melius fecisset Fuchsius, aperta se Galeni autoritate inferius tueri, quam longius petitis ex eodem. Sed eo magis de Galeno miror, cum dicat, Quod vbi putridum sit vlcus, vel vbi fluxio adsit, calidum non solùm suppurat, sed prohibet suppurationem. At manifestum est, quod per calida intelligit cataplasmata, potentia calida: tum quia meminisset aquæ, tum quia calida aqua sordida vlcera purgat. Et Hippocrates libro de *Pag. 2.* Humidorum vsu: Vlcera calida gaudent, quia tegi consueta sunt: igitur calida aqua non patitur exceptionem. Itaque Fuchsius in hoc excusatione dignus esset, si non Hippocratis textum inuerteret, vt in suam deducat sententiam: sicut & illud in Galeno omnino abominandum, quod centies citat Hippocratis libros tanquam genuinos, quoniam in rem suam faciunt, contra Asclepiadem, Erasistratum, aliosque quorum famæ inuidebat: eosdem libros centies negat esse Hippocratis, id enim intolerandum. Sic omnia possem conuincere. Fuere autem Galeni virtutes pręcipuæ quinque: Eloquentia, multarum rerum peritia & studium, methodus pulchra, veritatis præcipuus amor, & iudicium in medendi arte singulare. Dices. Cur adeò persequeris Fuchsium? Non certè vllo priuato odio, neque enim illum è facie noui: & si maledixit de me, iurè maledixit, nam ea mutaui in melius, quòd nec à me qui ea intelligebam, probarentur: sed quod illius libri aliquot indigni sint vt legantur, tum ob maledicentiam, sed non ob hoc (cuique enim licet oblatrare) sed quòd aliena, etiam vulgata & impressa sibi vendicat: quid facturus esset, si in illius manus non vulgatæ alicuius auctoris vigiliæ peruenirent? Atque vtinam pro communi studiorum decore ab hoc crimine etiam purus esset Galenus, nam nihilominus esset gloriosus, imò magis: & multorum antiquorum, Marini, Agathini, atque aliorum inuenta integra & salutaria haberemus, eorumque manibus iniuriam non intulisset. Neque enim se Aristotelis exemplo tueri potest: cum facile sit ex Platonis scriptis, quæ tanti æstimantur, nihil præter illa sani antea scriptum esse, sed ἀποδιατρίβας.

Cutem mollit.) Per hoc voluit intelligere nos, de temperata caliditate, quæ sola cutem mollit, nam acris & valida exurit ac siccat illam: velut libro de Assuetudinibus Galenus fatetur, *Cap. 3.* & dat exemplum de messoribus, quorum arida est cutis, nec vlli aridiores. Quòd si dicas, id contingere ob siccitatem, vt etiam ibi docet, respondeo, quòd aqua calidior etiam cutim densat. Imò dicebat sexto *Par. 6.* Epidemiorum: Caliditas acrimoniæ signum Sed de aqua quid clarius? Cutis ipsa supernè exulceratur calidæ aspersione: libro de Humidorum vsu, statim verò subiungit: *Pag. 1.* Cutis duræ mollitio, distentæ laxatio. Quinetiam moderatum non solùm calorem exposcit, sed vsum, inquit enim in libro de *Pag. 11.* Locis in homine: Calida lauari, quàm diu corpus superat eius exhibitionem, florere corpus facit: cum verò superatum fuerit, illud reddit gracile. Ergo de moderatè calidis hic loquitur, tam potestate quàm actu. Neque euphorbium hoc facit, neque calx, neque oleum, aut aqua feruens. Rursus quòd de aqua calida sola non loquatur, ipse rursus, & planè in libro de Humidorum vsu, docet, dicens: Tam calida quàm frigida porrò lædit: verùm calida amplius quidem ea vtentibus, has læsiones inducit. Et subiungit quæ dicta sunt, inuicem comparando in duobus superioribus Aphorismis, tandem *16. & 17.* concludit: Mediocritas quidem extra noxam est. Et libro de Humidorum vsu hoc totum habet, *Pag. 3.* Aqua calida attenuat & mollit.

Dolorem sedat.) Temperata & anodina vocata, laxant & temperant vtranque excedentem qualitatem, tam calidam quam frigidam, vt pote mediocritati proxima: ideo dolores sedant. Cum pluribus in locis hoc docuerit, maximè in libro de Victu in acutis, *Pag. 4.* & explicat non pauca exempla fomentorum, quæ dolorem sedant ex aqua calida, inde ex hordeo, eruo, aut furfure decoctis in aceto, è siccis quoque sal, ac milium.

Extenuat.) Nam dum dissoluit, & laxat, bifariam extenuat. Calidum enim diffundit, *Pag. 2.* vt dicebat in libro de Carnibus: itaque & flatum extenuãdo, & materiam digerendo & intemperiem æquando moderatè calida sedant dolores. Dicebat in Chirurgiæ offici- *Pag. 4.* na: Magna copia ad laxandum & attenuandum calidæ aquæ optima est: mediocris copia ad molliendum & incarnandum.

Rigores, conuulsiones & distentiones mitigat.) Superius dictum est, quòd & cur *Aphor. 17.* frigidum rigores febriles conuulsiones &

distentiones excitet, ideo inquit libro de Humidorum vsu: Quæ frigida facit, calida sedat. Ibidem verò totus fermè hic Aphorismus scribitur his verbis: Calida suppuratoria est, non in omni vlcere, maximum signum ad securitatem, cutem mollit, attenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, ante ac retro distentiones mitigat, capitis grauitatem soluit. Plurimùm autem confert ossium fracturis: sed nudis præcipuè, eorumque qui in capite vlcera habēt, & quæcunq; præ frigore moriuntur aut vlcerantur, itemq; in vlcerationibus volūtariis ac inuoluntariis: qualia sunt desquāmata, herpetibus serpēdo exedentibus denigratis, aut gingiuis, aut in aure, aut sede, aut vtero. His omnibus calida amica est, ac iudicatoria: frigida verò inimica, ac occidens. Si quis forsan dicat, Hippocratem hic etiam debere intelligi de aqua calida, sicut in libro de Humidorum vsu: dico, quòd hoc ostendit contrarium, cum ibi loquatur de desquammatis denigratis, etiam gingiuis, aut aure: hic verò illis omissis apponit vesicam, cui aqua calida non conuenit: in cæteris paruum est discrimen, quia quo ad actum, supponimus loqui Hippocratem de calidis temperatè, & quo ad potestatem: sed aqua potestate propinqua est temperamento, vt aliàs docui, neque enim est frigidæ facultatis, vt multi volunt, nugantes circa principia falsa, ideo quæ conueniunt hìc calido temperato, potentia & actu conueniunt etiam aquæ calidæ moderatæ, præterquàm in vesica quæ neruosa est. Quæ verò adiiciuntur de squammatis & gingiuis & aure, licet conueniant omnibus temperatè calidis, ob facilem tamen superfusionem & copiam medicamenti, & frequentiam permutationis eius, commodiora sunt in aqua quàm aliis consimilibus.

Et ex his quæ ad caput attinent, soluit grauitatem.) Soluit quidem bifariam calida aqua capitis grauitatem, tum auertendo lotis pedibus ac cruribus, tum dissoluendo grauitatis causam. Atque id commune est omnibus calidis. Vnde etiam referunt, corollas & coronas herbarum ac florum capitis soluere grauitatem: velut ex sisymbrio, bacchara & ozimo odorato, & lugustri floribus ac serpillo. Sunt & vnguenta & emplastra, velut ex iride Illyrica, spondylio: & præstantissima ex suffumigiis, quale ex vocata anima alba, thure quoque, memini me dissoluisse grauedines.

Plurimùm autem confert ossium fracturis.) Hoc est quòd dixit in libro de Fracturis: Curare autem tales spleniis & vinosa curatione, velut etiam prius de discessuris ossibus scriptum est. Sed cauere decet, ne primo tempore frigidis madefiant, rigorum enim febrilium periculum est, periculum item conuulsionum, Frigida enim semper conuulsionem (scilicet vbi os fractum prominet ex vlcere) prouocant. Et in libro de Articulis, loquens de luxatione digitorum pedis, aut manus cum vlcere facta ac reposita infeliciter, inquit: Si verò reposito osse conuulsio accedat, articulum statim eiicere oportet, & calida quàm sæpissimè humectare, & totum corpus, & præsertim circa articulos, calidè & leuiter ac molliter tractare. Et dum de repositis loquitur ibidem, antea dixit: Nihil autem valde frigidum adhibere. Palàm verò est, quod eadem ex his ad luxata ossa conueniunt, sicut etiam fractis. Quòd si vel malè coactum os, vel malè repositum, rursus confringere vel educere ex loco statuunt medici, non aliter quàm superfusa aqua calida, & membro in illa diutius demerso id agunt, vt tandem leui cum noxa frangatur, aut educatur ex articulo: demumque reponunt aut restaurant colligatas partes, iuxta naturæ modum.

Sed nudis præcipuè.) Hoc est decimum commodum calidorum, & pendet ratio ex his quæ dicta sunt in libro de Humidorum vsu: Vlcera & ossa offenduntur à frigidis, iuuanturque à calidis, sed ossa denudata sunt cum vlcere: igitur & ratione qua ossa, & ratione qua cum vlcere à calidis iuuantur. Docet causam ibi, quia rigores febriles, distentiones & conuulsiones prohibentur. Magis autem læduntur, quæcunque caliditatem expostulant: illa autem, dicit, sunt, spina, pectus, dorsum & præcordia.

Eorumque maximè qui in capite vlcera habent.) Trifariam ibi calor necessarius est: & quatenus in vlcere omni calida conueniunt, & quatenus omni ossi denudato, & quatenus cerebro ne lædatur, consulendum est. Scriptum est enim: Frigidum inimicum cerebro, calidum verò vtile. Et in libro de Humidorum vsu: Cerebrum, & quæ ab eo oriuntur, frigida quidem tristantur, calida verò gaudent. At verò quòd de aqua hic non intelligat, facilè cognoscerent, si legissent apud Hippocratem illud: Vlcus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne vino quidem.

Et quæcunque à frigore moriuntur.) Diximus quòd contrariorum contraria sunt auxilia. Si enim à frigore læsa sunt, calida restitui debent. Sed non ita intelligendum est, vt statim à summo frigore ad extremum calorem transeas, sed memineris eorum quæ ille scripsit in libro de Humidorum vsu: Iam verò etiam pedes deciderunt perfrigerati ex calidæ perfusione. Est autem modus primùm talis. Vbi pedes vel alia pars obriguit gelu, imponendus est laborans non multum prope ignem magnum, tamen vt aër incalescat: membra autem gelu indurata in aqua è puteo statim hausta, atque ita emollienda: post verò ponenda sunt in tepida, vbi aliquid sensus receperint: demum linteis tepidis ac mollibus sunt inuoluenda multiplici circumuolutione: ac vbi refrigerantur permutanda, sensim verò calidiora admouenda. Laboranti quoque per os ius columbi dandum: sed si glutire bene possit, ac mandere, offa panis in vino flauo. Causa horum est, quòd dicitur ab Hippocrate ibidem: Considerandum est etiam, quod post calidam frigescit corpus magis perfrigeratum: post frigidam verò recalescit magis contractum. Itaque dum tenuis est, adeò calor in congelatis per calidam euanescit, per ignem verò etiam aduritur: ob id calida ab initio non conuenit, ignis autem nunquam nisi pòst restitutionem.

Pag. 2. / Pag. 4. / Pag. 19. / Pag. 33. / De Hum. vsu Pag. 3. / Aphor. 18. Pag. 2. / De capitis vul. pag. 6. / 2. Aph. 22. / Pag. 1. / Pag. 2.

Vel vlcerantur.) Eadem ratio quæ in priori, frigidum enim quandoque vlcerat, sexto Epidemiorum: Frigidum valde venas rumpit. Et constat quod præ frigore extrema exulcerantur. Pap.3.

Et herpentibus exedentibus.) Dixit Galenus in libro de Tumoribus, duplicem esse herpetem, id est serpentem morbum: vnum quidem à bile acri, ex quo fit herpes estiomenus, id est exedens: alterum à bile pituitæ mista, qui vocatur miliaris, à milij similitudine. Differunt ab Erysipelate, quòd inambulant per cutem, & sanas semper partes occupant, conueniunt cum illo, quod summum tantùm cutis peruadunt. Differt herpes à phagedena, quod phagedena semper exedit, non tamen semper inambulat, & est vlcus: secundo Artis curandi, herpes serpit semper, nec tamen semper est vlcus, multo minus necessarium est vt semper exedat. Phagedena autem absolutè pronunciatur: estiomenus autem de herpete. Fit autem herpes à tenuiore humore, quàm Erysipelas, vt idem ait in quartodecimo, ob id & solùm cutim vitiat, quo enim tenuior, superiora eo tantùm magis attingit. Qui ergo estiomenus dicitur (nam phagedenā ex crassiore humore fieri nihil prohibet, & carnes etiam exedere) summam quidem cutim etiam inambulabit: vt solùm hoc in dubio vertatur, an dari possit phagedena serpens, id est herpes estiomenus, qui carnes exedat? videtur autem fieri posse. Sed herpes, vt ibi dicebat Galenus, à tenuiore humore gignitur quàm phagedena, vt phagedena carcinomate. Cap.9. Cap.2. Cap.17.

Verùm vt ad rem redeam, Galenus secundo ad Glauconem, vbi erysipelatis, herpetis & simplicis & exedentis curam instituit (cum, vt dixi, ad medicamenta potestate respiciat: non, vt dicit Fuchsius, ad aquæ potabilis qualitatem) hoc discrimen adiicit, quòd in erysipelate simplici seu ex vlcere scarificare vtile est, & infrigidantia adhibere ab ipso initio: in herpete verò refrigerantia, vt in erysipelate, sed valde exiccantia, vt non sit contentus solano, nec lactuca vel portulaca, vel aquæ frigidæ spongia, sed rubum aut vitis capreolos: vt clarum sit, aquam non conuenire nec exedenti, nec simplici, nec in principio, nec in fine. At exedenti, inquit, conueniunt in fine medicamenta Polyidæ, Pasionis, Musæ & Andronis, quæ non conueniunt, inquit, simplici herpeti, illum enim exurerent. Quod ergo medicamenta calida potestate, non actu conuenire velit in herpete exedente, non simplici, & in statu ac declinatione feruoris, non in initio Hippocrates, perquàm clarum est. Describuntur enim Andronis & Polyidæ pastilli quinto de Medicamentis secundum genera: vocat autem illum Polyidæ, non pastillum sed Sphragim: cuius indicio est, quod neque Paulus alium describit in septimo libro. Constat autem aloe, myrrha, thure, alumine scisso, atramēto sutorio, flore satiuę punicæ, felle tauri, & vino austero: atque adeò calidum, quòd Galenus eum neruis vulneratis prodesse compeiens, eius exemplo, inquit, ausus sim transire ad euphorbium: tertio de Compositione medicamentorum secundum genera. At Pasionis pastillus, ex immoderate exiccantibus est, calfacientibus non ita: sed nihil tamen frigidum ingreditur, æris squama, æs combustum, sal Ammoniacum, alumen rotundum, ærugo rasa, thus cum vino. Sed & pastillus Andronius calidus est valde, ne singula describam: velut & Musæ, propè enim à Paulo hæc omnia posita sunt. Quin & phagedenas ipsas, in quarto eiusdem, curat vehementer calidis medicamentis, cumino, staphisagria, veratro, squilla vsta, nitro, ficus agrestis radice. Post autem medicamento ex pyrite lapide Damonici, quod ex vehementer calidis constat. Vt non calida herpetibus per se, sed exedentibus conueniant, propterea iunxit illa. Sicut & illud dubio dignum esset, an ea quæ sequuntur coniungenda? Cap.2. Cap.12. Cap.12. Cap.2. Cap.10. & 13.

Sedi, pudendis, vtero, vesicæ.) Palàm autem est, quòd non, sed separatim sic conueniunt calida herpetibus exedentibus, præterea sedi, pudendis, & reliqua: hæc autem libro de Humidorum vsu dicta sunt. Et cur? Vel quia, inquit, neruosa, vel quia assueta calido loco degere. Propterea ibidem adiicit, gaudere calidis etiam venas, thoracem, ventriculum, extrema & imus venter, & ex pudendis maximè penis glandem. Pag.1.

His calidum amicum & indicans, frigidum inimicum & perimens.) Hîc omnes palàm expositores obdormiscunt, namque tria maxima arcana in his dictis quis animaduertit, seu Galenus, seu quiuis alius? Cum enim duo proposuisset, quibus calidum commodum esset, membra & morbos, de morbis dixit, quòd commodum est calidum, frigidum autem perimens, neque enim poterat dicere, amicum vel inimicum morbo: sed iudicans, idest morbum soluens, aut perimens. Sic dixit de membris, calidum esse amicum, frigidum inimicum, neque enim conueniebat dicere, iudicans membra aut perimens, idque primum est. Secundum, quòd dixit amicum calidum, inimicum frigidum: & vsus est metaphora, cum posset propriè loqui ac dicere, vtile ac inutile. Quorsum ergo metaphora vti, ab animatis ad inanimata transiens, cum calidum & frigidum neque amica esse possint, neque inimica? Sed metaphora hæc conuenit etiam orationi, vt Quintilianus auctor est in octauo libro. Et hic opportuna erat, vt vno verbo duo declararet: amici siquidem, quod est vtile esse atque iucundum, tale esse calidum membris illis: vt frigidum inimicum, id est damnosum atque triste. Ita etiam tropus hîc maximè conuenit. Datur exemplum à Fl. Sosipatro Charisio: Cap.6. In 4. lib.

At procul excelso miratur vertice montis.

Vertex enim animatorum est, haud montium. An verò sit anacoluthos, non est locus disserendi. Tertium est quod subiecit: Frigidum inimicum & perimens. Quòd non videbatur Aphoristicæ breuitati conuenire. Sed nec in hoc perperàm quicquam actum, adiecit enim, Interimens: vt intelligeremus, licet morbis & membris quædam essent vtilia, quædam aduersa, multum tamen interesse, si quis in morbis aberret, maiores enim esse

esse noxas, scilicet mortis periculum, quàm in membris, in quibus iactura est damnosum esse frigidum atque triste. Hæc cum quis cogitat, reputet an Galenus grauitate sit Hippocrati conferendus: atque iterum, an quisquam Hippocratis sensa nunc vsque perceperit? aut, an ego hæc ipse sensa eruerim, non ab Hippocrate mediata, vt quidam hic affirmant. Adeò inualuit opinio tuendi Galenum obstinata, vt etiam malint plus gloriæ concedere, adimereque Hippocrati, ne non suus iste duntaxat, tantum nomine Galenus, iustè argui videatur.

APHORISMVS XXIII.

IN his frigido vtendum, vnde sanguis fluit, aut fluxurus est: non ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit. Et quæcunque inflammationes aut inflammina ad rubrum & subcruentum sanguine recenti tendunt, nam in veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat: nam exulceratum lædit.

COMMENTARIVS.

Aphor. 25. ENumerat frigidi septem commoda, quatuor in præsenti Aphorismo, tria pòst, primum est, vbi sanguinis fluxus periculum est, seu quòd iam fluat, seu fluxurus sit. Quòd si de aqua intelligit, vt volunt isti, imbecille sanè, & tenue auxilium. Cum enim tria sint aduersus sanguinem vndecunque manantem præsidia egregia apud Hippocratem, & quartum cuius non meminit, vtpote tanquam maximè vulgaris, scilicet compressio loci venæ per digitum: reliqua sunt, auersio, vt in illo: Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone. Præcisio vel vstio, vt in de Locis in homine: Si sanguis ex vena fluit, per transuersum perurito: Si verò non cesset, ex hoc suprà ac infrà vtrinque dissecato, quo sanguinis fluxus auertatur. Tertium est, vt astringentibus cohibeatur, quæ tametsi pleraque frigida sint, non tamen omnia: vt myrrha & crocus, vt quæ conueniunt cohibendo sanguini omnia frigida esse oportet. Dicebat in fine libri de Victu in acutis: Perfrigerantia adhibe in fluxu sanguinis, si tempus æstiuum fuerit: & menses cohibet Samia terra nigra, primo de Morbis mulierum: & in secundo, vbi parat medicamenta ad fluxum muliebrem, ea non constant aqua frigida aut calida, sed frigidis plerunque, omnibus autem astringentibus. Sic Galenus curando sanguinis eruptiones, non aquam frigidam, sed schini florem, portulacam, plantaginem, quam omnibus in Methodo præponit simplicibus medicamentis, polygonomque, ac similia exhibet, aut apponit.

Aphor. 48. Pag. 13. Pag. 23. Pag. 10. Pag. 30.

Non ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit.) Hoc non intelligens Fuchsius, cecidit in errorem. Nescit enim vbi humores influunt, non in loco ipso, sed circa, astringentia & repellentia apponenda esse: vt etiam in podagra cruri, non pedi, emplastrum ex furfure aceto & aqua, vel etiam ex acatia & milio, aceto & aqua, quatuor causis. Prima, quod occupat maius spacium, & ita plus iuuare potest. Secunda, quòd locum affectum non comprimit, nec dolorem excitat. Plus sæpè damni est in dolore & grauitate emplastri, quàm virium in medicamentis, quæ in illo sunt ad iuuandum ægrotantem. Tertia, quòd si loco patienti adhibueris, quod iam coactum est, ita coges, vt plurimum lædas ægrum. Quarta, quòd vbi materia iam eò peruenerit, tametsi repellas, cogetur primum ingredi locum affectum: deinde etiam quòd non ingrederetur, premit illum, & vrget circumstans eum. Veretur enim & hoc Hippocrates & Galenus alibi onerare læsam particulam. Cap. 3.

Et quæcunque inflammationes aut inflammina ad rubrum & subcruentum sanguine recenti tendunt, nam veteribus nigredinem affert.) Dictum est de hoc à Galeno in Commento, & quartodecimo Artis curatiuæ, quòd refrigerata iam parte læsa, etiam calcem medicamentis immiscere licet: aliter calore naturali extincto facilè corrumpitur membrum, non morbus sanatur.

Quòd verò de erysipelate dictum est, parpartim ex his quæ narrauimus patet, partim ex his quæ in duodecimo contradicentium scripsimus, sunt manifesta, est autem tertium hoc commodum. Cont. 6.

APHHRISMVS XXIV.

FRigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.

COMMENTARIVS.

NOn de calida aqua vel frigida, vt dixi locutus est, vt falsò putant Galenus & Fuchsius: sed de calido ac frigido in quacunque materia sit, vt tale est solum, non alij coniunctum: atque id potestate vel actu. Quòd manifestè docet in sequenti, cum dixit: Plurima frigida aqua largè affusa. Hic ergo de frigido in actu, & immoderato, illi sermo est: cum neque frigidum potestate, quantumuis exuberans, neque actu, si sit temperatum, nocere possit. Dicebat enim in libro de Humidorum vsu: Hoc agit frigida, quando superat corpus, & ideo maximè lædit pectus assuetum calori. Et quomodo, trifariam docet, tusses mouendo, & ex hoc sanguinis facit reiectationem & destillationes, scilicet in frigidioribus natura, ac magis exanguibus. Sed & in eo peccat manifestè, quod putat destillationes fieri cerebro à niue refrigerato: quòd fateor verum esse, si quis applicet cerebro, aut edat. At verò Hippocratis sermo, vt dixi, connexus est. Cum enim dixisset, vtile esse his, in quibus esset erysipelas non vlceratum, aut inflammatio cruenta, id splendida, quæ est ex biliosarum ge-

nere: & earum, in quibus ſanguis feruidus peccat,& in quibus ſanguis fluxurus eſt, aut iam fluit:admonet nos, non debere adhibere talia valde frigida pectori ad cohibendum ſanguinem, quoniam non ſolùm non cohibebunt,ſed concitata tuſſi, & deſtillationem excitabunt, & ſanguis effluxionem augebunt & approperabunt. Quis non videt, hanc fuiſſe ſententiam Hippocratis? Rogo enim defenſorem Galeni, an ſi quis emplaſtrum frigidum valde, ex quauis materia applicet pectori, an omnia hæc mala facturus ſit,an non?ſi Non reſpondeat,ego errabo:ſed ille ægrum interficiet.Si ſic,cur vult Hippocratis generale præceptum ad frigidæ aquæ, quod vix vlli continget, contrahere?Ego ſanè neſcio, quis pectori glaciem aut niuem, aut aquam frigidam adeò ſit impoſiturus, niſi inſaniat, aut cogatur: quorum neuter nunc eſt in conſideratione. Eſt etiam hic Aphoriſmus ſcriptus ſexto Epidemiorum, vt ſuperius dixi,vbi pro Frigida habetur,Frigidum valde. Verum tamen dico,quòd ſi quis edat niuem aut glaciem, aut à cibo quantitatem frigidiſſimæ aquæ bibat, cerebrum ad deſtillationẽ præparabit,& pectus ad tuſſim. Vnde Hippocrates in libro de Humidorum vſu: Meritò quidem thorax & ventriculus ipſe à frigida ſuperati moleſtè ferunt, & mortem minantur,quia ei maximè deſueuerunt: ex hoc igitur incommodo dum pectus propulſare noxam conatur,tuſſimque excitat quæ poſtmodum ſeipſam auget. Sed libet Hippocratis ſeriem adiicere: Quum autem ſpiritus ingrediens in fluxum, qui intus eſt, inciderit,tuſſis gignitur,& repellitur ſurſum pituita.Quæ cum ſic habeant,fauces exulcerantur,exaſperantur & inflammantur,attrahuntque excalefactæ humorem ex capite: caput autem rurſus ab aliis corporis partibus attrahens his tranſmittit. Quum igitur hic fluxus ſic manare conſueuerit, meatus implentur, & in pectus tranſmittunt: acris autem cum ſit pituita,carnem penetrat,exulcerat, venaſque perfringit, ex quibus ſanguis effuſus. Sed iam ad id quod ſubdit,procedamus.

Par. 3. *Pag. 2.* *Lib. de Flatibus, pag. 5.*

APHORISMVS XXV.

TVmores articulorum,atque dolores abſque vlcere, & podagricos quoque,atque conuulſa, horum plurima aqua frigida largè affuſa leuat & extenuat,ſoluitque dolorem, nam modicus torpor dolorem ſoluit.

COMMENTARIVS.

QVatuor reliqua commoda frigidi, ſed non communia omnibus, verùm aquæ frigidæ tantum conuenientia, quæ ſit valde frigida,vt nix ac glacies: ſic enim connectitur ſuperiori Aphoriſmo, & experimentis congruit,& nos in nobis ipſis admirabile auxilium inuenimus. Sunt autem quatuor illa commoda: in tumoribus articulorum, & in doloribus, ambobus ſcilicet abſque vlcere, propter ea quæ dicta ſunt ſuperius:& in podagricis,ſcilicet tumoribus atque doloribus, demum etiam in conuulſis.Atque id primum eſt,ſi quidem vt admoneat,quibus affectibus conueniat. Secundum, quomodo, & dicit, Plurima frigida, & largè affuſa. Cum dixit Frigida, intelligit, quòd ſit valde frigida. Tertium docet cauſam,cur iuuet,dicens:Quia leuat,ſupple conuulſa,extenuat tumores, & leuat dolores.Et quia aliquis dicere poſſet,Si leuat conuulſa,extenuatque tumores, palàm eſt etiam quòd dolores ſoluit.Reſpondet huic tacitæ obiectioni,dicens: Et hoc etiam facit, ſtuporem leuem inducendo. Vbi etiam aberrant, exiſtimantes quòd innuere velit, non eſſe inducendum magnum ſtuporem, cum id nobis non liceat ſic facere:ſed vt doceat, leuem ſtuporem,magnum dolorem tollere poſſe. Nam Hippocrates cum cenſeat, velut & nos, aquam eſſe proximam temperamento facultate, indicat ſtuporem illum ſolum ex frigiditate,quam tum habet, vtpote è fonte nuper hauſta, gignere. At hic modicus neceſſariò eſt,ſtupores enim magni vel à medicamentis huiuſmodi proueniunt, vt opio, mandragora, ſolano, hyoſcyamóque, quæ ſanguinem cogunt, quæque medici falſo frigidiſſima eſſe putant: aut à morbis, aut nimiis exolutionibus, non ab huiuſmodi aquæ frigore.Tantum verò abeſt,vt ex hoc exiguo ſtupore membrum lædatur,vt etiam iuuetur, vt ſuperius dictum eſt.

Aphor. 21. & 22. *Aphor. 21.*

Sed ſuperſunt duæ difficultates non leues, prima quidem eſt,quòd videtur repetere, & inæqualiter, Aphoriſmum illum: Eſt autem vbi in diſtentione. Verùm ita non eſt, nam ad diſtentionem ſanandam, quæ maximus eſt morbus, indigemus illis conditionibus omnibus, aut pluribus:hic verò neque ſanatur morbus, neque adeò validus proponitur. Propterea cuicunque affundi aqua illa ſine periculo poteſt, ad leuandum morbum trifariam,leuat enim,cohibendo influxionem aduenientis,ſed nondum fluxæ materiæ:fluxam partem extenuando, calore coacto: demum etiam ſtuporem leuem quemdam inducendo, vt dolor parum, aut non omnino ſentiatur. Itaque diſcrimen eſt triplex:morbi magnitudo in illo, non in hoc: exolutio plena morbi in illo, hic imminutio, nam etſi hic omnes præſupponas conditiones illas, non tamen æger plenè ſanabitur ex podagra, in qua craſſa iam materia qualiſcunque ſit, comparatione eius quæ in diſtentione neruos tendit,in articulis intruſa poterit liqueſcere momento,quod de diſtentione contingit, quæ, quãuis ſit morbus grauiſſimus,ita tamẽ celeriter vt celeriter perimere nata eſt, ſed quod feliciſſimum eſt in hoc caſu,mihique ſemper hucuſque contigit,vt pars materiæ,vel etiam tota ad carnes & cutim deducta, pedem in tumorem eleuet, inflammationemque cum pruritu pariat articulis liberatis.Tertium eſt, quòd ibi ob periculum quàm multa ſunt neceſſaria,quæ hîc ſi adſint,tutius & melius negocium peragetur: ſi non adſint, modò dexterè auxilio hoc vtaris, etiam leuaberis ſine noxa parte ipſius morbi.

Secunda dubitatio maior eſt, quomodo

ſcilicet

ſcilicet conuulſa hoc modo leuari poſſint? ſiquidem conuulſio, vt diximus ſuprà, dicemuſque, morbus eſt cerebri ad neruos, non proprius ipſis neruis. Sed neque Hippocrates dicit, quòd conuulſiones leuet, ſed conuulſa, σπασμὸς & σπάζων apud eum ſunt morbus, qui conuulſio nominatur: σπάσματα autem, quæcunque conuulſa ſunt, ac quaſi ab origine extirpata, ſeu per luxationem, ſeu laxata quouis modo, neque enim deerat illi vox σπασμὸς pro σπάσματα, ſi morbum illum ſignificare voluiſſet. Sed quid (vide ruditatem hominum) intelligere volunt Hippocratem per σπάσματα, membra conuulſa aut diſtenta? ſi diſtenta, primùm nihil habent ad conuulſionem, & etiam faciunt Hippocratem abſurdum, qui cum poſſet propriè dicere τετάνοντα, aut τετανικὸς, maluerit impropriè dicere σπάσματα. Quòd ſi omnino intelligit conuulſa, quod conuulſum eſt, ac ſi dicas, ſonum aut ictum, quæ fiunt non manent. Oportebat dicere, quæ conuelluntur, non conuulſa. Si accipias conuulſa, id eſt ſyderata à conuulſione (nam plura talia relinquuntur) cogita quale auxilium frigida largè affuſa poſſit afferre. Per σπάσματα igitur, laxata quomodouis membra, & vltra naturalem ſtatum tracta intelligit, atque id veriſſimum eſt, illa enim contrahit, & contrahendo confirmat, caloremque qui in eis eſt cogit & auget.

APHORISMVS XXVI.

Aqua quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuiſſima eſt.

COMMENTARIVS.

Qvòd non de pondere loquatur, tria oſtendunt. Primùm, quia eſſet præceptum potius phyſicum quàm medicum, cuius nullum adhuc in Aphoriſmis exemplum habemus. Deinde, quod certius licebat per propria id experiri, ſcilicet libram aut stateram. Demum, quòd nō poterat dicere, leuiſſima eſt: ſed oportuiſſet dicere, Leuior, tametſi enim citò caleſcat & refrigeretur, ſolū oſtēditur eſſe leuiorem ea, quæ tardius hæc patitur. Accedit id quod Braſauolus expertus eſt, & nos etiam aliquādo probauimus, ſumptúmq; eſt verè è Plinio. Quidā (inquit) ſtatera iudicāt de ſalubritate, fruſtrāte diligentia, quādo perrarum eſt vt leuior ſit aliqua. Ergo leuiorem intelligit illam, quæ ventriculum non grauat, non refrigerat vltra frigiditatem eam quam bibens percepiſti, quæ ſtatim euincitur à calore, ac breui ſubit, ac ſi non bibiſſes. Scribitur hic Aphoriſmus in ſecundo Epidemiorum hoc modo: Aqua quæ citò caleſcit, & citò frigeſcit, ſemper leuior eſt. Non eſt vt hic dicam de dignoſcendis, quando & in ſecundo de Subtilitate, & in primo de Rerum varietate: Erit autem breuis ratio, & ex principio deducta dignoſcendarum aquarum, à cauſa, à ſigno, & ab effectu. Ab effectu, quòd leuiſſima ſit his qui eam bibunt, & ſani ſint, atque boni habitus, qui ea vtuntur: à ſigno naturali, artificioſóque, artificioſo, vt celeriter incaleſcat & refrigeretur, vt hic dicit Hippocrates: quòd legumina in ea celeriter coquantur, quòd ex deſtillata nihil remaneat fecis, naturali, quòd guſtu odoréque nihil habeat inſuaue, quòd corruget palatum epota, quòd effuſa ſtrideat, quòd clara mundaque ſit, à cauſa, quòd pluuia ſit, aut è fonte deducta longius ab origine, ex oriente, & per ſabulum. Sed de his, in Commentariis de Aëre & aquis ac locis.

Lib. 31. c. 3.

Par. 2.

Cap. 6.

APHORISMVS XXVII.

Qvi noctu bibere appetunt, iis admodum ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonum.

COMMENTARIVS.

Hic duo ſunt difficillima primum, quòd dixerit, Valde ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonum: an parum ſitientibus non erit bonum ſuperdormire? Et cur hoc dixit? mirantur cauſas, adeò vt Galenus damnet quaſi Hippocratem, velitque bibendum eſſe. Itaque ſecundi generis faciunt præceptum. Quæ enim ad curationem attinent, alia docent prædictionem, alia quid agendum, alia quid agendo, ſi ſequatur, prænunciet. Veluti ſi dixiſſet, Vbi ſitis moleſta eſt, ſi quidem grauis, bibat: ſin autem leuis, & ſuperdormiat, bonum. At hic ſermo indignus eſt Hippocrate, etiamſi eſſet perfectus: quanto magis, cum ſit imperfectus? Ad tertium igitur referendum eſt, ſcilicet, ſi quis noctu bibere appetat, & valde ſitiat, ſi ſuperdormierit, bonum eſt ſignum: non ita, ſi non admodum ſitiat. Imò è diuerſo colligas licet, vt illud bonum, ita peſſimum, ſi cum modica ſiti dormire non queat, nam cum magna ſiti dormire, eſt vel ventriculum præ nimio cibo & potu grauatum laborare, vel ſalſis eduliis vſum. Sed & ex hoc illud ſecundò elicitur, ſi potu ſumpto ſuperdormiat adhuc, bonum, ſignificat enim ſiccitatem à potu victam, aut caliditatem. Quòd ſi non dormiat, alterutro modo malum: ſi cum modica ſiti, deterius. Sed & illa ad curationem pertinent, conandum vt ſomnus ſequatur, ſeu ſimpliciter, ſeu ſi non licet, adhibito potu. Sed etſi non dormiat, cauendum, tanquam malum indicium malaque cauſa præceſſerit. Verùm obiicies, nec adhuc bonum, quòd cum malo coniunctum eſt, melius enim eſſet, non ſitire prorſus. Ob id ſic legendum: Qui noctu bibere appetunt, iis bonum eſt ſignum, ſi admodum ſitientibus ſomnus aduenerit. Significat enim effectum eſſe magnum, ſed cauſam eſſe minimam.

Secunda difficultas eſt de continuatione quæ eſt, vt intelligamus conuenire potum aquæ optimæ, ſi modò neceſſaria ſit, non vini, & qualis ſit optima, declarauit. Cæterùm ſitim excitant, panis calidi eſus: tum vt habetur in libro de Salubri victu, potus vini potentis, & potus qualeſcunque calidi, copia ciborum & labores, alibi verò ſalſa etiam adnumerat, & ſexto Epidemiorum: Aër calidus,

Lib. de Victu in Acut. Pag. 7.

Pag. vlt. Pag. 3.

lidus, multus sermo, & os apertum tenere. Vnde qui aperto ore dormiunt, facile sitiunt: magis autem, si non sit assuetus.

APHORISMVS XXVIII.

SVffitus aromatum, muliebria ducit. Sæpius verò, & ad alia vtilis esset, si non capitis faceret grauitatem.

COMMENTARIVS.

MAgis admirandum est, quòd triginta tres subiiciat Aphorismos hîc eiusdem argumenti, scilicet ad fœminarum affectus pertinentes: adeò vt Brasauolus referat, in antiquo codice suo, præfixum huic parti, quæ ab hoc Aphorismo incipit, περὶ γυναικείων καὶ θεραπείας, id est, De passionibus mulierum, & cura, quam si hunc præcedentibus non coniunxisset. Verùm coniunctio eiusmodi est, vt transeat ab operationibus calidi & frigidi ad opera suffituum, qui etiam calidi sunt actu: potestate verò, si non ob aliud, quod ex aromatibus, vt proponitur, constent. Dictum enim est superius, quòd frigido vtendum est in his, in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

Aphor. 23. Galenus tria commoda enumerat horum suffituum, ad muliebria educenda, attenuant enim crassa, & dissecant lenta, ex quibus fiunt obstructiones (quanquam & hoc parum feliciter exponat) & aperiunt oscula venarum. Calidum enim cum dissoluat, manifestum est quomodo attenuet crassa: siccum verò cum diuidat, apparet quomodo lenta extenuet ac incidat. At verò quomodo ora venarum aperiat, nondum diximus. Primùm ergo excitando motum in sanguine id facit, nam feruescens cum impetu fertur, & dum in vapores sanguinem vertit: vapor verò penetrat, & aperit. Sed & per se hoc magis facit, quoniam oscula illa bifariam coeunt, & sponte vt ipsa continente glutine quodam. At calor sic rursus trifariam aperit ora venarum: & virtutem laxando, & liquando gluten, & contrahendo substantiam venarum, quæ breuior facta cogitur diuelli: vt sic septem modis in vniuersum calida venarum aperiant, & sanguinem fluere faciant. Quòd si cum his adsit acredo aliqua, aut vis erodendi, vno quidem modo imminuta substantia, altero excitato impetu facultatis, maiores effectus pariunt.

Per muliebria verò, & menses, & secundas, & excrementa, & fœtus mortuos, & quæcunque in vtero, qui proprius est mulieribus, continentur, intelligit: etiam semen ipsum, quanquam hoc rarius. Quænam autem sint hæc aromata, dicebat in de Natura muliebri, Odorata infrà suffito Vtebatur autem lauro atque narcisso, pòst ex intento aromata ipsa, quibus vti solitus erat, describit dicens: Aromata verò sunt, thymbra, erices, hypericum, papauer album, maluæ radix, atque vrticæ semen, crethmi autem tam radix quàm semen, mercurialis folia ac semen, saluia, populus nigra, tam diptamus quam pseudodictamnum, amomum, cardamomum, helenium, aristolochia, castorium, adiantum, dracontium, peucedanum, apij & feniculi semina, rutæ folia ac semen, hipposelini semen & radices: sic & hippomarathri & struthij semen atque radices, hyssopum, cilicium, iriom, peonia, panaces. Alibi enumerat cyperum, iuncum rotundum, odoratum, calamum aromaticum, myrrham, sisymbrium: & pòst anisum, & seselim & nigellam. Nostra autem ætate habemus valid ora, è quibus primum est zibethum, pòst moschus, ista enim si optima sunt, statim etiam supposita educunt, quæcunque oportet educi. At ista non sunt loco suffitus: Hippocrates autem de suffitibus meminit. Sunt autem aromata trium generum: quædam quæ bene olent, suffita non olent, vt violæ: de his non intelligit, alia suffita olent, non suffita non olent: vt succinum, quædam vtroque modo, vt lignum aloes. Cognouit autem Hippocrates & multa alia, vt cinamonum & nardum, libro de Natura muliebri, sed prætermisit, ob precium ingens: ne sycophantiam exercere pro medicina videretur: aut ne aliis suo nomine, quòd periculosius erat, exercendi occasionem daret.

Pag. 6.

Pag. 10.

Pag. 13.

Sæpius verò, & ad alia vtilis esset.) Supple hic Suffitus, propriè in mulieribus: sed etiam in viris, licet Galenus refugiat, namque intemperies frigidas, & humidas viscerum imbecillitates, dolores, neruosarum partium offensas, hæmorrhoidas astrictas, somnum grauem, vigilias rursus curare liceret hoc præsidio, si non caput grauarent: non solùm vt calida, sed etiam vt odorata, vt calida quidem, dissoluendo quæ infrà sunt, & ad caput deferendo, tum verò etiam caput ipsum excalefaciendo. Calida autem maximè trahunt: & eo magis, si calida sint præter naturam. Sed vt odorata, accidit enim eis, quod vino dulci circa iecur, dum enim diligitur statim atque confertim trahitur, ita & illa, magis autem à cerebro quàm ab alio vllo membro: quoniam in eo solo vigent sensus imperfecti, id est rerum externarum, nam sensus perfectus est in corde. Sunt autem tales suffitus, vt venena cerebro, quæ in bellariis deuorantur. Natura enim cerebri cum sit frigida & humida, his maximè gaudet: & contrà à calidis atque siccis euertitur, ea tamen trahit auiditate odoris. Propterea odor violarum maximè vtilis est cerebro, solus enim videtur frigidus, humidus, & iucundus simul: si forsan & nymphea albus placeat, cum est recens, nam crocei floris iucundus est, nescio autem quàm sit frigidus atque humidus. Sic referunt, vt superius etiam dixi de Anima, alba lacryma, quæ ex occidentali India affertur, quæ refrigerat suffitu. Vtrum verò suffitus aliquis refrigerare possit, parem habet rationem his quæ dicta sunt in quinto Contradicentium.

Com. 12.

Cont 15.

APHORISMVS XXIX.

MVlierem vtero gerentem, capi ab aliquo morbo acuto, letale est.

COMMENTARIVS.

GAlenus ex diuisione hoc probat, si enim acutus sit morbus,& sine febre, vt comitialis, attonius, distentio interficit sua magnitudine vtero gerentem: sin autem cum febre, tunc ob febrẽ morietur fœtus, corrupto scilicet alimẽto & spiritu, qui ad fœtũ deducitur, nam quicquid cõcoquitur à calore, iam facto febrili (secũdo de Naturalibus facultatibus ineptũ est ad nutritionẽ: tum verò etiã si nutrias, febris aucta omnino perdet fœtum: si non nutrias, inedia ipsa. Hic sunt duo dubia (omisso quod illud etiam sit in controuersia positum, an morbi acuti aliqui esse possint sine febre: nam illud in decimo libro Cõtradicentium tractatum est) scilicet an cum febre necessarium sit mori fœtum,& cur? Secundum, cur in acuto morbo sine febre necesse sit fœtum mori. Dicam autem de hoc secundo, vt simpliciore. *Cap.8.p.3.* *Cont.5.*

Videtur velle Galenus morbos acutos, qui sine febre fieri solent, esse deteriores, magisque lethales, quàm eos qui sunt cum febre: quoniam qui sine febre sunt, citius perimunt: cum non simpliciter acuti dicantur, sed hac nota adiecta, valde. Etenim de Attonio scriptum iam est illud in secunda particula, soluere morbum, quem Apoplexiam Græci vocant, validum, impossibile: debilem verò, non facile,& de Distentione suprà: Quicunque à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt, At conuulsio itidem exitialis est, ex causa, vt suprà visum est, ex elleboro, vulnere, ex sanguinis fluxu, superflua purgatione, ebrietate, febre. *Aphor.42.* *Aphor.6.*

At verò de acutis cum febre illud accedit præter inediam: quod si opus sit venæ sectione, qua opus est fermè semper vbi febris adsit in acutis, iuxta illud in libro de Victu in acutis: sanguinem detrahes, si vehemens fuerit morbus,& floruerit ætas, viresque affuerint: æger facta sectione abortiet, vt in sequenti Aphorismo: si omittas, æger peribit, velut etiam si sine fœtu esset. Hic omnia sunt manifesta. Sed nondum illud, cur peritura sit prægnans: quæ si non esset prægnans, seruari posset, an hoc ex imbecillitate virium? Et videtur sanè prægnans impedita ab auxiliis, hoc palàm est: & secundò obiecta abortus periculo, quod cum per se nõ leue sit, & medico infamiam pariat, & vitæ periculum matri adducat. Vtrum etiam sit imbecillior, hoc est quod quærimus. In libro enim de Natura fœtus hæc habet: Quum vteri præ fœtu sunt tumidi, ventrem mulieris comprimunt: eius autem pleni, vbi compressio contigerit, pinguissimum ex cibis & potibus foras prosilit in omentum ac carnem. Quemadmodum si quis corium multo oleo illinat,& imbibere permittat: & vbi imbibit, corium ipsum premat, oleum vtique exilierit foras ex corio compresso. Et si raræ carnis mulier fuerit, citius percipit eius persultationem: si non, posterius. Quia & pecora prægnantia, si non ægrotent, ab eodem potu ac cibo pinguiora propterea fiunt. Similiter autẽ & mulier. Hic docet imbecilliorem esse intus prægnantem, licet exterius melioris habitus sit: sed in primo de Morbis mulierum, & quòd deterioris sit habitus,& imbecillior, sic ostendit: Quum mulier in ventre habet, tota fit cum virore pallida: quoniam purus ipsius sanguis semper quotidie ex corpore destillat,& in fœtum descendit,& augmentum ipsi accedit. Et cum paucior ipsi sanguis in corpore sit, necesse est ipsam esse pallidam, semperque alienos cibos appetere, & sanguinea in ventrem intrare.& debilior fit, quoniam sanguis minuitur. Apparet igitur prægnantem magis premi à morbis acutis, obnoxiamque letho esse aliis ob quatuor causas: quòd magis impedita sit ab omnibus auxiliis,& periculo abortus obnoxia: tum deterioris habitus & imbecilliorum virium, quam imbecillitatem auget perpetua respirationis & pulsationis magnitudo, crebritas ac celeritas. *Pag.14.* *Pag.7.* *Pag.15.*

APHORISMVS XXX.

MVlier vtero gerens, sanguine misso ex vena abortit: & magis, si fœtus sit maior.

COMMENTARIVS.

DIxit lethales esse morbos acutos in prægnante, subijcit potissimã, vt dixi, causam: quoniam cum sectio venæ plerunque eis debeatur ob morbum: tamen si sanguis ex vena, non ex cucurbitulis, aut alio leuiore modo mittatur, abortit. Cuius causa est non solùm subtractio alimenti fœtui, sed auersio sanguinis ab influxu in vterum. Et ob vtranque causam dicit, magis abortum fieri, si fœtus sit maior, nam pluri indiget alimento. Causam huius declarabat Hippocrates in libro de Natura fœtus, dicens, illum impelli ad ortum ex alimenti defectu. Ex quo liquet, octauo mense hoc esse periculosissimum, cũ fœtus tum sit magnus,& abortus lethalis infanti, certè post etiam matri: iam verò in hoc Aphorismo plura nobis occurrunt,& perpulchra, quæ omittere religio esset. *Pag.12.*

primum illud Fuchsij bene dubitatum, ac melius solutum, quî fit quòd nostro tempore sæpe feliciter in morbis sanguinẽ mittamus, nec abortiunt mulieres? imò, vt dixit Accorumbonus in libro de Natura lactis: Quædam mulieres quæ abortiebant sine morbo, misso antea sanguine, quàm suspectum tempus aduenisset, fœtum ad partum perfectum perduxere,& superuixit? Respõdet ergo primò, quòd dictum Hippocratis intelligi debet de consueta, suorum temporum sanguinis missione, quæ erat larga & copiosa: adeò vt scribat Galenus libro de venæ Sectione contra Erasistratios, *Cap.4.*

Erasistratios, moderatam quosdam putasse duarum cotylarum Atticarum: aliqui quindecim vncias, alij decemocto asserunt: quod videtur probare libro de Sectione venæ, vbi sesquilibræ meminit, tanquam minimi ponderis. Et hanc quantitatem si à prægnante ademeris, non circa periculum abortus facies. Quòd autem non sit generale præceptum, indicant illa verba, Et magis si fœtus sit maior. Non ergo detractio exigua poterit tantum afferre periculi: quandoquidem nec magna, nisi fœtus sit maior.

Cap. 14.

Quærẽdum est secundò, an in acutis id debeamus agere, quãdoquidem agẽtibus periculum sit abortus: non agentibus autem mortis? At abortus mortis periculum minatur in acuto morbo. Cum enim Galenus in præcedenti exponat sententiam Hippocratis, quòd mulierem vtero gerentem acuto morbo corripi, lethale sit: solùm probat abortum sequi, ergo abortum mors sequetur, iuxta illius sententiam. Quare adhuc noster Galenicus in vado hærebit, postquam consulit, vt potius abortus periculo quàm mortis, laborantem exponamus. Ego verò vidi paucissimas mulieres in acutis morbis abortum passas superfuisse. Nam primum, si non eiiciant fœtum vel non celeriter, pereunt omnino: sin autem eijciant, etiam & sit octimestris, periclitatur mater, vt ait philosophus septimo de historia Animalium. Sin verò ante à tertio ad septimum, ob difficultatem discessus grauiter, vt propter dolores coniunctos morbo acuto vix euadere queat: ante quartum & sectionem venæ magis ferunt, & facilius abortiunt: & si abortierint, exitus embrionis facilis fit. An autem inediæ an sectioni venæ magis fidendum? Ego eo tempore, quo medici quidam secuti rationem Fuchsij multarum interitus causam præbuerunt, adeò vt vix vna aut altera ex sexaginta forsan superfuisset, quatuor curaui inedia, quatuor seruaui. Sed dij boni, quot querelas quotidie audiebam, vulgauerant enim illud melius esse, fœtum perdere quàm matrem & fœtum. Atque id verum erat: sed vt mihi visum est, cum abortissent, nulla seruari potuit, etiam me aduocato, & auxiliari conante. Et certè non video, quamobrem ex ptisanæ cremore fœtus interire debeat, cum etiam ex sanguine, qui intra venas est, alatur infans, dum in vtero est. Et aliquę cum tot quadragenaria ieiunassent, infantes aliæ debiles, aliæ etiam insanos peperere, non tamen obortierunt. Et nunc quis est medicus, qui etiamsi vtero mulier non gerat, in acutis non det totam ptisanam, & multo pleniorem victum adhibeat.

Cap. 4.

Dictum est etiam in præcedenti libro, quod ex acutis morbis multæ seruantur, si materia turget: nec de illis sermo est, est tamen morbus lethalis, id est cum mortis periculosita & antè & hic abortus periculum docet, non necessitatem. Cauere tamen debemus magis ob auersionem quam sanguinis diminutionem: quæ quantumcunq; magna sit, non tamen tanta esse poterit, vt non tantum sanguinis relinquatur, quod ad alẽdum fœtum sufficeret per quindecim dies sine cibo. Sed quorsum hæc venæ sectio, si Galenus scribit in nono Artis curandi, pueris non esse secandam venam propter assiduum copiosumque materiæ defluxum atque digestionem: pariter si adeò exuguntur venæ in prægnante, quorsum mittere illi sanguinem? Melius est igitur non tentare fortunam, & in acutis vel medicamentis, qualia sunt tamarindi & manna, purgare ventrem si non turgeat, & moderatæ rationi victus fidere, quàm sanguinem mittere: nisi experimento didiceris, eam mulierem à venæ sectione, dum vtero gereret, & fœtus esset tantus quantus nunc est, nihil passam fuisse, nec vitiare dictũ Hippocr. cui Galenus subscripsit. Et in tempore in quo purgatio est necessaria, addatur scobs tenuissima eboris, coccus & margaritæ. Et sanguisugæ tollunt sanguinem minore metu, & frictio moderata etiam vtilis est: sed deuitare oportet crura.

Com. 1.

APHORISMVS XXXI.

MVlieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio.

COMMENTARIVS.

DOcet hic Hippocrates, quod aliquando videmus, atque id per exemplum, rem naturalem curare rem præter naturam. Et si menses prodeant, non autem rumpant, id est perfectè fluant, imminuetur ille vomitus: & similiter si sanguinem spuat ex apertione venæ pulmonis, aut dilatato septo inter asperam & leuem arteriam, sanabitur. Non tamen hoc dixit Hippocrates, quoniam posset ex fractura vasis erumpere: vbi tum ob motum, tum ob vehementiam caloris, tum etiam ob destillationes assiduas, quæ eò confluere solent, morbus non solueretur. At in iecore seu sit apertum vas, seu in ventriculo, seu in mesaræo, id periculi minimè imminet, vbi febris non adsit, sed facilè etiam vena consolidatur, vt sit dictum generalę. Defertur autem sanguis ad os menstruus hoc modo: Cùm enim ad vterum ex iecore præclusa sit via, ex caua in stelechian defertur, & ex ea per venas mesaræi: si multus sit, in duodenum ac ieiunum, ex eis in pylorũ, & per ventriculum vomitu eijcitur: sin autem exiguus, per venas, quæ ad imum ventriculi veniunt. At si innascantur hæmorrhoides, non adeò certa est salutis spes: quia non est circuitus earum tam firmus ac securus. Solet virginibus & mulieribus ex partu accidere, vnde primo de Mulierum morbis: Si ex partu sanguinem vomat, huic epatis fistula sauciata est. Dictum est & de hoc aliàs ab Hippocrate, dum de morbis meminit, & in septima Sectione dicetur: quamobrem illò te remitto. Ergo si cui contingat hic vomitus, ciemus menses secando venas poplitum: ac tali in quibus etiam præter mensium deriuationem, interim sanguinem ne ad superiora tendat, impediemus: parum ac frequenter auferendo, vt etiam nonnunquam ante mensium aduentum liberetur

Pag. 13.

Aph. 16.

retur

retur æger. Tum frictiones, balnea, potiones ac suffitus, pessariaque ad illos ciendos ad mouebimus. Scribitur hic Aphorismus in primo Pag.4. de Morbis, eisdem verbis.

APHORISMVS XXXII.

MEnstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

COMMENTARIVS.

HIc conuersus est prioris, in quo res præter naturam pro naturali substituitur. Pag.2. Nam si qua mulier menses emittat, primo de Mulierum morbis inquit Hippocrates, Tertio mense incipit suffocationem sentire, & horrores, & lumborum dolores, quandoque etiam febrem. Quòd si suppressio perseueret, præter hæc obdurescet venter, vrina copiosior mingitur, cibi fastidium & vigilia aduenit, vt etiam strideat dentibus, & si adhuc retineantur quinto mense, his omnibus & maximè doloribus etiam vrgebitur grauius: sed sexto mense insanabilis morbus redditur, qui antea curari poterat. Et cum hoc anxia fit, & animo linquetur: pituitam vomet, siti magna vexabitur, dolebunt partes ventris & pectinis: febris accedet, supprimentur que excrementa alui atque vesicæ, spina dorsi dolore vexabitur: & quasi balbutiet, & in quibusdam spiritus offendens fiet. Post hæc autem intumescent crura, pedes, venter: & vrina mingitur rubra sanguineaque & dolor totum occupat corpus, maximè collum spinam & inguina: atque sic moriuntur, scilicet ex hydrope. Ergo si sanguis è naribus fluat copiosus, aut è simili regione haud periculosa, vt ex hæmorrhoidibus, nil sentiet horum in commodatum: sed si non copiosus, læditur quidem, sed minus, ac serius. Nonnunquam etiam hæc effluxio spem affert, vt menses Pag.6. fluant dicente Hiopocrate primo Prædictionum: Et per nares sanguinem effundere spes est, ea quæ caput concutiunt, & quæ aurium sonitum faciunt, sanguinem profundunt, aut menses deducunt. Quibusdam enim simul erumpit sanguis, & per menses ac nares, vt Sec.2.constit. 3.& est p. 6. Dætharsei filiæ, primo Epidemiorum. Galenus suo more, scrupum inijcit absque vllo proposito, cum dixit, solam sanguinis fluxionem sine noxa esse, & inde dicit hæmorrhoidarum etiam esse sine noxa. Tamen si rectè intelligatur, non dissidet à seipso: effluxio enim sanguinis è naribus, est sine noxa corporis, & etiam partis: at ex hæmorrhoibibus, sine noxa tantum corporis, non partis, & etiam quia periculosiores sunt, ne immodicè fluant, vt idem suprà dixit. 4. Aphor. com. 25.

An verò detrahendus sit sanguis his ex vena brachij, loco fluxus sanguinis è naribus vel ex pede? Respondeo, quòd vbi noxa adsit, id faciendum apertè Galenus docet, non lib. de Sanguin miss. c. 10. solùm in mensibus, sed etiam hæmorrhoidibus suppressis: idem & supresso sanguine narium.

APHORISMVS XXXIII.

MVlieri in vtero gerenti, si aluus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat.

COMMENTARIVS.

BReuem præclarus noster Galenus facit expositionem, vbi longiore opus erat, nam vnam tantùm reddit causam, & eam obscuram, quandoquidem dicit eandem esse quæ est in missione sanguinis, & est supple defectus alimenti. Sed sunt plures aliæ non minores, prima à causa: aut enim pituita redundans faciet ad vterum demissa effluere fœtum, laxatis vinculis: aut bilis amara illum occidet, non secus ac venenum. Significat etiam magnam causam huius, cum prægnantes eo quòd plurimo alimento habere soleant siccam aluum, nunc habeant fluidam. Tertia, quòd fluxum solent sequi tinesmi, ac compressiones quædam comitari, 7. Aphor. 27. quæ vterum per latos seu transuersos ventris musculos inferius premunt, vnde distenduntur membranæ circumplectentes vterum, & abrumpuntur: quibus abruptis, vel vna earum, impossibile est fœtum seruari. Sed quod ad suam attinet causam, ni sit lienteria, sed sit potius diarrhœa, rectè à Brasauolo arguitur: neque enim corpus ob id alimento destituetur. Frigidè à Fuchsio alter defenditur, alter coarguitur. Hoc autem Aphorismo docuit nos Hippocrates, ne vel nimiū laxantibus ventrem vtamur, neque diu permittamus astrictam, nam & hoc solent alui profluuia sequi importunè. Inquit verò primo de Morbis mulierum: Concludere autem Pag.12. statim atque constringere oportet. Fit autem ex acri pituita à capi te destillante plerūque.

APHORISMVS XXXIV.

MVlieri, quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

COMMENTARIVS.

DVabus in causis probat sternutationem: in his quæ difficulter pariunt, id est, in ipsa hora partus, aliter causa esset abortus: & in vterinis id est vteri suffocationibus quas Græci hæstericas vocant. Non sunt autem veræ strangulationes, sed anhelitus defectus solùm, inquit Galenus, & bene. Quod volens interpretari Fuchsius, in aliam transit sententiam: Quia, inquit, manet vis pulsandi, quasi qui suspenduntur, non strangulentur verè. Sed non dicunrur verè strangulari, quia nihil est quod anhelitum intercipiat: sed ob frigiditatem cor non desiderat aerem, & ideo dicitur ἄπνοια, id est non respiratio, vel defectus respirationis. Sernutatio ergo significat exuscitatam animi

vim sensificam, & ideo spem esse solutionis morbi. Excitat etiam motus ille vitalem facultatem, reliquasque vires corporis: siquidem hæ in motu sunt constitutæ, vt etiam cæterorum animantium, nihil enim aliud est vita in animali, quàm motus. Demum expurgat etiam quæ in vtero continentur superflua, aut saltem vapores? cuius rei indicium est quod adijcit, adiuuare difficile parturientes, ideo causam morbi educit. Considerare autem oportet, an & in hoc medicus debeat naturam imitari? in parientibus quidem licet, & id agunt obstetrices: nec solùm ipsum, sed vomitum excitant. At in suffocatis, si vtero gerant (nam & illis hic affectus contingit, primo de Mulierum morbis) palàm est non conuenire, abortum enim faceret. Sed neque in aliarum cura huius præsidij meminit, veritus violentiã & agitationem: vt nec in libro de Natura muliebri, nec in primo nec secundo de Mulierum morbis, vbi eas curat.

Pag. 14. Pag. 16. Pag. 5. Pag. 31.

APHORISMVS. XXXV.

MVlieri menses decolores, nec secundum idem tempus semper venientes, purgationem indicant esse necessariam.

COMMENTARIVS.

DVo proponit: mensium colorem deprauatum, & aduentum inordinatum, quibus purgationem esse necessariam docet. Vt ergo necessaria sit, duo exiguntur; vnum, est noxa aut periculum ingens, quod sequi posset ex hac mensium corruptione: alterum vt aliter succurri non possit. Si quidem ipse inquit in septima Aphorismorum: Quos non possumus curare recta victus ratione, illos medicamentis sanare aggrediemur. Sunt autem plurima præter victus rationem, quibus talia curari solent: vt, pessaria, suffitus, inunctiones, lauacra, aquarũ calidarum vsus, tum intra tum extra. Sed hæc si purgent, iam loco purgantium habenda sunt: si non, adhiberi non debent, nisi præpurgato corpore. Docet autem ex colore, præcipuè libro de Natura muliebri, & in primò de Mulierum morbis, dignoscere humorem peccantem in mensibus, & quidem in libro de Natura muliebri iubet sanguinem menstruum super arenam spargi, & siccari in sole, & si color fuerit pallidus, bilis dominabitur: si vt mucus, pituita. Inde subijcit: Et sanè vtrum horum fuerit, infrà purgato, & ad vteros subdititia. Hoc autem facit in causa sterilitatis. At in primo de Morbis mulierum, etiam ob pericula quæ imminent, hoc ipsum considerat. Libet autem totam ipsius rei seriem subiungere: quandoquidem & ex eo sermone omnes dubitationes, quas proposuimus, dissoluantur. Verba sunt hæc: Si mulier corpore malè habuerit, & menses biliosi prodierint, ex hoc probè cognosci possunt. Nigri sunt valde, quandoque verò nigri aut splendidi, & paucissimi prodeũt, & citissimè congelantur: & semen amborum, & maris & fœminæ euanescit, & non habet in ventre: & incipiente quidem morbo purgatur diebus quibus solita fuit, non pluribus, progredientibus autem mensibus, pluribus diebus purgatur, & menses pauciores singulis diebus apparent. Et febres succedunt erroneæ, acutæ cum horrore, & cibi fastidia aliàs atque aliàs, & stomachi dolor: & dolebit maximè, vbi menses ipsi appropinquarint. Postquam autem purgata fuerit, & ad modicum tempus, superiorum respectu melius habuerit, postea rursus ad idem perueniet. Dum autem curatur, citò sana fit. Si verò non curetur, & tempus procedat, omnia prius relata valde ipsam affligent: & dolor corripiet nunc ventris partem infra vmbilicum, nunc inguina, nunc lumbos & coxendicum ad sedem iuncturam, nunc collum: aliquando verò strangulatio fortis accidet, & caligo ante oculos obuersabitur, & vertigo, vtpote purgatione sursum vergente ac ascendente. Si enim corpus malè habuerit, mulieri menses pauciores fiunt: & quibus corpus plenum fuerit, his menses plures prodeunt. At verò biliosæ si menses prodeant, pusillanimitas incidit, & cibi fastidium aliàs atque aliàs, & anxietas ac vigilia: & eructat frequenter, & non vult deambulare, & tristis est, & non videre sibi videtur, & timet, & si curetur, ex his sana erit: si verò tempus processerit, adhuc magis dolebit. Optimè autem cum hac agitur, si vomitus biliosus succedat, aut venter turbetur non fortiter, & subeant biliosa: & si fluxus succedat ipsi non fortis. Si enim quid ex his fortè inciderit in corpus afflictũ, periclitabitur: Si verò leniter depurgetur aliquid biliosi, aut totum id quod molestum est, sana fiet, si verò neque curetur, neque quicquam horum fiat, moritur mulier. Plerunque tamen contingit, vt fluxus biliosus incidat ex hoc morbo: & si fluxus fiat, primùm quidem pauca sunt quæ comparent: per omnes autem dies omnino plura contingunt. Temporis autem progressu plerunque etiam morbus acutus fit, & vteri à purgatione biliosa prodeunte mordentur ac exulcerantur. Sed & in hoc adhuc sana fit, si curetur, & fluxus compescatur. Iam ergo vides mala, quæ ex corruptione mensium timentur: & curam à natura, & à medico factam, & cur probet magis curam a medico vt tutiorem: & quod non sint tamen mulieres huiusmodi vehementibus medicamentis, sed lenibus ac sensim purgandæ. Tum verò, & quòd si cura fiat, vt concipiat, oportet etiam pessaria vtero subijcere, aliter autem sufficit, quæ fit per aluum purgatio: quoniam scilicet periculum sit in ea, quam concipere non oportet, huiusmodi prouocatio: sed & in illa, quam curamus vt concipiat, sed in ea ob egregiam vtilitatem, licet nobis eam non tam tutò curare. Itaque cum hæc omnia omittat Galenus, & qui eum secuti sunt, vides quodnam genus commentationis sit non Medico, vix Grãmatico, vt in hoc ipso agit, dignum, non reprehendo diligentiam, sed accuso negligentiam, atque hæc sufficere poterant, si secundam

vlt. Aphor. Pag. 7. Pag. 6.

dam partem expoſuiſſemus. Porrò menſes decolores, inquit ſecundo de Morbis mulierum, qui abundare ſolent, ſunt albi & flaui. *Pag.1.*

Curam igitur menſium non debito tempore fluentium, inſtituit in libro de Natura muliebri, conſtat autem braſſica, ruta & decocto paleæ, hordei: exhibetque polypum & piſces odoratos, id eſt cum aromatibus conditos, vt leuis ſit cibus, & qui vteros purgare poſſit. Polypi autem conferunt maximè vtero, & purgatio leuis eſt, & flatum pellens, & amara: hæc autem maximè vtero conueniunt. Subiicit autem in ſecundo de Morbis mulierum, ſigna materiæ atque humoris contenti in vteris: tum verò curã inſtituit aliam quam hic præcipiat, quoniã primũ præpurgat totum corpus: atque id commune eſt, quomodocunque humores praui ad vterum deferantur. At ſi prodeant, nec cura ſit vt concipiat, ſufficit totum corpus purgare, nec aliter irritare menſes peſſariis, aut medicamentis illos prolicientibus, qualia à Galeno commemorantur, tum ex calamento per os & per ſuffitus aromatum. At verò ſi materia in vtero retinetur, vel cura ſit vt concipiat, tunc talia adhibet etiam Hippocrates. *Pag.17.* *Pag.18.*

APHORISMVS XXXVI.

MVlieri vtero gerenti, ſi mammæ graciles repentè fiant, abortit.

COMMENTARIVS.

IN vitium turpe ducit fuga, ſi caret arte. Opportunè Galenus locum ex libro de Natura fœtus excitaſſet. Sunt autem eius verba hæc: Quando verò mulieri partus appropinquat, tunc puero ſe mouente, & manibus ac pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit: rupta autem vna, etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur primùm quidem ſibi contiguæ & cohærentes, poſtea extrema. Quum autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus à vinculo exoluitur, & agitatus foras procedit. Neque enim amplius robur habet pelliculis amiſſis: neque vteri amplius puerum continere poſſunt, pelliculis, velut dixi, amiſſis, & ab ipſis abruptis. Cohæret enim pelliculæ etiam vteris, vbi circumpuerum obuoluuntur, non adeò vi valida ac multa. Quando autem procedit puer, violat & dilatat vteros in exitu, vtpote natura teneros. Procedit autem in caput, ſi ſecundum naturã prodierit. Grauiſſimæ enim ſunt ipſi ſupernæ partes, ſi ex vmbilico perpendantur. Quum autem in vteris eſt, magis continens exiſtit vſque ad pellicularum rupturam ſimul cum decimo menſe, quando partus matri propinquat & adeſt: ſi verò violentam affectionem perpetiatur puer, etiam ante præfinitum tempus ruptis pelliculis prodit. Quin etſi alimentum à matre prius puero defecerit, etiam ſic partus matri prius aduenit, & ante decimum menſem puer prodit, ergo ex defectu alimenti ſeu ſecundum naturam, ſeu caſu fit abortus. Fit etiam ſine defectu hoc, vt cùm dixit: Si verò violentam affectionem perpetiatur puer, verùm hoc ad propoſitum cùm non ſit, omittatur. Et videamus primùm, cur mammis factis gracilibus hoc contingat. Liquet autem, quòd dum fœtus eſt in vtero, trahit ad ſe ſanguinem, cuius puriſſimam partem abſumit: aliam verò præpinguem comprimendo tranſmittit ad mammas, vt in eodem libro inquit Hippocrates: Lac autem ob hiuſmodi neceſſitatem fit, quum vteri tumidi præ puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt: eius autem pleni vbi compreſſio contigerit, pinguiſſimum de cibis ac potibus foràs proſilit. Inde poſt pauca: Et à pingui parte calefacta & alba, quod edulcatum eſt à calore qui ab vteris acceſſit, expreſſum venit in mammas: & in vteros quoque parum venit per eaſdẽ venas. Tendunt enim & in mammas & in vteros venulæ hæ, & cõſimiles aliæ, & vbi peruenerit in vteros de lacte, paululum ipſo fruitur puer: mammæ verò ſuſcepto lacte impletæ attolluntur. Quænam autem ſint hæ venæ, cum mammæ ab axillaribus ſanguinem recipiant, vteri ceruix à ſeminariis vaſis, fundus & ab his & à caudice cauæ, vt Veſalius libro quinto docet, non eſt vt referam. Melius eſt ergo, exiſtimare conſenſum hunc fieri vi naturæ, vt Hippocrates vult, quàm quòd vaſa ex vtero in mamillas deferantur. Satis eſt vteri vaſa ſeminariis iungi, vt ad libidinem prorumpãt. Si ergo quod redundat deficit, ſcilicet lactis materia: neceſſe eſt etiam deficere alimentum infanti ante tempus, atque ideo violenter abortire ruptis membranis. Quomodo verò rumpantur membranæ, vt dicit Hippocrates, nunc dicendum eſt. Vbi genitura in vterum feliciter inciderit, ſtatim miſcetur ſemini muliebri: & ſpiritus qui eſt in ea, incipit fabricare membra, ac ſtatim trahit ſanguinem ex venulis minutiſſimis, cuius pars euincitur, & in fœtus partem albam pro mẽbris, quæ vocant ſeminalia, tranſmutatur, alia pars non adeò elaborata tranſit in carneam ſubſtantiam: hæque duæ partes pro vna habebuntur, quia in vtilitatem fœtus tranſeunt. Alia pars non adeò pura tranſit quaſi in lac, & hoc ſeminis virilis ac fœminei virtute: & ideo vt aliena truditur retrò, & à mammis quoniam ſubſtantia earum ſimilis eſt illi (materia ſiquidẽ candida ſubſtantia trahitur) nõ ob venarum, vt iſti putant, conſenſum, quem fruſtrà adhuc quærunt, Hippocratem non intelligentes in loco adducto, ſed ob conſenſũ ſubſtantiæ. Atq; ita fit lac in mãmis, id eſt abſoluitur, quod in vtero incœperat. Quod ita ſit colligitur libro de Sterilibus: Mola ſi in vtero ſit, mammæ creſcunt, ſed lac non faciunt, fit enim mola è morboſo ſemine viri, ac modico, cum menſium copia. Tertia pars colligitur ibi in venis, impura prorſus. Atq; hæc eſt cauſa, cur ſi nutrices concipiant, corrumpunt lac. etenim dulciorem ac puriorẽ ſanguinis partẽ fœtus trahit ad ſe, & retinet quodlibet. Sed & fœtus ipſe non bene nutritur, mammis antequam oporteat trahentibus lac, & quicquid dulce eſt, & elaborari à ſemine iam vtero ad fœtus vtilitatem cœpit. Quo fit, vt & qui lactatur, & qui eſt in vtero, malè habeant: ſed deterius, qui lactatur. Exinde ſequitur, vt lac primum quod à puerperio prodit, malum ſit: quoniam genitum fuit ex ſanguine, à quo iam optima pars ſecreta erat: *Pag.10.* *Pag.6.* *Cap.15. & Fig.25.* *Vide 12. contrad.27.* *Pag.10.*

erat: ideoque exugi debet à muliere, & abiici. Bonum autem est lac, & optimum, quod prodit post purgationem puerperij perfectam: id est, in masculo à trigesimo die, in fœmina quadragesimosecundo, vt refert Hippocrates primo de Mulierum morbis, tum etiam alibi, tunc enim sincerissimus est sanguis, & maximè si menses fluant. Quatuor igitur illa (& de quibus in quinto Contradicentium) quærere in nutrice oportet: quòd genitus infans viuat, & boni sit habitus ab illa lactatus: quòd exegerit eos dies: quòd menses fluant: quòd ipsa boni habitus sit, temperata in moribus ac victu, & robusta ac sana, hæc summa perfectio.

Pag. 30.

Contradict. 16.

Sed vt ad ordinem redeam, vbi fœtus concrescere cœperit membrana vna tenui, quæ ἄμνιον, id est μνίον (est enim pleonasmos) quod est muscus, (adhæret enim fœtui, vt muscus arboribus) inter illam & carnem sudorem contineri, sed falsò putant, neque enim verisimile est fœtum, qui nec alui excrementa, dum in vtero est, emittit, sudorem emittere, quem homines non nisi violento aliquo casu profundunt: sed est pingue quiddam ad salutem infantis, in tanta mollitie à natura excogitatum. Hanc circundat chorion membrana neruea, crassa, dura valde, multis vasis ac vinculis intexta vtero, & exterius carnea substantia tota obducta, vt firmior esset. Atque inter hanc & amnion vrina fœtus continetur, nec est alia membrana in fœtibus humanis: in cornigeris media est alia, vt Fallopius auctor est, sed nobis sermo est de humanis fœtibus. Præter has est carnea placentula, stratum quoddam suppositum vasis, crassum, carneum, firmum, quo iungitur vtero, vasa verò quæ ex chorio in vmbilicum feruntur, duæ sunt quæ pulsant, & totidem quæ non pulsant, alternatim positæ: & nonnunquam vna est magna, quæ pulsat tanquam in medio duarum quietarum, sed vbi prope vmbilicum est, arteria diuiditur: totum verò vnum fit corpus ex his tribus, quatuorve, cum οὐράχῳ, id est meatu vrinario, qui è vesica fœtus fertur extra ἄμνιον (nam & sic aliqui scribunt, & alij ἀμνεῖον) in medio οὐράχῳ posito, ergo fracta amnio membrana, vrina tangit fœtum, & tanta molestia afficit, vt cogatur etiam chorion lacerare, & hoc est quod dixit Hippocrates: Pelliculam quandam internam rumpi contingit, qua rupta etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur: primùm quidem contiguæ & cohærentes, postea extrema. Ipse enim carneam partem chorij, & carneam placentulam numerauit inter pelliculas. Erat enim tempore Hippocratis maior copia rerum quàm verborum, maiórque cognitio, quod etiam nunc vtinam ita esset. Hinc est quod cùm ἄμνιον frangatur, plerunque antequam puer in vtero conuertatur) difficillimum enim est aliter contingere, conuerso infante & pellicula illa tenui ac semimarcida inter duos humores) vt fœtus magno versetur in periculo ob lotij molestiam, qua totus afficitur: & ne aliquid per os ingrediatur, nam à suffocatione illum tuetur respiratio per arteriam, quæ in vmbilico est, seu arterias: ob id labores in partu, tum ob hoc tum ob alia incommoda, quæ ab illo enumerantur in libro de Octimestri partu, debilitant fœtum, adeò vt non nunquam ante exitum, multi in exitu, multo plures paulo pòst, & maximè intra diem, intra septem dies, & intrà quadragesimum diem intereant. Quibuscunque autem ἄμνιον non rumpitur, hos vestitos obstetrices nasci dicunt, & pro portento habetur, sed felici, verùm nihil plus significat, quàm siccam temperiem membranæ, & quietem fœtus in vtero, cum verò fracta fuerit, sed ita vt etiam circumuestiatur, rete appellant, & id faustum putant.

In obseruationibus Anatom.

Pag. 1.

Demùm id, cuius causa carmen ab initio retuli, omnes prætereunt, scilicet cur adiecerit: Si repentè id contingat, abortum significare: cùm non minus videatur, etiam si sensim id fiat ac paulatim, idem posse. Ideo huiusmodi quæ difficillima sunt, omnes prætereunt. Atque eo magis est admirandum, quod cùm in quartodecimo de Vsu partium hunc Aphorismum ascripserit, meminit & illius verbi, vt dicere non possimus defuisse in exemplari. Ideo hoc adiecit Hippocrates, quoniam cùm repentè fit, magnam oportet esse mutationem, & ideo fœtum esse valde imbecillem: at si sensim non est necesse abortiri, præsertim cùm fœtus magnus extiterit. contingit enim, cùm cibus suffecerit fœtui alendo, non autem lacti generando, vnde tum qui nascetur, senili erit habitu pastus crassiore alimento.

Cap. 1.

Qui verò subiunxit illum Aphorismum qui passim legitur: Mulieri vtero gerenti si altera mamma gracilis fiat, & c. phrasim non habuit Hippocratis, credíditque subtile aliquid, & iuxta illius principia dicere: sed neque vera dixit. Primum, quod sæpe contingit, vnam extenuari mammam, & tamen mulier vnum tantùm habet in vtero, neque abortit. Hippocrates etiam dixit, iam mammas oportere graciles fieri, non vnam, & si duo sint in vtero, vix fieri potest, vt vnum abortiat, altero seruato. Quod tamen lucramur ex hoc est, fieri posse abortum vnius è duobus altero seruato, vt etiam de partu, vt in superfœtatione: quanquam rarissimè contingat: differt superfœtatio ab abortu vnius è gemellis in hoc, quæ superfœtatio vtrunque perfectum parit, & possunt superuiuere, quia suo tempore prodiêre in lucem. Res rara, tamē visa Mediolani nostris temporibus. Abortus autem vnius è gemellis fit, cū vnus interit editus ante tempus, alter seruatur vsque ad debitum tempus: quod accidit, cum mater robusta fuerit, & facilè parit, & fœtus robusti sunt: & causa abortus fuit casus aut ictus ex vna parte. Brasauolus autem dicit, obseruasse superfœtationem esse instar morbi epidemij: quod verum esse ratio suadet. Cùm enim sit res quasi præter naturam, indiget vt foueatur à causis communibus & potentibus: quare ab his prodeunt plures consimiles effectus. Illud idem de monstris. Ideo legitur apud Liuium: Cùm vnum apparebat monstrum, semper plura fuisse, & hæc causa est.

APHOR

APHORISMVS XXVII.

SI mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

COMMENTARIVS.

PRæposuit hoc, quod grauida sit, huic quod est peperit, non solùm ordinem naturæ secutus, sed etiam rei: quoniam, vt dixi, lac habet originem ab actione seminis masculi, cuius indicio sunt primùm viri qui lac habent, inde infantes quidam: vt filius Martini Borghini amici mei, qui dum lac è mammis satis copiosum emittebat. Viragines quoque, cùm ad masculinam naturam semen earum accedat, vbi menses retineantur, concoquunt sanguinem, & edulcant: atque ob id cum exitu careat, trahitur, vt dixi, à mammis similitudine substantiæ, & euadit perfectum lac. Quòd verò non ex sola sanguinis redundantia ob mensium retentionem hoc fiat, velut Galenus credit, per se clarum est, in multis enim hoc contingeret, cùm rarissimum sit, sed oportet adesse vim validam testiculorum in fœminis, imbecillem in masculis. Quæ vero Galenus recitat, quòd iecur sanguine nutritur, pulmo spumeo humore, ex sanguine tamen genito, lien ex nigro, ventriculus ex chilo, ossa ex medulla, cartilagines ex lento & glutinoso humore, glandulæ sub lingua ex saliua, testiculi ex semine, mammæ ex lacte, fellis vesica ex virulento sanguine, cerebrum ex pituitoso: quia vnumquodque membrum sibi concoquit, palàm est.

Et ne perpetuò in seriis versemur, narrat Brasauolus, Gallicam mulierem mersisse infantem editum in fluuio vrbis, qui paulo pòst mortuus emersit. Prætor vrbis sagax, cum nesciret cuius esset, iussit vt omnes quæ lac in mammis haberent, nec filium ostendere possent viuum, aut sepulturæ mandatum, conquirerentur: inuenta est quæ pepererat, mammis lacte plenis, illa credo admonita de hoc, se tuebatur: relata res ad medicos, dicebant illi ex Hippocrate, potuisse habere lac, nec tamen concepisse. Prætor tamen perstitit in sententia: credo quòd, etsi lac edant eiusmodi mulieres, non tamen adeò turgent mammæ, vt in his quæ conceperunt, & aliis forsan ex coniecturis, vt tormentis veritatem inquireret, nocentemque & nocentis matrem facti consciam occidit. Itaque facit hic Aphorismus solùm, vt probatio fiat indicium, nam & in virgine, etsi tumeant mammæ, vix fieri potest vt absque concubitu & conceptione hoc contingat, contingere tamen & hoc potest: pòst ab Hippocrate hæc excepta non sunt.

Sed maior est difficultas, quomodo hoc dogma medicum dici possit, cùm nulli sit vsui. Respondeo, quòd est vsui: quia Hippocrates iubet ab his quæ conceperunt, abstinendum esse, vt fœtus seruetur: si non concepit, vt congrediatur: ideo ex lacte vxoris quis posset falsò credere prægnantem, & abstinere. Secundò, quia maritus reuertens ex longa peregrinatione, posset vxorem vt mœcham, insontem tamen occidere, prohibetur hac admonitione: demùm, quia pulchrum est talia scire. Hoc exemplum semel vidisse tantùm me memini. *De Superfœt. Pag. 3. & 4.*

APHORISMVS XXXVIII.

QVibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

COMMENTARIVS.

CVm sanguis ad mammas defertur ex mensium retentione, fit hoc mammis trahentibus, & vt in lac conuertatur: at si ibi conuerti nequeat, contingit, quoniam siccus est immodicè, & adeò feruidus vt transmutari non possit: vbi verò putrescens cor calefacit & siccat, cerebrumque similiter, vnde insaniam gignit, apparet enim, vterorum morbos maximè caput afficere. At verò quanto magis, cùm colligitur ad mammas, nec superari potest, in vniuersum hæc collectio abundantiam atri humoris cum significet, necesse est illo aucto, & vtero consentiente adeò cum corde & cerebro, vt in præfocationibus apparet, furorem subsequi.

APHORISMVS XXXIX

SI velis noscere an conceperit mulier, cùm dormitura est, aquam ei mulsam potandam da: & si alui tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.

COMMENTARIVS.

QVoniam retentio mensium signum est conceptionis, ideo vult nos docere, an retentio hæc sit, quia conceperit, vt dixi, an non, nam si non, purganda est, & congrediendum est illi: si sic, astringentibus vti debet, & rarius congrediendum, vt etiam Princeps docet. Sed operæprecium est scire, *21.3.Tract. 2.cap.8.* cur tormina hæc incidant in his quæ conceperunt, non in his quibus alia causa detinentur menses, & manifestum est, quòd quæ conceperunt, præter id quòd os vteri (non dico colli illius, nam sic coire non possent) conclusum habent, partes etiam illas habent tumidas & calidas: quo fit, vt cum intestina extendantur, & aqua illa in flatum vertatur, ob calorem tormina gignantur. Tormina in recto intestino non fiunt, vt Fuchsius somniat, statim enim peditu flatus eijcitur, nisi quid obstet, quod tum periculosum valde esset, & amentis medici sit, experiri: sed in colo, atque ideò dum non potest flatus exitum inuenire angustiore ob vterum facto loco, &

& nihilominus gignitur assiduè ob calorem ventris (venter enim grauidarum calidior est ventre aliarum) tum quia plurimum sanguinis in illum confluit, & circumuicina loca tota illo tument: qui, vt dixi, resecatur à fœtus alimento: estque ibi alterum cor, alterum iecur, vt mirum sit quomodo consistant.

Quòd verò post plenam cœnam hoc facere conueniat, & cruda mulsa, non consuluerim: sed tenui cœna, multa mulsa & cocta, qualis è melle Cephalenio vel Hispano, cum quiete & somno securius & certius est. Vigilare prægnantem cum multo cibo in ventre, ac torminibus torqueri, neutiquam securum duxerim, quandoquidem securitati in hoc videatur Hippocrates consulere. Crudam forsan ferent regiones Galeni, tum ob calidiorem aërem, tum aquarum leuitatem: hic si dederis, non solùm mulieres, quibus menses suppressi sunt, nec tamen vtero gerunt, prægnantes iudicabis: sed etiam virgines & viros, torminibus enim, nec leuiter afficientur (præsertim si mel commune fuerit) ob aquarum cruditatem, etsi aquæ frigidæ potui non assueti sint. Ego autem nullum certius ac securius inueni experimentum, quanquam non vtile, nisi postquam fœtus moueri cœperit, & manifestè: & hoc est in fine mensis tertij, vel pòst, vt lintea madefacta frigido vino, aut etiam aqua, ventri supponatur in imo vbi durus est. Si enim fœtus adest, mouetur: si non, nullus percipitur motus. Hic Aphorismus in libro de Sterilibus sic scribitur: *Pag.3.* Mel & anisum tenuissimè tritum, in aqua diluito, & exhibeto: pòst dormire finito, & si tormen circa vmbilicum fiat, prægnans est: si non, non.

APHORISMVS. XL.

MVlier, si marem concepit, bene colorata est: si fœminam, malè colorata.

COMMENTARIVS.

PRæsupponit Hippocrates, vt bene Galenus ait in Commento, vt omnia sint paria: scilicet, vt comparatio sit ad seipsam primùm: deinde, vt nec fuerit nimium in vmbra vel sole exercitata, vel torpida, plurimo vino aut aqua vsa. Quocirca quod per se verũ est, tot rationibus coniecturale redditur. Verius autem suo tempore & in illis regionibus vbi etiam colores erant magis perspicui. Quocirca & aliis vtitur signis tum hic infrà, & in *Aphor.46.* libro de Sterilibus hæc habet: *Pag.3.* Quæcunque in vtero habentes, maculam habent solarem in facie, fœmellam gestant: quæcunque verò bene coloratæ permanent, masculum plerunque. Si papillæ sursum couersæ fuerint, masculum gestat: si deorsum, fœminam. Accipe de lacte, & cum farina misce, & pastillum forma, & ad lentum ignem assa: & si quidem comburatur, masculum gestat: sin autem hiet & diffundatur, fœmellam. Aut idem hoc lac super folia emulctum contemplare: & si condensatur, masculum gestat: sin autem diffunditur, fœmellam. Præter hæc ab eodem est tumor in dextra pro masculo, & sensus motus ab eadem parte: & hic percipitur melius à matre, & leuitas corporis, & promptitudo ad motum, sunt signa masculi: contraria verò fœminæ. Et ex his quæ proponit Princeps, & est, quòd pulsus dexter maior est sinistro: & cùm se erigit, vti- *21.3.Tra 2. cap.13.* tur manu dextra: & cùm ambulare incipit, præponit pedem dextrum, si masculum ferat, & Hippocrates docuit, quòd masculis *1.de Mor. mul.Pa.30.* citius mouetur fœmina, & macula solaris, est nigrities quædam obscura, sicut eorum qui in sole fuerunt, & in libro de Superfœtatione dicit, quòd mamma dextra est maior, supple, ac durior, & oculus dexter maior atque splendidior in masculis: contrà autem in fœminis.

Causa tandem omnium horum est, quod ad masculi generationem concurrunt duo: Locus, vt dixit infrà, masculi in dextris, & fœminæ in sinistris generantur. Alia, vt *11.Contrad. contrad.7. Pag.vlt.in fine.* semen validius tam masculi quàm fœminæ prædominetur, in vtroque enim validius semen masculum est, & masculos gignit: fœmineum autem in vtroque, & imbecillius, fœminas: & habetur ab eodem in libro de Genitura. Et hæc est opinio nostra de generatione masculi & fœminæ, & est expressa *Pag.3.* in Libro de Natura fœtus ad verbum (vt dici solet) vtraque. Cùm ergo genitura sit calidior & siccior, quod ad spiritum qui format attinet, seu sanguis ille postmodum menstruus calidus sit, seu frigidus, parum interest, nam pæonia mascula in frigida terra pæoniam masculam generabit, & inualidam: fœminæ autem semen in calidiore fœminam pæoniam, & mascula calidiorem & sicciorem & efficaciorem generabit. Quãdiu ergo semen in vtero est, & spiritus genitor talia operabitur: vt si calidior sit: & in dextro caliditatis ostendet signa, & dextram magis mouebit: si postmodum temporis successu sanguis menstruus contrariæ fuerit facultatis, quanto magis fœtus tanto signa illa imbecilliora euadent, donec confundantur primùm, inde etiam euertantur. Atque in his certiora erunt signa principij conceptionis quàm finis: sed ob imbecillitatem & temporis breuitatem signa principij non possunt esse vnquam valde euidentia: attamen fallacia esse non possunt. At si materia fœtus & natura totius cum initio consenserit, tunc quanto magis procedet augmentum fœtus, eo magis signa erunt euidentiora atque certiora. Atque hæc fuit causa, quare homines ad hanc vsque diem, vt etiam in aliis plerisque Hippocratem non intellexerint.

APHORISMVS LXI.

SI mulieris grauidæ in vtero sit erysipelas, lethale.

COMMENTARIVS.

TRia hic coniungit, quorum nullum seorsum causa esse posset mortis, simul autem iuncta

iuncta esse possunt. Erysipelas enim, superficiarius ac cutaneus morbus est: Vterus membrum non est principale proprium, adeò vt 4.4.Trac 2. c.12.in fine. Princeps narret, cuidam mulieri totum excidisse, ac superuixisse. Vtero gerere, res est secundum naturam: & tamen ex his omnibus Pag.1. oritur mors. In primo de Morbis hæc scribuntur: Erysipelas si in vtero fiat, mortem necessariò affert. Causa est, quòd aborsum facit ob vehemens incendium: ex abortu autem & erysipelate necesse est mulierem mori. Sufficiat autem adiecisse sententiam Hippocratis Pag.4. in Libro de Muliebri natura primùm: Si erysipelas in vteris oboriatur, tumor fit à pedibus exorsus, & ad crura & ad lumbos procedens. Quum autem tempus amplius processerit, intumescit etiam venter, & rigor ac febris corripit, itemque debilitas: præ dolore verò quiescere non potest, sed iactat seipsam. Dolor autem ex imo ventre ascendit ad lumbos, postea sursum vergit ad præcordia, & pectora, & caput, & mori sibi videtur. Quum autem remiserit, torpor occupat manus. Aliquando etiam inguina & crura, & poplites: & liuida fit, & modico quandoque tempore sibi melius habere videtur. Deinde rursus eadem patitur, & corpus pustulis impletur, & facies rubescit, & sitis valida tenet, & fauces siccæ sunt. Hic morbus si prægnanti fiat, moritur: sin minus, curata sanatur. Quum igitur sic habuerit, adhibere oportet, si dolorem habeat, frigefactoria, & ventrem turbare. Et si quidem in ventre habeat, cibis ac potibus vtatur, à quibus fœtus non corrumpitur: si verò non secedant, clysterem adhibeto. Si autem in ventre non habuerit, pharmacum bibendum dato: & cibis paucissimis vtatur mollissimis ac frigidis, & Mercurialem edat, & sambucum: & neque salsa, neque pingnia, neque acria, velut est origanum, aut thymus, aut ruta. Postquam autem calor & strangulatio remiserit, & tumor non fuerit sedatus, medicamentum fortius infrà purgans, postea bibendum dato. Morbum autem tunc paucæ effugiunt. Per ea verba, Et si quidem in ventre habeat, cibis ac potibus vtatur: declarat, etsi raro, tamen Pag.16. aliquas euadere posse. Idem in secundo de Morbis mulierum hæc eadem habet, & paululum euariat, cuius causam in Commentariis scribemus, nunc satis sit retulisse seriem illius, quæ talis est: Si erysipelas in vteris fiat, tumores fiunt liuidissimi, à pedibus exorsi vsque ad crura tota, & ad lumbos. Quanto verò tempus amplius progressum fuerit, & pectus percipit, & intumescit, & tota perfrigeratur, & febris habet magna, & rigor superuenit, & spiritus densus, & animi deliquium, & debilitas & dolor totius corporis, & tristatur, & mente variatur. Et affectio ascendit ex inferno ventre ad lumbos, & ad dorsum, & præcordia, & pectora, & collum & caput, & stomachum, & mortua esse videtur. Quum autem dolor solutus fuerit, torpor habet lumbos, & inguina & crura: & in poplitibus liuores fiunt, & modico tempore melius habere sibi videtur, deinde rursus affligitur, & corpus pustulis completur, & rubores conspicui ac manifesti faciem occupant: & guttur siccum est, & lingua aspera. Hic morbus si prægnantem inuaserit, occidit: sin minus, medelam adhibere oportet, & lac asininum bibendum dare, ac purgare: si verò sic non soluatur, ventrem mollibus frigefactoriis perfrigerare, & subditiciis non molestis & leuibus paulatim purgare, itemque vomere. Ad hoc commodum est, sambuci folia sumere cocta cum origano, aut thymo, aut ruta: si verò febris dimiserit, etiam vinum ac cibos dulces dato, veruntamen paucæ curantur. Plura si subiiciam, piaculum facere videar.

APHORISMVS XLII.

Quæcunque præter naturam tenues vtero gerunt, secundo mense abortiunt, priusquam crassescant.

COMMENTARIVS.

Mirum est, quòd Galenus, multiplices cùm doceat sensus, non ostendat quem debeamus amplecti nec ratione nec autoritate illius. Primùm quidem dicit, non carere ratione, si quis interpretetur præter naturam, id est immodicè, nam si immodicè & præter naturã, iã superflua est vna interpretatio: sin autem secundum naturam, ad quid verba illius; Priusquam crassescãt? Liquet enim quòd non crassescent, propterea quærenda est ratio ac sensus simul: Si qua mulier boni habitus extenuata, vt in obsidione aut publica fame, concipiat, ab initio, quia parum est necessarium sanguinis ad fœtum, rectè res cedit: at cum crescere cœperit, fit pugna, corpore matris & fœtu ad se trahentibus alimentum: cum igitur robustius sit corpus matris quàm fœtus, ideo trahit magis, & fœtum nutriri prohibet. Alia ratio est sumpta à gracilitatis causa, scilicet prauitate humorum, & Com.44. tertia ab imbecillitate vteri. Duarum postremarum meminit Hippocrates, vt infrà ostendam. Prima fuit Numesiani, Quinti discipuli, vt à Galeno refertur in Commẽto. Ex quo patet solutio priorum quæsitorum, abortiunt enim antequam crassescant semper. Hic autem obortus circa secundum mensem accidit. Quamuis hoc in versione Leonicenus omiserit.

APHORISMVS XLIII.

Qvæcunque mediocriter corpora habentes, abortiunt secundo aut tertio mense, sine occasione manifesta, iis acetabula vteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur.

COMMENTARIVS.

Hippocrates in primo de Morbis mulierum hæc habet: Si acetabula pituita Pag.22. plena fuerint, menses fiunt pauciores: etsi in ventre habuerit, corrumpit, vbi fœtus validior factus fuerit, non enim corroboratur, sed defluit. Cognoueris autem hinc, Humida

fit,& quod defluit, mucosum & tenax velut à ventre defertur, & non mordet:& in mensibus postquam sanguine purgari desierit, per duos aut tres dies muci ex vteris prodeunt, & horror tenet, & calor non acutus, verùm non deficit. Hanc succo grossorum colluito, à quibus omnis aqua purgatur: & hoc iterum atque iterum. Postquam autem purgata fuerit, de cætero acerbis vtatur. Apponat autem mollia, à quibus pituita purgatur,& foueat vteros medicamento ex lauro, & colluat pharmaco ex aceto: & aromatis suffitum faciat, postquam menses cessarint. Postea verò à cibis & balneis abstinere oportet. Coeat autem cum viro, & cibos ac vinum parcè sumat, & calidè degat, & tegumenta cruribus circumdet, & oleo illinat. Hæc autem facere nos iubet, cum vterus vacuus est, non cum iam concepit. Pag. 6. Hæc eadem in de Natura muliebri: Vt planum sit, quemadmodum secundo vel tertio mense ibi, vbi fœtus validior fuerit. Hic respexit ad id quod dixit in quarta particula, Aphor. 1. quòd scilicet fœtus quarto mense robustiores fiunt. Ideo periculosissimus est tertius, quia maximus: & etiam quia sexto Epidemiorum inquit, Par. 7. in fine. Labores tertio, quinto, septimo, nono mense.& secundo & quarto.

Quid autem sint acetabula hæc, Græcè κοτυληδόνες, exponit Galenus in Commento, dicens esse ora vasorum ad vterum, id est, vteri cauitatem venientium, ex quibus conceptionis tempore secundæ pendent. Nihilo secius dicuntur cotylidones, à κοτύλης similitudine. Est autem κοτύλη, vas antiquum nouem, aliàs septem, cum dimidio vnciarum efformatum in modum cauitatis, in quam ingreditur os femoris,& sic vocatur ab Hippocrate in libro de Locis in homine, Cap. 95. & de Articulis. Cuius effigies apparet depicta à Matthiolo in quarto libro, dum de herba κοτύλης agit Dioscoridem exponendo. Intelligit ergo Hippocrates de placentula carnea illa, cui affiguntur vasa vmbilici, quibus fœtus sustinetur: quæ vbi laxata fuerit, vincula & vasa fœtus disrumpuntur, nam istud contingere non posset plenis oris vasorum, vt vult Galenus. Sed hæc placentula non habet acetabuli formam (fateor) sed tamen sententiam Hippocratis complet. Acetabula Galeni & Praxagoræ, quem Galenus in hoc sequutus est, præter id quod minus accedunt, placentula ipsa ad formam acetabulorum Hippocratis sententiam de pondere fœtus, & abortu inanem reddunt. Cur autem sic Hippocrates appellauerit, dicam. Cornutis Cap. 5. animalibus, vt Aristoteles narrat, secundo de Generatione animalium, sunt in vtero quædam corpora, in modum paruæ cotulæ, quorum conuexum vterum respicit: cauitas autem fœtum, sunt autem vtero adnata, vt in ipsum coeant multæ venulæ ex eo, & collecto nutrimento, tanquam ex mammis fœtus per vmbilicum trahat & alatur, dicit septimo de historia Animalium, Cap. 8. adiicitque illa acetabula non solùm ædito fœtu euanescere, imò antequam nascatur obliterari incipiunt. Atque hæc est sententia Falloppij erudita & ingeniosa, omniáque illius dicta ad propositum conducunt,& vera sunt. Ego tamen hîc per κοτυληδόνης omnia vasa & cauitates intellexisse Hippocratem credo, adeò vt & planta pedis significetur, & vola manus, & procirris πολυπόδων accipi possit. Certum est autem concauitatem esse in vtero, quam Hippocrates in dextram & sinistram diuidit, atque has partes acetabula intellexit. Nam non esse placentulam, indicat, quòd ea sit solum in mulieribus, dum vterum gerunt: at Hippocrates in locis adductis loquitur de acetabulis pituita plenis, etiam cum vtero non ferunt, ea enim cura, vt dixi, instituitur ab eo, dum mulier non est prægnans. Sed nec capita venarum sunt, cum sermo esset indignus Hippocrate, dicere ora venarum plena: quin potius dixisset, venas. Non sunt acetabula vterus, distinguit enim planè vterum & acetabula pituita plena, primo de Morbis mulierum: nec placentula, nec vincula, quæ in vtero gerentibus tantùm sunt. Pag. 11. Nec ora venarum (expressisset enim) nec illa similitudinem retinent cotyles, sed cauitates vteri. Concordátque tum cum Aphorismo, Pag. 11. tum cum eiusdem verbis eodem libro. Sunt autem mulieres, quæ facilè quidem concipiunt, sed ferre non possunt, nam tertio vel quarto mense abortiunt, ob vteri leuitatem.

APHORISMVS XLIV.

QVæcunque præter naturam crassæ, non concipiunt vtero, iis omentum os vteri comprimit:& priusquàm extenuatæ fuerint, non concipiunt.

COMMENTARIVS.

HIc concors est, ac quasi conuersus illius est, in quo dixit: Quæcunque præter naturam tenues. Quamobrem & præter naturam hic propriè accipiendum est, nam secundum naturam non est cur comprimatur os vteri, solet enim natura, si non fuerit læsa, sic cuncta construere, vt non lædantur necessariæ operationes. Videmus etiam multas mulieres pingues fœcundas esse: at ex macilentis factis pinguibus vltra mediocritatem, vix vllam. Quis dubitat pari ratione data, quin plus obsit præternaturalis dispositio, quàm naturalis? Sin verò ad immoderantiam trahatur, vt qui Galenum tueri conantur, coguntur facere, qualis fiet Hippocratis sermo, ne vetula dignus? itaque patiantur suum Galenum iustè accusari, dum nimium fisus ingenio & auctoritati, oscitanter Hippocratem nimis interpretatur. Quòd verò de ore vteri, quo vterus ceruici annectitur, intelligat Hippocrates, non vuluæ, adeò planum est, vt prætermittere potuisset: & ex hoc etiam acumen ingenij illius dignoscamus, nisi esset quòd (& quandoque bonus dormitat Homerus) lassus contentionibus, & medendi exercitatione, vt etiam ipse fatetur, se scribendo applicabat. Itaque patiantur quidam nimis superstitiosi, imò ambitiosi, imò fallaces & auari, qui titulotenus Galenici, vt lucro consulant,

sulant, oderunt, aut odio habere se fingunt, si quis eis veritatem proponat. Sed vt ad propositum redeam, nec Galenum errasse quisquam in ea expositione addubitet, vide quid in libro de Superfœtatione dicat Hippocrates: Mulier quæ præter naturam crassa est ac pinguis, & pituita repleta, non concipit hoc tempore, quæ verò ex natura, talis est, horum gratia concipit, si non aliud quiddam ipsam impediat. Meminit autem vtriusque horum libro de Natura muliebri, dicens: Quum in ventre habens fœtum menstruum aut bimestrem corruperit, & ad perfectionem gestare non poterit, & tenuis præter naturam fiat: huius vteros purgare oportet, ac corpus pinguefacere, non enim prius fœtum perferre poterit, quàm vteri ipsius crassi fiant, & robusti euadant. Si vero præter naturam crassefacta fuerit, mulier non concipit in ventre, nam omentum multum & crassum incumbens, vteros deprimit, & genituram non suscipit. Hanc igitur attenuare oportet, & medicamentum per inferna purgans, dare bibendum: vteris verò apponere quod illos purget, & flatus non inducat. Porrò quænam magis concipiant (quanquam parerga) tenues an crassæ, secundum naturam mulieres, pulchrum est ex Hippocrate scire, secundo Prædictionum sic dicente: Porrò ex mulieribus, quæ magis aut minus in vtero concipere solent, ita considerationem facere conuenit. primùm quidem specierum. Paruæ enim ad conceptionem præstantiores sunt maioribus, tenues crassis, albæ rubicundis, nigræ liuidis. Quæ item venas conspicuas habent, meliores sunt quàm quibus non apparent. Carnem autem vberiorem habere, aniculæ malum est mammas autem magnas ac tumidas, bonum. Atque hæc quidem ad visum exposita sunt. Verùm interrogare oportet etiam de menstruis purgationibus, an omnibus mensibus compareant, & an copia satis magna, & an boni coloris sint, & æquales in singulis temporibus, & in iisdem mensium diebus? sic enim has fieri, optimum est. Locum verò in quo conceptio fit, quem sanè vterum nominamus, sanum esse oportet, & siccum ac mollem. Sit item neque retractus, neque pronus, neque os ipsius sit auersum, neque conclusum, neque euersum. Fieri enim non potest vt conceptio fiat, quodcunque tandem talium impedimentorum affuerit.

APHORISMVS XLV.

Si vterius in coxam vergens ad suppurationem veniat, necesse est emmoton fieri.

COMMENTARIVS.

Tot mihi in huius Aphorismi expositione digna reprehensione occurrunt, vt nesciam quid primùm scribam. Exponunt ἔμμοτον, liniamentum, id est, quòd per fila vnguentum immittitur: alij curationem, quæ per fila fit, vt Galenus: alij ipsa fila. Quæ omnia sunt nugæ. Nam inquit Hippocrates ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι, id est, Necesse est fieri ἔμμοτον. Si ἔμμοτον fieri necesse est, ἔμμοτον res est quæ à natura habet originem, non ab hominis industria. Dixisset enim ἀνάγκη ἔμμοτον ποιῆσαι, necesse est ἔμμοτον facere: aut ἐνθεῖναι, quod est imponere, at verò verbo γενέσθαι vtitur, quod nullo modo in actiuam significationem deduci potest. Quamobrem in huiusmodi obscuris vel experimentum sequi decet, aut demonstrationem, aut alterius loci eiusdem doctoris auctoritatem. Sed ad secundam deuenio reprehensionem. Inquit Fuchsius: Ideo à Foroliuiensi, Hugone Senensi, & id genus aliis ineptis ac barbaris interpretibus, falsissimè est exposita, ineptos enim cur non appellem? Deinde subiungit: Eorundem adhibebant somnia, & rursus: Quæ lectio subinde Iacobo Foroliuiensi, & aliis eius farinæ indoctis interpretibus. Quis ferat primùm hunc, hominem, quasi literas Latinas & Medicinam vel primus, vel solus, vel maximè illustrârit? Quid hoc est falsissimè? vbinam gentium? Barbaros Germanus Italos vocat?

Scilicet obstrepitans arguta vespa cicadæ.

Tempori condonandum, ac moribus æui, sed quale emolumentum præstitit bonis literis? Quale Galeni opus vertit hic Græcus nouus ex tot? omnia debemus Italis, & Ioanni Cornario, cui etiam debemus Hippocratem, & Aetium. Ad hunc spectabant hæc potius, si ad quenquam maledicere spectat. Sed quid? Galenicam methodum inuexit, Contradictiones contexuit. Nihil minus: vtriusque enim horum inuentor fuit Curtius: sed solùm lineamenta quædam excogitauit, labor ac iudicium à nobis exacta sunt. Quid sibi tribuit consarcinatis illis suis scriptis, aut in quo præstat? Methodo medendi? at in hac adeò insuperabilis est Galenus, vt nos solam partem hanc non ausi simus attingere. An dissectionem sibi vendicat Vesalij, aut simplicium medicamentorum cognitionem? si initium, à Leoniceno, multorum bonorum auctore: si incrementa, à Theoderico Dorstenio, Ottone Brunfelsio, Tragio: si absolutionem egregiam, à Matthiolo Senensi. Quinque sunt, quæ celebrem efficiunt virum multarum rerum cognitio, studium assiduum, inuentio, iudicium, & seculum fœlix. Fuchsio duo defuêre, inuentio & iudicium: illis nihil defuit præter seculum florens. Quale ingenium, memoria, patientia, studium, iudicium, peritia rerum? seculi fauore, fateor, destituti erant. Quis nisi inuidus & malignus luctabitur cum laruis? manes clarorum virorum, tot vigiliis exhaustos, iurgiis prosequetur? nisi Fuchsius, ausus lacerare Principem etiam: sic vt non causam, sed homines odisse videatur. At nos Galenum arguimus non ignorantiæ, vt ille: non mali iudicij, non leuitatis, non mendacij: sed negligentiæ atque ambitionis, à quo peccato, nullius qui res ipsas respiciat, iudicio liber esse potest. Dissectionem, Pulsus, & Aphorismorum commentaria, scimus esse potius furta infelicia, quàm libros suos: reliqua, nisi paucis exceptis, propé diuina sunt, & incomparabilia. Illa tria, quoniam exigebant peculiare studium,

dium,quod obartis exercitium præſtare non potuit,præſtitiſſet & pro decore nominis & vtilitate humani generis, ſi non attigiſſet. Nunc iam duo penè reſtituta ſunt per Veſalium,& ſuum diſcipulum,& per nos:tertium laborem poſteris relinquemus,in quo tamen præter nugacitatem,parum eſt quod deſideres.Sed fac vt aberrauerint boni illi viri,tota (vt dici ſolet) via nónne Philoſophus ſecundo primæ Philoſophiæ hæc habet: Verùm non ſolùm illis agendæ ſunt gratiæ,quorum opinionibus quis acquieſcet,ſed illis qui ſuperficie tenus dixerũt,conferunt enim etiam aliquid iſti,habitum namque noſtrum exercuerunt. Si enim Timotheus non fuiſſet, multum melodiæ nequaquam habuiſſemus:ſi tamen Phrinis non extitiſſet, ne Timotheus quidem. Simili modo & de illis eſt,quod de veritate aſſeruerunt.A quibuſdam enim opiniones aliquas accepimus: quidam verò vt hi fierent,cauſa fuerunt.At vide hominis iudicium,ne dicam ſapientiam. Forſan gloriatur quòd muſculum, quem alij neſciuerunt, detexerit:ἔμμοτον,docuit non fila ſignificare, ſed medicamentum liquidum,quod concerptis linteolis vlceribus inditur. O præclaram inuentionem,affer Lexicum Græcolatinum: lege,ἔμμοτα,ſunt medicamenta liquida, quæ concerptis linteolis excipiuntur,intráque vlcera conduntur.Sed,vt dixi, non ſunt: quapropter genuinus ſenſus eſt explicandus. At nemo putet hæc alio animo à me eſſe dicta, niſi quòd conſulam, vt homines ſolùm amplectantur eos qui vel vertant è lingua in linguam,vel ſua prodant inuenta: dico res, non nugas,vel demonſtrent veros auctorum ſenſus continua ſerie erutos,ac firmo conſenſu continuæ orationis eliſos.Neq; enim dubito hac accuſatione atq; increpatione aliquid me illi,vt Theſſalo Galenum,nominis in ſequentem ætatem comparare. Sed neque eo indignus omnino,multũ enim laborauit. Itaque hæc pauca ſcripſi, vt in poſterum caueant homines velle ſibi ex aliis gloriam cõparare:diſcant meo exemplo, qui cùm priuatas inimicitias cum Curtio præceptore meo exercuerim, & ſub prætore de crimine egerimus, ego tamen illi inuentionis gloriam aſcribo,quam ſufficiebat ſilentio tranſigere,ſi nolebam adimere:quandoquidem illius ſcrip a nulla ſint euulgata, neque ſi euulgentur,nu c quiſquam iurè poſſit exiſtimare hæc fuiſſe ab illo inuenta, vel excogitata. Certè pauculas ille collegit,& leues ac mutilas contradictiones,obſcuréque diſſoluit, vt quod ſub initiis operum euulgatorum floruerit,cum adhuc tenebricoſa omnia eſſent. ego tamen quadraginta annorũ ſpacio, poſtmodum tam leuis initij exemplo innumeras paucis, & amplas & euidentes ac generoſas hinc illincque erui collegi,digeſſi,ſæpius repetita tractatione, multis adiuuantibus anagnoſtis: & quod maximum fuit, penè poſt deſperatum tanti laboris finem, quem optaueram, inuentæ Dialectiæ nuper beneficio concordiam conciliationemque exactam in omnibus aſſequutus ſum,non ſine principiis his quæ in libris de Subtilitate iam demonſtraueram,in libris autẽ Contradicentiũ amplificaueram,ac planè declaraueram. Itaque par eſt, poſtquam,vt aliàs dixi, infinita nobis rerũ ſcientia ſupereſt, non ſolùm maledictis ac furtis neminem probũ virum aut ſtudioſũ operam dare: ſed ſi qui tales deprehendantur, eruditos illis non fauere,ſed maledictis,vt ſeplagiarios,vt plagiarios proſequi dãnare, eijcere è communi omnium doctorum cœtu,illorum ſcripta negligere atque contemnere prorſus.

Cæterum vt ad rem redeam,Hippocrates in libello de Superfœtatione hæc habet: Si *Pag.4.* cui vterus ſuppuratus fiat poſt partum,aut ex abortu, aut quomodocumque aliàs, & non in vaſe alio ac tunica,vt in tuberculo ſolet, pus fuerit:huic conducit ſpecillum auctorium in vteri os demitere, minus enim opus fuerit vſtura,ſi ad ſpecillum(ſupple cura)proceſſerit,atque hæc ad Aphoriſmum.Sed placet:totam curationem ſubiungere. Deinde erucas à tithymalide colliges, habent enim velut aculeos quoſdã, quos leniter reſcindes, ne pabulum internum ex ipſis elabatur:deinde ſiccabis ipſas in ſole, & teres. Vermes quoque ſtercorarios inſole ſimiliter ſiccabis, & teres: & erucæ quidem pondus duorum obolorum Ægineorum, vermium verò duplum miſcebis,modico aniſo addito, aut aliquo eius generis, nam mali odoris medicamentum euadit, hæc autem leuia facta ac contrita vino albo odorato diluito: & poſtquam biberit, grauitas accedit,& torpor in ventrem irruit.Si itaque accedit, modicam aquam mulſam inſuperbibat.Iam verò vides quod & ſi quis per emmotum velit ipſum medendi modum quouis interpretari modo: ſeu vnguentum ſeu linamentum, vel quod magis ad ſenſum Hippocratis conduceret, ſpecillum(nam & hæc vox ipſa compoſita ex ἐμ & μότον,indicat,quod,eſt in,& poſitum ſeu miſſum)nihil ab Hippocrate dignum,propter ea quæ contrà adduximus,iure exiſtimauerit.Quis enim ignorat,vbi digito non licet medicamentum illinire, cogi nos impoſito ſtragulis medicamento, vt colligatur melius per ſpecillum debere applicari,iſta enim admonitio tonſoris empirici prorſus eſt, non digna Hippocrate: quamobrem altius quid eruendũ eſt.Præſupponit duo Hippocrates in hoc Aphoriſmo:ſuppurationem & decubitũ vteri in coxam,vt ſit loco motus, ex quibus ſequitur hoc tertiũ; quid eſt? quod natura rei oſtendit ſcilicet obliquum ſitum ac profundum vlceris. Emmoton ergo vlceris nomen erat,quod non niſi longo ſpecillo curari poterat:à modo curandi ita ſuo tempore nominatum, vt hodie fiſtulam;At dices:Iſtud idẽ eſt cum his quæ ab aliis dicta ſunt,ſolo verbo differens? Nequaquam, ſed illi ſuppoſita re obſcura, ſcilicet natura vlceris, rem per ſe claram doceri ab Hippocrate volebant: nos verò illud quod eſt obſcurum, ſcilicet rem ipſam,& vlceris naturam.Eſt enim huiuſmodi vlcus ſemper profundum ſinuoſum & obliquum propter vteri ſitum:atque ob id digitis curari non poteſt,nec rectis ſpecillis, & ideo nec igne,ſicut cum vterus locum ſuum retinet,tametſi ſuppuratus fuerit.Et ob id emmoton dicetur hoc vlcus,quod perinde erat, vt hodie ſi dicamus fiſtulam,cuius eſt certa cura per abſciſſionem labiorum vlceris:ita emmoton

meton neque per licinia vocata seu cōcerpta linteola, neque per vstionem, cum videri nequeat, curari potest: sed solùm medicamento illo adeò acerbo & abominando. Ecce ergo me rem, non verba docuisse, & rem planè abditam & occultam ad hæc vsque tempora.

APHORISMVS XLVI.

Foetus mares quidam in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.

COMMENTARIVS.

Demonstratio est ex dictis in libro de Natura Fœtus: fœtus fiunt mares tum ob locum dextrū, qui est calidior sinistro, vnde seminis calor diutius seruatur in vtero: & ob semen, quod validius decidit ex vtroque parente: sed in dextram partem deciditur magis semen ex testiculo dextro fœminæ: semen autem decisum ex testiculo dextro fœminæ, calidius est ac siccius, tum purius quàm ex sinistro, vt ex quartodecimo de Vsu partium habetur à Galeno, & clare à Vesalio lib. 5. videre licet. Vasa enim quæ ad testiculum dextrū tā in masculis quàm fœminis veniunt, vtraque ex caua vena, postquā emiserit ramos ad renes, quibus aquea substantia repurgetur, deducuntur: at ad sinistrum partim ex trunco eodem, sed loco humiliore, partim ex ipso ramo ad renem sinistrum tendentē, pleno magis vrina quā sanguine producuntur, vnde salaciores bifariam magis generant fœminas: tum quia in his abundat semen impurum, tum quia minus illud concoquitur. Palàm est igitur, masculos maiore ex parte in dextris ob duas causas generari, vt fœminas in sinistris. At dixit magis, quoniam potest à viro eiaculari semen ex dextro teste fermè totum, quod ambabus illis causis præualebit, & generabitur masculus in sinistra parte: & similiter si contingat casu læsam esse dextram partem, sinistram autem esse calidiorem. At prioris causæ illud argumentum est, quod quidam semper fermè masculos generant, velut de Hercule legitur, quem ferunt fuisse fœcundissimum, & vix inter 50. filios vna fœmina inuenta est, adoleuerúntque fermè omnes: quamuis plures & in vtero, & post natiuitatem magna incommoda passi sint. Atque eadem ratione ferūt pastores hircis & arietib. ligato testiculo sinistro, antequam admittātur, agnos & hœdos masculos procurare, quod etiam viri, dum cum muliere coituri sunt, consulit Hippocrates vt faciant, libro de Superfœtatione. Sed vt ad rem redeam, quandoque pars sinistra validior est dextra, adeò vt referat Brasauolus, vxorem suam fœminas in dextra, masculos in sinistra gestasse, & cùm aliquando simul masculum & fœminam peperisset, apparuit emissa prius fœmina hypochondrium dextrum exinanitum: tumidum verò adhuc sinistrum, in quo residebat mas. Verùm generaliter dextræ partes ob iecur calidiores & firmiores sunt sinistris, vnde illud Hippocratis secundo, Epidemiorum: Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra, oculus dexter, & quæ intra sunt hac parte, nam & masculi dextris inhærent, & in sexto eiusdem: Quòd in calidiore, solidiore in dextris: & nigri præterea, & venæ extrinsecus, & multo biliosiores. Quòd solidum factum est, & biliosius & sanguinolentius est: hic calidior locus animali. Sed & in testibus masculorum eadem ratio apparet, rursus dicente Hippocrate sexto Epidemiorum: Hircire incipiens vter testis extrà apparuerit, si quidem dexter, masculum: si sinister, fœmellam portendit.

[Margin notes: Par. vlt. in fin. — Cap. 7. Fig. 13. — Par. 6. — Par. 6. — Par. 2. in fine. — Par. 4.]

APHORISMVS XLVII.

Vt secundæ procidant sternutatorio apposito, nares apprehendito, & os.

COMMENTARIVS.

Hvic quid dicam de præclaro hoc Commento, vbi docet non docere Hippocratem excutiendum esse vterum, sed secundas, nonne admiranda dicit ac docet? veniant nunc huc hi Galenici, & hominem tueantur qui docuerit non insanire Hippocratem. At deerat materia dicendi? nullibi vnquam vberior: quo fit, vt credam omnino contemptim hos Aphorismos exposuisse Galenum, & primum videamus, quonam pacto fiat sternutatio, deinde quomodo secundas fœtumque expellat: quibusdam etiam herniam, laxato peritonio & membranis, inducat: vt videant omnes, Galenum non intellexisse quæ necessaria erant ad Hippocratis expositionem. Sternutamentum igitur & tussis eodem modo, & ab eisdem causis fiunt: sed tussis à pulmone, sternutamentum à cerebro, & primùm ille error occurrit Galeni non ferendus, secundo de Symptomatum causis, cùm dicit: Sternutatio instituta est ad protrudenda persequendáque quæ nares infestant. Quasi natura tantum motum cieret, & in quo non leue vitæ periculum versatur ad tollendam molestiam narium, deinde molestiam sentirent nares, protruderet cerebrum aliena mala: nec cuique parti datus esset modus expellendi noxia, quæ sentiat. Sed omittamus hæc. Sternutatio est instituta ad propellendam causam molestiæ, quæ percipitur in ventriculis anterioribus cerebri, vndecunque molestia illa procedat: seu ex naribus seu palato, seu capite ipso, ad hæc enim tria fermè reducitur. Quāquam & ab oculis contingat, vnde solem inspiciendo excitamus sternutamentum, eodem modo tussis ad eiiciendum causam vexantem pulmonem, vtræque etiam conueniunt in hoc, quòd prius extenduntur cerebri ventriculi ante sternutationem, pulmo ante tussim. Tertiò, quod in vtraque membra sua aërem ad se trahunt: vnde non fit tussis, nisi post inspirationem, nec sternutatio. Quartò, quod in vtrisque post aëris attractionem membrum celeriter ac vehementer constringitur. Quintò, quod eiicitur ex ea contractione aër per canalem, & quicquid

[Margin note: Cap. 3.]

quicquid intermedium est,& cum sono. Ex quibus sequuntur quædam dogmata ad rei intellectum attinétia. Primùm quidem, quòd sternutatio est res valde periculosa, quia cerebrum & tenerius est, & quieti magis assuetũ, & conpactum magis quàm sit pulmo, vnde longè periculosior est sternutatio, quàm tussis. Sed quoniam tussis diu perseuerare magna solet, vt nonnunquam vasa frangantur, ideo periculosior tussis iudicata est sternutatione, sed si homines tandiu, & perseuerante eodem impetu sternutarent, quo tussiunt, omnes perirent illicò, rupto cerebro. Vnde non existimo vanam fuisse historiam, ex qua nata est consuetudo, vt sternutantibus soleamus Dei auxilium imprecari, maximè coniunctis amicis atque potentibus, referunt enim fuisse pestem, in qua cum breui momento sæpius sternutassent, statim concidebant. Quod verum fuisse existimo, ipsa rei natura hoc docente. Tum illud animaduertendum, naturam constituisse ob hoc, vt non quemadmodum in tussi, idem vigor perseuerare in sternutatione posset, sed secunda sternutatio prima, & tertia secunda fit minus concitata: vt in iridibus, & repercussis lapidibus. Si igitur sternutatio breuis sit, nec sæpius repetat, & apertæ sint viæ, sic vt noxia materia educatur, salutaris est: aliter malum signum, deteriorque effectus. Ad hoc me inducit experimentum, cuius adhuc recordor: Cùm vocatus essem quodam die ad amicum summo mane, satis iuuenem, qui præter monita Hippocratis in attonitum morbum inciderat: inter multa respósa, quæ mihi interroganti de diuersis (vt mos est) attulerunt, id dixere, vesperi antecedente, & etiam nocte ipsa sæpius sternutasse: aliquando, sed raró pituitam eductam, sæpius nihil, ex quo conieci causam vehementem molestia affecisse cerebrum: ipsum verò sternutamentum lancinasse cerebri ventriculos anteriores. At verò quànquam principium tussis & sternutationis sit sensus, qui ad facultatem cerebri, & à cerebro demissam pertinet, vt antea diximus: vis tamen quæ mouet naturalis in vtroque symptomate est, vt ibidem à Galeno habetur. Porrò differunt maximè tussis & sternutatio, eo quòd in sternutatione aer trahitur bifariam ad cerebrum: & exterius ab ambiente per nares, & interius per palatum ex pulmone. Cùm enim cerebrum trahat, vtrinque trahit, est autem via bifida: vna, quæ ad nares: altera, quæ ad palatum ex cerebro defertur. Tussis autem ex sola aspera arteria aerem haurit. Pariter in extrudendo idem discrimen est. Per tussim enim solùm per asperam arteriam spiritus defertur, tum materia: at in sternutationem materia solùm per nares, spiritus autem & per palatum & per nares. Causa huius est, quod qui defertur per palatum, minore cum impetu exit: quia locus apertior est, nec retinetur: at per nares eliditur vehementer ob angustiam meatuum, vnde etiam ingens ille sonus exauditur, atque sic differt à tussi. Differt etiam ab illa, quod in sternutatione nares concutiuntur maximè, pectus valde parum: in tussi autem pectus, nares autem parum aut nihil. In sternutatione etiam motus minor est, quoniam ventriculi cerebri non sine magno incommodo concutiuntur: pulmo autem huiusmodi ictibus magis assuetus est, & compaginem habet magis lexam. Hactenus de modo, quo fit: nũc quomodo quæ in vtero sunt propellat, videndum.

Cap. 4.

Palàm est enim ore & naribus apprehensis totum aerem protrudi per palatum, at ex palato deferri potest ad gulam & intestina per ventriculum: hic nulla vis ad vterum, at dum truditur aer in sternutatione ad pulmones, & exit per bronchios pulmonis, & septum transuersum allidit: contrahuntur interim, vt quisque experitur in se, musculi longi ventris, & septum transuersum collidit intestina compressa, iam facto breuiore ventre: illa verò supersint vtero, eregionè illum concutiunt, fitque non solùm propulsio hoc modo, quæ parum esset: sed tremulus ille motus, ex quo etiam in arboribus fructus decidunt, atque ita laxantur vincula secundarum à placentula, & fœtus descendit quasi in lubrico. Aer enim qui sub septo transuerso est, concutit etiam vterum, miraque vis quantum illa possit: vt vesicula exigua, quæ non est maior columbæ ouo, vt in machina quam sclopum vocamus, tam procul aues occidat cretea sphærula, & magnum sonum edat. Quin etiã ex hoc tremulo ictu contingit (sed Galenus causam non nouerat) vt materiæ quæ in aspera arteria sunt, melius quàm per tussim auellantur ab illa, vt idem fatetur loco iam adducto, & nonnulli, cùm non possent plenè auellere infarcta, sternutatione cum tussi concitata compotes voti facti sunt. Dicemus autem aliquid & de his in septima particula. Porrò ex hoc factum est, vt etiam in multis hernia inchoauerit, in aliis aucta sit, dũ compressa & tremulo motu agitata intestina præeunte etiam flatu per ἐρύθροειδῆ ingrediuntur, aut alia materia minore periculo, ex sternutamentis. *Com. 46.*

Fiunt autem & excitantur à siccis vehementer, vt sexto de Simplicibus medicamentis habetur: & maximè ab acribus, cuiusmodi sunt piper, euphorbium, & condisi seu struthion, quod in vsu est. *Cap. de Struthio.*

APHORISMVS XLVIII.

MVlieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

COMMENTARIVS.

QVòd non in mammis, sed subter, cucurbitulas apponi iubeat, declarat dictio πρὸς, quæ ab ἐν differt. Cæterum Aphorismo docemur, sanguinem vndecunque fluentem auertere: velut si ex dextra nare cucurbitula superposita iecori, & ex sinistra lieni, quinto Methodi. Verùm si hoc non intercedentibus venis, quanto validius in iecore & liene, vbi venæ intercedunt: ob id in vtero, tum quod materia id exigebat, exemplum dedit. Cæterùm conatus est Galenus frustrà *Cap. 3.*

hunc

hunc consensum ad venas retrahere, quarto Cap.8. decimo de Vsu dicens: Cùm enim partes vtrasque (scilicet mammas & genitalia) ad vnum opus obeundum comparasset, ipsas coniunxit per vasa, quæ dum de thorace ageremus, ad mammas venire memorauimus, venas & arterias ad hypochondria,& totum hypogastrium deducendo.pòst autem his quæ à partibus infernis sursum feruntur contingendo, à quibus venæ ad matricem scrotumque perueniunt. Sola quidem in animalibus hæc vasa, partim ex partibus quæ supra phrenas sunt,ad inferna corporis proficiscuntur: partim ex inferioribus sursunt, quòd solas prædictas particulas per vasa coniungi esset necesse, verùm vt à Fig.cap.6. Vesalio habetur Libro tertio, duæ à iugulo descendunt venæ valde propè, altera à dextra, altera sinistra, quæ mammas nutriunt, & per pectus diuisæ prius bifariam expanduntur: at ediuersò e caua, quæ posterius est, postquam diuisa bifariam fuerit, duo alij rami sursum reflectuntur singuli è singulis partibus, qui ad mammas fermè perueniunt. Verùm hic duo obstant. Primùm, quòd, vt Vesalius ibi docet, non videntur inuicem committi superiores inferioribus. Deinde, quod maius est, quia, vt ab eodem in quinto Libro habetur, vte- Fig.16. rus totus nutritur partim ex seminarijs vasis, quæ singula singulis ex partibus magna se intrudunt imo eius, quare nihil illis cum vasis sursum reflexis: partim ab his quæ à caudicibus cauæ oriuntur, quæ nec ipsæ re- Cap.15. flectuntur. Vnde ille: Neque vt quispiam arbitraretur,ab his vterum accedentibus vasis, venæ & arteriæ originem ducunt, quæ secundum rectos abdominis musculos sursum feruntur, illisque vasis quæ ad pectoris ossis posteriorem exporriguntur sedem, communes fiunt, nam hæ ortum ducunt à præcipuis vasis, per inguina in crus deductis. Et infrà: Quid porrò valeat vteri cum mamillis communio, ac proinde venarum à mamillis ad eas quæ prope vteri venas nascuntur, congressus. Itaque liquet, ob propinquitatem & causam superius assignatam potius, quàm ob earum in vnum coniun- Par.5.in fine. ctionem id accidere. Scribitur & secundo Epidemiorum hoc modo hic Aphorismus: Secundarum purgatio si non discedant, sternutatorium ad nares apponito, vt sternutet: & sternutantis os ac nares apprehendito.

APHORISMVS XLIX.

QVæ vtero gerunt, his vteri os comprimitur.

COMMENTARIVS.

QVomodo vteri os comprimatur & claudatur in conceptione. Galenus ter- Cap4. tio de Facultatibus naturalibus ita rectè declarauit, vt si reliqua omnia tam benè nihil posset in tota medicina desiderari. Adiungam autem vt pulcherrima: Iam verò prægnantes ipsæ primis diebus,potissimumque eo ipso, quo semen est conceptum, moueri, ac in seipsum concurrere vterum, sentiunt. Quòd si itaque ambo hæc incidunt, vt & os vteri citra phlegmonem alium ve affectum conniueat, & sentiatur deinde succedere vteri in seipsum motus,iam semen à mare & concepisse se mulieres existimant, & retinere censent. Neque nos ista modò cõfingimus, sed longo vsu comprobata ab omnibus fieri, qui de iis differuerunt, sunt prodita. Herophilus certè nec illa scribere est grauatus, ne specilli quidem mucronem admittere vteros, antequam mulier pariat. Præterea ne vel minimum quidem hiscere, vbi conceperint: laxius autem recludi, quum menses profluunt. Huic astipulantur & reliqui omnes, qui de his tractauerunt. Primusque omnium non medicorum modò, sed etiam philosophorum Hippocrates, conniuere os vteri tum conceptibus, tum phlegmonis pronunciauit: cæterùm in conceptibus seruato naturali habitu, in phlegmonis verò in durum mutato. Porrò vteri os quadrifariam disponitur, aut enim hiat, vt nec genituram contineat: aut reclusum est prorsus, vt nec recipiat illam, nisi vtero gerat.Tunc enim & si non recipit,secundum naturam est:& cùm naturaliter se habet, & cùm parum reclusum est, vt non possit membrum ingredi. Ac de his omnibus, præterquam de naturali statu agit Hippocrates. Vt verò quæ ad rem faciunt attingamus, illud scire decet, vterum descendere in coitu,adeò vt glans intra vterum se condat,vnde accidit,vt qui longiorem habent penem, non gererent, nimis enim procul à suis vasis semen eijcitur,atque refrigeratur,& qui nimis breuem, nam glans non peruenit vsque ad os vteri. Ob id mulieres generaliter quæ valde longum habent collum vteri, & viri qui nimis breuem penem habent, non generant, & viri quidam breui pene non generant cum longis mulieribus,cum paruis autem fœcundi redduntur.

Porròquærunt quidam, si os vteri concluditur, quomodo fieri potest superfœtatio? & quærunt aquam alibi quàm,vt dici solet, in natiuo fonte. Quasi Hippocrates peculiarem huic quæstioni atque tractationi librum nõ dedicauerit. Quomodo ergo fiat, & quare non seruetur quandoque primus fœtus,docet his verbis: Superfœtant autem mulieres, quarum vteri os post primum con- Pag.1. ceptum non valde clauditur,idque manifestis signis constat. Clauditur autem post superfœtationes, quæ posterius superueniunt. Si superfœtatio nondum partium discriminationem habeat,sed caro fit, non quidem augetur, sed putrescit, donec ex vtero exeat, & post: Quæ gemellos gestat, eadem die parit, velut concepit, habet autem vtrosque pueros in vna secunda, quasi dicat: Superfœtatio fit in diuersis secundis. Porrò Pag.3. de astrictione oris vteri naturali hæc habet: Mulieribus plerisque cum menses apparituri sunt,os vteri in seipsum contrahitur plusquã aliàs. At de conceptionis signis præter hoc dictum

dictum hic,& mira Galeni inuenta,firmissimum docet Hippocrates paulo pôst:Cognoscet se concepisse mulier, si vir quidem emisisse dixerit, ipsa verò præ siccitate ignorauerit. Ergo ex his quæ dicta sunt apparet, quod sub mensium tempore difficillimè concipiunt mulieres, primum, ob os vteri astrictum:secundum, ob copiam sanguinis in venis obruentem semen: tertium est, ob illius ex mora longa refrigerationem. Atque etiam illud quod superfœtatio fit, hiante aliqualiter ore vteri per se: per coitum autem ex vehementi delectatione amplius patefacto, vnde coitus frequens, & cum maiore voluptate, vt rarissimè aperto ore vteri superfœtationis causa est,ita frequentius longè abortus in vtero imbecilli.

APHORISMVS L.

MVlieri vtero gerenti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si verò solidæ fuerint mammæ, fœtum significant saniorem.

COMMENTARIVS.

GAlenus suo more aliud Hippocratem sentire vult,quam dicat, ille dicit,quod experimentis prorsus omnibus respondet.solidas mammas fœtum significare saniorem. Galenus volens semper aliquid plus sapere, ait:Liquet igitur, quod neque mammas tenues oportet apparere, sicut in muliere non grauida:hoc enim signum defectum sanguinis ostendit, & hac ratione fœtus in ipsis corrumpitur: neque adeò plenas, vt lac effluat: sed tantum subleuari, vt solidæ tangentibus appareant. Media enim hæc est dispositio inter renitentes propter nimiam repletionem, & molles & laxas propter defectum sanguinis. Hoc est,quòd putat se aliquid magnum pulchrumque dicere: nec autoritati Hippocratis acquiescens, nec experientiæ diligentem adhibens animum, nec profunda ratione ductus,sed superficiaria & falsa, ac quasi mista partim ex experimento, partim ratione, qua vbique deceptus Hippocratem tanquam amicum castigasse sibi sufficit, Aristotelem & cæteros antiquos immodicè atque intemperanter coarguit accusatque:nec hoc sufficit illi, sed indignum tãto viro & manibus illorum atque laboribus, ipse laboris expers irridet. Ac si quis, quod aliquando vidi,plebeius noster moribus,non dico conditione, audiat quendam Græcè loquentem, dicentémque φοτὶ, quod est splendet, ridet: quia nostra lingua coitum turpi etiam sub gestu notat,disce Græca, & postmodum non ridebis.Ille certè alioqui clarus, nimium sibi tribuit, existimans ingenium suum esse metrum & mensuram rerum. At herclè ingenium suum mortale fuit, vt ille rebatur: aliorum diuinum & immortale, vt etiam illi crediderunt:dico Hippocrates,Plato,Aristoteles,Theophrastus,& Erasistratus, atque alij huius farinæ (vt dici solet) viri, Praxagoras, Marinus, Archigenes, Philotinus,Asclepiades,Euriphon.Cogor sanè inuitus hæc, & non accusandi studio clarissimum virum mortuum,& cuius manibus multa debet humanum genus, dicere.sed vt introducam in vsum nouam illam Dialecticam nunc, sed olim veterum & rationes profundas illas, quibus Aristoteles tantum opus tãmque præclarum composuit,Hippocratesque suum licet aliquanto rudiore sermone, Euclides præterea ac Ptolemæus:quorum omnium, si quis rectè consideret, sententiarum expers fuit ipse Galenus.Glorietur & iactet se quãtumuis, & patrem habuisse Geometram, & ipse afferat Geometricas demonstrationes, facilè nos perspicimus illum vix prima elementa eius disciplinæ, tum etiam Arithmeticæ atque cæterarum mathematicarum attigisse: vt si ex vngue leonem, perspicuum sit,præter Medicinæ partem quæ ad exercitationem attinet, nihil sciuisse. Clament quantumuis quidam: non aliud ostendent, quàm & se imperitos esse omnium earum disciplinarum.Nemo enim erit artificum,qui profundè eas disciplinas calleat, qui mecum non sit sensurus: licet forsan tamen apertè pudeat illum de hoc viro pronũciare,videat dissectionem, pulsus, medicamenta, omnia sunt aliorum furta,& vt ille dicebat:

Qui bene vertendo, & eos describendo malè,
ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Verùm in pulsuum ratione non quidem contemplando,sed exercendo, profecit supra humanam existimationem:in medendi autẽ ratione atque exercitatione fuit clarissimus omnium ab Hippocrate, atque omnino incomparabilis.Qua opinione,& recta sanè in cæteris omnib. nihil aliud factus est,nisi via ad errores, vix enim è centum dogmatibus vnum integrum reliquit aut in philosophia, aut medicina. Sed ne videar odio quodã aut liuore viro detrahere, quanquam iam plurimi hoc tentârint viri illustrissimi:sed partim vitæ breuitate,partim ob paruam in disciplinis exercitationem parum feliciter successit, & hæsere(vt dici solet)in vado. Fuêre autem hi,Princeps,huic obfuit breuitas vitæ:Auerrois,hic nesciuit Medicinam, sed fuit merus philosophus,nec etiam satis absolutus:Aëtio & Alexandro Tralliano bonarum literarum scientia defuit:solus Vesalius ad hanc vsque diem feliciter rem gessit.

Sed ad rem redeo. Dupliciter peccat Galenus in hoc, primùm, quod putat molles & laxas fieri ob sanguinis defectum,quod haud verum est:sed, vt suprà dixi, fiunt ob imbecillitatem seminis, seu spiritus agentis concoctionem, seu illa proueniat ex defectu sanguinis, seu non. Secundum, quòd existimat mammas solidas fieri ob lactis abundantiam, vnde plures sequuntur errores, scilicet vt durescant ob lac, vt quæ duræ sunt, facilè reddant lac,quæ duræ sint, & magnæ. Quæ omnia cum pluribus aliis quæ sequuntur falsa sunt, absurda, & à ratione atque experimento aliena. Igitur mammæ implentur ob lac, durescunt autem ob robur actionis seminis: vnde gracilitas duriciei hac in causa opponitur. At lactis

multitudo

multitudo & paucitas faciunt magnas & paruas, idque ita esse deprehenditur, quoniam mulier cùm concipit, statim mammæ fiunt paulo duriores, & tument paululum: deinde manente magnitudine, fiunt solidiores in dies, cùm verò durities ad extremum peruenerit, tunc crescunt, manente duricie fermè ad finem octaui mensis: deinde incipiunt laxari, donec partus tempore mediocrem habeant duriciem, magnitudinem verò eximiam. Hæc didicisse prius oportet, inde quærere causas: & non in his quæ oculis subiacent, primùm ratione disputare, deinde accommodare, quæ apparent his quæ videntur. Ergo res ita se habet: magnitudo & paruitas mammarum proculdubiò fit ex multa aut pauca lactis materia, id est sanguinis, qui in lac conuerti debet: sed mollicies fit ex lactis substantia. Lac enim cùm molle sit & humidum, mollem facit tumorem in mamillis. Si verò mamillæ sunt vacuæ ab omni substantia, nec antea fuerint repletæ, paruæ sunt, & mediæ inter laxas & solidas, molles & duras. At si antea repletæ fuerint, & postmodum exinaniantur, remanent magnæ, molles & laxæ. Paruæ & laxæ vix esse possunt: molles & paruæ sunt in virginibus mollibus valde. At verò cum mamillæ fuerint plenæ crudo humore, id est sanguine non concocto, tūc sunt duræ: exemplo phlegmonum, qui antequam ad suppurationem deueniant, duri sunt ac solidi: cùm suppurant fiunt primùm molles, inde etiam laxi, ergo eadē est ratio in mamillis. Nam cùm repletæ fuerint sanguine crudo, tenduntur carnes glandosæ, sed non extenduntur, quia calor est ille qui extendit: materia autem duriciem affert, ergo mamillæ, antequam calor magnus & coctio præualeant, duræ sunt & solidæ, si materia adsit. ἰσχνοὶ, graciles seu tenues, duo comprehendit, seu tria: paruitatem cum mollicie, & laxitate. Cùm ergo

Aphor. 56. Hippocrates dixit, hoc intellexit: sanguinis in mammis defectum seu ob paucitatem sanguinis, seu quia non trahunt. At si duræ & solidæ sint mammæ, tunc duo adesse necesse est: scilicet materia sufficiens, quæ tendat carnem glandosam: & defectus coctionis, aliter non essent duræ. Cur ergo materiæ in mamillis præsentia significet salutem fœtus, iam dictum est superiùs. Commento adducto: scilicet quod signum sit, actionem seminis in sanguinem validam esse.

Reliquum est vt videamus, cur non coqui lac in mamillis, significet robur fœtus: coqui autem imbecillitatem annexionis fœtus, etiam si validus sit in vtero. Dico ergo, quòd omne quod abrumpitur, secundum naturam prius laxatur: & quòd omne quòd laxatur vt abrumpatur, quādam vim corruptionis sentit. Cùm ergo fœtus laxari incipit seu ob tēpus partus, seu ob abortum, gignitur quidam calor in illis vinculis similis putrido, quem naturalis semper refugit: quoniam sunt duæ substantiæ inimicæ, & calor ille naturalis refugit cum sanguine illo immutato à semine, & tunc mammæ incalescunt, vterus naturaliter refrigeratur, & concipit quendam calorem febrili similem: & ille inuadit primùm carneam placentam & vasa, inde fœtum. Et si fœtus prope perfectionem sit, nascitur iam deficiente non alimento, sed bono alimento. Ad quam corruptionem impellit etiam multum tertia illa pars sanguinis, prope vterum in vasis seruata: quæ planè corrupta est, non tam putrida propter motum perpetuum, qui excitatur aduentu noui sanguinis pro fœtus nutritione. Calor autem naturalis, qui se ad mammas contulit, materiam in lac conuertit, & tūc lac fluit laxatis carnibus mollibus: ideo defluxus lactis signum est, non abundantiæ sanguinis, sed corruptionis vinculorum fœtum continentium. Primùm, quòd si causa esset multitudo sanguinis, confluens ad mamillas insanguineis mulieribus non esset signum abortus, nec etiam si mammæ tumidę non essent: at magis etiam est, cùm mammæ tumidę non sunt: igitur causa propria est, caloris naturalis transitus ex vtero ad mamillas. Causa autem cur cùm lac generatur, mamillæ molles fiant, eadem est quæ in suppuratione bubonum. Planum est enim, quod coctio fit à multo calore, at color laxat carnes, & resoluit flatum, & in minorem quantitatem cogit humorem, quia illum reddit crassiorem: ergo in generatione lactis mamillæ redduntur molliores, laxiores, & maiores.

Hoc declarandi genus, quod ex veris principiis deductum est, rudes viri & grammaticuli medici, & qui sine philosophia medicinam attigerunt, vocant contorqueri, nisi enim scribat Potea quæ pars est? dicunt. Ille miro modo se contorquet: voluntque veram rerum cognitionem perire, vt illis placeamus. At secus est. Deus omnia recondidit: si tamen illa ex propriis principiis deducamus, facillima redduntur. Ob id quidem Fuchsius adeo infensus est Iacobo, Vgoni, Gentili: non quia aberrauerint, sed quia sanā doctrinā non intelligit: vocatq; sōnia, vt quæ assequi non potest, vulpis exēplo contemnere videatur. At dices: Sana non est, quoniam falsis principiis innititur? fateor: sed modus doctrinæ bonus est doctrina mendosa. Oportet igitur omnia habere, nec bona malis mista negligere. Sed quidam, dum se tegere volunt nimis anxiè, produnt imperitiam suam apertius. Iam olim querebatur Galenus propter vnum Thessalū: quid facturus esset nostra ætate, cum tot Thessalis? Ille vnus sex mensibus pollicebatur se totam docturum medicinam: quid hi nostri faciunt, qui sine Dialectica, philosophia, mathematicis, cum suis methodis, absurdis, quasi Galenum superaturi, longè minore temporis spacio totam medicinam docere possunt, si vera essent quæ illi promittunt. Sed vereor ne medicos faciant, vt Nero per ludibrium vocare solebat, id est carnifices. In summa dicam: Nemo sub pœna capitis deberet admitti ad exercendum medicinam, nisi bonus mathematicus, dialecticus, ac naturalis philosophus esset: ita vt toto quinquennio solùm his operam daret, omissis etiam primæ philosophiæ studiis: quæ non solùm inutilia sunt, sed dum communia loca explicant, laruatos sapientes pro veris efficiunt. Ab homine maturo, & iam medicinam adepto, non prohibeo. Longior fui

fui nimis, scio: sed Deus nouit, ob veritatis ac virtutis solius studium: cuius encomium cùm Aristoteles scriberet, dixit tantum posse, vt etiam ob illius amorem mortem non refugiamus.

APHORISMVS LI.

QVæ corrupturę sunt fœtus, iis mammæ extenuantur: si verò rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpunt.

COMMENTARIVS.

SI quæ hic Galenus omittit, in quibus errat, perperamue Hippocratem accusat, dum tueri illum simulat, velim persequi: librum vnum, quemadmodum ille aduersus Iulianum, pro vnius Aphorismi commentario conscribere cogar. Sed absit. Reprehensiones generales morum hominum conscribere, ad probum virum ob communem vtilitatem pertinet: & docere, si quis malè interpretetur, cùm bene videatur, At hic nemo non videt, illum velut cæcum prætentare vadum. Illud solùm admonuisse sufficiat. Galenum difficilioris partis Aphorismi, quæ incipit ibi, Dolor aut mammas, vsque in finem, ne verbum quidem attigisse. Porrò nos explicare ab hoc Aphorismo non licet, nisi demonstrationem afferamus, quæ huiusmodi est: Omnis abortus aut fit sensim, aut repentè, si repentè, ruptis vinculis magni dolores necessariò cōsequuntur vteri, quare sanguis reuocatur à trāsitu ad mammas, ergo illę flaccescent. Si autē fiat sensim abortus quacunq; causa contingat, vt in præcedenti Aphorismo visum est, necesse est mammas molliores reddi. Igitur primæ partis Aphorismi expositio clara est, cui etiam rectè Galenus subscripsit, in hoc meritus laudem, dicens: quod quanquam ratio non suadeat, debere in omni abortu mammas extenuari, tamen illud experimento comperisse, verum esse.

Deuenio modò ad secundam partem, quæ nullis indiget ambagibus, vt Galenus introduxit: sed simpliciter est interpretanda. Si causa quæpiam, vt dolores ex casu, vel febris, vel malum medicamentum vel inedia mammas extenuare, ac molles reddere cœperint, inde confirmato fœtu, & causa desinente, mammillæ rursus durescant: palàm est non abortire nec corrumpere fœtum, sed dolor aut mammas, aut oculos, aut coxas, aut genua infestabit. De mammis iam causa est manifesta, prorsus enim humor cum materia elaborata ad mammas, illas infestabit. Hunc Aphorismum in secundo Epidemiorum scripsi, sed non-integrum, verùm in sexto sic inquit: Si mammarum papillæ, & rubor pallidus fuerit, morbosū vteri vas est. At de oculis, in libro de Superfœtatione, primùm cùm dixit: Prægnantem mulierem, si aliter non cognoscas, oculi caui & tracti, & candidum oculorum albedinis natu am non habet, sed liuidus existit, & in libro de Natura muliebri: Si periculum facere velis an mulier sit prægnans vel non, rubro lapide seu terra erythrea oculos sublinito: & si ingrediatur pharmacum, prægnans est: si non, non. Quomodo autem ad coxas dolor procedat, hinc accipe causam primùm, inde auctoritatem. Cùm enim vtero expediret, vt antè ac retrò & ad supernam partem, dum fœtum gereret, extenderetur: factum est, vt neque antè neque retrò nec superius alligaretur: sed solum parte quadam retrò recto intestino, à lateribus autem peritoneo & per musculos, vt à Vesalio habetur. Ergo Hippocrates docet, incumbere in coxam, quandoque vterum, in secundo de Morbis muliebribus: Si puerperæ vteri in coxam incubuerint, inde subiungit: Sed & in sanam partem decumbens, quasi ægrotet tunc crus, & illud: Si vteri deuoluerint seipsos ad intermediam lumborum & coxarum partem, crura contrahuntur, & dolor in iuncturis coxarum ad sedem descendit. Quòd verò dolor etiam ad coxas perueniat, etiam si non decumbat, ostendit non paucis in locis, & primo in libro de Natura muliebri, dum inquit: In hydrope, loquens, vteri dolor ad coxendices peruenit, & illud primo de Morbis mulierum. Sed & de poplitibus secundo eiusdem, dum inquit: Si ignis sacer vteros corripuerit, poplites tremunt, & in poplitibus liuidæ fiunt maculæ: mammæ verò attolluntur iuxta gentilitatis rationem. Sed & de toto crure sentit, vt illud primo de Morbis mulierum: Quum mulieri vterus durus fuerit, dolor habet fœmora & pedes, & secundo eiusdem: Si circunuersi fuerint vteri ex partu ad latus dextrum, totum crus grauatur, & si ad sinistram partem aut coxam, dolor acutus & vehemens crus habet, & claudicat. Meminit & quasi huius reditus ab vtero ad huiusmodi loca, in libro de Superfœtatione, cùm dixit. Si cui dolores in coxendice fiant: quum verò prægnans est, desinunt: rursus exoluto fœtu, inuadunt. Causa omnium horum est, quoniam, vt dixi, cum peritoneo per musculos vterus alligetur, delata materia per eos in peritoneum, facilè ad loca neruosa ob peritonei naturam consimilem (est enim exangue) defertur, & ad vicina & ad inferiora, huiusmodi autem sunt coxæ & genua, propter iuncturæ laxitatem.

Sec. 6.
Sec. 5.
Pag. 3.
Pag. 11.
Lib. 5. c. 15.
Pag. 16.
Pag. 10.
Pag. 14.
Pag. 11.
Pag. 16.
Pag. 15.
Pag. 17. & 18.
Pag. 5.

APHORISMVS LII.

QVibus os vteri durum est, iis os vteri comprimi necessarium est.

COMMENTARIVS.

SEd & qui Aphorismum hunc exponunt, non animaduertentes, absurdum & leuē faciunt Hippocratem. Primùm, quod non videatur verum, dicente illo eodem libro de Sterilibus: Os vteri durum fit, aut à callo, aut Pag. 4.

aut dum concluditur: non igitur semper comprimi illud est necessarium. Sententia igitur est sic intelligenda, quia dixerat antè.
Aphor. 49. Quæ vtero gerunt, iis vteri os comprimitur, certum est non debere de prægnantibus intelligi, sed neque cum morbo ægrotat, declarat enim ipse os vteri, si violenter secus concludatur, morbos graues parere. Est ergo, ac si dicat: Si vteri os durum fiat, mulier non concepit (esset enim molle: sed necesse est comprimi, nam cùm durum est, conclusum est, & præterea etiam habet duriciem, sed duricies licet possit separari ab vtero concluso, est tamen illius signum. Ideo dicebat libro
Pag. 15. de Natura muliebri: Si os vterorum concludatur, spissum fit velut grossus ficus: & si digito contigeris, comperies durum & contractum, vt digitum non admittat. Hoc autem ait, vt ostendat impedimenta conceptionis posita in libro de Sterilibus. Os vteri prohibet conceptionem, si auersum, si distortum, si conclusum, si recens fuerit conclusum. Quòd si aliquid videatur obscurius, Commentaria nostra consulere expediet. Porrò omnem oris vteri conclusionem, si non ob conceptum aut compressionem fiat, morbos sequi necessarium est. Duo ergo intendit
Pag. 1. Hippocrates, & vt intelligamus grauidis os vteri concludi, sed non durum fieri: & si durum fiat citra morbum, id ei ex compressione accidere.

APHORISMVS LIII.

QVæcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & valde calefiunt, sine occasione manifesta difficulter pariunt, & cum periculo: aut abortum facientes, periclitantur.

COMMENTARIVS.

Difficulter pariunt, cùm & fœtus & vterus est imbecillis, aut ex his vnus: & si vterque magis etiam difficulter. At si qua vtero gerens à febre corripiatur, cum vehementi calore & absque causa manifesta, necesse est tam fœtum quàm matrem fieri imbecillem, quo circa etiam difficilem fieri partum. Quòd si imbecillitas fœtus præuenerit, abortient. Torquet autem id sine occasione manifesta: nonne etiam si acutæ febres adsint, omnia hæc euenire, aut alterum necesse erit? vides quàm leuiter nutemus. Sine occasione manifesta intelligit, ne ob causam antegressam aliqua febricitet, tales enim febres durare non solent: cùm ob magnum æstum oppugnentur à natura, & facilè depellantur, quoniam sedem firmam non habent, vtpote exortæ à casu. Vt igitur Aphorismus verus sit, & vehementer incalescere est necessarium. Nam hepialam facilè ferunt robustæ mulieres, & vt non casu orta sit, sed ex coaceruatione humorum ante conceptionem, qui cùm ob fœtum regi non possint, putruerunt.

APHORISMVS LIV.

IN fluxu muliebri si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malum.

COMMENTARIVS.

QVòd cōuulsio & animi deliquium mala sint per se, nemo ignorat: sed cùm dixit, Malum, aliquid plus voluit significare, scilicet & causam & morbum, morbus enim est immodica sanguinis effusio: causa autem, quoniam si deliquium accidat, per se erit copioso sanguine euacuato cum spiritibus: & conuulsio fit ab inanitione, quare vtraque erit mala & per se, ideóque quasi insanabilis. Nec est idem cum his quæ superius dixit: Vbi sanguis multus fluxerit, conuulsio aut singultus, malum, nam illud eò deducitur, quòd præter naturam sit, hoc autem secundum naturam. Præterea vndequaque profluat sanguis, hoc dicit istud: at istic loquitur de fluxu veteri. Deterior ergo, qui præter naturam est: qui autem ex vtero, propter neruorum consensum periculosior. Aphor. 3.

APHORISMVS LV.

SI menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex vtero morbi contingunt.

COMMENTARIVS.

NOn est idē dicere, si menstrua non fiant, ex vtero morbi contingunt, & morbi contingunt, nam ex fluxu muliebri superfluo morbi fiunt, non ratione vteri, sed immoderatæ effluxionis sanguinis. Dicebat Hippocrates primo de Morbis mulierum: Si Pag. 5. menses plures quàm oporteat prodeant, & crassiores, nimirùm corpore natura fluido, & osculo vterorum prope pudendum sito, & ad hæc multum cum viro coitu vtatur, & conuiuetur, semel aliquando multi descendentes, & affatim prodeuntes os vterorum impetu suo magis dilatant: & si ad hæc non incidat vasorum euacuatio, sed rursus multus accesserit calor, & os amplum faciunt, & corpus, vtpote dum conuiuante, & voluptatem ac consuetudinem viri consectante muliere, facili fluxu ad vterum etiam calor defertur, & decolor erit, quamdiu sic habuerit, & si postea morbus aliquis aut affectio inciderit, aut corpus affligatur, & vteri similiter iuxta solitum morem ampli sunt, & corpus facili fluxu in ipsos præditum est, & post hæc febris habet, & cibum auersatur, & anxia est, & tenuis ac debilis, & lumbos ex mensibus dolebit: & progressu temporis, si non curata fuerit, omnia ipsam

magis affligent in intermedio tempore: & periculum ipsi imminet ne sterculis fiat, aut à tempore & morbo vexata, si alius morbus coincidat, ex hoc morietur. Et Aëtius de suppressione hæc habet: Mulieribus, quæ non purgantur consueto more, sanguinis reiectationis ac siderationis periculum imminet. Nam suppressis mensibus molesta accidentia consequuntur, totius corporis grauitas, nauseæ, fastidia, horridi quidam discursus, velut in his quæ conceperunt: non tamen ita sicut his quæ conceperunt, vteri osculum clauditur, illis enim occlusio adest cum quadam duritia. Dolores insuper circa lumbos, fœmora, collum, sinciput & oculorum radices adsunt. Febres item assiduè concomitantur, & vrinæ nigræ sunt cum rubicundo quodam seroso ac samoso humore. Difficultatem item ac stillicidium vrinæ patiuntur, & quædam in melancholicum atræ bilis morbum aut insaniam delabuntur. Cutis superficiem dolent, & inflammationes ac ignes sacros diuersimodè sustinent. *Lib. 16. c. 52.*

Nostra ætate contingit frequentissimè, vt mulieres ex fluxu mensium ad tantam perueniant immoderantiam, vt pereant, ob id verum esse suspicor, quod Galenus in Commentario ait, scilicet veteres suspicatos solùm de morbis qui fiunt ex effluxu, non de retentione mensium. Enumerat autem quatuor causas abundantiæ mensium, scilicet apertionem venarum ad vterum venientium tenuitatem aut feruorem sanguinis, aut redundantiam illius in vtero ob corpus totum, quod aliqua ex causa onustum sit illo, at verò qualiscunque sit causa huius, non est necesse morbum huiusmodi ab vtero in reliquum corpus propagari, sed vel illi proprius erit, vel alterius partis morbus dicetur: at si astrictis osculis menses contineantur, tunc inquit, erysipelas aut phlegmon aut carcinoma vel scirrhum generari. Aduertendum est autem, quòd mediocris quantitas mensium iuxta Hippocratem loco adducto, est duarum heminarum Atticarum, id est vnciarum decemocto (dicente Galeno quinto de Compositione medicamentorum secundum locos: *Cap. 6.* Mina Attica nouem Italicas vncias continet, Atticas autem septem cum dimidia, id est drachmas sexaginta) & dies duos aut tres.

APHORISMVS LVI.

Recto intestino aut vtero inflammationem patiente, vrinæ stillicidium superuenit: & renibus purulentis, vrinæ aduenit stillicidium: iecore autem inflammationem patiente, singultus aduenit.

COMMENTARIVS.

Pag. 3. Docet tres causas stillicidij: quarum prima est intestini recti inflammatio. Vnde libro de Fistulis: Si intestinum rectum inflammatum fuerit, dolórque habeat, & febris, & frequenter ad exonerandum aluum surgat, nec quicquam deiiciat, & præ inflammatione sedes exiisse videatur, & aliquando vrinæ stillicidium corripiatur: hic morbus fit, cùm pituita ex corpore in intestinum rectum decubuerit: & quamdiu durat inflãmatio, cibis leuibus vtatur. Vesica quoq; ex intestino recto calescens, caliditate pituitam adducit, ex qua fit vrinæ stillicidium. Vnde declarat causam communem stillicidij duobus primis modis, scilicet vteri aut intestini inflammati. Vnde secundo de Morbis muliebribus. *Pag. 10.* Quum vteri inflammati deorsum processerint de ventre, aliàs alio præcipuè ad laterum mollitudinem, quandoque etiam ad vesicam, & vrinæ stillicidium corripit, vt non sit hic affectus causa per se stillicidij: quapropter nec meminit eius inter signa inflammationis vteri, libro de Natura muliebri. *Pag. 4.* Est tamen signum per se, sed non proprium, quia connumerat plures causas, non enim solet plures causas connumerare in signis propriis: quare neque renibus purulentis necesse est hoc accidere, est ergo, ac si dicat, Vrinæ stillicidium fit & intestino & vtero inflammato, & renibus purulentis, & manifestum est, quod connumerat causas non per se, sed stillicidij per consensum, & est admirabilis Aphorismus, & Hippocrate dignus.

Est autem vrinæ stillicidium, frequens mictus, & cum pauca vrina, quod quidem accidit ex ipsius vrinæ retinendi impotentia, hæc autem contingit, vel quia vesica imbecillis est, aut quia acri aliquo humore stimulatur. Sunt autem acres humores vrinæ ipsius comparatione, quam constat per se acrem esse, salsi vehementer, acuti, & calidi vehementer, & saniosi, ergo renum pus hoc facit per se: inflammatio autem vicinarum partium calore, dolore, compressionéque irritat naturam ad expellendum vrinam antequam colligatur, ideóque pauca & celeriter eiicitur. Nonnunquam autem in stillicidio etiam retinetur, maximè cùm comprimitur collum vesicæ: estque hoc genus stillicidij propriè, quod non semper contingit, ob idque non meminit illius in libro de Natura muliebri. Nonnunquam etiam cum virgine est, cùm fit ex renibus purulentis. Cùm autem stillicidium solum frequentem & paucum mictum significat, generaliter dicitur, semperque consequitur causas illas ab Hippocrate hîc enumeratas, vt nihil desit ad Aphorismi integritatem.

Quod verò adiicit de singultu, in inflammatione iecoris, indicat eum consensuum euidentiorum exempla afferre. At infrà docebit huiusmodi singultum esse malum. *7 Aph. 17.* Fit autem singultus hic, cùm magna fuerit inflammatio, & ob consensum neruorum, inquit Galenus, scilicet sexti paris. At mihi videtur, quod cùm, vt dicit in sexta Aphorismorum, fieri possit & ex repletione & inanitione, vt fiat ob læsionem quandam non certi generis, de qua aliàs, *Text. 37.*

APHORISMVS LVII.

SI mulier non concipit, scire autem velis an conceptura sit, pannis circumtectam de subter suffias: & si odor videatur per corpus ire ad nares & os, scito eam non ex se ipsa sterilem esse.

COMMENTARIVS.

IN tam clara luce more solito pluribus modis caligant. Primùm, cùm quærunt cur optet homines scire an mulier sit sterilis vel non: & reddunt etiam causas non satis dignas. Nam primùm hoc non est quod quæritur ab Hippocrate, cuius causa: sed simpliciter pulchrum est scire in omnibus, vnde aliquid contingat, & scientia ipsa per se pulchra est, vt omnium aliarum rerum, etiam si nullum sit emolumentum. At emolumentum si quæramus, per se præstantissimum est omnium quæ apud mortales sunt, dulcis scilicet soboles, continuatio stirpis, effigies sui simillima, propter quam etiam feræ & belluæ, pisces atque aues pugnant, & spes perpetuitatis vnica, omniumque commodorum quæ perpetuitati coniuncta sunt. Quis enim tot coniugij incommoda & tam grauia perferre sanus velit, nisi ob hanc egregiam spem? Itaque quid mirum est, si vnusquisque hoc optet & quærat? Sed apud Christianos huiusmodi præceptum minus vtile forsan habebitur, quibus solis licitum non est diuortium. At Iudæis & idololatris, & Mahumetanis, & his qui iuxta Platonis institutum viuere decreuerunt, omnino erit vtile. Si quidem mulieres trifariam steriles redduntur: vel vitio sui, & has fugere omnino conuenit neque enim ex varietate coniugis fœcundæ vnquam euadunt. Aliæ comparatione, & has permutare oporteret, fieri enim potest vt duo viri duabus fœminis iuncti steriles sint, factáque permutatione fœcundi euadant. Aliæ autem ex morbo, qui per ætatem aut curam medicorum in viro vel muliere vel vtroque sanatur: vnde quædam in iuuenta non peperêre, in consistente ætate factæ sunt fœcundæ, sed neque his permutatio necessaria est. Christianis verò & hoc consilium est vtile, quandoquidem virginem ducturis liceat hoc experimentum facere, non est enim, vt credunt quidam, os vteri conclusum, cùm menses profluant: sed solùm ante os velamen quoddam, vt tunica vesicæ pisciculi venulis intertexta, in cuius medio foramen est rotundum. Verùm virginibus, quibus menses non fluunt, constrictis oribus venarum fallax est hoc experimentum: cùm contingat ex coitu ob calorem & voluptatem illa aperiri, fluereque menses, easque reddi fœcundas.

In vniuersum igitur quæ adoleri possunt, sunt: thus, sthyrax, & mirrha, dicit Galenus: vnde aliam à nostra illam esse necesse est. Nos præter hæc habemus odoratam assam, quam Belzoi vocamus, ambram & zibethum, nec non moschum, oportet autem miscere materiæ pinguiori, vt ladano. Si ergo transit odor ille ad os & nares, necesse est os vteri apertum esse, nec non patêre etiam oscula venarum ad vterum venientium, & bene temperatam esse mulierem, aliter non posset sentire odorem ex naribus. Quod autem adiecit, Et os: intelligitur etiam ab aliis posse sentiri, dum illa expirat aërê, quod euidenter contingit. Sed videntur aliæ esse posse sterilitatis causæ, vt putredo seminis virilis, primo de Morbis mulierum: tum siccitas, *Pag. 8.* dicit, aut humens vterus, nisi ex natura fuerint, & similiter si leues extiterint, & si la- *Pag. 9.* xus fuerit vterus, & si os illius nimio plus hiet, dicit Hippocrates secundo de Morbis *Pag. 10.* mulierum, non continet genituram, & ideo *Pag. 24.* non concipit, & tamen talia non impediunt transitum odoris ad os, neq; nares, einscemodi etiam sunt vteri dislocationes & descensus. Respondeo, quòd Hippocrates præsupponit, quod sana sit mulier, talia autem impedimenta sunt morbosarum. At intemperies sunt causæ, vt suffitus non perueniant ad os & nares, frigida & humida obstruendo, reliquæ absumendo. Impedimenta autem generationis notiora sunt, siccitas & humor, prauitas eius, vt in libro de Sterilibus: imbe- *Pag. 11.* cillitas, cicatrix magna, hiatus & obstructio, atque hæc multiplex, velut ex situ, vt in libro de Natura muliebri: ex complicatione *Pag. 5.* oris eius, aut agglutinatione, vt ibidem ha- *Pag. 2. & 3.* betur.

Neque illud prætermittam, quòd licet Galenus exponat de suffitu aromatum prædictorum: aliter tamen Hippocrates exponit primo de Morbis mulieribus, apponen- *Pag. 35.* do allium derasum, aut allium aut chalbanum, & eiusmodi. Colligit & hoc ex experimento, de quo infrà.

APHORISMVS LVIII.

SI mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum.

COMMENTARIVS.

REctè quidem Galenus, & diligenter distinxit hunc Aphorismum. Primum quidem docendo, id verbum Purgationes eant, ad copiam & frequentiam excretionis pertinere. Secundò, quod sanguis is ex venis quæ ad collum vteri procedunt, fluit: non quæ ad concauitatem, cùm illæ os suum membranis fœtum continentibus coniungant, vt nihil in concauum vteri deriuari possit. Tertiò, quod fœtus si validus sit, non patitur tantam copiam sanguinis ad collum vteri procedere. Verum hæc speciosa magis quam vera, magna ex parte sunt, nam non solùm ex collo vteri, sed ex imo eum sanguinem effluere per os vteri, exiguum admodum Brasauolus censet. Nec est verisimile tantam copiam, qualis quandoque apparet in vtero gerentibus, ex solo collo vteri effluere. Quin & Hippocrates censet, ore vteri concluso seu complicato cessare menses:

quod verum esse non posset, si maior pars sanguinis ex vteri ceruice, non ex fundo flueret, vnde in libro de Natura muliebri: Si complicatum fuerit os vterorum, menses non prodeunt: si verò prodeant, pauci & praui sunt, & secundò de Morbis muliebribus: Si os vterorum conclusum fuerit, menses occultantur. Iam verò fieri potest, quod eædem venæ ad fundum & ceruicem tendant, sed diuersis ex ramis: nec omnes, vt superius visum est. Ideóque addubitat rectè Vesalius de duobus, vnde sanguis ille menstruus procedat, nam si per mensis spacium colligeretur in vteri concauitate, iam non efflueret, vt solet, liquidus & clarus: sed, vt dicebat Hippocrates, suppuratus, aut saltem concretus. Alterum, vnde sanguis ille concretus, qui in puerperio effunditur, quem ex supputatione Hippocratis in libro Natura fœtus constat in puella ad triginta libras fermè accedere, in masculo ad viginti duas: & concretus in frusta, vt non potuerit eò vsque in venis contineri: quin etiam niger ac corruptus. Vnde dicendum est, in non prægnantibus sanguinem in venis vteri contineri, donec stato tempore effluat: in prægnantibus autem in vtero ipso, effluereque ex ore venarum, quamuis pleraque sint membranis fœtus coniuncta: sed vel non omnia, nec vndequaque, vt Galeni dicta sint proximiora imaginariis rebus quàm veris, quibus peruertit pleraque scitu necessaria: & Hippocratis sententia clara sit, quoniam erumpentibus mensibus prodit alimentum ex vtero ipso, non ex ceruice, foras: vnde signum est & causa imbecillitatis fœtus, nec absurdum est patere aliquantisper ad humoris transitum, vt Brasauolus ait, etiam in sanis os vteri: aut quoniam pateat effluere sanguinem, & fœtum esse imbecillem: vel omnino, quoniam fœtus ipse sit imbecillis, dilatari præter morem os vteri, & effluere menses. Omnia hæc verisimiliora sunt, quàm vt sanguis ille ex ceruice sola vteri effluat, repugnantibus omnibus,

Pag. 3. *Pag. 23.* *Com. 40. & à Vesalio lib. 5. Fig. 25* *6. Aph. 20.* *Pag. 4.*

APHORISMVS LIX.

SI mulieri cessent purgationes, neque horror neque febris superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in vtero habere.

COMMENTARIVS.

COntineri menses contingit, vt dictum est, vtero gerentibus, ex his quæ dicta sunt in præcedenti Aphorismo, & illo: Quæ vtero gerunt, iis vteri os comprimitur, si enim vtero gerentibus, vteri os comprimitur: & quibus os vteri comprimitur, cessant purgationes, vt diximus, cùm non ex ceruice vteri maxima ex parte, sed fundo prodeant: necesse est concipientibus menses sisti. Sed sistuntur menses alia causa quàm conceptus, colligitur totus ille sanguis corruptus, & natura superfluus: quare necesse est mulieres febrem & horrorem sentire, vt ait Hippocrates. Verùm quia aliquæ melius ferunt, adiecit & hoc, quòd fastidia cibi patiuntur, cùm vtero gerunt. A quo Galenus, quàm leuius potest, more suo, se explicat, dicens, quòd cùm ex retentione mensium accidant fastidia cibi, distinguitur causa horroris ac febris aduentu, nam si hæc appareant, non concepit: secus, signum est eam concepisse. At hoc non dicit Hippocrates, quòd fastidia non prægnantibus accidant: & si generale erat retentis mensibus signum, quorsum meminisset? apparet enim in longo sermone & completo, superfluum esse adducere hoc signum: quanto magis in Aphoristica breuitate? Apparet igitur, fastidium hoc cibi, quod Græci Picam vocant, & ab Hippocrate vt signum commemoratum conceptionis, & experimentum id ita esse docet. Nam aliæ quidem vt conceperunt, prorsus cibos omnes abominantur: aliæ verò carbones, calcem & carnes crudas appetunt, ergo id contingit, quòd in his quæ vtero gerunt, tria fiunt, quæ non in aliis, in quibus menses aliter retinentur: operatio seminis in sanguinem: seperatio dulcioris partis pro alendo fœtu, & vt transmittitur ad mammas: & effusio reliquæ partis prorsus excrementiciæ, in vteri cauitatem, vnde vapores redundantes non solùm ad ventriculum, sed etiam ad iecur, vitiant omnino appetentiam ciborum, quorum nullum cùm sit in causis aliis retentionis mensium, cibi fastidium aut omnino non est symptoma generale retentionis mensium: aut fastidium illud leue est, non quale grauidis apparet.

Aphor. 49. *1. de Morb. mul. Pag. 1.*

APHORISMVS LX.

QVæcunque frigidos & spissos vteros habent, non concipiunt: & quæcunque præhumidos vteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura, & quæcunque siccos magis & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque verò ex vtrisque mediocrem habent temperaturam, hæ fœcundæ sunt.

COMMENTARIVS.

DIxit antea, signa earum quæ concipere possunt, & quæ non: hîc docet causas, & Galenus se contorquet in reddendo causas, cur dixerit spissos: quandoquidem spissi vteri fiunt propter frigiditatem, verùm non animaduertit Hippocratem per spissum magnitudinem frigiditatis declarare, neque enim quæuis vteri frigiditas sterilitatem facit: sed quæ tanta est, vt vterum reddat spissiorem. Quonam pacto verò frigiditas sterilitatem pariat, plenè & eleganter describit Galenus, quinque modos docens: Primum, per se extinguendò seminis innatum calorem, illumque cogendo. Secundus est, quod dum cogit vterum, semen recipit nequit in illum, atque ideo generationis principium deest. Tertius,

Aphor. 57.

venarum

venarum ora occludendo, ne sanguis possit in vterum emanare pro nutrimento fœtus. Quartus est, sanguinem efficiendo aqueum, Quintus, pituitam generando.

Sed de humido ponit causam Hippocrates, extinctionem geniturę, quæ fit non à qualitate sola, sed etiam à copia materiæ per se suffocantis genituram: quod non accidit in aliis intemperiebus. Nam præhumida intemperies non potest esse per se & sine materia, vt reliquæ, non enim datur humida intemperies euidens, nisi præsente materia. Verùm siccitas etiam impedit conceptum, si immodica fuerit, deficiente alimento: calor verò idem agit, absumendo ipsum. Quòd verò dixit: Quæcunque verò ex vtrisque, mediocrem habent temperaturam: refertur ad coniugationes, non ad qualitates, coniugationes enim duæ sunt, qualitates autem quatuor: si quidem ad construendum plura requiruntur, ad destruendum sufficit vnum. Nisi ergo vterus tam in humido & sicco, quàm in calido & frigido fuerit temperatus, non poterit esse fœcundus.

Porrò eædem in viris causæ esse possunt sterilitatis. Sed non solæ illæ, verùm etiam aliæ, vt in libro de Aëre & aquis. A principio morbi vtramque venam retro aures incidunt, quo facto, multo sanguine promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate sicque obdormiscunt. Quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt, aliqui verò minimè. Atque mihi sanè videntur ea medicatione seipsos perdere, venæ enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferat his quibus secantur: quare etiam id ipsis ex earum incisione accidere certum est. Sunt & aliæ causæ sterilitatis, vnde Princeps proponit in tertio loco, vbi de hoc tractat, tria experimenta. Primum quidem sumptum à Rasi vigesimosecundo continentis, vt proiiciantur semina super aquam: & quod supernatat, sterile est. Sed colligere semen mulieris, est difficile. Aliud eiusdem, vt vrina vtriusque spargantur super radices lactucæ: & cuius fuerit exciccata radix, in eo erit causa sterilitatis. Aliud Galeni, de Passionibus mulierum: Sumantur septem fabæ, & septem grana tritici, & septem grana hordei, & ponantur in vase figulino, & super illa mingat alter coniugum: & post septem dies si nascantur, non est sterilitas ex causa illius, sed alterius, & dicit Princeps, quod semen virile quod est secundum naturam, est album, tenax, splendidum, ad quod accedunt muscæ, & comedunt ex eo, & odor eius est vt florum palmæ & iasemini, scilicet valde suauis.

Pag. 14.

Fen. 21. tract. 1. c. 9. c. 6. c. 1. fol. 230. col. 1.

De Mensium autem natura ac qualitate egit in primo de Morbis mulierum. Sed videtur hic potius de naturali statu vterorum, ibi de aduenticio loqui. Sed qui de masculorum sterilitatem Aphorismum subiecerunt, præter Hippocratis opinionem, alia subiecerunt haud congruentia, vt corporis raritatem: quæ etsi aliquid facit ad imbecillitatem generandi, non tamen est causa valida, & per se potens ad sterilitatem, vt membrorum generationis in mulieribus & viris intemperies, quamobrem paucula de seminis eiaculatione dicere necessarium est. Nam & longitudo virgæ nimia efficit, vt lentius eiaculatū semen haud sit prolificum: & nimia breuitas eius, vt ad os vteri non pertingat, & si non bene tendatur: per obliquam enim viam delatum non potest peruenire ad vteri cauitatem, & si homo herniosus sit, aut castratus, difficulter generare potest. Ob igitur, quibus non tenditur virga vehementer, non longè potest proiici semen velut in senibus. At eiaculatur semen hoc modo: vas illud varicoso annexum dum prope collum vesicæ accedit, per parastatas acino vuæ similes effundit semen, non quidem flatu, vt etiam nos docet Galenus in Commento, sed vibratione tensionis nerui, vnde tenta firmiter virga longius procedit. Exemplum habeto, cùm quis exprimit ex linteo succum aliquem premendo partes posteriores, anteriores distendendo atque dilatando, longius eiaculatur illum. Sic contingit de parastatis, vnde etiam illud accidit, de quo dicebat Philosophus, contento spiritu emitti semen, nam non nisi illo contento distendi pars, alia ex aduerso comprimi potest: velut in loculis vulgatis fieri solet, distentis, enim laqueis constringit, quo constricto fundus tenditur atque inflatur, vt si quid humidum sit intus, exprimi possit. Quæ ratio etiam in torcularibus seruari solet, extruditur autem pars tenuior sine expressione aliquando ante coitum, quæ effluit sponte, nec longius tendit: nec est semen, sed seminis ichor quidam: effluit autem absque dilatatione glandosi corporis, virga autem tenditur, quoniam fungosa est ex materia carnea, sed dura vt neruus, quæ impletur spiritu à corde delatato.

Pag. 11.

Cur autem in senibus & debilis erectionis viris, crepitus ventris erectionem persæpe soluat: id fit, quoniam cùm comprimeretur à flatu in recto intestino, prohibebatur exire spiritus è virga, vt etiam è pilis inflatis, & locus etiam reddebatur angustior: quo dilatato, tensio cessat.

Cæterùm omnes intemperies cùm immoderatæ valde fuerint, tam in masculo qui in fœmina sterilitatem efficiunt. Quæcunque verò ad calidum vel humidum declināt, successu temporis corrigi possunt: quæ verò ad siccum & frigidum, nequaquam, sed post iuuentam fiunt deteriores. Sicut & quæ ex compositione pendent, nisi manus auxilio tollantur: quæ autem moderatæ sunt, si contrariæ contrariis iugantur, vt masculi frigidi calidis mulieribus, & humidæ mulieres siccis viris, vt plurimùm generant: nisi alio modo impediantur. Ideo mutatio coniugiorum ad generationem vtilis ac commoda est: qua Romani maximè tum ob id, tum ob contrahendas affinitates vti solebant. Hoc autem est, quod dicitur libro de Natura humana: Si non calidum ac frigidum, siccum & humidum moderatè ac æqualiter inter se haberent; sed alterum alterum multùm præcelleret, & validius debiliori præstaret, non fieri generatio. Pag. 2.

APHOR

APHORISMVS LXI.

Lac date caput dolentibus, malum: malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosus: malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & tabidis dare, qui non valde multùm febricitant: & in febribus longis & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

COMMENTARIVS.

Ab initio ad 17. contrad. SI ea quæ in quinto libro Contradicentium Medicorum conscripsi, rursus hîc repetere voluero, longissimam conficiam commentationem, & frustra chartam implebo: at si rursus nihil adducam, neque eorum quæ ibi dicta sunt meminero, maximam partem expositionis necessariò omittam. Necessarium igitur existimo, lectorem, quandoquidem illa omnia propediem sum editurus, ad illa remittere. Igitur postquam de Muliebribus affectibus hucusque locutus est mulieres autem & fœminæ animalium lac ipsum generant: ob id visum est Hippocrati, vt lactis naturam ex illius generatione declararet. Vna autem videtur Aphorismi ratio, & de vno. De vno quidem, scilicet lacte mulierum principaliter, hoc enim ob id insinuat, quod tractationi de mulierum affectionibus statim hunc subiecit Aphorismum & exinde de omni lacte cuiusuis animalis natura homini conuenientis intelligeretur: non de lacte catoblepæ, si modò vera est historia eius monstri, nec leænarum. Vnde contingeret dubitatio, an lac vllum esset natura venenosum? nam aues, nec serpentes, lac nullum edunt: nec meminit huiusmodi exempli Aristoteles, aut alius vir à seculo condito. Sed delphinorum lac, & orcadum ac balenarum perniciosum esse non crediderim: prauum tamen valde, & difficile concoctu, & ad certos morbos vtilissimum, cuiusmodi est elephantiasis, esse coniector. Quadrupedum autem quorundam prauum, venenosum autem vix, aut omnino perniciosum. Generalis autem ratio est, vt facilè corrumpatur, ex se optimum, & facilis coctionis, & naturæ nostræ familiarissimum. Quocirca, inquit, confert tabidis, & longis febribus paruis, & consumptis præter rationem. Similiter patet, cur febricitantibus, id est febre putrida manifestè laborantibus, & siticulosis, & in acutis, in quibus biliosa fuerit egestio, palàm enim est, in omnibus adesse signa bilis atque putredinis: ac diuersa ratione, qua dictum est de illis, non conuenire.

Reliquum est vt videamus, cur neque caput dolentibus, & quibus ilia suspensa murmurant, & quibus sanguinis fluxerit multitudo. Huiusmodi enim habent dubitationem non paruam. Videtur autem Hippocrates certo numero omnia distinxisse, nescio an consilio, an fortuna, tres enim ordines proponit, & in singulis tres casus. In primo ordine conuenit lac certa ratione, in secundo non conuenit certa ratione: in tertio non conuenit, sed non adeò manifesta ratione. Vt sint nouem casus in tres illos ordines distributi. Dicamus igitur, quòd lac primùm non conuenit caput dolentibus, quoniam in libro de Dentitione ait: Qui multum lac sugunt, somniculosi sunt. Palàm est ergo, quod lac caput petit, & illud aggrauat, & rectè fecisset Galenus si hoc docuisset, quod assumit: scilicet quoniam lac capitis dolorem affert, & sanis: palàm est igitur, quòd iam laborantibus dolore capitis noxium est, & ideo contingit hoc ratione casei admisti, vt in secundo de Diæta: Caseus robustus est, & æstuosus, & alit, robustus quidem, quia proximus est generationi: alit autem, quia *Pag. 7.* carnosæ reliquiæ sunt lactis: æstuosus, quia pinguis: aluum autem sistit, quia succo & coagulo compactus est. Idem concordat cum his quæ in libro de Ratione victus in acutis inquit: Caseus flatum & astrictionem facit, & ciborum accensionem, cùm crudum sit & incoctile edulium: pessimum autem est, re- *Pag. 21.* pletos ipsum inter potum edere. Videtur ergo lac graue capiti, quoniam caseum admistum habet: ipse autem longè magis capiti nocet. Quòd verò sit flatuosum, & his quibus hypochondria tensa sunt, ac murmurant incommodum: propterea quòd duplicem, vt Galenus dicit, corruptionem facilè incurrit, nidorosam & acidam: vbi ergo hypochondria & tensa fuerint seu suspensa, & murmurent, & inflatum magis addit, & propter ventriculi frigidam intemperiem facilius corrumpitur, ita duplicem ob causam illis magis noxium est, at magis suspensa habentibus hypochondria, inquit Galenus, quàm quibus murmurant, his enim quandoque lactis aqua cum melle & sale, dum materiam educit flatus, vtilis fuit. Hæc quidem satis plana, sed de sanguinis copia Galenus ne verbum quidem: vt suspicer vel omnino oblitum, vel defuisse in textu. Dicamus igitur, quòd Hippocrates censet in multa sanguinis deiectione calorem immodicè esse refrigeratum: quare cum per se lac flatuosum sit, & in acidum facilè conuertatur, vbi calor concoquens deficiat, euacuato plurimo sanguine, quauis causa vtriusque noxæ periculum adesse ex lactis potu. Neque obstat, quominus exhibeatur in his, qui ex pectore ac pulmone sanguinem reiectant, vt Alexander Trallianus: cum nihil sit salubrius, & ob vlcus & ob tabem, de qua etiam hîc agit, nam per *Lib. 7. c. 1. in fine.* tabidos intelligit phothen, velut per Præter rationem consumptis, cæteros qui hectica aut atrophia detinentur, aut aliis morbis occultis, per quos corpus extenuatur. Sed neq; prohibetur per hoc à dysentericis, quibus lac vel recens multũ, vel cum aquæ quarta parte decoctum, vel lapidibus ignitis ac candentibus extinctis dari solet, vt apud eundem, non enim symptomatis, id est, fluxus sanguinis *Lib. 8. c. 7.* ratio habetur: sed morbi, id est, vlceris causæque id est erodentium humorum.

Galenus

Galenus hoc in commento ter sugillat Hippocratem, primùm quod dixerit, Malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, nam vnum ex his sufficiebat, vt ita legendum esset: Malum autem & in febribus acutis, & quibus biliosæ fuerint deiectiones. Videtur autem mihi vtraque scriptura vera esse, nam febricitantibus omnibus acuta febre, noxium est per se lac, & in biliosis deiectionibus: non tamen omnibus febricitantibus acuta febre, neque omnibus quibus biliosa est deiectio, cum copiosum lac aliquando datum talia eduxerit excrementa. Vnde septimo Epidemiorum: Bibenti lac asininum coctum nouem heminarum Atticarum mensura ad duos dies, biliosa purgatio vehemens oborta est, & cessauerunt dolores, & ciborum appetentia accessit. Quanquam diceret aliquis, nondum incœpisse biliosam deiectionem. Præcesserant tamen, cum antea dixisset: Quum autem non desinerent egestiones, & semper biliosæ essent, verùm si vtraque hæc affuerint, vetat omnino Hippocrates lactis vsum. Quòd autem dixerit, Qui non valde multum: dicit Galenus potuisse omitti Valde, sed nequaquam, nam Hippocrates illud existimauit, veros tabidos duplici febre laborare, fixa & putrida: & tamen necesse est his persæpe lac dare: verùm cum omnino inualuerit, cessandum iubet. Aliud igitur est proferre, valde multum affirmando: aliud est dicere, non valde multum, hoc enim excessum solùm tollit, illud explicat: quo raro opus habemus, Tertio loco arguit eum, quòd dicat, Si nullum ex supradictis signis affuerit, alienum videtur, inquit Galenus, ab Aphoristica breuitate. Sed ego Galenum interrogarem, qualis sensus esset, dabis in tabidis consumptis, vt paruis longis febribus: non dabis, si caput dolet, aut si hypochondria suspensa sunt. Declarauit posse plus signa quæ prohibent in febribus longis paruis, quàm quæ indicant: non ita in tabidis, propterea adiecit, In illis qui non valde multùm febricitant. Vt vsum huiusmodi doceret, maximè conuenit lac tabidis: deinde febribus longis paruis: quoniam ibi etiam adest calor & siccitas, demùm Præter rationem consumptis: his enim solùm ob siccitatem conuenit.

Pag. 1.

Propterea sciendum, quòd cum proprietates optimi alimenti sint, generare optimum succum, id est sanguinem, vel pituitam quæ facilè in sanguinem vertatur, & facilè concoqui, & pauca excrementa gignere, & difficulter corrumpi, & multum nutrire) etenim non idem est hoc cum eo quod est pauca excrementa gignere, nam bubula caro multum alit, multumque gignit excrementorum: & surculi funiculi parum nutriunt, parúmque gignunt excrementorum, cum sint leues, & à natura nostra alieni) lac multum nutrit, & bonum præbet alimentum, & facilè concoquitur: multum tamen generat serosi excrementi, & facilè corrumpitur, ideo omnibus consumptis vtile est, quod enim facilè concoquitur, etiam celeriter necessariò nutrit: & quòd bonum præbet alimentum, non facilè vitiatur, vitiatur autem facilè, antequam concoquatur. Atque in hoc vtrumque attingit extremum, nihil enim celerius ac facilius corrumpitur, antequam alat: nihil serius, postquam nutrierit, aut difficilius. Vnde etiam raro lactantibus infantibus, antequam cibo vti incipiant, generantur vermes, ob id etiam nocet lac omnibus morbis, quibus exiguum alimentum conuenit: cuiusmodi sunt abscessus omnes, præcipuè calidi, quàm ob causam & febris acutæ nomine, & suspensorum hypochondriorum, ab eiusmodi affectibus lac prohibuit.

Porrò murmur in hypochondriis minuit periculum, quia causam esse flatum significat. Dicebat Hippocrates quarto Epidemiorum: In dextris tumores eleuati, siquidem si quis plurimum ac maximè premat, submurmurarint, non valde maligni putandi sunt. Vbi verò à flatibus cum mollicie hypochondrium eleuatur, lac medicamenti loco etiam conuenire potest: vt ibidem habetur. Verùm aliud est dare copiosam quantitatem purgandi gratia, aliud loco cibi aut reficiendi causa: qui scopus hic Hippocrati præcipuus est.

Pag. 9.
Pag. 8.

APHORISMVS LXII.

QVibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur valde, neque insaniunt: verùm his euanescentibus, derepentè quibusdam à tergo conuulsiones, & distentiones fiunt: quibusdam antè insania, vel lateris dolor acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sint rubicundi.

COMMENTARIVS.

LEgitur hic Aphorismus secundo Epidemiorum his verbis: Quibus tumores in vlceribus non valde conuelluntur. His autem derepentè dissipatis, quibus quidem ad posteriores partes, conuulsiones cum doloribus: quibus autem ad anteriores, aut insaniæ aut dolores lateris acuti, & dysenteria rubra. Nonnulla hîc docentur clarius, nonnulla ibi: velut illud, Quibus quidem ad posteriores partes: respondet illi, Conuulsiones & distentiones fiunt, & illud, Quibus autem ad anteriores, aut insaniæ, aut dolores lateris acuti. Laborat Galenus in docendo, quonam pacto, si vlcus in parte posteriore sit, conuulsiones & distentiones magis adueniant, quia ea pars magis neruosa sit. Ipse tamen dicit, quòd in coxa est chorda valida in parte anteriore, vnde etiam poterit conuulsio & distentio accidere ea in parte. At tantam confusionem hic vir parit in omnibus, vt difficile sit euadere. Primùm quidem conuulsionem & distentionem pro vno quasi confundit, cùm tamen conuulsio in parte anteriore sæpe accidat, distentionem nunquam viderim. Si igitur vulnus sit in parte posteriore, dicit Hippocrates conuulsiones & distentiones vexare solent ægrotantem: si in anteriore,

Sec. 3. in fine.

teriore, etiam accidit conuulsio, sed rarò: quia conuulsio hæc quæ vulnerum causa oritur, distentionem solet sequi. At non datur emprosthotonos, nisi rarissimè, si modò datur: igitur neque conuulsio. Quòd autem non detur emprosthotonos, sic ostenditur: Nerui enim in anteriore parte cerebri non immiscentur musculis, nisi faciei, & sunt molles: igitur non possunt adeò tendi, vt faciant emprosthotonum, nisi in facie: & vix perfectum. At nerui spinalis medullæ, si anterius tendantur, vt in coxa, non faciunt distentionem, nisi vt à spinali medulla tenduntur ac distrahuntur: igitur tunc facient etiam opisthotonum. Ideo Hippocrates intelligit de affectibus magis qui fiunt, quàm de causa, vt sic dicamus. Si materia illa quæ in tumoribus vlcerum derepentè euanuit, posterius tendat, vbicunque sit vulnus ac tumor, excitantur distentiones atque conuulsiones: sin autem ad anteriores, desipientiæ ac lateris dolores: si enim ad cerebrum, fiunt desipientiæ. Enarrat autem pulchram historiam de hoc Brasauolus, Raphaëlis Hebræi, viri in sua lege eruditissimi, qui ex tuberculo in collo ad grauissimam insaniam deuenit. Tales enim materiæ cùm sint exustæ, & sanguini mistæ, si ad caput ferantur, mentem mouent: at si ad pectus, efficiunt morbum lateralem: quorum vtrumque malum valde est. Si autem ad ventrem, efficiunt dysenteriam cruentam. Dicebat in libro de Coacis prædictionibus: Quibus ex dysenteria acuta, & rursus: Dysenteriæ subrubræ, limosæ, largæ alui egestiones in flammeis valde rubicundis coloribus solutæ, insaniæ timorem inducunt. Hic describit duo genera dysenteriæ, acutam & cruentam, quæ facilè ad insaniam vertitur, & de eadem dicit primo Epidemiorum: Populariter grassabantur dysenteriç per æstatem: & quibusdam qui ægrotarunt, quibusque etiam sanguis erupit, ad dysenteriam transitus factus est, & de eadem infrà: Lienosis dysenteria adueniens, bonum, & rursus: A furore dysenteria bonum, & illud: Sanant podagricos optimè dysenteriæ, si successerint. Pulcherrimè verò de ambabus agit paulo pòst, dicens: Dysenteriæ quæ cum febre inuaserint, aut variis alui egestionibus, aut cum hepatis aut præcordij aut ventris inflammatione, aut dolorosæ sunt aut cibos intercipiunt, sitimque inducunt: hæ omnes prauæ sunt. At quæ commodæ sunt, his malis carent: verùm sanguine & ramentis egestis desinerunt septima aut decimaquarta, aut vigesima vel quadragesima die, aut intra hæc tempora. Atque hæ morbos sanant antiquiores ac recentes: hos citius, illos serius, adeò vt etiam vtero gerentes alleuient, & fœtus corroborent, perducántque incolumes ad partum, si nihil horum affuerit. At si quicquam horum adsit, nisi prima die desinat, aut paulo pòst, fœtui quidem perniciem, prægnanti autem periculum adfert: vt in vniuersum duo sint eius genera. Vnum, per quod corpus exoneratur, salutare: aliud quod ex materiæ erodentis influxu accidit, de quo hîc non est sermo, quanquam & id contigat. Distinguũtur autem, & quia innocuum cum sanguine est plurimo, ideoq; vocauit dysenteriam rubram, & sine sæuis symptomatibus, corpúsque alleuiat: illa verò debilitat, & prauos ostendit colores ac ramenta, sæuisque symptomatibus iungitur.

Pag. 10.
Pag. 5.
6. Aph. 46.
7. Aph. 5.
2. Prædic.
Pag. 6.
Pag. 10.

APHORISMVS LXIII.

SI in vehementibus vulneribus & prauis tumor non appareat ingens malum.

COMMENTARIVS.

VTinam Galenus omnes omnes alios Aphorismos ita explicasset vt hunc, certè nos hac tam prolixa cura liberasset: verùm vix duos alios aut tres tam perfectè enarrauit. Nam primùm illud pulchrè consideratum est, ingens posse annecti tumori, id est, tumor ingens, si non appareat, malum: item malo, vt sit sensus: tumor si non appareat, malum est ingens: vel vtrique, vt legatur, Si non appareat ingens tumor, malum significat ingens, probàtque secundam lectionem. Verum Hippocrates secundo Epidemiorum: Si in vulneribus vehementibus tumor non appareat magnus, malum. Legitur enim μέγα, κακὸν, per μέγακακὸν. Prima lectio Hippocrate dignior. Vehementibus enim vulneribus ingens tumor debetur. Tertius omnino absurdus est sensus, quia falsus Declarat etiam quæ sint vulnera vehementia, seu ἰσχυρά. Quòd sunt illa, de quibus dixit quarto Artis curandi: Vbi enim tendones & nerui & carne vacua & ossea loca sunt, hic doloris, vigiliarum, conuulsionis ac delyrij periculum instat. Adderem verò perlibenter quæ ille idem ibi subiungit: Cùm enim trifariam, inquit, non hæc modò vitia, verumetiam reliqua omnia grauia magnáque redduntur vel propter afflictæ nempe partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel quoniam sunt cacoethe. Quin etiam illud vtiliter adiicit, malè facere medicos, qui huiusmodi vulneribus cacoethis, id est in locis tendonum ac neruorum factis, astringentia & refrigerantia medicamenta admouent, repellentes humorem qui ad membra principalia postmodum delatus repentè occidere solet. Sed & id conuenienter, quod reddit rationem, quare malum ingens sit repulsa enim materia ad membrum principale aliquod recurrit & interficit.

Sec. 3. in fine.
Cap. 6.

Illud sanè ad perfectionem solum deerat, vt causam redderet eius, de quo haud dubium est experimentum, scilicet cur materia cùm ad vulneris locum non defertur, ad principale membrum recurrat, cum tot sint loca ad quæ deriuari possit. Causa est, quòd materia huiusmodi à membris principalibus transmittitur, non enim potest esse munus alterius membri quàm principalis, sunt enim membra principalia, quia administrant corpus. Si igitur materia non transmittitur, necessariò vel membrum principale est imbecille, ideóque stante prauo & vehementi vulnere manet ingens periculum: vel impeditur transitus, & ita periculum

culum imminet, ne recurrat ad ipsum impellens, ea enim est natura eorum quæ mouentur, vt in impellens prohibita impetum faciant: sic pilæ, saxa, aqua torrentis, & similia. Hippocrates sexto Epidemiorum inquit: In vulneribus sanguis concurrit: opitulandum est igitur, vt vacuum expleatur. Illud etiam rectè à Galeno additum, in huiusmodi casibus debere admoueri calefacientia & exiccantia, quæ ille enumerat: sulphur, euphorbium, terebenthina, succus Cyrenaicus, opopanax & sagapenum.

Sec. 5.
6. Artis cur. cap. 2.

APHORISMVS LXIV.

Molles, boni: crudi verò, mali

COMMENTARIVS.

Sec. 3. in fine.

Secundo Epidemiorum longè aliter legitur post priorem, vt hic, Aphorismum, subiicitur enim: Laxi bonum, sursum pascentes peius. Nimis tenuiter Galenus explicat causam dicti Hippocratis, nam quod crudi, id est duri, contumaces sint concoctu, satis clarum esse arbitror: at molles, faciles. Sed quid ad rem, & quo modo, non ostendit. Primùm igitur cùm materia confluit, & tumor mollis est, signum est naturam moderatè impellere humores, locum recipere & extendi, nec à dolore prohiberi, non esse prauos humores qui influant, nec magnam redundantiam, à sanguine enim atro tumores fiunt duri, & cùm confertim influunt humores vel ob redundantiam illorum, vel ob vehementiam doloris, & cùm particula præ dolore extendi non potest. Atque hæc signa mala, contrà tumor durus prohibet concoctionem in vlcere, & suppurationem. At declaratum est superius, vlcera quæ non possunt ad suppurationem perduci, vel omnino mortem afferre, vel transire in callosa atque chironia. Sed neque probatur, qui sursum prorepunt tumores ea ratione. Igitur cùm tumores probasset in vlceribus, quales hîc ostendit, vt ratio continuitatis cum præcedenti Aphorismo manifesta sit.

Aphor. 20.

APHORISMVS LXV.

Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest.

COMMENTARIVS.

Par est, vt hîc primùm coniungam hos Aphorismos simul, quod ab initio factorum me perpetuò sum pollicitus, etenim vsque ad illum, Quibus tumores in vlceribus continuitas exposita est, is verò continuatur secundo, sequens illi, vt & alius qui hunc antecedit. At præsens illi: Mulieri si velis menstrua cohibere, ergo hic diuertere cum euacuatione docet. Qui modus multis morbis curandis optimus existit. Reuulsiones etenim, quæ ad longinquissimas partes fieri solent, tardè opitulari solent, cùm tutissimæ sint: Euacuatio ex loco præsens auxilium afferre solet, sed non tutum: sola hæc quæ fit per communes venas, & à contraria parte tuta est, & celerem affert vtilitatem. Dices: Cur non ergo semper ea vtimur? Quoniam non vbique venæ sunt huiusmodi, sed in fronte ac ceruice, & in dextro latere aiuga, & in brachio, etenim iugulares venæ diuiduntur singulæ, ramúmque emittunt ad aures, inde ad occiput, alium ad partem frontis anteriorem, quæ in fronte coeunt in vnam: ea recta diuidit frontem, pòst in duos ramos diuiditur, vt à Vesalio libro tertio de Humani corporis fabrica habetur. Eadem ratione fluxiones oculorum Galenus detracto sanguine per cucurbitulas ex occipitio curasse ait. Solent alij in eisdem sericeo fune per ceruicis musculos traiecto, vbi prius candenti ferro illos traiecerint, spinam non tangentes, antiquos defluxus curare. Hoc tamen vt sæpe prodest, rarò sanat. Est autem reuulsio quatuor generum & octo specierum: antè retrò, retro ante: sursum deorsum, deorsum sursum: dextrum sinistrum sinistrum dextrum: intus extra, extra intus, vt cùm in scabie corpus à serosis excrementis per aluum purgamus, vt Galenus & Oribasius referunt. Videtur autem hic Aphorismus ex sexto Epidemiorum translatus, ex experimento, sic: Dolenti partem capitis posteriorem, vena frontis recta secta profuit. Sunt qui venam nasi per apicem immisso ferro diuidunt, & effusa magna sanguinis copia à diuturno frontis dolore homines liberant, hæcque deriuatio est.

Aph. 62.
Aph. 63.
Aph. 48.
Fig c. 6.
Lib. de Reuul. cap. 2.
Lib. 8. c. 19.
Par. 2.

APHORISMVS LXVI.

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput: sed & viris parte posteriore magis corporis quàm anteriore, veluti fœmorum, cubiti. Sed & cutis rara, indicio autem est pilus.

COMMENTARIVS.

Hic Aphorismus sic describitur sexto Epidemiorum: Rigores incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis, & per dorsum, & tunc ad caput: sed & viris posteriore magis parte corporis quàm anteriore. Horremus enim magis exterioribus quàm interioribus corporis partibus: velut, cubitis, fœmoribus, sed & cutis rarior. Indicat autem pilus, à quibus autem aliis rigent, fortassis vlceribus, incipiunt à vasis. Ratio huius est quadruplex. Prima, cur in mulieribus: inde, cur in viris: deinde, cur in parte posteriore: inde, cur ex lumbis. Quod verò additur, cutis rara: ad anteriores refertur, quoniam subiicit: Indicio autem est pilus. Quasi dicat: Partes hæ sunt pilosiores, ideo rarioris cutis. Decretum est illud ostendere,

Par. 3.

frigidiora magis horrere calidioribus, hoc autem triplici exemplo, & mulierum in comparatione ad viros, & partium posteriorum ad anteriores, & earum quæ exteriores vocantur ad interiores, vt in brachiis & cubitis magis quàm sub aliis, in genu quàm poplite. Vocat autem cubitum & fœmora, partes exteriores: interiores dicere poterimus fœmina, alas, & ita de his quæ teguntur à seipsis: vel à pannis magis, vt venter magis quàm crura, vel quoniam natura sunt calidiora vel frigidiora, velut venter dorso, & maximè partibus quæ iuxta spinam sitæ sunt, ea enim pars exanguis est, & tota spina frigidior. Rigores igitur incipiunt mulieribus magis ex lumbis, vel magis quàm viris, vel vtroque sub sensu: quod ostendit verbum. Sed & viris. Quasi dicat: Mulieribus rigores fiunt magis hoc modo: sed & viris si fiant posteriore magis corporis parte, vt ex lumbis per dorsum ad caput, vbi magis illos ascendere quàm descendere indicat, ergo frigidioribus abundant magis, & parte posteriore quam anteriore: & partibus detectis quàm contectis: & ab inferiore quam superiore. Partes enim quæ sunt circa lumbos, magis frigent, quod remotæ sint à motu, à membris principalibus, & carne minus oppleantur. Propterea rigor ab illis partibus in febribus ab extremitatibus extremorum tum nasi inchoare solet: non autem rigor in his, neque frigus in illis: quoniam lumbi non possunt adeò frigere ob propinquitatem intestinorum: nec extrema rigore adeò concuti per se, cum non adsint musculi magni in illis, neque etiam adeo commodè per tam angustas venas materia acuta & mordax permeare solet. Ratione igitur raritatis masculi fœminis, & anteriora posterioribus, rigere facilius deberent: atque id contingit nonnunquam, ab externa causa, verùm Hippocrates de interna loquitur. Dicitur in Coacis prædictionibus: Rigores ex dorso molestiores sunt. Quomodo, cùm sint magis secundum naturam? Intelligit, quòd magis propagantur loco opportuno. Pag. 1.

APHORISMVS LXVII.

A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur: si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

COMMENTARIVS.

MVlta circumloquitur hic Galenus: sed an rectè, an non, non est hic considerandum: sed potius Hippocratis mentem assequi decet, qui vult, quartanam non solùm prohibere aduentum conuulsionis, sed factam iam curare. Atque ea mihi ratio videtur, quòd conuulsio fit à lento humore frigido & humido, nam frigidum, cùm sicco coniungitur, facit crassum: & cum humido tenue, vt primo de Alimentis. Quartana ergo ratione febris, aduersatur frigori: ratione Cap. 1. siccitatis, humido: ratione frigiditatis & siccitatis, lentori. Quamobrem tamen ob causam materiæ quartanæ, tum ob effectum, quartana prohibet conuulsionem factam ne adueniat: & quæ iam facta est, curat ac soluit. Manifestum est autem, quòd qui quartana laborant, conuulsionibus ex vacuitate laborare non possunt: nec si eisdem prius laborent, quartana potest superuenire, neque enim oppressis mortali morbo vacat laborare quartana. Quamobrem de conuulsione, quæ ex repletione fit, solum est necessarium intelligere. Est autem generale dictum, velut sexto Epidemiorum: A quartana correpti, à magno morbo non corripiuntur: si verò prius correpti fuerint, & quartana succedat, liberantur. Sec. 6. Seu enim de comitiali morbo intelligatur, vt Galenus ibi exponit: seu vt nos censemus, de omni magno morbo intelligatur, liquet correptos quartana, huiusmodi non corripi, nam si per magnum morbum quemcunque intelligamus, liquet sub eo conuulsionem comprehédi, est enim conuulsio planè morbus non leuis, sed magnus, vt superius visum est. Si autem comitialé intelligat, conuulsio est pars comitialis: si ergo prohibet comitialis morbi euentum, & curat eum, idem de conuulsione dicendum erit. Nos autem generaliter intelligi debere docuimus.

APHORISMVS. LXVIII.

QVibus cutes circumtenduntur aridæ & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus verò laxæ & raræ, cum sudore moriuntur.

COMMENTARIVS.

VIdetur prima fronte Aphorismus hic satis alienus ab arte Medica, cùm ipsemet iusserit à morituris abstinendum, in libro de Arte: verum tamen non ita est, sed prædictionem diligenter distinguere docet, Pag. 1. & vt in libro de Ratione victus in acutis: Mortuis ex laterali morbo per intempestiuam Pag. 3. ptisanæ exhibitionem, solet latus liuidum apparere, tanquam si plaga illata esset. Quod si animaduerterent medici nostri temporis, cùm oua & carnes contusas exhibent his qui postmodum moriuntur, intelligerent se toties homicidij miserorum coargui, quoties hæc concederent ægris. Sed & varios modos mortis prædicere docuit sexto Epidemiorum, velut illud: Quibus sanguis erumpebat, morientes fronte non exudarunt, sed velut Sec. 7. contracti præ siccitate erant, & anhelosi, ac cum sudoribus pereuntes malè habebant. Quomodo autem hæc vtilia, in aliis ad causas dignoscendas, vt ibi Hippocrates omne genus auxilij in anginosis febrientibus, tametsi non profuerit, & quoniam qui sine sudore moriuntur, conuulsi moriuntur, dixerat autem in præcedenti Aphorismo, quartanam liberare à conuulsione, vult nos intelligere, non tamen ab ea quæ fit à siccitate, nec lethali. Assumit autem ad ostendendum

dendum hoc, cutes aridas, ſiccas & diſtentas, quòd ſignum ſit calorem illum potuiſſe tendere cutim,& ea eſſe natura vt prius conſumat quàm colliquet, ideóque tales ex reſolutione virium aut conuulſione pereunt: opponit verò circuntenduntur, laxas:& aridæ ac ſiccæ, raras, id eſt madidas ac molles. In his ergo præternaturali calore ſpiritibus reſolutis paruus mador quibuſdam ante mortem apparet, vt multis ex peſte morientibus. Alij verò per aſſiduos ſudoris riuulos diffluentes, cùm & multa eſt materia, & contumax,diſſoluiturq;prius vitale humidum ac ſanguis,quàm obeunt. Atque hi dum ſolùm ſeroſa ſanguinis pars effluit,leuari manifeſtè videntur: vnde narratur de medico illo à Galeno primo Prognoſticorum, quòd adoleſcentem in initio ſudoris demiſit in balneum, & periit, cùm medicus & aſtantes ſibi prius de hoc gratularentur: at ille tum prius ſyncopi corripiebatur, ſed medicus ille inſanus in propoſito perſeuerauit. Talem caſum ego perambulans vrbem vidi, & ego curabam piſcatorem, qui in febre perpetuis tribus diebus ſudauit & periit, & quibuſdam ex his profuit cohibuiſſe ſudorem: alij nihilo ſecius perierunt. Sicut & quoſdam ſeruaui ex vrinæ profluuio, proximos morti,cum medici quidam ſtulti vererentur retinere:alij etiam ſtupidiores, immodicis huiuſmodi profluuiis gauderent. Certè hæc duo proritaſſe, cum abundant, nunquam profuit. Com.4. Parno.

Scribitur hic Aphoriſmus ſexto Epidemiorum, ſic: Quibus cutes circumtenduntur aridæ & duræ, pro ſiccæ.

APHORISMVS LXIX.

QVi regio morbo laborant, non multum ventoſi ſunt.

COMMENTARIVS.

SIcut quartanam vtilem eſſe conuulſioni docuit, ita regium morbum flatu abundantibus, atque ſic continuatio perſpicua eſt. Neque cogimur extorquere ſenſum ἰκτεριώδεις tanquam non de arquato morbo ſeu regio loquatur: ſed bile abundante dici neceſſe ſit, vt ex primo in tertium Epidemiorum oſtendere nituntur, nam cùm ea vox Arquatos omnes ſignificet, tametſi omnibus etiam bilioſis conuenire poſſet, non tamen efficeret vt liberarentur à contradictione, ſcilicet quòd morbus regius ſiccam hydropem, quæ flatu conſtat, ſæpe pariat quod contingere poſſit ex obſtructione,à pituita. Eiuſmodi interpretationes curioſæ ſunt laborioſæque & mali Rhetoris argumentum, cùm ſecunda ratio primam, vt hîc, premit. Quapropter de vero morbo regio eſt intelligendum, qualicunque ex cauſa ſit, ſeu enim ob nimium calorem accidat iecoris retenta bile & calore illo, flatus diſſolui par eſt: ſeu ex obſtructione pituitæ, nam & tum retenta bile, corpus incaleſcit. At quidam corripiuntur ſicca hydrope, quæ ex flatu conſtat: quid verius? verum eſt, ſed non hos ventoſos appellat,verùm illos qui flatum eructant, quorum nullum comperias in huiuſmodi morbum incidere. Quòd etſi etiam velis per ventoſos tympaniticos hoc intelligere, excuſat verbum illud, Non multum: id eſt, raro in eum morbum incidunt. Quandoquidem non natura pituitæ, quàm neceſſe eſt minui ac mitigari, poſſint eum morbum incurrere? verùm potius imbecillitate caloris innati membrorum nutritionis, præcipuè ventriculi, ſicuti aſcites iecoris, euenire id ſoleat. Quapropter Galenum Fuchſius, bene excuſantem Hippocratem, ſi modò excuſatione dignum vult eſſe, turpiter damnat. Ita.

In vitium vitij ducit fuga, ſi caret arte. Sec.4.

Porrò de his intellexit ſexto Epidemiorum, cùm dixit: Ventriculo calidi, carne frigidi & tenues, hi eminentes venas habent, & iracundiores ſunt. Abundante enim bile circa ventriculum, tales etiam bouinas carnes,& quæcunque dura & craſſa edulia, modò ſicca omnino non ſint, conficere ſolent, vt bilis concoctioni non paruum auxilium afferre ſoleat, verùm parum hi viri nutriuntur, & graciles euadunt: & contracto intus calore, frigidi ſunt exterius, tument autem his venæ, ſeruata copia bilis ſanguiniſque calidioris, vnde iracundiores euadunt, nam mores animi humorum dominium naturaliter ſequi ſolent.



LIBER SEXTVS.

In Sextam Aphorismorum partem Commentariorum.

APHORISMVS I.

IN longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.

COMMENTARIVS.



VM declarasset in quinta parte horum Aphorismorum Hippocrates, diuersorum affectuum, & maximè muliebrium causas: in præsenti ostendit signa, quæ plerunque portendunt aliquid: & sunt signa partim vtilia ad prædictionem, partim ad curam. Incipit autem à ructu acido in intestinorum leuitate, quia ructus fit à flatu: & in præcedenti Aphorismo locutus fuerat de flatu, etenim quid aliud dixerat in eo, quàm morbo regio laborantes parum eructare: hic verò docet, ructum acidum in longa leuitate intestinorum esse bonum. Proponit ergo quatuor conditiones: quòd leuitas intestinorum longa sit, quòd eructet, & ructus si acidus, nec antea solitus fuerit illum edere: ex his omnibus concludit, quòd erit signum bonum. Atque omissa insectatione inutili, nomina imponentium, dico quod leuitas intestinorum appellatur, quoties feces sub forma ciborum assumptorum odore coloreque emittuntur, nam substantia quandoque permutatur sola dentium attritione: & ideò multum refert, si quis diligenter mandat cibum, antequam deuoret. Quandoque igitur adeò similes sunt feces ingestis, vt sint perinde ac si statim deuoratum cibum vomitu reiecisset: quandoque autem sunt cibi immutati, sed non perfectè. Et quomodouis accidat, leuitas intestinorum dicitur: quanquam hæc minus mala sit. Fit autem trifariam: vel quia non concoquit vis ventriculi, licet debito tempore retineat: vel quia concoquit, sed non tam diu retinet vt perfectè concoqui possit: vel quia nec concoquit, nec retinet, quæ quasi ex prioribus composita est. At non concoquit, vel ob imbecillitatem propriam, vel circumiacentium & auxiliantium membrorum: vt de omento, quarto de Vsu partium: & in quibus multus fluxerit sanguis, vt suprà dictum est, corde & epate refrigerato: vel impedimentum, vt de adolescente, primo ad Glauconem & alibi clarius. At in quibus non continetur cibus, hoc accidit vel ob imbecillitatem virium, aut ob humorem fluidum, aut ob molestiam, sicut in acribus humoribus vel vlceribus. Oportet autem dare cibos leues & non albos, vt scias quantum mutantur, ptisana enim quod chilo similis sit, dubios nos reddit: & in quibus ob acredinem hæc contingunt, ab acribus offenduntur, & dolorem sentiunt: consequuntur & hanc speciem leuitatis sæpe abrasiones intestinorum, inde etiam difficultates intestinorum. Ructus autem acidi trifariam fiunt, aut incipiente coctione, ac non potente absoluere illam: aut ex acida pituita, aut ex atra bile, vt similia ex similibus, verùm qui ab atra bile fit, potius acerbus est quàm acidus, aut cum acido acerbus est. Si ergo ob pituitam acidam ructus acidus fit, semper adest: ideo non est bonus, quoniam deest illud qui prius non fuerat, cum semper adfuerit. Si etiam ex imbecillitate quæ superuenit, & ex qua fit leuitas intestinorum, ab initio contingit. Quare non est (vt proponitur) in longa intestinorum leuitate: reliquum est, vt cum aduenit, leuitati iam diuturnæ, vt fiat restituta in concoquente. Quòd si pars restituta est, sperandum est facilius longè totum restitutum iri. Seu enim humor in causa sit, seu imbecillitas ventriculi, seu irritamentum necesse est facta esse minora quàm prius. Quòd si perseueret, scriptum est in libro primo de Morbis, parere aquam intercutem. Praua est & quæ interficit, secundo Prædictionum: si quæ eiiciuntur, cruda sint valde, aut nigra, aut lenia, & malè olentia. Quamnam autem appellet lienteriam, seu intestinorum leuitatem, apparet in libro de Affectionibus: In intestinorum, inquit, leuitate secedunt cibi non putrefacti, liquidi, dolor autem non adest: & corpus attenuatur. In libro autem de Victu salubri, id est tertio de Diæta, dum inquit: Succedit ipsis cibus liquidus & incoctus, tum reliqua. Porrò de hoc etiam suprà egimus in tertio. Nunc recenseamus auctores, qui fermè Hippocratis auctoritate fuerunt, quibuscunque tantum fidei habendum est, quantum Hippocrati etiam, ex Galeni testimonio. Recenset autem in commento Aristonem, Philistionem & Pherecidem: at in primo de Alimentis addit Euriphontem, & Philitam: alibi addit Phaontem, & Dioclem: post quos sunt Polybius, gener Hippocratis, & duo illius filij Draco & Ihessabur: & ex his duo nepotes, ambo prænomine Hippocratis appellati, Dioscorides, Praxagoras: & Herophilus, cæteris omnibus inferior.

Marginal notes: Cap. 9. Par. 4. Aphorismorum 17. — Cap. 1. — Pag. 2. — Pag. 16. — Pag. 8. — Pag. 7. — Aphor. 30. — Cap. 1.

APHORISMVS II.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus verò contraria, salubrius degunt.

COMMENTARIVS.

ET hoc est ex his quæ probabilia sunt, nam & multi contraria natura sunt morbosi, attamen finis, cuius causa scriptus est Aphorismus, est demonstratiuus: scilicet quòd si nares siccentur, & etiam genitura, multùm profuerit. Habent autem ex initio & primo intuitu duplicem hæc dubitationem. Prima quidem, an ita sit intelligendum, vt qui nares habent humidiores, habeant etiam genituram: an potius, qui vtramque habent, tales sint. Alia, an per humidiores intelligat humido abundantes, an quorum humidum liquidius sit. Scribitur hic Aphorismus eodem modo fermè sexto Epidemiorum: Quibus nares natura humidæ sunt, ac genitura humidior & abundantior hi ægrius sanitatem agunt: quibus verò contraria, plurimi ex his non sunt morbosi. Vbi duplex discrimen declarat mentem Hippocratis. Primùm, quoniam coniungi debent hæ partes, non subsequi, euariant enim nares natura humidæ simpliciter, & genitura abundantior. Secundum est, quòd dum dixit, Humidior & abundantior, declarauit non debere intelligi per humidiorem abundantiam humidi, sed aqueam magis substantiam, in quorum vtroque Galenus fallitur, refugiens ad temporum similitudinem, quæ nulla est cum hoc, sed afferamus primùm rationem, quare duo hæc coniunxerit. Morbi quidem plurimi, inquit Hippocrates, & violentissimi fiunt ex cerebro. In epistola ad Demetrium regem: at cerebrum per nares expurgare solet excrementa sua, genitura verò omnium membrorum inferiorum est indicium: à naribus ergo atque genitura totius corporis argumentum sumere licet. Quibus ergo talia serosa sunt, vt ab ipso Galeno habetur, secundo in sextum Epidemiorum, cum ichores sint materia omnium morborum, hi multis morbis atque diuersis subiiciuntur. Et mihi sanè post longam illam tabem à naribus aliquando pura aqua marinæ, quod ad colorem attinet, similis, stillauit ad quantitatem vnciarum nouem aliàs etiam, sed non tanta huiusmodi fuerat materia tam longæ destillationis. Vidi in alio qui per circuitus difficultate spirandi corripiebatur, fluxisse imposito medicamento è sutura communi sagittali atque coronali ad libras quatuor aut quinque vt vix caput tantum sine cerebro continere potuisset, liquida ergo hæc, argumentum haud dubium sunt morbosæ naturæ, conuertitur autem cum præcedenti: quoniam ibi de ructu, hìc muco agit.

Sec. 6. (margin)

Com. 39. (margin)

APHORISMVS III.

IN longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidia malum: & cum febre, peius.

COMMENTARIVS.

CVm egisset in primo (neque enim paruæ sollicitudinis res fuit Hippocrati ordinem hunc retinere, vtpote quod primus secundo & tertio diuersis rationibus connectatur) de leuitate intestinorum, hìc de difficultate egit: longis autem vtrisque. Cúmque cibi fastidium in omni morbo malum sit, quemadmodum in illo, in quo vis morbo mente constare, & se bene habere ad oblationes bonum, contrarium verò malum, secundo Aphorismorum: nihilominus in morbis, in quibus multa solent eiici, in dies necessitate quadam appetere solent cibos, at in hoc morbo non appetere, signum est omnino affectui repugnans, atque ideo malum. Est etiam malum vt causa, namque cum refectione indigeant, deficiente non solùm appetitu ciborum, sed illum abominante ægro, necesse est fermè vt moriatur. In initio tamen affectionis nihil mirum redundantibus circa os ventriculi, aut propè prauis humoribus: at in fine aut necesse est consumptos esse humores, aut etiam cum illis appetunt cibos, licet alienos à salutaribus ob vehementem necessitatem virium, & cum febre quidem hoc ciborum odium similiter deterius est, signi quidem ratione, quoniam abscessus aut inflammationis aut vlceris praui signum est: causæ, quoniam febrientes maiore indigent restauratione, Habet autem in hoc morbo peculiare malum febris: quippe cum, vt alibi dictum est, duplex sit difficultas intestinorum, cruenta, in qua multus è iecore prodit sanguis: & non cruenta, in qua eroduntur intestina, febris putrida (nam de hac est sermo) cruentæ adhærens inflammationis iecoris signum est: non cruentæ autem, iam perforati intestini, vlcerisque profundi in illo. Scribitur autem 6. Epidem. his verbis: In longis difficultatibus intestinorum cibi fastidia, mala, tum aliàs, tum si insuper febrierint, cæterùm cibi fastidium non magis ventriculi quàm ipsius iecoris vitium est, imò solius, dicente Galeno primo in tertium Epidemiorum: Vnde collectis quæ dicta sunt, perspicuum est, mirè fuisse iecur affectum principium vegetatricis & naturalis animæ, cuius ostensum est quatuor esse virtutes, attrahendi, nutriendi, commutandi & expellendi, quibus corporibus nutrimentum & incrementum suppeditat: & hac affecta, mirum in modum appetitus perit, vt mori malint quàm cibum gustare ægri sustineant. Si tamen in dysenteria erodente contingat, ad ventriculi consensum referri poterit. Est autem triplex hoc fastidium, vt habetur secundo in tertium Epidemiorum, nam cum dixisset Hippocrates in textu: Quosuis cibos hoc toto tempore fastidiuit, nec appetiuit quicquam, non sitiit, neque

6. Contradict. com. 11. (margin)

Sec. 7. (margin)

Com. 13. (margin)

Text. & Com. 3. (margin)

effatu dignum quicquam bibebat. Dixit Galenus in Commento:Sumo hæc,dixit: significans odio illi venisse cibos,vt ne desiderium quidem veniret cuiusquam : quo quidam, cum perdiderunt appetentiam, cùm illa recordantur, quibus aliquando sint oblectati, tenentur. Nonnullos enim in morbis occupatos conspicimus, simulatque quicquam gustarint, illud auersari:quosdam verò ne gustare quidem ausos, attamen hi requirentibus ex se, ecquid appetant? respondent certa edulia, quibus se recordantur quondam gauisos esse. Sanè maximum tibi sit facultatis signum ciborum appetitricis semel emorientis,si parata hæc quæ desiderare dicebant vt gustarunt,culpent, nec etiam edant. Qui, tamensi habeant pessimè, deteriore tamen sunt in statu, qui nihil appetunt: extremam indicantes naturalis facultatis, qua cibum & potum appetimus, extinctionem. Quærendum igitur esset, de qua specie loquatur hîc Hippocrates,& mihi videtur sanè clarum de omni intelligere: deteriorem tamen speciem maius significare detrimentum,& certiorem ac celeriorem mortem,quàm primam. Porrò eos qui non appetunt, ἀσίτυς vocant: qui
Com.29. verò respuunt, ἀποσίτυς, primo in primum Epidemiorum.

APHORISMVS IV.

VLcera circùm glabra, maligna sunt.

COMMENTARIVS.

SI pili cadant, aut etiam, quod maius est, cutis desquametur, necesse est erodentes humores circa vlcus esse: sed si hoc accidat non poterit facilè ad sanationem peruenire. eiusmodi autem dispositio minatur ignem sacrū:cuius,siue adsit siue timeatur, vt in libro de Vlceribus, non est negligenda cura. Atque hæc iuxta Galeni sententiam,verùm vix verisimile videri potest,materiam adeò prauam ad vlcus confluere, vt in sana parte pilos eradicet in ipso vlcere, alia non edat signa,per quæ euidentius illius prauitas quàm per casum pilorum non significetur.Ideo melius est sic intelligere, vt vulnus ipsum prauum ob intemperiem pilos cadere cogat, &
Cap.2. extirpet. Vlcera enim dupliciter fiunt cacoethe, vt etiam quarto Artis curandi habetur:aut ob intemperiem illius,aut succi influentis prauitatem. Itaque glabra vlcera, si non aliter affecta sint, potius loci intemperiem prauam solùm, aut cum humoris defluxu indicant, quàm solius humoris influentis prauitatem. Præterquam enim in Gallica lue, nullam scio humoris prauitatem,quæ pilos possit extirpare, quæ sæua non sit: cadunt enim pili in elephantiasi, impetiginibusque. Sed quid si ob solam intemperiem siccam hoc accidat? nam illa non impedit, sed iuuat vlceris sanationem: at in nouo vlcere tanta siccitas fieri non potest. Melius est ergo,vt existimemus corruptum esse succum carnis circumiacentis, seu ob vulneris, seu succi influentis, seu vtriusque prauitatem.Porrò quæ ob succi prauitatem non consolidantur, purgatione indigent, vt in libro de Vlceribus, sed si succus ibidem corrumpitur, permittatur sanguis effluere: sin Pag.1. autem inflammatio adest, cataplasmate: si non purgatur,præscindendum: si autem non sanatur, quia crudum est, intemperies mutanda, & ad suppurationem deducendum. Quinque his modis vlcus non sanatur, totidem corrigitur. Appellat Hippocrates propriè vlcera maligna ferina, de quibus libro Pag.1. de Locis in homine, exscriptus est & hic Aphorismus ad verbum ex sexto Epidemiorum. Constat enim, vt ibi videbitur, Hip- Pag.11. pocratem, dum iunior esset, aliosque sequeretur medicos,scripsisse Epidemiorum libros: Sec.7. vltimos autem fuisse primum ac tertium, sed tertius postremus fuit, tumque ex sententia egit secando venam in Anaxione, medici, quos comitabatur, erant ex secta quam Erasistratus secutus est, sanguinem non mittentes, cætera rectè agebant. Quocirca cessat admiratio Galeni, qua Hippocratem imperitiæ aut improbitatis accusat: veri simile est autem, iuuenem artis operum studiosum ex hac obseruatione initium duxisse. Nam tentasse hoc, vt morborum naturam proderet, proditoris potius quàm siccarij munus fuisset. Dicimus hoc, quia quosdam audiuimus tentasse: qui & quod sperabant non sunt assecuti, & magnis calamitatibus laborarunt cum infamia & vitæ periculis.

APHORISMVS V.

DOlores qui sunt in lateribus & pectore, atque aliis partibus, an multum varient, perdiscendum.

COMMENTARIVS.

DIxi, omnes hos Aphorismos esse probabilis generis:quod vt intelligeretur, luce clarius hoc ipse docuit: cum nihil dicat aut affirmet, sed tantùm admoneat,vt attentissimus,an in longum dolores procedant:qui primus sensus est, aut an sint vehementes & graues, qui secundus: aut quo ex genere sint, seu lacerent seu grauent, pugnantve. Hippocrates sexto Epidemiorum & hunc scripsit, vt duos, velut dixi, præcedentes,his verbis: Dolorum in lateribus & pectore, & Sec.7. aliis partibus, tempora an multùm differant, considerandum est. Quamobrem si Hippocratem per Hippocratem exponere operæ precium est, palàm est, quandoquidem hoc solo verbo differunt tam Latinè quàm Græcè τὰς ὥρας, quod est tempora (ὥρα enim tempus anni est) idem in vtroque loco sensisse, eundémque esse sensum. At præter id est, quòd solus hic sensus Hippocrate dignus est,cum duo illi Galeni sint inartificiosi,quàquam vtiles.Quis enim tā rudis est medicus, qui non quærat ab ægro,an dolor magnus sit an paruus, & qualiter eum afficiat? tum verò, cuius speciei sit? an pungat, terebret, mordeat, lancinet, grauet, tendat? Quæ

sex

ſex ſunt differentiæ principales dolorum per ſe,nam dolor torpidus & dulcis,quem Galenus ridet, nos tamen ſæpius ſumus experti: tum calidus aut frigidus non propriè dolores, ſed ſymptomatum ſubſequentium ſunt differentiæ. Etenim tendens flatus ſignum eſt, grauans multitudinis aut craſſiciei materiæ. Atræ bilis, vel omnino exuſti humoris eſt, qui terebrat:qui pungit,flauæ bilis:paucæ,ſicut multæ, quòd lancinet: mordax proprius eſt animalibus, vt vermibus. Vrigo verò doloris ſpecies eſt, partis ratione, non cauſæ. Etenim exterioribus membris conuenit ſolũ nõ internis vtexternis etiam reliquæ ſpecies dolorum conueniunt. Fit etiam differentia à perſeuerantia eorum, & diuturnitate. Sed quanquam hæc pulchra ſcitu ſint, cum tamen non doceat hìc Hippocrates, id de quo admonet, vulgare eſt. At ſi in primum ſenſum incidas,habes primum naturam temporis, quæ plerunque ſimilis eſt naturæ dolo-

Pag.5. ris, deinde illud libro de Natura hominis: Itaque quum hæc ſic ſe habeant, quicunque morbi hyeme augeſcunt, æſtate deſinere ſolent:quicunque verò æſtate augeſcunt, hyeme finire conſueuerunt, niſi certo dierum circuitu diſcedant. De circuitu autem dierum rurſus dicam: Quicunque,autem morbi verè fiunt, ad autumnum eorum diſceſſum fore expectare oportet. Quicunque poſtremùm autumnales morbi ſunt, eorum diſceſſum neceſſe eſt vere fieri: quicunque verò morbus hæc tempora tranſgreſſus fuerit, cum annum fore ſcire oportet. Sed & per ὥρας intelligit morbos, qui ex conſtitutione anni fiunt, atque vulgares, in quibus idem dixit non eſſe mutandam victus rationem, ſed potius regionem. Quid ergo eſt, vt non

Pag.6. malimus legere ſic:Cùm dolores adueniunt, maximè conſidera tempus anni. Primum, vt intelligas ex qua materia aut cauſa fiant. Secundum, vt ſi diſſimilis materia ſit anni tempori, cognoſcas curam eſſe difficilem. Tertium, vt ſi vulgaris ſit hic dolor, ſcias aliter eſſe curandum, quam ſi ex ſporadibus eſſet. Quartum, vt cognoſcat quando ſperanda ſalus ſit ex temporis mutatione.Ergo & illud conſiderandum, quonam pacto inducat hunc Aphoriſmum,verba illius ſunt ſexto Epidemiorum, ante ipſum: In Perintho vere plurimi ægrotarunt ſimul:cauſa fuit tuſſis, per hyemem populariter vagata, & alij quicunque diuturni ſunt morbi, nam & in ambiguis confirmati ſunt.Quibuſdam verò diuturni non ſunt oborti, velut his qui dolores renales habent.Sed & aliis,velut homo ille ad quem Cyniſcus me adduxit. Si quis ſtructuram conſideret, ex conſtitutione temporis morborum naturam & exitus venabatur. Is enim fuit ſenſus, quod in Perintho multi ob hoc ſimul ægrotarent,quoniam tuſſis & alij diuturni morbi populariter hyeme antecedente vagabantur. Omnes igitur, quos huiuſmodi diuturni morbi corripuerant,fermè ægrotarunt. Cauſam reddit: quoniam qui iam fermè ſanati erant,ab eiſdem morbis grauiter occupati ſunt. Sed & alios inuaſit, qui non diuturnis morbis oppreſſi erant, verùm ſolis doloribus: demùm etiam ſanos, ita vt quatuor fecerit ordines eorum, qui iam tuſſi vel alio morbo diuturno correpti fuerant per hyemem, quos ex ſequentibus verbis intellige eiſdem morbis laboraſſe: eorum inde, qui iam penè ex eiſdem conualuerant. Sed morbus rediit, quos veriſimile eſt pauciores fuiſſe prioribus eorum, qui doloribus tantùm non admodum periculoſis, vt renum, qui adhuc pauciores extiterunt cæteris: demùm & quidam ſani. Inde ſubiicit, quod ob id oportet conſiderare dolores qui adueniunt, quo tempore adueniant, & maximè ſi populariter vagentur. Veriſimile enim eſt,temporum varietate ſuccedente iuxta ſimilitudinem cauſæ doloris eos in morbos tranſituros:vt lateris, in lateralem morbum: pectoris, in peripneumoniam:ventris, in inteſtinorum difficultatem. Cur autem præcipuè lateris & pectoris dolores expreſſerit tum maximè, quòd diuturni cum ſpirandi difficultate, & inteſtinorum præcipuè leuitate in tabem finiuntur, etſi cum febre diuturna, ſuppurationem: & ſi cum lumborum dolore, ad morbum regium tranſit, vt in Coacis prædictionibus, neque Pag.20.18.
enim in vlla corporis parte tot membra, & 13.
tamque diuerſa ſunt, oſſa, membranæ, cor, pulmo, inane.

APHORISMVS VI.

REnum vitia, & veſicæ, quicunque dolores, in ſenioribus difficulter ſanantur.

COMMENTARIVS.

NΕφειτικὰ, morbos & vitia renum intelligere oportet, ἀλγήματα κατὰ τὴν κύστιν, dolores veſicæ, vt iam diſtinguat Hippocrat. comparans vitia renum veſicæ doloribus. Addit præterea, ὁκόσα, quicunque:vt intelligamus omnia dolorum genera ſcilicet, & vriginem, inſinuat nobis magnitudinem morborum veſicæ, qui quatuor fermè continentur generibus, abſceſſibus, vlceribus, lapide,& læſione in operatione, ſeu ſit incontinentia ſeu difficultas, aut ſuppreſſio, vel vrigo, omnes enim hi morbi non ſolum in ſenibus,ſed in cunctis fermè,aut prorſus ſunt inſanabiles, aut difficulter ſanantur, cùm enim dico, Aut prorſus inſanabiles, aut qui difficulter ſanantur, tres modos euentuum intelligo:aut quia non omnino ſanantur, aut rarò, aut cum magna difficultate. Morbi autem veſicæ plerunque doloribus definiuntur, renum non ita quòd ſubſtantia illorum parum ſentiat. Veſicæ igitur morbi inſanabiles, cùm confirmati fuerint:dolores autem in ſenioribus. In ſenioribus quoque morbi non prorſus omnes ſunt inſanabiles, ſed diuturni plerumque, & acuti etiam periculoſi, vt 39.
etiam ſuperius viſum eſt. Quales igitur erunt 14.
morbi renum & veſicæ, qui inter acutos acutiſſimi, inter diuturnos longiſſimi exiſtunt? Ob hæc igitur de veſicæ morbis non locutus eſt, cum ſub generali ratione comprehendantur. Iunioribus tamen hæc ſcire expedit, quæ ad rem faciunt, & non adeò

profundè ex generalibus expiscari sciunt propria. Sanātur in senibus morbi, qui mites vocātur, vt tertianæ, ephimeræ, dolores intestinorum: quoniam medicamenta facilè ad illa deferuntur, & excrementa exeunt. Item qui ex acutis conuertuntur, quoniam nec vim acutorum, nec longitudinem diuturnorum retinent. Cæteri rarò sanantur. Sed vt dicit Galenus rectè, senectutem non tam ætate quàm robore metiri oportet.

Causæ cur morbi renum & vesicæ dolores difficulter sanentur, sunt assidua cōcoctio, attractio, expulsio, vt ne vel horula vna in toto die quiescant: serosa quoque substantia, quæ acuitate irritat, natura labefactat membra, & sanari vlcera vetat. Quæ autem sanari oportet, quiescere debēt, & exiccari. Angustæ quoque viæ ad hæc membra sunt & locus remotus ab ore. Vnde Galenus: Pulmo & renes à ventriculo longissimè absunt. Propinquissima sunt ori ventriculus & stomachus, ideo in his solis nihil ad vires addere oportet, in illis maximè. Solento præteriit vesicam, quod illa sicut & rectum intestinum aliunde etiam quam ab ore auxilium suscipere possit, ac soleat: nihilominus medicamento multo difficilius per virgam inijciuntur, quàm per anum: tutius etiam per anum, quàm per virgam inijciuntur. Vtrobique etiam iniecta minores vires habent, quàm quæ per os sumuntur. Demonstratum enim est in libris de Subtilitate, nihil quod vita careat, vires habere, nisi animalis comparatione, animalis autem comparatione vires habere propterea, quòd à calore eius in actum deducuntur. Et cùm calor exterius sit imbecillis, itē in vesica & iuxta anum, ideo non tantum posse quæ immittuntur, quantum si per os sumpta fuerint. Omnium igitur membrorum cum vesica sit ab ore remotissima, & situ inepta, ac forma ad inijciendum, & substantia maximè sensibili ac exangui, & quæ difficillime possit consolidari, & non consolidata mortem afferat: sequitur ex omnibus his, vt vesicæ morbi omnium pessimi existant. Si igitur hi morbi in omnibus difficulter sanantur, quanto magis in senioribus, cùm sint morbi illis proprij renum passiones, vinæ stillicidia & difficultates: tertia Aphorismorum.

1. ad Glau. c. 2.

Aphor. 18. & 19. huius.

Aphor. 31.

Senioribus, id est, in senibus omnibus, etiā ab initio senectutis incipiēdo, per absu dum enim est, difficulter sanari morbos in primo senio, deinde in extremo facilè, quod autem per seniores, principium senij intelligat, forsan quis dubitabit, cùm comparatiuum positiuum excedere debeat. Id verum est, si adijciatur, velut. Ego sum candidior Antonio. At cum simpliciter profertur, velut ad mediū relatū positiuo inferius est: velut. Iunior, senior, id est, media ætate. Sic sapientior, formosior, referuntur ad mediū. Indicant hoc verba Hippocratis sexto Epidemiorum: Renum morbos supra 50 annum sanatos non vidi, id est senij initium, mens enim videtur, eisque robustior fieri: vltrà autem sapientior, non robustior. Cum corporis enim viribus augetur, & per se: per se quidem semper, cum corpore autem ad annos 30, aut quinque amplius, in vniuersum igitur, ad annum vsque 50. ὠμογέροντας igitur intelligere oportet, factus ergo senior,

Sec. 7.

id est, vbi constantem excessit ætatem, & seniores qui illam excesserunt, etiam si vel semestri spacio excesserint. His modis comparatiuum positiuo minus est, & inefficacius, nam aliud refertur.

Cæterùm quod dixerit, ὁκόσα ἀλγήματα, quicunque dolores: vrigines noluit comprehendi, nam vesica proprie & frequentius his vrgetur. Quanquam Epicurum aliàs docuerim doloribus vesicæ periisse, & Petrū Mantuanum, philosophos: non tamen satis mihi constat, quo dolorū genere. Dolorū si quidē genera, vt Galenus antea hoc in libro nos docuit, ex tribus sumuntur differentiis: magnitudine, ordine & qualitate, magnitudine, vehemens aut exiguus, diuturnus ac breuis. Ordine, continuus, intermittens, æqualis aut inæqualis. Qualitate, pungens, tendens, grauans, stimulans, erodens, feriens, torpidus. Videtur vrigo sub eo doloris genere contineri, qui fit dum pungitur aut diuiditur cutis ac caro, nam & has causas dolorum commemorat Galenus primo de Symptomatum causis. Verum ipse sibimet negocium facessit, qui tertio de Locis affectis vult dolorem capitis factum ex flaua bile, in ventriculo contenta, mordentem ac exedentem esse. At constat hunc non esse quē vocamus vriginē, vriginem enim in membro nullo interiore experimur, prærerquam in ventriculo & vesica: neque forsan tota, in collo certè, in externis autem membris vriginem tantùm, non seu vratur pars, seu diuidatur, seu loris cædatur, experiri licet. Quod si tundatur, dolet quidem, sed non caro, & multo minus cutis: sed pars subiecta, vel perioston, seu membrana os circundans.

Com. 5.

Cap. 5.

Cap. 7.

Galenus satis, vt mihi videtur, anxiè hanc rem pertractauit: sed cùm sæpius eam sub manibus habuerit, præteriit. Secundo enim de Locis affectis inquit: Neque enim cum acu quispiam vulneratur, alio affectu laborat, quā si ab acri humore facta fuisset erosio, & tamen non animaduertit hunc affectum qualis sit: verum tamen, vt paulo pòst dicam, acus & vriginem ab initio, & dolorem: cùm profundius immittitur, excitat, sed ipse de vrigine loquitur, nec tamen quid sit animaduertit, & rursus clarius ibidem: Verùm si lapis dolorem excitauerit, interdum solus, interdum vnà cum cruore excernitur, etenim radit ea corpora per quæ transit, maximè si vel asper vel acutus fuerit. Non potuit latēre eum, quantum esset discriminis, si per renes & vreteras deferretur, dolorem excitando, aut per vesicæ collum & virgam vriginem intolerabilem faciendo. Quonam pacto igitur talia confundere potuit? Rursus secundo de Medicamentis secundum locos: Dolores mordaces humorum vel vaporum acrium, noxam significant: cum grauitate, multitudinem: cum pulsatione, inflammationem: cum grauitate & distentione, humorum multitudinem intra membranas contentorum. Multa talia cùm Galenus prætermisisset prima dolorum genera de speciebus disseruit.

Cap. 5.

Cap. 1.

Rei veritas ita se habet: Membra sanguinea vriginem sentiunt. Est autē vrigo dolor, qui fit cum motu aëris atq; contactu: si verò durum

durum duro tangatur, aut absque aëre fit, dolor igitur in membris exanguibus & in occulto propriè fit, vt sunt membranæ, tendonesque in carne & cute vrigo, quoniam ibi aër præsens est. Tria igitur sunt dolorum prima genera: dolor, vrigo, pruritus. Dolor intus fit, & propriè in neruis, membranis ac exanguibus: vnde etiam in dentibus vrigo nunquam. Fit etiam necessariò, vbi aër non tangit, vnde cutis nunquam dolet: quo fit, vt forsan quidam dicta Aristotelis non rectè de capitis cute sint interpretati. Vrigo fit in his quę aëri exponuntur, sãguineisque membris: vnde etiam in collo vesicæ, & præputio, talia enim aëri proxima sũt, & sãguinea: itsẽque in ventriculi imo, at in pulmone non fit, licet sanguineus, & aëri expositus, qua enim parte aëri exponitur, nõ sentit. Post vriginem dolor sequitur, vt in flagellatis, & vrinæ ardore (sic enim liceat communi consensu appellare) atque tunc finitur dolor, quæ enim latebat in exanguibus partibus atque intimis noxa, ob vriginis magnitudinem ea recedente detegitur, sentit, & dolorem ostendit, compressa igitur aut siccata, vti desinunt: verum dolore afficiuntur. Pruritus verò vriginis species est, sed moderata: quo fit, vt nunquam membris internis sentiatur, tametsi vesica scabie laborare soleat: atque hic morbus cum ex vlceris genere sit, sed non profundi, non sanatur vnquã, ob id dixi, morbos omnes vesicæ esse insanabiles. Cæterum vrigo & pruritus quandoque iunguntur atque miscentur, vt in his quos vrtica tangit: vrigo verò non diuiditur in species, quanquam acutior sit quæ ex punctione, quam quæ ex sectione fit. Dolor autem, vt dictum est, in plures species distinguitur. Quod si obiicias, eum qui acu pungitur, vriginem ac dolorem sentire: verùm est, cum acus paulo profundius mergitur, aut si phlegmon excitetur, phlegmon enim cùm in internis partibus fiat, citra vriginem est, & cum dolore. Hæc sunt quæ Galenum potius attigisse præstitisset, quàm Archigenem tam pertinaciter oppugnasse.

Nunc verò ex his magnæ difficultatis solutionem inuenire licet: & est, cur qui vlcera in vesica patiuntur, aut lapidem, non in vesica, sed in colis glande vriginem sentiunt, & quibus lapis in vesica est, his membrum tenditur, nam, vt demonstratum est, neque vriginis neque pruritus vesica est particeps, quamobrem affectus eò vsque fertur, scilicet ad membrum sanguine præditum, & aëri expositum est, scilicet membri virilis glandem: atque ibi primum, atque ab initio tentigo & pruritus sentitur: ex quo veretrum, vt in tractantibus, tenditur, cum verò lapis creuerit, vrigo, dum mingitur, iam sauciata vesica: demum crescente malo, lapide scilicet, cum vlcere dolor etiam, non iam in ipso præputio, quemadmodum in pruritu & vrigine, sed in imo pubis atque vesica ipsa. Atque hoc est, circa quod viri frustra laborarunt: quoniam veris principiis, quæ à nobis inuenta sunt & proposita, caruêre.

APHORISMVS VII.

Dolores & tumores ventris sublimes, leuiores: qui verò non sublimes, vehementiores.

COMMENTARIVS.

Totus hic sermo ex hoc verbo μετέωρα pendet, quod est superius, & æquam habet difficultatem. Nihil autem absurdius, imò ne audit quidem dignum interpretari, sublimes: id est, supra peritoneum. Quid enim est supra peritoneum, in quo consueuerit gigni dolor? an cutis, quæ vix vnquam dolore afficitur, nisi ex externa causa? an tenuis membrana, quæ vix dolet vnquam? aut pinguedo, expers doloris? At musculi, per absurdum omnino, quandoquidem istud in controuersiam non vocabatur. Propterea mirum hoc. Sed non mirum: quandoquidem si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Omnes tam absurdum sensum secuti sunt, propterea sublimiores iuxta corporis longitudinem intelligo. Et quamuis dicat Princeps sexta decima tertij, quòd vlcera tenuiorum intestinorum dolores faciant vehementiores quàm crassiorum: dico quòd præsupponit pares, morbum & causam, sed cùm in ventre superior pars contineat ventriculum, iecur, lienem, duodenum, & partem coli latiorem: inferior autem ileon & partes intestinorum angustiores & monoculum, & trudi soleant quæ superius infestant ad inferiora: ideo dolores superiores sunt experimẽto frequentius non ita graues vt inferiores, vbi etiam renes & vesica. Et licet abscessus in ileo sit grauior, & magis molestus quàm in colo, tamen ileos intestinum positione est in inferiore parte ventris, & coli pars maior in superiori. Et etiam, vt dixi, hoc non est adeò generale, dixi verò, quòd hìc loquitur de his quæ secundum plurimum contingunt, non quæ secundum rationem sequi debent, ac certa quasi demonstratione deduci possunt. Superiores enim partes ventris vt longè frequentius doloribus, afficiuntur, ita inferiores cùm afficiuntur, sæuius cruciari solent. Membra etiam inferiora cum magis exanguia sint superiora calidiora, magis à doloribus vexantur. *Tract. 1. c. 3.*

APHORISMVS VIII.

Aqua intercute laborantibus, vlcera in corpore facta difficulter sanantur.

COMMENTARIVS.

Qvòd vlcerum sanatio sit exsiccatio, docebit infrà Galenus, & docuit quarto de Medicamentis secundum genera, & tertio & quinto Methodi, nihil enim plus facit medicus, quam prohibere ne humore superfluo impediatur *Com. 43.* *Cap. 6.* *Cap. 3.* *Cap. 1.*

impediatur naturæ opus, aut solida pars colliquetur. Nam generatio carnis non medici, sed naturæ opus est, ob id aqua intercute laborãtes, humidas habent palàm carnes, & ob id exiccari difficilius possunt: ideòque etiam vlcera eorum sanari. Verùm eadem ratio prohibet laborantes alba pituita, & si non magis tamen certius. Si enim aqua intercus in ventre solùm sit, crura autem aut brachia sine humore, quod prohibebit in his sanationem? Quare, tametsi quis respondere possit, in huiusmodi ægris totum corpus esse humidius, afferam tamen causam aliam euidentiorem quam humidi abundantiam: tametsi neque in alba pituita neque aqua intercute censeam deesse humidum præter naturam in toto corpore. Verùm dicam quod magis ad rem facit, & quod iuuat ad curationem, ac ad præseruandum se ab hoc morbo: nec non ad intelligendum, quomodo hic morbus generetur. Dico ergo primum, quòd vlcera in aqua intercute difficillimè sanantur propriè ob humoris serosi prauitatem, non humidi abundantiam solam. Constat enim ex colore, odore, effectibus, ac ratione ipsa, quod humor qui in aqua intercute diffusus est crura & ventrẽ, est similis vrinæ purefactæ. Et quomodo serosa pars tam diu contenta loco arcto & calido, & immobilis, potest non putrescere? Imò ab initio ipso putrida est. Aliter, cur est quod videmus aliquos qui parum mingunt, fieri hydropicos? alios, vt ego iã diu ac multi alij, qui supra sexaginta vncias vrinæ quotidie mingũt, nunquã fieri hydropicos? At dices forsã, quia vrina illis intercipitur. At si intercipitur obstructione, cur nõ supprimitur ex toto? at ea ratione qua vnciæ 10 fluũt in singulos dies, ea ratione etiam quadraginta profluere deberẽt. Quinetiã cur non expellitur sudore, quod vrina non potest? Cur multi hauriunt aquæ amphoras plenas, nec corripiuntur hydrope? alium sex vnciis aquæ frigidæ epotis confestim morbus inuadit? cur in eiusmodi viris prauus color, & multi etiam regio morbo laborantes, in eum morbum decidant? cur sitiunt ante hydropem? non solum, vt quidam falsò putant, dum iam correpti sunt, neque vllum certius signum hydropis, quàm sitis leuis quasi perpetua, absque causa manifesta. Etenim talis sitis si perseueret, aut tabis aut hydropis aquosæ certum est signum in omnibus fermè, cur in hydrope ex fluxu non ita sitiunt, etiam vehementer laborantes? Non nisi, quia in temperie frigida manifestè laborant. Cur his succus cichorij noxius est, illorum plurimos breui sanaui? nec est auxilium fermè præstantius. Ergo aqua intercus fit, quoties iecur serosum humorem non auget (in alium enim affectum profluuij vrinæ aut sudoris incidunt ægri:) sed corrumpit, ac quasi putrefacit. Vnde, quamuis ad renes pellatur, illum non recipiunt, implenturque: demùm redundat in ventrem, de quo suo loco dicemus. Cùm verò iam cœperit: difficile ob id *7. Aphor. 49.* curatur, quoniam venis iam repletis causam suam adauget, fitque morbus ob id circularis, de quo Hippocrates in libro de Ratione vi- *Pag. 5.* ctus in acutis. Palàm est igitur, cur talibus vlcera difficillimè, quouis loco sint, sanẽtur. Sed obiicies ex quinto de Locis, quòd in scirrhis *Cap. 7.* iecoris statim aduenit aqua intercus, quos palàm est non nisi refrigerare iecur: quinimò factam intercutem ex ea causa concludit esse insanabilem. Quòd si ab alia intemperie quã frigore fieret, nec statim scirrhum iecoris ascites sequeretur: nec si sequeretur, esset prorsus insanabilis, certè demonstrationes propter dicta simpliciter contemnere non debemus. Ego primùm id verum non esse puto, quod tam constanter affirmat, existimo enim plurimos esse, quibus duricies sunt in iecore, qui ascite non corripiuntur: verùm tunc solùm, cùm sanguinem iecoris repurgari prohibuerit ea duricies. Vnde non minus ex duriciebus splenis, quàm iecoris, ascites generatur. Narrat Hippocrates quarto Epidemiorum de viro metallico, *Pag. 5.* cui præcordium dextrum erat intentum, cum aluo intenta, subdura: & decolor fuit, vt vitium iecinoris videri posset, nec tamen in aquam intercutem incidit: & in filio sororis Apemanti. Sed fac vt causa sit, quandoquidem imbecillitatis certè causa est, forsan etiam corruptionis erit, cùm enim duricies adfuerit, compresso viscere corrumpetur sanguis retentus, & ipsa serosa pars putrescet: atque ita in idem redit. Et ideo potus aquæ non est causa hydropis, sed sitis: quæ est causa potus aquæ, cùm fuerit iuncta imbecillitati iecoris, ostendit causam esse iam præsentem hydropis, & si dicas, quod Princeps ait in quartadecima tertij: Et prohibitio à visione aquæ, nedum à potu ipsius. *Tract. 4. cap. 13. in princ.* Respondeo, quòd hoc non est ante conceptum morbum: sed quia aqua, vt dicit Hippocrates, *3. de victu in Acut. Text. 40.* nullam habet vim in exercendo, neque aluum neque vrinas, & quod tardè permeet: & non ob id dãnat quòd frigida sit, imò ostendimus expertem esse omnium qualitatum: quinimò quod ad qualitates attinet, biliosam inde, biliosissimã ibi appellat. Verùm dicit Hippocrates, lienem & iecur auget: hoc autem bifariam, primùm, flatus in his generando: deinde, quod si frigida bibatur supercalefacto iecore vel liene, scirrhum promptè in his generat, atque ob id ad hydropis generationem promptissima est: non quia frigida sit potentia, sed quia actu & ideo in iecore excalefacto, & non consueto potui aquæ, cùm enim calescit iecur, tumet & inflatur, vt in lebete ius: inde contrahit plurimum sanguinem ad se, quo plenum, si aqua repentè multa & frigida, & crassa præsertim, & infutro epota superueniat, antequam sanguis diffugiat, cogitur & refrigeratur sanguis & scirrhus in ictu fermè oculi generatur, nõ à frigiditate naturali, sed adepta. Ideòque qui timent hydropem, cibis debent frigidis vti, endiuia, cichorea, plantagine, rhubarbaris, potu vini albi aut aquæ destillatæ, nam tutior est hæc longè quam vinum nigrum, præcipuè astringẽs. Quòd siquis dimidium talis vini frigiditate æqualis, qualis fuit aquæ, bibat, multo celerius scirrhum concipiet, quàm ex potu aquæ. Est igitur causa propria ipsius ascitis, intemperies calida iecoris, cum illius imbecillitate. Verùm falsis persuasionibus decepti, putant esse calidam, morbus tamen est frigidus & humidus, quia collectus humor serosus, quantitate vincit etiam putredinem. Propterea succus cichoreæ & endiuiæ

ac ſonchi, plantaginis, meliora ſunt, & præſeruant: vt contrà vigilia, cibi pingues, craſſi, calidi, vinaque nigra & acerba, eam inducũt. Cęterùm quid per aquã intercutem intelligat Hippocrates hic, an ſolùm anaſarcon, vt videtur Fuchſius, inferius explicabimus. Quod verò dixit Galenus, explicatum eſſe ab Hippocrate, vlcera eſſe ſiccãda, ſi perduci debeant ad ſanitatem, in libro de Vlceribus idem per hæc verba: Siccum ſano propius eſt, & humidum non ſano, eſt enim vlcus humidum, quod verè ſanum, eſt ſiccum. Propterea vlcera vniuerſa præter quam in articulis, niſi vino humectare non oportet.

Aphor. 14. In princip.

APHORISMVS IX.

Latæ puſtulæ non admodum pruriunt.

COMMENTARIVS.

Hic ſatis eſt Galeni Commentarium adiecisse. Sicuti tubercula omnia duplicem habent differentiam, quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt: quædam ad minorem extenduntur locum, non tamen in altum attolluntur: ſic & puſtulæ nonnullæ ſublimes, nonnullæ latæ fiunt: ſublimiores autem puſtulæ atque tubercula à calidiore humore generantur, humiliores autem à frigidiore. Quare ob duplicem cauſam latæ puſtulæ non admodum pruriunt. Difflantur enim in latitudinem extenta, & facientem ipſas humorem minus acrem habent. Ergo ſi omnia ſic explicaſſet, & ſibi gloriam ingentem peperiſſet, & nos à tam graui labore liberaſſet. Verũ non omnia poſſumus omnes, vt ille dicebat. Multa præclara ſcripſit Galenus, quæ cùm aliàs quænam ſint expoſuerim, hìc etiam repetere non pigebit. Primum, admirabilem illam medendi Methodum, poſt quinque priores illos de Simplicibus medicamentis libros. Tertio loco vtiliores, ſed non tanta diligentia, libros, de Medicamentis ſecundum locos, quibus ſolum inferiores vtilitate ſunt libri de Medicamentis ſecundum genera, vtiliores ſunt libri de Locis affectis, atque ingenioſiores: verum minus abſoluti, quòd maiorem artem expoſtularent. Itaque in ſuo genere plus deficiunt prioribus, ipſi per ſe præclari. Pòſt ſunt Commentaria in Epidemia, certè nobilia: & libris de Vſu partium ſumma laus accederet, ſi in principali, id eſt, enarrandis partibus corporis, vt ſe haberent, non defeciſſet. At à multis aliis tẽperare poterat, vt tractatione de Pulſibus tota, à lib. de Placitis Hippoc. & Platonis, à typis, à lib. cõtra Eraſiſtratios & Eraſiſtratũ, Iulianũ: de Sophiſmatis in verbo exorientibus, ab Anatomicis, modò Marini ſcripta non defeciſſent: à Commẽtariis his, & etiam de victu in Acutis & Prognoſticorum, & generaliter earum partium, in quibus multi ſcripſere: à libris de Symptomatum cauſis, & naturalium facultatum, quos ille tamen & multi nunc ſuſpiciunt, cum enim multa contineant optima ſanè ob viri auctoritatem paucis erroribus plus offendunt, quàm multis bonis præceptis iuuent. Si tamen quis legat inſtructus acri, Dialectica, qualem nos tradimus, ſecernendo pauca, ſed periculoſa, admirabilem conſequi ex illis poterit vtilitatem, multa enim ſunt præſtantis viri, qualis ipſe fuit, dogmata. Sed nihil deterius arte curatiua ad Glauconem, quam & breuem fecit, & breui tempore conſcripſit, habet enim multa periculoſa dogmata, quæ viri faſtu ſolo magni ſequentes, plurimos perimunt ægros. Cæterùm vt breuiter abſoluam, omiſſis quibus philoſophum agit, aut logicum, in quibus teritur ſine fructu tẽpus, maximè libris de Dogmate Platonis & Hippocratis, & de Pulſibus, ac præcipuè libris duobus ad Glauconem, tum Anatomia: cæteri libri omnes ſi cũ iudicio legantur, atque à viro prȩſtanti, vtiliſſimi ſunt. Et Commentaria in Hippocratem omnia etiam, præterquàm in Aphoriſmos, magnam vtilitatem afferre poterunt. Priores autem quinque ab omnibus & ſine delectu, ſani enim ſunt vndique. Sed vt ad rem redeam, Hippocrates ſexto Epidemiorum inquit: Latæ puſtulæ non valde pruriginoſæ ſunt. Quales Simon habebat hyeme: qui vbi ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, opem ſentiebat: non quòd pruritu leuaretur, ſed quia minuebantur, aut ſanabantur, pruritus enim ſatis leuis erat. Leuabãtur enim tum effluentibus vaporibus, tũ concocta materia quæ intus erat: vnde morbus minuebatur. Sed id dubium eſt, an acres humores pruritum magis excitent? Videntur enim hoc ſalſi facere, acres autem erodere cutim, ac dolorem efficere. Itaque latæ puſtulæ minus profundæ ſunt: & ſi ſcalpantur, ſtatim totus humor exit: ceſſat ergo pruritus. Et ideo ab auxilio rem metiuntur homines.

Sec. 2.

APHORISMVS X.

Caput dolenti, & circumdolenti, pus vel aqua vel ſanguis, effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit.

COMMENTARIVS.

Tres habet partes conſideratione dignas: Prima, quid interſit inter caput dolere & circumdolere. aliqui dixère, vehementer dolere: quod omnino abſurdum eſt, & non ſolùm à Græca lectione, περιοδυνέοντι, alienum, ſed etiam à modo loquendi, & Hippocratis maieſtate. At caput dolere, dicimus, cum pars illius dolet: circumdolere, cùm in toto ambitu, non flatu: ſed ob materiam, quæ totum quaſi in doloris cõſenſum trahit. Nec eſt vt dicas, non ſolui morbum à flatu vno, ex his fluente, hoc enim dixit, qui ignorat logicam. Hippocrates enim non dicit; Caput dolenti & circumdolenti ſoluitur morbus per fluxum puris, aquæ vel ſanguinis per nares & reliqua (eſſet enim hoc falſum) ſed ſi fluat, inquit, ſoluitur morbus, præſupponit iam quòd fluant, at non expellit

natura

natura hoc in dolore, nisi cùm sunt morbi qua pulsa, par est morbum solui. In Galeni Commentario aliqua desunt, aliqua deesse suspicamur. Deest sanguis, quæ causa fuit vt interpretatio esset obscura & anceps: neque ego multum ad sanandi partem hunc. Aphorismum pertinere arbitror. Primum, quod scire non possumus, quid ex his tribus in causa sit: deinde quod aliud est naturę opus facile, & medici violentũ: deinde quòd natura solet, cum expellit, huiusmodi totum expellere, medicus hoc vix faciet, neque enim scit an sit præparata, nec potest illam totam in vnum colligere. Adde, quod nullum membrum est, quod difficilius euacuari possit capite. Medicamenta enim epota purgant totum corpus, non autem caput (oporteret enim per palatum educere in ventriculum) inde per intestina: quare melius per apophlegmatismata, quàm per aluum. Quòd si consensu venarum trahunt, primùm violentissimum esse medicamentum oportet: cuius exhalationes ex ventriculo per palatum id possint efficere: aut si per venas vis defertur, oportet in ventriculum, iecur cauã venam, soporarias, inde in cerebrum ingredi, aut per iecur cor, arterias. Propterea & hic Hippocrates docet, quomodo caput sit expurgandum. *Pag.2.* Sed admonet in libro de Visu, priùs totum *Ibidem.* corpus esse purgandum: & in libro de Glandulis, totum corpus in caput remittit: ipsum verò, nisi ægrotet, denuò in ipsum corpus. Et alibi: Inflammantur fauces ex destillatione, & excitatur tussis, ex qua materiæ ad fauces deriuantur, ipsum verò caput à toto corpore trahit. Sed & Galenus ipse purgationem capitis per propria loca ostendit po- *Cap.15.* tius quam per medicamentum, vt primo ad Glauconem. Sed neque per venæ sectionem, educere enim sic quicquam non licet è cerebro. Sed deterius longè faciunt, qui ex vena iecoris sanguinem mittunt. Omnino enim stultum est, trahere primum ex iecore sanguinem, vt illud trahat ex caua, & caua ex cerebro. Sed reuellunt primùm quæ in naso, inde quæ in fronte, & quæ post aures, ac demùm ex brachio superiori à iugulo. Similiter nec pus nec aquam medicamento trahere licet, pus nullo modo: aquam quæ trahunt, etiam ex ventre pleraque venenorum naturæ proxima, scobs æris, elaterium, lathyris & tithymalus, ac similia. Quare satis sit intellixisse & prognosticum per hunc Aphorismum, & modum curandi, si quando spes sit posse corpus curare: & præterea quinam humores in capite dolorem aut morbum efficere maximè soleant. Et tamen caput si purgandum sit, optimè euacuabis totum corpus, & materiam quæ eò rapitur, & *Cap.14.* quæ ipsum maximè lædere solet, catapotiis Galeni in quinto Artis curandi, ex aloë, agarico, bdellio, colocynthida & scammonio. Etsi materia calida fuerit, & totum corpus sanguine plenum, sic vt duas sectiones sustinere possit, à iecoraria primùm, inde cephalica sanguinem copiosè detraham: si non, incipiam ab ipsa cephalica. Vbi spes affulse- *Cap 22.* rit caput purgandi, Galenus tertio decimo Artis curandi, non solùm per nares & palatum (non in aures, incommodum est ac incertum medico trahere materiam) sed etiam per balnea & emplastra, maximè spondylion & serpillum.

Pus vel aqua vel sanguis.) Raro à pituita, nisi modum excedat, ob familiaritatem & innocentiam naturæ, fit morbus in capite. Sed vel ab humore qualicunque vel crudo & aqueo excremento in his, in quibus non fit concoctio, quod adeò abundat aliquando, vt dixi, vidisse plusquàm à toto capite contineri posset, quod etiã in archiepiscopo B. Andreæ in Scotia, dum ad pulmones singulis octo diebus videre pro miraculo licuit. At sit ex flaua bile aut nigra vel sanguine morbus seu dolor sit ab initio, stultè credideris extra venas contineri, vnde fluente sanguine liberantur. Surditates enim, quæ fiunt ex bile, in acutis morbis contingunt, reposita bile cum modico sanguinis in cerebro: inde ad concauum, quod est inter cerebrum & aures adhuc in venis: vnde salutis hoc plerunque signum est. Quòd si è venis materia in cerebrum vel membranas deriuetur, vincaturque natura, tunc ad suppurationem deuenire necesse est. Quacunque igitur ex materia morbus sit, vno ex his tribus constare illum oportet. Vnde natura secundum rationem agente, ægrum liberari necesse est.

Quòd verò per nares, palatum aut nares dixerit, loca explicauit, per quæ materia copiosa expurgari solet, acutius, nam per oculos in lachrymas vertitur, & oculos lædit: neque præter aquam ex oculis quicquam emanare naturaliter solet, & est etiam periculo- *Pag.* sum. Vnde etiam in libro de Iudicatione idem fermè reperitur, sed iuuat verba subscribere: Caput circum circà dolenti ac ægrotanti, si pus per nares aut per aures fluxerit, soluit *Pag.* morbum. Itaque aliud est secundum naturam fluxiones numerari, vt ait Hippocrates libro de Glandulis: Fluxiones de capite vsque ad secretionem contingunt per aures secundum naturam, per oculos, per nares: atque hæ tres sunt. Et aliæ per palatum in guttur & in gulam: & aliæ per venas in spinalem medullam, & in sanguinem. Quæ omnes septem numero existunt liquet ergo, eam quæ per palatum fit, præter naturam esse: quæ per nares, secundum naturam: quæ per aures autem, communem oculi ergo secundum naturam expurgant cerebrum, sed ad exonerandum illud minimè sunt idonei. Quòd si obii- *Pag.7.* cies ex Coacis prædictionibus: Capitis dolorem soluit pus per nares & sputa crassa, & non olentia: soluit item vlcerum eruptio, quandoque somnus & alui fluxus. Et in libro *Pag.* de Iudicationibus: Caput circum circà dolenti, quicunque ex supernis locus doluerit, cucurbitam affige, soluit dolor ad coxas & genua, & anhelatio, quicquid horum factum *Pag.6.* fuerit. Et rursus in libro de Locis in homine: Medicamenta caput purgantia, quæ quidem valida sunt, à toto corpore ducunt: quæ verò debilia, ab oculis, & hinc à vicinis naso partibus. Sunt & alia plurima, quæ possem adducere in hac causa: sed his dilutis quæ pro nobis sunt, cum contraria videantur, viam præmonstrabimus ad reliqua. Vltima auctoritas, palam est de errhinis, quæ debilia trahunt à naso & vicinis partibus: tum si vali-

diora

diora paululum, ab oculis: at valida, à toto capite. Nam si per medicamenta purgantia intelligeret, validiora esse oporteret quæ ab oculis & propinquis naso partibus, quàm quæ à capite toto: vt constet Hippocratis sẽtentia, cerebrum per nares, non per medicamenta, quæ deuorantur, expurgari debere. In libro autem de iudicationibus, reuulsionis modos, & à medico qui in vsu est, & à natura docet at in Coacis prædictionibus docet capitis dolores trifariam posse solui, concoctione, reuulsione seu decubitu materiæ, & purgatione. Vt ibi de generibus curationum à natura, hic autem de speciebus vnius generis, scilicet expulsionis ipsius materiæ loquatur, nam demonstratio quam attulimus, ostendit sub hoc genere non posse plures species contineri.

APHORISMVS XI.

Melancholicis & renum vitio laborantibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum.

COMMENTARIVS.

Et hoc est ex his quæ comuniter eueniunt: &, vt dixi, ad prædictionem ac curationem simul conferunt: sed alia magis, alia minus, vt in præcedenti diximus, in hoc enim magis agitur de curatione, sed tamen prædictio securior est.

Quod autem dicat Galenus, quòd non solùm conferunt hæmorrhoides ratione euacuationis, sed etiam humoris qui euacuatur: indignum est tanta doctrina, quasi omnis
1. Aphor. 25. 23. euacuatio talibus morbis profutura esset. Clamat enim Hippocrates sæpius: Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & bene ferunt. Et rursus: Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si qualia oportet purgari, purgentur. Itaque melius est, vt dicamus sic: Non solum ratione humoris euacuati hæmorrhoides iuuant in melancholicis, & vitio renum laborantibus, sed ratione ipsius euacuationis, qualiscunque sit, nam in melãcholia, id est animi vitio, dum à capite auertunt, minuunt ipsum affectum: in renum vitio exonerando partem propinquam liberiorem ac temperatiorem relinquunt. At de melancholia nil mirum est iuuari eos, quandoquidem euacuetur proprius adeò humor, vt ex humore affectum nuncupauerint. De vitio autem renum Galenus debuit causam referre, cum perinde non sit manifesta. Propterea Hippocrates docet in libro de Internis affe-
Pag 8. ctionibus, quatuor esse principales morbos renum: lapillum, rupturam venæ, erosionem, quam dicit fieri ab atra bile, & in qua maximè verus est Aphorismus, vt pote purgato humore qui causam morbi præbet: & dolorẽ ex pituita & bile in tribus reliquis, profectò hæmorrhoides solùm iuuant exonerando locum, & dilatando æquandoque intemperiem: cum etiam exonerent, dum morbus ex atra bile fit, vt tum duplici sint auxilio: sed & in quarto plerunque conferunt, cum enim atrã bilem exonerent hæmorrhoides, etiam flauam & pituitam euacuant (nam omnem cacochymiam purgare solent) quo fit, vt mirum videretur multis, cur in copiosa illarum euacuatione, malus tamen permaneat habitus. Quamobrem id contingit, cum quotidie procreatur prauus humor iam victa temperie iecoris, vel cum totus sanguis inæqualis est: fluit autem solùm biliosus, atro manente, atque hæ duæ fluxiones reddũtur inutiles. Cæterum mirari contingit, cur si tanta in hæmorrhoidibus commoda, tam pauca medicamenta illas prouocent: vt tria vel quatuor, lac, ficus, fel taurinum, cyclaminis radix, & intus porri succus. Sed ratio non ea est, vt prouocare, soluta re, & sanguinem multa prolicũt: sed labor est venas illas implere, cum in plerisque etiam non adsint: quòd si nõ adsint, aut plenæ non sint, locus exulceratur sine vtilitate. Quamobrem malè faciunt, qui hirudines ei loco applicant, si venæ ille vel tum primùm non tumeant, vel aliàs non antè fluxerint, sanguinem enim ex propaginibus ramorum descendentium ex stolonibus cauæ, quæ crura nutriunt, detrahunt, hæ enim ad quatuor animusculos delegatæ sunt. At hoc facere, pronum est: ciere hæmorrhoidas, difficillimum.

APHORISMVS XII.

A Diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculũ est aquam intercutem vel tabem aduenire.

COMMENTARIVS.

Qvi nostra principia non intellexerunt, multùm laborant in huiusmodi explicandis difficultatibus. Ostendimus enim nos, Aphor. 1. aquam intercutem fieri non ex frigida iecoris intemperie, sed potius calida, tum sicca, cum defectu tamen caloris innati, cuius indicio est sitis. Et ob id cum in hæmorrhoidibus atra bilis fluere soleat, retenta corrumpit calorem iecoris, aut exedit pulmonis substantiã, aquamque intercutem parit, aut tabem. Dixit autẽ de periculo, quoniã & multis hæmorrhoides fluũt, sanguinẽ clarum deducentes. Verbum ἰηθέντι, sanationem quæ à medico fit, non sponte factam, ostendit: nam desinente humore, interquiescere possunt. Similiter nec de sanatione quæ per purgationem fit, Hippocratem intelligendum, palàm est. Quomodo enim vna seruabitur, aliis siccatis? Nihilo secius, etiã si sponte sanentur, quãdoque hæc, & si non tam frequenter, eueniũt: ob id nos monet Hippocrates, nõ debere ea sanare. Et si sponte sanentur, maximam habendam curã in victus ratione: sed multo magis, cum arte sanantur. Exemplum verò quod Galenus adducit de multitudine lignorum & igne, hic non est satis ad propositum, nam atra bilis nõ est apta accendi vt ligna, sed naturali calori aduersatur

aduersatur. Maior tamen est error, cum dicit hæmorrhoidas non fieri nisi ex multo crassóque humore: imò persæpè, vt in mulieribus, gignuntur ex crudo sanguine ac tenui, si experimentis credere oportet: tum ob alias causas turpes, vel quia sint hæreditariæ. Scribuntur in libro de Humoribus ad amplificationem huius Aphorismi hæc: Qui hæmorrhoidas habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus, corripiuntur, fortassis neque lepris, fortassis neque vitiliginibus. Multi tamen intempestiuè curati, non tardè correpti sunt, & sic perniciosè habuerunt. *Pag. vlt.*

APHORISMVS XIII.

ASingultu habito, sternutatio superueniens, liberat.

COMMENTARIVS.

PErinde est ac si dicat, omnem singultum cui superuenit sternutatio, ab illa solui. Nec est vt excipiamus eum qui ab inanitione fit, cui non superuenit sternutatio enim motus est vehemens, hîc autem debili ægro non potest superuenire: at debilis est æger, quicunque à singultu ob inanitionem corripitur. Verùm quod singultus maximè ex repletione fiat, indicant pueri, qui cum voraces sint, maximè singultiunt: & frigus ac rigor, qui causa sunt singultus, humore in tunicas ventriculi infarcto. Sed quomodo hæc liberatio succedat, nemo dixit, fieri enim ob vehementem motum concussionis ex sternutatione educto humore, simile prodigio est. Et si homo sternutamentum cieat, non protinus liberatur, sed si sponte sternutet: quamuis etiam aliqui sic liberentur: nec liquet, quonam materia illa procedat, si detrudi eam fateamur. Infrà videbimus quomodo fiat sternutatio, dicente Hippocrate: *7. Aphor. 46.* Sternutamentum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato, eo quod in capite est inani, aër enim intus contentus extrà erumpit: sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus. Galenus ibi docet, sternutamentum fieri attracto spiritu à pulmonibus, magnaque compressione facta. Verùm in hoc fallitur Galenus, quoniam putat eum aerem attrahi à pulmonibus, vt fiat sternutatio. Sanè bene fecisset, si hunc modum docuisset. Sed contingit sternutatio ob id, quòd ventriculi cerebri dilatantur, & atrahunt aërem, vt illum cum impetu exprimant: & dum attrahit cerebrum per nares, cogitur etiam pulmo attrahere: sed spiritus, qui à pulmone attrahitur, nil facit ad sternutationem, sed solùm qui à cerebro, hîc enim repentè per angustum compressus, edit illum sonitum. Indicio est, quoniam videmus, quòd ante sternutationem aer per nares trahitur: & si trahatur solùm per os obturatis naribus, non fit sternutamentum, aut leue, & imperfectum. Ratio igitur Aphorismi huiusmodi est: dum singultus manet, vapor ille vellicat ventriculum: hic idem attenuatus, ascendit per os & palatum, pungitque cerebrum, & tunc mouet sternutamentum: igitur sternutamentum superueniens singultui, non, est causa vt credit Galenus, liberandi à singultu (hoc enim nunquam, quomodo fiat, ostendere poterit) sed est signum satis verum, quòd vapor ille qui singultum faciebat, & materia illa iam resoluta est, & ideò etiam patet causa dicti in libro Prognosticorum Grauedines & sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis antecessisse & succedere, malum est: at in aliis morbis lethalissimis sternutationes prosunt. Nam, vt dixi, robur cerebri significant: at in pulmonis morbis trahi aërem vehementer à cerebro, reluctante pulmonis natura, indicium est, non parum laborare cerebrum, vt sit & signum malum, & causa, vt neque hîc, neque ibi, vel etiam in septima Aphorismorum, assecutus sit veram sternutamenti originem. Fit enim tussis in pulmone, velut sternutamentum in cerebro, attracto aëre, vt quod noxium est expellatur. Verùm tussis per loca latiora materiam trudit, nec necesse est aërem ad cerebrum trahi, dū trahitur ad pulmones: at si trahitur ad cerebrum, eo modo atque impetu ad pulmones deferri necesse est, aliter enim per nares respiratio fieri non posset, nisi hoc contingeret. Quod cum Galenus non animaduerterit, egregium inuentum esse existimauit, aërem ad pulmonem attractum causam esse sternutamenti, cùm ad id parum aut nihil pertineat. *Pag. 5.*

APHORISMVS XIV.

AB aqua intercute habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.

COMMENTARIVS.

Ὑδρωπος, aqua intercute verterunt. Sed quid sit ὕδρωψ ab ὑδρωπιάω, nemo verè docuit. Pari ratione aquæ intercutis nomen sub eadem ambiguitate reliquerunt. Celsus libro 3. tres species facit, vt etiam Princeps: cum colligitur aqua in ventre, vocaturque ascites: cum flatus, tympanites: cum humor in ambitu totius, anasarca, seu leucophlegmatia. Sed quis sensus erit, si dicamus aqua collecta in ventre, si è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus? ὕδρωψ forsan species tantum est, vt Galenus ait in libro de Linguis Hippocratis? aut per hoc verbum (è venis) ad leucophlegmatiam solam contrahitur. Sed hæc de locutionis modo. Illud magis arduum, quonam pacto si in ventrem defluxerit, soluatur morbus? Quidam dixerunt, oportere vt è ventre ducatur postmodum: sed hoc non est sententiam Hippocratis veram reddere, sed falsam. Alij dixerunt, priorem morbum solui non simpliciter: sed hoc primum artificio caret, deinde verum haud est, cum ex hydrope in hydropem decidat, cum vtraque species sub communi nomine contineatur. Dicendum est igitur, quòd aliud est defluere, aliud deriuari aut descendere. Quoties *Cap. 11.*

ties defluit, cum impetu in ventrem impetu in ventrem peruenit, & eodem impetu euacuatur & sanatur æger: si autem, vt ita dicã, sẽsim instillarit, retineri potest, & mors sequi. *Lib. 3. c. 12.* Plinius secundus de Medicina ponit tres species hydropis hoc modo: vult autem in omnibus communem esse tumorem ventris, in qua tumet venter ex flatu & humore: vocatur, si humor superet, ascites: si flatus seu spiritus, tympanites: si autem cum ventre totum corpus tumeat, leucophlegmatia. Verùm si quis *Pag. 13.* conferat quæ scripsi libro de Internis affectionibus, inueniet leucophlegmatiam esse pituitam albam ad vnguem, quòd Græcum vnum sit, alterum Latinum nomen. Et transitum hunc sensim quandoque fieri, tuncque medici auxilio indigere, verba eius sunt hæc: At si antiquior sit pituita (appellatur autem pituita alba) hæc patitur, grauat hominem magis, & speciem à populari videtur habere pallidiorem, & totum corpus laxo tumore intumescit, & facies rubet, & os siccum est, & sitis tenet: & cum comederit, spiritus deśus incidit. Inde subiicit: Ab hac in aquam intercutem transitus fit, hoc modo: Pinguedo colliquescit, & à calore qui in pituita est fit aqua. Cognosces autem hoc, an quis sanari possit, aut non. His intelligitur, per hydropem intelligi hîc albam pituitam, quæ in aquam intercutem propriè desinit repentè.

APHORISMVS XV.

A Longo alui profluuio habito, spõtaneus vomitus superueniens, morbum soluit.

COMMENTARIVS.

Pag. 14. IN libro de Locis in homine, hæc scripsit. Et sic quidem per vomitum vomitus sedatur. Rursus autem, propterea quod sedatur, quia infernè deduxit id, ex quo vomitus fiebat, atque ita contrarijs ambobus modis (scilicet à simili contrarioque) homo sanatur. Quod cùm verum sit in artificiosa sanatione, multo magis ac securius contingit à spontanea. Atque id quod ita fiat, & cur ablata scilicet communi causa vtriusque conspicuum est in artificiosa, in naturali autem non perinde: quoniam per artificiosam etiam alui profluuium recens sanatur. Per naturalem autem adiecit longum profluuium sanari. Causa est, quòd in cholericis alui profluuio iungitur vomitus: nec tamen æger sanatur, sed vtrumque perseuerat tum ob summam repletionem circa ventriculum tum ob influxum vehementem, qui fit, ex toto corpore ad illas partes. At in longa diarrhœa non est verisimile plenum esse ventrem, neque totum corpus, quare nec humorem alium transmissum ad eas partes: sed humorem contentum in ventriculo detrusum per locum conuenientem: cùm ibi coactus ob læuitatem ad inferna, & quia ipsi ventriculo annexus esset annexus esset antea, non potuerit euacuari. Scribitur quinto Epidemiorum: Bianti pugili, cum natura vorax esset, *Cap. 10.* contingit vt in cholericas affectiones bilis sursũ ac deorsũ exeuntis incideret, ex carnis esu, maximè verò ex porcinis crudioribus, & ebrietate vini odorati, & placentis & dulciariis ex melle, ex cucumere, pepone & lacte, & polenta recẽti. In choleris enim vtraque pars ventriculi & facultas iritatur, & leuia ac cruda magis per vomitum eiiciuntur, reliqua per aluum: atque hæc vel ab initio, vel ex causa externa. Secus in profluuio ventris diuturno. Pariter ex fluxu ventris curatur diuturnus vomitus, cùm in colo intestino materia resederit corrupta aut biliosa, qua parte ventriculũ superequitat. Scribitur hic Aphorismus aliter in primo de morbis, per hæc verba: A profluuio alui valido correpto, vomitus superueniens: bonum. *Pag. 4.* Hîc dicit valido, pro diuturno, quod etiam congruit, nam tum non ex multitudine contingit, ac repletione, sed humoris prauitate maxima, qualis est veneni. Ideo superueniens vomitus liberat, etenim in valido profluuio non facilè natura conuertere se ad actionem contrariam potest, nisi humor ille iam separatus aut euictus naturæ ventriculi cedat: sicut nec in longa alui deiectione ob consuetudinem. Duo enim sunt, quæ permutari non sinunt operationem: magnitudo, aut consuetudo operationis. Non solùm autem vomitus & alui profluuia sic sanãtur vicissim, sed vbi vtrumque adsit, vt in choleris per ea quæ euacuant vtrinque, velut per elleborum: quinto Epidemiorum, de viro illo Athenis *Pag. 2.* curato. Sed & quomodo vomitus & aluum astrictam soluat, & fluentem astringat, docuit in secundo de Diæta, cũ dixit: Ventrem com- *Pag. 2.* pactum vomitus soluit, & egerentẽ magis quã oportet sistit: illum quidem humectans, hunc verò siccans. Quum igitur aluum qui sistere volet, auidè deuoratum cibum euomere oportet, priusquam humescat, & infrà detrahatur, & cibis acerbis atque austeris potius quàm aliis vti.

Hæc igitur de mutatione vtili proposuit facta à natura à decimo vsque ad præsentem Aphorismum, nisi quòd duodecimum interseruit ob continuam narrationem de hæmorrhoidibus, nam cum in vndecimo vtilitatem superuenientium hæmorrhoidarũ proposuisset, in sequenti detrimenta subnecti suppressarum. Decimus autẽ pendet ex nono, quoniã in reliquis ab initio vsque ad nonum manifesta est continuatio, describit enim, qui morbi iuxta essentiam aut naturam patientis, aut coniũctionem cum aliis, aut iuxta alias conditiones mali sint & graues aut mites, quia dum dixisset, quòd latæ pustulæ non admodũ pruriunt, supple quia difflantur per in sensibilem euacuationem: in decimo docet, quod per sensibilem euacuationem multo magis morbi ipsi mitescunt.

APHORISMVS XIV.

A Morbo laterali vel pulmonia habito, profluuium alui superueniens malum.

COMMENTARIVS.

Semper hic noster Galenus Hippocratem sugillat frustra, cum enim generaliter dixisset Hippocrates, quòd profluuium alui superueniens in morbo laterali & pulmonia est malum: addit Galenus, si vehemens sit morbus, nam si mediocris sit, & maximè concocta materia, haud malum erit, sed bonum, cum materia expulsa natura alleuietur. Hic vir videtur immemor eorum quæ scripsit sexto de Locis, nam de hoc vberius in 10 Contradicentium medicorum egimus satis, Hippocratem hîc loqui de assidentibus signis malis, cum hucusque de bonis tractârit. Est autem hoc signum malum, quod neque partem materiæ expurgat natura, & tamen iecur adeò malè afficitur ex consensu, vt fluxus subsequatur. Libenter autem audirem ex Galeno, cur in magno morbo malũ si hoc signum, in mediocri possit esse bonum, idem dico de causa.

Cap. 4. in fine. contrad 54.

Sed mittamus illum, & quæramus potius, cur ex laterali morbo aut pulmonia adeò iecur afficiatur, vt soleat sequi alui profluuium: & non solùm iecur, sed ventriculus malè afficiatur. Id primùm contingit ex vigilia, vnde cruditates oboriuntur: inde ex intemperie calida & humida præter naturam, calida quidem præter naturam semper profluuiorum est causa, si non siccati iuncta sit: humida verò qualiscunque, profluuiorum est causa, inter sanguinea enim membra, vt sunt cor, pulmo & iecur, maxima est coniunctio. Pulmone enim vitiato cor patitur: vnde venæ omnes & origo venarum iecur, grauiter afficiuntur. Dico ergo profluuium alui esse malum in his morbis, quoniam signum est quod vel iecur malè affectum est, vel ventriculus: nihilo melius si perperam grauata natura tẽtet se exonerare per eum locum, & si materia concocta sit, magno virtutis dispendio, paucissimi sic liberantur.

APHORISMVS XVII.

Lippientem alui profluuio corripi, bonum.

COMMENTARIVS.

Citra suspicionem affecti iecinoris ex lippitudine aduenit alui profluuium, similiter affectus ventriculi. Sed si profluuium incidat, contingere solet materia, quæ ex iecore ad caput ascendebat, ad intestina relegata: quod accidit, quoniam materia ea mitescit: aut quoniam viæ quæ antea occlusæ erant, ad intestina tendentes, sunt reseratæ: vel quia auxiliis prohibita materia ne ad caput ascẽderet, violenter retroacta fit ad iecur, & ex eo ad intestina, est ergo causa bona, quoniam reuellitur à decursu in patientẽ locum materia. Indicant autem hæc omnia curandi rationem, cum opus naturæ medicus perfectè imitari potest. Debet ergo medicus naturam imitari, cum illa morbum sanat, atque ea via quam medicus potest assequi. Ideo & hic Aphorismus præcedentem sequitur: docens, contraria ratione, licet in eodem morbi genere, contrarium effectum consequi.

Plurimum autem potest purgatio in oculorum morbis, & longè præstantior est sectione venæ: quoniam humor qui ad oculos deriuatur, licet per venas descendat, rarò tamen est sanguis, sed potius bilis aut pituita, aut ichores, vehementius reuellitur, nec adeò ægrum debilitat: quia tamen oculi breui tempore magnas incurrunt calamitates, tum ob contentorum teneritudinem, tum ob multiplicem compositionem, & ob locorum angustiam & operationis nobilitatem, sæpè præsentanea auxilia sunt necessaria, inter quæ est sectio venæ. Atque eam ob causam medicamẽtis opus est validissimis in huiusmodi morbis: & quoniam necessarium est prius totum caput purgare, atque ante illud & vniuersum corpus: quæ omnia tum ob id quod purgatur, tum ob multiplices operationes, longo tempore indigent.

ὀφθαλμίας, vocant Græci lippitudines, atque hæ duplices, humidæ, quæ minus malæ & siccæ, peiores, quòd humor in oculis contineatur. Diximus autem de hoc in tertia particula. Morbus hic fuit familiaris Horatio: *Aphor. 11.*

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus.
Illinere. — Traducitur & ad fauces. Plautus in Curculione:

Os amatum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame.

Erat sanè alius morbus lippitudo, apud Romanos, ab ὀφθαλμία Græcorum, quæ est inflamatio. Inquit enim Celsus libro sexto, dum de oculorum agit inflammatione: Aspritudinem autẽ inflammatio oculorum ferè sequitur, interdum maior, interdum leuior: nõnunquam etiam ex aspritudine lippitudo fit, deinde aspritudinem ipsam auget. Quod etsi, nos alios secuti sumus antea errando, noluimus tamen latẽre quid esset lippitudo, quid, ὀφθαλμία. At lippitudinis futuræ signum est inquit Celsus libro primo: Si tempora sæpe iisdem dolent, & noctu corpora insudant, & frons prurit. Est ergo lippitudo, pruritus cũ rubedine: & antequam pruritus ille vehemens sequatur, aspritudo appellatur, in qua palpebræ crassæ ac duræ sunt, & asperæ, vnde aspitrudo dicta est. *Cap. 16. in 16.* *Cap. 6.*

Excerptus est hic Aphorismus ex libro de Iudiciis, sed & in libro de prædictionibus Coacis, verum additur. Sua sponte prodiens: fieri enim potest vt per medicamentum adeò exagitetur corpus, vt etiam lædatur: superuenire autem febrem, aut capitis dolorem, cæcitatem indicat. Sed & febris mortem affert, quoniam dolor capitis tantam significat esse materiam, vt necesse sit oculos, antequã finiatur, corrumpi. Febris autẽ cũ ex eadẽ fiat materia, ex qua lippitudo, vt Aristoteles innuit prima Problematum: ea superueniente indicat abundantiam materiæ maximã, quæ si in capite sit, cæcitatẽ gignit: si in toto, mortẽ: in vtroq; vtrũq; vt ibi dicebat Hippocrates. Sed si materia lippitudinis febrẽ transeat hoc *Pag. 5.* *Pag. 10.*

hoc bonum eſt, nam lippitudo ipſa finitur,
Pag. 3. vt ibidem etiam docet, ὀφθαλμίας, ergo Græci tumores appellant oculorum, libro de
Pag. 2. Glandulis. Dicebat in libro de Viſu: Ad lippitudinem annuam & popularem conducit purgatio capitis & ventris inferni. Et ſi opus habeat, ſanguinis detractio ad quoſdam huiuſmodi dolores confert, conferunt & cucurbitæ circa venas affixæ: cibus modicus, panis, & aquæ potus. Verùm (ſubiungit) poſt acria medicamenta: quæ ad dolorem illinuntur, cataplaſmata imponere poſt dolorem conducit. Ex quo apparet ὀφθαλμίαν eſſe tumorem cum dolore, id eſt abſceſſum, qualiſque ſit
Sec. 7 ſeu tabella parua. illius cura. In ſexto Epidemorum hoc habet: Tumores in palpebris relicti, dum alia circum circa gracileſcunt, recidiuas faciunt. In extremitate vero ſubrubicundi, duri & valde tenaces, & inſurgentes ac inhærentes in his ſunt, velut Pharſalio Polymedi erumpentes tumores aut liuores in lippitudinibus aut vlceribus, quia ſigna ſunt vbi loco, in lippidinibus habet ὧδι ὀφθαλμίαις: vt videatur in ophithamia ſuperuenire poſſe tumores: generaliuſque eſſe apud Græcos nomen, quàm lippitudo apud Latinos, non aliud omnino, lippitudo enim aſpritudine terminatur.

Pag. 10. Sed poſtquam in ſecundo Prædictionum dixit ὀφθαλμίας, eoſdem habere circuitus, quos & febres, lippitudines autem etiam annuæ ſint, apparet lippitudines non eſſe ὀφθαλμίας.

APHORISMVS XVIII.

Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale eſt.

COMMENTARIVS.

Verbum διακοπέντι, Galeno & Philotheo teſte, profundius diſciſſum ſignificat, Sed ego mâlo legere ſolum diſciſſa, tum quia dictio illa non propriè id decernit, tum quia ſenſus Hippoc. peruertitur. Nam etſi per Lethale, quod plerunque mortem affert, intelligas, etiam non profunda vulnera in quocunque horum membrorum lethalia ſunt. De corde enim palàm eſt, & ipſimet fatentur, non plerunque ſolùm, ſed ſemper, vulnera mortem afferre, de cerebro etiam rariſſimè contingit, vt vel exiguo vulnere tactum mortis cauſam non afferat, corpore partim reſoluto, partim conuulſo, iecur quoque qua parte profundius mortem affert, eadem etiam vel exiguo vulnere, licet non tam celeriter: ventriculus verò, & gracilia inteſtina atque veſica potius ob conſenſum neruorum & cerebri: & quia non coaleſcunt, mortem afferunt, quàm ob profluuium ſanguinis vel ſeparationem partium, vnde etiam in ipſis parua vulnera lethalia ſunt. Quod ſit lethale pro omnino mortem inferente intelligas, neque illum horum membrorum præter cor (quod, vt dixi, vel exiguo quantumcunque vulnere certam mortem affert) profundius vulnerum certæ mortis cauſam præbet. Recitat Galenus, Smyrnæ in Ionia vulneratum in ventriculo cerebri adoleſcentem ſuperuixiſſe: quod etiam ad miraculum refert. De duobus aliis in Commento refert, quibus etiam Smyrnæ cerebrum diuiſum fuit, & ſuperuixerunt: ſi tamen ambo cerebri ventriculi diuidatur: dicit in octauo de vſu partiũ me momẽto ſuper viuunt Braſauolus autẽ de hoc ſermonẽ habens, inquit: Nos autẽ in cerebro vulneratis mira vidimus, in vno primùm, qui patriciis Valengis ſeruiebat, tanta enim illi cerebri ſubſtantiæ quantitas exiuit, quantum eſt gallinæ ouum, tamen euaſit: licet deinceps probè loqui & expeditè non petuerit: ſtupidùs quoque & ineptus reliquo vitæ ſpacio, quod tamen triennium non exceſſit, ſuperuixit. Alium vidimus ex Corſica militem, cui fermè capitis dimidium cum ſua cerebri portione ablatum fuit, conualuitq; ſed neque recordabatur, nec loqui poterat, ſed ſtupidus nihil ad propoſita reſpondebat: ſtercus & vrinam demittebat in lecto, nec comedebat niſi quæ in os imponerentur, infantis omnino mores habens: cumque à ſociis in patriam deduceretur, neſcio an ſuperuixerit. His itaque viris credo ob doctrinam, non ſecus ac mihi: neque fuerunt aut ſunt, quales aliquando in patria inueni, qui neque per ſe inuenerint: & mihi quærenti, & in publicum vtilitatem inſudanti, canum more obſtrepuerint. Atque ex his non omnes (ſunt enim & probi) ſed vnus mortalium peſſimus, alter paulò melior: quo etiam factum eſt, vt cum antiquo tempore, & nuper, vt recitaui, Ferrariæ induſtria ac diligentia medicorum euaderent, etiam præcioſo cerebro: apud nos neque membranis vulneratis, imò ne oſſe capitis proſus (res incredibilis) feré omnes pereunt. Cui rei cum bono publico, quòd cauſam intelligam, vellem occurrere, obſtitêre quidem, nolebamque laboris ac induſtriæ meæ gloriam & fructum ad imperitiſſimos tranſire, ne me vel participe facto. Quod ego intelligens, quamuis forſan aliis ſecus videatur, nec probi hominis lege, nec Chriſtiani teneri, exiſtimaui vt peſſimis ac malignis viris talia communicarem. De probo viro non dicam, quando nec Chriſtianus, qui probo viro non ſolùm melior eſt, ſed ſimpliciter optimus, non tenetur. Inquit enim Lucas, de Chriſto loquens: Non potuit niſi pauca miracula in patria ſua facere ob incredulitatem (vt vocabulo Iuriſconſulti vtar) eorum. At non potuiſſe ob id nemo dubitat, cum fide illorum vis Chriſti haud indigeret: immerentibus ergo indignum exiſtimauit. Sed ad ordinem redeo. Neque iecoris vulnera etiam magna, teſte Galeno, prorſus mortalia ſunt, imò præciſa extrema parte effatu digna aliqui ſuperuixerunt: quoniam in his neque præ dolore, neque ob aliud mors, quam ob ſanguinis exitum contingit. Quamuis Braſauolus recitet, duos Ferrariæ à ſe curatos periiſſe ex vulnere iecoris: alium repentè ex vlcere, quod ad ſuppurationem peruenerat: aliũ ex calce equi in iecoris gibba percuſsũ, vt ex diſſectione apparuit. Vt cõcludat, omnia vulnera & vlcera iecoris,

quod ad experimentum attinet, lethalia esse.

Forsan aliquis nos insimulabit, quòd amicitiæ causa Brasauoli experimenta in medium adducam: verùm decipitur, nam hominem nunquam è facie noui, nunquam epistolam ab eo accepi, vel illi scripsi: nunquam quod sciam, ille vllo in opere suo, quod multi, quibus debeo, imò omnes faciunt, me inseruit. Sed cùm in publicam, vt dixi, vtilitatem scribam, in his quæ mihi videre non contigit, eorum testimonio vti cogor, qui experimenta multa, & cum iudicio scripserunt. Quod & si idem fecisset Fuchsius, nec adeò solis antiquorum verbis interpretandis incumberet, aut Cornarius, amicus noster A. Vesalius, quod mihi ex vsu foret, ab illis sumerem, modò pari iudicio & diligentia scriberentur. Itaque vt ad rem redeam, & parua iecoris vulnera non sunt absque vitæ periculo & grauissimo, & magna, nisi aliquod vas magnum fuerit discissum, non omino sine vitæ spe esse possunt: in vesica verò & intestinis gracilibus ac ventriculo par fermè est ratio nisi quòd cum hæc sint pura vasa, & tenuia, non ob magnitudinem vulneris fiunt maximè lethalia: sed multum interest, an transuerberentur, quoniam tunc nec excrementa contineri possunt: nec si non contineant, consolidari: nec si transmittant, perpetuò superuiuere homo potest, ob id si quid horum ita vulneretur, interit homo fermè semper. Tantum verò abest vt magnitudo vulneris offendat, vt sic vulneratis quanto angustius sit foramen, citius & certius pereant, similiter, etsi valde amplum: mediocria, securiora. Hæc igitur, non vt Galeno contradicerem, & antiquis: sed vt Hippocratis sententiam, quæ verissima est, rebus ipsius accommodarem. Quòd si quis obiiciat, sic intellecto lethalis nomine non fuisse asscribendum cor, quod semper vulneratum mortem affert: Respondemus, Hippocratem hîc solùm ostendere, quæ membra vulnerata mortem afferre soleant: nec si certò cor ineuitabilem afferat, ob id falsum esse illius dictum, cùm vulnera omnium illorum membrorum lethalia dicat: falsum tamen dicturum fuisse, si horum omnium vulnera, quamuis profunda, certò lethalia dixisset, verum & ex his clarum esse, hæc vulnera quo profundiora fuerint, maiora, aut punctim illata, eo esse lethaliora, quandoquidem toto genere iam lethalia sint.

Brasauolus his membris alia quinque adiicit: fellis vesicam, cordis inuolucrum, pulmonem, lienem, & medullam dorsi prope cerebrum. Celsus libro quinto addit, pulmonis medium, renes & venas atque arterias magnas circa fauces, ac spinalem medullam: lienem verò, & vesicam atque vterum, & crassiora intestina, ac cerebri membranas inter membra magni periculi collocat. Nos in Antonio Olgiate ablatam partem pericardij vidimus, & sanatus est: sed suspiria alta ducebat, nec multis annis superuixit, functio tamen cùm ignobilis sit, mortem non necessariò infert. Quatuor enim modis membra sauciata mortem inferunt: vel necessitate officij, vt pulmo: vel præstantia naturæ, vt cor: vel sanguinis profluuio, vt iecur, arteriæ magnæ & venæ vel symptomat m prauitate, vt neruosa, ventriculus, vesica. Nam quòd insanabilia sint, ridiculum est dicere lethalia, ossa enim & cartilagines & ligamenta sic vulnerata mortem inferrent. Pericardium ergo non per se lethale est, sed quia vulnerari non potest, quin multa alia membra nobilia lædantur. Ex pulmonis vulneribus neminem sanatum vidi ad hanc vsque diem, non tam morbi magnitudine, quàm (vt rectè Galenus hîc inquit in Commento) quòd medicamenta commodè illi adhiberi nequeunt. Antiquo tempore sanabantur, vt colligitur secundo de Morbis, etsi Hippocratis liber ille non sit, vstione: nunc, vt dixi, auaricia medicorum, & negligentia Principum talia amissa sunt, nec mihi licet chirurgi officio fungi: scientia autem absque experientia in talibus nulla est. Antiquo ergo tempore medium solum pulmonem, nunc totos pro lethalibus subiicere oportet. Indicio etiam est, quoniam Celsus vt medium pulmonis, ita pulmonem connumerasset inter lethalis offensæ membra. Tunc enim & ob gladiatorium munus, & ob frequentia bella non rarum erat exemplum, quinimò tanquam de re notissima Celsum locutum fuisse credendum est. De liene & vesica fellis non tam facilè adducor, nisi quia perperàm nunc omnia tractentur. Nam ratio vix subscribit, nisi vas in liene aut vesica fellis pertundatur. Atque sic verisimile est, humore effluente post diuturnam tabem eos mori, vt forsan ita melius sit dicere. Eadem autem ratione, qua de vesica vrinæ locutus Hippocrates, intelligendum est de fellis vesica. Et cordis inuolucrum his meretur adnumerari, cùm vix vulnerari queat, quin aliquod etiam nobiliorum membrorum lædatur. Et pulmo ac lien ob curandi difficultatem, & artificum imperitiam & spinalem medullam: quam Hippocrates prætermisit, quoniam resolutionis, non mortis prima & principalis causa sit: renum verò & venarum atque arteriarum magnarum non simpliciter lethales esse, sed cum aliqua adiectione, velut venas & arterias interiores magnas, & renes profundius læsos, & pulmonis medium, non pulmonem, ac talia.

Parum autem iuuat scire, quæ membra discissa lethalia sint, cùm non sciuerimus, quando sunt discissa. Celsus omnium horum luculentius meminit libro quinto his verbis: *Cap. 26.* Vesica vulnerata dolent inguina, quod super pubem est intenditur: pro vrina sanguis, aut ex ipso vulnere vrina descendit: stomachus afficitur, itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt, frigus, & ex eo mors sequitur. Cerebro autem, aut membrana vulnerata, quæ illum ambit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, fereque bilis vomitus insequitur. Quorundam sensus obtunduntur, appellatique ignorant: quorundam trux vultus est: quorundam oculi quasi resoluti, huc atque illuc mouentur,ieréque tertio vel quinto die delyrium accedit. Multorum etiam nerui distenduntur. Ante mortem autem plerique fascias, quibus vulnus deligatum est, lacerant, ac nudum vulnus frigori obiiciunt: corde verò percusso sanguis

sanguis multus effertur, venæ languescunt, color pallidissimus, sudores frigidissimi, malique odoris tanquam irrorato corpore, oriuntur: extremisque partibus frigidis matura mors sequitur. Paulus addit, telum non in vacuum directum videri, sed duriori substantiæ impactum: & nonnunquam pulsatilem motum edit: & si vulnus apertum fuerit, sanguis niger effluit, animóque linquuntur ægri. At si septum transuersum percussum fuerit, præcordia sursum contrahuntur, spina dolet, spiritus rarus est, sanguis spumans effertur. Ieiuni verò intestini, & ventriculi vulnerati communia signa sunt, cibus & potio per vulnus exiens, præcordia indurescunt, nonnunquam bilis per os redditur. Ieiuno tantum sedes inferior est: cætera intestina icta, vel stercus vel odorem eius exhibent. Iecoris autem vulnerati notæ sunt, multus sub dextra parte præcordiorum profusus sanguis, ad spinam reducta præcordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones doloresque vsque ad iugulum, iunctúmque ei latus scapularum, os intentum, quibus nonnunquam etiam biliosus vomitus accedit. Sin autem pulmo, spirandi difficultas, sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens, simulque etiam spiritus cum sono fertur, in vulnus inclinari iuuat, quidam sine ratione consurgunt: multi si in ipsum vulnus inclinati sunt, loqui possunt: si in aliam partem, obmutescunt. Si verò stomachus percussus est, singultus & bilis vomitus insequitur. Si quid cibi vel potionis assumptum est, ea redditur citò. Venarum motus elanguescunt, sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigescunt. At liene icto, sanguis niger à sinistra parte prorumpit. Præcordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt, sitis ingens oritur, dolor ad iugulum, quemadmodum in iecore vulnerato. Renibus verò percussis dolor ad inguina testesque descendit, difficulter vrina redditur: eáque aut cruenta est, aut cruor effertur. Quod si vulua percussa est, dolor in inguinibus & coxis & fœmoribus est. Sanguinis pars per vulnus, pars per naturale descendit, vomitus bilis insequitur. Quædam obmutescunt, quædam mente labuntur: quædam sui compotes, neruorum oculorúmque dolorem vrgeri se confitentur, morientesque tandem eadem quæ corde vulnerato patiuntur. Medulla verò, quæ in spina est discissa, nerui resoluuntur aut distenduntur, sensus intercidit: interposito tempore aliquo sine voluntate inferiores partes semen vel vrinam, vel etiam stercus excernunt, hæc Celsus.

Verum Paulus inquit: Facile est dignoscere, si qua pars nobilior ex interioribus percussa fuerit. Nos autem aduertimus peculiare signum esse, si aliquandiu viuat, febris rigorem, atque eum sæpius repetitum eadem die: quoniam cùm materia non potuerit perfectè intra venas tam breui tempore putrescere simul, & quia nerui læsi sunt, & maximè in vulneribus neruosarum partium rigor, natura materiam putrescentem expellente, incidit: & quamuis febres sudore soluantur, nihilo secius tamen recurrunt ob offensæ magnitudinem. Contingit etiam hoc quandoque in cordis vulneribus nam non statim ex his, vt quidam opinantur, intereunt. Brasauolus refert, abscissa parte mucronis cordis, animal per aliquod spacium viuere posse. Suemque in cordis cuspide vulneratum, qui per horam superuixit & comedit: & nisi iterum vulneratus fuisset, non tam breui interiturum. Quin etiam Galenus 2. de Decretis Hippocratis inquit: Victimas erepto corde in quibusdam solitis sacrificiis arisque iam imposito respirare, intentè clamare, fugere tantisper donec per sanguinis profluuium conciderint. Et quinto de Locis, vulneratos gladiatores in sinu cordis statim concidisse, maximè in sinistro: in quibus verò vulnus non vsque ad sinum penetrauerat, superuixisse quosdam non solùm per eam diem, sed etiam sequentem noctem, & rationis compotes, donec inflammatione oborta interirent. In his igitur etiam febris aduenire solet. Hi verò quibus calculus exciditur, sanari possunt: quoniam non vesica, sed illius collum secatur, neque necesse est febrem cum rigore illis oriri: sed si oriatur, non bonum est signum, non tamen lethale, quidam enim seruati sunt, nemo tamen absque illa mortuus est.

Cap. 4. Cap. 2.

Iam ergo sententia Aphorismi declarata est, per quam intelligimus, quæ membra maximè lethalia sint, primúmque cor est, inde cerebrum & iecur, velut principaliora, post verò ventriculus & intestina gracilia: inde septum transuersum, & vesica. Pulmo similitudine septi, medulla spinalis cerebri, vesica fellis & vterus, vesicæ vrinæ, renes iecoris, inter membra lethalia connumerari possunt. Sub ventriculo stomachus velut eius pars continebitur. Et ea vulnera quo profundiora fuerint, eo lethaliora absque dubio. Quæ cæsim, quo maiora: sed deteriora quæ punctim illata fuerint. Atque hæc ex Hippocratis sententia, sed si quis velit diligentius illum interpretari ex Celso cum eius ætate & Romæ plurima experimenta haberentur, non solùm in præliis, sed ex multiplici ludo gladiatorio, erunt sic determinanda: Seruari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iecinoris portæ, cui in spina medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt: cuius circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præcisæ sunt. Vix autem ad sanitatem perueniunt, quibus vlla parte pulmo, aut iecinoris crassum, aut membrana, quæ continet cerebrum, aut lienis, aut vulua, aut vesica, aut vllum intestinum aut septum transuersum vulneratum est. Cap. 26. in prin. ferè.

Reliquum est verò, quoniam Hippocrates, vt dixi, ex vno nos plura docere solet, vt videamus an idem quoque, quod in vulneribus dictum est, in vlceribus etiam sit intelligendum: & si ita sit, quæ peiora sint vlcera aut vulnera, magisque lethalia. Constat enim vlcera etiam absque vulneribus fieri ruptis abscessibus, & ex humoribus erodente. Et vt vno verbo rem absoluam, longè deteriora sunt vlcera, quo ad sanationem, quoniam sensim facta, & cum mala intemperie. Inquit enim Hippocrates: Morbi antiqui

tiqui difficilius sanantur quam recentes. Oportet autem ex antiquis recentes facere, vt sanentur, vnde liquet, eum de vulneribus atque vlceribus loqui. Vulnera verò periculosiora & magis lethalia, quia maiorem subitò mutationem in corpore faciunt, vnde dolores & conuulsiones oriuntur. Ex vlcerum conuulsione rari aut nulli omnino leguntur: ex vulnerum multi, similiter de febre. Galenus de gallo & simia recitat, qui in corde scirrhum alter, alter aquam habuit vesicis contentam. Talia si violenta contingere possent, statim occiderent animal. Cæsar Barbauara iam diu vesicam vlcere perforatam habet, nostróque beneficio vitam ducit aliquot annis: qui si vulnus vlceri æquale suscepisset, ne vel mensem implere potuisset. Vt verò lethaliora sunt vulnera, sic maiorem sanationis spem habent, quoniam violenter inciderunt: vlcera autem vt sanatione sunt difficiliora, ita lentius mortem afferunt. Verum quoniam omnino sanationis spe carent, absolutè peiora sunt. Erysipelas quoque ad cutaneum vulnus referri debet.

Lib. de Locis in homine pag. 12.

APHORISMVS XIX.

CVm discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, vel genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.

COMMENTARIVS.

POstquam declarauit membra, quæ diuisa mortem afferunt: sic docet illa quæ nec restaurantur, nec consolidantur verè. At prior Aphorismus præcedenti continuabatur, ob id, quod antea locutus erat de his mẽbris, quę ex superuenientibus ad bonum vel malum mutari poterant, at in his duobus de his loquitur, quæ mutari minimè possunt, nam primum genus si lædatur, mortem affert: secundum est insanabile. Proponit ergo Hippocrates quinque genera partium similium, quæ non augentur neque coeunt, sicut in præcedenti septem composita, seu quæ instrumenti vice funguntur. Hæc disposuit Hippocrates per ordinem, non vt priora: siquidem os minus cartilagine, cartilago neruo, vt neruus minus gena, & gena præputio. Conatur Fuchsius, nihil veritus authoritatem Hippocratis, ostendere ex Galeno libro Artis medicæ cap. 91. ossa in pueris coalescere posse, ac verè restaurari, quòd mollia sint, impedimentum autem restaurationis ex siccitate oritur, vt etiam quinto Methodi. Secundum, est paucitas materiæ seminalis, quæ non permittit vt membrum tam citò restaurari possit, quin à carnis generatione præoccupetur, citátque Galenum in Arte medica, & in libro de Semine: licet non hanc solam, sed etiam aliam. Dicit enim in primo eiusdem, Aristotelem redarguens, non consolidari ossa, nec neruos, carnem autem sic: quia materia ossis & nerui deest, quæ est semen: carnis autem suppetit, quæ est sanguis. Sed hæc omnia falsa sunt, præter id quod

Cap. 7.

Cap. 11.

Hippocratem damnent. Primum enim ostendimus in Contradicentibus, mẽbra omnia ex seminis actione in sanguinem generari: carnem autem ex sanguine ipso citra actionem seminis, sed membrorum quæ ex semine generantur. Si igitur sanguis perpetuò in corpore nostro est, & semen etiam, non deesse potest materia restaurationis deperditæ partis, multo minus agglutinandi diuisas si quæ sunt partes, maximè cùm perexigua requiratur. Sed vt ibi docui, duæ sunt causæ cur non restaurentur. Vna est, quia aliud est generatio, aliud restauratio. Cùm ergo membra sint genita in ventre matris, quomodo poterunt iterum generari, si pereat pars? nebue enim modus est idem: in generatione enim partes extenduntur æqualiter, at restauratio fit per partem post partem. Et ita dico de modo restaurationis, nam illa fit in ossibus concocto humore per multos menses, ne dicam dies: quomodo ergo poterit tam citò materia illa perfici, tum maximè iam læsa particula atque detecta? Imò corrumpetur prius os, si non restauretur caro, aut aliquid simile: ergo prius præoccupabitur restauratio, aut corrumpetur. Quod si fieri potest hoc, & non factum est à natura, peccauit. At fieri potest: quoniam nil prohibet, ne materia seminis vndequaque confluat ad locum læsum, velut etiam sanguis. Galenus ergo non excusat naturam, sed damnat, cùm dicit, in pueris hoc fieri posse, quia materia non deest: at cur non effecit id in iuuenibus, in quibus est abundantia materiæ absque dubio seminalis, plus quàm in pueris? Et ideo dico, quòd dictum Hippocratis est verum. Et non consolidatur nec os, nec cartilago, nec neruus, aut aliquid illorum prorsus, & hoc paulo pòst videtur voluisse Galenus in eodem libro primo, vbi tres causas assignat, quare venæ & arteriæ cùm semen ipsæ generent, omnino tamen à semine possunt restaurari. Prima est, quòd confertim illa materia, vt oporteret, non suppeditatur à natura: quæ ratio nulla est, vt nec reliquæ duæ, scilicet quòd non adest vis quæ format intus permeans: nec etiam calor vteri, quod si ita esset, quare ergo dubitat, an in pueris possint restaurari, cùm omnino non possint? Hoc vitium ei contigit, quoniam existimauit omnes suas cogitationes esse aureas, & nihil debere perire quod non scriberet. Liquidò enim constat, nihil horum, vt Hippocrates dicit, posse augeri, nec coalescere. Atque in hac sententia debuit permanere. Omisit etiam, vt dixi, quartam causam à nobis adductam, de diuturna mora humoris necessaria, in loco vbi consolidatio fieri debet, & similiter quintam adductam, scilicet quòd in generatione totum fit simul perficiendo, & hic pars post partem. Dico tandem, quod non restaurantur ossa, nec cartilagines, nec nerui: quia nerui non restaurantur, igitur multo minus reliquam, nam nec in senibus coalescunt, nec in nuper natis: quanto minus ergo augentur? nam præciso neruo, si vel momento non cohæreat, sensus & motus perit: igitur dictum Hippocratis est manifestum. Forsan (quod expertus non sum) si statim partes committerentur, posset sanari: non

Lib. 11 trad. 19.

Cap. 11.

non quia coalescat ex materia superueniente, sed ex propria substantia, quia vix quicquam sensile requiritur: sed ipsa substantia coalescit sponte. Hoc tamen necdum etiam sum expertus, reliqua sunt nugæ Galeni, ad terendum tempus frustrà.

Illud solum scire præstat, quòd ossa agglutinantur per materiam duram, & fit callus. Idem de cartilaginibus, & aliis, & causa est, quia materia quæ deberet transire in os, per longam coctionem cruda cogitur in callum, ideo res est clara: &, si non sic consolidetur, per carnem duram iunguntur & in venis ac arteriis, huiusmodi consolidatio vocatur à Galeno ἀνέϐειτμα: qui cùm profiteatur se non curare de nominibus, nullus tamen plura inuexit: adeò vt in osse diuisionem, vocet fracturam: perforationem; cariem: in neruo autem conuulsionem, rupturam in musculo, vulnus in carne, vt in de Causis morborum. Sed vult conuulsionem & rupturam esse citra vulnus, tertio Methodi: & aposposma in ligamentis, segma verò & thlasma in vasis & musculis ex violento ictu. Præterea ecchymosis, cùm rumpitur aliquid ex contusione, & tumorem concipit seu in musculis seu venis, quod etiam euenit ex anastomosi, & est apertio oris venarum: at cùm vena eroditur, dicitur anabrosis: quarto Artis curandi. Diapedesim autem dicit fieri resudante sanguine, vel si exigui vasis os aperiatur, quinto Methodi, vocant autem interpretes persultationem, quinto de Medicamentis secundum locos. Docet autem in tertio de Symptomatum causis, quòd in diapedesi non sanguis, sed sanguinis serum solum transcolatur. Hanc curiosam & sublimē diligentiam non vitupero, sed quòd (cùm libet) ipse vituperet pro arbitrio, non laudo: vt aliis nihil, sibi omnia licere velit. Scribitur hic Aphorismus aliter primo de Morbis in hunc modum: Neruus dissectus non coalescit, neque vesica, neque aliquid ex tenuibus intestinis, neque vena sanguiflua, neque tenuis genæ pars, neque pudendi pellicula. Hic posuit, quasi ambos Aphorismos simul, & hunc amplificauit. Libuit autem hìc multa prætermittere, vt intelligeremus de intestinis, quia neruea sunt natura: & de venis, quòd sint vasa è semine. Multa hic coactus sum dicere, quæ nollem propter Galeni importunitatem, nam si simpliciter dixissem, nec illius dicta redarguissem, nemo mihi ob eius auctoritatem credidisset; quandoquidem nec defuturos scio ad multos annos, qui non credant ob imperitiam. At contradicendo illi, cùm ille sibi contradicat, mihi ipsi etiam videbor contradicere. At quanto plura dicenda essent, si non in Contradictionibus de his locupletius disputassem: volo tamen præter morem meum hanc disputationem totam in epilogum redigere: Nullum membrum quod ex semine fit, potest augeri, si vulneretur, aut coalescere. Sunt autem ossa, cartilagines, ligamenta, membranæ, nerui, venæ quæ pulsant, & quietæ cutis præputij, & genarum ventriculus, intestina gracilia & vesica, tum cerebrum. Indicio est, quòd neruo discisso per transuersum sensus & motus secundum illum perit.

Cap. 11. *Cap. 1.* *Cap. 1. in princip.* *Cap. 1.* *Cap. 1. in initio.* *Cap. 2. Pag. 5. seu post medium. Pag. 5.*

Causæ assignantur quinque, Quòd sint sicca, hoc non est verum in infantibus, nec cerebro, nec venis. Quòd deficiat materia, ex qua genita sunt, hoc falsum est, quoniam semen est in viris copiosum. Quòd non sit copiosa in loco illo, quanta esse deberet, hoc est accusare naturam: quia licet non adsit, posset tamen transmittere pro opportunitate ad locum. Veræ igitur causæ sunt, quòd tempus deest ad longam coctionem: & quod formatio fit tota simul, quoad figuram, & sensim quoad crassiciem & perfectionem: & in augmento restaurationis fit sensim secundum figuram, & tota simul secundum quantitatem & perfectionem: & has duas causas Galenus omisit. Duas alias causas adducit verisimiles, quæ tamen falsæ sunt. Vna, quòd vis illa quæ format, penetrat in totum, dum infans est in vtero matris, & in restauratione non adest: & alia, quòd in generatione adest calor vteri, qui non potest adesse tempore restaurationis, & non recordatur, quòd talia membra crescunt per totam adolescentiam, & tamen non sunt in vtero: & si vis, quæ fingit, est in eis, quid prohibet quod ad hoc attinet, ne possit etiam in vulnere augere quod periit, si non aliunde causa est impedimenti? Ex septem igitur causis, quæ assignari possunt, quinque, quas vidit, falsæ sunt: quæ veræ causæ sunt, & sunt duæ, eas non vidit. Hippocratis sententiam corrumpit: & quòd dicit, falsum est, vel etiam ipso teste. Vnum, quod rectè adiicit, non præteribo, scilicet quod in genis & præputio cutis non coalescit, non solùm ob naturam nerueam, sed quòd labia vulneris in huiusmodi partibus multùm distare solent.

APHORISMVS XX.

Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

COMMENTARIVS.

Qvum dixisset in præcedentibus, quòd membra illa diuisa mortem afferunt, alia sunt insanabilia: hìc docet, quid eueniat cùm sanguis diuiso membro in ventrem collectus fuerit. Colligitur autem trifariam, cùm è venis exierit, vel in concauitate magna, vt pectoris, ventriculi, vteri: vel parua, vt in ecchymosi, scilicet inter musculos: vel in minutissimis concauitatibus musculorum, vt in phlegmonibus tantum, pariter aliarum partium Vbicunque ergo collectus fuerit, necesse est suppurari, id est corrumpi, nam non suppurant particulæ, cùm copiosus fuerit, & ipsi cauæ, sic vt in verum pus sanguis transmutetur. Scribitur tamen hic Aphorismus primo de Morbis aliter: Si sanguis ex vulnere aut vena effluxerit in superiorem ventriculum, necesse est suppurari. Ex hoc exemplo regulam fecit generalem, ideo enim corrumpitur, quia cùm non possit fluere, cogitur & congelatur, ideoque putrescit. Dixit autem præter naturam, propter eum qui *Pag. 2.*

in vteros descendit, nec tamen corrumpitur. Et rursus in eodem: Si contingat vt crassarum venarum aliqua saucietur, & sanguis introfluat ac euanescat, suppuratus fit. Vnde mihi videtur demonstratio in hoc constare, quòd cùm sanguis fluit ex vena magna in concauitatem, congelatur totus, aut pars: sed vbi ventres, ibi calor magnus: & vbi calor magnus, facit suppurationem: & ideo patet veritas Aphorismi, nam si flueret in intestina, non suppuraret: nec in renibus nec in vesica suppurat. Intelligit ergo de ventribus, qui sunt tres: capitis, pectoris, & naturalium membrorum, in omnibus his necesse est vt ad suppurationem deueniat, nisi per vomitum ex ventriculo reiectet. Cum ergo hoc litera doceat, verba illius vnde accepit, & sensus ostendat, manifestum est non debere distorqueri bifariam, & per ventrem intelligendo cauitatem omnem, & per suppurationem quamcunque putredinem seu corruptionem, nimis enim durum est in eodem dicto bis committere solœcismũ: neque enim schema esse potest, aut tropus. Sed vt ad rem redeam, cum sanguis diutius in ventre aliquo, etiam in vteri concauo retinetur, in pus transit, tametsi non omnino præter naturam ibi consistere videatur. Dicebat Hippocrates in libro de Natura pueri: vbi lunares purgationes quinque aut sex mensibus in vtero retinentur, putrefactus in pus transit: & quibusdam etiam pus exit, quibusdam tuberculum circa pudendum excitat. Non ergo impropriè locutus est Hippocrates.

Pag.10.

Pag.3.

APHORISMVS XXI.

IN insanientibus si varices vel hæmorrhoides superuenient, insaniæ solutio.

COMMENTARIVS.

PAlàm est hunc esse ex genere decimiseptimi Aphorismi, cum ex his quæ superueniunt iudicium fit. Est autem varix, vt colligitur ab Hippocrate libro de Vlceribus, venarum in cruribus tumor. Adiiciam autem quæ ibi dicit: At vbi varix insest in tibia aut conspicuus, aut in carne, & tibia est nigra, & videtur habere opus sanguine ab ipsa defluente: talia nequaquam pertundere oportet, plerunque enim magna vlcera ex fissuris fiunt propter varicis influxum: verum varicem ipsum aliàs atque aliàs compũgere oportet, vbi opportunum esse visum fuerit. Antea verò descripserat tumores in pedibus, qui ab influentibus venis fiunt, nec cataplasmate sedantur, sed curam eandem, penè similem docet, scilicet compungendo: nec tamen vult esse varices. Vt varices solùm appellet, cum cutis tumet cum nigrore, atque id accidit modò plenis venis in superficie, modò in profundo. Dicebat in libro de Aëre, aquis & locis, vnum singulare, loquens de his qui palustres ac lacustres aquas, sed stabiles, bibunt, quas necesse est calidas esse, crassas ac male olentes, vi ris varices & vlcera in tibiis accidunt: quare fieri non potest, vt sic longæuæ naturæ sint, sed ante tempus senescunt. Varices ergo cum ex humore crasso & melancholico accidant; translata in oppositum materia insaniam soluunt. Differt autem insania à stulticia, stultos enim vocamus, qui aliquando aberrant grauiter: insanos autem, qui propemodum in erroribus perstant, adeò vt insania sit perpetua stulticia: stulticia, temporanea insania. Sed cur eædem etiam soluant gibbositatem, vt in libro de Articulis: Verticula verò spinæ quibuscunque in gibbum trahuntur, ex morbis pleraque vt soluantur, fieri non potest: insuper & quæ supra septi transuersi iuncturam gibba fiunt, quæ verò infrà, eorum aliqua soluunt varices in cruribus oborientes: magis autem varices illæ, quæ in vena iuxta poplitem fiunt, quibuscunque gibbositas contigerit, eam soluunt, fiunt autem & in vena circa inguina. Galenus ea in parte exposuit, varices fieri ex humoribus melancholicis, nonnunquam ex aliis crassis humoribus (scilicet crudis) & quæ in venis crurum, quòd latiores sint, maiores esse, & ab humore crassiore: quæ in poplitibus, angustiores, cum sint à tenuioribus, ideò & ob distantiam maiorem, & quòd tenuior sit humor, salutis magis spem afferunt. Nec est idem hæmorrhoïdas & varices sponte oriri, aut aliis morbis succedere, nam sponte natæ varices, vt dixi, breuem vitam significant, si ex insania fiant, aut gibbositate, non idem: quod in omnibus est obseruandum. Dicebat etiam secundo Epidemiorum: Vocis gracilitatem soluit varix ad sinistrum & dextrum testem: absque horum altero fieri non potest vt soluatur. Magni, calui, balbi, gracili voce præditi, boni. Morbos autem habent balbus, aut caluus aut gracili voce præditus, aut hirsutus, vehementer atrabilarios. Consensus igitur cum sit & ex materia, quæ melancholica est, & ex loco genitalium cum membris anhelitus, liquet, depulsa materia solui morbum. Diximus autem de hoc, cur aliter solui non possit, loco suo: dicemus autem & de hoc paulo pòst.

Pag. vlt.

Pag. 6.

Pag. 5.

Pag.16.

3 de Artic. Com.4.

Sect.5.

Aphor.35.

APHORISMVS XXII.

QVæcunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit.

COMMENTARIVS.

NOn solùm deriuata à natura dicit, sed per artem ritè soluunt morbos, cuiusmodi in hoc deprehenditur exemplo. Antea enim de solutionibus, quæ à natura fiunt dixerat. Quomodo autem fit ruptio, libro de Flatibus apparet, dum inquit: Cum violentia quadam inuicem discedunt, & finduntur carnes, fissuram subtercurrit spiritus, ac dolore affligit: dum autem ipsi flatus carnes prægressi, meatus corporis rarefecerint,

Pag. 5.

refecerint, sequitur post flatus humida substantia, cui viam iam antea aër præstrauit. Irriguo itaque corpore ab ea facto, liquefiunt carnes, tumorésque in suras descendunt, atque morbus fit, qui aqua intercus appellatur. Hic ex ruptura generationem pituitæ albæ declarat. Sed antea rupturam ex venis docuit, dicens: Sanè contingit citra spiritum rumpi: nonnunquam sponte, & nonnunquam propter dolores. Sponte quidem, cum aër vltrò intra venas receptus, sanguinis meatus coarctat. Multitudine namque sua compressus sanguis meatus perfringit, qua eius copia maximè prorumpit: effusione autem facta venæ rursus spiritu complentur, & ex eo dolor sequitur, necesse est enim affectum locum spiritu occupari. Quod etiam in primo de Morbis est, & clarius, dum inquit: Quibusdam, cum debiles facti fuerint tractus, in carnibus aut venis non suppurant, sed fiunt diuturni dolores, & vocantur ruptiones. Docet etiam, quantum intersit inter ruptionem, ruptámque venam, cum laceratur distenta, sanguineque in carnes effuso, vel confertim in pus transit: vel si tenuis sit scissura, post tempus vt omnino suppuret. Et in Coacis prædictionibus ait, ex ruptura crassarum venarum. Et in libro de Locis in homine: A ruptura febris non amplius corripit, quàm per tres aut quatuor dies: si verò corripiat, & quis putet se à ruptura, ab alia sanè quapiam causa corripitur, & non oportet ipsum tanquam à ruptura curare. Quid intelligat per ruptum, habet secundo Epidemiorum: Pectinum ruptiones, quæ quidem circa pubem fiunt vtplurimùm statim, sunt innoxiæ: Quæ verò paululum supra vmbilicum in dextra parte, hæ dolorosæ sunt & anxiosæ, & stercoris vomitum inducunt: velut etiam Pittaco accidit. Fiunt hæ à plaga, aut vulsura, aut alterius insultu. Vult ergo per ruptum, quod ex ruptione fit, intelligere: quod cum descendit, ad cubitum secta vena dissoluit dolorem, & materia quæ in musculos fluebat auertitur: atque sic statim soluitur morbus. Palàm autem est, illum in Epidemiis de ramicibus sermonem habuisse. Quæ etiam rupta intelligat, docet in libro de Internis affectionibus.

Pag. 9. Pag. 13. Sec. 1. Pag. 6.

APHORISMVS XXIII.

SI timor atque mœstica longo tempore perseuerent, tale est melancholicum.

COMMENTARIVS.

GAlenus amplificat statim dictum: Quoniam si absque causa fuerint, etiam quòd non sint diuturna, melancholiam præsagiunt. Sed si cum causa (modò scilicet ea non adsit) diuque perseuerent, etiam melancholiam prænunciant: quod se experimento didicisse affirmat. Sed quid si causam habeant dubiam? Certè natura hominis in hoc consideranda est: mulieres enim & pueri magis timent quàm pro ratione. Et certè timor præter omnem rationem solus est signum melancholiæ. Cum ergo addat, Longo tempore: etiamsi non omnino sit præter rationem: mœror autem debet esse plus quàm pro ratione timoris, atque is melancholiam significat: vnde autem in melancholia fiat timor, dictum est aliàs. Illud etiam considerandum, an possit esse melancholia sine timore? Etenim si ob nigredinem fieret timor, esset omnis melancholia cum timore. Certum est autem aliquam esse melancholiam cum audacia & furore. Dubium est etiam, an Hippocrates loquatur de signo, an causa. Celsus putat illum de signo potius loqui: & addit vigilias, vt sint tria signa quæ separari nequeant, quod Brasauolus obseruasse affirmat. Videtur sanè omnis melancholia esse cum timore: verùm quam vocant maniam, non perpetuò, sed cum furore: & hoc est quod dixit Princeps: Cúmque melancholia componitur cum rixa & saltu & contentione seu pugna, mutatur eius nomen, diciturque mania. Et species illius licet sint numerosæ, magis tamen famosæ sunt quinque: Melancholia, furor, amor, rabies, & hydorolcos: quam Princeps vocat Cutbut, Græci Lycaonem, id est, lupinam. Sed hydorolcos rectius dicitur, quòd sit riuulorum araneus quidam in superficie aquæ stans, venatúrque muscas: nec vnquam eandem viam tenet, sed per vias diuersas graditur, vt faciunt qui laborant hoc morbo, nam quoties alicui occurrunt, declinant ab eorum occursu, atque ita per aliam viam incedunt, & allidunt pedes lapidibus, & ambulant tota nocte, amantes solitudinem. Et est morbus similis rabiei in pluribus: sed rarò occidit, vt illa semper. Rabies verò est omnium specierum pessima, & vix vnquam sanatur, & de ea locuti sumus in quarto de Secretis: nunc autem dicendum est, quantum ad cognitionem morbi pertinet. Et est, quòd omnes morbi praui valde, & qui non multitudine perimunt, sunt ex genere atræ bilis, quod ad materiam attinet. Et hic humor abundat, quoties homo vel per ætatem vel per morbum vel venenum morti appropinquat: & corruptio hæc est multiformis, ideo diuersis modis occidit. Et huiusmodi homines tristes sunt, & post aquam formidant: quia canes illam formidant, à quibus vulnerati sunt. Simile enim simile generat. Et interficit ob immoderatam siccitatem, coniunctam corruptioni & putredini: & corrumpitur humidum, quod est in ventriculis cerebri, ideo intra quartam diem occidit: & ægri conuelluntur, ac ratio multùm perturbatur, & propter hoc multùm refert, quòd quis in neruo vel in capite morsus sit. Et hæc est causa, quòd aliqui facillimè sanantur, & penè nullo auxilio, & aliqui nullo prorsus auxilio sanantur. Si enim laborans humore atro & corrupto abundet, & canis sit vehementer rabidus, & morsus in neruo vel capite vel cartilagine, & parum: aut nihil fluat de sanguine, vix sanatur. Et propter hoc Baldus nostra

Lib. 6. Contrad. 55. Lib. 2. c. 7. 1. 3. Tract. 4. cap. 18. in princ. Sec. 5.

nostra ætate Iurisconsultus, non ille Perusinus, morsus à catulo suo, quem in deliciis habebat, mortuus est post quatuor menses, Tridenti: quoniam venenum serò per cartilaginem permeauit, & rabies canis erat non vehemens. Et si morsus fuisset neruo infixus, qui est calidior & rarior, mortuus fuisset intra viginti dies, & ideo latitat vt non sentiatur, quia iacet in humido membri seminalis, nec inficit sanguinem. Et in effluxu multi sanguinis eluitur spuma illa, sicut ab aqua calida: & cum permeauerit ad cerebrum vsque corrumpit spiritus, & cerebri substantiam, & mouet conuulsionem, & occidit. Et hæc est causa quòd curetur ab igne candenti: &, si esset venenum in arteriis vel venis, parum aut nihil prodesset.

APHORISMVS XXIV.

ERysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

COMMENTARIVS.

SImile est hoc Aphorismo illi, Ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum. Etenim materia ad locum viliorem si propellatur, naturæ victoriam, robur ac rectam actionem significat, vt sit bonum, bonusque effectus. Hoc igitur de materiæ genere est in illo de loco. Vt sit sensus: Quacunque materia & loco, si ab intus ad extra protrudatur, bonum est. Diximus suprà, cum de
5. *Apho.* 10. trāslatione anginæ ad pulmones loqueremur: nec pigebit ex libro Prognosticorum adducere verba illa: Anginæ diuturniores, & ex
Pag. 9. quibus maximè euadunt, sunt, si ceruix & pectus ruborem habeant, & erysipelas ignis sacri non intrò recurrerit. Et paulo infra: Securius est tumorem & ruborem, quàm maximè foràs verti. Et in Coacis prædictionibus:
Pag. 15. Erysipelas foràs quidem accedere, commodum est: intrò autem verti, lethale conuertitur autē intro, cum delitescente rubore pectus grauatur, & æger difficulter spirat. Quibus verò anginæ ad pulmonem vertuntur, partim in septem diebus pereunt, partim per suppurationem euadunt, si non eductio pituitosa sursum ipsis fiat: vt tres modos hîc declaret, & omnes geminatos. Primus est, intrò, & hic semper malus: & si sit ad membrum valde vitæ necessarium, & materia praua, lethale est: sin autem benigna, longum morbum, & si ab intus extra, semper bonum: at si materia benigna sit, securum Si verò fiat translatio ad simile, tunc si sit ab intus ad intus, & ex nobili in nobilius, lethale est: si in ignobilius, periculosum tamen. Si autem in ignobile, membrum indifferens dici potest: si autem ex nobili in ignobile, bonum. De
Par. 6. hoc autem in adducti Aphorismi expositione inferius dicemus, quem locum vt plenè præsentem intelligas, considere te oportet.
Aphor. 35. Est autem Dialectica regula, de qua sæpe dixi, ad demonstrationem vtilissima, ex specie ad genus, cum ratio fuerit vniuersalis. Velut, si erysipelas fertur extrà, igitur materia à natura vincitur: igitur in quacunque materia hoc verum est. Sed quia facilius assumpta oratio sensu declaratur in hac materia, quàm in mitiore humore, ideo non fit petitio eius quod concluditur: sed si intus feratur vt euacuetur per aluum, tunc si omnino fiat sine molestia, bonum est: quia expulsio ad cutim, & translatio, est signum mediocris dominij naturæ supra materiam, expurgatio perfecti, tertio de Crisi. At si cum aliqua molestia, tunc malum est: quia ratio finis licet bona sit, est tamen motus ille periculosus ob media. Ex quo patet, quantum aberrent medici, qui in huiusmodi affectibus hominem purgant, adhuc stante fluxione. Nam nec tam tutò medicus hoc potest facere, vt natura cum vim afferat illi: nec scire potest quando perfectè concocta sit materia, nec quàm lata sit via, nec tam perfectè materiam ipsam educere potest. At dices: Eadem ratione periculosissimum est, etiam mittere sanguinem, nam trahemus materiam à superficie corporis ad intima. Respondeo, quòd refrigeratur ex hoc sanguis, nec attractio est adeò necessaria. Et si quis velit securissimè pro vita agere, vtatur pluribus cucurbitulis, & magnis, cum profunda incisione: & singulis diebus vtatur aqua lactis, cum tamarindis. Atque altera ratio curandi per venæ sectionem multo est compendiosior: sed aliqui interficiuntur.

APHORISMVS XXV.

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt, delyrio soluuntur.

COMMENTARIVS.

VTinam Galenus nunquam Aphorismorum opus exposuisset, nam & gloriæ suæ magis consuluisset, & nobis minus inuidiosa foret hæc expositio: qui liberam nacti docendi rationem, non videremur nec illi contradicere, nec eum accusare, quorum vno nobis inuidia conflatur, tanquam manes clarissimi viri insectanti: altero difficilius fidem integram assequimur apud illos, qui non perpensis rebus, solùm ambitioni autorum celebriorum student: sufficitque eis dixisse, hoc Galenus sensit, tanquam Galenus deus aliquis fuerit, & non homo multis modis impeditus, vt molestè loquar: cuius Opera & erroribus scatent, vt nullius alterius classici autoris, Neque enim Hippocratem, aut Aristotelem, vel Theophrastum, vel Auicennam tot inuenies in locis lapsos, quod seu Dialecticæ ignorantia acciderit, seu ambitione & nimia lucri & honorum cupiditate, quod verius est, oscitantur huiusmodi tractauerit: siue studio contradicendi & antiquis, & his qui gloria eo tempore florebant seu, quòd nimis ingenio suo fisus, relegere, considerare ac castigare sua scripta contempserit, aut quòd malis principiis ac falsis innixus fuerit: seu, quod verisimillimum est, omnibus his ex causis contigerit, adeò mendis

mendis totam artem compleuit, & veterum dicta peruertit, vt paucarum rerum cognitio absoluta relinquatur. Quòd si quis inspiciat inter reliquas expositionem huius præsentis: Aphorismi, quam lacera, insulsa sit, ipsius Hippocratis non leui miseratione commouebitur. Vnus vult, quòd de rigore loco tremoris loquatur: alius, quod dicat tremorem soluere febrem ardentem: quod ne Hippocrates quidem somniauit. Alius dicit, non debere dici Soluuntur, sed iis delyrium succedit: ad vnguem fermè contrario modo vertendo, vt si calidum dicat Hippocrates, non frigidum exponamus. Alius vult, vt pro Delyrio soluuntur, non solùm à tremore, sed etiam à febre ipsa ardente sit intelligendum. Coactus sum insanire cum insanientibus, vt si possem, tandem vos ad sanitatem reducerem: aliter enim intelligo, quàm ineptum sit tot stulta commenta commemorare. Sed quod magis nos malè habet, est tremoris causa, à Galeno tanquam certissima & ex oraculo Apollinis habita, descripta. *1. de Symptô. causis c.2.*

Iam ergo videamus vnde tremor fiat. Dicit Galenus, fit ex duobus motibus contrariis: imo membri prægrauatis inferius, altero facultatis ex aduerso sursū trahētis. Sed id est tremoris, qui contingit in senibus, qui aut morbus nō est: aut si fit, fermè est insanabilis, at tremor qui fit in febrientibus, cum etiam, vt dicit Comicus, aduersus octoastutos audaceis viros valētes tremunt, an ille motus erit ab imbecillitate? an tantum pondus additum est corpori illius, vt tremere possit tanto impetu? Nuper vidimus vxorem Io. Angeli de Monte, mercatoris diuitis, quæ in tremore adeò concutiebatur, vt tres viri illam continere non possent. An ergo hic tremor ab imbecillitate fiet? cum quo etiam cor ipsum vehementer palpitabat. Quantum res à re differt, hic fit in iuuenibus validis, ille in senibus imbecillibus: hic accessiones habet vt comitialis & conuulsio, ille continuus est hic veloci est cum motu, & vix contineri potest, ille lentus & exiguus, ac vix conspicuus: hic si membrum quiescat quomodolibet, nihilominus agitat membrum ipsum, nec ob id cessat ille autem superposito tabulæ membro, non amplius hominem vexat.

Rogo vos qui hæc legitis, quantorum & qualium errorum talia causæ sunt? cùm paucis antè annis dux velitum Zapanta in manus meas venisset, huiusmodi morbo correptus, solùm ea vt reliqui faciunt cogitans, quæ scripserat Galenus, ac toties repetierat per eadem, vt etiam in libro de Tremore, & primo in tertium de Morbis vulgaribus, tum alibi, ad satietatem vsque: non existimaui aliam esse causam, atque ita incuratus remansit: qui forsan ex his quæ scribentur, non leui lucro meo, incremento gloriæ, tum illius vtilitate, sanari potuisset. At forsan occurres ex his, quæ scribit in libro de Tremore exemplo gerulorum, quibus sub magnis ponderibus crura tremunt, quamuis alioqui robusti. Sed, hoc ad rem nihil fit enim tremor, de quo Galenus loquitur, vel sublatis viribus, vt in timore, senibus, ægris, post multam sanguinis effluxionem: vel prægrauata magno pondere virtute. At cum neutro istorum, quomodo fieri possit tremor ille à Galeno descriptus, non video. Cum verò Hippocrates tertio Epidemiorum dixisset, ab initio. Pythionem laborasse febre ardente, cum tremore manuum, hunc tremorem Galenus in repletionem neruorum traducit. Etsi dicat, pondus illud magnum in robusto fingi posse, ex modica repletione in principio motus, velut de pondere in cuspide lanceæ, & impedimento in hypomochlio: Respondemus, quòd vires tunc impeditæ non poterunt mouere cum tanta velocitate, & tanto impetu, vt in istis apparet: & etiam quia si sic esset, motus ille tremulus esset solum sursum & deorsum, non in latera, & tamen hi mouentur plerunque in latera.

Com.4. *Cap.3.* *Sec.1.com.2*

Dicemus ergo, quòd sunt duo genera tremoris. Vnum, quod fit ab imbecillitate facultatis, & istud in senibus debilitatis: vel addito pondere membro, & est tardum, & cum parua concussione: & si membrum quiescet, in loco debito cessat: & est aliud velox, quod fit magno cum impetu, & per accessiones contingit, & fit ex corruptione functionis motricis, non debilitate. Manifestum est ergo, quod fit etiam tertium genus ex his, ex vtroque scilicet mistum. Causa igitur corruptionis istius functionis (postquam videmus, facilè cessare & reuerti) est vapor quidam stimulans & pungens neruos. Et hoc apparet ex duobus exemplis. Primum in conuulsione, cum fiunt illi motus inordinati ac repentini, similes tremori, & etiam videmus, quòd si quis pungatur, tremit repentè: & ille tremor est motus validus. Ergo idem accidet, cum neruus ex vapore punctus erit. Sed dicetis: Cur fit continuus iste tremor, si est à vaporibus? Dico, quod punctio illa fit ex continuo ascensu vaporum, & etiam, quòd membrum concitatum non potest quiescere: sed mouetur, sicut etiam videmus in illis qui currunt: stimulata enim facultas, etiam sublata causa stimulante, adhuc perseuerat aliquandiu in motu. Ergo isti vapores ascendunt ad cerebrum: & nonnunquam etiam à cerebro, non solùm ad neruos, sed etiam ad cor & ad pulmones transmittuntur, & inducunt palpitationem cordis, & spirandi difficultatem, etiam præter tremorem: vt contingit in illa vxore mercatoris, quæ iam triennio subiicitur huic affectui. Et fieri potest quòd sit ex læsione ex frequenti partu, quindecim enim filios peperit, quorum vndecim viuunt, & necdum exegit trigesimumtertium annum. Et huiusmodi casus, quod ad palpitationem & spirandi difficultatem attinet, describitur in libro de Sacro morbo. *Pag.5.*

Hoc viso, Aphorismus iste scribitur ad verbum in libro de iudicatione, & in Coacis prædictionibus, vt non sit dubitandum de illo. Demonstratur ergo sic: Tremores si fiunt in febribus ardentibus, contingunt, quia vapores pelluntur ad cerebrum: & antequam in ventriculos possint penetrare transmittuntur ad principia neruorum, vnde ex illorum punctione tremit illud membrum, vel medietas illa dextra vel sinistra: at si dely- *Pag. 4.5.*

rent, vapor ille in ventriculos penetrauit: igitur non est repulsus ad neruorum principia ergo tremor soluitur. Non dicit quod febris ardens: quis enim tam amens est, qui dicat, superueniente delyrio solui febrem? cùm delyrium vix ex vlla alia causa, vel sine febre, vnquam fiat. Sed dicetis: Cur ergo non fit loco tremoris conuulsio, & in quo hæc duo differunt? Respondeo, quòd in tremore materia omnino truditur ad neruos extra cerebrum, in conuulsione vapor ille manet in cerebro: ideo est solùm conatus protrudendi vapores, non effectus. Sed & ob id tremores, si qui citra rigorem fiunt, conuulsionis periculum nunciant. Atque hæc satis pro cognitione rei. Verùm quia nonnulli sint, qui vel inuitum Galenum seruare student, dicentes talem motum esse palpitationem, operæprecium est ostendere, non esse huiusmodi motum palpitationem. Dixit enim in secundo de Symptomatum causis: In palpitationibus enim membrum, nec quod notabile sit extenditur, nec inflectitur: concutitur autem quodammodò huc atque illuc, quoad musculus palpitare cesset: ad eum sanè modum motu obito, quo etiam in tremore. Atque si hæc tantùm dixisset, opinionem afferre poterat, quòd ita sētiret. Sed vide quę statim subijciat: Eo autem differt, quòd per magna fiat interualla, cum tremor incidat per exigua. Siquidem palpitans musculus, cùm satis notabili magnitudine est, dum dilatatur, sæpenumerò totum membrum secum attollat: dum contrahitur, veluti rei inanimi deorsum totum ferri permittit, ita vt totus motus præter naturam sit, non autem sicut in tremore missus quodammodò, & cōpositus: sanè qualis est palpitantium membrorum motus, paucus simul tardusque & rarus. Et rursus in libro de Tremore & palpitatione: Siquidem quæ in palpitātibus particulis eleuationes depressionesque apparent, distentiones quædam sunt corporum, quæ ceu replentur: & eorundem subsidentiæ, quasi rursus inaniantur. Quæ verò trementibus accidunt, totius membri motus est: qui interim deorsum quidem vergit, rursus ad superiora fertur, sed non dilatatur, neque contrahitur. Ea propter sanè tota pars tremit, cum aliquid facere aggredimur, nullo eorum quæ in ea habentur manente immobili: similiter vt musculi, ita arteriæ & venæ, nerui, ipsaque ossa & cutis nunc deorsum feruntur. Palpitant autem non omnia, neque enim neruum aut os, aut aliquid huiusmodi quod ventrem non habeat, videas palpitare. Et rursus, vt ad priora redeamus: Palpitatio est distensio quædā & subsidentia præter naturam: tremor autem, partium motus præter voluntatem, quo sursum ac deorsum vicibus permutatis feruntur. At non idem est dilatari ac sursum ferri, nec contrahi & deorsum vergere. Etenim quæ sursum & deorsum feruntur, priori loco relicto in aliū transeunt: quæ autem dilatantur ac contrahuntur, veterem sedem conseruantia, partim ambientem regionem occupant, partim relinquunt. Inde clarius: In his qui membrum totum in motu propter musculos palpitantes retinent, propriis & sensilibus extremis, vterque motus circumscribitur, trementium verò affectus talis non est sed altero adhuc motu incipiente, vt ita dicam contrarium ipsi coniungi deprehendes vt ad superiora tendentem latio, semper ea quæ est deorsum excipiat, atque hunc illa. Differt igitur palpitatio à tremore, vel teste Galeno, quòd tremor sit motus magnus, velox, creber, totius membri, sine dilatatione, aut contractione, cum mutatione situs, nec vterque motus suis extremis circumscribitur: non est igitur huiusmodi motus palpitatio. Quòd si quis ad rigorem rem trahere velit, suprà differentiam docuimus. 4. Aphor. 51.

Cap. 5.

APHORISMVS XXVI.

QVicunque suppurati, aut aquam intercutem patientes, vruntur aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

COMMENTARIVS.

DVplicem curandi hos morbos rationem habebant antiqui: vnam, per sectionē: alteram, per vstionem. Diximus autem modū superius in quinto libro, & signa tabidorū in tertio, vt commemorasse sufficiat volenti ea legere, repetere superfluum sit: nūc ea quæ sūt necessaria adiiciamus. Dicebat Hippocrates sexto Epidemiorum: Hydropicos citius secare oportet, tabescentes vrere statim, caput secare, & huiusmodi. Vt cum videatur duo auxilia proposuisse hydropicorū & suppuratorum, attamen hydropicis sectionem magis conuenire docuit, tabidis exustionem. Neque verò idem sunt suppurati & tabidi. Tabidos enim vocat, quibus vlcus est in pulmone: velut suppuratos, quibus sanies est in pectore. Atque de suppuratis hìc intelligit, nō tabidis, quibus sectio nullo modo conuenit, sed vstio sola. Sunt enim multi suppurati, nondum tabidi: & alij tabidi, qui non ex abscessu sunt suppurati, De his ergo intelligit, aut similibus de quibus antea dixerat: Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur. In qua sententia dicebat in libro de Internis affectionibus, quem Galenus citat in Cōmento, apppellans librū magnum de Passionibus, alios illū inscribere de Suppuratis: Si in latere tuberculum nascatur, Suppuratus fiat, quod in quadraginta diebus, aut paulo prius accidit: atque ex eo dignoscitur, quòd cum suppuratus sit, non tamen pus reuomit, nec expuit hūc: cum sic habuerit, vbicunq; timor de se significationem præbuerit, secato au vrito, & postea pus paulatim emittito, totamque exponit curandi rationē. Vbi duo hæc habes, & quòd secabantur & vrebātur suppurati, & quòd pus sensim emittere cōuenit. Similiter quod hic tantum de magnis suppurationibus intelligit, præcipuè autē pectoris: cū ex illis vacuato vniuerso pure necesse sit aërē ingredientem non solū ob spirituū resolutionē, vitiare cor & pulmones, vt mors sequatur. Similiter de hydropicis, quòd & secarētur nonnunquā, nonnunquam vrerentur, docuit in libro de Locis in homine his verbis. Cum hydrope quis laborauerit, medicamenta

Aphor. 15. Aphor. 10. Sec. 7 Aphor. 8. Pag. 10.

ta in potu exhibenda sunt, quæ aquam purgent, & edulia quàm pituitosissima offerenda: si verò neque sic leuior fiat, inurendæ sunt sunt crustæ quàm tenuissimæ, & maximè in superficie, quò aquam continere possit circumcirca vmbilicum, & vnà in vmbilicum, & emittere singulis diebus, cum enim morbus periculosissimus sit, in his periclitari oportet. Si enim successerit, sanum faciet: sin minus, quod etiam aliàs futurum erat, id ipsum perpetitur. Cæterùm in puero hydropem sic curare oportet: Partes humidæ & aqua plenæ aperiendæ sunt scalpello, & frequenter ac parum educendum est. Educendum autem est à singulis corporis partibus, & fomentis vtendum: & semper locum apertum vnde eduxeris, calefactorio medicamento illius. Hic palàm est, veram curandi rationem Hippocratem tradidisse, quam nemo cum obseruet, nil mirum est si omnes pereunt: tum potissimè, quòd Hippocratis mens est in his verbis expressa, vt confertim medicamentis euacuentur, nec ante vrantur aut secentur quàm experti fuerimus medicamenta: vbi illa non contulerunt, statim vult vt ad sectionem vel vstionem veniamus, nec expectemus vires esse labefactatas, & ventrem immodicè creuisse: quæ ambo cum medici nunc temporis expectent, tum maximè quòd etiam curando aberrent, manifestè ægros iugulare dici possunt, non curare. Nec mirum est neminem ætate hac sanari. Has duas auctoritates tam appositè Fuchsius adduxit, vt si se similem vbique præstitisset, nos ab hoc labore liberasset, neque enim, quod forsan multi putant, hunc mihi laborem relictum puto, cum horum loco multa magis præclara absoluere potuissem, & mihi longè vtilius fuisset, inuenisse scripta tum in hac, tum in aliis disciplinis, ac medicinæ partibus, quàm conscripsisse. Nec similis sim ouibus, quas referunt lentius currere, quòd credant defuturam illis terram: aut bufoni, quem & ob id in edendo luto referunt præparcum esse. Immensa, imò prorsus infinita est materia condendorum: & si quæ nunc ego condidi, condita inuenissem, me meosque seruassem, & nihilominus ad gloriam post mortem multò magis præclara monumēta relinquere potuissem. Quamobrem odio non leui prosequor illos, qui ante nos, cum segetem amplam haberent rerum inueniendarum, solum alienis suffurandis aut reprehendendis incubuerunt. A quo vitio vt maximè alienum video Ptolemæum, Aristotelem, & omnibus etiam magis Theophrastum, ita (habeat modò quotuis præcones) Galenū repræhensione dignum iudico. Sed sequamur. Brasauolus citat auctoritatem aliam non ineptè libro de Affectionibus, quem aliqui vocant de Affectionibus externis, vt quasi pars sit reliqua medicinæ à priore, quem Galenus ciat. Volunt autem quidam esse Polybij, sed non est hic locus hoc declarandi, sed suo commentario id expositum est, verba autem planè sunt hæc: Aqua porrò sic fit, cum carnes à pituita & tempore & morbo, & non purgata immundicia & mala curatione ac febribus corruptæ fuerint, liquescunt & fiunt aqua: & venter quidem non distribuit aquam in seipsum, verùm in circuitu circa ipsum consistit. Si quidem igitur à pharmacis & alia victus ratione æger vtilitatem percipiat, & venter ipsius euacuatur, bene est: sin minus, sectione facta aquam emittito. Secatur autem vel iuxta vmbilicum, vel retrò iuxta lumbos, effugiunt autem & hinc pauci. Porrò rationem curandi absque sectione antea præscripserat hoc modo: Hunc si à principio curandum acceperis, priusquam superexcrescat, pharmaca bibenda dato, à quibus aqua aut pituita purgatur: bilem verò ne moueto, cibos autem & potus, & labores ac deambulationes constituito, à quibus gracilis ac siccus euadat, & carnes quam robustissimæ fiant. Morbus autem est lethalis cùm aliàs, tum si venter aqua repletus fuerit. Ecce alium errorem eorum qui rhabarbaro bilem principaliter mouente illos purgant, adductis falsis rationibus, quod iecori conferat. Pag. 7.

Sed videamus, cur dixerit Omnes: oportet autem demonstrationem inuenire huius communis nominis. Narrat Brasauolus, vidisse mulierē pię tumido ex aqua intercutem ventre, cui cum à circulatore tota aqua repentè extracta foret, statim obiit. Alium etiam, cui in spatula vlcus saniosum callosumque cum esset, detracta tota sanie, simul confestim & ille obiit. Exclamat autem contra huiusmodi homines, quasi & ipse nunquam in huiusmodi errauerit. Nec est discrimen nostris temporibus inter medicos hac parte, & circulatores, nisi quòd medici velant facta sua leuibus quibusdam rationibus, & Galeni auctoritate semper in vtranque partem accommodata: illi nesciunt. Quippe Galenus in Commento hæc habet, contra Hippocratis sententiam: Vstione igitur indigent, qui plurimum habent pus, adeò vt desperent per spuitiones posse expurgari: hos verò ipsos & difficultas anhelitus vehementer infestat ex loci angustia, quę & nos cogit vt eos vramus. Eos autem qui aquā intercutem patiuntur, per punctiones potius quàm vstionem medici curare consueuerunt. Ex quibus verbis facilè intelligitur, ipsum nunquam hanc curationem exercuisse, sed solùm circa eas curationes versatum, in quibus plus valerent verba quàm facta. Etenim totum contrarium obseruari debere, & ratio suadet, & Hippocratis sententia docet. Pueros enim ascite laborantes sectione curamus, quia ignem reformidant: sed longè vtilior est vstio vt quæ sit secura & moderata. Similiter in magna multitudine puris, quæ vtilitas vstionis, cum siccet, cogat pus, & anthelitus difficultatem augeat? Hoc etiam docet Hippocrates facere, secundo de Morbis, non enim vrit, Pag. 16. sed secat. Sicut in aqua intercute non secat, sed vrit: libro de Internis affectionib. Et quia in tertio de Morbis dicit, sæpius (de suppuratis Pag. 15. loquens) secato aut vrito: possem illud dicere, librum esse Hippocratis minoris, Hippocratis nepotis: sed non contendo, tametsi clarum sit, vbi sanies pauca sit, vrere debemus: & vbi timemus de fluxu sanguinis, ob artificis imperitiam, vstio enim in omni casu securior est, & terribilior, non tamen in suppuratis vtilior Pag. 9. & 10. est: in liene autem suppurato vrere debemus, quoniam perforamus ventrem, non pectus: & ideo vstio securior est, & vtilior. Suppurati

ti enim in pectore debent vitare vstionem, dico quæ illud penetret,& ob puris naturam, ne siccetur, & ob compositionem ipsius pectoris ex tot ossibus, cartilaginibus, neruis & membranis: quæ tanto sunt inimica magis igni, cùm sunt sana, quanto illis, cùm corrupta fuerint, ignis vtilior est ferro.

Cæterùm vt ad rem redeam, dicit Galenus, in supperatis mortem contingere, reseratis osculis arteriarum, quæ ob puris acredinem & distantiam partium conuellente abscessu aperta erant, sed à purè tanquam opercula conclusa difflato spiritu & calore vnà cum illo naturali exhalante. Quam eandem causam refert esse mortis, si aqua confertim in hydrope euacuetur. Sed & aliam in hoc præter eam esse docet mortis causam, visceris duriciem (& licet dicat σκίῤῥος, legerem αἰνότης, idest grauitas) quæ subducta aqua, à qua substentabatur septum transuersum,cum membris pectoris deorsum trahit. Refert autem ex Erasistrato huiusmodi sectionem consequi solere febrem, atque inde mortem. Vt verò primum dictum comprobaret, affirmat non solùm hoc verum esse in suppuratis, sed in quolibet magno abscessu: vt ex exemplo vlceris in spatula,ex Brasauolo retulimus. Nos autem cum videamus nnn solùm id contingere in his, sed in mictu vrinæ, in fecum exitu post longam retentionem, scimus non euenire ob id: etsi forsan & illæ causæ aliquid faciant: sed effectus tam generalis generalem opportere esse causam. Et est duplex resolutio iam in virtute debili, ex longa compressione facta, quidquid sit quod ex primatur:& aëris frigiditas in locum iam adeò calidum ac confertum vaporibus purridis, ex quo illi truduntur in arterias & cor, atque ita occidunt: cuius experimentum est, quod si quis calefactus multum, & in balneo etiam postmodum repentè in frigidissimum locum trudatur, moritur: vt aliàs recitaui de illis quatuor, qui dum nouam fornicem sub terra ingressi sunt, statim periêre: quanquam nec vires in his sint imbecilles, nec calor ille sit putridus, nec adeò feratur per intima vt in his. Indicio etiam esse potest, quod à mictu adeò quandoque perhorrescimus, si multam continuerimus diu vrinam: quanqum per paucas horas rem naturalem non adeò calidam, nec latus sit virgæ meatus, per quam aër fertur: vt optimo Galeni sit speciosa, verum ridicula oportet enim magnam esse vtilis euacuationem, quæ interimat citra affectionem prauam alicuius membri principalis. Cui etiam opinioni innumera consentiunt experimenta eorum, qui ex specubus lethalem hauriunt spiritum.Quòd si obiicias: Antequam secetur, multo plures & acriores vapores contineri,quàm secto abscessu: Respondeo, quòd non truduntur, sed difflantur perpetuò, & calor naturalis ex altera parte resistit. Pro causis autem mortis specialibus in hydrope, & vt intelligas Hippocratis dictum in libro de Locis in homine:scias,quòd aqua in ascite continetur inter abdomen & intestina, & statim penetrat omentum cum creuerit, & pòst circundat ventticulum, renes & iecur cum intestinis: & cùm ascenderit ad septum transuersum, iam sunt prope mortem: antea ergo non solùm impedit operationes horum membrorum, vnde efficit vrinam cruentam, quamuis morbus non sit ex renibus debilitatis illis:vnde vrina cruenta est signum, quòd ascites est ex renibus:ac est malum valde,vel quòd aqua iam corrupit renes, & hoc est pessimum: sed etiam putrefacit illa membra, maximè omentum & iecur ob teneritudinem vnum, alterum quòd humidum sit & calidum, & ideò corrumpit vtranque coctionem, vnde etiamsi sanentur, semper habent debilem vtramque coctionem, vitiosamque. Et ideò nullus est morbus, in quo magis debeamus esse soliciti de celeri cura,quàm ascites.

APHORISMVS XXVII.

EVnuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.

COMMENTARIVS.

CVm de bonis ac malis mutationibus in duobus ante præcedentem Aphorismum, quæ à natura fiunt, in præcedenti autem ab arte: nunc connexionem quorundam operum inter se, seu à natura seu quouis alio modo contingant, enarrare aggreditur: è quibus vnum horum est quòd dicitur. Continet autem duas partes, quarum vna ad naturæ consensum & sanitatem pertinet: altera similiter,sed euidentem habet rationem, scilicet cur non podagrici fiant eunuchi.Sunt autem duorum generum, aliqui sic nati, alij præcisione facti: quidam à puericia statim, alij iam grandiores natu: & quidam præcisis genitalibus totis, vt nunc apud Turcas: quidam solum exemptis testiculis, vt apud nos curandæ herniæ causa. Error Galeni & sequentium, qui putant dictum Hipocratis non esse verum nostra ætate, ex hoc prouenit, quòd non animaduertunt Hippocratem intelligere de his quibus genitalia deficiunt tota, seu à natiuitate, seu paulo pòst.Etenim etsi iuueni iam tota adimas genitalia, cum Venereis iam sit vsus, latas poterit habere vias, quæ ad articulos deducunt, & nihilosecius in podagram incidere, vt in libro de Natura pueri, similiter etsi à natiuitate vel paulo pòst execti sint testes, maneant tamen virga & scrotum, Venere vti poterit, sed non generare. Vt apud Martialem. Pag. 6.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia,quæris
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

Si igitur coëunt, cur à podagra debent esse immunes. Castrantur autem trifariam, compresso testiculo, aut euulso per scrotum, vt docet Paulus libro sexto, quibus modis nullus perit. Tertius modus est, quem docet Nicolus, quo circulatores vtuntur in hernia intestinali, aut testiculorum, & trahunt testiculum suprà, & cum vasis seminis extrahunt suprà inguem, quæ operatio periculosissima est ac violentissima. Cum tamen Rasis vigesimo quarto continentium doceat, curare herniam intestinalem sine exectione testiculi, & vasorum seminis: solum compressis Cap. 61. Tra. 1. cap. 1.

pressis intestinis, duro pluuinari cum vinculis ferreis in modum freni adurere super inguem locum, per quem descendere solebant intestina, atque consolidare, ita vt interim per quadraginta dies supinus maneat, nec moueatur, nec intestina descendere permittantur: & vstio fiat cum candenti ferro, & vsque ad os pubis, vt docet idem Nicolus. Et est longior cura, sed longè securior & melior. Et potest, vt dicit, fieri in timidis cum medicamento adurente: sed non est adeò tutum ob longitudinem, vnde patet, quod medici nostræ ætatis nihil sciunt rerum nobiliorum. Nunc demonstremus veritatẽ Aphorismi. Ad podagram faciendam quatuor requiruntur, imbecillitas artuum, latitudo venarum, materia cruda, & vis impellens, maximè flatus. Vnum horum si desit, non fit podagra. Coitus aperit vias has: eunuchi coire non possunt, igitur nec podagram pati: quia meatus habent arctos, sed nec habent spiritum impellentem facilè. Causæ autem, cruditatem sunt, desidia, crapula: impulsus autem vina potentia, & coitus, hic verò, vt dixi, etiam latitudinis pororum: vt sint quatuor causæ in vniuersũ in ratione victus. Sed vt redeam ad institutum, dubium esse potest an qui exectis solum testibus, sunt, semen emittant, videtur enim quòd non, exciso meatu qui defertur ad glandulam seminalem. Oppositum apparet ex eo, quòd huiusmodi viri principibus mulieribus sunt gratissimi, & olim excindi curabant iam adultos, vt membrum virile magnum esset. Vnde illud Satyrici:

Lib. 7 Trac. 3. Sum. 2. cap. 39.

—Ac iustos crescere primum.

Testiculos postquam cœperunt esse bilibres,

Neque enim adeò delectarentur mulieres, si nil emitterent. Secundum est, quòd non fiunt calui, nam caluicies à siccitate cerebri fit, nec potest adeò exiccari cerebrum sine Venere, vt caluiciei causa sit: at eunuchi Veneris sunt expertes. Et vt propositam soluam quæstionem, licet emittant quippiam, fieri tamen non potest vt semen, cuius maxima pars à cerebro descendit, iuxta Hippocratis sententiam in libro de Aëre & aquis ac locis, inquit enim: Venæ enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferet his quibus secantur. Et paulo pòst de eisdem quibus sectæ sunt illæ loquens, ait: Quando igitur postea vxores adeunt, impotentésque se factos esse, vt cum illis concumbant, animaduerterint. Vnde patet, non solùm illum de sterilitate, sed impotentia ad Venerem loqui, quam facit venarum post aures sectio, quòd semen è cerebro descendat: Haud me latet aliqua posse hic adduci in contrarium: sed cum constet iam apud illum, semen ex omnibus partibus decidi nostri corporis, ita vt, ait, ex macrocephalis macrocephali gignantur, cum & cerebrum simile sit substantia semini, ac colore magis quàm vllum aliud ex principalibus membris, & etiam caput magna portio corporis nostri: liquet & semen verisimiliter debere decidi magna ex parte à cerebro, præsertim cum videamus post Venerem nihil magis hoc ipso consumi atque debilitari. Quòd verò assumpsimus, scilicet caluiciem fieri à

Pag. 18.

Pag. 10.

siccitate cerebri, docuit ipse sexto Epidemiorum his verbis: Cerebri consumptio, quapropter & caluicies (sic enim debere legi, non vt diuisus est sermo in exemplaribus, docet & ratio & Galenus locum rectè exponens) consumpto enim cerebro, vt in senectute, abscedit ab osse, exsiccatóque osse & cute, decidunt capilli, hoc ergo cum ob humidum abundans neque mulieribus neque pueris nec eunuchis accidat, meritò nulli horum caluicies contingit. Verùm longè aliam ipse Hippocrates huius rei docet rationem, in libro de Natura pueri, dicens: Quòd in cerebro est multa pituita, quæ à coitu exagitata corrumpitur, & radices capillorum exedit, atque ita caluiciem efficit non putat Hippocrates cerebrum posse adeò exsiccari, vt huius merito debeant capilli cadere, nam & toto capite caderent, & somnum amitterent calui: quòd tamen verum non est semper, propterea melior mihi videtur opinio Hippocratis. Etsi modò alia adeò placuit Galeno, & his qui illum secuti sunt, huius saltem meminisse debuerunt, vel vt verisimilis, & iudicium lectori relinquere, aut expugnare, modò cum neutrum fecerint, excusationem legitimam non habent. Similiter Aristoteles quinto de Generatione animalium, aliam tertiam causam adducit, frigiditatem, nam senibus hoc accidit, & hyeme plerisque arboribus, dum frondes amittunt: & superflua Venus refrigerat corpora, sed de hoc in Contradictionibus. Sciendum, quòd caluicies iuxta Hippocratem maximè fit à consensu cum genitalibus, & ab atra bile: & varices, vt superius visum est, fiunt ab atra bile: vox quoque consentit cum genitalibus, vt mox ostendam. Ideo hæc quatuor, genitalia, varices, caluicies & vox, quodammodo simul connexa sunt. Quapropter secundo Epidemiorum inquit: Vocis gracilitatem soluit varix ad sinistrum & dextrum testem, absque horum altero fieri non potest vt soluatur. Magni, calui, balbi, gracili voce præditi, boni. Morbos autem habent balbus aut caluus, aut gracili voce præditus, aut hirsutus vehementer, atrebilarios. Et rursus: Varices caluorum si non magnæ sint, furiosi sunt, hæc volui adiecisse ad intellectum illius loci, & etiam vt intelligeremus apud Hippocratem caluiciem maximè signum esse atræ bilis, & ab ea fieri solere. Quamobrem eunuchi raro in eum morbum incidunt, & parum de eo humore generant.

Sec. 3. in princ.

Pag. 6.

Cap. 3. iuxta finem.

3. Contrad. 13.

Aphor. 21.

Sec. 5. in princ.

In fine eiusdem.

APHORISMVS XXVIII.

MVlier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

COMMENTARIVS.

HVius & sequentis continuitatem, nisi admodum rudis sit, cum præcedente Aphorismo nemo requiret. Inficiatur Galenus more solito, hoc esse verum: sed Hippocratem non intelligit. Verbum ἐκλείπῃ, significat apud illum, vt nulla ex parte deficiant, neque quantitate, neque qualitate: quomodo dicere solemus aliquẽ defecisse in officio, id est, non exhibuisse, aut minus quàm oportuit, aut non tam diligenter, idque verissimum est: nulli

nulli enim mulieri, podagricæ menses fluere pro ratione videbis. Quòd verò velint excusare Hippocratem de incontinentia eunuchorum & mulierum posteriore ætate, absurdissimum est, cum nulla ætate fuerint voraciores. Nam Milonem referunt, iuuencum, quem humeris detulerat, vna cœna comedisse, quis huic voracitati comparari queat? Extat Boriei poëtæ epigramma, cuius initium & finem tantum ex Athenæo adscripsisse sufficiat. Lib. 10. c. 1.

Talis erat Milo, qui inter certamina Olympi
Quadrimum è terra sustulit antè bouem.

Inde in fine:

Non taurum tulit in carnem, qui coniugis expers,
Quem cædens solus edit & ille die.

Et Thasius similiter athleta, vt Posidonius ait:

Fœdus erat quamuis, æstus mihi Mæonius bos.

Com. 49. Aph. Constat & Herculem & Vlyssem fuisse veracissimos, & ebrietatem & temulentiam non solùm in vsu, sed in honore fuisse. De vsu inferius videbitur: de honore plura sunt testimonia.

Cap. 8. *Inter symposium calices cum sæpe feruntur,*
Dulcia nugantem, vinum potare sedentem
Est opus. Tum illud:

Cap. 11. *Nestora non latuit clamor, tamen ille bibebat.*

Et illud.

Cap. 9. *Vina senem cogunt minimè saltare volentem.*

Et illud:

Arcadionis habet tumulus hic ossa bibacis,
Erectusque vrbis proximus ille viæ huic.
Charmylus & Dorci posuerunt. Mortuus est vir,
Dum magni calicis ebibit iste merum.

Communia autem.

Plurima edens, per multa bibens, mala plurima dicens
Ipse viris, iaceo hic Timocreon Rhodius.

Et ne fortuitò hæc quisquam dicit putet, subiicit:

Tres minas ferè elixorum, aliud dic, rostrulum,
Pernam, suillos & pedes, ô Hercules?
Bouisque tres, gallinam, Apollo? cætera
Dic: ficuum minas duas: quantum simul
Refert bibisti? bis meri senas cotylas
Apollodore, & Sebazi.

Quin etiam ipsi reges, Philippus & Alexander filius, ebrij: certabantque calicibus Mithridates Ponti rex, ne quid deesset ad cumulum, voracitatis palmam meruit in conuiuio: vt credam Galenum symposio illi Athenæi, quamuis ipse eum adscribat, non interfuisse. Sed enim nos hæc per Natalem de Comitibus Venetum translata huc retulimus, nec vlla querela maior. Cessent igitur ista nugari, cum mundus mundus semper fuerit, & homines homines, id quòd etiam affirmat Hippocrates quinto Epidemiorum, de Bian pugili. Pag. 10.

APHORISMVS XXIX.

PVer podagra non laborat ante vsum venereorum

COMMENTARIVS.

NOn idem est articulorum morbus, atque podagra. Hoc si docuisset Galenus, melius fuisset, quàm immerito Hippocratem toties insectari. Arthriticos enim non paucos videmus pueros, podagricum nunquam vidi: nec qui viderint, legisse me memini. Dicebat Hippocrates in libro de affectionibus: Podagra violentior est omnibus eiusmodi circa articulos morbis, atque longissimus, & difficulter cedens. Et in articulari morbo, vt ibidem docebat, dolor ex articulo in articulum transit, ac mouetur, non sic in podagra: transit enim, sed non spargitur. Visum est autem suprà, quonam pacto arthritides, non autem podagræ, nisi in his qui eis obnoxij sunt, febres subsequi soleant. Cum enim humor loquatur, defluit ad articulos, non è venis expressus sanguis, sed iam corruptus: ac per modum cuiusdam puris fit arthritis, non podagra. Ideo arthritis non reuertitur vt podagra: quoniam materia illa aliena est à natura sanguinis, nec promptè parata semper vt defluat ad articulos: ob id arthriticus morbus non redit, nisi post febres: podagra redit. In his verò quibus arthriticus morbus absque præcedente febre aduenit, materia etiam illa pituitosa est ex lassitudine calefacta atque corrupta. Dicit, Ante vsum venereorum. Alphonsum Tassonum & Claudium Rangonum splendidos adolescentes laborasse podagra quinto decimo anno, Brasauolus vidisse affirmat. Quidam etiam pueri ante tertiumdecimum per lasciuiam atteruntur: quos excipit Hippocrates. Pag. 9. Partic. 4. Aphor.

APHORISMVS XXX.

DOlores oculorum meri potio, aut balneum aut fomentum, aut venæ sectio, medicamentum epotum soluit.

COMMENTARIVS.

POstquam docuit, qui nam morbi aliis succedentibus morbis aut signis soluantur, & quonam pacto ars non semper recta, agendo rectè agit, sed modum requiri: deinde qui morbi aut morbis aut naturalibus dispositionibus prohibeantur, curationis modum specialem vno appositiore exemplo docet. In quo demiror satis Galenum: qui dixerit nulla ratione, sed quòd ita accidisset conscripsisse: tanquam aliquid esse possit, quod causam non habeat: aut si habeat quæ nulla possit ratione in digitos, vt dici solet. An quod ipse inuenit, inueniri ab Hippocrate potuisse negare audet? Sed rem paucis accipe: Qui oculorum doloribus laborant, aut influxum ex corpore patiuntur, aut ex cerebro solum. Siquidem ex toto corpore aut secreti humoris, aut misti & concreti in venis, aut vaporis. Si quidem secreti humoris, purgatione tollitur, & auertitur: sin autem concreti, sectione venæ euacuatur, & diuertitur

tur sin autem vaporis, balneo, eadem ratione bifariam patiens iuuatur. At si materia solum in cerebro concreta fuerit, si quidem crassus sanguis, meri potione dissoluitur: si tenuis aut aquosa, fomento super frontem imposito, quod semper nobis iam purgantibus prius corpus bene cessit, sistitur.

Vinum debet, vt Aetius docet libro septimo, esse acre, fuluum, tenue, antiquum, odoratum, quamquam non omnium meminerit. Quandoque ad conciliandum somnum, dulcè, flauum, potens: tale autem crassum necessariò est. At sectio venæ, qualis à Galeno refertur libro de sanguinis missione: Dolentibus oculis humeralis vocata vena, quæque ex ea deriuata est, in cubito incisæ, luculentum, celeriter commodum afferunt. Et rursus ibidem: Oculorum persæpe dolores grauissimos, è directo venæ quam humeralem nominant sectio, intra horæ vnius spacium compescuit. Quantum verò detraxerit sanguinis, pòst docet dicens: Hora quinta ad me venit, librasque tres sanguinis detraxi, hora nona vnam. Quod ad fomentum attinet, Cap.17. duplex est. Vnum, quod solum sistit, frontique apponitur, è sanguine draconis, bolo armeno, albo oui rosis & aceto. Aliud, quod super oculos ponitur è sertula campana & chamemelo coctis cum aqua & sapa, addito fœnograeco, rosisque. Illud animaduertendum diligenter, cuius nos Galenus admonet, medicamenta omnia quæ stuporem inducunt, visum hebetare: quamobrem ab illis, quantum fieri potest, cauendum. De fomentis etiam aliud nobis præceptum dat Galenus, si prosint, & in melius perficant, purgandum esse corpus, atque in eis perseuerandum: sin autem postea dolor grauior reuertatur, amouenda: purgandumque corpus, quod non sit exquisitè purgatum: aut dicas caput saltem. Tertium præceptum est, vbi acria medicamenta oculo admouere propositum est, oportere corpus esse exquisitè mundum. Ego etiam si non omnino refertum sit, sed purum, eo in casu nouam purgationem ad diuersum motum in humoribus, ciendum faciendam suadeo. Quod etsi non tam expresse præcipiant medici, faciunt tamen propter membri nobilitatem, & stricturæ tenuitatem, ac, vt ita dicam, fragilitatem: cum verò ab omnibus Pag. 6. immodicis lædatur, vt in libro de Carnibus, & in obscuro collocandus est æger dum curatur, & in pollinem redigi debent ea quæ immittuntur collyria: solent autem grauari, di- 7. Epidem. pag. 14. cebat Hippocrates, morbi omnes oculorum ad noctem. Purgatio, inquit in libro de Locis in homine, fit quæ attenuet, id est, valida, cuiusmodi cum elleboro, sed quæ nullo modo vomitum cieat, balneum verò, quod Pag. 6. lachrymas vberes ciere possit. Multos autem oculorum morbos defluxu lacrymarum curari, docet ibi Hippocrates: tum magis, si eadem aqua per nares possit purgari, hoc enim melius esse putat. In libro de Veteri medici- Pag. 6. na, concoquendam esse docet, & vt crassescat, hoc autem, postquam materia fluere desierit. Medicamentum tamen illud in fine li- Pag. vlt. bri de Victu in acutis, tametsi bonum sit, Hippocratis non est, vt nec reliqua. Nec te moueat, quòd in septima particula cruruptus Aphorismus in hunc modum adiectus sit: Dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, venæ sectione curato. Rectè enim à Galeno reiicitur: & cum maximè, quòd Hippocrates non soleat de eadem re Post 43. in nostro ordine. duobus modis scribere. Porrò quòd non meminerit vstionis, quemadmodum in libro de Pag. 1. Locis in homine, & de Visu: id factum est, Pag. 2. quoniam vstio longis morbis conuenit: hic autem de doloribus vehementibus agit, qui non adeò sunt insanabiles. Sibiicit autem pro intellectu eorum quæ dicta sunt, in hunc modum: Sanguinis detractio ad quarundam lippitudinum dolores confert. Et cucurbitæ circa venas affixæ: cibus modicus, & aquæ potus: decumbat modò in dextrum, modò in sinistrum latus, procul à fumo & igne. Et loquitur de populari morbo: sed tamen omni oculorum dolori vtile est.

APHORISMVS XXXI.

BAlbi ab alui profluuio maximè capiuntur.


COMMENTARIVS.

Τραυλοὶ Latinum nomen non habent: ψέλλω autē, balbutio: & ψελλισμὸς, & balbuties & ψελλίζεσθαι, balbutire. Balborū fuit famĩ Ciceronis ætate, Romana ciuitate donata à Pompejo, cum esset ex Hispania oriunda. Cuius Cornelius fuit senior tantis opibus, tanquam insigni felicitate, vt in affinitatem Cæsaris transierit, & in ciuilibus bellis ab eo steterit, Pompejo relicto, cui omnia debebat. Et ne quid secundæ fortunæ deesset, nepotem habuit Cornelium iuniorem sui similem. Extatque, vt ferunt, etiam inter rara vetustatis monumenta Romæ domus integra superstes, tantum potest viuum. At τραυλοὶ, solum sunt, qui τρ proferre nequeunt. Quæ verò speciei conueniunt, non verè dicuntur de genere: velut. Si parricidis eculeus debetur: verum non erit, homicidis illum eundem deberi. Neque ergo si τραυλοὶ maximè capi soleant longo alui profluuio, de balbis hoc idem generaliter intelligendum erit: sed de his tantum, qui τρ simul proferre non possunt, nam & ψελλίζεσθαι propriè est p ſ non posse proferre: has vt nimis molles, illas vt nimis duras. Εκ ἀγκυλωσία, etiam quæ est du- Lib. 6. c. 29. ricies, fit ἀγκυλόγλωσσον, linguæ vitium te- Lib. 8. c. 36. ste Paulo Aegineta & Aetio, cum lingua hæret radici, vel adnata, vel ex vlcere obducta cicatrice. Et μογιλαλία, hæsitantia in verbis, velut hi qui ex ira aut timore impediuntur. Fit ergo vitium hoc, vt etiam refert Erasmus Chil. 1. Cen. 6. Adag. 51. in Chiliadibus, σ & ρ, ρ quidem in λ commutant: quo vitio laborasse non natura, sed mollicie referunt Alcibiadem, σ verò in τ mutant: vnde illud, ἡ ψελλὴ οὐ πιτλεύει, pro πιστεύει: id est, balba non credit: cum sonet, Balba non persuadet, non ergo τ & π duræ sunt, sed ρ ac σ, quòd liquidæ plenæ sint, nam λ mollis est alij ergo circa alia elementa collidunt, aut hæsitant. Sunt qui proferre non possunt statim: sed vbi cœperint continuare sermonem, libere loquuntur, acfermè sine

Cap. 16. in fine. impedimento vllo. Aristoteles secundo de Partibus animalium ait: Sermo qui voce promitur, literis constat, quòd si lingua agilis esset & humida, labra autem eiusmodi non essent, maxima pars literarum exprimi non posset: quippe cum literæ partim lingua pro- *Cap. 17. in prin.* ducantur, partim labris exprimantur. Et paulo post: Ad literarum etiam explanationem & sermonis expressionem, lingua mollis, lata & absoluta accommodatior est, quippe quæ contrahere produceret dilatare, denique afformare variè maximè possit. Patet hoc in his, in quibus non satis absoluta est, blæsi enim, & balbi & torti sunt: quod vitiũ, litera- *Cap. 9. in prin.* rũ defectus est. Et rursus in quarto de Historia animalium: Locutio, nõ nisi vocis per linguã explanatio est. Vocales igitur literæ à vocæ & gitture, cõsonãtes lingua & labiis proferuntur, quibus literis omnẽ locutionẽ confici nulli dubiũ est. Quamobrem quibus animantium lingua libera absolutaqae nõ est, ea neque vocem emittunt, neque sermocinãtur: at sonus elidi vel aliis partib. potest. Quòd vt intelligatur, quia perdifficile est, paucis explicabo. Vox est animalium perfectorũ, vt equorum & auium: sermo hominis, & si quæ aues loqui didicerunt. In vtrisque ergo lingua distinguit vocem, quoniam in voce consonantes etiam sunt. Quibus ergo lingua, libera non est, non est sermo, nec vox, quia solas vocales proferre possent, quæ vocem non perficiunt. Voluit ergo ex demonstratione hac vt intelligeremus, & quòd in voce consonantes necessariò sunt, & quòd perfecta animalia consonantes proferunt: & quòd vbi lingua libera non est, vox non est: quæ vt cognoscatur à cognatis animalibus, facta est. *Probl. 30.* Sed ad rem redeo, idem vndecima Problematum: Imbecillitas linguæ non solùm hæsitantiam, sed balbutiem, atque blæsitatem facit: quippe cum blæsitas sit, literam quandam exprimere non posse, eamque non quamlibet, sed certam: balbuties verò, literam prætermittere, vel syllabam: hæsitantia autem, alteram alteri syllabam iungere properè non posse, quæ quidem omnia imbecillitate eueniunt. Lingua enim subministrare intelligentiæ non potest. Itidemque etiam vinolenti & senes magis iuuenibus afficiuntur. Placet autem, vt nominibus Græcis potius vtamur, vt pro blæsitate, τραυλότης: pro balbutie, ψελλότης: pro hæsitantia, ἰσχνοφωνία dicamus. Nam & his vtitur Aristoteles, & blæsitatem non admittit lingua Latina, quando vix blæsum, id est, non perfectè proferentem verba. Est autem vitium commune, ac vox communis prolationi imperfectæ. Hoc ipso differens balbus à blæso, quòd balbus quædam proferre nõ potest aut aliter: blæsus omnia vitiosè, nihil non *Sec. 5. in initio.* potest. Hippocrates secundo Epidemiorum inquit, quòd huiusmodi homines sunt boni. Verba eius: Magni, calui, balbi, gracili voce præditi, boni. Non est intelligendum collectim, tum quia paucissimi tales inuenirentur, videreturque dictum pro semetipso: & quoniam quædam repugnant, vt caluicies, quæ à siccitate fit: balbutei, quæ ab humido abundante, vt videmus. Causam præterea hæc habent euidentem, cum cerebrum sit instrumentum sapientiæ, vtcunque frigidum & humidum fuerit, moderatos, modestos & bonos facit, seu ob distãtiam ergo a corde frigidum fit & humidum, vt in magnis: seu ob resolutionem caloris innati, vt in caluis, qui naturam senilem ante tempus ferunt: seu ob imbecilitatem testium, qui soliti sunt exugere cerebrum, vnde barba: quod declaratur ex gracili voce, seu ob abundantiam humidi, vt in balbis, omnes sunt mites, prudentes ac boni, & certè in pluribus hoc animaduerti. Et Antonius Pezonus Hispanus, vir nobilis, cum aliqualiter balbutiat, optimus vir est, & splẽdidus & liberalis, ac amicitiæ, si quis alius, cultor, ac gratus: præterea etiam cultor bonarum artium. Vnde vitia quę ab humido & frigido contingunt, bonos ac simplices efficiunt: cuiusmodi, quæ dicta sunt. Contrà, quæ à siccitate immodica, aut calore, ferinos rapacesque viros indicãt: cuiusmodi strabi, claudi, gibbi, parui, succi, crispi, atque eiusmodi. Fieri enim traulos ob abundantiam humidi, & quoniam cerebrum immodicè si thumidum, tum ex Aristotelis, tum ex Galeni sententia deprehenditur. In hoc enim vitium incidunt: quoniam, vt Galenus inquit, in proferendo τρ oportet linguam simul & extendi ad dentes anteriores, & dilatari: vnde tum ob duplicem motum, tum quia gracilescere cogitur, imbecillitas primò obstat: secundò humidum abundans, vnde traulos esse necesse est. In hac autem abundantia humidi causam duplicem adesse putat Galenus. Alteram naturalem, quæ efficiat profluuia alui longa, scilicet humidam ventriculi substantiam, quæ eadem est cum tunica ipsius linguæ: humidum autem ventriculum par est consequi longa alui profluuia. Altera causa est, humidum superfluum, quod è cerebro manat, impediens musculos linguæ, ne fungantur officio promptè & peditè, vt par est: simul etiam nerui ipsi, qui ex septimo pari proficiscuntur: atque hi soli exquisitè duri sunt, quemadmodum ait Galenus, ex cerebri neruis: maxima pars *de V ap. [illegible]* autem potest coniunctionem cum sexto pari ex illis, inde separationem linguæ inseritur. Hoc igitur vitiato, vt inquit etiam libro quarto de Locis affectis, motus illius vi- *Cap. 1. pag. 3. & 4.* tiatur, fitque resoluta modò dextra, modò sinistra parte: tuncque inquit, pars cerebri anterior læditur, qua læsa etiam lædi ventriculum eiusdem partis, & cum eo rationem ipsam, necesse est. Quòd consideratione dignum est, at magis, si etiam sensus citra humorem, quem constat ex tertia coniugatione neruorum celebri oriri, vt ibi docet: hi autem admodum molles sunt. Sed illud mirum est, quomodo etiam dentes sapores, inquit, discernunt, sextodecimo de Vsu *Cap. 1.* partium: sicut & omnes aliæ, dicit, oris particulæ. Sunt autem in lingua venæ, arteriæ & nerui, maiores quàm in cæteris particulis: ipsa verò illius caro fungosa, secundo de Alimentis. Et in eius radice duæ glandulæ deci- *Cap. 5.* mo de Vsu partium, in quibus saliua genera- *Cap. 11.* tur. Musculi quoque sine tendonibus, quoniã ij nullũ os mouere debẽt, ideoq; nec tendonib. opus habuerunt: vt primo de Motu musculorũ *Cap. 3.* scribitur. Sunt autẽ musculi illius, vt in libro de Musculorum dissectione tradidit, nouẽ: duo *Cap. 14.* lõgi ac tenues, qui ex beloeideore incipiẽtes, in

in transuersas illius partes inserti, eam in transuersum agunt, reliqui ex hyoeide seu lambdoeide ossibus:& qui è superiore hyoeidis in rectum, sicut qui ex obliquis eius partibus in obliquum. Qui verò vnicus est, bifidus est, & ex superiore parte hyoeidis oritur, nec linguam mouet, sed retrahit os hyoeidis sursum ad maxillam:quo retracto, & quinque musculi, qui ab eo

Lib.1.c.13. oriuntur, & ipsi elatiores euadunt. Vt verò ex Vesalio habetur,os hyoeidis,id est,υ literæ



Græcorum simile, seu lambdoeidis, id est λ simile ita conficitur, vt A A lambdoeiden, B B hyoeiden propriè conficiant, & lambdoeides apicibus fermè tangit belonoeiden seu acus, qui sunt processus ossium temporis: ima verò sedes sub larynge posita est, D litera notata, vt sit hoc os solitarium,& inter ossa velut inter maria Caspium: cuius imum crassum est, parte anteriore tuberosum, posteriore cauum. Primùm igitur par musculorum ex acubus seu belonoeidibus oritur, quod sursum, & ad latera linguam trahit:secundum, ex supremis partibus lambdoeidis: tertium,ex infima sede eiusdem:quartum,ex inferiore maxilla, vbi molares innascuntur dentes,quod linguam inferius contrario motu primorum trahit. Ex menti regione solus ac latus musculus, ab inferiore sede mandibulæ tum crassus ac carneus oritur. Peculiare autem est omnibus linguæ musculis, cum reliqui omnes vnico genere fibrarum contexantur, vt ex omnibus componantur, quem-

Cap.19. admodum Vesalius in secundo libro ait. Est verò vinculum linguæ substratum, latum, quantum ipsa est,atque membranosum:quod si vel tantillum decurtetur, aut longius euadat, & mandendi & loquendi functio impe-

Cap.10. diretur,vt Galenus refert vndecimo Vsu partium. Huic tamen membranæ alio tenui ac membraneo vinculo plus iusto alligari solet, quod in medio constitutum, in infantibus ab obstetricibus vngue duntaxat abrumpi solet: atque hoc vel illo non iam τραυλοὶ,sed blæsi euadunt, de quibus non meminit hoc loco Hippocrates. His igitur tot musculis & tam variè fabricatis, lingua omniformi genere motus distenditur, atque contrahitur,

Cap.3. vt primo de Musculorum motu docet Galenus. Est autem animaduertendum, quòd Anatomici os hyoeidis & lambdoeidis confundunt sæpius, vtroque nomine quod longius est significantes. Fallopius hoc tertium par in homine inueniri tradit, in reliquis

Fol.74. cum Vesalio fermè concors: causa est quòd Fallopius primùm musculum, qui est nonus apud Vesalium, vsque ad os hyoeides extendit. In vniuersum ergo cum ob humidum abundans in cerebro musculi per consensum afficiuntur, par est & omnes partes similiter oris, & vsque ad ventriculum affici: & ideo tales obnoxios esse lõgis alui profluuiis,quoniam breuibus nemo fermè non obnoxius est ob alias causas. Atque ita ex morbo quasi naturali, morbum fortuitum docet, contrario modo ei qui de Eunuchis inscribitur.

APHORISMVS XXXVII.

QVi acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.

COMMENTARIVS.

COntrario hoc vt in priori ex naturali morbosa constitutione incolumitatem, vt etiam superius de Eunuchis, ostendit. Hunc Aphorismum sic Galenus inducit: Pituita acida solet mordere ventriculum,& intestina & excretiones irritare, atque ita redundantiam tollere humorum, inflammationes autem ex illorum abundantia fiunt.quocirca qui talem eructant humorem, ad nullum abscessum sunt facilè parati, multo minus ad morbum lateralem, qui est abscessus sub membrana subcingente costas, at non facilem aditum pituitæ illa membrana exhibet,vt nec humoribus crassis aliis. Ob id,duplici ex causa qui acidum eructant, non facilè abscessu sub costis corripiuntur.Morbus sanè hic biliosos corripere solet,at ructu acido qui laborant, duplici ex causa à biliosi humoris copia absunt. Diximus autem suprà de hoc. Enarrat Brasauolus, lateralem morbum,qui fit à pituita,esse longum:eosque qui ex illo curantur, post sanitatem facilè dolore illius loci corripi: quod ob raritatem membranæ contingit, quæ pituitosum humorem transmittere cogitur, locus etiam ille frigidus, à frigida materia deterius habet. Quod autem Galenus dicit in libro de Aere & aquis,sic se habet: Pleuritides & peripneumoniæ,& febres ardentes, & quicunque acuti morbi putantur, non multum proueniunt. Neque enim fieri potest vt morbi hi vigeant, vbi alui liquidæ existunt. Imò etiam existimant iam fermè laterali morbo prodesse aluum fluentem, iuxta illud: Quibus in febre dolore lateris oboriente aluus multa aquosa ac biliosa egesserit, hi alleuantur. Sed & hoc transtulit Auenzoar ad opus medici, dicens: Concordati sunt medici, quòd in habendo ventrem mollem sanitas conseruatur. Hippocrates in libro de Affectionibus ait, ructum acidum fieri ex pinguibus,caseosis, mellitis, & sesamo paratis:quæ eadem solent gignere repletionem tormen, flatum, bilisque fluxum supernè ac infernè: atque eadem fiunt, cùm quis plus ederit quã concoquere potest. Quare liquet, in huiusmodi hominibus parum transumi ad venas:& ob id etiam rarò in phlegmonas incidunt.Vt in summa dicam,ructus acidus eorum est, qui sunt in defectu:lateralis autem morbus eorum,qui sunt in excessu coctionis.

In expositione pri. Aphorismi huius. *Pag.3.* *In Coacis prædic.Pa.3.* *In c. generali,& de præseruatione ad regem.* *Pag.12.*

APHOR

APHORISMVS XXXIII.

QVicunque calui sunt, his magnæ varices non fiunt: quibus verò caluis magnæ varices superueniunt, ij rursus fiunt capillati.

COMMENTARIVS.

ET hic est eorum, in quibus docet ex mala naturæ constitutione securitatem à morbo, vt in præcedenti: sed hoc habet plus, quòd etiam morbum, curam esse morbi indicat. Diximus autem suprà, quòd de vera caluicie, non solo defluuio capillorum caluiciei simili hîc loquitur, tum in Contradictionibus. Sed qui culpant Hippocratem ex hoc, non intelligunt illum, nam caluicies duplex est, vera etiam dico. Vna, quæ fit senectutis vitio, & hæc est insanabilis, vt etiam reliqua, quorum causa est senectus, non quia talia illa sint. Alia, quæ est ob aliam causam, quæcunque illa sit, arte quidem insanabilis, à natura tamen sanari potest. Quomodo autem hoc deprehenderit Hippocrates, nec Galenus nec alius vspiam intellexit, cum nemini qui verè caluus esset, videret varices magnas contingere, nam post defluuium capillorum, etiam adueniunt: aduenientibus autem varicibus solui caluiciem animaduertit: veram caluiciem ex hoc, non ementiam, & pro capillorum defluuio acceptam solui cognouit: contraria enim contrariorum sunt auxilia, quod delet varices, est caluicies, non defluuium capillorum, igitur varices contrariæ sunt caluiciei. Aduenientibus igitur varicibus, caluicies soluitur. Et hoc est vnum eorum quæ à natura fieri posunt, non ab arte. Velut restitutio luxati ossis arte fieri potest, non autem à natura. Ergo caluiciem propriè accipit, cessatque prima accusatio. Secunda, quòd caluiciem sanari posse dicat Hippocrates, demiror de Galeno, qui tam inconsultè hæc prodiderit: imò non miror, est enim illi consuetum, negantem propositionem quomodo probabit? aut si probare potest, quare non probat? sufficit enim illi dicere aduersus Hippocratem, Ita est. Quænam potest caluiciei esse talis causa per se (dico per se, vt senectutem excludam) quæ caluiciem faciat insanabilem? humor malus tolli potest, siccitas cutis potest humectari, astrictio illius potest aperiri. Nascitur plus in cicatricibus casu vel violento ex medicamento, cur non in caluicie? Deficit humor, cur ergo non totum caput, sed partem duntaxat anteriorem, neque totum neque à lateribus occupat? cerebrum, vt inquit dehiscit. Quæ fabula: etsi antè dehiscit, cur nec post, nec à lateribus? Vna ergo est causa, quòd in senibus humidum est consumptum, nec restitui potest, ideo non possunt sanari: at in aliis restitui potest, igitur sanari possunt. Tertia accusatio, caluis magnæ varices fiunt: nec est verum, non fieri. At miser videt, quòd legi debuit diuisim, coniunctim legit, & Hippocratem prorsus stultum facit. Nam dicit Hippocrates: Caluis vel non accidunt magnæ varices: vel si accidant, caluicium soluitur, at Galenus ita legit: Caluis nunquam accidunt magnæ varices: & si caluis magnæ varices accidant, caluicium soluitur. Quid opus erat dicere, Et si accidant varices, caluicium soluitur: si caluis varices accidere non possunt? Decepit illum modus loquendi Hippocratis, quòd non interponat, ἢ ita vt legatur hoc modo: Quicunque calui sunt, his magnæ varices non fiunt: vel, Si caluis magnæ varices fiant, capilli renascuntur. Quarta accusatio, quæ tertiam interimit, est hæc: Falsum est quòd, si caluis varices magnæ fiant, capilli renascantur. Quomodo hoc probas? cur non aliquem adducis in medium caluum cui cum varices magnæ acciderint, caluus tamen manserit? An vis hoc solo credi tibi, quòd caluicies sit morbus insanabilis? at de hoc ipso est tota quæstio. Oraculum reuelauit, quale? Auctoritas, cui maior quàm Hippocrati? Ratio, quænam? Experimentum non adducit. At per caluiciem intelligo, quibus non renascuntur capilli: sic omnia obtinebis. Pauper nullus ditabitur: per pauperem intelligo, qui nunquam diues futurus est. At tu me dicis conniuere? facile. Nullus est morbus, qui toto genere sit insanabilis: non carcinoma, non tabes, non elephantiasis, quomodo vis vt morbus in capillis toto genere sit insanabilis? Deinde, cur non explicasti, in quo tua hæc caluicies à defluuio capillorum distinguitur: vt intelligeremus quid hoc esset quod posset sanari, & quod non posset: Caluicies, dicis, est profluuium capillorum omnium, falsum est, nam multis senibus aliqui relinquuntur capilli in ipso loco: & necesse est vt saltem per initia calui aliquos habeant capillos, si non toti simul excidere debeant: quod est monstro simile, quibusdam etiam, quibus omnes exciderunt, renati sunt: non igitur caluicies. Caluicies, dicit, à siccitate fit, vt secundo de Temperamentis: sed defluuium ex humorum prauitate. Verùm primò de Compositione pharmachorum secundum locos, proponit auxilia ad caluiciem. Idem in principio dubitat, an caluicies ab initio sit sanabilis, an non? Quod tandem non est sanabilis, dicit, quia à siccitate prouenit: at defluuium sanari potest varicibus, quia humores praui ad contraria deferuntur. Nihil minus, ecce ruditatem, non est hic error in verbis, sed in re. Non hoc vnquam cogitauit Hippocrates, Hæmorrhoides fluentes, vlcera crurum, purgationes narium, longè magis diuertunt à capite: nec tamen de vllo horum dixit Hippocrates, nec experimentum docet, quòd caluis capilli renascantur: sed ob retentionem & collectionem terrei humoris circa genitalia nascuntur capilli caluis, vt etiam in retentione mensium mulieribus quandoque barba, vt sexto Epidemiorum. At quod maius miraculum, caluis capillos nasci, an mulieribus barbam? qualem ego vidi. Fit ergo ex retentione & collectione terrei humoris circa pudenda, non distractione: qui etsi purgaretur, non his humor educeretur qui corrumpit radices capillorum, nempe salsa pituita, sed alius.

Aphor. 27. *Lib. 3. contrad. 13.* *Cap. 6. iuxta medium.* *Cap. 7. Sec. 1 iuxta med. & c. 1. Se. 1.* *Cap. 1. S. 1.* *Par. 8. in fine.*

APHORISMVS XXXIV.

AQua intercute laborantibus tuſsis ſuperueniens, malum.

COMMENTARIVS.

QVàm ridicula ſit rurſus expoſitio Galeni hac in parte, vt velit Hippocratem loqui de ea tuſſi, quæ ſuperuenit aqua iam ingreſſa arterias, non eſt vt dicam, cum vel puero hæc patêre poſſent. Primùm, quid abſurdius quàm malum vocare, quod lethaliſſimum eſt? Deinde, quis eò peruenit vnquam vt in aſperas arterias aqua permeet, ſuperato ſic ſepto tranſuerſo, vt totum obruatur, & immobile reddatur, & ſtatim ob id homo ſuffocetur? Et quis hydropicum aquam expuere vidit? Nonne prorſus hæc anilibus fabulis ſunt ſimilia? Itaque neque ſi dicat Hippocrates lethale, verum dixerit, cum nemo eò vſque perueniat, vt aqua in aſperas ingrediatur arterias: in lethaliſſimo autem morbo dixiſſe malum, longè abſurdius. Hęc ſunt Galeni vitia, aliò manum, aliò mentem, dum ſcriberet, applicantis, adeò vt in re clariſſima & nullius negocij etiam caligauerit. Inquit igitur Hippocrates ſecundo Prædictionum, eum qui ab aqua intercute correptus eſt, ſi ſuperſtes eſſe debeat, oportet bonis viſceribus eſſe præditum, ita vt natura ſe exerat, ſimulque facilè concoquat, & bene ſpiret, ſitque ſine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum. Melius eſt autem, vt tumores habeat in extremis partibus. Optimum verò eſt, neutrum horum habere, nam molles ac graciles conuenit eſſe extremas partes: itemque ventrem ad contactum mollem. Tuſſim verò adeſſe non oportet, neque ſitim, neque linguam reſiccari: tum reliquo tempore, tum poſt ſomnos, quando hæc valde fieri ſolent. At cibos libenter accipere oportet, & cum quantum ſatis eſt, comederit, non affligi, aluum autem ad medicamenta celerem habere, & reliquo tempore recrementum egerere molle efformatum. Vrinam autem apparere conuenit pro potuum ratione, & vinorum mutatione, tranſitioneque: laborem quoque facilè perferre oportet, & laſſitudinis eſſe expertem. Optimum autem eſt, ſi horum nihil deficiat, ſecuriſſimè enim reſtitui poterit ſanitati. Si plurima autem ex his habeat, ſpes etiam eſt: ſi nullum, ſed contraria, is deſperatus eſt. Si pauca bona, exigua ſpes. Cum ergo inter tot ſigna tuſſim reponat, lethale non eſt ſignum, ſed malum. Indicat enim creuiſſe aquam, & corruptam eſſe, adeò vt vaporibus & conſenſu qualitatis læſus pulmo ad tuſſim excitetur, non quòd aqua ipſa eò vſque attingat.

Pag.4.

APHORISMVS XXXV.

AB angina habito, ſi tumor fiat in collo, bonum.

COMMENTARIVS.

VErba illa, Foras enim morbus deducitur, tametſi veriſſima ſint, & cauſam dicti reddant: Hippocratis tamen grauitate indigna ſunt, & reliquis ſententiis imparem continent ſenſum. Diximus autem ſuprà de hoc: nunc quod reliquum eſt doceamus. Videtur primùm inconſtans ſermo Hippocratis in libro Prognoſticorum, cum inquit: Anginæ quæ ſimiliter dolorem exhibent, attolluntur autem, & in faucibus rubores faciunt, pernicioſæ quidem valde ſunt, verùm prioribus magis diuturnæ, ſi rubor fuerit magnus. Quibuſcunque verò fauces & ceruix ſimul rubræ fiunt, hæ anginæ diuturniores ſunt: & ex ipſis euadunt maximè, ſi & ceruix & pectus ruborem habuerint, & eryſipelas ignis ſacri non intro recurrerit. Videtur ergo non ſufficere, quòd materia extrà protrudatur ad ceruicem, ſed exigit vt rubor ad pectus vſque extendatur. Sed dicendum, non hic ſolum de rubore, ſed tumore loqui Hippocratem, qui rubore ſecurior eſt. Sed ſi quis animaduertat illius dicta, quatuor conſtituit genera expulſionis, ab intus extrà. Primum, cum nullo manifeſto rubore, nec tumore, nec extrà, nec in faucibus, pòſt apparet rubor in eiſdem, tunc morbus protrahitur: ſed tamen æger perit. Hic dubitandum eſſet, an poſſet dici ſignum bonum, cum mors producitur, nihilominus æger moritur? Dico, quòd Hippocrates hoc ſignum non appellat bonum, quia ipſe non eſt captioſus: & ridiculum eſt dicere ſignum bonum, quod mortem ſignificat, eſt enim, vel dici poteſt minus malum. Secundum eſt, cum fauces (intus enim eſſe dicuntur reſpectu cutis, & quia non tanguntur ab aëre, & extrà comparatione ſpinæ dorſi, circa quam iacet anginæ materia) & ceruix rubræ ſunt, & hæ ancipitis ſunt iudicij, & non tamen ſecuræ, nam ob materiæ abundantiam & partes illius minus prauas, pars etiam ad ceruicem detrudi poteſt abſque naturæ magno robore. Hic tamen modus eſt ab intus extrà, partim primo modo, partim ſecundo. Tertium eſt, cum rubor extenditur ad pectus, & ita non ſolùm extrà ſecundo modo, ſed etiam procul materiæ portio truditur. Atque hic modus proximus ſecuro eſt, non tamen ſecurus prorſus: quoniam & robur virium, & multitudinem materiæ decernit. Quartum ſignificatur per illa verba, Et eryſipelas ignis ſacri non intrò recurrerit. Et eſt, cum tumor apparet in collo, & fit tertius modus expulſionis foràs, ſcilicet materiæ ipſius: & eſt ſignum bonum, vt hic etiam in textu, non tamen eſt omnino tutum. Quintum genus, quod eſt per ſe manifeſtum, & eſt quartus modus expellendi, vt ceſſante dolore & difficultate omni, circa guttur ceruix tumorem contrahat, hoc enim eſt

Aphor.24. Pag.9.

est signum prorsus securum. Ex quo patet, quàm sicco pede Galenus, & qui eum secuti sunt, tam pulchra documenta prætererierint. Et si quis dicat, quòd hæc sunt explicata tertio Prognosticorum: Dico primùm, quòd non vt debebant: deinde quod spectabat ad illum tamen ex eo loco traducere ad hunc, vt Aphorismus planè posset intelligi, vel melius erat omnino non exponere, quàm sic exponere, nam Exterius trifariam dicitur: vel extra intima, vt in fauces: aut extra corpus ad cutim, vt in collo: vel procul, vt vsque ad pectus. Et vnusquisque modus bifariam dicitur: vel etiam materia expellatur cum tumore, vel solum vt color diffundatur. Et rursus quilibet bifariam: vel vt relinquat priorem locum, vel vt remaneat etiam in illo. Et vnusquisque etiam bifariam rursus: vel vt simul protrudatur in vtrumque locum, vel vt prius materia intus consistat, inde extrà trudatur. Vt materiæ, quæ truditur extrà, sint vigintiquatuor modi. Sunt præterea alij modi, de quibus dictum est aliàs, & tanguntur ab Hippocrate loco adducto, cum intus ex loco in locum propellitur.

Quibus visis, considerandum in phlegmone erysipelatode faciei, qui morbus est quasi endemius ciuitati nostræ, an conueniat sectio venæ, atque purgatio? huiusmodi enim in vsu sunt apud illos medicos. Et videtur quòd non quoniam vtrumque horum auxiliorum trahit ab extrà intus, ideo malum est: & tum maximè, quoniam adest tumor exterius. Opponunt ipsi, quòd multi breui sanantur his auxiliis, quos certum est in longum producendos sine his: quandoquidem nullus breui sanetur, si nihil horum agas. Forsan etiam perituros. Deinde quòd febris vehemens adest, & continua & sanguinea, quæ indiget venæ sectione, vt apertè habetur nono Artis curandi. (*Cap.4.& 5.*) Præterea in his apparent vigiliæ, dolor capitis atque delyrium si ergo nec purges, nec venam seces, periculum est ne in abscessum cerebri deueniant, nam materia illa non tam repit ad faciem, quàm ad totum caput, vt indicant Symptomata. Dictum etiam hoc Hippocratis intelligendum esse de motu ad extrà, cum iam materia fuerit intrà: sed in hoc morbo non prius fertur intrà, inde extrà, sed simul intrà & extrà. Respondeo, quod oportet distinguere. Vel enim materia fertur solum extra, (*Apho.24.*) & sine vllis symptomatibus: & tunc adhibendæ sunt cucurbitulæ, vt dictum est suprà. Vel iam intus erat, & forâs transmittitur, & fit tumor magnus: & tunc eodem modo solum adhibendæ sunt cucurbitulæ, & purgandum, vt ibi diximus. Aut materia fertur simul intus & extrà, vel ab extrà intus, & eo in casu considerandum est an sit materia pestilens: quod dignoscitur ex multitudine pereuntium, & tunc est etiam reuellenda cum cucurbitulis, ratione dicta in decimo (*Contrad.70.*) Contradicentium, dando alexipharmaca lenientibus, si ea necessaria sint, iuncta. Sed si materia pestilens non sit, & hoc modo feratur, aut etiam feratur solum extrà, sed adsint indicia copiæ magnæ sanguinis, aut febris sit vehemens, aut magnitudo caloris: tunc quod est in venis curam postulat, & ideo sanguinem mittere oportet. Et quoties in huiusmodi casibus mittere sanguinem conuenit, manifestum est quòd magnam copiam detrahere oportet, nam sanguinis detractio in huiusmodi casibus non conuenit ratione motus, sed damnum affert: igitur oportet tanto magis detrahere, vt noxæ motus per quantitatis diminutionem satisfaciamus. Qui ergo parum detrahunt, omnino damnum in quouis casu afferunt. De cucurbitulis autem manifestum est, quòd non in loco phlegmonis, sed propè sint affigendæ, velut in spatulis aut maxillis, non tamen prope guttur in ceruice, ob anginæ periculum, maximè verò in humeri & brachiorum parte superiore, meliores enim sunt quàm in spatulis: quanquam & illis, ob magnitudinem morbi, & instans periculum, affigere cogimur.

APHORISMVS XXXVI.

Carcinomata occulta omnia non curare melius est, curati enim citò pereunt: non curati verò, longius tempus perdurant.

COMMENTARIVS.

Non cancri, qui sunt vlcerum corruptiones, vt à Celso: (*Lib.6.c.16.*) Si quando autem vlcera oris cancer inuasit, considerandum est, num malus corporis habitus sit, deinde ipsa vlcera curanda, quòd si in summa parte id vitium est, satis proficit ἀνθηρῷ. Et rursus inquit: Timuæs autem ad ignem sacrum vel ad cancrum. Et rursus: (*Lib.5.c.22. titulo Timai compositio.*) Hæc citra cancrum sunt, qui cùm in reliquis partibus, tum in his quoque vel præcipuè vlcera infestat. (*lib.6.c.18. Sec.3 lib.5. c.26. Titulo de vulneribus.*) Clarissimè tamen ibi: Omnis autem cancer non solùm id corrumpit, quod occupauit, sed etiam serpit. Deinde aliis atque aliis signis decernitur, nam modò super inflammationem rubor vlcus ambit, isque cum dolore procedit: ἐρισιπέλας Græci vocant, modò vlcus nigrum est, quia caro eius corrupta est. Carcinoma autem est verè, quod Græci, & hoc in loco Hippocrates καρκίνον vocant, dicente Celso rursus: (*Lib.5.c.28. Sec.2.*) Carcinoma fit maximè in superioribus partibus circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum. E iecore autem aut splene hoc nascitur, circa locum aliqua quasi puncta sentiuntur, isque immobilis atque inæqualis tumet, interdum etiam torpet. Circa eum inflatæ venæ quasi recuruantur, hæque pallent aut liuent: nonnunquam etiam in quibusdam delitescunt, tactusque is locus aliis dolorem affert, in aliis dolorem non habent. Et nonnunquam sine vlcere durior aut mollior est, quàm esse naturaliter debet: nonnunquàm iisdem omnibus vlcus accedit. Interdumque nullam habent proprietatem, interdum simile his est quæ vocant Græci κονδυλώματα, asperdine quadam & magnitudine sua, colórque eius ruber est, aut lenticulæ similis, neque tutò fertur: nam protinus aut resolutio neruorum

vorum aut distentio sequitur. Sæpè homo ictus obmutescit, atque eius anima deficit. Quibusdam etiamsi idipsum pressum est, quæ circà sunt, intenduntur & intumescunt. Ob quæ pessimum id genus est, feréque primùm id fit quod κακοήθης à Græcis nominatur. Deinde ex eo id carcinoma, quod sine vlcere est: deinde vlcus, ex eo thymum. Tolli nihil nisi κακοήθης potest, reliqua curationibus irritantur. Et quo maior vis adhibita est, eo magis quidā vsi sūt medicamentis adurentibus. Quidam ferro adusserunt, quidam scalpello exciderunt. Neque vlli vnquam medicina proficit, sed adusta protinus concitata sunt, & increuerunt, donec occiderent. Excisa etiam post inductam cicatricem tamen reuerterunt, & causam mortis attulerunt: cum interim plerique nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent, sed imponendo tantum leuia medicamenta, quæ quasi blandiantur, quo minus ad vltimam senectutem perueniant, non prohibentur. Discernere autem κακοήθες, quod curationem recipit, à carcinomate, quod non recipit, nemo scire potest, sed tempore & experimento. Hæc non tam volui adduxisse, vt declararem καρκίνον apud Hippocratem, esse carcinoma apud Latinos: sed quoniam tam bellè Celsus hunc locum explicat, vt parum ad interpretationem, & veritatis demonstrationem addi possit: nisi quòd videtur vnū atque aliud dicere, atque in primis κακοήθην facere speciem carcinomatis cum vlcere, postremo diuersum quippiam, sed facit κακοήθην proculdubio carcinoma esse, non tamen vult omne vlcus κακόηθην esse carcinoma, sed omne carcinoma cum vlcere, licet dicat quædam esse κονδυλώματα id est flexis digitis in pugnum similia, κακοήθη appellat. Discernere ergo κακοήθας à carninomatibus κακοήθοις, quæ prorsus sunt insanabilia, cum illa sanari, etsi difficulter *Apho.25.* possint, non possumus. Patet etiam ex hoc, quòd per curare intelligit, quod dictum est suprà ferro vel igne. Præterea verba illa. Curati enim citò pereunt, & reliqua: indigna sunt Hippocratis breuitate. Constat sanè, referente Galeno, non fuisse in codice Artemidori & Dioscoridis, cum per se ex illis prioribus sunt manifesta. Si enim melius est non curare, clarum est quòd non ob aliud, quàm quòd celerius perimunt. Sed si modò admittamus ea. Curati enim citò pereunt: omnino alia quæsequuntur, Hippocrate sūt indigna quamobrem existimandum est, ab aliquo in margine adiecta, inde textui iuncta. Mouet præterea Galenus triplicem difficultatem. Prima est, postquam in intimis partibus curati citius ad mortem perducunt, & non solū in intimis, sed etiam in palato & ano, & muliebri vulua, dubium est, si in superficie corporis extent sine vlcere, dicantur occulta, atque ita curari non debeant. Secunda, si vlcerata sint, nec possint cum radicibus auelli, an præstet curari? Tertia, an dato quòd possint auelli ex toto cum radice, an curari debeant? nam refert, claros medicos huius esse opinionis. Videtur autem de non vlceratis omnibus intelligere Hippocratem, quoniam ea operatio multùm excruciat & debilitat ægrotantem, nec finit morbum, cuius sedes est in iecore: igitur noxia est, quæ ratio videtur etiam concludere de omnibus generibus carcinomatum. Et si quis dicat, quòd possunt curari membra, ex quibus originem ducit, vt quartodecimo Methodi. Sed *Ca.9. inde in fine capitis.* & vlceratorum & non vlceratorum videtur velle admittere curationem, cum dixit: Cæterùm si quando carcinoma per chirurgiam curare audebis, cœpisse quidem ab vacuando per purgationem melancholico humore oportebit: vbi verò totum quod vitiatum est, prorsus excideris, sic vt nulla supersit radix, sines effluere sāguinem, nec properè cum inhibebis, imò prmendo potius quæ circum sunt venas, exprimes ex his crassiorem sanguinem. Et septimo Epidemiorum: Cui carcinoma in faucibus exustum est, à nobis sanus *Pag.21.* euasit. Antonius quoque Castellioneus, patricius Mediolanensis, paternus amicus, cum ex calli curatione per alliū impositum in carcinoma digiti minoris pedis dextri incidisset, præciso digito planè sanatus est. Respondeo, nulla carcicomata debere curari per ignem vel per ferrum, nisi quæ iam vlcerata sunt, & abscindi omnino cum sua radice possunt, & aduenerunt ex mala cura: & talia si curentur, sic celerius sanantur: sed omnia eiusmodi etiam sine præcisione curari possunt purgando exquisitissimè, & super vlcus, aut etiam si vlceratum non sit, apponendo medicamentum Plinij secundi: Thyrsum & folia viridia cucubi herbæ cum duplo herbæ pastelli tundes, & cum panis medulla in formam emplastri redige, & frigidū impone manè & sanè. Est autem pastellus herba, quæ ex vna radice prodit, & in quatuordecim aut plures ramos spargitur super terram. Est è genere, imò ipsū polygonon masculum, carcinetris vocata ob id: quanquam Plinius addubitauerit, quòd *Lib.27.c.12.* masculum quodue fœmina sit in hoc genere. Iuuat sanè hoc: quanquam non ignorem contrà Plinium intellexisse carcinoma ac debuit à Celso, causāque aliis præbuerit erroris. Hippocratis dictum & experimentum Castellionei de κακοήθοις vlceribus, quæ carcinomatibus similia sunt, intelligendum est, vnde Celsus imponi iubet his acria medicamenta. At non ex vlcere, sed duro abscessu, verum oritur carcinoma: ex vlcere autem malè curato, κακοήθης similis carcinomati. Galeni verò sententia vel ad breuiorem curam respicit eorum, quæ etiam sine chirurgia curari possunt: aut si modò aliqua sic curari posse existimat, quæ non secus possent, reuertuntur tamen. Vnde Dominicus Senus, chirurgus Patauinus, amicus meus, narrauit quendam, fuisse peregrinum, qui circuiret vrbes, & carcinomata curabat, præscindendo oliuæ surculo in aciem formato, oleoque chalcanti illito, qui conualuerunt: omnibus tamen post annum vel biennium rediit morbus, qui sanari non potuit. Hippocrates tamen hoc cum non dixerit, qualemcunque vitam meliorem laudat. In profundis autem multa est melior vita ex curatione. Quinimò in illis blandiendo, & in aliis curando interim filij nasci possunt, ac superuiuere, non vt in tabificis, quorum filij non superuiuūt, aut omnino ægerrimè, nā puella Hieronymi Tiboldi superuiuit in interuallo

siccati vlceris genita, licet ægrè: non sic in carcinomate, at nos omnes quid aliud agimus quàm vitam trahere? Quæ autẽ iuuant, præter dicta in carcinomate, sunt, succus solani in plumbeo mortario, ficus valde pingues, & cancrorum fluuialium cinis. Oritur ex atra bile, scilicet exusta, vt apud Paulum libro quarto. Et ob id in rarioribus corporis partibus, vt mulierum mammis, præcipuè suppressis mensibus. Idem libro sexto Hyppocratem interpretatur, generaliter per occulta carcinomata, exponens etiam quæ in corporis sunt superficie, modò non vlcerata. Cum igitur ex atra bile gignantur, vsus cancrorum in lacte asinino coctorum, & raparum, & origani orientalis, atque epithymi præseruat, & cum eodem lacte Theriaca. Et oleum rosaceum cum eodem lacte extrinsecus appositum cõducit. Aetius verò vlcerata curare docet ex Leonida. Et dolor eius qui est in mammis, similis est morsibus canum.

Cap. 26.
Cap. 45.
Lib. 26. c. 45.

APHORISMVS XXXVII.

Conuulsio fit ex repletione, vel ex inanitione: ita verò & singultus.

COMMENTARIVS.

Galenus docet rectè conuulsionem fieri, vi quadam trahentibus neruis, ipse putat ad principium retrahi: sed vtrumque contingit, scilicet vt & contrahantur, & vt cerebrum trahendo conuellant, vnde conuulsio dicta est. Sed & id rectè, quod velut in fidibus & à siccitate & humore imbutæ, sponte disrumpuntur, factæ breuiores ab vtraque causa. Impletæ enim liquore dum dilatantur, breuiores fiunt: atque id perspicuum, sed cur ex siccitate idem contingat, cum sensui, dum ad ignem coria exponantur, pateat, ratione non est adeò compertum, beneque fecisset Galenus inter tot quæ scripsit docere. Dicamus ergo, quòd quæ siccantur, primùm flectantur, ideoque cum recta sit breuissima ab extremo ad extremum, vt Euclides docet: inflexa ergo breuior euadet, itaque si extremis contineatur, disrumpetur. Hæc autem plana sunt Geometris, aliis contrarium inferre forsan existimabuntur. Filum enim rectum si flectatur, breuiore spacio capita illius distabunt. Et licet tensum sit quod siccatur, dum siccatur: flectitur tamen calore, ad se quod propius est humidum trahente. Alia causa est, quòd humidum dum extruditur, foramina quæ illud continebant, concluduntur, eo quòd aer non potest ingredi ob humidum, quod adhuc adest, quare sublatis locis vacuis, necesse est, quod siccatur, decurtatum euadere.

Est autem conuulsio motus quidam, quia attractio, sed duplex alius occultus, & tunc distentio vocari solet, cuius triplex est genus: Emprosthotonos, in anteriora: opisthotonos, in posteriora: & tetanos, in vtranque partem. Quinta enim Aphorismorum τετάνον, vertit distentionem, Differentiam autem esse inter vtrumque apparet quarta aphorismorum: ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος, λύει τὸ νόσημα. Hippocrates ergo conuulsiooem solum appellat eam, quæ familiaris est pueris, quæque cum motu fit manifesto, & est vitium cerebri neruos contrahentis: τετάνον autem, distentionem in neruis. Vnde clarum est, Galenum confudisse duo morborum genera in vnum: cum neque causa vna sit, nec forma, nec exitus. Quippe conuulsio celerius soluitur, & occidit: distentio autem difficilior est morbus, & non potest, vt conuulsio, in longum protrahi. Ergo de conuulsione ripsa agamus, de qua in primis quinque Aphorismis quintæ Particulæ egit, considerantes, quod cum videatur fieri ex quinque causis, duodecimo Artis curandi, Repletione, erosione, frigore, siccitate atque inanitione: clarum est, quod dixit causas remotas, non propinquas, vt Hippocrates, nam siccitas per se, & frigus & erosio ad inanitionem referri debent. Cur ergo & non dolorem connumerauit, & metum, & vermes? vt fiant propemodùm causæ infinitæ. Frigus enim, eo teste, si modo frigus conuulsionem facere potest (quin potius facit distentionem) astringendo exprimit, & facit inanitionem, erosio quoque eodem modo. Sed forsan hæc somnia sunt, cum distentionum hæ sint causæ, non conuulsionis. Hucusque verò, cũ clarissimè Hippocrates locutus sit, Galeni error processit, vt puerorum affectui tam vulgari, quem Hippocratem conuulsionem appellare haud dubium est, non audeamus nomen imponere: atque id, quoniam existimamus conuulsionem esse distentionem, non tam quod Galenus in hoc erret, quàm quòd perplexè loquẽdo, & vnum sæpe pro alio contra Hippocratis doctrinam accipiendo, confusionis causam manifestam attulerit. Est ergo distentio morbus per se proprius neruis, non cerebrò: cumque nunc distenditur neruus, idẽ contingit, vt bene dicit Galen. tertio de Locis (sed vt dixi, de distentione, non de cõuulsione debet intelligi (vt velut in planta vno ramo vehementius attracto trahitur caudex: ita attracto vno neruo vehementer, aut tota medietas anterior vel posterior vel vtraque trahitur. Ergo conuulsio morituris & pueris familiaris est: in morituris siccato cerebro, & tũc impossibile est vt prorsus sanetur: at distentio cũ non in cerbro siccitas vigeat, properè cataplasmatib. & vnctionibus humectãdo, quanquam rarò, nonnunquam tamen sanatur: conuulsio autẽ quæ in pueris fit, ab humido replente semper fermè fit, & à superueniente febre nonnunquam liberatur: nonnunquam ob nimiam repletionem, & maximè statim à febris initio augetur, & occidit. Et distentio quidem iuxta Galenum (sed ille, vt dixi, confundit cum conuulsione) fit in musculo & in neruo, vt quarto de Differentiis pulsuum habetur: in neruo quidem ratione originis detrimenti, quo cerebrũ trahit, & diuisionẽ: in musculo autem, quo ad sensũ & attractionis ratione. Et licet conuulsio ex siccitate, sit species eius quæ ab inanitione est: tamen longè deterior, quia siccitas solidas etiam partes euacuat à proprio humido. Est etiam notandum, quòd distentio

De Diebus Iud. c. Pag. 2
Cap. 6.
Cap. 3.

distentio sæpe sibi associat, cum confirmata fuerit, conuulsionem: nam diuulsio cerebro fit conuulsio, conuulsio etiam aliquando, transmutata materia quæ in cerebro erat, parit distentionem: nec tamen sunt idem morbus, vt nec angina & lateralis, qui tamen inuicem transmutari solent: aut hectica & putrida, exemplo propriore, cum vna in aliam mutata non cesset reliqua. Contingit autem conuulsio frequentius in neruis cerebri, & anteriore parte, quod laxius ibi sit cerebrum: distentio verò in neruis à spina exorientibus. Nam nerui musculis non inserti, non possunt mouere, ob id quod non habent proprium instrumentum, nec tendere membrum ob molliciem: ideò conuulsio maxima viget circa faciem, distentio in membris magnis: conuelluntur tamen & manus & pedes, quando materia adeò vexat spinalem medullam, vt contrahat neruos. Erunt ergo conuulsionis duo genera. Vnum, à cerebro: aliud, à spinali medulla, & totidem distentiones, cum tenduntur nerui & musculi, orientes à cerebro: & cum tenduntur nerui, orientes à medulla spinali.

Ex hoc quærendum est, cur omnis conuulsio fit cum motu, non autem distentio nisi occulto? Et respondeo, quòd conuulsio cũ sit affectus in cerebro nimis repleto, vel nimis exiccato, vel in spinali medulla, contrahitur principium, sed non potest diu permanere cõtractũ ob neruos vicissim retrahẽtes: qui cum sint duri & carni alligati per longum spacium, non possunt diu manere contracti, ideo fit vicissitudo ergo motus. Nec contrahi existimes totum cerebrum aut medullam, sed partem solam, neruo qui contrahitur propinquam. Igitur cum nerui ferant distentionem, non sic ibi motus: & etiam quia nerui toti conuelluntur, non sic in cerebro: sunt enim nerui res parua & gracilis in comparatione ad cerebrum. Ideo distentio cum interficit, gignit conuulsionem: conuulsio autem non sẽper (etsi interficiat) distentionem. Motus ergo pinnarum nasi, cum immodicè dilatantur, prænunciat cõuulsionem, vt habetur libro de Ratione victus in acutis. Vbi nescio quo modo Galenus reprehendit Hippocratem, dicẽs quòd motum conuulsorium appellat conuulsionem: imò conuulsio nihil est aliud quã motus ille, vt dixi, nam quæ affectio sine motu est, distentio dici solet. Igitur operæ precium magis fecisset docere, cur in ampla illa dilatatione, qua multus aër è naribus exsufflatur, conuulsio originem ducat: neque enim Hippocrates dicit eam dilatationem esse cõuulsoriam, sed conuulsionis futuræ indicium: id verò contingit iam concalefacto cerebro: vnde diu perseuerante calore, siccitas succedens conuulsionem parit. Ita etiam vigiliæ & dolor capitis vehemens, mortis cum conuulsione, non distentione, indicia sæpe sunt.

Pag 17.

In quo verò differant conuulsio & distentio à resolutione, nunc dicendum est, nã resolutio est omnino sine motu, & nerui elongantur, & non fit nisi à repletione. Sed conuulsio & distentio fiunt ab inanitione etiam, quanquam illud de inanitione ad distentionem non extendatur, secundum Hippocratem, & credo esse commentum Galeni: vix enim possum imaginari, distentionem neruorum posse fieri ab inanitione: quandoquidem quid est quod debeat homini alioqui sano adeò exsiccare neruum, vt distendi ipsum necesse sit? humectari enim primo principio consentaneum est Ergo in duobus tantum resolutio à distentione, in tribus à conuulsione differet. Sed à distẽtione etiam differe dolore: à conuulsione autem non differt, cum conuulsio sine dolore nerui prorsus fiat. Ergo dicemus, quod cõuulsio differt à resolutione in tribus, quòd cum motu sit, & contractione, & quòd ex inanitione contingere possit: distentio à resolutione in tribus, quòd cum motu sit, & contractione & dolore, quorum nullum est in resolutione, at conuulsio à distentione in totidem. Nam conuulsio est cum motu manifesto, & sine dolore, & à siccitate fieri potest: distentio cum motu occulto, cum dolore, nec à siccitate fieri potest. Quibus omnibus quarta differentia addatur, quoniam in conuulsione cerebrum per se afficitur, in distentione per consensum solum: sed in resolutione nullo modo, sed soli nerui sunt affecti. Solum illud dubitatione dignum relinquitur, in quo differat distentio à resolutione, cum vtraque affectio ex repletione contingat? Dices: In resolutione neruus extenditur, & sine dolore: at distentione contrahitur, & quandoque cum dolore, enim semper, nam multo distentos alios opisthotono, alios tetano interrogaui, qui nutu, alij submissa voce dixerunt, se solum sentire distentionem, inter quos Christophorum Bolatum, non tamen semper fit sine dolore, saltem præcedente. Vera refers: sed cur hoc contingat quod dicit, quæro? quòd cum in vtraque affectione neruus repleatur, in vna contrahatur, in altera extendatur, nam de dolore causa per se manifesta est, cum contractionem extensam per vim dolor aliquando sequatur. Rectè fecisset mehercle, si talium aliquid explicasset Galenus, & non in manifestis adeò tanta ad fastidium scriberet. Hoc verò etiam in fidibus cernimus, humectæ enim aliquando inflantur, & sonum acutiorem edunt, quandoque extensæ remittunt acutiorem: qui ergo huius causam ostenderit, docebit & quid quærimus. Ergo si spacia solum repleantur, necesse est dilatari: ergo decurtata fient; hoc enim præter rationem experimentum docet: diducto enim corio in latitudinem, breuius redditur, atque sic conuulsio fit. Sed si in substantiam ipsam ingrediatur, humidum distenditur, fitque resolutio: cum vero in vtramque partem, etiam vtrumque fit: ideo sæpius videmus conuulsos, simul & resolutos. Ergo vt cauitatem ingrediatur materia, contingit ob crassiciem: vt in substantiam, ob subtilitatem. Quoniam verò subtile non impedit, vt resolutionem pariat, lentum esse necesse est: ob id esus ouorum resolutionem maximè parit, lentum enim plurimum, & tenue eorum est alimentum. Manifestum est autem, quòd cum quodam calore fieri resolutionem necesse est, vt materia attenuetur & quòd non tam repentè ob id resoluto: fieri potest, vt distentio: sed resolutionem stupor, distentionem dolor antecedit, stupor

 autem

autem diuturnus necessariò, dolor autem sæpe perbreuis. Sed & hic solet quæstio oriri, cur non, quemadmodum in musculi punctura ex podagra conuulsio, dicit Galenus, nos distentionem dicemus, oriantur? id sciemus, si quemadmodum fiat distentio ex punctura musculi, intellexerimus. Sed & hic debuerat Galenus illud docere, an in punctura musculi, an solius nerui, distentio oriretur? Videtur autem, quòd postquam non semper id contingit, quodque ex acus punctione nonnunquam, ad neruum magis quàm ad musculum id pertinere. Et ipse quidem de neruo solo affirmat, causam tamen non refert. Mortuus est ex distentione trapezita Ioannis Marini Genuensis, & duæ mulieres: quarum vna in manu puncturam ex acu passa est. Id verò non alia ratione fieri potest, quàm quod neruus maximo sensu præditus sit, & exanguis: quare cum pungitur, ob sensus magnitudinem contrahitur: & quia exanguis est, distentionem facit, & eo modo interficit. Sed si inflammetur, non adeò interficit, hinc fit, vt per transuersum sectus liberet à conuulsione & mortis periculo hominem, verùm perit functio. Et ob dissectionis ignorantiam non solùm neruum, sed totum musculum coguntur incidere: qui cum iam per se magnum sectus periculum afferat, ob alios neruos qui non sunt læsi, & venas, & arterias: tamen magis si magnæ sint, eo maius etiam affert, cum inflammatus iam ex dolore dissecatur. Hoc autem docuit etiam Galenus in primo de Motu musculorum, & in tertio Methodi, quo nam pacto scilicet distentione orta, si secetur musculus, & à distentione & à delyrio liberetur æger: ille tamen ad suam conuulsionem distentionis loco recurrit, distentio enim, non conuulsio, vulneratos sequi solet. Sed si conuulsio distentionem sequatur, maius longè malum est, cum duplici morbo laboret æger, scilicet & distentione & conuulsione: & maior necessario multo sit distentio, quæ tanta est vt cerebrum conuellendo, conuulsionem moueat, propterea si conuulsum præcideris, nullum fructum sperando hominem occides. Vitium enim conuulsionis in cerebro est, non in neruis. Sed in distentione quamuis se contrahat, quia tamen liberatus est incisione ab altera parte, cerebrum vellere non potest: quare æger à vitæ periculo liberatur. Vnde in distentione ex vulnere licet vnicus neruus sit punctus, tota tamen pars illa trahitur, & omnes nerui eius, maximè qui prodeunt à spina, quia neruus trahit cerebrum, & illud neruos omnes eiusdem partis: & etiam, quia virus illud quod est simile ad vnguem morsui carnis rabidi, in omnes neruos spargitur, his duabus causis tota pars distenditur: ideò cum mors accidat in his ob distentionem spinalis medullæ, & ex ea cerebri: existimo quòd vstio candentis ferri in spina dorsi inter primam & secundam vertebrã, vel inter secundam & tertiam, aut paulò inferius, longè melior est medicamentis aduren:ibus super locum puncturæ, & securior, ac minus damnosa præcisione musculi.

2. Artis cur. c. 9. — *Cap. 1.* — *Cap. 9.*

Ex hoc patet, cur in luxatione cum vulnere repositio sit valde periculosa, iubeatque Hippocrates in libro de Fracturis, prius nos curare vlcus quàm reponamus: quia facto vlcere contrahitur neruus ob dolorem, & reponendo distenditur, igitur distentio excitabitur. Et ideo oportet prius sanare vlcus, vt neruus validus, & omni affectione liber, quamuis extendatur, distentionem non excitet. Sed dices: Hippocrates dicit conuulsionem, non distentionem, inquit enim, Σπασμὸν γὰρ τοι ἐμβάλλονϊ: & alibi pluribus in locis σπασμὸς, non τέτανος meminit, hocque est quod Galenum decepit, nam Hippocrates non primæ dispositionis, id est distentionis, sed conuulsionis, quæ interficit, rationem habuit, nam si conuulsio superuenit distentioni: id est quod dicimus: sin autem conuulsio est quæ superuenit, & hoc est quod dicimus, quanquam rarò id accidat in vulneribus, vt sine distentione fiat. Quòd si distentione perire ægros Galenus putat absque conuulsione sed distentionem ab Hippocrate nominari putat conuulsionem, & Hippocratem paruæ diligentiæ arguit in tãta causa, & experimento repugnat. Ergo conuulsio fit puncto neruo ob contractionẽ, quæ oritur ob vehementiam doloris, cum sit instrumentum sensus: qui dolor maximè sedatur à calore humido, ideo fomenta plurimùm prosunt, & concursus sanguinis, vnde plerunque facto abscessu, si non prius conuulsus est, non conuellitur in posterum. *Pag. 18.*

Ob id patet, cur in podagra non excitetur conuulsio: nam non distentio, igitur multo minus conuulsio, quæ ad vehementem in his casibus, vt dixi, distentionem sequitur. Tum verò, cum ex inflammatione fiat vt ab Hippocrate habetur sexta Aphorismorum, in inflammatione autem nerui non refrigerantur, ergo neque conuelluntur, cum enim humidi natura sint, idẽ contingit quod ceræ: quæ si frigore indurata fit distenta frangitur: sin autem calore emollita, minimè. Idem certè & in coriis, & cornibus, atque aliis huiusmodi, habes ergo causam, cur podagrici non distendantur. At dices: Galenus euphorbium & medicamenta calida & & sicca adhibet, non calida & humida? Respondeo, ab huiusmodi magis tolli inpressam intemperiem, & melius distendi neruos, nam à calicis, & aqueo humido redundantibus læduntur, & franguntur. Porrò inter causas quæ distentionem excitent proprias, sunt & dolor, & febris, & frigus, & medicamentum, & repletio, & venenum, & vini potus, & phlegmon, in extremitatibus maximè, vt quarto de Præsagio ex pulsibus, & in septo transuerso: vt in introductorio de Pulsibus ad Tyrones, & ex punctura extremorum. At cõuulsio fit ex timore, & vino antiquo potenti, febre diuturna, abscessu septi transuersi, vermibus, distentione confirmata, veneno, & medicamento erodente. 47. *Pag. 18.* *Cap. 9.* *Cap. 11.*

Quod etiam dicit Galenus primo de Præsagio ex pulsibus, quòd qui ex conuulsione moriuntur, ex præfocatione moriuntur: ideoque à morte diu calidi remanent: vt contrà *Cap. 4.*

trà, qui ex syncope, dum viuunt, antequam moriantur, diu manent frigidi: magis de distentione intelligi debet, quàm de conuulsione: cum in conuulsione vltima pars quæ offendatur ac deleatur, sit pectus. Præterea illud de caliditate mortuorum est rarum: mors autem ex conuulsione frequens est, vt dixi, propter febrium malignitatem. Illud enim de calore, verum est in his solùm, qui ex distentione moriuntur, aut abscessu magno præfocante. Sed his omissis, quæramus aliud pulchrius, quare scilicet resolutio occupare soleat dimidium corporis ex latere distentio autem ante vel retro? Ratio est, quoniam distentio fit repletis neruis, vt dixi, ex circumiacente materia, ideo caput trahitur secundum naturalem consuetudinem (est enim affectus ex neruis in cerebrum) sed resolutio est affectus ex cerebro in neruos, & cum sit necesse materiam esse in altera partium, dextra vel sinistra, ob id etiam necesse est alterum latus tantum affici, ita verò & singultus. Iam dixi, singultum, cùm sit cum motu, non distentioni sed conuulsioni debere comparari, vt etiam quinto Aphorismorum: Ex superflua purgatione conuulsio aut singultus superueniens, malum. Non est tamen conuulsionis species, vt stridor dentium, & strabositas, & spiritus offendens, vt secundo de Symptomatum causis, nam talia contingunt quandoque in febribus ob latentem conuulsionem: sæpius, vt dixi, ob distentionem musculi mouentis oculum, aut pectus, nam stridor dentium fit à conuulsione, cum sit cum vehementi motu. Sed omnia hæc affectus sunt neruorum, & cum cerebro participant: singultus autem est affectus ventriculi, & ab ipso originem sumit, ideo rectè conuulsioni comparatur: cum & ab eisdem causis fiat, & eodem modo, scilicet ex repentina contractione principij sui: in conuulsione quidem cerebri, in singultu autem ventriculi. Vnde narrabat Galenus de seipso, quòd cum deuorasset piper, & biberet insuper vinum, cõfestim singultu corripiebatur. Assimilatur etiam qui ab inanitione fit singultus conuulsioni in periculo, sed non ex repletione, nam conuulsio ob eam persæpe lethalis est, singultus vix vnquam.

Cap. 2.

APHORISMVS XXXVIII.

Qvibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione, his febris superueniens dolorem soluit.

COMMENTARIVS.

Hic Aphorismus ex his est qui curam morbi per morbum docet, vt suprà docuimus. Etenim cum doloris proprium sit excitare inflammationem, libro de Veteri medicina: si non excitetur, necesse est vt frigida sit causa: cum ergo frigida fuerit causa, febris superueniens duo semper habet bona, nonnunquam autem tria. Primùm, quòd caliditate sua intemperiẽ, propter quã fit dolor, temperat & tollit. Secundum, quòd tuta est, neque enim inflammationem significat, cum plerumque inflammationibus succedere apta sit. Tertium, quod absumit materiam, quæ est causa doloris, seu ob intemperiem, seu flatum generando, seu obstructionem, hoc autem non semper, vt dixi, neque enim cum in alia materia quàm quæ fecit dolorem, accensa fuerit: sed & tunc materiam etiam frigidam calore suo ac siccitate dissoluit, attenuat atque difflat. Opportunè ergo huiusmodi casibus febris dolori superuenit. Et si non superueniat, censet Celsus libro tertio, similibus vtendum auxiliis, quæ calefaciunt, & siccant atque discutiunt. Verùm non tam tutò administrari illa possunt, quàm febris tutum est auxilium: si quidem caliditas illa ei loco solum admota, dum plenum est corpus, multo plus materiæ illuc trahere potest & morbum reddere deteriorem, nec fomentum exterius id potest, quod calor intimus: sed resoluta tenuiore parte crassiorem relinquere, quæ postmodum dolorem efficiat, qui nunquam finiatur. Præterea febris flatum discutit vndequaque, & meatus cutis aperit: at calida medicamenta, tum linea, sæpe illos obstruunt, & augent flatus, vt deterior fiat conditio priore. Quamobrem si flatus sit, tutiora sunt tepida calidissimis: si frigidi tas, contrà. Ob id etiam qui rectè consulunt, in huiusmodi casibus potius humida fomenta & ex oleo, quale è lini semine, admouent, quàm sicca. Illud operæprecium fuisset, si id quæsissent, quamobrem Hippocrates dixerit, circa hypochondria & non generaliter? & an verũ etiam sit de capite & pectore, aliisque partibus. Neq; idem puto intelligendum in pectore, neque capite: cum membra naturalia plurimum habeant caloris, periculi minimum: pectoris plurimum periculi, & plurimum caloris: vt capitis minus caloris, & minus periculi, quàm pectus, ob id dolores in naturalibus membris meliùs habent à febre, quàm vlli alij, facilè enim concocto illo humore febris excitatur: at in capite & pectore periculum est, ne ipsa doloris acerbitas suscitet febrem, quod si fiat, nihil est quod laudare eam debeamus. Etenim doloribus diuturnis in pectore factis, quos constabat ortos ex materia frigida, superueniens febris hoc attulit commodi, vt interirent, suppurata enim collectio illa, nec exitum habens, hominem ad tabem deduxit, vnde mors subsecuta est. Sunt enim in pectore quamuis calidissimo, loca quædam frigida, quæ non sunt in ventre. Eadem ratio in capite. Ex longo enim dolore auris, superueniente febre Cydis filius tandem obiit. In capite enim præter cætera neque tantum est caloris, vt securus sis de concoctione: nec locus adeò patens, vt materia educi commodè queat. Quare de solo ventre, vel alia ignobiliore parte intelligendus est Aphorismus.

Aphor. 33 Pag. 11.

Cap. 10.

7. Epid. Pag. 8.

APHORISMVS XXXIX.

QVibuscunque suppuratio in corpore facta non innotescit, iis ob loci crassitudinem non innotescit.

COMMENTARIVS.

VIdetur Galenus dupliciter hunc Aphorismum inuenisse conscriptum: posteriores verò ex duplici lectione, vtraque iuxta illius sententiam commendata, vnum sub diuisione constituerant, at perspicuum esse debet, non posse tres modos dicendi veros esse. Si enim verus est hic, quod lateat propter puris crassiciem: non potest verum esse, quòd ob loci, & si loci, non puris. Et quocunque eorum pro vero assumpto, fabulosa est illa coniunctio. Quomodo loci crassicies pus abscondat, satis manifestum est ratione & experimento: quomodo autem puris, è re fuisset, vt nobis stupidis, & Galenus, & qui eum sequantur, docuisset, cum enim in corpore dicat Hippocrates suppurationem pectoris excludit. Neque confugiendum ad signa illa superius ab eo conscripta: Dum pus conficitur, dolores ac febres magis fiunt quàm iam confecto. Præter reliqua enim, illa nec docent certum locum, nec ea nunc prodesse vult, postquam iam supponit suppurationem non innotescere. Ipse in primo de Morbis hæc de suppuratis habet: Cæterùm inferno ventriculo suppurati fiunt, maximè quidem cum pituita aut bilis aceruata inter carnem & cutim collecta fuerit. Fiunt autem & à conuulsionibus, cum venula conuulsa rupta fuerit, sanguis effusus putrescit, & suppurationem facit. Si verò caro conuulsa, fuerit aut contusa, sanguinem ex venis sibi ipsi propinquis trahit, atque hic putrescit, & in pus transit, iis si quidem foràs de se significationem præbuerit, & pus eruperit, sanantur: si verò sua sponte intro proruperit, pereunt, at verò diffusum pus in ventriculo inferno, veluti in superno dictum est, generari haud quaquam poterit: sed veluti à me dictum est, in tunicis & in tuberculis innascitur. Etsi quidem intro notas habuerit, cognitu difficile est, neque enim ex concussione cognoscere licet, cognoscitur autem maximè ex dolore, vbi fuerit. Et si terram figulinam aut aliud quid huiuscemodi imposueris, breui id resiccat. Manifestum est ex hac serie, non nisi profunditatem loci obesse ad cognitionem. Quòd si dicas per illa verba, secundi de Morbis: Si verò præ crassitudine & copia pus strepitum non edat, quo illud dignoscere possis: indicari prorsus, crassiciem puris obstare quin innotescat. Respondeo, etiam illud de multitudine obiici posse. Quare illud dictum ad suppuratos in pectore solum pertinet, vbi multum colligitur puris. Hic ergo intelligit de aliis locis suppuratis, maximè de ventre: admonens nos non debere abstinere à dissectione, sed eam efficere profundiorem, donec pus exeat, tametsi tactu non deprehendatur propter loci crassiciem: vt cum latet sub musculis ventris. Et ego sic vidi liberatos non paucos à peritis chirurgis magna cum astantium admiratione, cum constaret certè illos iam morti esse deuotos. Talia docuisse expositores præstabat, non nugas in verbis. Demiror etiam hac in parte medicorum ignauiam, qui suppurationum ipsarum exteriorum signa non docuerint, sed ea aucupantur ex præcedente inflammatione, cum plures ad frigidos abscessus sequantur, quale illud in Prognosticis: Tumor in præcordiis durus cum febre, si vtrumque post viginti dies manserit, ad suppurationem deuenit. Et rursus: Molles tumores & doloris exortes, quique digito cedunt, diuturniores iudicationes faciunt. Inde ponit signa, suppurari post sexaginta dies. Et illud: Tumores in ventre minus faciunt abscessus, quàm qui in præcordiis continentur: minus etiam, qui sunt sub vmbilico. Et rursus: Omnium autem tumorem diuturnorum circa hos locos suppurationes considerare conuenit. Inde docet, quòd earum quæ extrà vertuntur, paruæ, eminentes & fastigiatæ in acutum, minimo cum periculo sunt: quæ verò magnæ, latæ, nec in acutum tendentes, pessimæ. Atque hæc facilè dignoscuntur, si antea in cura fuisti, & duriciem percepisti. At vt nobis accidit, cum delatus fuisset Patricius Nouariensis Mediolanum, chirurgici hæsitabant an suppuratio facta esset: & seniore Gabriele Cuneo affirmante & incidente effluxit sanies, sed ille ea die obiit. Sequenti aperuerunt eum, & inuentus est totus venter sanie plenus, & corrupta etiam pars viscerum. Quoties affui, dum disputarent de hoc, ac in ventre esset suppuratio? Et cum secti fuissent, omnes periere, quòd constaret ante longè factam suppurationem, quam si incidissent tempestiuè, dum litigabant, liberati proculdubio fuissent: litigabant autem, quia certa signa deerant. Paulus tria videtur commemorare, molliciem cum inundatione quadam, cui maximè Chirurgici omnes confidunt: oportet autem tactu atque iudicio præcellere: tumor fastigiatus in macronem: & cutis, quæ in vertice auellitur. Sed hæc in suppuratione ex phlegmone. Brasauolus præter primum signum, ponit splendorem quendam albicantis cutis. Sed & ipse in eandem foueam, in quam Paulus & Princeps, decidit, verùm accuratius Princeps sanè, vt sui moris est, sed non suo loco hæc signa posuit: vt cum pluribus digitis comprimendo innudationem deprehendas, & cutis colorem corruptum. Veritas ergo est, quòd inundatio est signum præcipuum: inde sciscitari de duricie, vbi phlegmon non præcesserit. Cutis quoque colorem ad circumuicinæ comparare, interrogare an pondus in loco sentiat, & pruritum quendam intus.

Marginalia: 2. Aph. 47. — Pag. 8. — Pag. 16. — Pag. 3. — Lib. 4. c. 18. in fine. — 3. Quarti Trac. 1. c. 19.

APHORISMVS XL.

MOrbo regio laborantibus, si fiat iepar durum, malum.

COM

COMMENTARIVS.

DEmiror vbique Galenum adeò oscitanter huiusmodi Aphorismos tractasse, nam cui dubium esse poterat, durum epar semper esse malum? quare ergo dixit, hoc specialiter in morbo regio laborantibus? Neque est idem dicere, quòd morbo regio laborans habeat durum epar, hoc enim non adeò malum est, quando simul & duricies & regius morbus inchoauerint, vt suprà visum est: & durum fieri epar ex morbo regio. Fit duricies in hypochondrio dextro quinque modis: vel in musculis, & de hac non intelligit, cum explicet epar in litera, vel ob inflammationem: neque de hac, nam consequitur febris acuta, & quamuis fiat, lethalis est morbus valde? & etiam febris ipsius meminisset: & ex abscessu duro, & ex duricie substantiæ solum absque tumore, refrigerato ipso iecore, & condensata illius substantia etiam, & impletis venis sanguine crasso atque melancholico. Palàm autem est, quòd, vt dixi, durities omnis iecoris mala est. Sed cum dicit malum, in aliqua mutatione, Hippocrates semper intelligit vltra id quod est ex natura ipsius morbi, omnis enim morbus, etiam Hippocrate non dicente malus est, fieri ergo epar durum quomodouis istorum trium modorum, ex regio morbo, dupliciter malum est, & ratione signi, & curationis. Curationis quidem, quoniam in iecore duro debentur calida & sicca, quæ attenuent & calefaciant: hæc autem maximè aduersantur regio morbo, qui est à flaua bile, & in quo iecur est supercalefactum, & exiccatum. Ratione autem signi, quia omnis morbus causæ contrarius, & per se factus est, malus, eo quòd non potest fieri nisi per corruptionem naturæ, vt in hoc casu, & in hydrope ex febre, & in ardore ex humoribus frigidis, non enim fieri potest, nisi quatenus suffocant. Fit autem epar durum in huiusmodi, quandoque ex intempestiua venere vel ebrietate, & transit in inflammationem, vt in libro de internis affectionibus. Distinguuntur autem hæc: Si inflammatio adsit, adest febris acuta, tussis sicca, dolor ad furculam pertingens, singultus etiam plerunque. Si in musculis, separatur tactu à profundo, & color non est malus. Si durities sola, caret grauitate, & dolore omnino, atque tumore. Si scirrhus, adest tumor, grauitas & durities maior: sin autem durities per se est cum dolore leuissimo, & pondus ac magnitudo maiora sunt duritie, & leuatur à medicamentis. Differt durities à scirrho, communi illa ratione, quòd in duritie materia est in venis, in scirrho iam detrusa extra illas.

Sciendum, quòd in morbo regio vrinæ tenues plerumque significant abscessum in iecore. Et colligitur in Prognosticis: Quicunque vrinas tenues & crudas mingunt multo tempore, si alia velut superstitibus futuris signa fuerint, his abscessum expectare oportet ad locos infra septum transuersum. Si verò vrinæ tales fuerint ante regium morbum, illum significant, etiamsi diu non perdurauerint, vt in Hermocrate, 3. Epidemiorum

4. Par. Aph. 64.

Pag. 17.

Pag. 5.

Sunt autem morbi regij, in quibus vrina plurimùm tingitur, vt etiam libro de internis affectionibus: raro, cum obstructio est inter iecur & vesicam fellis, frequentius autem in alia obstructione, inter vesicam fellis & intestina: quoniam tunc materia iam est separata à sanguine, & habet rationem excrementi.

Languente 21. const. Pag. 20. & 21.

Redeundo ad propositum, cum morbus regius calidus sit & siccus, si ex eo fiat durities in iecore, oportet adeò absumptum esse calorem naturalem, aut siccatos humores vt, in eam duritiem peruenerit: quorum vtrumque malum est, cum epar sit calidum, & humidum: & tale etiam esse oporteat, si sanguinem debet generare.

APHORISMVS XLI.

QVicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his longa superueniente intestinorum difficultate, aqua intercus aut leuitas intestinorum superuenit, & moriuntur.

COMMENTARIVS.

QVod sæpius facere sum aggressus, & nunc communis vtilitatis causa facere non desistam: scilicet vt ostendam, Galenum, inde alios, solum corticem sensus Hippocratis fuisse assecutum. Cui enim imperito non arridebit hæc Galeni præsens ac speciosa enarratio in hunc Aphorismum, in qua primùm ordinis coarguit Hippocratem, quòd non ante hunc scripserit illum: Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum. 48. Quod non reprehendo, neque laudo: sed satis friuola sectari videtur. Velim tamen vt quisque etiam dum hunc vel illum legit, reliquũ etiam legat. Deinde quòd meminerit causæ, cur hanc difficultatem intestinorum quandoque longa sequatur difficultas: & cur illam læuitas intestinorum, aut aqua intercus, nimirum addere debuit: cur etiam post alterutrum horum mors sequatur. At mihi videtur, quæque ob viam erant, & facilia, sectatus: quæ ad rem maximè spectabant, & erant difficillima, omisisse. Cuius inditio est, quòd vix vnquam continuationem assecutus est: eam igitur primùm sic accipito.

Dixerat antea: Quibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione, & reliqua. Deinde docet in sequenti, quod aliquando eiusmodi dolores nonnunquam perueniunt ad suppurationem. Dixi enim, quod Aphorismus ille. Quibuscunque suppuratio in corpore facta non innotescit principaliter, factus est ob suppurationes quæ duriciebus vel etiam obstructionibus in ventre fieri solent. Pòst dat exemplum de iecore duro pro parte dextra, in præcedenti: & hic de sinistro loquitur hypochondrio, lienem durum supponens, tales enim lienosos appellat, vt etiam Philotheus ille Græcus, dicés lienosos appel-

Aphor. 38. Apor. 39.

Aphor. 40.

lari, qui in liene habent tumorem ex melancholico humore natum. Et rursus in eo. Quibuscunque suppuratio, docet morbum hypochondrij febre nonnunquam finiri plenè, nónnunquam verò in alium transmutari morbū, etsi ille sensui non pateat. In præcedenti autem morbum morbo quandoque malè superuenire: velut & in illo. Aqua intercutem laborantibus, tussis superueniens, malum, sed ibi de symptomate, hic autem de morbo. De morbo autem, vt in illo: A morbo laterali vel pulmonia habito, profluuium alui superueniens malum. In præsenti autem docet, morbum morbo quandoque superuenientem immodicè mortem afferre: eundem autem modicè, salutem, vt dixi. Circa expositionem verò Aphorismi, cū lienosis ater sanguis plurimus adsit in liene, si defluxio cesset, & lien, quod continetur in eo, concoxerit, habet enim maximas arterias, vt dicebat Galenus, & multas ad hoc ipsum institutas Si ergo vincitur materia illa, dysenteria cruenta non erodens exoritur, in qua sanguis niger & crassus eiicitur, sicque finitur vterque morbus non longo tēpore. At si plenus lien non habet quò amplius recipiat, cogitur exonerare nihilominus quādoque se: quandoque præ imbecillitate non recipit, quia eiicere non potest, tuncque redundat humor adiecur, fitque aqua intercus satis lethalis, eadem ratione qua etiam quæ dysenteriam subsequitur. Nonnunquam lien satis robustus est, & qui transmittitur humor modicus: ideo tales viuunt, infelicem satis ducentes vitam, nam & ægrè spirant, & immodicè appetunt cibum, aut prorsus non appetunt, & color totius corporis vitiatur, & totum corpus arescit, hi quandoque quinque aut sex annis viuunt iuxta robur, & vitæ reginem: quos tamen necesse est aut sanari per dysenteriam, aut quartanam, aut morbum regium nigrum, aut per medicamenta, digesta in halitum materia: aut ingrauescente morbo incidere in aquam intercutem, vt prius, aut dysenteriam prauam, in qua sanguis effluit tenuior. Hæc differt à priore quæ salubris est, quia sanguis tenuior est, & paucior est, dolores maiores comitantur, nihil concretum exit æger non alleuatur, lien non detumescit. Habes modos iam, quibus dysenteria hæc fit & dignoscitur, vt eam lethalem dicere possis. Nunc quomodo leuitatem intestinorum, aut aquam intercutem sibi ascifcat, doceamus. Liene enim exonerato, non tamen perspicuū est vnde hæc iecoris imbecillitas oriatur, quæ causa est aquæ intercutis. Vnde Galenus bifariam & manifestè peccat. Primùm, quòd dicit ad hanc dysenteriam sequi intestinorū imbecillitatem, ex qua etiam iecoris: nec probat vllum horū, cur vel quomodo contingat. Secundum, quia dicit quòd huiusmodi fluxū & imbecillitatē intestinorum mors sequitur. Et in hoc vno dicto rursus bifariam peccat. Primū, quia Hippocrates nō dicit mortē sequi ad dysenteriā, seu imbecillitatē ex ea factā, sed ad leuitatem intestinorum, aut aquam intercutem, quæ ex difficultate intestinorum orta est. Secundò, quia non est necesse vt imbecillitatem ex dysenteria factam in intestinis mors sequatur. Primùm, quia videmus epaticum fluxum, cum quo est maior necessariò debilitas iecoris, & magna intestinorum, qui durat per multos annos. Adeò vt Bernardus Calufcus bibliopola, amicus meus, & qui causa fuit omnis nostræ in edendis libris existimationis, laborauerit per quinquennium fluxu epatico, & sanatus est iam multis annis à Thoma Iseo Brixiano medico, amico nostro: tametsi ex secta esset empericorum. Imò dicebat Rasis tertiodecimo Continentium, Iudæi auctoritate, quòd fluxus melancholiæ non excoriat intestina, nisi post quadraginta dies, & sæpe multo serius. Deinde quæ ratio esse potest efficax, quæ me doceat, quòd post longam dysenteriam lienis causa factam, & etiam vbi æger ad summam peruenerit imbecillitatem, non possit finito morbo sanari, cum illud videamus in febribus & omnibus aliis morbis? Et accidit Galeno atque aliis expositoribus, quod accidit equis conducticiis, qui in initio itineris satis strenuos se ostendunt: post emensum spacium, necdum tertiam itineris partem cum attigerint, ægrè admodum ambulant, calcaribus opus est, nec sufficiunt: & si via vel minimum impedita fuerit, cadunt. Primam quidem particulam satis egregiè exposuit, & secundam satis etiam mediocriter, tertia etiam tolerari potest: in reliquis, quòd putaret paucos eò peruenturos, miserè sanè se gessit, verba pro rationibus exhibens. Sed iam rem doceamus, nam constat Hippocratem velle, quòd hi qui eò perueniunt, moriantur. Quòd igitur aqua intercute occupati, & dysenteria & lienis tumore, nullo horum imminuto, perire debeant, satis apertum est. Similiter & leuitate intestinorum, cum difficultate eorundem, & lienis tumore nullo horum imminuto, & illud apertum est: quandoquidem si potuerunt hæ causæ hos vltimos morbos generare, quanto magis fouere & augere, donec perimant. Reliquum igitur est vt doceamus, quomodo necessariò horum alterum pariat longa difficultas intestinorum: & quòd, dum hæc parit, ipsa nec duricies lienis imminuatur. Tunc enim mortis causam venabimur, & si quid præstantius ex hoc coniicere licebit. Sanè quòd dysenteriæ morbos inter longos sua natura adnumerentur, docuit Hippocrates in primo de Morbis: vt nihil sit ex longitudine periculi, sed ex causa. Cum enim, vt dixi, humor ille crudus sit, ac frigidus, corrumpit intemperie sua intestina, & erodit etiam, quod concoctus non facit: vnde ex consensu, & etiam quoniam lien ventriculum tangit, & scyrrhosus est corrumpit concoquendi vim, quæ calido constat innato, quare necessariò in leuitatem intestinorum transeunt, ex qua non nutrito corpore & assiduo surgendi labore ac vigiliis mori tandem necesse est. Quòd si vis ventriculi validior sit, nec lien recipiat quantū oportet ex trāsmisso à iecore sanguine, iecore ob sanguinē impurū ad imbeciltatem & corruptionē adducto, sequitur aqua intercus. Diuersimodè igitur sequi vt leuitas intestinorum, & aqua intercus ad intestinorum difficultatem. Aqua intercus solum signi ratione, nam ostendit adeò degrauatum lienis corpus, vt cum per dysenteriam non

Marginal notes: Aphor. 34. — Aphor. 16. — Aphor. 46. — 4. de Vsu par. c. 15. — Cap. 1. fol. 152. col. 4. — Pag. 1.

non possit se exonerare, vel omnino non recipiat atram sanguinem, ob illius nimiam copiam, cogatúrque iecur succumbere, atque aqua intercus superuenire: aut vt recipiat lien quidem, immodicéque ad intestina effundat, atque inutiliter, quia cruda: & tunc signum est, iecur satis valere, quòd propellat quicquid nocet, cæterùm defatigatum ventriculum ex lienis vicinia, & consensu refrigeratorum intestinorum, & plerunque exulceratorum (nam cruenta dysenteria longo successu necessariò in vlcerosam transit) destitui concoquendi facultate oportet, vnde leuitas intestinorum vt eueniat necesse est.

In his omnibus præsupponit Hippocrates omnia peracta, quæ iure peragi debuerunt: cum que ita sit, necesse est vt non aliud sit huiusmodi dysenteria, quàm emanans cruor, velut à rupto carcinomate. Quòd si id insanabile est etiam in exterioribus partibus, vt visum est, quanto magis in liene? Itaque vides verissimum esse, quod dicitur: Sed si cura nulla interim adhibita sit, non est necessarium hominem interire. Dicemus autem de hoc suo loco. *Aphor. 36.*

APHORISMVS XLII.

QVibus ex stillicidio vrinæ ileos superuenit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.

COMMENTARIVS.

ET hic Aphorismus præcedenti similis est in quo ex morbo superuenienti mors nonnunquam, nonnunquam & salus accidit. Stillicidio enim vrinæ, de quo sæpius sermo habitus est, superueniens ileos mortem affert in septem diebus: nisi tertius morbus accedens, febris cum symptomate, id est, vrinæ profluuio, vniuersos soluerit morbos, stillicidium, ileon, tandem & febrem. Accidit autem hac in parte Galeno, quod equis & hominibus ociosis, vt cum exercere se cogantur, mirum in modum torqueantur, insuetus enim attingere difficultates, quæ in aliis erant Aphorismis, atque illorum sensa, non verba exponere: sic cum nimis turpe esset rem quasi præstigiosam non attingere, delassatur rei magnitudine. Et certè in hoc indulgentia dignus esset, vt qui supra humanas quasi vires sit, si se in aliis virum præstitisset: verùm ea dignus non est, cùm Grammaticum in aliis agat, non medicum. Adeò vt ausus sit dicere primo de Fracturis, commentatoris officium non esse, demonstrare, quæ dicuntur ab auctore, esse vera, aut illum à calumniatoribus tueri, posse tamen nos id facere. *Com. 1. in initio.* Et primo de Victu in acutis: Nam si quis demonstrationes inter exponendum scripserit, expositionem protrahet. *Com. 8.* Et alibi: Officium boni expositoris non esse, demonstrationes dictorum afferre: sed solum quæ ab illo dicta sunt, verba explicare. Interrogo te, ô Galene, in quo opus est medico ad interpretationem librorum medicinæ, si solum verba auctoris sunt explicanda? nam si de dictionibus agendum est, ac sensibus, Grammatici hoc opus est, namque & Seruius & Priscianus omnesque alij insignes Grammatici, quantum opus fuit, in omnibus scientiis attigere. Hoc idem de logico, de rhetore & architecto dicit Vitruuius. *Lib. 1. c. 1.* Sed vide hominis stuporem: an quæso omnia sine inquisitione rationis sunt legenda? aut si non ad quem pertinet eam reddere, nisi ad expositorem? Sed quid ad hoc coegit Galenum, vt omnia in suos libros congereret, dissimulato eo à quo didicerat? Nos autem duplici laude ob hoc digni sumus, & quòd Hippocratis scripta redenda omnia suis locis illustrauimus, & quòd gratiam illi reddimus per quem profecimus. Sed hoc ille fecit inopia inuentorum, vt cui nihil prorsus suum esset, sed omnia ab aliis surrepta: nisi forsan Methodus illa medendi, & medicamenta examinandi, in qua certè plurimum valuit. Nec est vt qui in ea proficere velit, alium quærat vt imitetur, cum in cæteris & inutilis & negligens & ridiculus videatur. At illud sanè, quod meritò illi tribuo, maius est quàm hoc totum, quod nunc hi decepti adscribunt. Sed ad rem, redeo (cupio enim his Commentariis homines ad infinitum illud sapientiæ pelagus incitare, vt exeuntes ex hac obscura fucatæ scientiæ catasta, liberatique, nebulam ignorantiæ discutiant) Ileos, dolor est tertij intestini tenuis ac inuoluti colo superioris, dum nihil per inferiorem partem potest excerni: impeditur autem excretio aut ob phlegmonem, vel tumorem durum, aut stercus, aut crassam pituitam. Quo concesso, non quidem ex stercore vel duro tumore, si fiat ileos, febris illum sedabit: sed neque de phlegmone est intelligendum, quam semper acuta consequitur febris, vt non sit necessarium superuenire: sed de pituita crassa intelligendum est. Non est vt reprehendam Galenum hic, qui censet febrem non posse esse bonum signum, si ileo superueniat, sed solum remissam vel solutam, sed velut superius de hypochondrio, quandoquidem hæc ipsemet verba subiungat: *Aphor. 38.* Melius est igitur, vt fateamur nos ignorare, quæ in hoc Aphorismo scripsit Hippocrates, quæ nec rationi nec experimento consentiunt. Sed audi quæ etiam diximus suprà, dum explicaremus Aphorismum illum: Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt. Antiquo tempore voraces erant, & cibos deuorabant crudos & crassos, vt etiam in libro de Veteri medicina. Vnde violentissimi morbi his accidebant, quos nec posterior ætas vidit: vt de Critone in Thaso, & de Aristone, septimo Epidemiorum: & de aliis multis, maximè circa dentium corruptiones. *1. Epidem. languem. 9.* Igitur intestinum Ileon cum repletur pituita crassa, antequam obturetur, dolorem facit nullum, præsertim si totus sit humor quidam crudus terreus, medius inter pituitam fermè ac melancholiam: in cuius maxima copia pars defertur ad vesicam, & vrinæ facit difficultatem. Quòd si cum hac affectione totum impleatur intestinum, obturato meatu, & quod in loco calido sit, dolores insurgunt acerbissimi, *Pag. 12.*

&

& vomitus fecis, & reliqua quæ sequi solent talem morbum, vnde æger omnino strangulatur, suppressa omnino vrina ob dolorem & compressionem intestini: & quoniam totus venter flatu distenditur, & ob vesicæ dolores obstruitur omnino meatus intestini ad inferiora vnde fit morbus valde acutus & perniciosus, nisi febris valida superueniens dissoluat pituitam crassam vtrinque, & vrinam multam emittendo, primum vesicæ tumorem dissoluat, vt nec comprimat intestina, nec comprimatur ab illis: quo impedimento sublato alleuiata natura, pars pituitæ à iecore tracta per renes & vesicam, expellatur tenuior scilicet, crassior autem colliquata per intestina descendat: atque tandem cum fecibus compresso à musculis ventre exeat, & planè à morbo æger liberetur. Quæris forsan, quæ febris excitabitur? Ephemera sanè, ob doloris vehementiam, & ob cruditates, & ob malos vapores qui in ventre retinentur, palàm autem est ob tot causas febrem semper superuenturam. Sed an tanta ob virium imbecillitatem, quæ possit colliquare pituitam, vrinam multam excernere, dubium est. Morientur igitur conualescentes senes, quique multa venere vsi fuerunt, & huiusmodi. Videtur autem hæc opinio proxima Philothei opinioni? sed ille in hoc decipitur, quòd putat obstructionem iecoris esse causã stillicidij: sed hoc est falsum, bene enim diceret, quòd pauca mingitur vrina, at non bene dicit, quòd patiatur æger difficultatem meiendi, quandoquidem vrina in hoc casu colligitur in vesica, deinde vbi ad iustam peruenerit quantitatem, liberè eiicitur. Sed nec hoc modo necesse esset fieri morbum adeò sæuum, quia nec vesica premeret ileum, nec ileos vesicam: cum tamen causa maxima periculi sit, quòd membrum maximè dolens comprimatur, quod qui non credit, experiatur: non enim conduplicatur, sed decuplatur dolor. Hæc tamen opinio post nostram, & nostræ & veritati proximior existit. Quod verò dixit Princeps sextadecima Tertij: Nisi effundatur sudor plurimus, vult dicere, vrina plurima. Et clarum est, quòd ipse non errauit, nec reprehendit Galenum: sed dicit, quòd ignorauit causam huius, & verum dixit, cum ipsemet illud fateatur. Sed iam factus sum similis his quos reprehendo, sequens friuola: quamobrem ad vtiliora transeamus.

Tract. 4. c. 2. 29.

Quale illud, quòd monet nos Hippocrates, vt cum sentimus grauitatem & frigiditatem ventris cum quadam alui duricie, & sequitur difficultas in meiendo, statim debemus cauere, ne in ileum incidamus, quia esset morbus maximè lethalis. Et quod dixit de ileo, de colica etiam verum est, hoc tamen rarius accidit, quòd ad hanc attinet causam: quia colon ratione venarum, non est ita e regione iecoris, aliis autem ex causis, vt propter lapidem, frequentissimè hoc contingit, vt colica sequatur stillicidium vrinæ. Sed non est adeò lethale propter crassiciem coli, & illius latitudinem in comparatione ad ileum.

APHORISMVS XLIII.

VLcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium, & cicatrices fieri cauas.

COMMENTARIVS.

TRia fuere vlcerum genera antiquo tempore, quæ nomen proprium habuere. Herpes, cum summam cutem depascendo vlcus amplificatur: phagedæna, cum carnem ipsam profundius inuadit, atque vlcus dilatatur erosa carne: & antrax, cum feruet particula, & vlcus quasi igne exustum æscharas gignit: reliqua genera nomine vniuersali ac communi vlceris significantur. Cum ergo in annum producuntur, corrumpitur os, ita vt totum vel pars vel squamma abscedat, vnde vlcus consolidatum cauum redditur. Dubitatur ergo primùm, an hæc necessitas abscessus ossis ac corruptionis (vnum enim ex altero pendet) fiat ob temporis diuturnitatem, scilicet etiam quòd productio sanitatis ab errore contingere: aut dolo medici, quòd non raró contingit, omnino hoc sequi necesse sit: aut solùm, vbi omnia ritè peracta fuerint, nec tamen vlcus potuerit consolidari ob propriam prauitatem, quæ contingat merito affectæ partis, vel influentis per circuitum humoris.) Secunda dubitatio est, si hoc accidat vitio humoris, cur sibi anni spacium præscribat ad ossis corruptionem? Tertia dubitatio, cur quamuis os abscedat, non possit caro tantum superexcrescere, vt æquetur reliquæ parti, atque sic nulla sequatur cauitas, adiicere etiam deberet continuationem ad præcedentia. Et non obscurum est, quòd his ex natura morbi temporis auxilio causam illius venatur, & ex causa successum, dictum est enim, quòd liber hic de consequentibus ac signis est, & totus fermè prognosticus.

De prima dubitatione, dicit Galenus loqui Hippocratem de vlceribus bene curatis adeò vt videatur nolle, vt temporis diuturnitas vllam exhibeat indicationem, quod manifestè docet quarto Artis curandi: Tempus (inquit) ad curandi rationem nullam habet indicationem. Cum ergo impeditur curatio vlceris propter ignem sacrum, tunc oportet purgare valido medicamento, vt in libro de Vlceribus, per inferna vel superna necesse est igitur vt in anni spacio curetur vlcus, nisi corruptum sit os subtus: vt annum tempus sit signum corruptionis ossis, non autem causa, nam de causa, nõ declarata est vlla nisi cum detegitur, necesse enim est ipsum desquammari, vt in libro de Fracturis, aut abscedere, inquit enim: Quæcunque ossa repositionem effugerunt, & quæ à carnibus penitus nudata sunt, ea abscessura scire oportet, quædam quidem post sexagesimum diem vt tibiæ: quædam octuagesimum, vt femoris, libro de Articulis. Signum est nigredo. Intus verò nullum est signum, quod corruptionem

Cap. 4. post princ.

Pag. 2.

Pag. 18.

Pag. 34.

ossis futuram indicet, præter facturam absque repositione. Præsentis autem est dolor in loco, qui nullis sedatur auxiliis: inde etiam corrumpitur caro circumambiens locum. Et si sentitur punctio fixa, nil certius: & si læditur ab astringentibus, & sequitur eam phlegmon. Causa igitur corruptionis ossis est, quia non nutritur (& hoc sensit Hippocrates loco adducto) & non nutritur quoniam mala intemperies impedit facultates naturales: & illud impedimentum aduenit ex fractura vel aëre, cum enim caro ab osse separatur, os propriam amittit temperiem.

Ad secundam dubitationem respondeo, quòd fieri potest, vt vlcus non sanetur ex mala fluxione, quæ foueatur à tempore, & ita cogimur expectare, si sumus in æstate, hyemem, & illius finem: & inter initium æstatis & finem hyemis sunt decem menses & antequam sanetur vlcus, requiruntur aliquot dies, & ita peruenitur ad annum: multo tamen antè potest detegi ossis fractura, & desquammatio. Sed dices: Nonne potest esse vlcus Chironium absque ossis corruptione, ob callum quod non poterit consolidari? Paulus libro quarto distinguit in fistulis, quoniā quæ ad os finiuntur post annū, necesse est os abscedere: at si non finiantur, nō est necesse. Quis enim dicat vlcus in pudendo non sanari, aut in ventre, nisi os excidat, cum nullum subsit os? Hippocrates in libro de Locis in homine, docet huiusmodi vlcera curare putrefacientibus medicamentis, inde deducto callo astringere ac nutrire corpus, vbi mundum fuerit vlcus. Dico quòd in huiusmodi locis non potest vlcus tam diu, si bene curetur, perseuerare, vt annum superet. Et demonstratio huius est, quia vel impedimentum sanationis est in humore influente, vel in parte in qua est vlcus: si in humore influente, necesse est vt rectè purgando, mittendo sanguinem, victu exquisitè vtendo sanetur intra annum, aliter morbus erit insanabilis, morborum enim continuorum sanabilium spacium quod longissimum est, est vnius anni. Si verò fit in parte patiente, cum caro perpetuò fluat & refluat, in vno anno & antè tota mutabitur ac generabitur, præsertim in vlcere, quod deprehenditur ex quantitate fluentis saniei: igitur sanabitur rectè curatus, tum maximè quod licet abducere callum ferro & igne, quæ celeriter operatur, & citius medicamento putrefaciente. Galenus existimat vlcera chironia & ccaoethe & telephia eadem esse, licet non apertè expresserit, nam caoethe genus est: telephium, ab eo qui passus est: chironium, ab eo qui sanauit: secundo Methodi. Quarto enim de Compositione medicamentorum secundum genera, vlcera cacoethe vel praua & maligna, & quæ difficillimè sanantur, chironia vocantur. Vbi verò minus malignum est vlcus, oræ verò prætumidæ & duræ, à Græcis (inquit) vocatur Ochthodeis, sed quod Galenus non expressit. Paulus apertè docet, chironium & telephium idem genus esse vlceris.

Cap. 49. *Pag. 12.* *Cap. 2.* *Cap. 4. & 5. Lib. 4. c. 46.*

Tertia difficultas pulchra est, videmus enim cicatrices plerasque cauas esse, etiamsi os non sit ablatum, & caro perpetuò crescit: cur ergo non tantum crescere permittitur, vt cauitatem perfectè impleat? Galenus tertiodecimo Artis curandi reprehendit medicos, qui nimis serò sinunt cicatricem induci, vt iam caro æquata sit cuti & ideo, dicit, extuberat, vbi concreuerit: consulitque comprimendam. Id si verum est, cur non falsum erit quod dicit Hippocrates, cauas fieri cicatrices osse deducto? nos tamē ita videmus fieri. Propterea dico, locum subducta squamma ossis fieri debiliorem, carnem autem generari naturali vi venarum atque arteriarum, tum loci ipsius. Cùm ergo locus ab osse remotior fuerit, & os imbecillius, non poterit generare carnem solidam, sed fungosam: cui si superinduceretur cutis, non maneret, vnde medici cùm hoc vident, cicatricem inducunt, & hoc est quasi quod significauit Hippocrates libro de Locis in homine, cùm dixit: Verùm eleuatam aut leuem carnem cibis gracilem reddere oportet. Natura enim ad certam distantiam robur suum extendit, & vltrà non potest. Alia causa est, quòd cum ad metam caro ossis comparatione peruenerit, temporis diuturnitate caro resiccatur, & ita in cutim transit, quòd si prohibeas, duorum alterum efficies, vel magis cauum vlcus carnem exedendo efficies, vel carnem euanidam generabis, quæ cuti inducendæ inutilis erit.

Cap. 5. in fine. *Pag. 13.*

Vtilitas quæ ex hoc Aphorismo habetur, non est sola prædictio, vt quidam putant, sed curandi ratio. Namque vbi videris non sanari vlcus post annum, quamuis omnia ex arte egeris, tunc non debes procurare sanationem, excitabis enim phlegmonem, & maiorem induces corruptionem & ossis & aliarum partium, ex quo etiam infirmus forsan morietur: sed vt Galenus docet, siccato vlcere, debes ad os ipsum peruenire, atque ipsum curare separando medicamentis, vel ferro, vel igne (quod optimum est, vt pessimum ferrum) partem corruptam à sana, nam proprium hoc est ignis in ossibus curandis, vt * quanquam id obseruandum quod Hippoc. docet, ignem esse neruis inimicum. Porrò & illud considerandum, quod dicebat in libro de Fracturis: Si caput ossis excidat, necesse est membrum euadere breuius.

Lib. de Artic. Pag. 6. *Pag. 19.*

APHORISMVS XLIV.

QVi gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

COMMENTARIVS.

NOn quiuis gibbus breuis est vitæ: cum quidam, imò plerique nimis longa senecta tales euadant. Qui autem gibbiante senectutem fiunt sed iam aucto corpore (vtar autem verbis Hippocratis) multi sanè iam facilè, ac vt sani morbum vsque ad senectutem sustinuerunt: & maximè hi qui carnosiore

Lib. de Artic. Pag. 17.

fiore ac pinguiore habitu corporis fuerunt, pauci tamen talium 60 annos transgressi sunt: plerique verò breuioris vitæ fuère, quibusdam etiã in latus aut hac aut illac verticula obliqua fiũt,& omnia aut pleraque talia propter collectiones intra spinam fiũt:quibusdã vnà cum morbo etiam figuræ insuper conferunt,ad quas reclinari consueuere. Processu autem ætatis huiusmodi viri aliquid ex iisdem incommodis contrahunt:quæ qui ante incrementum absolutum gibbi facti fuère, subire solent, quanquam minus malignè afficiantur.Qui enim antè perfectum augmentum gibbi euadunt, siquidem supra septum transuersum gibbi fiunt, his & costæ in amplitudinem augeri non solent, sed in anteriorem partem:& pectus acutum fit,sed non latum : ipsique & difficulter spirant, & stridulam faucium asperitatem habent. Nam ventriculi qui spiritum suscipiunt ac emittunt,minorem amplitudinem habent.Sed & iuxta magnum ventriculum ceruicem repandam habere cogũtur,vt nec caput ipsius pronum sit.Multum igitur angustiam faucibus exhibetetiam hoc os intro vergens.Nam & his qui, natura recti sunt, spirandi difficultatem hoc os inducit, si intrò vergat,donec regressum fuerit.Ob talem igitur figura eiusmodi homines eminentis gutturis magis quam sani apparent,& tuberculis circa pulmonem duris ac crudis plerunque tales affecti sunt. Nam & gibbositatis occasio, & distentio plerisque propter tales collectiones fit, cum quibus vicini nerui communionem habent.Quibus verò infra septum transuersum gibbositas est, horum quibusdam morbi renum ac vesicæ accedunt : sed & abscessus ad suppurationem,& circa laterum mollitudines & inguina diuturni, ac ægrè curabiles : & neutri horum gibbositates soluunt. Coxæ verò his magis excarnes fiunt, quàm his quibus supernè gibbositas contigit: vniuersa tamen spina his longior est quàm supernè gibbosis:pubes verò & barba tardior ac imperfectior. Sed & infœcundiores hi sunt,quàm supernè gibbosi.Verùm de his in diuturnis pulmonis morbis dicitur,illic enim de his quæ futura sunt, pulcherrimæ prænotiones habentur.Hæc ille,quæ non alio indigent,nisi forsan vt paulo clarius explicentur. Dicemus igitur,quod curuitas corporis quinque est specierum,prima retrorsum, & qui sic curui sunt, dicuntur gibbi:& antrorsum, repandi:in latus alterum,obstipi : & antè ac retrò vtrinque gibbi: & inclinati antrorsum sine dorsi aut pectoris vitio,quos curuos vocamus:cuiusmodi sunt plerique decrepiti, de quibus sermo non est.At reliqui omnes communi nomine gibbi dicuntur. Fiunt autem contractis intrò aut extrà distractis dorsi vertebris.Cùm enim sterno costæ altera parte sint alligatæ,reliqua vt magis intrò deducantur.ita necesse est vt posterius etiam magis incuruentur:vel si extrà luxentur,partem anteriorem sinuent: quandoque verò vtrinque dum costæ sinuantur. Causa ergo quòd gibbi fiant,quandoque est in pulmone tubercula quæ vel suppurant breui, atque ita citò homo moritur:aut diu cruda remanent,lõginsque superuiuit. Atque hæc sunt manifesta. Sed & illud,quòd facto pectore angustiore, & crescente corde atque pulmone,quòd qui ante absolutum incrementum fiunt gibbi, crebrius spirãt, vocanturque asthumatici,seu crebrius ac difficilius spirantes. Vt etiam illud,quòd aliud fit ob aspirandi difficultatem, qui crescunt fieri gibbos:aliud,qui tum fiunt gibbi,omnes crebrius spirare.

Verùm ista non sunt ex æquo perspecta, veluti cur omnis sinuatio angustius pectus reddat,cùm enim costæ in rotundum obliquentur, maius spatium complecti debent,& rursus nec illud clarum est,quónam pacto tubercula pulmonis pariant gibbositatem, seu suppurata seu non suppurata : cùm cõstet. Agesis filiam sexto Epidemiorum habuisse omnia signa tuberculi in partibus pectoris, nec tamen fuisse gibbosam. Quòd si quis dicat,fuisse tuberculum pectoris,& non pulmonis : dico quòd excusatio hæc non est bona, quia Hippocrates in primo de Morbis, vbi ponit signa tuberculi pulmonis,dicit: Dolor exilis ab initio & tussis sicca:postquam autem maturum fuerit,dolores acuti antè & retrò, & tussis vehemens & calores,idem fermè secundo de Morbis,& non meminit gibbositatis.Tertia difficultas est,quia dicit generaliter in libro de Articulis, quòd qui fiunt gibbi ante pubertatem in superiore parte, patiuntur difficultatem spirandi : atque ita breuis essent vitæ, quacũque causa sint.Quarta dubitatio est,quoniam Hippocr. ibi distinguit de gibbositate superiore & inferiore:hic verò facit sermonem generalem.Respondeo breuiter, quòd hîc præsupponit adesse læsionem in pectore,tussim scilicet, vel spirandi difficultatem,& ita gibbositatem esse in parte superiori,& sic patet solutio vltimæ dubitationis.Ad tertiam respõdeo,quod tales non sunt gibbosi ex asthmate,asthmatici ex gibbositate quando sunt ex alia causa,vtpote casu, sicut vidi in Mazenta sutore calceorum veterum,quod cecidit ex arbore,& vixit prope 70 annos:sed erat iam iuuenis,quando cecidit.Sin autem cadant ante pubertatem, licet sint breuis vitæ,non tamen necesse est vt moriantur ante pubertatem:& in hoc decipiuntur expositores,damnantes Hippocratẽ, dicentes quod viderunt gibbosos,qui superuixerunt vsque ad pubertatem & vltrà, & tamen facti erant gibbosi ex asthmate,non erãt ex asthmate,sed cum asthmate, aliud autem est hoc Ex,aliud Cum. Ad secundam dico, quod non omnia tubercula pulmonis sunt causa gibbi:sed quando sunt magna, & hoc innuit in secundo de Morbis,cùm dixit,quod dolor ante & ad latera,& in primo antè & retrò. Pulmo enim alligatur costis à lateribus per fibras, vt ait Vesalius, & superius dorso per asperam arteriam, & cordi per duo vasa, arteriam venalem,& venã arterialem:& hoc factum est à natura, vt esset liberior propter respirationem. Lateribus autem alligatur in homine fermè vsque antrorsum.

Cùm ergo laborat tuberculis, gibbositas generatur hoc modo. Materia quæ descendit à capite,cruda est,& partim deriuatur ad spinam dorsi,quoniam fluxio admodum contumax est:ideoque cum non tota possit in vnum locum deriuari, pars ad spinam dorsi & pars ad

Sec.4. Pag.8. Pag.11. Lib.6.c.

ad pulmones peruenit, & ideo cauſa aſthmatis & gibboſitatis ſimul incipiunt, ſed aſthma celerius ſentitur quàm gibboſitas, quia pulmo celerius impeditur, quàm vertebræ luxentur: luxantur autem ſenſim ſpacio menſium, & aliquando annorum: cunque initium recipit hæc luxatio ſponte augetur ob obliquitatem & pondus capitis, ligna enim incuruata facilius ad maiorem curuitatem deducuntur, quàm è rectis fiant curua. Poſtquã verò cœperit aſthma ex tuberculis, quoniam aſſidua eſt ſpirandi difficultas: ideo laborante nimis pectore, & præſertim in pueris, muſculis trahentibus coſtas imperio cerebri, & coſtis verticula, fit luxatio maior: hæc autem auget ſpirandi difficultatem propter pectoris coarctationem. Quod ad primam attinet dubitationem, malé intellexit Galenus, & qui eum ſecuti ſunt, Hippocratem, nã cùm Hippocrates loquatur de forma pectoris expreſſe, quæ permutatur & minor fit comparatione ad cor & pulmones: crediderunt ipſi, minorem neceſſario in gibbis, qui ei pectoris cauitatem, quod verum non eſt, licet enim quãdoque contingat, & perſæpe, non tamen ſemper: quinimò aliqui, vt facilè eſt coniectari, ex dorſi & pectoris magnitudine ampliore: ſed cùm pulmo ſit naturaliter conformatus & figura & magnitudine, ita vt vtranque pectoris cauitatem impleat ad vnguem: ſequitur, vt mutata forma neceſſariò aliqua in parte conſtringatur, licet alia in parte vacuum relinquatur: illud con ſolùm nihil prodeſt, ſed etiam nocet. Quod ad continuitatem attinet, manifeſtum eſt, ex his hunc eſſe, in quibus

40.41.42. morbus morbo ſuperueniens mortem affert velut in tribus ſuperioribus in quorum primo poſuit exemplum morbo ſuccedentis, malum ſignificãtis: in ſecũdo modò mort, modò ſalutem, ratione diuerſitatis ipſius morbi ſuccedentis: in tertio, modò mortem, modò vitam, ſed ratione tertij morbi, vt ſit malum per ſe, & bonum per accidens: vt in alium bonum per ſe, & malum per accidens: in hoc verò omnino ad mortem, & in his qui videntur ſani.

APHORISMVS XLV.

QVibuſcunque venæ ſectio vel purgatio cum medicamento cõuenit, hos vere purgare, vel venam ſecare oportet.

COMMENTARIVS.

TRia cùm ſint genera hominum, ſanorũ,

Cap.1. & 6. ægrorum, & neutrorum ad morbos paratorum, vt in initio Artis medicæ habetur: ſanis nihil horum debetur, quæ proponuntur: ægris, dum neceſſitas adeſt: neutris, pro ratione temporis commodioris, quod eſt ver. Quoniam & corpus humidius eſt ob hyemis nutritionem, & vires robuſtiores, & tempus magis moderatum, quod aptius eſt ad omnem

Cap.vlt. 20 euacuationem, primo ad Glauconem: & humores in vere magis mouentur, tertia Aphoriſmorum: & æſtas ſuccedens periculum maius affert: & reſtaurari corpus melius ab eua-

15. cuatione poteſt, prima Aphoriſmorum. His tot cauſis purgatio, & venæ ſectio vere primum cõgruit. Poſt purgatio in autumno, hic in Commento & quarta Aphoriſmorũ: quã- Com.7.

uis addat etiam æſtatem. Euacuantur autem, qui ſoliti ſunt incidere in podagram, arthritim, comitialem & attonitum morbum & inſaniam, graues hæmorrhoidas, ſãguinis ſputum, aſthma, peripneumoniam, pleuritidem, elephantiaſim, renum dolores, hepaticos & auriginoſos, febres ſãguineas, phrenitim, anginam, ophthalmiam, mingendi difficultatẽ & abortus: præterquam ſi ex debilitate ſint, tum carcinomata, carbunculos & vlcera, omnia praua atque difficilia, tum etiam deſtillationes. Quid eſt, ſi dicam non tot morbos enumeraſſe Galenum? cogar nec loca adducere ſingulorum, vt impetrem non erraſſe, nec pudet ingratitudinis ex accepto beneficio: maluntque homines perdere, quàm ſauciare dictum mortui? O improbam & nefariam ſtultitiam. In his itaque ſimus concordes.

Iam verò quod dicat. Bilioſos humores in fine veris, pituitoſos in initio: Galenus ob hoc videtur dicere, quod è neutro horum in alia parte veris periculum immineat, nam pituita finem veris & æſtatẽ ſua præſentia tẽperat: & ſi antea ferri petuit, tunc etiã minori erit cũ periculo. Bilis autem temperat veris initiũ, quod frigidius eſt. Hæc etſi ſpecioſa videãtur, vt pleraque Galeni, & in quibus tãquã nouo inuento quodam & ſubtili (ſi viueret) glorietur, falſa non ſolùm ſunt, ſed abſurdiſſima. Cui enim bonum purgare pituitam tempore veris, niſi propter morbum? nã propter tẽpus vtilis, futura eſt, at ob morbum, cùm liquefacta fuerit, purgare oportebit: id eſt, medio ſaltem vere, vel in fine. At dices. Periculum imminet attoniti morbi, vel comitialis. Præparare oportet corpus interim cibis atque aere contrariis, tum inedia: quod ſi viginti dies ſic expectare non poteſt, grauius tibi erit, vt fruſtra conatus eos morbos videaris excitaſſe, nõ curaſſe. Scitis quanta mala ex humore nõ præparato, dum purgamus, ſoleãt euenire, tũ maximè, cũ hîc de purgatione agat validorũ medicamentorũ, ellebori, peplij, elaterij, colocynthidæ. In bile quę celerius liqueſcit, facili educitur: cur vult expectare finẽ veris? an ſcilicet, vt prius deueniãt in furores, anginas, lepras, impetigines, articulorũ dolores: in quos ſi modò incidere debent, & ante finem veris maior pars proculdubio incidet. Ita perdet nos ob ſuam ambitionẽ. Reſpondet Braſauolus, illum defendens, quòd in initio veris bilis nondum genita eſt. Digna magiſtro reſponſio: vbi inuenit, bilẽ vere generari, & tãtam vt morbos veris efficere poſſit? Genita eſt autumno, & æſtate præcedente. At propter morbos æſtiuos, non veris, purgatur? Cur fiẽt, in æſtate morbi bilioſi ex bile in vere genita, ſi nondum eo tẽpore genita eſt? Adiicit, quòd ex acriũ humorũ purgatione aperiũtur venæ hæmorrhoidarũ. Hoc quidẽ verùm eſt: ſed nõ illud, quod etiã aloes nõ illas aperiat, cũ magis ex aloe quã ſcãmonio. Et ſi quis obijciat, quod ſiſtit ſanguinẽ fortis manentem: Reſp. quòd vis ignea nõ deducitur ad actũ, ſed terrea qua ſtringit cũ aquea iũcta, qua tota ſub- Vide 10. Cõtrad. cõtr. 88.

ſtantia fit emplaſticum medicamentum. Euacuare autem oportet ſanguinẽ, aut parũ pro-

pter multitudinem: aut prauum, sed nondum secretum, & hoc venæ sectione. Secretos autem humores iam, aut in vasis propriis, vel aliis etiam purgatione bilem flauam & nigram, & exustam & pituitam & humorem crudum, qui maximè noxius est toti corpori, & humores semicorruptos & mistos, nam iã plenè corrupti pariunt morbos. Continuatur hic Aphorismus futuro illi, in quo docet podagricas affectiones quomodo fiant: anteriori verò, vt intelligeremus tales affectiones purgantibus crudos humores præcaueri posse.
Pag. 2. & 3. Videtur autem Galenus sequutus rationem Hippocr. tertio de Diæta, quod victum finis veris æstati similem facit, initij autẽ hyemis. Sed alia est ratio purgationis, in qua non solum quæritur quod contrarium est, vt in ratione victus ipsi tempori, sed alia quæ purgationis operationi sunt propria.

APHORISMVS XLVI.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

COMMENTARIVS.

Com. 41. Nihil hìc putauit Galenus, nec eius sequaces, esse dicendum: mihi autem multa superesse videntur. Si enim, vt antea dixi, materia densior exiguo cum dolore alleuans, & morbum & ægrum fluat, sinendum, sed tamen bono vtendum regimine, ne productus morbus falsam reddat nostram prædictionem. Sin autem tenuis materia erodens sine ægri & morbi alleuiatione, tunc considerare oportet, an omnia ex arte facta sint, si sic, alteri prognostico est relinquendus: nec expectandum vt more imperitorum ad longam deueniat difficultatem intestinorum: quæ cùm ad mortem tendat, ægrum debilitabit: videberisque perdidisse illum, quod secus eodẽ perventurus erat. At si non omnia ex arte sint,
Lib. de Locis in homine. Pag. 10. sed defuerint plura, tunc anceps est iudicium, tentare tamen oportet curam ex Hippocr. præcepto potius quam ægrum certæ morti relinquere: Ex præcipuis autem auxiliis est venæ sectio in brachio sinistro, & inurere per
Pag. 19. fungos, quorum amborum meminit in libro de Internis affectionibus vtendo cibis quod maximè attenuãt, vt auiculis ac vino odorato, leni, & scolopendro atque capparibus, & scilitico oxymelite: sicque forsan auertetur difficultas intestinorũ in milis, aliaque via æger seruabitur.

Hoc etiam Aphorismo nos docet curandi modum in lienis duriciebus, quando non affuerit intestinorum difficultas, semper enim per eadem sanatur à medico, per quæ à natura, modò finem assequi possit. Quòd si objicias eodem in periculo versari, ne scilicet in diuturnam difficultatem intestinorum æger deueniat, & illum dicaris occidisse: Respondeo. Curationes medici si ritè fiant, semper tanto esse securiores naturæ curationibus, quo sunt etiam minus validæ, cùm enim fiant irritamento medicamentorum, non habent significationem propè nullam, sed tantùm damnũ afferunt, aut vtilitatem. Hos igitur prius diu præparatos, & emplastris molliore reddita duricie, purgabis ellebori nigri radice, florem purpureum reddentis, sæpius, ac donec ad difficultatem intestinorum æger perueniat: si modò ille fert, & morbus alleuationis indicia det.

APHORISMVS XLVII.

Quibuscunque morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiuntur.

COMMENTARIVS.

Morbos podagricos inflammationes esse ex hoc Aphorismo liquet, fiunt autem propriè in articulis pedum primò, vnde nomen habent: tum etiam manuum, sed rarius quia locus arctior est: nec tãtum laborat grauibus motibus vt iuncturæ præter naturam dilatentur, atque sic infirmiores fiãt. Fit & in omnibus ossibus, quæ inter se iuncta sunt, vt alterum sine altero moueri non possit: siue in ἐναρθρώσει septimi cum secundo osse carpi, & humeri cum cauitate scapulæ: seu in ἀρθρωδίᾳ superiorum ossium pollicis, vel metacarpij, aut tarsi pedi-, & συναρθρώσει γιγγλύμῳ dicta, συγχονδρώσει modò sit cum motu, nam aliqua est, siue vt inter ossa pubis, & generaliter potius fit, dum inflammantur tendones, seu sint ossium vincula, seu musculorum fines, quàm cauitates articulorum, licet ab illis soleat ob latitudinem inchoare, modò enim locus frigidus: & doloris capax, podagræ simile accidit, vidi in tarso pedis & carpio & metacarpio & spina dorsi & faucibus quæ valde malè sunt ac dentibus, in articulo pectoris iugulo, insterno. Causa mutationis loci, est vel repletio prioris, vel imbecillitas noua posterioris, vel materiæ multitudo vel varietas, quod est frequentissimum: vel robur, virium mutatum, vel locus alius generationis eius.

Fit autem omnis podagra sanguine ex venulis restagnante crudo, & cum ichoribus: & si purus est, sanguinea vocatur, & ad vigorem vsque perpetuò vrget: aut est pituitosus, affligitque quotidie, à meridie maximè, vocaturque pituitosa: aut est biliosus, diciturque biliosa, affligitpue alternis diebus, sed & intermediis post meridiem, estque melancholica à sanguine melancholico, quæ vesperi quotidie affligit: sed quarto magis commune est, vt vesperi & nocte & hora coctionis sæuiat, & omnes sint calidæ, quia sunt inflãmationes, & à bile mouentur: & omnes frigidæ, quia fiunt ab humore crudo.

Soluuntur omnes quadrifariam: aut resolutione insensili, quod optimum est (materia enim est quasi spiritus) parum durat, nec vestigium relinquit, vel antequã cogatur intus quod premit, extrà truditur, & locus inflatur: quod verò intus est in tẽdonib. à naturali calore, qui sẽper agit, resoluitur: videturque homo sanus, sed nondũ est, & hæc exiguũ relinquit vestigiũ. Aliæ suppurãt, quæ acerbos generãt dolores, imò etiam febres: & locum inficiunt, suppura

ſuppuratæ ichoris inſtar reſudant extra, & carnem ac cutim erodunt, vlceraque faciunt. Aliæ profundiora, aliæ in ſuperficie tantùm. Nec vnquam fermè eò perueniunt, vt verum pus generent: ſed antea erumpit, natura magnitudinem doloris non ferente. Quartus modus omnium peſſimus, cùm ob loci debilitatem materia gelaſcit, & concreſcit in tophum. Mitis dicitur podagra, quæ breuem habet ſtatum, ac vix diem ſuperat: mitior, ſi etiam declinatio breuis ſit: mitiſſima, ſi cum his omnibus etiam inclinatio. Acerba autem eſt, quæ ſtatum & initium habet longum, breuem declinationem: acerbior, quæ cum hoc habet longam declinationem: acerbiſſima, quæ breue habet incrementum, ſtatum autem & declinationem ſæuam, quia his temporibus parum proſunt auxilia, at ſi par ſit longitudo ſtatus & declinationis, ac vehementia in longo ac breui incremento, auxiliis admotis incrementum breuius & mitius reddi poteſt, & cum hoc totus ipſe morbus.

Pag. 3. Senſus Aphoriſmi ergo eſt, qualis in Decretorio, vbi ſumptus eſt: Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἐν τεσσαράκονθ' ἡμέραις ἀποφλεγμήναντα καθίσταται, loco ἡμέραις καθίσταται, legit Cornarius etiam ἡμέρῃσιν ἀποκαθίσταται, vt in textu, Sententia ergo eſt in Decretorio: Quicunque morbi podagrici fiunt, hi intra quadraginta dies ſedata inflammatione finiuntur: vt etiam bene animaduertit Fuchſius, ſic Celſus libro quarto, & Aëtius libro vndecimo, & Philotheus in Commento. Paulus & Alexander hoc prætermiſerunt, quoniam in ſingula genera podagram diuiſerunt, nec exiſtimarunt ei poſſe eſſe communem terminum, ambo etiam arthritim cum podagra peſſimè confuderunt: hoc autem falſum eſſe, ſuperius demonſtraui. (Cap. 24. Cap. 9. Lib. 3. Cap. 78. Lib. 11. Cap. 1. Com. 29. bulis.) Cæterum etſi in quadraginta diebus inflammatio tendonum ceſſet, aut circa illos, non tamen in eodem ſpacio neceſſe eſt omnem timorem vicinarum partium aboleri, ſed ceſſat dolor & febris, ſi qua eſt. Dubitatione autem dignum eſt: quaſi quadraginta dies hos ab initio morbi computat, cum morbus diuerſa habeat incrementi ſpacia, quomodo tam celeriter neceſſariò finiatur, tametſi enim non infinita permittatur incrementi longitudo, velut in adenum abſceſſibus, quæ quandoque per annos durat, non tamen circunſcribi poſſe videntur hæ, veluti quæ in viſceribus fiunt, quæ ab acumine febrium non poſſunt eſſe longiores, cùm tamen Anaxionis pleuritis ad trigeſimum quartum diem peruenerit: ſed vt inflammationes interiores febres circunſcibunt acutæ, ita articulorum dolores ipſi. Non poſſunt tamen tam celeriter finire ſuas articuli, vt interiora membra, tum quia exangues, tum quia longius à corde & iecore poſiti: vnde etiam quæ circa pectus podagræ, & in ſpina dorſi, celerius finiuntur, & in gutture, mandibulis, dentibus, quam quæ in manibus: & quæ in manibus, hæc cauſa, quam quæ in pedibus. Tertia cauſa eſt laxitas loci, vbi multa materia colligitur, ſed neque verum eſt, & demiror de Galeno quòd inflammationes in carnoſis partibus, in 14. diebus ſedentur, plerunque enim ita eſt, non tamen ſemper, ob varia ſpacia incrementi. At dixiſſe, quod Hippocrates intelligat intra 40. dies à fine incrementi, etſi verſimum ſit, non eſt artificioſum, nec Hippocratis maieſtate dignum. Quamobrem intelligit ipſe, vt incrementum, quam celerrimè poſſit, à medico finiatur venæ ſectione, purgatione, reuulſione, impedientibus tranſitum materiæ, & inedia. Generant autem eam cruditates: & ſi dum cibus eſt in ventriculo, vel purgatus ventriculus non ſentiatur: cibi alij, maximè qui multum nutriant, & potus potentis vini, & Venus, & valida exercitatio adiungantur, vt contrà, ſi ſic habito aqua tepida epota reiiciatur totum quod ſentiunt, nec antea edat quam fame prematur, ſecuriſſimum eſt, illa ſemper deuitando. Atque hæc longè meliora ſale & oleo inunctis membris, quæ pati ſolita ſunt, nam vbi genita fuerit materia, nullibi minore periculo poteſt deriuari quàm ad ſolita. (Paulus lib. 3. cap. 79.) At curationem eius in die vna, quæ non fallit vnquam (demonſtratione enim à me inuenta eſt, & experimento confirmata, quæ etiam ſola tutiſſima eſt, & producit vitam) in libro de Dentibus ſcripſi.

Cæterùm duo hac in parte difficillima eſſe videntur, & à Galeno poſita, ſcilicet non conuellit. Superius dictum eſt hoc ad rem non pertinere, ſed non pati diſtentionem podagricos: quod veriſſimum eſt. Ob id arbitratur Galenus, & ex eo poſteriores omnes, in ipſo concauo articuli, non in tendonibus fieri inflammationem. At conſtat in tendonibus fieri, non in cauitate, nam primum experimentum docet. fieri, vt dixi, etiam in muſculorum tendonibus, vbi multa eſt cauitas, & nihilominus diſtentionem non pariunt. Et etiam quoniam materia manifeſtè defertur per venas ipſas, quæ non in cauitates, ſed in tendones, quos palàm nutriunt, finiuntur: & etiam ſenſus podagræ incipientis & reliqua ſymptomata id oſtendunt. Non negarim illis impletis materiam, & etiam multam perſæpe in cauitates reſudare: ſed prius tamen implentur & inflammantur ligamenta, & nerui etiam, ſed iurè inſtat Galenus, cur ergo non vt in vulneribus opiſthotonos, aut tetanos ſequitur? Quod tamen nunquam in podagra viſum eſt. Reſponſum eſt ad hoc ſuperius, quòd diſtentio non fit ex abſceſſu, ſed contracto neruo ob malam qualitatem frigidam. (Com. 37. Aphor. 20. Prædict. Pag. 6.) De cura autem podagræ ſuo loco dictum eſt.

APHORISMVS XLVIII.

QVibuſcumque præciditur cerebrum, iis neceſſe febrem & bilis vomitum ſuperuenire.

COMMENTARIVS.

DVorum quæ proponit Hippocrates, Galenus alterius nullam reddit cauſam, ſcilicet cur febris ſuperueniat: alterius ſiquidem vomitus ſolam affert experientiam, quo circa

ca labor hic nobis, vt plerisque in aliis, relinquitur. Dicamus autem prius de secundo. Constat fieri posse vomitum bilis quadrifariam: vel cùm meatus ex felle ad ventriculum in ipsum effundit illam. Sed Hippocratis dictum generale est, hic meatus in quàm paucissimis hominibus inuenitur, vt Galenus secundo de Temperamentis, & Vesalius in quinto libro docet: ipsaque experientia testis est, quare non sic contingit euomi bilem.

Cap.6. Cap.8.

Aliter modus est, vt ex venis, quæ à iecore ad ventriculum veniunt, deferatur. Sed huic obstant plurima. Primùm, quòd venæ illæ vsque ad cauam ventriculi partem non pertingunt: deinde, quòd sanguis ille qui defertur per eas, purus est, & à bile defecatus, non solùm in sanis, sed etiam plurimis morbo regio laborantibus. Quandoquidem iecur regium est membrum, & validam habet vim expultricem, vt nisi omnino corruptum sit, aut obstructionibus magnis laboret, non velit aut possit retinere sanguinis vlla incrementa: præterea quòd bilis illa sanguini admista esset, vel sanguinei coloris. Tertius modus est, vt genita in ventriculo iam euomatur, nam prassina omnium consensu, multorum etiam æruginosa in ventriculo generatur. Hic modus etiam quæsito non satisfacit, quoniam raro, non semper, hæc bilis generatur ibidem, præsertim in hyeme, nam æstate quandoque & ob horarios fructus, & potum aquæ, & vigilias, & aëris calorem generatur. Aëris enim calor corde calefacto arterias calefacit, & exacuit caloris vim: is repercussus à frigidis tam potestate quàm actu, vt aqua & horariis fructibus, tum vigiliis crudos humores, quorum copia nunquam deest in corpore, exassat atque exurit, vnde in bilem vertit. Hinc est quòd manè sæpè fructibus in cœna assumptis amarus quidam sapor, non vt absinthij, sed vt glandium acerbarum in ore sentitur. Accidit hoc corrupta multis modis concoctione, & aëre externo putrefaciente, quod corruptum est. Omnia enim quæ putrescunt, amara fiunt. Quamobrem hoc symptoma febres solet generare, si perseueret, aut diarrhœam. Reliquum est vt dicamus de quarto modo: & est, vt ascendat ex duodeno per pylorum in ventriculum: quod etiam accidit in ieiunio, maximè picrocholis. Et hîc desideramus causam, cur materia hæc tam horribilis trahatur ad ventriculum, solent enim vtilia & iucunda trahi, verùm & in tertianis solet hæc materia (non ita atra bilis, quæ minus malum habet saporem, & cuius vas est propinquius ventriculo) in illum eructari, adeò copiosè cum seroso quodam humore eructari. Quamobrem necesse est fateri, serosum illum liquorem esse in venis mesaræi, per quas bilis tum transit, atque in ventriculum ascendere. Cur autem tunc ascendat, cum aliàs soleat ad intestina descendere, & cur eiiciatur, quæstio duplex est. Atque secunda sanè non est admiratione magna digna, hunc humorem vt leuem, calidum & irritabilem à quauis causa iecur concutiente, perturbari. In tertiana quidem cum putrescat, effunditur, vt abominandum à natura & confertim, cumque seroso humido: nec descendere potest totus, sed pars velut in lebete feruente ebullit: quodque spumosum est, asscendit impedientibus, intestinorum circumuolutionibus, tum fecibus, ne totus ad inferiora transeat, nam nihil ad inferiora transire penè miraculo simile esset: tum etiam, quæ in multis per accessiones aluus mouetur non secus ac vomitus, & in omnibus generaliter feces croceæ atque biliosæ ob id apparent: cum verò sani sumus, non feruet, & sensim emittitur, vnde ad imum petit, & cum fecibus euacuatur. Cum ergo cerebrum præciditur, necesse est membranas etiam grauiter vulnerari, ex quibus, vel etiam si membranæ solæ, sed non adeò generaliter (neque enim dixisset, præciditur cerebrum, sed in capitis grauibus vulneribus, & quæ ad interiora penetrant,) ob dolorem & arteriarum magnum consensum necesse est cor affici, & iecur, quod cum vtrisque consentit, vibrarique corpus: neruis autem sexti paris, qui maximi affectis ob cerebri consensum simile quid accidit, ac si quis quippiam horridum deuorasset: acciditque tunicæ ipsi ventriculi similis titillatio, qualis in his qui pennam auis in gulam immittunt, tum etiam cum hoc motus tremulus, omnia vomitus irritamenta, quamobrem vehementer vomitus excitatur. Est autem inditum cuique particulæ, vt eum humorem ad se trahat, qui tamen ad illam actionem sit accommodatus, cum ergo bilis vomitui apta sit, maximè, vnde illud Prognosticorum: Quicunque in febre non lethali dixerit sibi caput dolere, aut etiam præ oculis obscurum quiddam apparere, si & osculi ventris morsus accesserit, ei biliosus vomitus aderit. Et primo de Morbis: Plerunque quod ex bile est in ventriculo, primis diebus per vomitum eiicitur Trahit igitur natura ventriculi bilem ad se, atque cum ea serosum humorem, qui cum bile mistus, cum iam per se salsus sit, amarus totus efficitur. Concutitur etiam ob hoc corpus, quòd offenso cerebro respiratio vitiatur, atque ideo cor. Repetitur hic Aphorismus primò de Morbis: Si cerebrum sauciatum fuerit, febrem necesse est superuenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem syderari atque perire. At in Coacis prædictionibus, quas Galenus negat Hippocratis esse, verecundius scriptus est hic Aphorismus sic: Quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque, ac bilis vomitus accedit, & corporis syderatio: atque tales perniciosè habent. Quin etiam in secundo de Morbis vult, cerebro corrupto sanguinis vomitum sæpe subsequi. Quæ omnia vera sunt. Accipit autem, dixi, quod frequentius accidit, nam vomitum subsequi læsis vel etiam membranis cerebri, ipso autem cerebro longè certius experientia edocemur, idque statim aut prima die contingit: bilem autem euomi, vt si pauca sit in vesica, non est necesse: sed, vt dixi, quodcunque obuiam fuerit in ventriculo, eiicitur, seu bilis seu pituita, aut serosus humor, aut cibus, ob rationem dictam. Bilem autem vocat, quodcunque inutile ibi est: vt etiam dixit, omnes febres à bile fieri.

Pag.9. Pag.14. Pag.11. Pag.11. Pag.1.

Cæterùm

Cæterùm febris sequitur non necessariò statim, sed quandoque vsque ad quartum diem differtur. Putridam enim ipsam prima die fieri non est possibile, nisi sit humor ipse iam paratus: quamobrem vel ad quartum diem vsque illius aduentus differtur: vel, quod plerunque fit, anticipat ephemera, quæ etiam quandoque perpetuò perseuerat, nulla succedente putrida, nam si purum sit corpus, & vulnus exhalet, non potest tam parua sanies ad cor deferri, sed calor solus: qui toties repetitus, quoties sanies generatur) dum pus 2.Aph.47. enim conficitur: febres fiunt, dicebat Hippocrates) continuatæ ephemeræ plures, putridæ continuæ imaginem præbent, sed & has solet horror & rigor intermittentis subAph.18. sequi lethalissimo signo. Porrò huiusmodi vulnera mortem sequi, suprà docuimus. Verùm quæ isti addunt signa, vt Celsus & Paulus, de sanguine exeunte per nares vel au Lib.5.c.26. res primùm, non sunt incisi, sed contusi potius, vt in bobus, cum malleo percutiuntur: vnde etiam oculi rubri fiunt, atque sangui Lib.6.c.88. nei. Casus quoque in terram neque proprium est, neque inseparabile: quidam enim cerebro vulnerato, multo plures membranis, non cadunt: multi verò cadunt in capitis vulneribus, etiam non perforato osse: qui tamen plerunque pereunt, vt offensæ cerebri, non vulneris illius signum sit. At non videre, non audire, nec intelligere, non tam vulneris cerebri signum est, quàm magnæ ventriculorum offensæ, etiam si cerebrum non sit vulneratum: vt in his qui grauem ictum securi excipiunt.

APHORISMVS XLIX.

Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt: in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

COMMENTARIVS.

Admirabilis sanè Galeni interpretatio, qui vult Hippocratem intelligere de attonito morbo, cùm plurimi intra momentum, nedum intra paucas horas aut dies septem pereant, nec vllus videatur à febri liberari: quinimò cùm difficultate maxima spirandi laborent, celerius febre correpti intereunt. Nec defuisset Hippocrati nomen, quo vsus est in secunda particula, rei pro Aphor.42. prium, ἀποπληξία, sine tam longa circumlocutione. Et certè malè fecit Galenus, relinquens nos in tanta rerum obscuritate sine duce, præsertim quòd ætate sua Hippocratis libri magis integri erant, & sermonis consuetudo, & expositorum copia bonorum, qui ob Galeni famam immeritò exciderunt. Nam quid mirabilius, hoc intellexisse Hippocratem, cum intra pauculos Aphorismos 54.& 55. bis repetat nomen ἀποπληξίην. Sanè eum Pag.8. esse, cuius meminit secundo de Morbis, haud dubium est, cum inquit: Sanum repentè dolor circa caput inuadit, statimque vox intercipitur, stertit, & os hiat: si quis ipsum vocet aut moueat, solum suspirat: nihil autem intelligit, & multum mingit, & se mingere non animaduertit, hic, si non febris ipsum corripiat, in septem diebus moritur: si verò corripiat, plerunque sanus fit. Pag.5. Et rursus de eodem, & explicatius: Repentè dolor occupat caput, & vox intercipitur, & sui impotens fit: hic in septem diebus moritur, si non febris inuaserit: si enim hæc inuaserit, sanus euadit. Patitur autem hoc, cùm atra bilis ipsi in capite commota fluxerit in partes, vbi venæ plurimæ sunt: in collum inquam, ac pectus, postridie autem ἀποπληκτος fit, atque impotens, sanguine nimirùm perfrigerato. Vnde liquet, ab initio hunc morbum non esse attonitum: sed qui si perduret, post vnam diem in illum transire posse. Hic idem Aphorismus eisdem penè verbis in libro de Decretorio scribitur. Pag.5. At in tertio de Morbis inquit: Quum à ca Pag.3. pite initio sumpto, dolor acutus statim vocem intercipit, tum aliàs, tum si ex ebrietate hoc contingat: qui sic affectus est, septima die moritur: minus tamen moriuntur qui ex ebrietate tale quid perpessi sunt, & voce priuati permanserunt, nam si eadem die, aut postera, aut tertia vocem edant, sani euadunt, faciunt autem hoc aliqui ex ebrietate, & neutri moriuntur. Et rursus Aph.5. quod ex ebrietate fieret, visum est suprà, & Partic.5. in secundo de Morbis: Pag.8. vt clarum sit, hunc morbum non fuisse apoplexiam seu attonitum, sed speciem caros, quæ erat frequens antiquis ob ebrietatem, adeò vt non solùm postmodum ebriis adueniret, sed etiam illis eisdem, etiamsi ebrij non essent, aliisque qui ab ebriis descendissent: fuisseque morbum endemium illi regioni, in qua tum degebat Hippocrates: idque rectè animaduersum est à Brasauolo, qui etiam auctoritates has citat. Verùm vt ad rem redeam, morbi hi non tam fuêre endemij ætati ac regioni Hippocratis, quin etiam nostro tempore appareant.

Necesse est igitur ante septimam diem interire, quia ante tertiam deueniunt in attonitum morbum: attonitus autem non vltra quartum diem viuere hominem permittit, ante septimum igitur mori hominem necesse est. Sed si superueniat febris, antequam in attonitum decidat morbum, incalescit qualiscunque crudus humor fuerit, seu pituita seu melancholia: quamobrem vt euadat necesse est, nisi in abscessu materia cogatur per febrem, dum liquefacta est: atque tunc nihilo secius perit, non tamen necessariò ante septimum diem, euadit autem in lethargum, si fuerit pituita, & quandoque etiam sanantur: & aliquando in catalepsiam, si fuerit atra bilis, & moriuntur. Cura igitur partim ex his, partim ex illis quæ dicta sunt ab Hippocrate secundo de Morbis, duobus iam adductis locis habetur. Verùm non tam tutum est febrem excitare (id autem fiat quàm celerrimè) vt si à natura generetur.

APHORISMVS L.

OPortet verò & conſiderare oculorum in dormientibus ſuſpe-ctiones, nam ſi quid album commiſſis palpebris ſubinſpicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum, & lethale valde.

COMMENTARIVS.

NEminem tam rerum mearum iniquum æſtimatorem eſſe crediderim, qui me coarguat continuationis in huiuſmodi Aphoriſmis: quam etſi relinquerem, vt manifeſtam relinquerem: neque enim dubium eſſe poteſt, vt prior Aphoriſmus de bene ſuperueniente morbo eſſe, ita hunc de malè accidente ſymptomate. Exſcriptus eſt hic Aphoriſmus ex
7.Com.11. verbo, vt dici conſueuit, ex primo Prognoſticorum, vbi tamen additur (aut nec ita dormire ſolitus eſt) verùm Hippocrates cum aliquid in Aphoriſmis ſemper adimat, adiiciat autem vix vnquam, nihil eſt quod potius adimere poſſe exiſtimaret illis verbis: ſatis intelligens, quòd quæ nobis naturalia ſunt, aut firma conſuetudine iam familiaria, vt ſtertere in ſomno, hiare ore, ſtrabum eſſe, lamentari & flere, nihil abſurdum ſignificant. Meritò verò adiicit (neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione) quoniam in loco, ex quo decerptus eſt, hæc aderant, & ibi iam antea commemorauerat, oportet autem per hæc duo exempla, omnia talia quæ ſiccant corpus, & debilitant, non ſolùm debilitant, vt Galenus exponit, nam Hippocrates excipit duntaxat illa, quæ ſiccando debilitant, velut coitus nimius, ſanguinis fluentis copia inedia & vigilia. Exiguus tamen eſt hic Galeni error, quandoquidem pauca ſint quæ debilitent, nec ſiccent. Sunt tamen quædam, è quibus principale eſt balneum: tum verò ſoporifera medicamenta. Hic verò duo peccata Fuchſij detegere neceſſe duxi, vt homines vno intelligentiam, altero diligentiam animaduerterent. De diligentia illud, quod cum in Braſauoli commentariis iaceret, primo Prognoſticorum 14. & debeat dicere 11. qui fuit (vt reor) lapſus aut ſcriptoris, aut impreſſoris: Fuchſius recitans eundem locum, adſcribit etiam 14. pro 11. vt appareat, de quo minimè dubito, exſcripſiſſe omnia ex ipſo Braſauolo: neque enim ſi memoria commentarios Hippocratis de Prognoſticis, ac diuiſionem illorum tenuiſſet, aut ſaltem videre locum voluiſſet, in eundem numerum erratum incidere vllo modo poterat. At hoc parui momenti eſt, ſed ſupinæ tamen negligentiæ ſignum. Verùm illud magni eſt momenti, & ex quo ſenſus totus Aphoriſmi planè peruertitur: quòd cum dicat Hippocrates, Σκοπεῖν δὲ χρὴ quod eſt, conſiderare verò ſeu autem oportet: viſum eſt ſapientiſſimo Fuchſio, dictionem illam δὲ, ſeu autem, eſſe ſuperfluam, cum Aphoriſmi iuxta plurimorum imperitorum ſententiam ſint ſermones ſeiuncti & præciſi. Sed non eſt ita, vt oſtendi, quinimò continui ſunt: atque id tantum refert in hoc caſu, vt voluerit Hippocrates, quod & Philotheus animaduertit, hunc Aphoriſmum præcedenti prorſus connectere, & verum efficere, qui alioquin falſus foret, neque enim dictum hoc de oculis verum eſt, niſi vbi morbus in capite ſit, & cum febre. Vnde ceſſant dubitationes Braſauoli: quoniam hoc ſignum in pueris eſt fallaciſſimum, ſed non quia in pueris, ſed quoniam morbus in capite non eſt, ſed à vermibus, vel aliis cauſis, alioque in loco.

Cauſam huius ſymptomatis dicit Galenus eſſe ſiccitatem, vel imbecillitatem. De ſiccitate dicit Galenus, quòd hoc accidit, quia membrana palpebrarum eſt natura ſicca: & iure quidem, vt eſſet durior pro oculi cuſtodia: quæ cum tenuiſſima ſit, & nulla carne, aut omnino exigua, ſed ſola cute obducta, nihil mirum eſt ſi quauis minima cauſa contrahatur. Eſt enim membrana tenuis, quæ toti obducitur palpebræ: inde circulus quidam arctus in fine earum, vbi vna alteri committitur, planè cartilagineus, vt in primo de Fabrica humani corporis à Veſalio Cap.35.
habetur. Muſculi verò duo ſunt, quorum vnus oritur, vnde muſculus oculi, qui rectà ſurſum illum trahit, à caluaria, ex dura membrana (cuius inuentor fuit Fallopius) & latiore chorda implantatur cartilagini ſuperiori, In obſeruationib. Anatom. fol. 66.
oculique palpebram ſuperius trahit: alter autem in palpebræ inferioris medio originem habet, & per minorem angulum perreptat, inſeriturque cartilagini eidem ſuperioris palpebræ, vt illam cum opus eſt, & volumus deorſum trahat. Etenim cartilago illa obducta extremitatibus palpebrarum, tres euidẽtes habet vtilitates. Prima, vt illis partib. ſuperiore & inferiore pili ciliorũ implantentur firmiter. Secunda, vt dum palpebra ſuperior ſurſum aut deorſum trahitur, tota ſimul & æqualiter trahatur, nam ſi ex molli eſſet ſubſtantia, & toti palpebræ circulo muſculum inſeri neceſſe fuiſſet: nec tamen ſatisfeciſſet, quoniam obliquæ partes illæ clauderentur. Tertia, vt ſimul palpebræ æquales inter ſe & ad oculum eſſent, atque earum motus & vſus muſculoſque. Idem attigit in 2. libro, aliquid Cap.10.
etiam de cartilaginis vſu in primo. Mouentur enim palpebræ contrario modo, quàm Cap. 1. in princ.
genæ, in genis enim ſuperior ſemper quieſcit, & inferior manifeſtè mouetur: at in palpebris ſuperior manifeſtè mouetur, inferior quieſcit, nihilo minus quia, vt dixi, muſculus qui ſuperiorem palpebram trahit deorſum, inferiori palpebræ ad medium implantatur: & omne quod mouet, mouetur in corporibus, neceſſe eſt vt dum muſculis in ſitus in inferiore palpebra ſe contrahit, vt ſuperiorem palpebram ad ſe trahat, vt inferior palpebra ſe infra paululum diducat: & ita non occurrat ſuperiori, dum oculus clauditur ſed paululum diffugiat. Hinc eſt quod Oribaſius, quem (vt dixi) poſt Hippoc. omnibus longè præpono: atque vtinam illius ſcripta Galeni loco, ſi minus non poſſet, inuenirentur, negat lib. 25. Collectionum, muſculum Cap.25.
illum in angulo maiore inueniri, qui palpebram ſuperiorem deorſum trahat, neque in

incisio

incisionibus loci, neque vstionibus ægiloparum, quæ angulo ilii adhibentur, motum contractionis palpebræ ad superiora deperire. Causa igitur quod alba oculorum appareant, non est siccitas tunicæ oculorum, quia oporteret prius siccari carnem & cutim, quàm membranam illam, deinde cum non sint annexæ cerebro, sed foràs promineant, oporteret esse vehementem siccitatem in cerebro: & ideo Galenus satis inconsideratè hoc dixit, vt pleraque alia, & fallitur. Est enim causa, quod musculus qui palpebram superiorem sursum trahit, cum oriatur a dura membrana cerebri, & ipse tenuis facilè exsiccata membrana, vel neruo secundi paris qui ei adiunctus est, ipsam palpebram superius trahit, & ita non potest perfectè claudi. Et si etiam inferior trahatur ob siccitatem (quod raro accidit) quia, vt dixi, implantatur exterius, nec oritur à membrana cerebri, nec à caluaria, sed inferiore palpebra: tunc non solùm apparet album oculorum, sed etiam obliqua fit superior palpebra, & foramen illud per quod videtur oculus in dormiente est sinuosum: & vocatur ab Hippocrate palpebra retorta, καμπύλος. Et manifestum est, quòd hoc est longè deterius quàm primum, cum proueniat ex duplici contractione, scilicet superioris musculi, vt in priore: & inferioris, quæ est longe peior. Et hoc peius est, si oculus ipse propriè distorqueatur.

In Prenost. Pag. 2.

APHORISMVS LI.

DEsipientiæ quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò, cum studio, periculosiores,

COMMENTARIVS.

QVod aliud sit atra bilis, id est exusta, & ater humor, quem melancholiam falsò verterunt quidam, cum nihil aliud sonet Latinè quam eandem atram bilem: propterea Græci cùm μελαγχολικὸν dicunt, χυμὸν addunt, visum est septimo Contradicentium. Quòd etiam ex qualitate morbi prædicere doceat, velut in priore ex symptomatis qualitate, & id perspicuum est. Reliquum est vt videamus sentẽtiam Aphorismi. Galenus in Commento tria facit genera desipientiæ, cum risu mitiorem, cum studio deteriorem, furibundam, pessimam. Ita etiam illarum statuit triplicem materiam: quæ cum risu, à sanguinis fece: quæ cum studio, bile flaua: quæ autem furibunda est, à flaua bile superassata. Singulæ harum fieri possunt compatiente cerebro, quod minus malum est: vel materia in cerebro ipso morbum faciente, vtrum verò ex sola intemperie, absque materia, indiscussum reliquit, nam exemplum eius quæ fit ab ebrietate, licet ostendat desipientiam, quæ sine materia fiat in cerebro: fit tamen à vaporibus & materia vini, quæ humoris habet rationem. Hæc ille satis confusè, & sine demonstratione.

Contrad. 11.

Verùm Hippocrates hoc non sentit, & suo more extremarum meminit, vt medias intelligeremus. Quæ cum risu fiunt, fiunt cum affectu perturbante rationem: quæ cum studio, absque affectu, & illæ sunt pessimæ. Furibundæ autem & lachrymosæ, vt deteriores sunt prima, quia affectum habent deteriorem: ita minus malæ sunt his, quæ cum studio fiunt, nam affectu omni carent. Propterea non vapores qui mutant & mouent, sed impressam ostendunt qualitatem, omnis enim desipientia fit intemperie in cerebri substantia, vt colligitur septimo de Decretis Hippocratis & Platonis. Ego verò vidi ex furiosa desipientia plurimos euadere, ex studiosa paucissimos, nam cum dixit securiores, palàm est quòd loquitur de febribus, non de melancholia, quæ est morbus sine febre. Et hoc etiam non est animaduersum à Galeno, aut saltem prætermissum. Deterior etiam est illa quæ est cum tristitia multa, & cogitatione mortis inter studiosas: quæ verò est cum lachrymis & magna perturbatione, deterrima est earum quæ fiunt ab affectu, & non cum studio. Si desipientiæ genera per nomina distinguere velim, rem aggrediar infinitam: & neque hîc locus est, sed in Contradictionibus, & in Commentariis primi Prædictionum. Dicamus autem hîc generaliter, enumerando species affectuum, quibus homines desipiunt. Quarum prima & mitissima est hebetudo, cum quis non intelligit intelligenda, fatuumque huiusmodi hominem dicimus. Secunda, cum videt non videnda: estque vitium facultatis, quæ imaginatur, quandoque oculorum, estque id minus: nam rationem tunc peccare non est necesse, appellantque alienationem mentis. Cum verò nihil noui affert, sed malè iudicat de his quæ rectè cognouit, stultitia dicitur: estque tertia species. Quòd si in vtroque peccet, siquidem perpetuus sit affectus, insania apud Latinos dicitur, at in febribus delyrium. Sexta species est, cum timor adest, & mœror, vocaturque melancholia: quòd si adsit ira & audacia, dicitur furor. Porrò fatuitatis cum à frigore fiat, duæ sunt species. Vna, qua parum cognoscunt quæ cognoscenda sunt, rudesque vocantur: alia, qua cognitis parum rectè ratiocinantur, cuius propriè est nomen fatuitatis: sicut & illius, in qua parum cognoscunt, & minus ratiocinantur: vocant etiam huiusmodi homines stupidos. Cum calor mentem percellit, qua parte imaginatur: nec perpetuò adest, sed velut ex febribus vel vino (dico autem intermittentibus) fit alienatio. Perpetuus non potest esse hic affectus quin rationem concutiat. Si tamen sit, melancholiæ sub nomine continetur. Si calor turbet cogitationem, nec sit perpetuus, desipientia: si perpetuus, vt dixi, stultitia. Mentis quoque perculsæ in vtraque vi vitia, quæ diximus, à calore ortum habent. At si materia biliosa sit, furores facit temporaneos, vt in delyriis & mentis alienatione: si verò atra bilis, fit furor, sicut & melancholia ex sanguinis fece. Desperatio verò vltima fit exusta fece sanguinis, & hæc plerunque insanabilis.

Cap. 3.

APHORISMVS LII.

IN acutis passionibus, quæ cum febre fiunt, luctuosæ spirationes, malum.

COMMENTARIVS.

SImilitudinem captauit Hippocrates more magnorum virorum, qui ipsi aliquando remissioribus animis aliquid dicunt, vulgarem, si ad priorem Aphorismum hic præsens referatur, nam cum antea de risu, sed ille est symptoma animalis virtutis: hic agit de luctu, qui est symptoma vitalis, verè tamen coniungitur illi, docens symptoma hic superueniens, ibi symptomatis differentiam de morbi exitu iudicare. Sexto Epidemiorum vocat illam duplam respirationem, dicens: Dupla intrò reuocatio velut superinspirantibus. Quæ verba referuntur eodem modo in secundo. Dicebat in Coacis prædictionibus: Extendens & vrgens & obscurus, & dupla intrò reuocatio veluti superinspirantibus. Et pòst etiam: Spiritus qui cum suspiriis extrà feruntur. De hac igitur potius quàm de dupla hîc intellexisse reor, cum antea iam de ea egerit. Sed dicas eundem esse: quid lucramur? & necesse facere Hippocratem obliuiosum, aut nugatorem. Deinde quæ ars, cum dixerit conuulsionem significare: hîc non dicit, nisi malum: cum etiam hic addat acutas esse febres, ibi non, aut igitur eximere hunc oportet vt minus generalem, & absque causæ commemoratione, aut quòd alius sit præsupponere.

Partic. 2.

Partic. 3. Pag. 10.

Pag. 23.

4. Aph. 68.

Videtur ergo mihi primùm per luctuosas spirationes intellexisse, quod propriè vocamus suspiria, atque id conuenienter: aduersantur enim suspiria delyriis lætis, de quibus in præcedenti Aphorismo egit: & minora sunt intercepto spiritu. Fiunt autem suspiria quandoque ex melancholicis cogitationibus atque tristicia, quandoque ex calore cor præfocante. Dicebat Hippocrates: Quæ suspiriosum in febribus spiritum emittunt, abortiunt. Sunt etiam quidam morbi suspirio familiares, & præcipuè tussis, vt apud Plinium Tussim veterem cum suspirio. Dicit ergo in acutis passionibus, ne non intelligeremus asthma, vt dolores podagricos, in quibus suspiria sunt quasi pathognomica: quæ cum febre sunt, vt attonitum morbum & comitialem accessionem excluderet, in quibus suspiria nihil portendunt eadem fermè ratione. Sed cum sint hi morbi natura suspiriosi, nihil nouum prædicunt. Quosdam etiam morbos cum febre nec acutos esse constat, velut regius: quandoque & vlcera pectoris atque pulmonis, & renum & ventriculi plerunque, de his non loquitur. An verò de Ardentibus febribus, incertum videri posset, quia præsupponit alium morbum vltra acutam febrem: verùm credo fuisse modum loquendi, nam seu suspirium fit ob cogitationem malam, cum simus in casu desipientiæ, quæ non est cum risu, valde malum est, omnis enim desipientia, mala est: cum febre, peior: cum mœrore, pessima, vel cum studio. Si verò fit ex calore circa præcordia, significat impotentiam vitalis facultatis, aut impedimentum, quo tempore æger liberiore indigeret refrigeratione: quod malum est. Demiror de hoc qui scribunt, in operibus artis minimè exercitati, cum non hoc rarum sit, sed frequentissimum, suspirare scilicet in febribus, vt sit malum signum, adeò vt paucos euadere viderim. Dicebat Galenus secundo de Spirandi difficultate: Qui in luctu sunt, suspirant calore circa præcordia collecto duabus ex causis, vna, quod calor ob tristiciam intus coit: altera, quod obliuiscuntur ob curas respirationis.

Coac. prædict. pag. 24.

Lib. 20. c. 9.

Cap. 6.

APHORISMVS LIII.

DOlores podagrici vere & autumno magna ex parte mouentur.

COMMENTARIVS.

DOlores podagricos fieri natura excernente, quod molestum est à locis iecori vicinis ad iuncturas, haud dubium est: sed neque illud dubium est, humores modò qualitate, modò quantitate vel vtroque modo esse molestos. Et illud quoque condonemus, hyeme plurimos humores & qualitate etiam peccantes generari, vnde ver maxime podagras excitat: æstate autem, etsi pauciores generentur humores: tamen qui qualitate sua infestent, præcipuè ob esum fructuum, ideoque etiam autumno podagras generari, sed pauciores quàm verè. Vnde & inter ægritudines veris, vt Galenus inquit hic in Commento, Hippocrates tertia Aphorismorum commemorat articulorum morbos, sub quibus podagra continetur: licet etiam ibidem, dum de autumno loquitur, connumeret coxendicum dolores, qui & ipsi sunt è podagræ genere. Cum verò morbos ad res præter naturam, tum etiam naturales compararuerit, hic ad res non naturales etiam confert.

Aph. 20.

Aph. 22.

Verùm dubitationes plurimæ supersunt. Prima, quomodo natura sentiat illam molestiam seu de multitudine, seu qualitate? Secunda, cur non potius expellat illos humores extra corpus & ad cutem, quæ est imbecillissima, quàm ad iuncturas? Tertia, cur non potius æstate quàm verè, cum plures sint humores colliquati, podagræ excitentur? Quarta, cur in his & illis podagra excitetur, non autem omnibus. Quinta, quinam magis singulis temporibus sint obnoxij? Sexta, de auxiliis generaliter. Quòd ad primam attinet, dicebat Hippocrates quarto de Morbis: Trahit vnumquodque de terra alimentum, quale etiam ipsum existit, nam & rosa de terra trahit talem humorem, qualis ipsa potentia existit, & allium similiter. Idem in libro de Natura pueri: Vnumquodque ad suum simile abit. Et illud in libro de Alimento: Naturæ omnium nullo doctore vsæ sunt.

De Caus. mor. c. 5.

Pag. 2.

Pag. 3.

Pag. 3.

sunt. Quasi dicat, quæ conueniunt, trahunt, contrariaque expellunt, hic est ergo sensus naturalis. Et huiusmodi expulsio in animalibus habet instrumentum, scilicet villos, cum tamen & in plantis fiat, de quo aliàs. Ad secundam dico, quòd humor non expellitur extra corpus, vel propter malam dispositionem, vt quòd sit viscida vel crassa: vel ob locum, qui sponte trahit, vt in dolore & caliditate: vel ob consuetudinem factam à natura. Hippocrates in libro de Aëre docet, tantum posse consuetudinem, vt homines mutent formam naturalem capitis in generatione: vel ob impedimentum in via vel actione, vt si quis aluum astringentibus vtatur. Cur autem potius vere quàm æstate: Dico, quòd in æstate fit multa resolutio ad partes exteriores, ideò nec ratione motus, nec materiæ apta est æstas ad podagram. Cur verò hi vel illi magis sint obnoxij, plurimas causas aliàs adduximus.

Pag.10.

Com.17.

Nunc verò rem planam facere ex toto volumus. Est enim forma humoris podagram facientis cruditas, facta ex raritate caloris naturalis, vt in libro de Dentibus docuimus. Fit autem calor rarus aut ob partem pinguiorem quæ educitur, vt in coitu, & multa sanguinis effluxione: aut ob dissolutionem à calore, velut hi qui frigus nullum experiri volunt, & qui aromatibus & vinis potentibus vtuntur: vel ob id quod ei permiscetur non coctum, vt in desidibus, & crapulæ deditis: aut enim adiicitur quod adiici non debet, aut non consumitur humidum aqueum. Et non videntur plures esse posse modi, nam vel ex seipso fit rarius, vt à calore: vel per detractionem vtilis, vel additionem inutilis. Videtur autem detractio vtilis causa difficilior, quæ curam vix admittat, nam quod rarescit, potest densari: & quod impurum est, purgari: at quod est deficiens, non potest restaurari. Vnde videmus multos podagrosos pingues: nemo tamen potest esse tantæ vitæ, quantæ esset si podagra non laboraret: nihilominus sunt viuaciores reliquis hominibus, quoniam plus facit ad vitam abstinentia, quàm noceat caloris raritas: si tamen fuerit magna raritas caloris, vix possunt senescere. Securiores ergo sunt, qui ex ocio & crapula ad illam deuenerunt, quàm qui ob resolutionem partis pinguioris caloris. Si ergo calor sit potens, & humor crudus, minimè siccus, poterit concoqui, & ita per inediam tales multum commodi consequentur, & incommodi parum aut nihil. Hæc igitur cruditas potest euenire in quacunque parte sanguinis, & ita fiunt podagræ genera iuxta numerum humorum. Quibuscunque igitur cruditas aduenit in bile, fit podagra æstiua: & si in pituita, hyemalis: & si in omnibus humoribus, vere: & si in humore exusto, in autumno, qualiscunque humor fuerit. Sunt & aliæ causæ varietatis temporum, vtpote in imbecillibus fit in hyeme ex ratione ventorum, & Brasauolus bene dicit, quòd apparent omni tempore. Vbi enim materia plurima congeritur, nisi succedat auxilium, necesse est vt podagrici deueniant in podagram. Dictum autem Hippocratis est generaliter verum, quia istis temporibus maximè rarescit calor naturalis, quia expanditur: & licet in æstate rarescat, à calore tamen aeris concoctio iuuatur, non in quanto, sed in quali, nam ex ratione quantitatis & perfectionis sine dubio melior fit in vere quàm in æstate, prima Aphorism. Ex quo patet, *Aphor.15.* cur aliqui obnoxij podagræ, transeuntes à Mediolano versus Romam sanantur: & redeuntes Mediolanum, iterum corripiuntur, sicut contigit fratri Pauli Taegi iurisconsulti. Et ex hoc patet, quod morbus iste est maximè hæreditarius, tum propter raritatem caloris, tum ob debilitatem iuncturarum, tum ob consuetudinem transmittendi, dicebat Philosophus exemplum de cane venatico, filio venatici canis.

Cùm igitur podagricus vir dicatur trifariam: potestate, & est qui habet calorem naturalem rarum in iecore primùm, & suis venis: secundò etiam in corde, nam quæ est raritas caloris in ventriculo, non facit ad podagram nisi ratione præparationis: & ideo omnis talis est sanabilis. Secundo modo præparatione: & est ille, in cuius venis est humor ille crudus iam genitus. Tertio modo actu: & est ille, ad quem podagra iam peruenit: & hoc est, quia iam habet debiles iuncturas, latas vias, & consuetudinem recipiendi humorem, vel tres primæ illæ causæ computata cruditate supplent pro consuetudine, iuxta hos ordines quæritur sanatio. Dico ergo, quod si fit ex crapula & quiete, poterit sanari per longam abstinentiam & exercitationem quacunque ætate, vt legitur apud Porphyrium de senatore Romano. Et similiter si fit à raritate propter calorem aëris vel ciborum, quandoque poterit sanari, si sit iuuenis, ex habitatione in frigida & sicca regione, vel ex diuturno potu aquæ, & hoc secundum affirmant medici, sed primum obseruarunt. Et quando raritas fuerit magna, non curatur à podagra ex his auxiliis, sed adiiciet alios morbos deteriores: Si verò fit ex resolutione, vt dictum est, non sanabitur.

In vita Plotini.

22. tertij Tract.2.c. 23.& Alexander de Cura sanguinea lib. 11.c.1.

Vt verò prohibeatur præparatio, oportet vt tantum possit leuitas cibi, quantum raritas caloris: exerceatur ergo, fricetur, dormiat, bibat aquam, comedat cibos vnius generis, carnem bubulam, quia parum nutrit, & valde coctam, tum quia faciliter subigitur, & nos diximus præter naturalem calorem locum naturalis subire, tum quia per se dura est: quies post cibum: quæ roborant ventriculum absinthium, menta: vomitus cùm repletio sentitur, abstinentia cibi.

Quæ autem prohibent, sunt quæ humorem educunt, quæ auertunt & repellunt, & quæ iuncturas confirmant. Equidem maximè exacerbatur fluxio his quæ excalefaciunt: vnde à vino potenti, tum propter aquam ardentem quam continet, & dum ventriculus in concoquendo laborat: ideo hac concoctione cibi, & maximè durioris, crescit dolor.

Quæ verò educunt, securiora sunt: reliqua tria, nisi paucula, morbum ad iecur & lienem & pulmones & ventriculum præsenti vitæ periculo retrahunt, cum enim materia genita fuerit, quorsum minore periculo, si non euacuetur, aut ad cutim trahatur, deriuari

potest?

potest? Iuuant autem, quæcunque humorem illum crudum educere possunt. Oportet autem raro id facere, quoniam ex gibba in cauam iecoris cum maximo periculo traducere oportet: quamobrem & maximam copiam, vt in plures annos sufficiat. Itaque & exercitationibus & frictionibus, & inedia & attenuantibus, & dissecantibus, & somno præparandus est. Medicamentum autem, elleborus aut colocynthis cum vino mombasio dulci colliquata. Auertunt fomentationes sub genibus tutò, tum verò frictiones: quæ verò prohibent nulli fermè sunt vsui, nisi quatenus dolore etiam materia non cruda trahitur: & ne nimis confertim descendat, vt locus sit interim auxiliis: fit autem ex aqua aceto & furfure. Iuncturas confirmamus, si admodum debiles sint, non vt repugnent, sed vt non trahant. In ipsa accessione vbi sedata est fluxio semper, plerunque antea exterius reuocare licet. Cæterum sectio venæ & cucurbitulæ & hirudines, vt præsenti videntur esse auxilio, cum sectio venæ auertat sanguinem, refrigeret, & quandoque materiam minuat: cucurbitulæ verò vehiculum subtrahant, & etiam auertant: infinita tamen curandi ratio est, & calor semper fit rarior, & membra debiliora. Sed neque antidota illa adeò celebrata prodesse possunt nisi ad tempus, mutant enim calorem, sed non restaurant, sedatáque podagra cum aliis morbis pereunt, eam præueniunt, non fugiunt: mutatio tamen aëris in calidam & siccam regionem, & victus, vt reliquos magnos morbos quandoque sanare potest. Qui autem vere purgando, aut sanguinem detrahendo curare aggrediuntur, nisi delicta victus, crapulæ & ebrietatis emendare velint, non proprium naturæ lapsum, non rectè agunt, quanquam iuuare videantur. Præsertim eorum fit manifestus error, quibus si sub fine æstatis vel hyemis podagra præoccupat: id contingit, cum multa materia abundat, vel ob victus errores, vel naturalem plenitudinem, vel intemperiei magnitudinem. Cum verò materia pituitosa est & crassa, quouis modo citra magnam purgationem aut fomentationes podagra cessauerit, periculum est ne lapidis morbo æger conflictetur. Securissima autem podagra est, cuius accessiones perbreues sunt, & operationes naturales non vitiantur: sed manet bonus color, corpus carnosum, appetentia sine siti, somnus quietus, vrina bona & valde clara, splendida: & cutis facilè exulceratur, tum maximè in loco affecto. Pessima autem est, in qua cutis fit coriacea, id est crassa, dura, nigra: & post ipsam cui subest œdema, minus mala, & cùm abscessus manet. Quæ verò cum sudore resoluitur, non est digna nomine podagræ. Securissimus autem sanandi modus est, vt homo exerceatur ieiunus vsque ad sudorem vehementem: inde ponat se in lecto calido mutata interula, & sudet contectus pannis quousque potest: & hoc faciat quotidie, vel bis aut semel in hebdomada, & prandeat parum, & in loco frigido ac sicco & perflato: sed dum ipse adest, concludatur locus vitreis fenestralibus: & ipse sit contectus bene vestibus, & continuet per annum, deget enim sanus, & forsitan curabitur in perpetuum, densat enim calorem naturalem, euacuat materiam podagræ, auertit naturæ consuetudinem transmittendi ad iuncturas, & illas confirmat. Quòd si mens sit reuocare podagram propter deteriorem morbum, ponatur in balneo calido, & inungantur pulsus oleo sulphuris. Hæc volui scribere vberius, vt intelligant homines, non esse podagræ cognitam rationem: nec mirum esse, si non curentur.

APHORISMVS LIV.

IN morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, apoplexiam corporis vel conuulsionem vel furorem vel cæcitatem significant.

COMMENTARIVS.

INtelligit, quòd morbi quidam fiunt ex mala victus ratione, de quibus non dat exemplum, quia sunt conspicui, locutus tamen est: alij ex temporibus, vt podagra, de qua in præcedenti Aphorismo, & dedit vnum exemplum, quia erat res nota, & de his distinctè suprà, alij ex alio morbo, & hoc declarauit in præsenti Aphorismo per plura exempla, quia non erat adeò conspicuum, alij fiunt ex ætatibus, & dedit exemplum in sequenti Aphorismo de apoplexia, nam apoplexia sola fermè est morbus ætatis: quoniam nullus est morbus qui non adueniat omnibus ætatibus præter apoplexiam, ea enim non fit in pueritia, neque in iuuentute, sed in ætate quæ est à quadragesimo vsque ad sexagesimum annum, adeò vt etsi inclinata ætas ad mortem pronior sit, non tamen eius morbi ratione. Et de hoc etiam suprà, adeò vt comprehenderit hic morbos omnes enarratos ab illo Aphor. Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: verùm nõ explicuit hîc primum modum, neque ibi tertium, qui est, cùm morbus fit ex morbo. Insinuat ergo, quod morbi melancholici, si propriè & malè terminentur, quadrifariam terminari possunt: aut in apoplexiam corporis, translata materia in ventriculos cerebri, aut in furorem correpta, & translata ad cerebrum & membranas eius, aut conuulsionem longius propulsata ad neruorum initia, aut cæcitatem transmissa ad neruos cauos oculorum. Appellat autem apoplexiam corporis, quoniam hoc nomine apoplexiæ cùm tria intelligerentur ea ætate apud Græcos, vt nunc apud Latinos resolutionis nomine, totius medietatis & partis, voluit vt intelligeremus de proprio significato, id est totius, quam vocamus attonitum morbum. In hoc Aphorismo præterea voluit nos docere Hippocrates, quod etiam præter sequentem continuat vsque in finem totius libri: vnum scilicet, quod morbi sunt sæui, vel ratione patientis particulæ, vel ratione materiæ peccantis. Porrò in melancholia afficitur cerebrum, quod maximè periculosum est, tum ob nobilitatem, tum ob teneritudinem: propterea dicebat Hippocrates, quod cerebrum

3. Aph. 19.

3. Aph. 20. & sequentibus.

3. Aph. 14. & sequentibus.

In epistola ad D. meum regem. brum est subiectum frequentissimis & violentissimis morbis. Quo ad materiam, nulla potest esse deterior melancholia, cum vtraque qualitate sit inimica naturæ, & insuperabilis: & videmus quanta mala producat quartana, tametsi affligat tam longis interuallis, & sit mitissimus morborum melancholicorum. Et si quis quærat, cur tamen pauci ex insania moriantur? Respódeo, quòd omnia membra principalia depellunt melancholiam à se, quantum possunt: & plerique morbi qui accidunt, sunt ex consensu & vaporibus, & non ex substantia. Nec substantia melancholiæ ingreditur membrum vllum principale, nisi repleto iam toto splene, vel ex aliquo magno casu: & ideo natura fecit meatum à iecore ad splenem magnum, vt non posset obturari: & in supplementum addidit venas à iecore ad anum, quæ vocantur hæmorrhoides, vt tumultuariè posset efferri. Fecit etiam splenem magnum, non solùm ob causam dictam à Galeno, sed principaliter, vt posset multa materia recipi antequam membra regia infestarentur, nam cum illa ingreditur, vix vllus euadit. Quin etiam quod malus est, adeò extenditur substantia huius visceris, tam laxa est horum metu, vt ad pubem quandoque deueniat. Hic etiam Aphorismus est continuatio ad septimam particulam sequentem, in qua docetur transmutatio & generatio morbi ex morbo: licet plerunque addatur aliqua conditio, vt malum, vel lethale, Galenus verò dicit, quod vnus ex his morbis solus est ei proprius, scilicet furor, nam attonitus & conuulsio & cæcitas possunt fieri ex pituita, sed magis ex humore crudo. Et hoc ex parte verum est, nec est contra Hippocr. Quòd verò dixit, significant, vt legamus, Periculosi decubitus significant, intelligit de decubitus speciebus malis, de quibus in Prognosticis ait: Pag. 2. Decumbentem ægrotum à medico deprehendi conuenit in latus dextrum, aut sinistrum, & manus, & collum, & crura modicè inflexa habentem, & totum corpus flexibile situm, ita enim plurimi ex sanis decumbunt. Optimi autem sunt decubitus, qui sanorum decubitus similes existunt. At verò supinum iacere, & manus, & collum, & crura extenta habere, minus bonum est. Si verò etiam pronus fiat, & de lecto ad pedes delabatur, magis horrendum est: si verò nudos quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos: & manus & collum, ac crura inæqualiter disiecta ac nuda, malum est, anxietatem enim significat, lethale est, & hiantem semper dormire, & crura supini iacentis valde incuruata esse ac complicata. At in ventrem decumbere, si quis non sit adsuetus dum sanus fuit, ita dormire delyrium significat, aut dolorem loculorum circa ventrem. Cæterùm erectum sedere velle ægrum in morbi vigore, in omnibus morbis acutis malum est. Hæc igitur sunt quæ de decubitu, tum aliàs etiam dicta intelligere oportet: neque enim omnia vndecunque traducere oportet.

APHORISMVS LV.

Apoplexiæ autem fiunt maximè à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

COMMENTARIVS.

Demiror sanè vecordiam tot expositorum, qui Hippocratem à Galeno bis iniustissimè in hoc Aphorismo, tanta etiam cum humani generis iactura, accusatum non vindicauerint. Censet enim Galenus, vt Hippocrati contradicat, quem errasse gaudet, non quòd illum oderit, sed vt restituisse & excusasse videatur apoplexiam, magis aduenire post sexagesimum annum, quàm à quadragesimo ad sexagesimum, deinde vt videatur defendisse Hippocr. intelligendum ducit esse de ea apoplexia tantùm, quæ ab atra bile fit: vt longè turpior sit excusatio Hippocrati, quam accusatio. Quod enim dicendi genus est, apoplexiæ fiunt maximè à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum? id est, Licet pauciores sint quæ fiunt apoplexiæ à quadragesimo ad sexagesimum, earum tamen quæ fiunt ab atra bile, maxima pars fit à quadragesimo ad sexagesimum annum, deinde dicit, quod plerunque apoplexia fit à pituita, & non ab atra bile: vt quasi suggillet Hippocratem, qui videatur innuere per illud verbum Autem, quod coniungit duos Aphorismos, præsertim cum præcedenti: vt sit sensus vnus, quemadmodum Galenus in Cómento frustra tot verba repetens scribit, hoc sensisse. Piget me adeò longum esse, sed veritatis amor, & vtilitas humani generis, & ignauia tot autorum qui vinctis oculis illum secuti sunt, ad hoc nolentem me adegêre. Quid enim vulgatius, quàm quòd apoplexia fiat à pituita? & tamen falsum est, nec me latet tamen, in ea sententia fuisse quotquot post Galenum in Medicina ex Græcis, Arabibus, Latinisque scripsere. Vides quanta fides, in quibus dissentiunt, aut pauci idem sentiunt, sit adhibenda, postquam ea in re in qua omnes idem sentiunt, toto cœlo aberrant. In causa est summa ambitio vnius viri, qui properanter multa scripsit, & quæ nec emendare, nec constanti animo, sed vt aliis contradiceret, multumque persuadens sibi scire, quorum vix rudimenta prima attigerat, in quibus tamen se excellentem putabat: verùm cacodæmone admonente, vt rectè rebus prospiceretur humanis, somnio delusus, cùm id spectare ad magnam gloriam existimaret, decimo de Vsu partium præsertim suam prodidit infantiam: cùm verò qui illum secuti sunt, Paulus ex professo se eius nomini totum deuouit, qui propter claritatẽ, breuitatem & ordinem gratior factus, magnam iniecit cupiditatem Galenum legendi: vt similis fuerit his mercantibus, qui ex Sarmatia veniunt, pulchrásq; pelles deferentes, pauculosque speciosos lapides votum ingenerant hominibus, Sarmatas inuisendi: apud quos cùm peruenerunt, nihil inueniunt quod iucundum

iucundum visu sit, præter hoc ipsum quod ipsi viderunt, sed omnia horrida, squalida, fœda: & neque hoc ipsum quod hîc viderunt, tam facile inuentu, quàm hîc. Alexander verò Trallianus, hostis quidem, sed ignauus & purus empiricus, velut & Actuarius: Aræteus parum fœlix: soli Oribasius & Aetius paulò post Galenum floruere, atque ideo Marini, Prasagolæ, Agatini, Herophili, Erasistrati, Heræ, Dioscoridis, Serapionis, Asclepiadis, cæterorumque virorum insignorum scriptis innixi, nec à Galeno detraxêre, nec plus quàm illi deberetur tribuere: verùm pensitatis omnibus illum secuti sunt, non admirati. Cætera turba Arabum cùm nihil inuenisset præter Galenum, & Ruffum quendam, alteram Galeni simiam, Galenum non pro medico, sed pro deo coluit, cuius facti autor fermè primus fuit Rasis: inde Arabica simia illa Haliabbas, malè comperta, & Princeps: sed Princeps & Auenzoar & Auerroes non tam oculis clausis assensi sunt, verùm Auerroes suo Aristoteli intentus erat, Princeps parum voluit, Zoari parum erat quod obiiceret: ita venit ad Latinos is, vt prius admirarentur illum quàm intelligeret. Hæc igitur historia rei est: nunc verò aggredior quod sum pollicitus. Dico nullam fieri apoplexiam ex pituita: proximum huic, omnem apoplexiam ex atra bile fieri. Cùm dico nullam aut omnem, intelligo modò medico, non geometrico, neque enim negauerim in centum vnam aut alteram ex pituita fieri, non ex atra bile, quod sic ostendo: Morbi violentissimi fiunt ab inuictis humoribus ac pessimis: sed atra bilis pessima est, & apoplexia morbus violentissimus, conueniet igitur atra bilis apoplexiæ, & non pituita. Deinde infantibus plenum est cerebrum pituita, vt nulli alij ætati: & tamen nunquam visus est infans (quanquam etiam comitialibus morbis tot ex his sint obnoxij) qui correptus sit apoplexia. Præterea si apoplexia ex pituita præcipuè fieret, & hi maximè senes corriperentur apoplexia, qui pituita abundarent in cerebro, atque ita soliti grauedinibus & raucedinibus laborare: sic & aquæ potores, & non vini: somnolenti, & non vigiles: at nihil minus horum, accidit enim hic morbus vinolentis, sollicitis, vigilibus, capite carnoso, sed non pituita redundante ex naribus, nec ex palato. Quòd si omnino fieri velis à pituita, adeò replente ventriculos: cur non antequam in hunc morbem incidunt, grauedinem sentiunt? neque enim tanta fieri repletio potest confestim, sed multo indiget tempore: at hoc non visum est, quin potius ante & per multos dies sentiunt acutos dolores capitis, teste Paulo. Signa quoque alia à Paulo ibidem descripta, id non attestantur, venarum sphagiritidarum, id est soporariarum toruli eleuantur: oculi tenebræ modò, modò splendores obuersantur: vrina æruginosa & atra, quid hæc rogo cum pituita? si non vltima primis miscere volumus. Rursus si pauca materia collecta est, cur dolores magni? si tota, cura non colliquescitur? est enim quasi principium in medicina & philosophia, humidum à calido colliquescere. Rursus, si pituita est causa apoplexiæ, cur iubent mitti

Lib. 3. cap. 18.

sanguinem? cùm nec ratione loci, cùm sit extra venas: nec qualitatis, cùm sit valde frigida: nec originis, cùm orta sit in cerebro, & non illuc deducta per venas & arterias, conueniat? Cùm etiam pituita descendit per nares & palatum, deberent alleuiari, sicut in comitiali. At tantum abest quod alleuientur, vt signum sit lethalissimum, materia illàc descendens, neque enim talis pituita est materia morbi, sed humidum ipsius cerebri, quod colliquatur ex atrocitate morbi: sicut etiam in morientibus ex acutissimis & siccissimis febribus, in quibus sentitur recmon: quod non tam est causa mortis, imò leuis causa quàm certissimum signum, quia significat colliquationem substantiæ cerebri, & ideo nullus horum prorsus audit, aut videt. At illi qui patiuntur recmonem ex destillatione pituitæ, licet propter illius multitudinem moriantur, vident tamen, audiunt, & ratione pollent. Modò intellige quantum referat hoc scire, si quis paratus sit ad apoplexiam: vel quia maiorum aliquis ex hoc morbo interierit, vel quia in ea regione plures ex eo morbo moriantur: vel quia eo tempore consulent isti inclyti medici, sequuti suum Galenum, vt vtantur carne, ouis, vino, parum indulgeant somno, abstineant ab aqua & piscibus: tamen ex illis generatur hic morbus, cùm his tribus impossibile est decidere in eum, nisi præoccupauerit. Quo ad ætates, & vidi & obseruaui, esse verum dictum Hippocratis, & à sexagesimo ad octuagesimum annum nullus fermè moritur, nisi qui sunt in extremo vitæ: ita vt velint appellare finem vitæ, & mortem naturalem, apoplexiam, quia vtraque repentè contingit, sed apoplectici vt primùm ceciderunt, sunt calidi, & respirant aliquantisper: qui moriuntur morte naturali, postquam ceciderunt, non respirant, & sunt frigidi iuxta carpos, pectus & pedes, cum tibiis, velut in syncopi. Sed quod decepit Galenum & sequaces, est quòd aliqui moriuntur ex caro, quod vocant Arabes *1.3. Trat.*
subeth, post sexagesimum annum, & idem *4.cap.1.& 1.*
morbus certè fit à pituita, sed multum differt ab apoplexia, licet plerique medici propter imperitiam credant eundem esse morbum, sed est magnum discrimen: quia qui laborant caro, sentiunt tormenta, mouent etiam aliqualiter membra, & præcipuè palpebras, & stertunt: apoplectici verò patiuntur recmô, & nec sentiunt tormenta, nec mouent nisi pectus: & hoc pauci, & parum, etsi sanentur vtrique discrimen etiam apparet manifestissimum, nam qui ex caro resurgunt, remanent stupidi, & non resoluti: vt Hieronymus Archintus iurisconsultus, patricius Mediolanensis, & qui resurgunt ex apoplexia, remanent resoluti: sed non adeò stupidi, vt pater Ioannis Angeli Ferni. Et caros, licet sit grauis morbus, aliquando tamen accidit ex solo consensu ventriculi, & sanatur facillimè, & etiam quod fit ex cerebro propriè: multi tamen sanantur adhibita diligentia, si robustus æger, & medicus peritus sit.

Cùm verò dicat Galenus, & hoc (vt visum est) sentire videtur Hippocrates, quòd apoplexia fiat ex atra bile & atrabilis duplex: naturalis, quæ est frigida omnino & mitis: & calida atque

Probl.1. atque exusta, furens. Vnde illud cùm dixisset Philosophus trigesima Problematum, cur sapientes omnis generis fuerint melancholici, & distinxisset atram bilem in naturalem, & eam quæ præter naturam est, causam solùm morborum: naturalem in duas species distinguit, frigidam scilicet, & calidam, ex frigida stupidos & attonitos solùm generari refert: at ex calida sapientes, prudentes, artifices, Poëtas. In Rhetoricis ait ad Eudemum, cùm ad feruorem intenderint, qui ex illis progenerantur, ad insaniam degenerant, velut qui ab Alcibiade & Dionysio priore originem duxerunt: si verò ad frigiditatem ex stabilibus pacatisque ingeniis parentum sapientum, in stoliditatem & ignauiam, velut à Cimone, Pericle, Socrate. Vt videatur tam calidam quàm frigidam atram bilem, naturalem constituere. Galenus autem naturalem semper frigidam, quam vult esse sanguinis limum ac fecem, Secundo de Naturalibus facultatibus: quærendum est, de qua intelligant? Et sanè mihi videntur non de naturali intelligere, quoniam illa qualibet ætate fit ac generatur: non à quadragesimo anno ad sexagesimum, imò nec magis, ne forsan eò recurras: sed quanto magis homo senescit, potius. Quinimò generatur illa præternaturalis ea ætate in calido & sicco iecore. Quamobrem de his præcipuè intelligendus est Aphorismus.

Lib. de Nobilitate. Cap.9. Cap.41.

APHORISMVS LVI.

Si omentum excidat, necessariò putrescit.

COMMENTARIVS.

Res ratas collegisse, & admirabiles in his libris Hippocratem, sæpius diximus: inter quas est hæc, quòd cùm tot sint membra interna, & aliqua etiam molliora omento, vtpote cum sit membrana: nulli tamen imposita sit hæc necessitas corruptionis, velut omento. Est omentum res notissima, membrana adipe plerunque multo redundans. Omnis verò membrana fibris omnis generis referta est, vt docuimus in quarto Contradicentium, continens intestina, ventriculo etiam ac aliis partibus adhærens, mirac zirbum Arabes vocant. Sed de mirac ipsimet ambigunt, cùm tres essent tunicæ, illi duas tantum existimarent. Peritoneum siquidem & omentum & membrana carnea, quæ totum corpus ambit passim obducta musculis. Excidit etiam quandoque vsque inscrotum, cùm distenditur, vt superius visum est. At non hic de illo casu intelligendus est Hippocrates, sed vbi ex vulnere prociderit, etenim etsi frangatur, vulneretur, loco exeat, modò non exeat sic vt ab aëre lædatur, non putrescit. At non violatum ab aëre si tangatur, tamen corrumpitur, cuius corruptio ostendit ipsum resecari oportere. Modum ponit Galenus sexto Methodi: eo amputato, quod non sine periculo fit sanguinis effusionis, intestina minus firmiter continentur, & totus venter frigidior redditur, præsertim ventriculus, quod ei adhæreat ex parte: quæ etsi nō amputetur, amputatione tamen alterius partis læditur. Nota est historia gladiatoris, qui ob hoc lanas multas deferre cogebatur super ventriculum, quia malè concoqueret præcisa vulnere parte omenti. Est etiam illud obseruandum, celerius putrescere intra repositum, quàm si extrà maneat: certius tamen corrumpitur, cùm diu extrà manserit. Causa est, quoniam extrà si maneat, magis afficitur à causa quæ ipsum ad corruptionem adigit, & ob hoc certius est putrefactum iri. Si autem remittatur intrò, celerius putrescit: quia cùm iam sit corruptioni obnoxium, à calore celerius putredo ipsa absoluitur. Quod autem per verbum Excidat, de vulnere intellexerit, ostenditur ex contextu in primo de Morbis, ex quo loco Aphorismus hic desumptus est. Excidit autem, quoniam inferiore parte non est annexum corpori: laceratur enim in prægnantibus, verùm obtenditur omnibus intestinis, dum viuimus, vt ea foueat. Sed omnes anatomici cùm soleant suspensos & securi percussos dissecare, contractum fermè ad vmbilicum inueniunt: cùm constet mihi, in morbo extinctis frequentius experimento ad pubis os extendi. Verùm his descriptis, ad causam Aphorismi deueniamus. Nam chirurgi id obseruant, vt omentum, quando liuidum est aut nigrum (quod tamen celeriter euenit) excīdant: secus reponant, neque enim si reponatur celerrimè antequam vitietur, putrescit, sed restauratur, quod ex sententia Galeni esse videtur. Brasauolus autem bis cōtigisse dicit. Causa ergo est, quia omentum est calidę & humidæ substantiæ propter pinguedinem annexam, & tenuis substantiæ. Calorem autem habet ab aliis membris, non ex se: & est quasi madefactum sordicie intestinorum: ideò cùm ad aërem prodierit illa sordicies, corrumpitur, & putrescit, & ea putrefacta corrumpitur pinguedo, inde membrana, & si quis bene cogitet, sicut illud de corruptione est speciale in omento, ita etiam causæ. Quòd verò quandoque non putrescat, non agam more illorum qui pertinaciter, vt hominum placita tueantur, in perniciem humani generis consentiunt. Dico quod in Thracia hoc verum erat, non autem in nostris regionibus: quia aër ibi est corruptioni magis obnoxius, idem de Thessalia: & hoc comperitur ex narratione, quæ habetur ab Hippocrate tertio Epidemiorum, cùm in nostris regionibus, quanquam fuerint pestilentiæ maximè lethiferæ, non tamen eò vnquam ventum est vt frusta membrorum exciderent, ac si essent arborum rami qui putrescerent. Est enim ille aër & corpora sicciora, quæ cùm putrescunt paululum, adeò corrumpuntur vt excidant, & hoc non mirabitur quispiam, qui viderit Mediolani vulnera crurum difficilè curari, capitis contrà facilius: quod aër sit crassior Papiæ, crurum facile, capitis perniciosiora ob tenuitatem & tamen non distant plus quàm viginti miliaribus.

Margin notes: Contrad.9. Aphor.44. quintæ par. Cap.4.in fine. 4. de Vsu par. c.9. Pag.12. Sec.3.const. temp.pestil.

APHORISMVS LVII.

QVibuſcunque à coxendicum dolore diuturno moleſtatis excidit coxa,& rurſus incidit, iis mucores ſuperueniunt.

COMMENTARIVS.

EX ſitu & natura membri docet prædicere. Sed vt hiſtoria melius intelligatur, adiiciam anatomen partis illius, ad verbum Cap. 30. in initio. deſcriptam ex Veſalio, in primo de Fabrica humani corporis, hoc modo: Femoris os magnitudine cunctis humanæ fabricæ oſſibus præſtat: in auibus autem, & omnibus ferè quadrupedibus tibiæ oſſi & fibulæ (quum hęc adeſt) longitudine cedit. Hoc ſuprà quidem coxendicis oſſi, infrà autem diuerſa articuli ratione oſſi tibiæ coarctatur. Superiori enim parte, qua ſimiliter atque inferiori appendice donatur, robuſtiſſimum caput obtinet, prolixæ quidem ceruici ad interiora inclinatæ adnatum, coxendiciſque oſſis acetabulo exquiſitè congruens. Vniuerſum hoc caput læue & cartilagine incruſtatum viſitur: at in Cap. 29. in princ. ſui medio nonnihil inferius, quàm ipſius verticis (vt ſic dicam) centrum conſiſtit, anguſtum profundumque & inæqualem commonſtrat ſinum, cui teres ligamentum à coxendicis oſſis acetabulo enatum, validiſſimè implantatur. Ex hac deſcriptione liquido apparet os coxæ, quod eſt in ſuperiore parte iunctum oſſi pubis antè: ilij autem pòſt, cui firmiter implantatur (vt ab eodem habetur, vocatur idem etiam coxendix) habere acetabulum, quo excipiat ab inferiore parte oſſis femoris caput ſeu appendicem, ſicut aliud in ſuperiore, quo ilij os, vnde hoc præſidio coarticulationis, tum etiam validorum muſculorum quaſi immobile manet, femoris autem circumagitur. Mirum ſpectaculum præbet hic Fuchſius, dum perſequitur verba quædam Braſauoli. Turſionem, quem ego in Neuſtria vidi, imitatur, is enim prægrandi vaſtóque corpore, non ſui memor, dum lupum non ſatis magnum ſequitur, in piſcatorum manus aqua in littore deſtitutus incidit. Inquit Fuchſius: Dearticulationem iunctorum oſſium Galenus appellat articulum, non ſinum, ſed ipſum caput quod ſinui inſeritur, & iam dixerat, articulum coxæ potius eſſe intelligendum, non os ipſum quod incidit & excidit, ex quo palàm eſt, arbitrari Fuchſium, qui forſan nunquam vidit anatomiam, coxam eſſe quæ capite intrudatur femoris cauitati, non femoris caput, quod coxæ ſinui dearticuletur. Tales errores parit ardor nimius alios inſectandi, qui homines exæcat.

Meritò autem dubitandum eſſet, cur natura non potius coxæ os intruſit femori, firmius futurum in tanto pondere, quàm femoris coxæ oſſi? Cauſa igitur eſt, quoniam longè facilius ſic mouetur, quàm ſi femori tantum pondus immineret, fieri enim non poſſet vt celeriter moueretur: quare homo currere non poſſet, at multo magis confert hoc ad motus facilitatem, quàm ad luxationem obſit, nam de firmitate poſtmodùm natura multis modis proſpexit, vt etiam Galenus docet tertio de Vſu partium. Dices forſan, Cap. 9. cur A facilius mouetur quàm B? Quia quod mouetur, vicem agentis retinere oportet, at tam in A quàm B mouetur pars inferior





oportet igitur, quod inſeritur, facilius moueri, quàm id cui inſeritur, & ob id A, quàm B. Atque hæc ratio naturalis eſt, alia Mathematica. Cum A imminet, non adeò ſe coaptat: ſed vt facilius elabitur, ita facilius etiam diuerſis partibus occurſat: quare nec tanta ſit impreſſio in cauitate, nec adhæret adeò, quare nec motum impedit, diuiditur enim pondus iuxta latitudinem. Sunt & aliæ ſubtiliores rationes, ſed difficiliores: de quibus nunc dicendum non eſt, ſed ad ſua loca relegantur.

Nunc autem videamus quid de luxatione huius articuli ſenſerit Hippocrates, in libro igitur de Oſſibus hæc de illo ſcripſit: Femur Pag. 1. foràs & in anteriore parte incuruum eſt. Caput autem eius appendix eſt rotunda, ex qua neruus, qui in coxæ acetabulo eſt, naſcitur. Subobliquus autem etiam hic annexus eſt, minus verò quàm brachium. Coxa verò magno articulo, qui iuxta os ſacrum eſt, ex ligamento cartilagineo ac neruoſo adhæret. Et de defluxione ipſa hæc habet in libro de Glandulis: Alius morbus oritur ex defluxione Pag. 4. capitis per venas in ſpinalem medullam: inde autem in ſacrum os impetum facit, quò medulla ipſa fluxionem perducit, & in coxendicum acetabula ſiue iuncturas deponit: & ſi tabem fecerit, homo marceſcit, atque hoc modo contabeſcit, & viuere non expetit. Statim enim ſcapulæ dolent, amboque pedes ac crura conſequũtur, & ſemper tandem pereunt multo tempore curati, atque ſic defloreſcit homo ac moritur. Excidit autem femur quadrifariam, vt inquit Hippocrates. Sed quid melius, quàm vt ipſe ait, dicere poſſunt? ſunt autem verba eius libro de Articulis: Si Pag. 14. verò femoris articulus ex coxa exciderit, excidit autem iuxta quatuor modos: intrò quidem ſæpe, foras autem præ aliis ſæpe: verùm in poſteriorem ac anteriorem partem excidit quidem, ſed raró. Illud notandum, quòd quanquam parerga dici poſſint, diligentiæ tamen Hippocratis magnum eſt argumentum, & ad intellectum rei facit, quod paulo pòſt ſubdit: ſcilicet femoris os eſſe ita coarticulatum, vt ad genu extendi non poſſit, niſi etiam ad coxam extendatur, aut totum crus multum eleuetur. Et ſimiliter, inquit, inflectere articulum circa genu non poſſunt, niſi 3. de Articulis com. 99. ſuperiorem articulum etiam inflectant. Quo

Galenus

Galenus in loco causam perpulchrè reddit. Sed ad rem redeo. Cum igitur & antè & pòst rarò etiam per vim ossis femoris caput extra acetabulum luxetur (vt visum est) accidit vt luxationes, de quibus hîc agit, frequentius accidant in partem exteriorem, crusque breuius apparet, vt ibidem docet: inde in interiorem, & inter se differunt, quòd non tam bene ferre corpus possunt (est enim grauior luxatio) reliquæ autem, vt dixi, grauissimæ, vt etiam rarissimæ. Demiror Brasauolum, alioquin oculatum virum, duos errores hic admisisse. Vnum, cum vult luxari frequentius intus femur quàm extrà, contra Hippocratem: alterum, cum dicit, Hippocratem intelligere de elongatione articuli coxæ, non exitu femoris, cum dicat Hippocrates expressè, quòd excidit coxa: & quod clarius est, cum curam doceat in sequenti. Sed mittamus hæc: & doceamus, quòd causa huius est, tum etiam generaliter cuiusque luxationis spontaneæ, ex humidi abundantia. Vnde ibidem: Multos videas qui adeò humidi sunt, vt quando velint, articuli ipsis citra dolorem excidant, & citra dolorem etiam restituantur. Et paulo pòst docet, quòd hoc contingit maximè, cum muccus abundet in articulis. Est autem hoc proprium discrimen exterius luxati, & interius, ab Hippocrate positum, quòd interius luxati obliquè magis incedunt & minus crus eis luxatum decurtatur: exteriorem autem in partem breuius habent crus magis, sed rectius incedunt. De hoc morbo agit in libro de Affectionibus, dicens: Coxendicum morbus cum fit, dolor corripit coxæ iuncturam, & summas nates ac coxendicem, tandem verò etiam per totum crus dolor vagatur. In libro etiam de Internis affectionibus proponit huiusmodi loci morbos quatuor, contractum à sole, à bile, pituita, & sanguine. Demonstratio ergo constat in hac, si dolor affuit, & femur excidit, non nisi ob muccosum humorem id contingere potest, quoniam longius factum est crus: at dolor potius contrahit. Atque hoc dixit, non vt in cæteris, ad prædictionem solùm, sed ad curam, quemadmodum in sequenti.

Pag. 16. *Pag. 17.* *Pag. 3.* *Pag. 4.* *Pag. 25.* *Pag. 9.* *Pag. 29.*

APHORISMVS LVIII.

QVibuscunque à coxendicum dolore diuturno vexatis excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si non vrantur.

COMMENTARIVS.

TRia hîc proponit ex priore assumpto: assumptum est autem, quod afficiantur diuturno dolore in loco illo, & quòd femur excidat ex coxa: hoc enim idem est, seu dicas coxam à femore, seu femur è coxa excidere: tunc crus primum tabescit, scilicet quoniam nutriri nequit bene. Hoc etiam dictum est in libris de Articulis, vbi Galenus ponit duas causas huius. Vnam in primo: & est, quòd membrum non exercetur, & ideò refrigeratur, & refrigeratum non nutritur, omnes enim operationes fiunt à naturali calore: non exercetur autem propter imbecillitatem & quia emotum est è suo loco, & ob doloris metum. Dico non exerceri, id est, more solito nec motibus validis, nec diuturnis. Altera causa ponitur in tertio libro: & est, quòd ob dolorem & imbecillitatem generantur muccores, qui coctionem ipsam impediunt. De claudicatione exposita est causa, & est triplex: breuitas, exitus è loco, & imbecillitas: quo fit, vt necesse sit vt claudicent. Dicit, Si non vrantur. Modus vstionis, dicit Galenus in Commento, est velut in brachio. De brachio autem habetur in libro de Articulis, & constat in his præceptis: Trahatur cutis ad partem, in quam facta est luxatio, non ex aduersa parte, atque vratur candentibus ferramentis, oblongis, non valde crassis neque caluis, vt quàm celerrimè cutem penetrent. Quòd si fit lata cutis, transfodienda est candenti ferro, atque etiam in medio vrenda, sic vt omnino periculum non sit ne committantur vlcera: quod si contingeret, tamen fœdius visu esset, quàm inutile aut periculosum. Cauere autem oportet primùm, ne omnino neruos lædas (esset enim maxima iactura) inde, ne venas magnas excalefacias: tertiò, ne glandulas tangas, crustas autem vlcerum tegere oportet, & membrum mediocriter extendere, sic vt vlcera & cicatrices dum coalescunt, non disrumpantur: cum verò crustæ ceciderint, & vlcera pura fuerint, membrum quietum, & vt pondere suo seipsum non distrahat continere oportet. Et tendines quidem calefacere, sed non tangere debemus: cutim calefacere, & tangere glandulas, vt dixi, & neruos & venas magnas, neque tangere neque calefacere. Aëtius libro duodecimo dicit faciendam vstionem prope locum. Celsus præcipit, vt super coxam fiat: non dicit, in articulo (nam hoc definitum non est ab Hippocrate) additque præceptum, vt diutius consolidatio vlcerum differatur. Paulus tamē libro tertio dicit, quòd super articulum vrere oportet, idem quoque repetit in sexto libro. Et quanquam dicat, Vetustæ autem luxationes coxæ nullo modo consanescunt: intelligit, & est verum, cum iam diu femur extra locum suum fuerit: non autem, si ex diuturno dolore articulus tamen nuper luxatus fuerit, tunc enim non solùm igne, sed etiam aliis auxiliis, quanquam non adeò certè, sanatur. An verò hoc sit vltimum, non solùm efficacissimum auxilium in hoc morbo, vt Celsus ibidem dicit, in fine sequentis libri dicetur.

Com. 61. *Com. 65.* *Pag. 5.* *Cap. 3. Lib. 4. c. 22.* *Cap. 77. in fine.* *Cap. 76.* *Cap. 118.* *Aph. vlt.*



IN SEPTIMÆ SECTIONIS

Aphorismorum Hippocratis librum septimum Commentariorum,

PROOEMIVM.

AB initio cùm declarassem Hippocratem in exilium actum, in Larissea Thessaliæ, vbi etiam mortuus est cum filiis ac genero Polybio, consensisse: non perperàm, vt neque alia multa, à me commemoratum est: sed longo examine ex omnibus libris, quæ pulchriora erant, & non tam obuia cuique esse possent, extracta atque in vnum collecta fuisse, ad exercitationis commodum non solùm suum qui senex esset, sed etiam filiorum atque generi, tum etiam nepotum duorum qui Hippocrates ambo vocati sunt, cum omnes medicinam exercuerint, præter primam sectionem, quam totam continuato cursu velut librum vnum composuit, ac præposuit cum prooemio totius medicinæ: tametsi Galenus aliter, vt quibusdam qui bene hoc animaduerterant contradiceret, senserit. Perabsurdè nimis, nescio quò illud reiiciens, vt neque hîc, neque in libro de Morbis, vbi maximè conueniebat, esse voluerit. Sed hæc obiter: illud ex proposito, curasse diligenter Hippocratem vt hi libri, qui coronidem medicæ artis continebant, essent perquàm emendati. Itaque & loca ex quibus exciperentur, voluit vicem obtinere Commentariorum: quæ autem hîc scriberentur, possent memoriæ commendari. Quod non animaduertens Galenus, & Hippocratem quasi nugacem facit, & præcipuam ansam interpretationis omisit. Etenim Hippocrates cum vtriusque Philosophiæ tam naturalis quàm moralis, tum medicinæ principaliter fuerit studiosus, omnes suos libros, tres ad fines conscripsit: aut vt medicum in moribus instrueret, aut in principiis philosophiæ naturalis, aut in artis ipsius medicæ operibus. Quocirca de moribus quidem quinque conscripsit libros, vno argumento contentos: scilicet Iuramentum, de Lege, de Medico, de Decenti ornatu, atque Præcepta. In naturali philosophia quinque proposuit sibi fines, primùm, vt de omnium rerum initiis disputaret, idque in primo de Diæta ostendens, quod & nos declarauimus, nihil corrumpi aut interire, sed omnia manere: tria quidem quòd sint elementa, terram, & aquam, & aërem, sed diuidi ac segregari: vnum prorsus immortale, quod ignem seu calidum vocat, seu cœlum, quod apertè in libro de Carnibus docet, his verbis: Et videtur sanè mihi, id quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere & videre & audire & scire omnia tam præsentia quàm futura: huius igitur plurima pars cum turbata essent omnia, in supernam circumferentiam secessit: & videtur mihi ipsum veteres æthera nominasse. Altera pars inferna appellatur terra: frigidum quid & siccum, & multis motionibus obnoxium: & in hac sanè multum calidi inest. Tertia pars aëris medium locum occupauit, calidum quid ac humidum est. Quarta verò pars proximum terræ locum cepit, humidissimum quid ad crassissimum, scilicet aqua. Vnde nos ab illo non discrepasse de elementorum numero ac substantia, quamuis tum hæc non sciremus, tum etiam de cœli qualitate satis perspicuum est. Pòst principia mortalium rerum, ex quibus hæ componerentur, docuit: atque ea quatuor, in libro de Humana natura, elementa siquidem seu calidum, frigidum, humidum atque siccum: seu quatuor humores, qui in hominibus pluribusque aliis animalibus vicem quatuor elementorum obtinent. Nec tamen idem est huiusmodi partes in corpore animalis, & quæ his respondent in aliis mistis inueniri, atque in orbe esse elementorum moles segregatas numero, & qualitatibus similes. Ab his tota philosophia Peripatetica defluxit, adeò vt quicquid habemus traditum ab Aristotele de huiusmodi sensilibus principiis, id totum ipsi Hippocrati debeamus. At verò tertiam compositionem animaduertit, animalibus quidem propriam, vt ex continentibus, contentis atque impetum facientibus constituerentur. Atque in primo genere de simplicibus quidem partibus tres scripsit libros: de Ossibus, vbi etiam de neruis ac venis egit, de carnibus ac de glandulis: de compositis autem in libro de Resectione, de locis in homine, de corde. In secundo, de Humoribus: in tertio, de Flatibus. Quintam in ordine omnium seu Quartam naturalium de origine naturæ conscripsit in quinque qui extant libris, in quibus se præstitit inimitabilem, non in omnibus, sed in duobus, scilicet de Natura pueri, & de Septimestri partu: reliqui tres sunt de Natura seminis, de Octimestri partu, & de Superfœtatione. Sexta classis est de Natura moribusque

In princ.

busque gentium & hominum : in libro de Aere, aquis ac locis. Pòst sunt libri purè medici vna in parte, sed classibus decem diuisi: atque hæ classes quatuor particulis continentur, namque in prima, in qua tantum est vna classis, duo sunt libri in quibus probat medicinam artem esse : hi sunt, de Arte, & Veteri medicina. Sed in libro de Arte medicinam probat esse artem: atque omnes qui sanantur, Medicinæ beneficio sanari. In libro autem de Veteri medicina, quomodo medica ars inuenta sit, ostendit. Secunda pars aliam classem, & ipsam solam continet. Intentum est per vnius morbi maximè superstitioni obnoxius videtur, omnem ex medica arte superstitionem tollere atque id in libro de Sacro morbo, quamuis aliud agere videamur. At tertia pars sex continet classes, quarum prima est de Sanorum conseruatione atque custodia, id verò agit in duobus libris de Diæta vltimis, & de Victu priuatorum, de Alimento, de Humidorum vsu. Secunda de cura generali in quatuor libris de Morbis, nec non in libris de Affectionibus, atque etiam de Internis affectionibus : tum etiam in libello de purgatione. Tertia est de morbis, secundum ætatem aut sexum de Dentitione, morbis mulierum & virginum, de Natura muliebri ac sterilibus. In quibusdam horum se inimitabilem præstitit, vt in libris de Morbis mulierum, quos nec tota posteritas potuit plenè vel imitari, vel intelligere, vt nec librum de Articulis, qui ad quartam pertinet classem, scilicet chirurgicam, ad quam & liber de Medici vulnerarij munere, de Fracturis, de Capitis vulneribus, de Vlceribus, de Fistulis, hæmorrhoidibus, de Exsectione fœtus, de Visu. Quinta, est ab eo condita ante omnes, de Morbis vagantibus, quamuis serò absoluta, continetúrque septem libris Epidemiorum : quorum tres solùm vt scripti sunt, iacent. Quartus, quem non emendauit : primus & tertius, quos emendauit. Reliquorum quatuor qui pòst venêre, vt carius venderent Ptolemæo aliisque viris operum studiosis, quæ in secundo erant, ad sextum transtulêre : quæ in sexto, ad secundum vt mutuis incrementis augerentur. Forsan quæ in neutris erant, à diuersis, in secundum & sextum addita sunt, vt qui imperfecti haberentur. Quæ ratio etiam obseruata est in quinto & septimo : adeò vt si è septimo quintum detrahas, iusta magnitudine septimus euadat, qui nunc maximus præter consuetudinem habetur. Fieri potest vt is sit, in quem Hippocrates omnes obseruationes vsque ad extremum vitæ congesserit. Sexta classis & de Acutis morbis, in qua non vt in cæteris alios secutus est, scilicet Cnidios verùm sparsas illorum sententias collegit, inordinatásque in ordinem redegit. Quod verò maximum fuit, errata illorum (quæ plura erant quàm dogmata) castigauit hunc librum vocamus de Victu in acutis. In quarta parte duæ classes generales continentur, vna, quæ est de Prædictione, multos habens libros : de Prædictione, Prognosticorum, Coacarum prædictionum, de Insomniis, de Iudiciis, de diebus Iudicatoriis In Prognosticis atque Coacis prædictionibus rursus se inimitabilem adeò præstitit, vt dicere possimus cum Horatio Flacco:

—Ceratis ope Dædalea.

Nititur pennis.

Vltima classis est Selectorum dictorum, septem digesta sectionibus, vt dixi: ex omni congerie operum Hippocratis selecta, præter primam. Quo fit, vt cum Aphorismum aliquem alibi exscriptum inuenerimus, illinc vera sit expetenda interpretatio : si verò nullibi inueniatur, periisse librum illum, in quo scriptus erat, credendum sit. Velut liber de Septimanis, tum etiam alij non pauci, qui ab ipsomet recensentur Hippocrate, & de quibus suo loco dictum est. At septima hæc particula cum exigua esset, quidam repetitis aliis Aphorismis, vt non iam Aphorismi ex libris seligerentur, sed ex Aphorismis Aphorismos consarcinauêre. Itaque ne quis prætermissos huiusmodi Aphorismos admiretur, cum planè iidem essent prioribus, quidam etiam nec perfecti : Galenus verò cum audacter quosdam non repetitos subtrahat, demiror cur huiusmodi, qui nulla ratione relinqui poterant, tamen reliquerit. Itaque vt ad hanc vsque particulam nibis satisfecit communis liber, quòd iidem numero essent & in Textu quem Galenus exposuit, & in alio Hippocratis germano : ita in hac ipsa, quam exposituri sumus, parte, aliquos superaddere necesse fuit, nec tamen multos licet enim post sexagesimum primum in communi numero, seu quinquagesimum secundum ex præsentibus, tres alij interserantur in codice Hippocratis, illos tamen expunxi: & post sexagesimumquartum multi, è quibus sexagesimum octauum & septuagesimum, atque alios quinque, tum duos qui ascribuntur à Galeno expositi, adieci. Vt sit omnium qui extant ex particula Aphorismorum summa, sexaginta quinque. *Tex.19.* Tot igitur exponemus. Horum autem omnium summa collecta est, trecentorum octuaginta quinque, qui in septem libros diuisi sunt.

APHORISMVS I.

In morbis acutis frigus extremarum partium malum.

COMMENTARIVS.

In morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre & hyeme, & ætate senili, partes extremas corporis, velut pedes, manus, nares, aures frigidas habere, nihil absurdum, at in acutis non leue malum existit. At superius dixerat : In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & sitim habeat, lethale est. *4. Aph. 48.* Melius profectò fecisset Galenus, si hunc scrupulum exemisset, quàm alios culpare expositores breuitatis in fine, cum ipse nec satis longam fecerit expositionem : nec superfluos exemerit Aphorismos : cum alios damnet, quòd id non fecerint. Cum ergo prætermit

prætermittat illa interiora vri, & sitim habere:nec dicat lethale, sed malum: palàm est, alium longè hunc Aphorismum habere sensum,quàm habeat ille alter:& quàm Galenus illi tribuat. Nec modò loqui, Cum abscessus vrit, interna & extrema refrigerat: verùm loqui de hemitritæis cuiusuis generis, velut de semitertiana in vxore Theotini, septimo Epidemiorum. Et tertio in primum de Morbis vulgaribus, habuit in textu hoc: In febre, quam semitertianam vocant, cùm morbi eueniunt acuti, tum præter cæteras hæc est lethalis. Ac tabidi, & qui aliis longis morbis detinentur, hac maximè ægrotant. Et supra etiam dixerat: Nonnullæ semitertianæ sunt. Et in secundo super primum etiam in textu habuit, semitertianas febres à tertianis synceris distinctas. Et in Primo super eundem: Febres horrificæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes: modus erat semitertianus vno die leuiores, altero grauius iterum inuadentes. Porrò non omnes febres continuas cum frigore etiam constanti, lethales esse docuit, cum dixit: Frigebant hîc multum extremitates, ac vix calor eis reuocari poterat: non tamen dixit quòd omnes interirent. Vocat autem Galenus in libro de Morborum temporibus τειταιοφυεῖς. Cum verò in secundo de Febrium differentiis constituisset quatuor species hemitritæi, ex mistione biliosæ febris cum pituitosa, scilicet continuæ pituitosæ cum continua vel intermittente tertiana, & intermittentis rursus pituitosæ cum intermittente aut continua tertiana: solùm deinceps Hippocratem vult intelligere per febrem horrificam continuam semitertianam, quæ fit ex continua quotidiana cum tertiana intermittente, eam verò quæ ex duabus intermittentibus constat, non vult esse hemitritæum, quòd non sit continua. Rectè inquam fecisset, si duos modos difficiles, ex quibus postea nemo se explicuit, dissoluisset: & Agathinum seu nugantem, vt ipse ait, seu recta dicentem, omittere, cum vtraque ratione esset omittendus. Primus, cur non febrem ex atra bile his miscuit? fuissent enim duodecim species, non tantum quatuor. Quòd si ex duabus intermittentibus non poterat fieri verus hemitritæus (nunc de nominibus non pugno: scio enim, illas febres hemitetartæos potius esse nominandas) saltem nouem species fiebant. Sed etsi tres illas, in quibus vtraque continua est, eximere velis, quòd horrificæ non sint: erunt saltem hemitritæi seu hemitetartæi, seu compositæ febris, seu malis appellare asinum, non curo, sex asinorum species. Alter modus, cur tertiana continua cum intermittente esse non possit? Atque itidem dico de febre ex atra bile aut pituita, vt futuræ sint nouem omnino compositarum ex continua & intermittente species. Omitto modò alias tres species, quas imaginari licet, cum sanguineam febrem intermittenti coniunxerimus. Talia quæ ad artem pertinebant, docere præstitisset, & non in infinitum cum Agathino iam mortuo ad fastidium vsque, & absque vtilitate certare. Sed eos libros iuuenis valde, atque fermè ante omnes alios conscripsit, at nos de his suo loco dicemus: neque enim omnia cuique loco congruunt. Sed ad contradictiones nunc, quantum est opportunum dicamus. Hippocrates in primo Epidemiorum hæc habet: Plurimi autem quarta die maximè laborabant, & sudores plerunque subfrigidi, extremitates ad calorem non redibant: sed liuidæ erant & subfrigidæ, & neque sitiebant. Hæc autem exitialia signa, & moriturorum iam dixerat, vt in summa omnia colligamus, frigus extremorum bifariam lethale est: vel cum fuerit cum æstu maximo interiorum viscerum, & siti: vel cum fuerit cum sudore frigido, & liuore eorundem. Aliter licet non sit lethale in acutis, semper tamen est malum, & tunc distinguere oportet: nam si sit in omnibus extremitatibus, & non perseueret, pathognomicum est signum febris compositæ, cuius etiam meminit Galenus primo ad Glauconem: & iudicium est iuxta naturam febris, nam si quartanis circuitibus affligat, aut exacerbationes sint quartanæ, quod deterius est, lethale est. Sin singulo die, malum valde: si autem alternis diebus, minus exitiale. Cum verò fuerit sine siti & magnis symptomatibus, & superiora multùm calescunt, & inferiora refrigerantur solùm: tunc est signum breuitatis morbi, quia significat materiam tenuem, quæ rapitur ad superiora cum pauco calore naturali, & facilè exoluto: quæ cum adsint, res non vacat periculo, & ideo est etiam signum malum. Ex hemitritæis autem, qui fit ex continua pituitosa, & tertiana intermittente, leuissimus est. Post hunc est, qui fit ex continua pituitosa & quartana intermittente, & est tabificum genus febris, & occidit per hydropem, ex se tamen non est admodum lethalis. Qui fiat ex tertiana continua, & quartana vera, rarissimus: & rarior etiam quàm ex quartana continua, & tertiana intermittente, qui valde malus est, & plerunque perimit. At ex continua tertiana & quotidiana vera non frequens est, quoniam si pituita potuit expelli, cur bilis retinetur? accidit tamen, & est deterior primo: cæteris vt frequentior, ita mitior. Ex continua etiam biliosa & intermittente, qui accidit, nomen habuit, quandoquidem tertianæ extensæ sit simillimus: sed tamen longè grauior, atque huiusmodi etiam in aliis. Sunt autem mediæ febres inter mistas & simplices natura & periculo. Decet autem maximè frequentes obseruare, & sunt, pituitosa continua, & biliosa intermittens: inde contraria, continua biliosa, & intermittens pituitosa: pòst, singulæ continuæ cum suis intermittentibus, è quibus biliosa, inde pituitosa aliquando videntur: tertium genus nondum vidi. Inde quartana continua cum tertiana, quod frequentius est: aut quotidiana intermittente.

[Marginal notes, left column: Pag. 19. — Tex. 5. — Tex. 2. — Tex. 16. — Tex. 23. — 2. in primum Epid. Tex. 28. — Cap. 8. — Cap. 7. in princ. — Cap. 8.]

[Marginal notes, right column: Pag. 6. in const. tempo ris 3. — Cap. 5.]

APHOR

APHORISMVS II.

IN osse ægrotante caro liuida, malum est.

COMMENTARIVS.

QVid mirum, si caro liuida est signum ægrotantis ossis, si ægrotans os efficiat carnem liuidam? Sed intelligit per os ægrotans solùm læsum, non corruptum. Putrescentis enim ossis caro liuida, signum est pathognomicum. Dicebat in libro de Fracturis, loquens de ossibus discessuris: Quorumdam superna pars denudatur, quorundam carnes circumcirca mortificantur. Contigit, vt inquit in septimo Epidemiorum, Phaniæ Euergetis filio, vt liuefactis ossibus & febricitanti cutis ab osse discederet, & pus subtus depascebatur: & dum perforaretur, egressa est sanies ex ipso osse tenuis, serosa, sub pallida, graueolens. Ex quibus (licet extra propositum videatur his qui non exactè assequuntur à nobis dicta) intelligitur, cum os corrumpitur, cutim & carnes liuescere, aut separari: cum verò corruptum abscedit, succescere bonam carnem. Sed vt facilius rem declarem (plures enim sunt indocti quam docti) omnis liuor in carne fit ex extinctione naturalis caloris, is vel in toto vel in parte extinguitur: si in toto, mortem significat: si in parte, cum præsupponatur non contusa caro, (aliter non ex osse, sed contusione liuesceret) significat os putrescens, at hoc est malum: igitur vtrouis modo malum est. Os enim putrescens vel abscindere necesse, vel eximere oportet, licet autem os malè affici ex causis aliis, nec tamen putrescere discissum, fractum, perforatum, collisum, loco motum, desquammatum, teredine vitiatum, nudatum membrana integente, exustum, nimio plus refrigeratum.

Pag. 24.

Pag. 10.

APHORISMVS III.

A Vomitu singultus & oculorum rubor, malum.

SI causa quæ morbum soluere consueuit, illum irritat, malum est: velut fluxus febrem aut cruditatem, tremor delyrium: aut contrà, vomitus singultum. Singultus ergo cum similis sit affectus (non dicam conuulsioni in toto, hic enim error est Galeni: accidit enim toti distentio, non conuulsio) conuulsioni in cerebro, vel inflammationem ventriculi, vel nimiam ex vomitu vacuitatem, aut cerebri phlegmonem significat. At oculorum rubor non ex simplici inanitione fieri potest: reliquum est vt existimemus, aut inflammationem vomitus & singultus causam fuisse, cum in ventriculo fuerit: aut ex longo vomitu & violento affectis neruis sexti paris inflammationem in cerebro (non dico propriè appellatam, id est abscessum, sed feruorem absque tumore) excitatam: aut quod reliquum est ex inflammatione cerebri vera, vomitum, singultum, & oculorum ruborem excitatum. Sed hic modus febrem, cuius non meminit, præsupponit, velut etiam ventriculi phlegmon. Ex quatuor igitur causis tribus euersis, phlegmone cerebri, ventriculi, & eius nimia vacuitate: reliquum est vt dicamus ob nimiam conturbationem vexatis partibus ventriculi, & neruis ad eas venientibus, cerebro concalefacto, & singultum, & in oculis ruborem superuenisse, quod malum est, & conuulsionis indicium. Dicebat in Coacis prædictionibus: In meracis vomitionibus singultus malus, similiter & conuulsio. Loquitur de inflammatione, quæ fit propter violentem motum, nam ad vomitum concurrit solùm tunica ventriculi, cum suis fibris (caret enim musculis ventriculus) ad deglutitionem trahit, etiam gula & grauitas cibi & potus ad descensum iuuat: vnde pronus situs conducit ad facilem vomitionem. Cum ergo meraca sunt quæ vomuntur, difficilius mouentur, & sua qualitate praua etiam vexant ventriculum: & ideo si singultus accidat, malum est. Quod verò ibidem dicitur, Ex vomitibus anxietates, clangores, oculi concretionem lanuginosam habentes, furiosa, vexationem ab exusta bile hoc significat, & inflammationem cerebri, vt diximus. Porrò consensum cerebri & ventriculi, superius alio exemplo explicauimus.

Pag. 25.

Pag. 24.

Par. 6. Aphor. 48.

APHORISMVS IV.

A Sudore horror, non bonum.

COMMENTARIVS.

SIgna decretoria quæ non decernunt, mortem aut morbi longitudinem significant: secundo Epidemiorum. Sudor est signum decretorium: horror significat non decreuisse, sed manere materiam, quæ febrem facit: igitur sudor aut mortem significat, aut morbi longitudinem. Quare ergo non dixit, Malum: & non; Non bonum? quia contingere potest in duplicibus tertianis, cum finem vnius accessionis, alterius initium excipit, tunc enim malum non est, quia decernit pro primo morbo: non est tamen bonum, quia tantum mali ostendit succedens accessio, quantum boni præcedens quæ soluitur. Quare liquet, Galenum non exponere Hippocratem, sed expositoris fingere personam. Accedit, quòd non oportebat dicere. A' sudore horror: sed sufficiebat, A' sudore febris non soluta, cum enim dicat horror, aliquid maius indicat. Sed enim neque illud perspicuum est, an velit sudorem continuò vt horror subsequatur, velut verba significare videatur: an iuxta rationem dictum sufficiat, quod post duos aut tres dies horror subsequatur, velut in Epicratis vxore, primo Epidemiorũ: & in Cherione, tertio eiusdem, nam omnino & id verum est in his, sed videtur aliquid plus significasse Hippocrates, nec exempla sunt

Sec. 1.

Languen 5.3

Languens 5.

Prima narrationis.

Languens 6. Ibidem. Languens 12. Ibidem. Languens 1.

adeò huius frequentia, vt in priore. Euryanactis filia post sudorē in septima à iudicatione mortua non multum, inquit Hippoc. & riguit est post hæc non à die. Expressum exemplum habemus de muliere, quæ in Mendacium foro decumbebat, de qua ait in vndecima: Sudor, rigor, ea autem mortua est in quartadecima. Rursus in secundo ordine ægrorum de Pario in Thaso dicit: Vndecima sudauit non per totum: circum friguit, verùm breui rursus incaluit. Constat eum centesima vigesima die periisse. Itaque videtur mihi Hippocrates per illud Non bonum, potius voluisse aliquid maius significare, quàm per Malum: id est, nihil prorsus boni hoc habet, nec quicquam continet in se vel vtile spei, quod etiam ratione docetur: nam contrarium contrario succedere, & maximè frigus sudori, cum iam aperti sunt meatus cutis, magnam naturæ perturbationem atque iacturam affert. Si enim solum febrem manere post sudorem, mortem aut morbi longitudinem significat: quanto magis, si horror succedat? Indicat & hoc ratio, nam horror succedens aliis euacuationibus, tametsi malus sit, non tamen adeò malus est, vt in multis ægris videre licet, maximè primo Epidemiorum. Et peculiter virgini illi in Larissa, tertio eiusdem, in cui sexta contigit fluxio sanguinis copiosa è naribus, inde rigor, & tamen conualuit statim. Quod si dicas Nicodemum in Abderis de vigesima multum sudasse, inde eadem die horrore correptum etiam delirasse, & tamen in vigesima quarta iudicatum. Dico, quòd fuit febris intermittens, vnde etiam dicit, Visus est sibi à febre liber esse. Et etiam dicit, quòd exacerbationes erant in diebus paribus, & ideo illa fuit dies accessionis, quia par: & sudoris, quia iudicatiua sudauit enim in vigesima quarta sudore copioso: præterea horruit, sed non riguit. Quid verò dicendum de iudicatione, de qua toties Galenus, maximè secundo de Diebus creticis, super verbis illis memoria dignis Hippocratis primo Epidemiorum: Quum dolores post iudicationem fierent, & vrinæ tenues prodiissent, parum sanguinis profundere cœperunt: verùm circa quartam & vigesimam abscessus ad sanguinis eruptionem fiebant Antiphonti Critobuli filio, quæ sedata est, & perfectè iudicatus est circa quadragesimã. Si ergo iudicatiuus sudor appareat in vndecima, vt per sudorem copiosum iudicari debeat in quartadecima, & sit febris semitertiana, cuius accessio incidat in vndecimam diem: rigor ex ordine morbi succedet sudori, & nihil absurdum significabit, propterea dixit, Non bonum: vt vtrumque significaret sub vna ratione, scilicet nunquam hoc esse bonum, quia nihil continet boni: quandoque autem lethale est, quandoque neque malum, hæc autem declarata sunt ab Aristotele in Categoriis.

Languens 12. Ibidem. Languens 10. Ibidem.

Cap. 5.

Constit. 3. seu pag. 5. ab initio.

APHORISMVS V.

AB insania difficultas intestinorum, vel aqua intercutem, vel mentis alienatio, bonum.

COMMENTARIVS.

TRes magnos morbos proponit, in quos si conuertatur insania, bonum esse dicit. Quærat forsan quispiam, quomodo bonum dici possit morbis lethalibus, tum maximè cum dicat Hippocrates in libro de Affectionibus: Cum morbus vnus alteri succedit, plerumque occidit. Pag. 7. Propterea sciendum, quòd tribus modis morbus morbo succedit: vel casu quodam, & tunc semper malum est, quoniam virtus afflicta iam est. Dico, comparando ad secundum morbum, cum per se oritur: velut colica succedens fluxui, deterior est quàm quæ per se oritur, data æqualitate in cæteris. Secundus modus, cum morbus morbo succedit prauitatis ratione, vt suprà visum est in aliquot exemplis: vt cum melancholiæ succedit apoplexia: & qui gibbi, ex asthmate: & morbo regio laborantibus, duritiës epatis. Et in sequentibus: A' pituita alba, aqua intercutem: & rursus ab alui profluuio difficultas intestinorum. Tertius modus est, cum fit per viam crisis imperfectæ, aut quia humoris qualitas permutatur in melius, vt hic depulsa atra bile ad intestina fit intestinorum difficultas: ad iecur aqua intercus, transmutata in frigidius temperamentum, mentis alienatio, ἔκστασις, ἀπὸ τοῦ ἐξίστασθαι: quod est, extra seipsum esse, μανίαν dicimus insaniam Græcè, Græci μανίαν vnde appellent, non facilè dixerim: eam tamen ipsam distinguimus nos melius quàm illi, hanc enim insaniam, quæ iuncta stultitiæ patet latius, à furore distinguimus. Græci volunt illi quidem, sed parum valent verbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν, illi vocant, quasi atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur, quo genere Athamantem, Alcmæonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum rerum suarum esse vetant duodecim Tabulæ. Itaque non est scriptum, Si insanus: sed, Si furiosus esse incipit. Stultitiam enim censuerunt, id est inconstantiam sanitate vacantem: posse tamen tueri mediocritatem officiorũ, & vitæ communem cultum, atq; vsitatum: furorem autem esse rati sunt, mentis ad omnia cæcitatem, quod cum maius esse videatur quàm insania tamen eiusmodi est, vt furor in sapientem cadere possit, non possit insania. Reliquum est vt videamus, cur morbi per se lethales, succedentes aliis morbis, via crisis sanari possint. Et dico quòd causa est, quoniam materia illa iam euicta fuit: & licet transmittatur ad membrum nobile propter consensum, tamen & antequam figatur, expellitur à natura. Fallitur autem Galenus, qui putat fieri aquam intercutem ob atram bilem in iecore (esset enim lethalis omnino) sed fit ob malam temperiem relictam in iecore, propter transitum atræ bilis super illum: & hæc est magna clauis in actu medēdi, nã non solùm hoc, sed multos vidi infantes, qui in

6. Aphor. 54. 6. Aphor. 44. 6. Aphor. 40. 7. Aphor. 5. 7. Aphor. 14. Tusculana 3. pag. 5.

extenua

extenuationem corporis venerunt ob morbũ comitialem,& tamen sanati sunt: quia non fuit ob retentionem illius materiæ (periissent enim) sed ob transitum: ideo sanati sunt à nutrientibus & calefacientibus atque humectantibus, nec indiguerunt purgatione.

APHORISMVS VI.

IN morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.

COMMENTARIVS.

6. Aphor. 5. Dictum est in superioribus: In longis difficultatibus intestinornm cibi fastidia, malum: & cum febre, peius. Ibi speciem addit morbi, scilicet difficultatem intestinorum: hic addit aliud, deiectiones sinceræ, neque enim separatim intelligendum est, tum quia superfluus esset Aphorismus sextæ Particulæ, nã si fastidium cibi est malum in omni morbo diuturno, quis dubitat quin in longa difficultate intestinorum malum non sit? tamen quia non solet Hippocrates hoc modo diuersa signa coniungere (essent enim duo Aphorismi) sed alio sermonis genere vtitur: vt in eo Aphorismo, Lac dare caput dolentibus malum, malum verò & febricitãtibus. (Quinta Aph. 64.) Oportebat igitur Galenum hæc duo signa in vnum coniungere, & non separatim rationem reddere, nam sinceras deiectiones appellat, quæ nihil habent humidi (vt ita dicam) vtilis secum. Meracæ egestionis sæpius meminit in Coacis prædictionibus, vt cum dixit: Viscosa meraca aut alba alui egestio, mala est. (Pag. 27. 28.) Et paulo pòst: Egestiones desinentes in spumosas meracas, omnes quidem exacerbant: conuulsos autem, etiam valde. Ex talibus abscessus iuxta aurem emergunt: at quæ valde liquidæ fiũt, & rursus cõpactæ, meracæ stercoraceæ egestiones, lõgitudinẽ morbi significant. (In vltimis verbis.) Inde illud etiam: Alui egestio pura superueniens, soluit febrem acutam cum sudore. In tertio Porrhitici habet rursus: quod dictum est in Coacis: Synceræ desistentes purgationes, alibi quidem exacerbantes: his verò & valde si fuerint, ex talibus parotides exurgunt. (Tex com. 18.) Antea quidem, vt (his) referatur dixerat: Vrinæ detentio, & quibus rigores, ex his & conuulsiones, (Tex. 17.) Vbi patet, quòd Galenus per sinceras, prauas exponit, quæ postmodum in mites desinere possunt, sed cessantes antequàm debeant: cõuulsos quidem magis exacerbant, quàm reliquos, omnes tamen exarcebant, & in parotidas desinunt, consensu earum partium, vt aliàs dictum est, cum aluo. (4. Aphor. 28. Sec. 2. in princ. Aphor. 23.) Et illud etiam Epidemiorum: Fines in meraciora desinentes, putrefactionem significant, velut Dexippo. Ex his coniectari facilè licet, verum esse quod hic & infrà dicit Galenus: & partim, non ad vnguem sic debere intelligi, sed per sinceras & meracas egestiones, quæ sunt omnino sine humore, non solùm alio, sed & prorsus sine fece. Et cùm dicit meracas stercoraceas, contrario modo, quæ prorsus sunt sine humore. Constat enim tales longitudinem morbi significare, cum nihil euacuetur eorum quæ illius sunt causa. Sensus ergo est: Meracæ deiectiones corruptionem humorum significant, qualem ponit in primo de Venenis. (Cap. 7.) Nam si ex sola putredine ichorum humores descenderent, cum ichoribus essent permisti, quippe solum supercalefacti: cum ergo mera descendunt, humor corruptus est: qui si non resolutum sit humidum, vehementer fœtet, vt in colliquatis, sin verò humidum exhalauit, haud fœtent: vt ibi dedimus exemplum de carie ligni. Cum ergo ad tantam peruenerint corruptionem humores, vt quo tempore maximè ob morbi longitudinem corpus indiget cibo, cibum fastidiat: euersam ob corruptionem non solùm functionem, sed etiam facultatem significat: quocirca & morbum esse lethalem, plusquam malum. non tamen pronunciauit lethalem absolutè: quoniam ratione speciei morbi fallere id potest.

APHORISMVS VII.

EX multa potatione rigor & desipientia, malum.

COMMENTARIVS.

QVòd in præcedenti Aphorismo animaduertere Galenus debuit, eò vsque distulit, scilicet vt in hoc Aphorismo primũ intelligeret, duo signa simul complecti ad pronunciandum de periculo, differunt hæc à præcedenti, quòd hæc soleant à contrariis fieri causis, rigor inquam à frigore, & est medius inter horrorem & tremorem, vt docuit in primo de Morbis: (Pag. 1.) Tremor enim ab extremo, horror ab exiguo, rigor à magno fit frigore. Desipientiæ autem, id est, repentina delyria à calore omnia fiunt. Cum ergo vtriusque causa sit vna ebrietas, docet nos non hoc solùm, sed quotiescunque ab eadem causa duo fiunt contraria, prauaque symptomata, malum significare, nam vnum per se fit: aliud nõ nisi succũ dente natura, necessariò accidit, ob idque malum indicat. Propterea philosophus de hoc tertia Problematum quærit, cur multa potatio vini primùm frigus pariat, cum vinum calidum sit? (Prob. 1.) Respondetque quòd humidum plurimùm non calefacit, sed sponte refrigeratur, vt sudor ex veste calida cum plurimus fuerit. Ergo cum ob multitudinem à calore narurali vinci non possit, ad naturam suam, qualem habet antequam hauriretur redit: sicque totum corpus refrigerat, atque hæc est vna causa, quam solam vidit Galenus tertio de Temperamentis. (Cap. 3.) Per alia enim verba idem explicat dicens, Proinde nec vinum ipsum semper calefacit animal, æquè vt nec oleum flammam accendit, tametsi aptissimum sit ignis nutrimentum: imò, si imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, suffocabis eam, prorsusque extingues potius, quàm augebis. Sic igitur & vinum, vbi plus bibitur quàm vt vinci possit, tantum abest vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat. Differt aliquantisper hæc ratio à Philosophi ratione: sed quanto differt

differt magis, eo est absurdior, neq; enim par exemplum est de oleo extinguente flammam, quia illam suffocat: & de vino in corpore nostro, quòd non nisi quia frigidum, refrigerare potest, non prohibere respirationem & exhalationem, vt oleum in igne sanus mente dicat. At de vino loqui Hippocratē hic, planum est, cū addat desipientiam, illa nāque ab aqua nūquā fiet. Intelligitur autem non solùm de vino, verùm de omnibus quæ inebriare possunt potibus, à nobis in libris de Subtilitate descriptis: scilicet zetho, mignol: *Lib.8.* & destillata aqua è granis segetum, vt oriza, maximè cum vino quod ex palmarum fructibus conficitur, potione ex oriza & Scotorum hala, item potu illo quod è floribus ericæ cōficiebant, tum alis multis, neque enim numerus talium assignari potest. Sed maximè omnium vinum, & quod destillatione è granis conficitur, inebriare potest, & huiusmodi parere symptomata, & de his etiam propriè Aphorismus intelligitur. *Probl.6.* Sed, vt dixi, Philosophus, cum hæc de causa frigoris dixisset paulo post, cur etiam rigorem idem potus pariat, qui est frigoris species, quærit: eandemque reddit causam, quam de frigore: immeritò tamen sugillatur à Brasauolo, tum de hoc, tum etiam de his quæ nunc subiiciam: cum non eadem quæsierit, sed in vno de frigore, in alio de rigore, & in alio de tremore. *Prob.5.* Quamuis de tremore duo problemata conscripserit, atque in posteriore quædam etiam *Probl.25.* addit. Proponit ergo in his tremoris causas alias duas quàm prius, sed ita, vt non quantitate multas, sed potius de vi loquatur. Harum altera est, quòd calor vini extinguit calorem naturalem, sicut sol flammam, cum sint alterius generis: altera, quòd vinum potens consumit humidum, tenue, copiosum, quod est fomentum caloris naturalis: atque ita refrigeratur corpus, sicut in senectute & à veneno: ita si sit multum, erunt tres causæ cum prima. In secundo autem Problemate præsupponit, multum & potens esse vinum: res verò eò tendit, vt secundam causam & tertiam approbet, quoniam de potenti vino loquitur. Sed cum non sit hic locus vt de eis agamus, nisi quantum satis est: dico quòd desipientia fit supercalefacto cerebro, rigor refrigerato corpore: quod si vel ob motum sanguinis fiat, quod minus est detrimentum, seu extincto innato ob abundantiam præternaturalis, magnum malum est.

APHORISMVS VIII.

Com.15. A Tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.

COMMENTARIVS.

TVberculum quid sit, in secūdo libro docuimus: hic tria sub diuisione & quasi alternando proponit. Cum tuberculum rumpitur, exolutionem, quando materia ad cor fertur, aut tuberculum fuerit magnum, propter vehementem enim expurgationem ac repentiam, vires exoluuntur. Vt si mediocris fuerit, aut violenta disruptio, animi fit sola defectio: sed si in locis iuxta ventriculum, & etiā in caua iecoris, redūdante sanie, vomitus fit, non tam saniei quàm eorum quæ in ventriculo continentur. Nam si tubercula solum quæ in ventriculo sunt, vomitus consequeretur, rarissimi omnino vomitus apparerent. In quo etiam differat exolutio seu syncopis ab *1. Par.13. Et 1.41.* animi defectione, in aliis locis visum est. Appellat autem tuberculum φῦμα, quod verius dixisset ἐμπύημα, id est suppurationem, dicit Galenus. Sed & quandoque tubercula rumpuntur, velut sexto Epidemiorum, absque suppuratione, & nihilominus sequuntur magna *Sec.4.* detrimenta tum, vel post. Experimento autem cum dicerit ita esse Hippocrates, videndum est, an in methodum aliquam redigi possit hæc doctrina: siquidem ita euenire constat, & quàm minus mirum tum etiam, sæpe ruptis externis tuberculis homines animo linquantur. Ergo si prope magnam concauitatem frāguntur, vomitum excitare solent: si in intimis & circa cor, exolutionem: si remotius, animi deliquium. Illud animaduersione dignum, quòd animi deliquium iuxta Hippocratem *1. de Morb. pag.1.* non fit, nisi communicato detrimento cerebri ipsi cordi. Quòd si animi deliquio obscuritas oculorum accedat, dicebat Hippocrates in Coacis prædictionibus conuulsionem sequi: quod verissimum, vbi post animi *Pag.9.* deliquium ea obscuritas maneat, aut antecedat, nam semper comitatur.

APHORISMVS X.

A Profluuio sanguinis desipientia & conuulsio, malum.

COMMENTARIVS.

SCriptum est suprà: Vbi sanguis multus fluxerit, singultus aut conuulsio superue- *5. Partic. Aphor.3.* niens, malum: ita vt videantur iidem, commutata desipienta in singultum: Duo igitur sunt explicanda: primū, cur repetierit de conuulsione: secundum, id quod ad desipientiam attinet: Dicebat ergo Galenus in Commento, quòd hic Aphorismus vtilis est ad intelligēdum, quòd desipientia aliquando sit ex defectu, velut & tremores manuum & pedum, dicitque esse desipientiam hāc, mediocrem insaniam, qualis in delyrio. Nam insaniam mediocrem, id est παραφροσύνην μέτριον, appellare Hippocratis solet λυρώδην, id est, delyrium. Vt verò coniunctim legatur, Galenus suadet: quod suprà etiam docuimus, atque ita à su- *Com.6.* periore differt, in quo pro (&) ante legitur. Malum igitur est: ac si dicat, valde malum, imò propè lethiferum. Est enim nos Hippocratis, cum se referret ad superiora. Si enim conuulsio sola vbi sanguinis fluxerit multitudo, malum est: si conuulsio accedat, pessimum erit. Vel sine distortione verborum ac sententiæ Hippocratis, distingue, αἵματος πολλοῦ ῥυέντος: quod est, à sanguinis effluxu copioso, ab ἀπὸ αἵματος ῥύσεως, quod est à sanguinis profluuio: vt non supponatur hic iam effluxus factus, sed fiens: ideo indiget desipientia, & conuulsione, ibi iam factus altero eorum scilicet singultu aut conuulsione. At dices. Conuulsio hæc nō ne erit ex inanitione, ideo per se

se mala Dico, non necessario, poterit enim ex cōmotione fieri: at vbi iam effluxerit, non ita. Sed iam ostendamus, quomodo ex defectu fiat desipientia. Fuchsius grauiter peccat, putans ob siccitatem id accedere, constat enim nullam desipientiam facilius curari, quàm quæ ex effluxione sanguinis, epoto enim ouo aut ptisana statim resipiscit, vt etiam si fuerit ex inedia. At affectus ex siccitate, difficillimi omnes sunt. Neque etiam in hoc Galeno consentit, qui cum exemplum afferat de pedum & manuum tremore, nihil adducit simile siccitati: iam verò causam docere non est ausus.

In libro super Theophrastum de Sensu & phantasia. Cap. 1. Verùm nil mirum: quippe quòd non nisi altissimis principiis id possit intelligi. Vt ergo à Prisciano Lydo habetur, internæ facultates animæ, quas Galenus rectrices vocat, tres sunt, omisso intellectu qui parum consideratur à medico: Memoria, ratio, & vis imaginandi, quam phantasiam Græci vocant. Communia sunt duo singulis earum: vnum, vt sint in actu primo & secundo, quod etiam dicit Aristoteles secundo de Anima: & quod vnaquæque ad actum secundum venit, vel ex imaginibus prius seruatis, & ex primo actu, vel ex imaginibus à sensibus ad animam nuper venientibus. Quæ igitur per sensum fit cognitio, dùm sensus spiritibus abundans & ex se & ex iudicio interiore, distinguitur falsa species à vaporibus repræsentata, & vana à vera, quàm efficiunt sensilia: ideo si spiritus desint, vacuusque fit sensus, vapores imaginem sensilium animæ referunt, ob idque homo fallitur: vt apparet in visu, postquam vires vel longo morbo aut inedia superflua, aut sanguinis euecuatione defecerint. *Cap. 2. post medium.* At hunc sentiendi modum, in quo sensus ipse decipitur, Galenus refert in nimis exquisitam sentiendi vim, primo de Symptomatum causis, quod quomodo intelligi debeat, non satis perspicuum est. Fit enim sensus error, deficiente spiritu. At forsan excusari potest, quod illa exquisita sentiendi natura principium quoddam sit, ac quasi materia sensus falsi, non ipse sensus, nec eius causa plena. Etenim ad sensus deceptionem duo modò, modò tria requiruntur, pro vt duplex est falsus sensus. Primùm est vapor, qui sub imagine sensilis mouet sensum, in oculo quidem vt rei visæ: quemadmodum etiam & nubes, diuersas animalium dum sunt in aëre, imagines referunt: & in auditu sonorum, & in olfactu odorum, nam reliqui sensus non adeò ex quibusque falluntur, quòd inuiti non obuient huiusmodi vaporibus, olfactus enim exigit, vt vapor in illius instrumentum incumbat: & gustus etiam, cum præter id latitet in abdito. Priores autem tres sensus omnino etiam procul sentiunt: & ita etiam falluntur, quasi procul sentiant. Secundum est, vt spiritus sit exiguus atque vis in oculo, vt non possit descernere falsū sensibile à vero: & tūc fallitur sensus exterior. Quòd si sensus interior vigeat, non fallitur homo, sed exteriorem sensum solum falli diiudicat. Atq; id non iam est delyrium, sed sensus vanus. Quòd si cum hoc etiam imbecillis sit interior sensus, iam falsum sensum pro vero existimat, & deceptus delyrare homo dicitur. Cum igitur ex euacuatione sanguinis superflua contingere possit, vt & sensus exterior, & vt interior viribus destituantur: apparet etiam, quomodo ex illa hac prima via delyrium contingere possit. Sequitur secundus modus longè difficilior, dum ex imaginibus iam seruatis, & ad mentem reuocatis delyrium fit. Nam seruari imagines in memoria, inde ad actum deduci, patet in nobis, dummodo nil cogitamus de carminibus Virgilij, quæ iam didicimus: inde, cum de illis cogitamus ac recitamus: atque in huiusmodi iam manifestum est discrimen, cum idem eodem modò ex actu primo ad actum secundum deducatur. At enim esse hunc actum primum aliquid liquet: quia quæ didicimus, dum volumus, recitamus: quæ non didicimus, non possumus. At in aliis duabus facultatibus, actus quidem primi & secundi discrimen est manifestum: at assumptio specierum dubia est, quidam enim existimant, imò plerique ex memoria cuncta sumi: aliqui ex propria vi, vt imagines quibus vis imaginandi vtitur, in ipsa facultate imaginandi repositæ sint: hoc præcipuè argumento, quòd multi qui memoria parum valent, promptè tamen imaginantur, atque id melius est, atque conuenientius, quàm duo genera memorabilium constituere, quòd necessarium est his qui has imagines in memoria collocant. At facultati quæ ratiocinatur, non est necesserium imaginis vllas proprias tribuere: quandoquidem vel inter ea quæ imaginati sumus, iudicat, vel quæ non sumus imaginati. Est enim ratio iudicium, velut si dico, Homo est iniquus, vult me decipere: ratio iudicat, vel quòd connectuntur, vel quòd non. Non est igitur aliud ratio, quàm iudiciū. Quòd si obiicias, aliquos ratione valere, qui malè iudicent (hoc enim in hominum opinione communiter insitum est) verum non est omnino: sed quos in ratione valere putas, hi celerem habent cogitationem, sed non bonam. Aliud enim est, equum esse celerem, & securum in ambulando: & aliud est, oculum prospicere longius, & exquisitè videre. Dicas igitur, rationem & iudicium idem esse proculdubiò, nec indigere imaginibus seruatis in propria facultate, sed in memoria vel φαντασία habere tamen vtrumque actum: primum, cum potest, sed non operatur, verùm quiescit, vt in profundo somno: secundum, cum operatur cogitando. His sic acceptis, bifariam etiam est inanitione delyrium ab interna causa contingit, nam sumptis imaginibus ab altera facultatum, perperàm connectit quæ separata sunt, aut separat connexa propriis destituta viribus: atque ita iudicat, filium, quòd habeat gladium, illum velle interficere. Nam iudicat id rectè, quòd qui gladium habet, interficere potest: sed ob imbecillitatem non rectè iudicat, quòd filij primùm non est interficere patrem: nec etiam quòm etsi filius non esset, non est coram tot testibus vt patrem interficiat. Cum ergo ob imbecillitatem vacuitate spirituum factam omittat has duas iudicij partes, & vna duntaxat vtatur, vt delyrare videatur necesse est. Alter modus est, vt vaporibus dominantibus imagines eleuentur, sed à vi sua non possint contineri ob imbecillitatem, atque ita malè imaginetur vel memoretur: velut qui lapidem quidem

quidem eleuant, at neque ipsum retinere possunt, nec vt decet continent. Ita vides, quomodo quadrifariam delyrium contingat: bifariam scilicet ex exteriore principio, & quomodo in singulis facultatibus interioribus seorsum, aliis non læsis, ex sola superflua euacuatione contingere possit: & quomodo omnia hæc delyriorum genera statim cibo assumpto possunt & consueuerint aboleri, aut interquiescere, tum verò quòd ratio & iudicium vnum sunt: & quòd bene Galenus egit; qui vt huius rationem redderet, non se intromisit. Neque enim omnibus datum est, vt recte dici solet, adire Corinthum. [illegible]

APHORISMVS X.

A Bileo vomitus, singultus, desipientia vel conuulsio, malum.

COMMENTARIVS.

HIc tria illa quæ ex duobus Aphorismis in præcedenti citatis commemorauit, vomitu præterea adiecto, in vnum coniunxit, vt tamen singillatim intelligerentur, nam Græcè ἢ, quod est vel, seu aut, vbique interponitur: interpreti autem ob Latinæ elocutionis formam sufficit, vt vltimam inter atque penultimam disiunctionem illam poneret. Est autem ileos morbus, vt visum est, 6. par 42. sæuissimus: quocirca vnum horum symptomatum ad mortem significandam sufficit, seu vomitus seu singultus, & cætera. Singulorum igitur rationem reddere oportet, cur scilicet magis in illo quàm in quouis alio morbo mortem significent. Nam horum quatuor signorum vnum est per se perniciosissimum, scilicet conuulsio, & est etiam morbus & symptoma: aliud desipientia perinciosa est, non tamen adeò vt conuulsio, & est symptoma, morbus tamen non est: vomitus symptoma, & contra naturam etiam, non tamen per se perniciosum. Singultus verò per se symptoma etiam, quod sanis contingere solet. Esset igitur forsan eadem ratione id verbum Malum, iuxta horum naturam distinguendum: at non distinguit Hippocrates, propter comparationem morbi ad illa, sunt autem omnia symptomata & præter naturã, & signa: atque in his tribus inter se conueniunt, in cæteris differunt. Dicamus ergo primum, cur vomitus malum sit signum, inquit Galenus in Commento: In ileis nihil descendit ad inferiora, & hoc est proprium inseparabile huius affectus: vomitus autem non semper adest. Reprehenditur perperàm à Brasauolo, qui contendit omnem ileon esse cum vomitu. At hoc falsum est, quinimò & falsum est nihil in ileo descendere ad inferiora: sed proprium ilei est dolor eius intestini quod longissimum est omnium quæ sunt in corpore, nec satis crassum. Secundum, vt difficilius descendant excrementa. Secundus ordo est, vt non descendant excrementa, nec tamen euomantur fæces: sed solum si quid superingeratur, quod necessarium est, si nihil prorsus descendat. Tertium est, vt vomitus sequatur fæcum, quod dicit Hippocrates esse malum signum. Et Galenus tertio de Locis Cap. 1. dicit, vix vnquam euadere ægrum ex huiusmodi morbo. Quòd si εἰλεὸν intelligamus dolorem eius intestini ex phlegmone, vt plerumque Galenus ipse accipit hoc nomen, & nil descendere & euomere, necessariò consequentur non obstrusa via (hoc enim impossibile est) sed natura verita aliquid super locum adeò dolentem admittere. Quo in Cap. 13. [illegible] te medium sensu dixit tertio de Naturalibus facultatibus, ileon fieri cum intestinum phlegmone laborat, vt nec pondus nec acrimoniam sustineat excrementorum. Atque in hoc etiam error est: non solũ enim ex phlegmone contingit, sed ex erysipelate, ex tuberculo, ex carbũculo, ex anthrace: imò frequentius contingit iste morbus, nam nec febris valida associatur, nec venæ amplæ ad intestinum illud veniunt: nec quæ veniunt, sanguinẽ calidũ aduehunt, sed imperfectum. Quinimò frequentius contingere solet ex duris fecibus, aut crassa pituita: hac quidem per se, & etiam impediente transitum fæcum: ex illis verò dominante flatu. In omnibus vomitus indicat præclusam esse viam omnino ad inferiora atque ob id rem esse in magno discrimine: deterius tamen longè, si frebris adsit, nam sine febre phlegmonem adesse quis dixerit? Quòd si febris adsit, vt etiam in ventriculi morbis similibus, nihil melius est exquisita inedia. Sed si non adsit febris, & sitis magna vrgeat, refrigerantibus potionibus vtendum est: aliter oleum molle & pingue auxilio est. Præsupponitur autem, vt dixi, vomitum excitari ægro bene curato, id est nil dando corpulentum, imò nec sorbitionem, sed solum potum, atque eum perexiguum.

Secundum symptoma, est singultus hic, si fiat ab ileo, non cum ileo: ideo dixit rectè, Ab ileo vomitus vel singultus ex conuulsione fiet, vt declarauimus antea: ideo iam 6 Par. 37. processisse morbum ad perniciem denunciat, ventriculumque seperatum, cerebrum autem consentire: aut vt antè visum est, ex iecoris 5 Par. 57. Aphor. 17. inflammatione, & hoc idem dicit infrà, solet enim ileos obstructa inferiore via, & ob dolorem plurimum corrumpere iecur: vnde vrinæ in his inflammari solent, velut & in colicis doloribus, si verè fiat acri humore, ac quasi sanie ad ventriculum redundante, velut secundo Prorrhiticorum dicit Galenus, cum Com. vlt. ventriculus quod continet, eiicere non potest, adhuc malum est.

At desipientia & conuulsio affectis neruis sexti paris fiunt atque ex vaporibus qui ad cerebrum ascendunt, sunt autem perniciosa in hoc morbo, eo quòd magis aliena, namque intestina à cerebro procul absunt, oportetque graue esse detrimentum quod cogat illud affici. Quòd si delyrium cum singultu accidat, Pag. 3. in huiusmodi morbo lethalius est, vt in Coacis prædictionibus.

APHO

APHORISMVS XI.

A Morbo laterali, pulmonis inflammatio, malum.

COMMENTARIVS.

Pag.7. ALiàs dictum est ex libro de Affectionibus: Cum in morbis alter alteri succedit, plerunque occidit. Rursus dictum est, cum deterior minori, malum: cum magnus morbus succedit alteri, malum. At hic & morbus morbo succedit, vt fatigatum inueniat corpus, & magnus morbus: & deterior mitiori, vnde indicium est naturam perperam agere, itaque malum non esse non potest. Habet & hic textus alium sensum, quem Galenus adducit in Commento: scilicet quòd à morbo laterali sæpe subsequitur pulmonis inflammatio, quia facilè ex costis transumitur in pulmones: vt contrà ex pulmonibus ob duriciem succingentis membranæ, raró in costas materia deriuatur. Sed hic sensus nec verus est, nisi raró, nec Hippocratis ordini conueniens. Quamuis Celsus libro secundo dicit: Post lateris dolores, pulmonum vitia: post hæc insania. Verùm de angina illud dixit in Coacis prædictionibus: Quibus verò anginæ ad pulmonem vertuntur, pars in septem diebus pereunt: partim euadentes suppurati fiunt, si non eductio pituitosa ipsis sursum fiat. Hoc idem ex quinta particula superius sumptum est. Sed cum patêret ibi modus, quo talis transmutatio fit, hic haud liquet, quomodo cum pulmo à pectore sit seiunctus vndequaque, nisi per fibras in lateribus materia illa ex membrana lateris ad ipsum transumi possit. Nam quomodouis legatur Aphorismus, hoc scire intererat, hocque Galenum declarasse. Per fibras illas deferri tantam copiam sanguinis, vix verisimile videtur. Quòd si dicas, prius effusam materiam in concauum pectoris exugi: nec hoc esse potest, nam excerneretur per tusses, aut fieret phthisicus potius quàm quòd inflammatione corriperetur. Melius est ergo, vt quemadmodum ibi dictum est, id cogitemus quod etiam ad Aphorismi præsentis intellectum facit: scilicet vt materia illa dum pectus redundat sanguine, per venas retrusa ad guttur perueniat, & inde descendat in pulmones, & efficiat inflammationem. Alter modus, qui mihi verisimilior videtur, est, vt inflammato pectore, nec potente se dilatare quantum oportet, inflammetur pulmo, & supercalefiat: & cum sit totus refertus sanguine, oppressis feruente sanguine venis extrudatur portio in carnem, quæ laxa est, & fiat phlegmon, neque enim locus vllus ob tres causas huic morbo aptior videtur, redundantiam sanguinis, laxitatem carnis, magnitudinem caloris. Experimento compertum est, eos quibus pulmo anterius annectitur, plerunque ex morbis ad pulmonem pertinentibus interire.

Marginalia: C. 7. (beside "Quamuis Celsus libro secundo"); Pag.15. (beside "illud dixit in Coacis"); Aph.10. (beside "perius sumptum est").

APHORISMVS XII.

A Pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

COMMENTARIVS.

PHrenitidem aliquando vocat abscessum in cerebro, nonnunquam assiduum delyrium. Habet ergo Aphorismus quadruplicem sensum: vt ex pulmonis inflammatione subsequatur delyrium, vt ex pulmonis inflammatione subsequatur abscessus in cerebro, vt post pulmonis inflammationem subsequatur paraphrenitis: qui solus sensus absurdus est, & indignus Hippocrate. Galenus secundum recipit tantum: qua ratione, non dicit, cum nec ille sit verisimilis: vt simul constante peripneumonia, accidat abscessus in cerebro. Hoc tamen contingere sic putat, vt materia calida vapores ad cerebrum mittat ex pulmonibus, faciátque phrenitim. Contingere etiam istud bifariam potest, vel vt vapores illi in vnum concrescant, velut in nubibus: vel, quod verisimilius est, vt inflamment cerebrum, & ex ea inflammatione abscessus exoriatur. Vtrum autem peripneumonia fiat à bile, in vndecimo Contradicentium vidimus. Verùm alia via potius hoc contingere crediderim, dicente Hippocrate: Quibuscunque ex inflammati pulmonis morbis abscessus circa aures fiunt & suppurantur, aut ad infernas partes, ac fistulantur, hi superstites euadunt. An ergo hoc ex vaporibus? Per venas igitur id contingit. Modus autem est, vt ex corde transmitti solitus sanguis, per carotidas venas ascendat.

Marginalia: Contrad. 7. In prognost. pag. 7.

APHORISMVS XIII.

AB æstibus validis conuulsio aut distentio, malum.

COMMENTARIVS.

QVantum intersit inter conuulsionem atque distentionem, & quomodo, diximus in præcedenti particula. Intelligit autem validos æstus febriles, nam de ambiente, licet Galenus hunc sensum non repudiet, Com. 17. absurdum est cogitare, non enim causam diceret Hippocrates, sed casum, quod alienum est ab illius grauitate. Morbos enim connexos nemo ignorat tam magnos esse, quantum quisque est. Podagra enim & vulnus vnumquodque pro sui magnitudine indicat, vtrumque autem pro illorum aggregato. Et similiter quod referatur ad vstiones, quanquam hoc sit propius, læsis scilicet neruis, nec tamen credendum est. Vt ergo ad æstus febrium referatur, bonum est, cũ enim in mitibus febribus hoc ex humorum multitudine contingere possit, in æstuosis solum ex siccitate fiet, atque ob id perniciosum hoc erit signũ. Dictum est aliàs, per Malum intelligi debere

propè perniciosum. Nam de æstate non numerantur hi morbi inter proprios, tertia Particula *Aphor. 21.* : nec in libro de Humoribus, cum dixit, *Pag. 4.* Æstatem biliosam sequuntur splenetici: non dicit, conuulsio, neque distentio. Sed quomodo distentio fiat in æstu febrium, siccato humido neruorum, satis conspicuum est: rarò tamen accidit. De conuulsione autem in morituris, cum propè mortem sunt, generale est exemplum.

APHORISMVS XIV.

A Capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum.

COMMENTARIVS.

Pag. 5. Pag. 8. IN libro de Capitis vulneribus hæc habet: Nam magis ac minus sauciati signa hæc sunt: si vulneratus soporem altiorem inciderit, & offusa caligo fuerit, & vertigo, & ceciderit, inde, dum morituri signa recitat, interponit delyrium. Cauillatio est illa, quam Brasauolus obiicit Hippocrati, scilicet quòd ἐκπληξις fiat nobis non cognoscentibus, desipientia verò cognoscentibus, vt quasi alternatim sit legendum. Constat enim ex ipso rerum euentu verè, quod inclinante stupore illo decidunt in desipientiam: & desipientia quasi cessante, superuenit stupor. Dico stuporem nunc, non qui proprius est corpori, sed communis animæ cum corpore, constat enim vnum quasi continuum symptoma efficere cum desipientia. Similiter & illud absurdissimum cum putant posse legi & hoc modo, & sine adiectione, Malum: vt videtur *Lib. 2. c. 7.* Celsus legere, scilicet, Vbi caput vulneratum est, delyrium. At non animaduertit, quòd si vtraque lectio admittatur. A capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum, & rursus: A capitis ictu obstupescentia & desipientia, sequetur confestim à capitis ictu malum: quod est absurdum, & agricola, nedum Hippocrate, indignum. Et Galenus ob id rectè monet nos in Commento, etiam si non adesset hoc verbum (Malum) adiici debere, scilicet vt sic intelligamus: A capitis ictu si contingat obstupescentia aut desipientia, cerebrum esse affectum: indicat & magnitudinem passionis eius. Quod probo, & demiror cur superius hunc eundem errorem non sub*Com. 11.* terfugerit. Neque enim plus potest legi, A morbo latterali, pulmonis inflammatio: quàm, A capitis ictu, cum gemina illa significatione, nam vt hic sequitur, vt dictum est, omnem capitis ictum esse malum: quod aut falsum est, si pro malo periculosum intelligatur? vel ridiculum, si malum in suo accipiatur significato, sic in illo sequitur, omnem morbum lateralem esse malum: quod vt dixi, vel falsum est, vel ridiculum. Cæterùm cum dicat Galenus, ostensum esse, in cerebro esse animæ principatum, nihilminus, hoc enim est euertere vniuersam philosophiam: est enim solum cordis instrumentum. Sed de hoc alias diximus. Nec solum huiusmodi sunt mala signa, sed in secundo Prædictionum hæc habet: Porrò ex capitis vulneribus lethalissima sunt, quæ ad cere- *1. Contrad.* brum pertingunt. Grauia etiam sunt, in *5. Et in Arte medendi parua pag. 1.* quibus os magnum, nudum, aut infractum, aut disfractum. *Pag. 8.* Sed & si vlcus paruum fuerit, & ossis fissura magis processerit, periculosius est. Et etiam grauiora sunt hæc omnia, si iuxta suturam sint: ex locis quoque periculosiores, qui in summo capite existunt. Cæterùm in omnibus memorabilibus vulneribus interrogare oportet, si adhuc recentes fuerint plagæ, aut etiam iactus, an conciderit homo? anque in soporem altiorem sit collapsus? Si enim horum quippiam factum fuerit, ampliore custodia opus habet, nimirum cum cerebrum tunc vulnus perceperit. Habet autem exempla ex Epidemiis, & ex Quarto: In Aëno quicunque capite vulnerati, horridi erant, & in Quinto: *Pag. 5. Pag. 4.* Autonomus in Omilo ex capitis vulnere in media æstate accepto, lapidis ex manu iactu, die decimasexta mortuus est. Fuit autem vulnus in sutura media sincipitis, primùm quidem ad clauiculam, postea ad latus valde doluit, & ex vtraque parte manus conuulsæ sunt. Oportuit autem secari celerius, nam *Pag. 9.* quintadecima die solum illum dissecui, quòd læsio iaculi in sutura cum esset, ab initio me latuit. Et in septimo: Qui lapide in capite percussus est à Macedone supra tempus dextrum, ita vt scissura facta dissectione apparuisset, vertigine affectus, & cecidit. Tertia die voce destitutus erat, anxietas, febris non vehemens, pulsus in temporibus velut caloris tenuis: nihil audiebat nec sapiebat, nec quiescebat: humida frons, & sub naso ad mentum vsque, quinta mortuus est. Apparet ergo, non necesse esse etiam morituros in capitis vulnere, nec obstupescentiam, nec multo minus desipientiam pati: sed si accidant, esse mala signa.

APHORISMVS XV.

A Sanguinis sputo, puris sputum.

COMMENTARIVS.

DVobus in casibus pus non consequitur sanguinis sputum. Primus, cum non ex profundo pectoris, neque pulmone: sed ex ore, capite, gutture. Secundus, cum phlemonem præuenit sanatio, quinto Methodi. *Cap. 8.* Ergo si pus exeat, & in profundo vlcus est, & non potuit probè curari, quare malum est. Neque enim, si non curatum est, dum recens esset, vulnusque, non vlcus, cum iam factum est, vlcus curari poterit. Obstat enim perpetuus motus, necessitas tussiendi, si expurgari debet: oporret autem expurgari, si debet sanari: & stilla decidua, & longitudo viæ, per quam medicamenta ex ventriculo, ad ipsum præsertim pulmonem deferuntur, vt secundo ad Glauconem. *Cap. 2. pag. 4. Aphor. 9.* At verò de his satis in tertia Particula diximus, quo loco etiam multa ad sequentem. Aphorismum pertinentia continentur, vnum satis est coniunctum esse sequenti, nec debere adiici malum.

APHOR

APHORISMVS XVI.

A Puris sputo, phthisis & fluxus: cum verò sputum retinetur, moriuntur.

COMMENTARIVS.

Dixit, sputum saniei sequi sanguinis sputum: hoc autem phthisis, quam alij phthoen vocant, sequitur, & moriuntur. Fluxus autē vel alui, vel capillorum intelligitur: Superius loco adducto, necessitatem vnius ex altero docui ab Hippocrate descriptā, hoc interest, quòd fluxus alui, velut & phthisis, non tam est signum, quàm etiam causa: defluuium autem capillorum, solum signū. Non necessarium fuit hoc loco (malum) addere, quia ipsa re edocet, dicēs: Cū verò sputum retinetur, moriuntur. Et modum mortis, & signum, & cautionem, & auxiliū, vno verbo docens. Modum quidem, quia sputo retento suffocantur: auxilium, quia ob id expectorantibus opus est, incidentibus, lenientibus: signum, vt cum videmus sponte sisti, mortem proximam iudicemus: cautionem, ne vt imperiti medici videntes sputum imminutum, eo gaudeant signo, quo maximè mors aduentare ægro declaratur. Porrò & an insanabilis hac in conditione sputi puris morbus sit, satis loco allegato dictum est.

Conscripti sunt & duo alij Aphorismi suprà in quinta Particula in eandem sententiam: Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, ij alui profluuio superueniente, moriuntur. Et: A tabe habito profluuiū alui superueniens, lethale. Quomodo autem fiant purulenti, & ex purulentis tabidi, & phthoē laborantes, & consumpti, in primo de morbis longa serie ab Hippocrate declaratum est: quorum quidem verborum vt in præsenti maximè necessariorum, exemplar subijcere placuit; neque enim melius Hippocrate dixisse, mihi persuadebo vnquam. Quicunque suppurati fiunt pulmone, aut superiore vel inferiore ventre: aut tubercula habent siue in superiore ventre, siue inferiore, aut in pulmone, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomunt aut spuunt, aut dolorem aliquem habent vel in pectore, vel in dorso: hæc omnia habent ex his quidem quæ in corpore insunt, à bile & pituita: ab externis verò, ab aëre insito, calori admixto, sed & à laboribus ac vulneribus. Et quicūque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt. Si peripneumonia correptus in iudicatoriis diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum ac pituita, suppuratus fit. Et si quidē statim curatus fuerit, vt plurimùm effugit: si verò neglecta fuerint illa in pulmone, corrumpitur, illis & inhærentibus & putrescentibus: vlceraturque pulmo, & suppuratus fit, & non amplius intro ad seipsum nutrimentum memorabile trahit: neque quicquam depurgatur ab eo sursum, sed suffocatur, & semper amplius difficulter spirat: & respirando stertit, & respirat illinc sursum ex pectore: tandem verò obturatur à sputo & moritur. Fit autem & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet, & primùm quidem vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulo amarius solito, & aliquando tenuis adest calor. Temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente ac putrescente, & grauitatem exhibet pectori, & dolorem acutum antè & retrò: caloresque acutiores in corpus incidunt, & pulmo à calore trahit ad se pituitam ex toto corpore, & maximè ex capite: caput verò calefactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit. Quanto verò magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum spuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens ac fortis, & inedia vexat, & tandem aluus infernè turbatur: turbatur autem à pituita, pituita verò de capite descendit. Hic quum ad hoc peruenerit perit, quemadmodum dictum est in superioribus, purulento ac putrido pulmone, aut ventre infrà erumpente. Fit præterea & ab his pulmo suppuratus, quum venula videlicet aliqua in ipso fuerit rupta (rumpitur autem à laboribus) & vbi rupta fuerit, sanguinem fundit: siquidem crassior fuerit, amplius: sin tenuior, minus: & sanguinem quidem ipsum partim confestim spuit, partim verò nisi vena adstringatur, in pulmonem funditur, & in ipso putrescit: & vbi putrefactus fuerit, pus facit, progressu verò temporis aliquando pus sincerum, aliquando pus subcruentum, aliquando sāguinem: & si magis repleta fuerit vena, ipsam sanguinis copiam aceruatim à seipsa reuomit, spuiturque pus crassum ab accessoria & intus putrescente pituita. Hic si anticipetur incipiente morbo, priusquam vena sanguinem fundat, ac vehementer laxetur: & priusquam attenuetur, & in lecto decumbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari, superstes ab hoc morbo euadit. Si verò neglectus fuerit, & hęc occuparint, vt ea perpetiatur, aut omnia, aut plurima perit: perit autem hic, aut ex iisdē quę superius dixi, aut à vomitu, sanguine multo, multoties per vomitum reiecto. Si verò vena omnino quidem rupta non fuerit, verùm acutus tractus in ipsa fiat: fit autem maximè velut varix, qui etiam statim, vbi factus fuerit, dolorem quendam tenuem inducit, ac tussim aridam. Si verò diu durauerit, & neglectus fuerit, primùm quidem sanguinem modicum ac subnigrum dimittit ac reijcit, deinde verò adhuc copiosiorē & sincerissimum, deinde pus, patiturque quæcunque in superioribus dicta sunt. Conducit autem talibus, si ab initio curandos suscipias, vt & venæ de manibus sanguinem emittant, & diæta, è qua quàm siccissimus & exanguissimus fiat. Eodem porrò modo etiam venæ in latere afficiuntur, quæ intus in superficie sitæ sunt. Quum igitur affectæ fuerint, varicosæque factæ, & intus eleuatæ, & neglectæ fuerint, hæc perpetiuntur. Erumpunt & spuunt à se sanguinem, & aliquando etiam vomunt, & suppurati fiunt, & vt pluri-

mùm pereunt. Si verò curentur incipiente morbo, rursus in loco venæ considunt ad latus, humilesq; fiunt. Et pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso etiã talia perpetiuntur, & sic moriuntur. Cæterum superiore ventre suppurati multipliciter fiunt. Nam quũ pituita de capite copiosa & aceruatim in superiorẽ ventrem fluxerit, putrescit & in pus vertitur: putrescit autem maximè in diebus viginti vna. Hic si vratur aut secetur, priusquam diuturnum fiat pus, sanus plerunque euadit. Fiunt autem & superiore ventre suppurati ex pleuritide, quum magna fuerit, & in iudicatoriis neque putruit, neque sputo reiecta est, sed latus exulceratum fuerit à pituita affixa, & bile: & quum vlcus factũ fuerit, reddit de se pus, & ex vicinis locis præ caliditate in seipsum pituitam adducit, & hæc cum computruit, pus spuitur: aliquando verò etiam ex venis sanguis, si in vlcus ingerit, & putrefactus pus fit. Hic si euestigio assumatur, sanus plerunque fit: si verò negligatur, perit. Fiunt præterea suppurati etiam, si pituita de capite delapsa, ad latus adglutinata fuerit & putruerit. Tunc enim latus vt plurimũ inflammatur, & patitur eadem quæ ex pleuritide suppuratus. Fiunt & quum præ labore, aut exercitiis, aut alio quopiam modo, vena ante aut retrò fuerit rupta: & sic rupta, vt nõ statim spuatur sanguis, sed in carne acutus tractus siue varix fiat, & caro tracta ac conuulsa humiditatem modicam traxerit, & subliuida facta fuerit: & statim quidem sic affectus non percipit præ robore ac bona habitudine: aut si etiam sentit, nihil molesti esse putat. Hic vbi deprehenderit, quum iam præ febribus, aut potu, aut venere, aut aliqua alia re correptus fuerit attenuatus, caro sauciata subresiccatur & subcalescit, & humiditatem in seipsam à vicinis tum venis tum carnibus trahit. Vbi autem attraxerit, intumescit & inflammatur, & dolorem exhibet tenuem, & tussim raram & siccam primùm: deinde adhuc magis trahit in seipsam, & dolorem inducit vehementiorem & tussim frequentiorem. Et primũ quidem suppurulentum spuit: aliquando verò liuidum &, subcruentum. Et quanto magis tempus progreditur, amplius in seipsã trahit ac putrefacit: & de ipsa carne quàm tum ab initio liuidum erat, hoc pus fit, & dolorem acutum exhibet, & febrẽ, & tussim multam ac frequentem, & per sputum sincerum pus expuit. Quinque morborũ ac symptomatum genera proponit Hippocrates, ex pectoris partibus sumpta: suppurationẽ, vlcus, sanguinis sputum, tubercula & dolores, hæc duo vltima, vt extra propositum præsens nunc relinquo: vlcus verò sanguinis aut saniei sputum comitatur, quapropter Hippocrates verba de suppuratione præcipuè facit, & sanguinis sputo, prout vlcus aut non significant. Triplicem autem innuit suppurationem: primam, quæ fit in pulmone: secundam, quæ cum vlcere aliarum partium pectoris, sed non in pulmone: tertiam, quæ neque in pulmone neque cum vlcere aliquo fit. Has duas vltimas miscet, nam prima illa est, de qua propriè loquitur hic Aphorismus, & ad quã Phthisis & fluxus & mors sequitur: vt dictũ Aphorismi præsentis propriè de puris ex pulmone sputo intelligatur. Quocirca & prior Aphorismus legi poterat disiunctus ab hoc: sed oportebat addere. Malum, vt plerique legunt, aut coniunctus huic, vt nos fecimus, nã clarior est sensus, dum puris sputum illud solum phthisim & fluxum ac mortem afferre significamus, quod a sanguinis sputo factum est. Declarat enim Hippocrates, vlcus in pulmone fieri, & suppurationem primæ speciei quatuor modis: Ex peripneumonia rupta, non purgata: ex pituita à capite descendente, ac in pulmone putrescente: ex vena rupta in pulmone, seu magna seu parua: ex varice rupta in pulmone. Addit & quintum modum, qui perducit & ipse ad tabem, licet non faciat vlcus in pulmone. At verò suppuratio in superiore ventre, id est, in pectore, non in pulmone propriè, quæ non per se lethalis est, fit quinque modis: ex defluxu pituitæ à capite, dum putruerit, ex laterali morbo, dum non repurgatur: ex vena in pectore aperta: ex morbo laterali pituitoso: ex varice in pectore. His ergo visis constat, puris sputum non semper phthisim parere, vt si suppuratio fit in pectore. Quare hic Aphorismus præcedẽti coniungendus erit. Sed neque in laterali morbo, licet fiat à sanguinis sputo quia cum dixit, A sanguinis sputo saniei sputum: intelligit citra febrem, laterali autem morbo semper est annexa febris. In reliquis autem casibus, & sunt duo, posteriores primæ diuisionis, & casus etiam varicis in latere. Et tertio ac quinto secundæ diuisionis, alij magis necessariò, alij minus afferunt mortem: præcipuè autem tertius primæ diuisionis, & quartus: pòst tertius secundæ diuisionis.

APHORISMVS XVII.

IN iecoris inflammatione singultus malum.

COMMENTARIVS.

IN quinta Particula dixerat: Hepati inflammationem patienti, singultus aduenit, *Aphor. 58.* quomodo ergo dixit, quòd singultus superueniens, malum sit? Concluditur enim ex hoc absurdum, scilicet ex inflammatione iecoris simpliciter malum, quod, vt dixi, absurdum est, seu malum absolutè intelligatur (hoc enim nemo nescit) seu malum, id est mortale, quod & falsum est: & si verum esset, non ob id malum censeri deberet, quia singultus res propè ridicula superueniret. Non enim ob singultum tales pereunt: at singultum mortis esse signũ in pluribus morbis, sparsim scripsit Hippocrates. Causam refert ergo in abscessus magnitudinem & prauitatẽ, cuius cõsensu, seu, vt dicit in Commento, comprimendo, seu bilẽ effundendo, seu neruorũ sexti paris transitu, excitatur singultus. Hos breuissimos ex secundo Epidemiorũ appellat Galenus, Verba eius *Sec. 4* sunt: Duo verò nerui à cerebro sub os magni verticuli, ex supernis, & ad gulam magis ab vtraque parte arteriæ descendunt, & vterque in seipsum incidens vni similis,

vbi verticula & septum sunt, ibi desinunt. Et quidam ambigui ex hac societate ad epar & splenem ipsos tendere putauerunt. Videtur autem mihi consensus potius quidam naturæ, cum ventriculo iecur quasi imperet, & eo affecto ventriculus afficiatur, facultatis enim quæ ventriculo inest, iecur auctor est. Manifestum est ergo, Aphorismum quintæ Particulæ significare non actum & necessariam consecutionem: sed si morbi sæuierint, quę nam symptomata cõsequi soleāt.

APHORISMVS XVIII.

IN vigilia conuulsio, vel desipientia.

COMMENTARIVS.

SVpple, malum. In quibusdam Galenus exemplaribus, hisque fidelioribus, dicit, legitur solum Conuulsio. Vtcunque sit, in diuersum trahit sensum, dum vult ex vigilia desipientiam fieri, & conuulsionem: quorum vtrumque falsum omnino est, & absurdum, nam si sic esset, semper ad longas vigilias vtrumque aut alterutrum sequeretur: at ex longissimis neque vllum horum quando sequitur. Quare ex, seu ἐπὶ, non causam, sed terminum significat, hoc modo: Si post vigiliam desipientia aut conuulsio subsequatur, malum. Nam signum est, vigilam, ipsam causam habere, quæ hæc possit parere symptomata. Cum enim diu constiterit, nec caucausam habuerit externam, interiorem, huiusmodi habeat necesse est, potentem, fixam, validam, immutabilem, ex qua aut desipientia, aut conuulsio fiat. Videamus ergo, ex quot causis vigilia fiat. Et constat, quòd præcipuè ex curis & tristitia, vt primo Cap. 8. de Symptomatum causis: vbi etiam docet quòd à calore & siccitate. Vnde tertio de Cap. 5. Locis: Vigiliæ & somnus primùm à calore & frigore fiunt, inde ob qualitates passiuas siccum & humidum. Et quomodo docebat se- Cap. 9. in fine. cundo de Locis, dicens: Calor vigilias excitat, quia motum. Quarta causa est cruditas, seu cibi intempestiuè exhibiti, vt secundo Com. 29. Porrhitici. Maximè à cibis potestate calidis: quia dicebat, ipsæ calidæ sunt, secundo de Com. 44. Victu in acutis. Et à fluxionibus, maximè ad loca sensu magno prædita, vt ad fauces, vbi Cap. 1. Sec. 7 molestiam afferre solent: septimo de Compositione medicamentorum secundum locos: nemini dubium quod etiam à doloribus. At ex his septem causis quatuor externæ dici possunt dolor, cruditas, cibus potestate calidus: & affectus animi, vt tristitia, ira, metus, curæ, spes. Tres autem causæ sunt morbificæ interiores: calor, siccitas & fluxio. Immoderatus calor amentiam facit etiam in sanis, atque eo magis, si siccitati iunctus fuerit, vt docet Galenus super illo Aphorismo sextæ particulæ. Idem, vt ibi docet, facit aut facere potest Com. 36. bilis: vt etiam in tertio in sextum de Morbis vulgaribus. Sed vult, quòd sit causa tantum Cap. 4. in fine. per accidens, vapores leuando. Et libro, Quòd animi mores corporis sequantur temperaturam, ait Galenus: Hippocratis filij à Comitis mordentur, tanquam quod ob immodicum calorem insani essent. Conuulsio similiter fit aut à siccitate, aut ab acri humore sicco: duodecimo Artis curandi. Et in tertio de Locis affectis docet, per exemplum piperis conuulsionem & singultum excitari: & Cap. 8. quarta Aphorismorum docet, conuulsionem Cap. 7. ex siccitate fieri apertissimè, vt in ardētissimis febribus. Si ergo dicas: Nonne etiam sin vigi- Com. 57. lia conuulsio & insania sunt malum signū, & malum symptoma? Respondeo, quòd verum est: sed cum vigilia declaratur huiusmodi affectus à siccitate prouenire. Quare, vt dictum est duodecimo Methodi, esse propemodum insanabiles affectus, mortem que portendere: quod non accideret, si adessent, absque vigilia. Possunt enim esse ex aliis causis multis, vt repletione, tum humoris motu: at diuturna vigilia cum causas minus periculosas excludat, symptomata praua esse docet.

APHORISMVS XIX.

IN ossis exutione, Erysipelas.

COMMENTARIVS.

DIximus vbique, quasi continuato sermone, malum intelligi, vt etiam in præsenti, non enim exuto osse tam pronum est superuenire erysipelas: quàm superueniente erysipelate, malum esse signum. Quamuis tamen intelligi debeat, non tamen, vt temerariè Fuchsius facit, addendum in textu, vt ille fecit tam Græco quam Latino. Itaque quomodo ossa exuantur, dicendum est. In libro enim de Capitis vulneribus, docet, Pag. 8. ossa capitis cum denudata fuerint, afferre periculum, ne etiam contusa sint, & profundius læsa, & scissuram conceperint, aut omnino fracta sint, atque hic est primus modus. Secundus est, cum carne contusa, & putrefacta os denudatur, vt in libro de fracturis, dum inquit: Nudatur verò quorundam superna Pag. 18. pars, quorundam verò carnes circumcirca mortificantur. Tertius modus est, cum caro eruditur, & membrana quæ circumambit os ipsum, velut in libro de Vlceribus: & in Pag. 3. vlceribus exedentibus, qua parte phagadæna fuerit, vehementissimeque depascitur, ac edit eā regione vlceris circumsita, pars colorem habebit nigrum aut liuidum. Et in vtroque sensu illud sextæ particulæ, Vlcera quæcun- Aphor. 43. que annua aut diuturniora, os abscedere est necessarium. Quartus modus est, cum os cariosum subtus fit: tunc enim carnem abscedere est necessarium. Tractat autem de carie in Pag. 8. osse, de Morbis secundo: at de erysipelate 12 Contrad. etiam suo loco diximus. Satis est, quòd os de- 6. nudatum cum erysipelate, indicat corruptum alimentum carnis: quæ cum iam os denudatum duplici malo afficit, & ipsa similiter dupliciter, & ab osse, & ab erysipelate: & os ab aëre & à carne, quare malum vtrinque duplicatur.

APHORISMVS XX.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio,

COMMENTARIVS.

Contrad. 35. Dictum est in præcedenti, tum etiam in octauo Contradicentium, de erysipelate, quid sit, & quomodo curandus: nunc diligentius agendum est, id docendo scilicet, an erysipelas sit cum putredine. Videtur enim ex præsenti Aphorismo, quòd non. Fit autem à flaua bile, prima Aphorismorum, & secundo de Simplicibus medicamentis: Exquisitum erysipelas fluxio est biliosa. Dicebat Galenus quartodecimo Methodi: Erysipelas & phlegmon in tumore & calore præter naturam conueniunt, differunt in colore, quoniam erysipelatis color est flauus & pallidus, at phlegmonis rubens. Erysipelas propriè purum & bene curatũ quiescit sine putredine & suppuratione, vt ibi habetur: at in tredecimo docet, phlegmonẽ propriè, modò magnus sit suppurari aut putrescere. Ergo putredo omnibus fluxionibus aduersa est, suppuratio autem erysipelati cum natura sua postulet resolui: quo fit, vt (malum) subintelligendum sit. Nam erysipelatis proprium est suppurari aut putrescere, quia in sola cute fit. Fit autem putredo, cùm particula corrumpitur, ad interitum tendit: suppuratio, cùm ad salutem. Cùm ergo suppurat erysipelas (nam nunc corruptionem, vt rem manifestiorem, prætermitto) necesse est vt profundius sit, & in carnes penetret. Abscessum igitur qualemcunque in carne suppurari, malum est: sed ex bile flaua, pessimum. Alia ratio, quæ à Celso colligitur, est, quoniam humoris biliosi ob siccitatem proprium est, vt non putrescat, nec suppuret, cùm ergo alterum horam superuenit, causam putredinis præpotentem esse indicat: quo fit, vt tum Celsus consulat locum exurendum, ignis enim omnem putredinem, & etiam intemperies finit etiam calidam, dicebat Albucasis.

[Margin notes: Com. 2. Cap. 21. Cap. 1. Cap. 3. — Cap. 5. — De differentiis Feb. cap. 6 — Lib. 5. cap. 26. de Cura erysipelatis.]

APHORISMVS XXI.

A Vehementi in vlceribus pulsu, profluuium sangiuinis.

COMMENTARIVS.

Non in phlegmone, vt putat Galenus, vehemens fit illa pulsatio, id est magna ac valida: si enim arteriæ paruæ subiaceant, quomodo vehemens esse, id est magna, poterit, aut valida, cùm sit ictus non validus? Sed si magna sit arteria, quæ subest: & impleatur sanguine multo, cum hoc compressus phelgmone, vel etiam solis vicusculis, tunc) fiet vehemens pulsatio, cui & (licet rarò effusio sanguinis copiosa succedere soleat, nihilominus non semper: sed si succedat, sæpe hominem interimit. Quòd verò phlegmone iam facto difficulter sanguis ex vena effluat, clarum est, nam ora venarum in phlegmone constringuntur inflatis circumiacentibus partibus: & ideo non sæpe fluit sanguis, sed rarò: antequam autem plegmon fiat, tunc sanguis copiosus effluere solet. Quinimò si more aliorum intelligatur, patebit ratio admodum exsiquita hoc modo. Pulsus in vulneribus ostendit abscessum: abscessu facto, si immodicus sanguis fluat, difficilè occurremus sanatione: neque exurendo, cùm dolor maximus auxilium recuset: neque per ea quæ agglutinant, quoniam loco applicari non possunt, atque ideo malum est.

Est & alius sensus, quod pulsus in vlceribus vehemens, significet aduentum plurimi sanguinis ad locum: arterialis dico, nam alius vim non habet pulsandi, quare cùm vlcus minimè consolidatum sit, erumpit sanguis copiosus, non ratione phlegmonis excitato pulsu, sed ob sanguinis ad locum defluentis multitudinem. Tunc igitur cùm sit arterialis, magno impetu fertur, & fit profluuium eius. Tertius sensus est, quòd corde vehementer pulsante ex vlceribus sanguis copiosus erumpit, quod ego sæpius obseruaui. Et causa est, quòd cor ob motum sanguinis vehementem palpitat vehementer. Atque hic sensus, & primus, non tam videntur esse ex Hippocratis sententia, quàm secundus, licet omnes verissimi sint. Hippocrates in primo Prædictionum inquit: Vulnera sanguinem fundentia, exudantia, maligna: sic affecti, loquentes moriuntur. Idem in Coacis prædictionibus, sed pro exudantia habet, insuper rigentia, ἐφιδροῦντα, habet prior locus, posterior ἐπιῤῥιγοῦντα, atque ita ex Græca lectione originem hoc ducit. Ibidem dicit: Moriuntur maximè ex vulneribus, si sauciata vena crassa fuerit, & secundo Prædictionũ: Vulnera magis lethalia sunt, quæ in venas crassas in collo ac inguinibus infliguntur. Deinde, quæ in cerebrum & in epar: postea, quæ in intestinum & vesicam. Sunt autem hæc omnia pernitiosa valde, non tamen ita vt nemo ex his euadat, velut creditur, nam & loci qui hæc nomina habent, multum inter se differunt, & iidem modi. Multum etiam differt corporis ipsius structura, & paulo pòst: Moriuntur enim homines ab omnis generis vulneribus. Multæ enim venæ sunt, & tenues & crassæ, quæ sanguinem fundentes occidunt. Post paulum sic concludit: Quæcunque igitur vulnera tempus nanciscuntur, aut corpus & mentem huiusmodi, aut ita gliscentem sanguinem, aut magnitudine tanta fuerint, vt homo ad curationem adduci non possit absque contemptu, ab his quidem discedere oporret. Obseruat autem tria pericula, febres, in his serpentes nomas, & sanguinis eruptiones: vt non solùm Aphorismus sit prognosticus sanguinis fluxuri, quod ad qualitatem morbi attinet, sed etiam mortis aut sanitatis sperandæ. Tum verò illud obseruandum, quod præcipit Hippocrates libro de Fracturis, ne tertia aut quarta die soluantur. Pag. 16. Nostra ætate etiam vitant, vbi periculum fluxus sanguinis, ne soluant ipsum vulnus, vnde præsente hoc signo, seu pulsus sit in arteria

teria, seu corde, non adhibent manum vulneri. Sæpe enim accidit, vt in huiusmodi casibus & in aliis lethalibus vulneribus, vt æger in ipsis manibus medici pereat. Propterea etiam dixit in sexto Epidemiorum: In vulneribus sanguis concurrit: propterea opitulandum, vt vacuum expleatur. Recipio autem vltimam Galeni interpretationem, scilicet quòd oporteat linamentis & vnguentis implere cauum vulneris, vt sanguis effluat. Sunt autem modi plures sistendi sanguinem, cùm seu palpitauerit cor, seu in vulnere ipso sit pulsatio, non qualis in abscessu, sed calor sentitur magnus absque dolore, & plenitudo quædam. Cùm igitur hæc apparuerint, non soluemus vulnus, sed lintea aceto madefacta in circuitu imponemus: & emplastra parabimus sistentia sanguinem, cuiusmodi sunt è sarcocolla, thuris cortice seu manna, gypso, stercore asinino, partim lentore suo glutinantia, partim astringentia. Diuertimus etiam cucurbitulis, venæ sectione, si exigat, vinculis, atque huiusmodi. Quæ ratio in pulmonis venarum ruptura tenet, & titillatione dignoscitur, ita vt sint tres differentiæ signorum, in corde palpitatio, in pulmone & consimilibus titillatio, in vulneribus pulsus: atque hæc omnia sine dolore, prænuncia effusionis sanguinis. Hoc autem maximè circa venas magnas, & præcisis arteriis. Quibus quandoque succurrimus comprimendo digito, aliis vas vinculo excipiendo, quandoque adurendo.

Sec. 5. 7. & tex. 11.

APHORISMVS XXII.

A Ventris dolore diuturno, suppuratio.

COMMENTARIVS.

SI quis dolorem qui per circuitus redeat, intelligat, vocétque diuturnum, falletur omnino: nam is à flatu fiet. Sin verò continuum, distinguere oportet, vtrum cum febre sit, & in qua ventris regione torqueat. Inquit igitur Hippocrates primo Prognosticorum: Abscessus in iliis durus & dolens, pessimus est, si in omnibus iliis fatiget: si verò altera parte infestat, sinistra minori cum periculo est. Talis verò ab initio periculum mortis citò futuræ significat. Quod si vigesimum transcendit diem, & febris detinet, & abscessus non desistit, in suppurationem vertitur. Accidit his in prima circuitione, sanguinis è naribus fluor, atque admodum iuuat. Sed requirendum est, num doleant caput, an hebetudines subeant oculorum. Si quid enim horum fuerit, eò tendet. Magis tamen in iunioribus quinto & trigesimo anno sanguinis fluorem expectare oportet. Si verò mollis abscessus est, nec dolet, & pressus digitis cedit, diuturniorem efficit iudicationem, ac minori cum periculo est: si verò prætereat sexagesimum diem, & febris detineat, nec desistat abscessus, fore suppurationem hoc loco & reliquo ventre significat. Quicunque ergo abscessus dolens, durus & magnus est, periculum mortis breui fore significat: quicunque verò mollis, non dolens digitis cedit prementibus, diutius immoratur. Abscessus qui in ventre fatigat, minus facit abscessum, quàm qui in iliis: minimè verò partes subter vmbilicum in suppurationem vertuntur: sanguinis verò fluorem maximè de supremis sedibus expectare oportet. Vniuscuiusque abscessus supersedentis quod in his fatiget sedibus, suppuratio consideranda est. Suppuratio inde proueniens, ita consideranda est. Quæ enim foras vertitur, optima est, si parua est, maximéque egreditur, & in mucronem est fastigiata. Si verò magna est & lata, minimeque in mucronem contracta, pessima est: quæcunque verò intrò rumpitur, optima est, si cum exteriori sede nihil communicat: sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor apparet. Hæc ille, sed œdematis nomine vtitur abscessus loco, Galenus cùm ibidem verè de hoc nos admoneat, satius duximus rem ipsam sublata ambiguitate sermonis explicare, quàm vim verborum conseruando sententiam reddere ambiguam, aut difficilem.

A textu 29. ad 41.

Vt ergo ad rem reuertamur, sententia Hippocratis eo in loco hæc est: Abscessus in ventre quidam perniciem statim afferunt, quidam suppurantur, & quidam in scirrhum transeunt. Eorum qui cum febre valida, sunt deteriores, qui in vtroque latere: pòst qui in dextro ilio: mitiores, qui in sinistro: cùm diem sexagesimum transcenderint, si non finiantur, & febris permaneat, suppurantur. Hoc est ergo, quod per diuturnum intelligit hîc, id est vltra diem sexagesimum. Ostendit etiam febrem quandoque finiri abscessu manente, tuncque in scirrhum transit. Quinque enim modis quilibet finitur abscessus, scilicet vno ex his, aut enim crudus perimit, cùm magnus, durus & dolens fuerit: tunc enim celeriter perimit, & tanto celerius, quo fuerit maior, durior, & cum dolore maiore. Magnitudo enim febris & caloris excitat vehementiam, duricies contumacem reddit ad coctionem & transmutationem, qui duo sunt modi solutionis abscessuum: omnino autem resolutioni tam magnitudo quàm duricies ineptæ sunt, dolor vires posternit, materiam ad locum trahit, & febrem excitat, locus quoque, scilicet vt sit in profundo, & in dextro latere: sic enim in iecore erit. Si verò ante vigesimum diem, cum talis fuerit, non tamen occidat, suppuratur. Neque enim ante eum diem, sed post, & vsque ad sexagesimum, potest & occidere & suppurari, & resolui & transmutari, & in scirrhum verti: sed à sexagesimo die si febris & abscessus maneant, suppuratur: sin autem febris abscedat, in scirrhum vertitur necessariò. Ante vigesimum diem & vsque ad sexagesimum resolui potest, atque hic tertius est modus, cum abscessus fuerit mollis, paruus, & virtus valida. Soluitur, cum non durus, fluxu sanguinis narium, cum virtus valida fuerit, & ætas florens. Quòd si virtus fuerit minus valida, & materia crassior, transmutari solet, atque id intra diem sexagesimum, non autem post. In lateribus suppuratio facilior, & frequentior quàm e regione ventriculi, quia calidius est

est iecur, & lien ventriculo : & ob id etiam facilius in dextro quàm in sinistro ilio, in imo autem ventre nequaquam suppuratur, ob eandem rationem : frigida enim est ea pars. Eorum qui suppurantur abscessuum, meliores qui exterius rumpuntur, quàm qui interius. Ex his qui exterius, melius se habent in mucronem tendentes: parui, non profundi, ex his qui intus, minus praui, cum dolorem non afferunt: cutis est concolor, & cum exteriori sede non communicat. Talia scire expedit eum, qui præsentem Aphorismum sit interpretaturus. Non dicam ego, neque teram tempus in describendo contentiones imperitorum : quod Galenus iræ impatiens, dum facit, sæpius, quasi medici sui temporis nobis & posteris noti futuri essent, obliuiscitur vtilium præceptorum. Satis esse debet, vt exemplo nostro, cum incidissemus in duos medicos: quorum alter erat imperitissimus, & asinus purus, alter contentiosissimus & ambitiosissimus, nunquam sententiam Hippocratis, quãuis me docente, percipere potuerunt, quin imò verba mea perperàm interpretantes in contradictionem trahere nos conabantur. Sic enim furebant, & inuidia premebantur, vt nec intelligerent : nec tempus quod ego illis offerebam, ad studendum recipere vellent. Quid igitur attinet hos reprehendere? quasi errandi non sint infinitæ viæ : aut defuturi sint vnquam, qui malignitate & ignorantia aut ambitione cuncta peruertant. Sed veritas cum in medio iaceat, quasi ad libramentum ponderibus pressa, semper vbi semel innotuerit, exurgit. Cum igitur in ventre, id est spacio quod ab ensiformi furcula per ilia tota vtrinque ad pubem extenditur, diuturnus dolor, non per circuitus (ne in casu simus eius Aphorismi, Quibus tormina & circa vmbilicum dolores & lumborum dolor, qui neque medicamento neque aliter soluitur, hic in hydropem siccam firmatur) sed continuus: diuturnus autem, quoniam superius dixit, Quibus circa hypochondrium absque inflammatione fit, iis febris superueniens dolorem soluit, his necesse est esse abscessum, non humorem crudum tantum, aut flatum, aut malam intemperiem frigidam quare oportet vt tandem materia quæ in scirrhum eousque abire non potuit, nec transmutari, nec exhalare, vt in suppurationem conuertatur. Solet enim hoc quædam tabifica febris, ac lenta, tum inæqualis & varia comitari. Oportet autem dolorem in vno loco firmum esse: aliter diuturnus dolor non dici debet, neque enim tunc erit vnus, si sedem mutet. Sic ergo diuturni nomine continentur firmus, & continuus. Diligenter autem animaduertere oportet, quòd Galenus vera dicit de flatu, intemperie & acri humore, quod dolorem diuturnum afferre non possunt si ritè curentur: sed non omnes causas enumerat, quibus diuturni dolores contingere possunt, præter abcessum, nam & à crudis humoribus, sed non perpetuis, & ab vlceribus, sed hi conspicuum signum habent sanguinem & saniem, fieri solent. Id igitur diuturnos & continuos intelligere oportet.

Lib. 4. Aph. 10.

Lib. 6. Aph. 38.

Manifestum verò est, his antea & tunc emplastra conuenire, quæ aut resoluunt aut cõcoquunt materiam. Sed si dicas Hippocratem nolle vt infra vmbilicum suppurentur: Respondemus, verbum Minimè non pro negatione, sed comparatiuo sumendum, seu superlatiuo eorum quæ suppurantur, velut si dicamus, Statius minimè poesim sapit, hoc autem emphasi verbi dignoscitur, & quoniam præcessit iam comparatio: nam qui in iliis fiunt, maximè suppurantur.

APHORISMVS XXIII.

A Syncera deiectione, difficultas intestinorum.

COMMENTARIVS.

ADdunt aliqui, malum : contra Galeni sententiam, & vtriusque Græci codicis fidem. Quod autem syncera deiectio mala sit, & quid sit visum est superius, reliquum est vt doceamus, cur difficultas intestinorum facilè subsequatur deiectionem synceram. Fit syncera deiectio, cum humor ipse aut separatur, aut exuritur qood liquidum est atque humidissimum : atque hic modus deterior est, quoniam erodit intestina, seu flaua seu nigra bilis exusta fit : vnde etiam per se lethalis est, lib. de Atra bile. Intelligit autem deiectionem synceram, quæ diu perseuerat, nam si semel eueniat, non est necesse vt pariat difficultatem intestinorum, nam multi emissa atra bile postridie moriuntur: quarta Aphorismorum. Quòd si difficultas intestinorum ab atra bile incipiat, lethalis est, vt visum est suprà. Seu ergo subsequatur seu non, difficultas intestinorum nigræ bilis exitus lethalis est : & si superuixerint, subsequi solet. At ex minus acribus, flaua bile aut æruginosa, aut salsa pituita, cum sinceræ fuerint, & perseuerarint, fieri difficultates intestinorum verisimile est. Eodem modo & à venenis hæc subsequuntur, & magis in teneris corporibus, velut pueris talia eueniunt. Non solùm igitur deiectiones syncerae solent parere difficultates intestinorum: sed & eas quas pariunt, efficere lethales. Nec solùm in huiusmodi, sed in sputis & vomitibus syncera excrementa mala sunt, non tamen peculiarem morbum faciunt. Est autem maximè consideratione dignum, quod dicitur secundo Prædictionum, dysenterias scilicet cruentas, & longis & acutis morbis, imò etiam vtero gerentibus esse salutares : at quæ cum dolore adsunt, & maximè si signa quæ ibi enarrat, affuerint, perniciosiores. Sunt autem, febris, abscessus in aliquo membro naturali, maximè in iecore, ætas puerilis vsque ad quinquennium vel senectutis, cibi fastidium, dolor magnus, sitis, aut si variæ sint egestiones.

Com. 6.

Cap. 3.

Aphor. 21.

4. Aph. 23.

Pag. 10.

APHOR

APHORISMVS XXIV.

IN ossis præcisione, desipientia, si in vacuum apprehenderit.

COMMENTARIVS.

DEsipientias fieri osse præciso, cum vulnus totum os præscindens vsque ad vacuum intrò descenderit. Nam vt Galenus rectè dicit, tunc noxa communicatur cerebro per membranas: fit enim desipientia necessariò ex mala temperie in cerebro dominante,
Cap.7. vt secundo de Symptomatum causis habetur, videtur autem, quemadmodum & in præcedenti, significare pronam consequentiam, &
Aphor 16. cum consequentia etiam perniciem. Velut in superioribus: A' puris sputo phthisis & flu-
Pag.8. xus. Duo præcipua signa commorat Hippocrates secundo Prædictionum, concidere ex vulnere vel ictu, & in soporem decidere, scilicet vt sine sensu iaceat. Veruntamen in
Pag.9. Cap.5. lib. de Capitis vulneribus, cum pessima signa illorum enumerauit, subiicit: Et desipiens homo moritur. Galenus tamen innuere etiam videtur aliam causam amissionis, rationis & sensus, septimo de Decretis Hippocratis & Platonis, effusionem scilicet copiosam animalis spiritus. An ergo ex solo vulnere id contingere possit, nulla facta intemperie, potius est curiosi quàm sapientis viri. Mihi sanè persuasum est, quòd non, nam statim tametsi diuisum sit membrum, non delirant. At aliud est sensum amittere, & stupidos manere: aliud est delyrare, atque insanire. Sunt quædam exemplaria huiusmodi: In ossis capitis præcisione desipientia, si in vacuum apprehenderit, quod est idem, sed clarius.

APHORISMVS XXV.

EX medicamenti potione, conuulsio lethalis est.

COMMENTARIVS.

5.Aphor.1. NOn idem est hoc ei: Conuulsio ex helleboro, lethalis est. Nam ibi præter purgandi vim, helleboro qualitas inest acris, qua neruos & ventriculum offendens, excitat con-
5. Aphor.4. uulsionem. Præterea nec ei. Ex superflua purgatione conuulsio aut singultus superueniens, malum. Nam hoc ex immodica purgatione cum eueniat, vt ex aperta causa, non adeò est verendum. Si igitur nec ex acrimonia, nec ex superflua purgatione homo assumpto medicamento, seu purgante seu non, sed malefico, conuulsio excitetur, lethale est. Docui-
Cap.19. cap.1. mus enim in primo & secundo de Venenis, proprium illis esse conuulsionem excitare, esseque signum id maximè lethale. Violentas enim (cum omnes per se malæ sint) conuulsiones refugit Hippocr. Quæ enim vi medicamenti mali, vt colocynthidæ solitariæ & castorei corrupti, & anacardorum, & solani, & cicutæ, & apii risus potione eueniunt conuulsiones, ex malefica qualitate cerebro communicata, non ob purgationem, celerius & certius perimunt, quàm quæ ob purgationem humorum & illorum vitium, cerebrum enim non secus ac ex ictu, peregrina affectum qualitate non resipiscit. At si ob commotionem humorum id fiat, oportet illos & multos esse, & vehementer malos, qui nondum commoti id agant: quare si non educantur, spes est ægrum ex huiusmodi prauitate interiturum.

APHORISMVS XXVI.

IN vehementi dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum.

COMMENTARIVS.

QVatuor modis ex vehementi dolore ventris frigiditas euenire extremorum potest, atque in singulis malum est signum. Primus est, cùm abscessus in visceribus generatur, de quo actum est suprà: Secundus, cùm 4. Aphor.4.
propter dolorem calor reuocatur intus, tra- Pag. vlt.
hit enim dolor vt cucurbitula: & hoc videtur Cap.8.
sentire Hippocr. de Veteri medicina, & cla- Cap.4.
rius Galenus libro de sanguinis missione, & quinto Methodi: Nihil est quod fluxiones magis excitet, & phlegmonas faciat, quàm dolor, & in tertiodecimo, dum reddit causam, cur dolor phlegmonas excitet, dicit quòd natura conatur expellere ac detrudere quod contristat, cuiusmodi est dolor. Huius ergo causam dum vult exprimere, comprimit circunuicinas loco dolenti partes, atque ita exprimendo circuncirca partes omnes, in medium locum dolentem aliquid detrudit sanguinis & humoris, & in Arte medica: Omnis Cap.3.
dolor fluxiones mouet. Idem secundo de Fe- Cap.9.
brium differentiis, & generaliter reducit fluxionum causas ad duas, calorem, & dolores vt etiã tertiodecimo Methodi paulo post locum Cap.11.
dictum: Sed hæc mittamus, & de dolore solum Pag.5.
loquamur, de quo dicebat Hippocrates libro de Victu in acutis: Quum dolores accesse- Cap.5.
rint, atræ bilis & acrium fluxionum affluxus fiunt tertius est, vt resoluto calore ob dolorem, siquidem dolor vires exoluit, duodecimo Methodi, & tertio de Victu in acutis. Pag.14.
Quartus modus est, vt ob copiam humorum Cap. 1.
calor naturalis obruatur, atque ita refrigerentur extrema. Porrò humores illi abundant aut à dolore attracti, vel quia dolorem ipsi excitent. Mirabile dictu, quod Galenus sug- Com.33.
gillet Hippocratem, quasi debuerit: In vehementi dolore ventris totius corporis exterior pars refrigerata, malum. Contenditque eadem ratione, qua extrema refrigerantur, & cutim totam debere refrigerari. Quinimò censet sic generalius dictum, ego verò in vtroque illum falli puto, experientia docente, sæpe quidem refrigerari ob dolores vehementissimos extrema, partem autem exteriorem vniuersi corporis nequaquam. Præterea dictum generalius illud mihi videtur, in quo pauciora assumuntur, ad ostendendum quod proponitur: at minus est dicere, Extrema refrigerari,

refrigerari, quam totius corporis partem exteriorem. Ideò dubium non est, dictũ Hippocratis sic prolatum esse generalius Galeni adiectione: nec scio, vbi ille hoc inuenerit. Certè si hoc est ex his quæ posita sũt in libris de Demonstratione, nouum est genus. Dialecticæ. Sed manes insignes omittamus. Extra propositũ planè est, quod adducit Fuchsius de primo Aphorismo huius particulæ neque enim dolor morbus est acutus, cum adhuc dubitari soleat an sit morbus. Plinius existimat vehementissimos esse dolores calculi, post ventris, inde capitis: quòd ob huiusmodi dolores, non ob alios, homines sibi consciuerint mortem. Brasauolus ilij & vẽtriculi maiores putat, quod plures & citius perimant: sed hoc non ostendit maiores esse dolores, sed lethaliores, quod contingit ob particulæ præstantiam, nam dum caput dolet, non cerebrum: sed membranæ ipsæ dolent.

Lib. 25. c. 3. in fine.

APHORISMVS XXVII.

SI mulieri vtero gerenti tenesmus superuenerit, facit abortum.

COMMENTARIVS.

VTimur Græco nomine potius quã Latino, ad ambiguitatem declinandã. An tenesmus ex pituita fiat, disputatum est à nobis sexto Contradicentium. Hippocrates sic illum describit primo de Morbis: Tenesmus est voluntas egerendi ineuitabilis, isque trãsit in dysenteriam, illa in leuitatem intestinorum, hæc demùm aquam intercutem. Et in libro de Affectionibus: Tenesmos vbi apprehenderit, secedit sãguis & muccus, & dolor fit in ventre inferiore, maximè vbi ad secessum deuenerit. Et paulo post: Et fit quidẽ ab iisdem, quibus & dysenteria. verùm debilior, & breuis, & non lethalis. Verùm abortum excitat duabus causis. Prima, quòd eodẽ impulsu quo feces eiicere conatur, cum vna sit substantia recti intestini cum vtero, etiam vterus ipse vexatur voluntate illa expellendi, quod continet, & à musculis ventris comprimitur. Secunda, quòd sæpius surgere compellitur mulier, vnde fatigata abortit. Galelenus autem nescio cur omissa prima, tantùm secundæ meminit. Palàm est ergo, longè periculosiorem esse illum tenesmum, qui ex abscessu fit, eo qui fit ex pituitæ acris descensu, qui plerunque secunda aut tertia die sanatur.

Contrad. 15. Pag. 2.

Pag. 8.

APHORISMVS XXVIII.

QVi alba pituita detinetur, si vehemens fluxus ventris superuenerit, à morbo liberatur.

COMMENTARIVS.

INferius scriptum est. A pituita alba aqua intercutem superuenit. Cum enim in ambitu totius pituita alba colligitur, fit leucophlegmatia morbus: qui idem Græcè sonat, quod alba pituita. Vocatur & anasarca, & ab Arabibus hyposarca. Dictum est autem superius aliquid de huiusmodi morbo, tum in quarta tum in sexta sectione: nunc verò sat sit adiicere quæ necessaria sũt. Galenus primo de naturalibus facultatibus, volens docere differentiam inter adiectionem & agglutinationem, dicit. Cum nutrimẽtum adiicitur, sed non agglutinatur, fit species illa hydropis, quam anasarcam dicimus. Est igitur ex vitio tertiæ concoctionis, quanquam mihi potiùs functio quàm facultas vitiata videatur. Neque enim imaginari possum, quomodo vitium idem possit esse in omnibus membris, brachiis, pedibus, dorso, ventre, quo nutrimentum non possint agglutinari, quòd si non agglutinari, nec assimilari. Et si dicas, quod sit solum in pedibus, igitur erit œdema anasarca. Quòd si dicas esse in toto, sicut hecticam ratione cordis: ita contracta causa ob frigidam & humidam intemperiem cordis: igitur & iecur eadem laborabit intemperie, meliusque erit tribuere hoc vitiũ cordi aut iecori, quã mẽbris. Vt vt sit, potius functio quàm facultas dicetur in his esse vitiata: verum fieri potest vt soli pedes, tanquàm à caloris fõtibus remotissimi, debilitentur, atque ob id pituita illa alba impleantur: inde sensim materia aucta ascendat & cũ hoc refrigeret etiam crura, inde coxas, tandem ventrem etiam repleat, & iecur per consensum refrigeret, & ita per vitiũ vnius partis totum pereat. Fieri igitur potest leucophlegmatia hoc modo, & per intemperiem in iecore, & tũc fiet vbique simul, & per viam œdematis in vno membro solo: sed resoluitur, antequam augeatur: & ita non vlterius progreditur. Ex quo patet, quomodo per contemptum, & maximè in senibus, homo potest mori ex vlcusculo malè curato, dum fit œdema, & ex œdemate anasarca in pede, crure, & aliis. Et hæc est causa, cur fontes in cruribus producunt vitam, dum euacuant humorem illum superfluum, qui solet demitti ad crura ob iecinoris debilitatem, & rursus patet, cur conclusis fontibus, qui diu aperti manserint, contingat anasarca, & inde mors. Et quòd exercitium: dum præseruat ab hac imbecillitate, in senibus producit vitam: item, quòd senibus conferunt cibi ob id sicci, vt carnes auium grana comedentium, & non humidi, propter hoc periculum.

Aphor.

Vbi ergo materia collecta, vt dixi, vitio potius vnius partis, & malo regimine, quàm cordis aut iecoris imbecillitate, detrudatur in ventrem, non destillet sensim vt fiat aqua intercus, quemadmodum ab initio præfatus sum, depulsa per mesaræi venas ad intestina, fluxum ventris facit, ex quo liberatur æger. Et quoniam hoc fit à robore iecoris (ipsum enim est fons omnium operationum naturaliũ) ideo etiam fit illo non vitiato: ipsũ enim vitiatum non percipit noxam, nec potest quod nocet expellere. Ideo talis operatio est bona ratione causæ, dum materia faciens

morbum

morbum expellitur: & ratione signi, quia significat robur iecoris, & illius etiam sanitatem.

Pag. 6. Quis autem sit morbus, in libro de Affectionibus dicebat: Pituita alba corpus totum intumescit albo tumore, & in eadem die alia parte melius sibi videtur habere, alia deterius: & tumor aliâs in alia corporis parte maior & minor fit. Et postquam curã proposuit, subiicit: Morbus autem hic fit à pituita, cum qui ex febribus diuturnis, qui pituitosus natura impurgatus manserit, & pituita ad carnes conuersa fuerit. Et non est hæc pituita albidior alia, verùm corporis color albidior apparet. Sãguis enim pituitæ copia albidior euadit, & non inest ipsi bonus color: quapropter albidiores apparent, vocaturque hic morbus Pituita alba. Ex quo demiror, cur Galenus de hoc nomine dubitauerit, cum non sit nomen hoc album pituitæ, sed nomẽ integrum morbi, qui sic appellatur pituita alba: id est, pituita quæ album reddit corpus, seu cutim ipsam. Meminit eius etiam secundo de Morbis, dum dixit: Intumescit totum corpus albo tumore, & venter ad contactum crassus est, & pedes ac femora tument: tibiæ item ac scrotum, & aceruatim respirant, facies que rubicunda est, osque siccum, & cum siti: & vbi cibũ accepit, spiritus fit frequens: & quandoque die eadẽ melius se habet, quãdoque deterius. Cui si ab initio morbi turbatus fuerit venter sua sponte, proximus est sanitati: si verò non turbatur, tu medicamentum propinato quod deorsum euacuet, ponitque reliquũ curæ. Ex quo patet, hũc Aphorismum etiam curam rectam nos docere, nã huiusmodi morbus facilè medicamentis exsiccatur, si quis ab initio statim occurrat. Est autem familiaris hyemi & mulieribus: & in regione in qua bibunt stagnantes aquas: libro de Aëre, aquis & locis, & reddit mulieres ipsas steriles, vt ibi dicit. Et facit illius duas species libro de Internis affectionibus: sed priorem quam vocat popularem, non vocat pituitam albam, quia recens est: sed antiquã, id est diuturnam, constat enim morbum longum esse, de quo inquit ibidem: Grauat hominem magis, & speciem à populari alienam habere videtur pallidiorem, & totum corpus laxo tumore intumescit. atque eadem subiicit, quæ ex secundo de Morbis recitaui, nisi quòd post illa verba. Melius se habet, hæc subiicit: Aliquando repentè dolor ei aduenit, & sibi mori videtur. Similiter & post illa: Quod deorsum euacuet. Cneoro, aut Hippophae, aut cnidio grano, aut lapide magnesiæ. ἱπποφεως, inquit Galenus libro de Linguis Hippocratis, non solùm lappago nominatur, sed & carduus & stybum. Est autẽ lappago similis anagallidi, nisi esset ramosior, ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, grauis odoris: quæ talis est, mollugo vocatur, similis sed asperioribus foliis asparago, cuius succus pondere denariorũ vndecim cũ vini cyathis duobus quotidie sumitur contra podagras tã calidas quàm frigidas. Constat igitur, inter purgantia esse medicamenta. De carduo notus est. Stybum autem frutex est, quod carnosa habet folia. Sed quidam per i scripserunt. Cneorum describitur à Theophrasto, eius est

Pag. 15. (margin)
Pag. 5. (margin)
Pag. 12. (margin)
Plin. lib. 26. cap. 10. (margin)
1. de Hist. planta. c. 16 Theophrastus (margin)

album, quod valde est odoratum. Itaque notum est, neque enim notum dici debet, quod inuenitur, sed quod perfectè ab antiquis descriptum est, cum periculum non sit vt natura deficiat, vbi enim planè notis descriptum est aliquid, notum dici debet. Quòd si cum hoc etiam nobis offeratur, notissimum dici potest, At quædam nota non sunt, quæ plenè qualia sint, non sunt explicata: cuiusmodi costus, iuncus odoratus: sed iuncus à generali forma tum odore dignosci potest, tum ratione loci vbi nascitur, velut & calamus odoratus. Sic narcaphthum & multa alia, quæ adeò concisè descripta sunt ab antiquis, vt illa verè & meritò ignota dici possint. At cnicus, carthamus ab Arabibus vocatur, granum est candidum cum candida medulla, gratissimum psittacis, flore croco simili admodum: hoc granum purgat pituitam optimè, vt meritò conueniret pituitæ albæ. Sed cnidium granum à cnico differre videtur, tertio de Simplicibus medicamentis. Item in primo apertè. Constat ex illius historia, granum fuisse album, quod pituitam abundè, sed vehementius purgat: vt constet eiusdem fermè fuisse naturæ, tum verò notissimum, vt cneorum, quod & cnesium appellatur, estque coronaria herba, apud Plinium in nono, de compositione medicamentorum secundum locos, vocat Chamelæan. Est autem adeò odorata, vt Hyginus Casiam accellare soleret. Magnesia Thessaliæ annexa est. Magnetis Aethiopicum genus è quinque vnum. Magnesia mittit, vt Plinius auctor est. Quod satis rectè respondet Dioscordi, de illa dicenti: Datur trium obolorum pondere ad crassos humores expurgandos. Est autem obolus, grana duodecim. Quòd si etiam loco stybi apud Galenum stybium legas, habebis præclarissimũ illud etiam Matthioli inuentum notum fuisse Hippocrati: quod tamen ob præparationem non credo.

6. de Hist. p. cap 2. (margin)
9. de Hist. plan c. 7. (margin)
Cap. 25. Cap. 2. (margin)
Lib. 21. c. 9. (margin)
Cap. 3. (margin)
Plin. lib. 4. cap. 9. (margin)
Lib. 36. c. 16. (margin)
Lib. 5. c. 105. (margin)

APHORISMVS II.

QVibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit.

COMMENTARIVS.

QVod nullibi aliàs in præsenti Commentario ob difficultatem Commenti Galeni solitus sum, hic facere decreui, nam Hippocratis sententia planè aperta est. Reprobare nititur, quæ hic dicit Hippocrates, totis viribus. Primũ, quod trifariam spumosa excrementa fieri possunt: vel si materia huiusmodi è capite in ventriculum defluat, vel si ex aliis vasis (quę autẽ sint, aut esse possint, haud exponit) vel si in ipso ventriculo spumosa fiat, non igitur ex solo cerebro. Preterea quod vbicunque fuerit causa continens spumæ, ibi spuma generari potest. Subiicit ergo: Est autem huius pituitæ causa contentiua flammosus spiritus, dum humori commiscetur, vehementem habens motum & inæqualem: ita vt & ipse dirumpatur, & pituitam frangat

frangat in multas ac paruas partes. Talis vero motus ipsius causa est, & propria natura, & caloris nonnūquam multitudo. Dictum est autē de his libro tū secundo tum quinto. Sed prosequar. In tertia parte Galenus oppugnat eos, qui dicūt etiam ex pulmonibus ad vētriculum spumosam pituitam deferri posse. Hoc enim alicuius celebris expositoris, Hippocratem etiam carpentis, dictam fuisse verisimile est, id verò tribus rationibus. Prima, quòd in fluxionibus à capite ad pulmones, cum spumosa emittuntur, non tamen egestiones spumosæ apparent, quæ apparere deberent. Dicebant autem hi (vt ex Galeni argumento apparet) quæ è capite veniebant, ideo spumosa in excrementis apparere, quòd per pulmones transirent, superiore auctoritate ex quinto libro freti. Quibus sic occurrit Galenus. Quomodo id contingere potest, cum persæpe etiam quæ fluunt è capite ad pulmones, defluxa spuma carent: quanto magis si ex ventre excernantur, vbi in via à pulmonibus ad intestina spuma desinet. Secunda, quia nec sanguis ipse è pulmone excretus per sputum semper est spumosus, nisi ex eo ipso principaliter veniat: nec si ex morbo laterali, & quod maius est, inquit, ex pulmonis etiam abscessu nequaquam est spumosus. Tertia, quòd si materia ex capite descendens ad pulmones potest efficere spumosam fecem, oportet vt ex pulmone in cor deferatur, inde ex corde in cauam, venam, & ex ea in gibbum iecoris, inde in concauum, pòst in intestina descendat: vel vt postquam in cor peruenerit, per arteriam magnam feratur in mesaræum. Quorum vtrunque refutat, dicens: Quomodo fieri potest, vt per tot venas transiens spumosum maneat? Sed hæc missa faciamus, difficiliora quàm vtiliora: sed voluimus ostendere, illos qui se Galenicos profitentur, Galenum haudquaquam intelligere, vbi difficilis est, aut seriores tractat. Quàm feliciter autem? planum est iugulare, vt dici solet mortuos. At verò quòd indignè, vt solet, arguat Hippocratem, ferendum non est, nam è tribus causis spumæ quas adducit, vna est Hippocratis in textu: aliam, vt dixi, non docet: tertia est, quòd in ventriculo spumosa pituita fiat. Dicimus vno verbo, experimentum & rationem esse pro Hippocrate. Experimentum quidem, quia videmus ita semper esse: rationem, quia pituita quæ in ventriculo gignitur, non est adeò tenuis, vt efficere possit spumam illam, qualem in saliua videmus: nec ventriculus respirat, vt cerebrum & partes oris, quæ continuo spiritu flant & reflant. Ad id, de causa per eadem, nec materia nec efficiens abundè suppetit: materia enim crassior est, & spiritus deficit. Præterea, etsi semel aut bis id contingere posset, non tamen in longo processu. Sermo autem Hippocratis, vt manifestum est, cùm excrementa spumosa diu perseuerant.

Aphor. 43.
Aphor. 13.

APHORISMVS XXX.

QVibuscunque febricitantibus in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem significat.

COMMENTARIVS.

CVm hic liber sit totus prognosticus, hìc de vrinis agere, præcipua parte prædicendi, incipit. Sufficiet autem in hac expositione proposuisse quæ ab aliis dicuntur, & primùm ab Hippocrate in libro Prognosticorum, non rectè à Fuchsio citata: Subsidentiæ in vrinis crassiores, farinæ partes referentes, prauæ sunt: his autem peiores sunt laminosæ. Addit pòst, quòd hæ & aliæ quas ibi adducit, incoctum significant morbum. Alia auctoritas citatur à Galeno in primo Epidemiorum: Decimo minxit multum, subcrassum, quod in matella euadebat: quod subsidebat, erat simile farinæ crassiori, album: vndecimo obiit. Tertia auctoritas est eiusdem in tertio Epidemiorum adducta à Galeno: Secunda die vrinæ tenues, variæ, in medio pendens quiddam, habentes minutim dispersum, velut farinæ crassiores & genituræ similes. Ex quibus colligit Galenus, huiusmodi vrinas lethiferas esse, si quidem virtus valida sit post longum tempus. Quanquam qui in Dealcis habitabat horto, quadragesima die, & tanto pòst illam vrinam sit liberatus: si autem sit imbecillis, paulo pòst moritur æger, atque ita Hippocratem accusat. Sed rei veritas est, vt dixi, quòd Hippocrates intelligit de vrinis perseuerantibus huiusmodi, non si semel excernantur, vt in Sileno. Casus enim quidam fuit, & tunc longum morbum semper significant, & crudum scilicet, & robur virium, ex quibus longitudo morbi necessario declaratur. Hoc autem statim intelligemus, cum causam sedimenti huiusmodi docuerimus. Galenus secundo Prognosticorum duo genera docet sedimenti farinæ similis, tenuioris & crassioris. Crassior propriè fit aut assato sanguine, aut carnibus consumptis: pars relinquitur assata, velut in sartagine, ideoque dura, tenera enim pinguedine, ac noua, inde vetustiore, pòst noua carne, inde vetusta, demùm solidis ipsis particulis etiam squammæ excernuntur. Hoc volui adduxisse, vt intelligerent lectores, quàm absurda quandoque sit Galeni expositio: quamque perniciosi humano generi, qui illam ita pertinaciter tuentur, aut enim non intellexit: aut non, cum Prognostica vel Aphorismos exposuit, sed alibi, neque enim omnia omnibus in locis auctores intelligunt. Quàm melius Actuarius, cum inquit: Veruntamen non ignorare oportet, interdum humorum crudorum concretorum effigiem quandam apparere, vergentem ad species similes prædictarum hypostasum. De huiusmodi sermonem habuit Hippocrates, docens semper longum futurum morbum, qui non nisi serò concoqui possit, & viribus cum inualidis non fiat.

Pag. 5.
Ægr. 2.
Ægr. 3. aui constit.
Com. 28.
1. de Causis puls. c. 10.

APHOR

APHORISMVS XXXI.

QVibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significant.

COMMENTARIVS.

INsanire videar, si errata Galeni prosequendo, qui Hippocratem non intelligens accusat, longiorem efficiam expositionem. At ille, se nunquam vidisse tenuem, id est aquosam vrinam suprà cum sedimento bilioso. At ego nunquam nisi tenuem aut tenuissimam vidi: nam si per tenuem, aquosam id est albam intelligit vrinam, quid absurdius? cum sit contradictio in ipsis primis verbis. Quinimò cum talem intelligit, adiicit, decolores, vt in tertio Epidemiorum: In secundo ordine vrinæ tenues, & decolores. At quod tenuem esse necesse sit, demonstrare possum, si enim contentum biliosum est, idem est & tenue: at si tenue contentum, & vrina tenuis erit. Quid ergo sibi velit Galenus hac in parte, certè nescio: rarò cum tenuibus contentis, crassa est vrinæ substantia. Longior essem, nisi de his peculiari demonstratione in opere de Vrinis locutus essem, nunc ergo quod præsens est, tam clarum est, vt penè non indigeat demonstratione. Est autem huiusmodi: Cum biliosa sedimina fuerint, & etiam tenuia suprà, id est, biliosa ratione contentorum & substantiæ, acutum morbum futurum decernunt. Quæ enim ex materia tenui fiunt affectiones, periculosæ sunt, & breues, at tales sunt acutæ, vt docebat Galenus prima Aphor. Sed cum materia calida est & sicca, est etiam tenuis, ideo patet quod dicitur. Hippocrates primo Epidemiorum fermè similem vrinam in Cleanactide figurauit, cum dixit: Vrinæ tenues, sed non decolores, vt non voluerit tenues omnes sine colore esse, nec absque sedimento: vt in tertio, dum de eo qui in Dealcis horto habitabat, vrinæ tenues & subsidentiam habebant. Sed & Actuarius primo de Causis vrinarum docet, hæc sedimina fieri vel ex humoris biliosi redundantia, vel copia cibi consimilis, significareque eiusdem humoris abundantiam in tertia coctione: quod quàm falsum sit, apertè intelligitur.

7. Languen. 6. Languen. 3. primi ordinis. Cap. 16. de Iudic. Cap. 16.

APHORISMVS XXXII.

QVibuscunque vrinę distantes sunt, his turbatio in corpore fit.

COMMENTARIVS.

VRinarum substantiam diuisam esse, vt pars à parte distet, quid absurdius? Propterea bene fecisset Galenus, tam absonæ interpretationis nec meminisse, quin potius trium (quas omnes prætereunt) quæ quotidie spectantur. Sita enim est siquidem quæ rarius contingit, vt substantia omnino diuersa sit, vtpote superior pars tenuis, atque infima crassa, cuius exemplum nullum memini apud Hippocratem legisse, nec vnquam planè vidisse, reliquarum trium interpretationum omnium exempla non desunt. Prima siquidem, vt contenta plurimùm inter se distent loco cuiusmodi in primo Epidemiorum Philiscus: Innatantia quædam in vrinis rotunda, genituræ similia, dispersa. Secunda, vt ad varia tempora referatur, vt ibidem vrinæ variæ. Et in Philini vxore, Vrinæ tenues ab initio decolores: cum loqueretur de illis quæ vsque ad quintam reddebantur. Deinde paulo pòst, dum de his quæ in vndecima die: Vrinam autem reddebat cum conuulsionibus aceruatam, multam: illis autem parum vrgentibus crassam, albam qualis est ex his quæ subsiderunt, vbi multo tempore sita, fuerint conturbata: non subsidebant, color & crassitudo talis qualis iumentorum. Tertius sensus est, vt referantur contenta ad vrinas, vbi cum tenui substantia crassa continentur. Velut tertio Epidemiorum in Pythione: Vrinæ ab initio & vsque ad octauam tenues, decolores, in medio quiddam nubilosum pendens habebant, & huiusmodi plura. Quin etiam omnes fermè malignæ febres tales sunt, substantia tenues, continentque crassas nebulas quas globosas vocare solent. Hæc sunt pertria, generalia, vulgata: quorsum res quasi inauditas quærere? nam quòd dicunt, esse in vrinis ob circulum partes distantes, colore, substantia, concoctione (plurima enim hoc verbo varia intelliguntur) à reliqua vrinæ parte, nihil est, cum semper hæc adsit diuersitas, vt non oporteat dicere quibus. Et ea magna non sit vt distantes dici possint: cum sit manifestum, circulum viridem & liuidum nō nisi in vrina quæ talis sit, apparere posse, quamuis non adeò reliqua pars liuida sit, aut viridis. Pauca ex innumeris in his adduxi exempla ex Hippocrate, & in re quæ experimento notissima est, curiosus autem fuerit errore expositorum aliorum, tum maximè & falsas conuersiones duorum horum Aphorismorum Fuchsij prosequi, cum nec quantum satis est, Galenum reprehendamus.

Languen. 1. Languen. 4. Languen. 1.

APHORISMVS XXXIII.

QVibus in vrinis bullæ insident, morbum renalem & longum significant.

COMMENTARIVS.

VVlgata illa de spuma in vrina, significante pituitam in cerebro, si in ambitu sint: in pectore, si in medio, ex hoc Aphorismo reprehenduntur; cum ad renes illam Hippocrates referat. Siquidem spuma diu manet, necesse est flatum gigni, & lenta crassaque materia: quod verò crassum est & lentum, frigidum est necessariò, idemque morbos longos necessariò, etiam procreat. Palàm est igitur,

tur, bullas diu in vrinæ superficie manentes, longum morbum declarare: & quanto bullæ maiores fuerint, atque diutius manserint, eo longiorem morbum significare. Nam pueri solent lixiuio admiscere saponem, vt palea efficiant ampullas, quod enim lentum est, multum extendi potest, & in magnum spacium: oleum autem quod saponi immistum est, absumpta iam tenuiore parte, maximè cohæret. Regula etiam est Dialectica: Quodcunque tale est, maximè si tale sit, effectum eo maiorem producit, vt, si frigidum aut lentum morbos longos efficit, quod frigidum est maximè, aut lentum, longissimos efficiet morbos, atque hæc de secunda Aphorismi parte. At de prima, cur magis in renibus? par fuit, quod obscurum erat, Galenum declarare, nihil enim prohibere videtur, quin materia illa ex qua fiunt bullæ, non ex capite aut pulmonibus, aut ventriculo veniat, neque enim bullæ illæ, quod arbitratur Galenus, in renibus ex spiritu generantur, quandoquidem videamus ipsis oculis vrinam absque spuma prorsus exire, nec ex spiritu flatuoso, vt ille credit: sed dum meiitur, gignitur. Ita videtur hic vir aliquando rudis, vt qui nunquam literas didicisset: quod tamen ei ex imperitia non aduenit, sed quòd minimum curæ rebus adhibuit, contentus solùm vel alienos præripuisse labores, vel mira ambitione contradixisse, seu iure, seu etiam, vt persæpe, iniustè & perperàm: nonnunquam bene dicta antiquorum in alienum ac valde absurdum sensum trahens, vt contradicere illis honestius videretur. Fit ergo spuma ipsa, dum vrina exit: indicióque est, quòd quanto maiore impetu eiicitur, eo fit maior: semper autem fit, sed ex viscida materia manet: è tenui & minimè viscida, statim dissoluitur. Quòd si quis caput virgæ vrinæ immerserit, ac primùm faciat vt matulæ imum contingat, sinátque sensim vrinam effluere, nulla prorsus fiet spuma, etiam si morbus renalis sæuissimus infestet. Debuit ergo huius dicti rationem addere, non ita difficilia omnia sicco pede præterire. Est enim ardua admodum quæstio, vt vides, nisi si quis Hippocratem relinquere velit. Quocirca dicendum mihi videtur, tametsi materia illa cruda longius veniat quàm à renibus, aut omnino necesse esse vt generetur morbus in renibus ex tam viscida materia: aut non posse esse viscidam materiam, nisi in renibus consistat, & morbum generet. Mihi sanè videtur, quòd bullæ quæ diu insident & magnæ sunt, ex materia viscida in renibus necessariò fiant, aliter attenuatæ iam essent transitu longo per venas: atque ita Hippocratis dictum verum esse, nec debere aliter intelligi.

Cap. 18. Propterea Actuarius primo de Vrinarum differentiis, proponit quinque distinctiones bullarum, quarum Prima est, quòd quædam apparent in corona, quædam in medio vrinæ, vel vtrobique: in corona autem tota, vel dimidia, vel parte tantùm. Secunda, quòd bullæ aliæ sunt simplices, aliæ multæ connexæ in latitudine, scilicet medium versus: aliæ non connexæ, tametsi multæ sint. Quæ diuisio eadem ratione de bullis iuxta altitudinem intelligi debet, semper autem quæ sublimes sunt, & quasi alias inequitant, aut ad medium extenduntur: his à quibus oriuntur, sunt minores. Quarta diuisio est, quòd bullæ aliæ sunt paruæ, aliæ magnæ. Quinta, bullarum aliæ albæ, aliæ coloratæ. Cap. 4.
Idem secundo de causis vrinarum: Bullæ significant dolorem capitis & renum, & defluxum materiæ ad pulmones. Bullæ enim cum in superficie vrinæ generentur, significant materiam spiritu depulsam ad sublimiorem corporis partem, id est caput vsque. Si ergo paruæ sint, difficulterque soluantur, materiam valde lentam, quæ nec plurimum extendi possit, nec consideat extensa. Atque hæc si circa coronam huiusmodi bullæ fuerint: cum verò iam concocta fuerit materia, resolutio spiritu, decidit circa mediam superficiem vrinæ. Cum autem materiam multùm agitatur circa renes vesicam, seminaria vasa, ob viarum illarum angustiam, tunc bullæ generantur compactæ simul, atque cum illis colliquationes aut capilli, aut talia. Agitationem igitur maiorem, bulla bullæ adhærens, aut insidens significat: at materiæ crassiciem, si diutius permaneant, magnæque sint. Idem secundo de Iudiciis earundem: Bullæ in corona sola tinctæ, & integra serie dispositæ, dolorem capitis & affectum illius non leuem significant. Sin verò non cohæreant vbique in corona, minora hæc significant, nisi colorem aureum præ se ferant, namque magnam nocui spiritus prauitatem ostendunt. Quòd si albæ fuerint & non continuæ, dolorem quidem paruum: sed si cum tenui fuerint vrina, magnam declarant innati caloris imbecillitatem. Quòd si sine hypostasi etiam fuerit vrina, obstructionem portendit renum: in medio autem si sint, non in corona bullæ, imbecillitatem caloris naturalis, crudorum humorum abundantiam & obstructiones. Sed in febribus, si antea non apparuerunt, declarant initium coctionis adesse. In circulo etiam quandoque seminis fluxum, quinetiam negat bullas fieri cum rubris aut candidis admodum vrinis: quia in vna frigus, in altera calor nimis exuberans, impedit illarum generationem. Cap. 14.

APHORISMVS XXXIV.

QVibus insidens pingue, ac simul totum, iis renum vitium acutum significatur.

COMMENTARIVS.

ET hoc est difficillimorum Commentariorum Galeni vnum: expedit autem illius sententiam potius quam Hippocratis declarare. Carpit ergo primùm Hippocratem, cum dicat absolutè insidens pingue significare morbum renum: cum si fit in alui excrementis, colliquationem alibi significet, quàm in renibus: quod verissimum est. Propterea vt iniustè accusat Hippocratem, ita

ita etiam parum apposite excusat, nam etsi legatur phrenitica pro nephritica, non magis vera erit secunda lectio quàm prima: cum in vrinis nephritica, non phrenitica sit: vel quod passionis renum iam genus præsupponat, in quo non video quid ad rhombum, si in egestionibus appareat pinguedo, propterea nescio quo modo in re clara tantam obscuritatem & ambiguitatem, aut cur inuexerit. Lege enim sic, & videbis sensum Aphorismi clarum: Quibus in vrinis bullæ insident, morbum renalem & longum significant: si verò pingue, ac simul totum vitium illorum acutum significabit. Imò si quis animaduertat, ex oppositis constat oratio: Si in vrina bullæ adsint, morbus diuturnus in renibus significatur: si pinguedo confertim, acutus. Verùm dices pro Galeno, etiamsi sit pinguedo in vrinis, dicit Galenus, non significabit morbum in renibus, quia poterit decidi à toto corpore. At nec pariter phreniticum potest esse signum. Deinde vt Hippocrates adiicit, non erit simul totum: ideo his relictis, ad declarationem deueniamus: quandoquidem videatur Galenus rem ipsam satis attigisse, & in fine Commenti præcedentis Aphor. satis meminisse, vt huic respondetis.

Quòd igitur dicat simul totum, ad tempus referri affirmat: siquidem è renibus cum propè veniat, totum pingue simul exit: at ex vniuerso corpore cum per plurimas venas deferatur, sensim ac paulatim exit. Verba quidem speciosa & pulchra, sed quæ non declarant, an intelligat Hippocrates (simul) id est, in vna die: an simul, id est semel tantùm in die: an simul, id est semel tantùm. Hos enim tres sensus recipit. Et non docuit Galenus cum sua experientia, quomodo ex his tribus sensibus & sub quo ex illis sit intelligendus Hippocrates: sed neque quod dicit, satis explicat. Afferamus igitur demonstrationem huiusmodi, vt totum sermonem illius plenè intelligamus. Sit, vt hodie ex corpore Socratis colliquetur vncia pinguedinis: & planum est quòd primùm decima pars, exempli causa, eius quæ colliquatur à renibus & prope renes, exibit cum prima vrina. Secunda verò pars, quæ ex iecore & circumuicinis partibus, prodibit in secunda vrina: quæ verò ex corde & pulmonibus & coxis, cum tertia vrina: & quæ ex iugulis & genubus, cum vrina nocturna: & quæ ex collo & tibiis, in cras manè. Ita quæ ex partibus capitis exterioribus & talis, cras media die. Inde etiam ex membranis cerebri & parte externa pedis, calcaneo & dorso, donec vltima, gratia exempli, perendie ex summa digitorum pedis parte, at ex oculis confluat. Itaque vncia hæc pinguedinis prodibit sensim, & non simul, propter viæ longitudinem in decem vicibus, ac tribus diebus, & perseuerante causa semper quasi eodem modo, nisi quòd ordo paulatim superuenientium, partium confusionem afferet. Quòd si ex solis renibus tanta quantitas colliquetur, vtpote vnica vna singulo die, & eam descendere breui, id est, in vna die necesse est, non tamen totam simul, sed iuxta causæ magnitud[...] cet hoc igitur, non quòd tota [...] sed confertim simul, aliquand[...] aliis autem vicibus parum [...] interualla. Et hoc est qu[...] docet, non quod Galenus [...] est explicare, quia forsa[...] vidit. Pinguedo ergo, quæ deci[...]nibus, sensim & ipsa deciditur, vt quæ à toto: quia causa quæ dissoluit, & ipsa sensim dissoluit: & per plures dies, sicut quæ ex toto. Neque enim verisimile est, seu fuerit inflammatio in illis, seu abscessus, seu labor, vt vna die finiatur (quanquam labor aliquando vna die finiri possit) sed hoc habet, quod è renibus inæqualiter excernatur, multa quidem ad vices, deinde aliis in vrinis pauca vel nulla. Forsan dicet aliquis, cur non & æqualiter, cum in singulis temporibus excernatur? Respondeo quòd propter lentorem partes inuicem hærent, donec ob multitudinem & grauitatem tota simul separetur & exeat. Vides quæ exponuntur, nec adeò esse facilia, vt Galenus putat: nec ab illo (cum venia dictum sit) planè intellecta: vnde nil mirum, si etiam suus Fuchsius veritate ipsa coactus, tanquam inuolutum & sibi contradicentem deserat. Atque hæc de expositione generali, modò specialiter de pinguedine agamus. Actuarius siquidem primo de Vrinarum differentiis meminit trium vrinarum, quæ sunt in suprema superficie pingues. Prima, quæ habet velut telam araneæ continuam, sed virgulis quibusdam crassioribus rectis distinctam, vt etiam sunt telæ areneariun. Hanc tantum abest vt non viderim, vt singulis diebus in vrina mea iam quadraginta annis sine vlla noxa, tum in aliis pluribus videam. Fitque cùm tenuis est, ex quodam humido admodum tenui colliquato, pingui tamen, vt nunc docebo. Secunda est, in qua apparent & in medio & in circulo vt olei puncta & granula, aliquando plura, aliquando pauca: aliquando maiora vel minora, & splendent, & sunt coloris aurei vt oleum: diceres olei pauculum infusum, sed oleum infusum supernatat & diffunditur, hoc in granula colligitur, & non supernatat, nisi media & superiore parte. Hoc his vidi, nec in quibus morbis satis memini, est tamen res rara & mira. Tertia est, cum colligitur quod à Græcis vocatur γραῦς, & est vt crustula pinguedinis, velut in lebetibus cum ius concrescit à frigore. Et hoc sæpè vidi, & in magnis colliquationibus hecticarum. Est tamen aduertendum, quòd in his quæ conturbantur, & concrescunt, quia refrigerantur non solùm in suprema superficie, sed in tota vrina & vrceo adhærens apparet huiusmodi tela crassa, pinguis, sine significatione vlla hecticæ: si tamen contingat sine concretione vrinæ vidi non apparere nisi in colliquatibus febribus. Ergo de hoc intelligenda sunt verba Hippocratis secundo Prognosticorum, non de prima, cum dixit: Si pingue desuper natans araneorū speciē referat, damnandum est significat enim consumptionem. Vnde Galenus in Cōmento: Quale pinguioribus iusculis refrigescentibus supernatat, vocata à multis crustula, tale in vrina ex

Cap. 17.

Tex. com. 35.

Tex.37. consumptione existit. Inde admonet nos, vt caueamus ne vesicæ vitio decipiamur. Manifestum est, ergo non de telis illis tenuissimis intelligendum Hippocratem, quæ forsan in vesica fieri consueuerunt, sed de pinguedine concreta. Quartum genus vrinæ pinguis est, cum substantia talis est: nec est perspicua, sed iuri similis. Et hoc sæpius vidi in hecticis & phthisicis, in quibus quamuis nihil supernataret, proximi tamen erant morti. Et est quasi deterior vrina omnibus. Assuesce igitur videre iusculum in vitro, vt etiam huiusmodi vrinas deprehendas. Vrinarum autem oleacearum Actuarius, in primo de Iudiciis vrinarum, tres facit species: quæ olei speciem refert, quæ similis est oleo colore, & quæ ipsa substantia. Quæ oleo similis est colore, tantùm in principio febrium colliquantium accidit: quæ splendorem refert olei, ac plenè colorem in incremento: quæ verò oleo prorsus assimilatur, & ideo minus, vt dixi, perspicua est, hæc in vigore talium febrium mingitur. Et singulæ harum specierum etiam renum vitio contingere possunt, tunc repentina fit ad illas mutatio, & cum calore ac dolore, & renum lassitudine, at si ex febre, sensim, & sine renum lęsione vlla. Meminit vrinarum ex colliquatione tertio Epidemiorum & Galenus infrà, vbi docet, oleaginam vrinam apparere, cùm calor naturalis nutrimentum deserit, ex opinione Sabini. Apparuit enim in Pario, die sexta, qui pòst obiit die centesima vigesima.

Cap.19.

Sec.3. Tex.61.

Sec. eadem com.72. in fine.

APHORISMVS XXXV.

QVibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta: si verò dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus interius futuros expecta.

COMMENTARIVS.

CVm docuisset indicia morborum renum acutorum & diuturnorum in duobus proximis Aphorismis: in hoc declarat exitus illorum non omnium prorsus, sed quorūdam scilicet eorum qui cū dolore sunt, vt regula generalis sit: Vbi dolor, ibi abscessū expectare oportet. Superius de loco generaliter hoc dixit, hìc autem specialiter de partibus exterioribus atque interioribus: nūc ergo de musculis ipsorum renum agamus, de quibus Vesalius libro secundo dum agit, eos solum accipiemus, qui thoraci & lumbis communes sunt, namque ceruicis & ossis sacri & coccygis musculorum commemoratio hic minimè necessaria est. Videntur enim vniuersi spinæ musculi octo partibus contineri. Quatuor paria superiorum ad renes nihil pertinent, nec eos attingunt: potissimè autem duo paria quintus & sextus, sed & septimus & octauus tum verò musculi femur mouētes, qui magis exterius protendūtur, velut spinæ omnes fermè interius, vt ille infrà docet: quanquam solus sextus femoris ad altiora loca extendatur.

Cap.38.

Tabula 1. & 14 Secun. l.b.

APHORISMVS XXXVI.

QVicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si verò cum febre, malum. Curare verò astrictoriis & refrigerantibus.

COMMENTARIVS.

POstquam egit de signis sumptis ex excrementis naturalibus: hic ponit signa sumpta ex his quæ non secundum naturam transferuntur, tum in sequenti. Quòd ad expositionem attinet, sanguis omnis qui ex ore reiicitur, aut simplici sputo descendens è capite, sed confertim tunc vel ex ore, aut vomitu ex ventriculo & iecore ac naturalibus cæteris membris: aut tussi, ex pectore aut pulmone vel aspera arteria: quādoque etiā ex capite fluens, in asperámq; arteriam descendens tussim mouet. Cum ergo vomitu reiicitur, ex vētriculo aut membris naturalibus educitur. Plerumque tamen ex iecore, quod venas habeat amplas, & sanguine plenas. Vnde primo de Morbis mulierum inquit: Si mulier ex partu sanguinem vomat, hepatis fistula sauciata est. Est autem triplex modus exitus sanguinis: διάβρωσις, id est erosio: ῥηγμοχασμὸς, id est ruptura: & ἀναςώμασις, idest oris alicuius venæ apertio. Cum ergo ex naturalibus membris citra febrem acciderit sanguinis reiectio, non nisi ex apertione venæ contingere potest, cū à fractura febris subsequatur: ab erosione paruæ venæ vomitus non accidat sanguinis, sed in vomitu sanguis apparet: in magnæ autem febris præcedat, erit huiusmodi reiectio salutaris: quæ curanda, erit cum συϖλικοῖσι idest astringentibus, ac refrigerantibus. Vnde subit dubitatio in illo verbo σωτήειον, idest salutare (duplex enim habet significatum, quod salutare est & vtile, & quod seruari aut sanari potest) vt per hoc distinguatur ab eo quod est cum febre, & est malum. Videtur enim & hoc malum esse, primum quòd doceat curandum, quæ enim curatione indigent, mala sunt. Et rursus: Quæ sunt præter naturam, non videntur esse salutaria.

Pag.15.

Hinc supersunt duo dubia. Primum illud quintæ Particulæ, Mulieri sanguinem euomenti menstruis erumpentibus, solutio, vnde videtur vomitus sanguinis morbus, etiamsi sit necessarius. Dico, aliquis morbus, comparatione alterius morbi maioris, salutaris dici potest: vt hæmorrhoides in insanientibus, vt suprà visum est: ita vomitus sanguinis suppressis mēsibus, & multo magis si fluat è naribus, vt quinta Aphorismorū, verùm maior est difficultas in Aphorismo illo: Sanguis quidem suprà qualiscunq; fuerit, malum: infrà autem nigra deiecta, bonum est. Dictum est autem de hoc tum in expositione Aphorismi illius, tū etiā in primo Contradicentiū.

Aph.31.

6.Aph.11.12.

4 Part.15 Contr.100.

Verba autem illa, Curare astrictoriis & refrigerantibus, possunt & ad primā partem

referri,

referri, vt rationi consonum est: & ad secundam ex sermonis vi: verùm potius ad rationem Galenus respicit, nam si inflammatam particulam astringere ac refrigerare perrexeris, maiorem longè efficies phlegmonem, aut in scirrhum illum conuertes, quæ enim inflammata sunt, suppurare oportet, at, quòd si sine febre sint, etiam phlegmone vacent: intelligis etiam ex his quæ dicuntur in quinto Methodi, non enim solum pulmonis, sed cæterarum partium interiorum acuta febris phlegmones comitatur. Liquet etiam, quòd quæ sanguinem cohibent, quinque sunt generum: Alia quidem, quia lenta sunt, aut astringũt, quæ ambo Galenus quarto de Simplicibus medicamentis, vocat emplastica, alia quia minuunt sanguinem, qui est fluxurus ad locum, in quo genere sunt quæ diuertunt, cucurbitulæ, sectio venæ, inedia, alia quæ vi obducunt impedimentum: vt vincula, compressio cum manu, quam vocant bucellationem, & vstio, sed hæc interius adhibere rarissimè licet. Sunt demum quædam quæ sanguinem ipsum continent: alia quia congelant, vnde Philonium in cruentis sputis: aut naturæ proprietate, vt emplastrum ex scarabeis. Referunt esse radicem, quæ admota his quibus sanguis è vulnere prodit, illum redire atque intrò se contrahere cogat.

5 Methodi. Cap. 11. Cap. 15. Cap. 6.

APHORISMVS XXXVII.

DIstillationes in ventrem superiorem, intra viginti dies, ad suppurationem perueniunt.

COMMENTARIVS.

QVòd diem vigesimum, non sequentem obseruare oporteat, & nos docuimus in libris Contradicentium. Cæterùm neque ob id quòd Galenus alibi dixit, neque locus erat hic de hoc habendi sermonem, vt derelicta expositione difficillimi Aphorismi, ad tã longe diffitam narrationem transiret. Quis enim tam addictus Galeno, perfrictæque frõtis esse potest, qui audeat hic illum tueri, ac contendere expositionis huius Aphorismi vel verbum habitum? Quòd si omnino negociis impeditus, hoc præstare non potuit, quanto melius fuisset omnino inexpositos relinquere, vt dici posset, præuentum morte non potuisse perficere? nunc quis illum iustè tuebitur? Nam si Hippocrates de phlegmone partium pectoris loquitur cur appellat destillationem? Si de pituita destillante, cur vtitur verbo ἐπυοῦνται: quod est, ad suppurationem peruenire? Cum verò dicat κατάῤῥοι, destillationem videtur intelligere Hippocrates pituitosam. Sed & de ventribus in prima Aphorismorũ particula abundè dictum est. Reliquum igitur est vt doceamus, quomodo abusus sit quasi hoc verbo ἐπυοῦνται. Diximus in vndecimo Contradicentium, differentiam inter concoctionem ac præparationem: nunc autẽ videndum, quomodo suppuratio de aliis dicatur humoribus à sanguine, nam destillationem concoqui, palàm receptum est ab Hippocrate libro de Prisca medicina. At aliud est concoctio, aliud suppuratio, videtur autem suppuratio non esse nisi sanguineæ materiæ, cum dixerit in Prognostico: Ex suppurationibus quæcunque adhuc, dum sputum biliosũ est fiunt, perniciosæ valde sunt, siue biliosum illud in parte, siue cum pure simul expuatur, non enim videtur velle, vt possit suppuratio fieri in humore bilioso. In libro de Locis in homine, hæc habet: Suppurati vt plurimum fiunt, cum fluxus in idem velut in bile contingit: sed in bile quidem multum defluit, & vbi defluxit, sedatur. Fiunt etiam suppurati cum minus excreant, quàm influit in pulmonem, hoc enim quod in pulmone consistit, & quod influit, pus fit: pus verò in pulmone & in thorace collectum, vlcerat & putrefacit. Hic manifestè declarat materiam descendẽtem ad pulmonem & thoracem, suppurationem pati. Quod etiam manifestius, & quasi pro expositione præsentis loci docet libro primo de Morbis, dum inquit: Cæterùm superiore ventre suppurati fiunt multipliciter: Primùm quidem, cum pituita de capite copiosa & aceruatim in superiorem ventrem fluxerit, putrescit, & in pus vertitur. Idque accidit maximè in diebus viginti & vno. Scripsit hunc librum, vt aliàs dixi, iunior, cũ nondum rationem exactam dierum decretoriorũ iniisset, putaretque formari vigesimam primam diem ex septimanis: nõ autem septimanas ex viginti numero dierum, qui sunt dimidium nonæ partis totius anni. Distinguendum est igitur sic, quod suppuratio propriè dicitur de sanguineo aut misto humo collecto, qui in verum pus vertitur, nec intus contingit citra febrẽ hæc actio. Generaliter etiã dicitur de pituita, quæ est affinis sanguini, eo etiam quòd odorem & colorem recipit puris sed hæc conuersio potest fieri citra febrem. Puri autem reliqui humores non recipiunt suppurationem: sed vel immoti & incorrupti manent, atque euanescunt, aut erodunt particulam: aut corrumpuntur, & exitialem illi noxam pariunt.

4. Lib. contra 4. Aph. 15. Contrad. 15.

Sed quid dicemus de Aphorismo illo, Grauedines & raucedines in valde senibus non maturantur? videtur enim eregionẽ pugnare, sed de hoc alibi dictum est. Nũc igitur admonuisse sat fuerit celerrimè ad suppurationem peruenire, quæ sunt in superiore ventre, ob magnitudinẽ caloris cordis: quin etiã & quæ in inferiore, quanto altius decunbunt, eo celerius suppurationẽ admittunt. Vnde in Prognosticis: Cæterũ tumores in ventre minus in abscessum vertuntur, quã hi qui sunt in præcordiis: minimè verò qui sub vmbilico sunt, ad suppurationem vertuntur. Manifestum est autẽ, hæc debere intelligi, vbi noua materia superueniẽs non impediat: aut mala ratio victus, velut aër frigidus. Vnde etiã illud considerandũ, si materia non simul, defluat, an dies illi à fine fluxionis sint numerandi, quod verisimilius videtur, ad verba Hippocratis respiciendo: an à singularum partium materiæ defluxionis tempore, prout est consentaneum magis rationi. Et sanè videtur mistum quiddam esse, scilicet partes diuersimodè concoqui, totum tamen non absolutè coctum dici posse, nisi vigesima dies vel quartadecima vel alia à fine computatur.

Pag. 8. Pag. 6. Pag. 7. Pag. 6. 7. Aph. 40. 3. Contrad. 15. Pag. 8.

APHORISMVS XXXVIII.

SI lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elanguit, tale est melancholicum.

COMMENTARIVS.

INcontinentem linguam vocat, cum plura loquitur quàm deceat, ἀκρατὴς enim incontinentem, intemperantem & impurum significat, Galenus & reliqui expositores sensum Hippocrat. non intelligentes, versa dictione legerunt ἀκρατὲς, quòd est infirmum, at sic facilè esset omnia accommodare. Illud mirum quod nec sic potuerunt Hippocr. veridicum facere: quare satius fuisset, vt nos fecimus multos illum è numero Aphorismorum eximere: aut fateri se non assequi sensum, atque inexpositum relinquere Aphorismum, quam literam peruertendo etiam ipsum Hippocr. damnare tanquam absurda scribentem. Sensus igitur est: Si quis absurda & turpia loquatur repente, non ex composito aut aliqua parte, id est, non toto aut dimidio corporis, hoc est melancholicum, *Non partum ante finem.* id est ex imaginatione, quæ ex atro humore proficiscitur. Dicebat author septimi Epidemiorum de Androphano iam ægrotante: Mente motus est, & linguæ affectiones similes. Itaque potestatem atræ bilis nobis declarauit, seu enim non sentiant, seu se non sentire sibi persuadeant, ab atra bile ac mentis motione hoc proficiscitur. Qui autem talia non viderit, miratur, patiuntur enim tortores & ignes persæpe, & nihilmoueri videntur. Obscurum igitur, scilicet partis stuporem ad melancholiam pertinere ex manifesto, quod est turpiter & præter propositum loqui, ex melancholia, id est mentis affectu tali declarauit.

APHORISMVS XXXIX.

SI febris non ex bile habeat, multa aqua capiti superinfusa, solutio fit febris.

COMMENTARIVS.

HVnc Aphorismum si quis intelligere velit, *Pag. vlt.* non aliter quàm si quæ in libro de Natura humana legat, cum dixit: Febres plurimæ à bile fiunt. Species ipsarum quatuor sunt, præter eas quæ ab occultis humoribus generantur. Nomina ipsarum sunt: Continens, Quotidiana, Tertiana, Quartana. Continens itaque appellata, à plurima ac meracissima bile prouenit, & iudicationes quàm breuissimo tempore facit. Corpus enim nullo tempore perfrigeratum citò colliquescit, nimirum à multa caliditate calfactum. Quotidiana verò post continentem à plurima bile generatur, & præ reliquis celerrimè discedit: verùm longior est continente, quanto à pauciore bile prouenit, & propterea quòd requiem habet in ipsa corpus, in continente verò non quiescit vllo tempore: tertiana autem longior est quàm quotidiana, & à pauciore bile gignitur. Quanto verò longiori tempore in tertiana corpus quiescit quàm in quotidiana, tanto diuturnior hæc febris est quàm quotidiana. At verò quartanæ reliquæ iuxta eandem rationem habent, sed tertianis diuturniores sunt, quanto pauciore bilis parte participant, vnde caliditas augetur, & propterea quòd corpus in ipsis plus perfrigescit, id quòd ab atra bile ipsis contingit superfluè, adeò vt ægrè frigus depelli possit. Atra enim bilis inter omnes corporis humores viscosissima, est, & sedes diuturnissima facit. Quod autem quartanæ febres atræ bilis participes sint, vel hinc condiscere licet. Autumno enim maximè homines à quartanis corripiuntur, & in ætate à quinque & viginti annis vsque ad quadragesimum quintum. Hæc autem ætas præ omnibus aliis maximè à bile atra infestatur, & autumni tempus omnium anni temporum ad eandem aptissimum est. Itaque cum febres quatuor definiātur generibus, hecticæ, ephemeræ, putridæ, & quæ ex abscessibus, hæ autem non febres principaliter sunt sed accidentia morborum, vt prima Quarti: *Tra.1.c.1.* putridæ autem omnes à bile sunt, vt declaratum est: vel quoniam, vt Galenus inquit, ex febre humor conuertatur in bilem, vt etiam secundo de Febrium differentiis, *Cap.9.* cum in sanguine putrescente dicat fieri bilem flauam ex tenui parte, ex crassa autem atram: liquet aquam multam capiti superfusam soluere febrem. Hoc enim à nobis declaratum est in Arte medendi parua, hecticam omnem balneo sanari posse, vbi humidus victus adhibeatur. Sed cur non dixit de balneo totius corporis, sed de capite, cum alioquin clara tunc futura esset oratio? Respondet Galenus in Commento, Hippocratem in primo Epidemiorum *Languen.7.* dixisse de Metone: Capitis lotionibus vsus est, antea verò dixerat, Insomnis delirauit. Ab his ergo subiunxit, Dormiuit, resipiscebat, vt propter delyrium & vigiliam potius quàm ob febrem adhibita sit lotio capitis. Melius forsan ex Paulo, vt etiam Brasaualus, *Cap.16.* secundo libro in cura Diariæ, ex feruore & adustione, consulit enim caput perfundere aqua, atque lauare, vt postmodum etiam totum corpus humectetur. Quocirca mihi videtur Galenus exemplo illo confirmasse, quod etiam in sanguinea hæc lotio conueniat, vt generale fiat dictum: Si febris non ex bile habeat, multa aqua capiti superinfusa soluit febrem. Sed vt rem diligentius assequamur, videamus quænam commoda & incommoda balneum capitis afferat. *Doc.2.c.* Princeps secunda Prima declarat commoda bal- *Pag.c.19.* nei: sed non capitis propriè, vt videatur hæc lotio qua nostris temporibus vtimur pluribus *Lib.1.c.3.* fuisse ignota. Celsus enim licet cōsulat multa calida, inde frigida perfundendum caput, non tamen de lauacro sanorum loquitur, sed vbi exustus quis in sole sit. Solus, quod sciam, Auenzoar præcipit feruentissima aqua abluēdum caput: nec tamen de lixinio loquitur. Olim erant tonsores, sed tondendi causa, non lauandi, in balneo enim lauabantur. Ex recentioribus quidam meminit in sexto libro Epistolarū: sed, vt solet, nihil ad vsum vulgare *Epist.4.* addēs: Amatus Centuria tertia fugit in hecti-

cis

Cur.1.31. D.1.1. Cap.5. cis irrigationem capitis à tepida, credo quòd vereatur ne cōcitet destillationes Cum enim Princeps numerat vtilitates balnei generaliter, somnum conciliare, aperire, detergere, concoquere, resoluere, nutrimentum ad cutis superficiem attrahere, vētrem sistere, & lassitudinem remouere: detrimenta verò, cor imbecillius reddere, nauseam excitare, humores quietos mouere, & illos putrefacere, & ad membra debilia traducere, vnde etiam abscessus excitentur: peculiaria duo habet hæc consideratio, quòd de solius capitis ablutione tractamus, & cum lixiuio: sed præsens solum primam. Dicamus ergo de ea quæ fit cum lixiuio ablutione, quæ plurimùm quidem detergit & siccat cerebrum: at neque somnos conciliare potest, neque concoquere, forsan, nec plurimùm cutis foramina aperire. Quòd si à temperato lixiuio in caliditate fiat, certè non adeò exiccabit: Auenzoar autem cupit hoc suo feruore vim illam in cerebri profundum penetrare. Quo magis ego diligerem lotionem cum aqua calida simplici, inde cum frigida, vt Celsus præcipit. Quòd si minus sordes detegantur, sapone vtendum censeo, Ablutio enim illa Celsi non nisi morbosis capitibus debetur. Ergo in febribus, vt ad intentum reuertar, ablutio capitis cum non explicet (quali) de tepida intelligendo, somnū conciliat, vapores exhalare facit, nam in febribus vt tenuissimi ad caput tendunt. In libro de Humidorum vsu, inquit: Somniferum (Pag.1.) & in caput & in alia. Igitur visus est somnum ex hoc Aphorismo & humectationem quæsisse, quibus febris quæ sicca est (si non aliud obstet) soluitur.

APHORISMVS XL.

MVlier ambidextera non fit.

COMMENTARIVS.

Pag.3. ARistoteles in libro de Communi animalium gressu inquit: Motionis origo ex dextra parte est, illaque mouere, vt sinistra moueri, apta est. Videturque assignare huius causam tertio de Partibus animalium, dicens: (Cap.4.) In cordis dextro ventriculo plurimum & calidissimum sanguinem generari. Et quarto de (Cap.1.) Generatione animalium: Pars dextra longè calidior est quàm sinistra. Causa verior est, quòd cor est in medio, & iecur à dextro latere. Sed Aristoteles cum nollet admittere iecur esse principium, confinxit ventriculi dextri, imò trium ventriculorum historiam. Vnū satis constat experimento ita esse, & quòd duo sunt principia animalis, cor vt perfecti, iecur imperfecti. Et ideo quærere primùm oportet, quid sit ambidexterum, neque enim est, quod quidam putant, vti sinistra pro dextera (hoc enim est frequens) sed cum nouum quasi sit nomen, non habet nec Græcum, nec Latinum. ἀριστερὰ enim & felicia & sinistra vocabant, quòd à sinistra auspicia bene ominarentur, habitantibus enim in Septētrione, dum solē aspiciunt, oriens est à sinistra. Qui verò sinistrâ vtuntur apud nos, dextra vti non possunt? neq; ego hominē vidi ambidexterū præter vnū, cū plurimos viderim qui sinistra præstarent: quos, vt aliàs dixi, constat esse deterioribus naturaliter moribus. Cur id accidat, dum de causis agemus, explicabitur. At ambidextros, seu potius ἀμφιδεξίως (Latinam enim vocem non habemus. Italicam habemus Mancinum, vel Senestrerum) facit vsus potius quàm natura: sed illa admittit. Plato id 7.de Legibus probat, argumento sumpto ex pedibus, nam sinistro æquè ac dextro vtimur. Itaque inquit: cum natura omnes fecerit ambidexteros, nutrices dimidio roboris atque agilitatis nos fraudāt, Atque ea ratione Hippocrati apertè contradicit, cui magis tamen credendum est quòd experimentum id doceat, nam cum quidam infantes læua pro dextera vterentur, vincti à parentibus vt læua non possent vti, nihilominus corrigi non potuerunt. Id etiam significat Aristoteles, Hippocrati concors, qui negat mulierem posse esse ἀμφιδεξίαν. Quod verò dextra sinistris in motu præstent non solum in manibus, sed etiam pedibus, nō in sensibus, videtur velle clarè trigesima- Proble.11. & 13. prima Problematum: vbi etiam dicit, quòd Proble.22. sinister facilius dextro contrahitur. At verò Plato refert Scythas esse ambidexteros: & de fœminis idem censere videtur, vbi vigintimillia ad mille ducentos quinquaginta redigit hac ratione. Si fœminæ inhabiles toto genere sint, iam ex vigintimillibus sublata medietate ad decem millia redigentur: E quibus pueri dimidium sunt, omnium reliquorum dimidium sunt senes: qui etsi non sint tot quot viri, pueri tamen tanto plures dimidio sūt, nā 5.de repub. bellicæ arti Plato censet primum vtiles esse debere à vigesimoquinto anno: ablatis igitur ex decem millib. quinq; millibus pueris, duobus quoque ac quingentis pro senibus, relinquentur bis mille quingenti viri solum vtantur, patet redactum iri numerum ad milleducentos quinquaginta. At si vtraque manu singuli vtantur assumptis etiam mulieribus erunt quinque millia, at si à decimoseptimo anno militia more Romanorum inchoetur, aut auctor est Censorinus, fiēt in populo septem penè millia militum. Quod quātum conferat Reipub, manifestum est per se. Ego verò mulierem neque vtraque manu pariter, neque sinistra tanquā potiore vtentem vidi. Galen. περιδέξιον potius, iuxta Homerū, eū qui vtatur vtraque manu vocandū censet: qualis fuit Asteropeus, quā ἀμφιδέξιον. Verū Aristophanis & Hippocratis auctoritate Hippocratem ab Homeri auctoritate tuetur, nec ad alia aptior quàm ad interpretationem vocū iuxta poetas, maximè de quibus tot edidit libros. Causam autē nititur assignare imbecillitatē sexus fœminei: quandoquidē nec Amazones sufficerent ex Hippocratis sententia ad pugnæ robur dextra sola, nisi dextra mamma præcisa candenti ære. Verba enim eius in libro de Aere & aquis ac locis sunt: Dextram Pag.12. autem mammam non habent, nam puellis adhuc infantibus matres æreo instrumento in hunc vsum parato, igneq; candefacto eam auferunt, ac exurunt, ne iterum succrescere contingat, atque vt omne robur in humerum

ac brachium dextrum deferatur. Diximus ibi, ponentes historicos, non ob id censere auferri mammam: sed vt commodius arcum tendere, & peltam seu securim liberius vibrare possent. Profundior est Hippocratis causa, illa manifestior. Sed Galeni causa ad ambidexteras forsan sufficit, quamuis non admodum grauitate Hippocratis iam senis, vt qui ea ętate maximè hāc septimā sectionē Aphorismorum scripserit, digna: verùm ad id quod mulier nulla sinistra, tanquam potiore vtatur, nequaquam sufficit. Quid enim vetat, ne tota vis in eam partem illis cōfluat? tametsi diuisa nō sufficere possit vtrique parti. Quapropter censendum est, altiorem fuisse Hippocratis sensum, atque à veteribus aliis cognitum: sed à Galeno nō intellectum, quòd ex origine illud pēdeat, quam ipse falso ad androgynos transfert. Ea est scilicet, vt masculi geniti in sinistra vteri parte, sinistram partem habeant dextra validiorem, aut æqualem: vnde vel sinistra tantum vtantur, paruo discrimine ob incuriam nostra ætate in vsum & maximum discrimen euadente: aut oblata occasione, vt antiquo tempore ob educationis diligentiam quæ ex Rerumpub. administratione exoriebatur, ad æqualem vsum vtraque manu redacta, vt ἀμφιδέξιοι aut περιδέξιοι efficerētur. At fœminæ cū in dextra parte gignebantur, dextram iusto validiorem adipiscebantur, cum naturaliter dextra esset calidior atque mobilior: cum in sinistra etiam, quoniam loco proprio genitæ nōn degenerant, robustiorem etiam habeant partem dextram. Quod vt clarius intelligas, masculi in dextra, fœminæ in sinistra vt naturaliter ortæ, validiorē habent partem dexterā sinistra. At fœminæ in dextera, vt dexterā, quàm natura fert, habent robustiorem: ita masculi in sinistra, sinistram habent reliquis robustiorem, dextram imbecilliorem: quo fit, vt pariter hac aucta, illa diminuta, vel æqualiter vtraque vtantur, si diligentia educationi adhibeatur: vel aliquādo magis sinistra. Nullus igitur modus relinquitur, quo fœmina ἀμφιδέξιος esse possit: vt nec masculo, vt partem dextram multo robustiorem sinistra habeat: quod in aliquibus fœminis euenire necesse est, quas palā est & ex ratione, & ex hoc effectu, quod dextram partem solæ validiorem habeant sinistra, vt in masculis generaliter euenit viragines esse, & enses ferunt & pugnant. Viris igitur generaliter & secundū naturā maius est discrimen roboris inter dextram partem & sinistrā, quā fœminis. Liquet etiā ob hæc, cur, qui sinistra vtuntur, mali sint, sunt enim quasi androgyni, & effœminati, & improbi ac fallaces, vt mulieres. Quod palàm Galenus nō intelligens de moribus dictum, tam insulsè ad sexum, de quo nec antiqui somniarunt, traduxit. Itaque ob causas dictas facilius vsu fœminæ ad vsum vtriusque partis traducerentur, quàm mares, ob paruam differentiā. Et propterea Plato, quod in Scythis fœminis accidit ob causā dictam, credidit in masculis etiam fieri posse. At natura contrarium euenit, vt dicit hic Hippocrates: Viri enim quidam ἀμφιδέξιοι oriuntur: fœminā sic nasci omnino impossibile est.

APHORISMVS XLI.

QVicunque suppurati vruntur aut secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt: si verò subcruentum, & fæculentum, & fœtidum, pereunt.

COMMENTARIVS.

TRifariam colligitur materia in pectore, quæ spirandi difficultatem parit: primo de Morbis. Primus, cum pituita defluit in illud & coaceruatur & putrescit per quosdam circuitus & tūc sufficit inurere locum exterius: vt tradunt etiam Celsus atque Aetius de quo etiam videtur intellexisse Galenus in Commento, cum ab Euryphonte vsum ait Cinesias. Non proponam modum, quandoquidem loca ipsa ascripserim, vt ab ipsis auctoribus illum ad amussim excipere valeas: tum maximè, quòd is inter cæteros sit tutissimus, adeò vt etiam medici nostri temporis ausuri sint illum tentare. Secundus autem est, cum copiosa materia pituitosa, vel etiam collecta sanguinea in pus conuersa, velut in morbo laterali, vt in Aphorismis, sed circa tamē vlcus vllum fuerit: quo in casū illam educere sufficiat & necesse sit. Sufficiat quidē, quia nullū vlcus adest: necessarium autem sit, ob multitudinē, quocirca nullo genere vstionis nec exteriore nec interiore opus sit, sed sola sectione, qua pus educatur. Tertius est, cum pus est ex pulmonis vlcere colligitur, quo in casu ipsum eduxisse minimè sufficiat, manente causa, quæ illud sit denuò coaceruatura. Itaq; hoc in casu non solùm educere pus, aut inurere exterius sufficiet, sed etiam oportebit pulmones ipsos cādenti ferro inurere, educto iam prius pure vniuerso è pectoris cauitate. Atque hunc modum vstionem vocat Hippocrates, non exteriorem vstionem. Vt in tertio de Morbis inquit enim: Secato aut vrito Et iterum: Cæterum vbi secare vel vrere. Et in sexto Epidemiorum: Tabescentes statim vrere. Vt constet luce clarius, educi pus, inde vri candenti ferro locum, nam vlcera malefica igne sanari solent. Paulus libro sexto hæc habet: Alij, vt tradit etiam Leonides, ferro mucronato candenti per medium spacium, vbi abscessus est, adacto vsque ad pus vstionem moliri sunt Non nulli etiam hos curare ausi sunt transuersa linea inter quintam & sextam costam ducta, & cute paululum obliquè diuisa: deinde sic scalpello mēbrana, quæ costas succingit perforata, pus excreuerunt, verùm an fieri debeat, in decimo Contradicentium medicorum dictum est. Nunc adiecisse huic parti sufficiat, vstionem conuenire in suppuratis sic vt effluat pus: quamobrem non sufficit exterius tangere candenti ferro, & quòd vlcera maligna velut carcinomata exurere solemus De modo ac causis eòdem te remitto.

Pag. 6.

Lib. 3. c. 11. l. 8. c. 57. inf. ne.

Partic. 5. Aph. 8. et 15.

Pag. 10. Sec. 7.

Cap. 44.

Contrad. 19.

Nunc quod ad rem pertinet prosequamur. Opponit album subcruento, vt purum fœculento & fœtido. Puris enim conditio est, si bonum

bonum esse debet, in Prædictionibus, vt sit album, æquale, leue, minimè grauiter olens, igitur cum primam conditionem pro prima sustuleris, & vltimam pro vltima (hoc enim modo procedūt Geometræ (relinquetur illud fœculentum, contrarium æquali & leui. Igitur pus album & purum euadit, vt cognoscitur ex primo Prognosticorum, cum natura partis eius perfectè euicerit materiam in loco eo contentam. Quod dignoscitur ex oppositis qualitatibus. Subcruentum fit pus, cum natura lis caloris actio impeditur, seu quia sit exiguus, seu quouis alio modo non possit perficere operationē suam. Vnde pus omne absque dubio antea sanguinea substantia constat ac simili illi, ex quo natura conatur reparare membrum. Ob id si plurimum sanguinis ad partem confluat, quia parū iam effluxerit, aut minus quàm opportunum tunc fuerit, aut ex dolore, solet pus esse subcruentum. Et ideo sæpe ac necessariò inæquale, quoniam in omni actione inchoata necessariò, si non perficiatur, inæqualitas contingit: vt si in mammis lac non perficiatur, aut pus in vulnere. Cum enim pars quædam albescat, aliter non inchoata esset operatio: pars rubra fit, aliter esset perfecta necessariò, inęqualitas in subiecta materia apparet: & non solùm in colore, sed etiam substantia ipsa. Cum enim calor diuersa ratione agat in substantiam sanguinis, si sit illa inæqualis, euadit magis etiam diuersa, si æqualis omnino diuersa etiam. Concoctio enim crassius reddit: quarto Meteororum, & crassa attenuat liquefaciendo quod est tenuissimum & aqueum resoluit, vt aliàs à nobis demonstratum est, Igitur si nō perficiatur in vna parte, apparebunt illius vestigia, scilicet dealbata: in subcruenta non ita. Vnde sciendum, quòd vt colligitur primo de Febriū differentiis, quatuor modis concocta variantur. Aut enim omnino calor naturalis euincit materiā non putridam, sed vtilē, & fit nutrimentum: aut corruptam, & fit pus absolutum, leue, non asperum, æquale, crassū, album, ac minimè fœtidum: vt sint quinque conditiones. Sed verius rem æstimando, operatio caloris est primùm iuxta genera, naturalis, non naturalis, ac eius qui est præter naturam seu putridi. Manifestum est enim, quòd calor feruidus & siccus exurit, ideo non est naturalis, nec præter naturam, quia non putrefacit. Vt ergo vicerit calor naturalis reliquos duos in materia iam corrupta, fit pus album, non fœtidum, æquale, crassum ac leue, vt dixi. Si autem vicerit non naturalis, fit fœculentum ob exustionem: hoc autem est fœtidum necessariò, sed inæquale, nigrum, non leue, partim tenue, sed maiore ex parte crassius quàm sit necesse. Ideo dixit fœculentum lethale esse, quia in periculosissimo affectu modicus lapsus lethalis est, & lethale signum. Fit & fœculentum ex calore valde putrido, & hoc malè olens pus efficit: & mortem non solùm in stare denunciat, sed etiam breui admodum, in suppuratis. Ideo cum narratum esset mihi hoc de M. Antonio Maioragio, amico meo, dixi quòd parum aberat à morte: & ita intra quatuor dies obiit. Et hic modus est quartus Galeni, quē suprà omisimus, in quo calor prēter naturam prorsus naturalem euincit. Tertius verò est compositus, vt ille imaginatur, quasi æqualiter ex vtroque calore, naturali scilicet & præter naturam (nam, vt dixi, non naturalis haud meminit.) Et in hoc apparent signa mista, velut non album perfectè, sed cinerei coloris, parum inæquale, & asperum. Vt enim declarat Philosophus in Prædicamentis. Asperum est, quòd partes inæqualiter positas habet: leue autem, quod in recta linea. Quāuis sit aliud asperitatis genus, quod est cum situ in vna recta linea: sed partes tamen sunt aliæ duræ aliæ molles, sed hoc non sentitur nisi comprimendo. Sic ergo huiusmodi cum sint infinitæ species, vt etiam quarti, velut dixit Galenus: in hoc tamē modo sunt duo genera, vnum, in quo naturalis calor vincit putridum: & aliud, in quo putridus naturalem, in quo omnes suppurati moriuntur, vt dixi: quia morbus per se periculosissimus est. At diuersa ratione in alio, non tamen omnes, seruantur: sed si naturalis calor plurimum superauerit, & cum hoc vires validæ fuerint. Differentiam autem inter naturalem calorem & vires, suprà ostendisse me in prima Particula memini. Seu ergo pus fœculentum effluxerit ratione corruptionis caloris, seu siccitatis eius, seu ratione partis ex qua venit, vt in sequenti Aphorismo liquet, lethale est signum: sed non æqualiter, vt in sequentis Aphorismi expositione dicam.

Sed iam finem facere expositioni poteram, nisi esset vnum ad salutem valde necessarium multorum: scilicet quòd qui secantur, aut vruntur, aut qui angusto foramine vulnerati sunt, seu intus penetret (sed tūc magis est necessarium) seu non omnino intus penetret, ex doctrina peritiorum chirurgorum vidi, maximè necessarium vt foramen exterius multum dilatetur, intus autem mediocriter, nam neque arctum retento pure sanationem admittit, neque valde amplum refrigeratis partibus, quas expedit esse calidissimas, præcipuè pulmone, qui non solùm vi sua, sed etiam sponte dilatatur, vt declaratum est à nobis decimo Contradicentium Medicorum. Exterius autem, vt liberior sit tum effluxio, tū operatio manuum, expedit latius esse foramen. Solent autem exhiberi, quod ego feci in vxore Io Pauli Syrtiri, mercatoris olim, decocta ex irithrodano caulibus rubris garyophylata, quam aliqui vocant sanamūdam, cuius radix est in vsu garyophylum redolens: folia autem agrimoniæ, ide st vero, vt existimant, eupatorio similia.

Marginalia: Pag.4. — Com.vlt. — Cap.2. — 11.Contrad. 4. — Cap.6. — Cap.de Qualitate. — Aphor.14. — Contrad. 30

APHORISMVS XLII.

QVorum epar suppuratum aduritur, si pus purū fluxerit & album, euadunt) in tunica enim pus continetur (si verò qualis amurca fluat, pereunt.

COMMENTARIVS.

CVm dixisset in præcedenti Aphorismo, fœculentum pus exitiale esse: declarat exemplo,

exemplo, quandoque pus fœculentum fieri ob particulæ patientis substantiam, velut si iecoris substantia abscessum contrahat, ita vt corrumpatur illius caro, pus necessariò fœculentum euadit: cum nullus calor possit esse tantus, qui substantiam iecoris in pus optimũ vertere queat. Hac ratione igitur pereunt, pereunt &, quòd vis ignis ad imam iecoris substantiam penetrat, vnde venę contrahantur. Vrebant antiqui in suppurationibus, quod ignis putredinem finiat, vt colligitur sexto de Medicamentis secundum locos: habeatque commune id cum incisione, quòd euacuet quod putridum est, à sanie enim solet in membro vis quædam serpens relinqui, quæ illius facultatem vitiat: hanc ignis sua exuperāti caliditate finire solet. Quocirca partes propinquæ quæ sanæ sunt, muniri debent linteis imbutis succo aizoi, plātaginis, atque huiusmodi valde refrigerantiũ: ipsa vero pars exusta, vbi sanata fuerit, humectari debet, quoniam & humido vtili aliquid ablatũ esse necesse est. An verò refrigerari? Certum est quòd non multũ, nam absumpto humido omni præter naturam, calor omnis qui est substātia, necessariò finitur, remanet sola impressio: hæc finitur moderatè frigidis, ne calor naturalis patiatur: tum etiam, quia humectato membro calor naturalis confirmatur intemperiem tollit.

Cap. 2. in fine.

Manifestum est autem ex hoc, quod etiam diximus in priore Aphorismo, scilicet quòd vstio vsque ad profundum antiquo tempore deducebatur: tametsi in leuioribus morbis solerent exurere iecur, libro de Internis affectionibus, dum inquit: Quum maximum iecur euaserit, sic vt promineat multum, nec medicamenta profuerint, exurere ipsum oportet, buxeis fusis oleo feruenti intinctis, aut fungis. At cum educatur pus, candenti ferro exurere oportet. Membrana igitur iecur circumcingi declarat Galenus, quarto de Vsu partium. Et Vesalius libro quinto. Quæ tenuis admodum est, peculiaris quidem illi: cæterùm orta tamē ex vinculis vtrinque ex peritoneo deductis, vt non peculiaris dici possit. Solus autem Celsus huius operationis mentionem fecit, cum iecur vomica laboraret, sic vt dupliciter interpretari locus queat, vno modo, quòd ferro candenti locus perforetur: altero, vt, quemadmodum Celsus dicit, locus ferro aperiatur nō candenti, inde vomica intus aduratur, & inter Arabes Haliabbas. Adducitur etiam Aphorismus hic decimoseptimo Continentiũ, vbi adiicit Galenũ hoc cēsuisse, sed nō videri sibi tutum auxilium. De Græcis visum est in priore commento ex contradictione. Fit etiam ex sententia Rasis ibidem incisio, cum per se rumpitur vomica in epate & educitur sanies. Sed Hippocrates dicit. Continetur: non, Continebatur.

Pag. 18.
Cap. 14.
Cap. 7.
Lib. 4. c. 8.
Lib. 9. c. 75.
C. 2. f. 182 c. 2
Fol. 186. col. 3.

Quòd verò dicat Galenus, exponens verbum (Amurcam) esse incoctam putredinem epatis: liquet, vt dixi, quoniam ob calorem putridũm colliquatur substantia carnis, & fit substantia humidior carne illius. Ex quo apparet, carnem esse concretam à frigore: quæ vbi dissoluatur à calore non sicco, humidior euadit. Apparet rursus calorem putridum non esse siccum, sed humidum. Sed & in suppurationibus omnibus videmus fieri substantiam priore liquidiorē. Quod ego arbitror fieri ob sanguinis mistionem cum suis humoribus atque ichoribus: vnde cum phlegmon fit, extruditur sanguis ex venulis qualiscunque & sinulis, plerumque diuersis humoribus cũ ichoribus eorundem, & ipse putrescit à calore qui in eo est, ab ambiente tamen infusus. Quòd si sanguis satis purus sit, ea coctio ab eodem iuuatur: fit autem coctio à calore circumiacētium vicinarum partium, ab vtroque aut suppuratio. Quare colliquatio illa ex permistione potius accidit, quàm natura ipsa aut qualitatē caloris, qui adeò humidus fit vt possit hoc facere. Fit autem vt amurca, ideo magis fusca quàm caro iecoris, nō quòd cũ non concoquatur aduritur, vnde fit color qualis sanguini decocto, hic autē in liquidis amurcam refert.

Porrò cum hi duo Aphorismi prognostici sint, etiam curare docent: quocirca & sequenti annectuntur, vt duo solum videantur interpositi: quorum prior superiori annectitur, quoniàm cum de melancholia, qui est morbus cerebri, locutus esset, docet multos morbos, quos non existimamus, velut febres, non ex bile, ad cerebrum ipsum pertinere. Eam verò rationem curandi vt admirabilem censuit, ita & aliud exemplum ex vi naturæ admirandum subiecit, desumptum ex partium, vt dixi, connexione: atque ita ex continuatione exhibet ansā interpretandi. Tametsi apertè appareat, multos hac in Particula fuisse Aphorismos intersertos, hoc (vt reor) modo: quòd qui ad propositum videbantur, Aphorismi præcedentes ab aliquo immemore carptim ascripti sunt in margine, velut huic præsenti ille maximè: Aqua intercute laborans, si à tussi corripiatur, desperatus est. 39.40

APHORISMVS XLIII.

STillicidium & vrinæ difficultatem, vini potio & sanguinis missio tollit: incidere verò oportet internas venas.

COMMENTARIVS.

TAm celebrem Aphorismum, aut XXXVI præcedentis libri, quem nos cum Galeno adiectum ab aliis existimantes reliquimus, expediebat diligentius exponere: cum, vt suprà dictum est, morbi vesicæ maximè difficiles sint, & plerũque lethales. Morbi ergo, quibus vrina difficulter redditur, tres sunt, in Medico habetur, vel enim supprimitur ex toto diciturque ἰσχουρία, ischuria: vel redditur confertim quidem, sed cum difficultate, vocaturque δυσουρία, dysuria: aut solũ guttatim, vocatur στραγγουρία, stranguria: Huius tres sunt species. Vna, in qua difficulter vrina redditur, & cũ ardore, alia, in qua cum ardore, sed absque difficultate, quoniam acris est vrina, & musculum qui vesicam cōtinet, erosit: tertia, cum inuoluntariè effluit, quo morbo mortuus est pater meus LXXX ingressus

Lib. 6. Aph. 6
Cap. 13.

ingressus annum, seu potius cum eo, nam minimè hæc lethalis est. Docet autem Galenus sexto de Locis affectis, hunc morbum fieri resoluto musculo collum vesicæ complectente, vnde senibus hic morbus familiaris est, nec vocatur rectè nomine stranguriæ. Cap.6. Cæterum, vt rectè inquit Galenus, Hippoc. ex singularibus generalia præcepta colligere solet. de Artic. com.10. Atque ita ex dysuriæ curatione ischuriæ curationem habebis. Sanguinem igitur mittere docet Hippoc. ob morbi magnitudinem & inflammationis periculum seu præcedentis, seu imminentis. Quin etiam ob ardorem in stranguria caro solet erodi, quæ dum concrescit, cicatricem obducens meatum vrinæ obstruit, & in ischuriam deducit. Cum verò maximum auxilium in his sit balneum, præsertim in dysuria, inde clyster, vltimò cathetera: manifestum est, in omnibus his venæ sectionem multum prodesse, tum ad morbum, tum ad securitatem.

Proponatur igitur aliquis cum vrina suppressa ob vitium in vesica (nam de superiore parte obstructa aut impedita alibi sermo habetur) Primùm quidem sanguinem mittemus, & iuxta Galeni sententiam libro de Sanguinis missione, ex talo aut poplite, inquit enim ibi: Cap.8. Porrò quemadmodum in morbis qui supra septum transuersum sunt, secta in cubito vena prodest: ita in his qui infrà ipsum sunt, quæ in poplitibus aut malleolis. Sunt autem infrà, coxendix, vterus & vesica. At renes, cui parti adscribi debeant, ambigunt. Misso sanguine, in balneum æger vsque ad vmbilicum ponendus est Incoqui autem præstat, si tempus adsit, parietaria, cressones, porrorum barbæ, vrtica: & generaliter herbæ plantæque, quæ ex muris & maceriebus ac lapidibus prodeunt, vt etiam caprificus. Pòst lignea parte radicis petroselini, & iunco, oleo amygdalino illitis tentanda est via: immittendum quoque oleum per clysterem seu canalem, aut fistulam exiguam: multum enim facit ad vrinam proliciendam, licet vrere non parum soleat. At lac contrà ardorem lenit, parum vrinam prouocat. Aqua verò maluæ maioris quasi mediis viribus est. Quòd si nullum horum prosit, tentanda est cathetera, quæ & facilius immittitur, & tutius, post hæc omnia quàm antè: breuissimum autem temporis spacium inter hæc omnia fluat, atque interim æger ieiunus maneat, & omnino à potu temperet, vt diutius retentionem lotij ferre possit. Commendari solent inter præcipua vesicæ mustelarum siccatæ, & hermodactyli in potu sumpti, & cuniculi axungia cum pelle imposita super pecten: & cimices & pediculi virgæ impositi. Causæ ischuriæ, dysuriæ, & stranguriæ, si stranguria pro impedimento, non incontinentia accipiatur, cum ischuria sit dysuria confirmata, & dysuria leuis ischuria, decem sunt, nam est à vrtute, cum retenta vrina, vt in negociis fieri solet, tenduntur nimiùm villi vesicæ, atque ita comprimi nequit. Hoc autem tribus ex causis contingit. Prima, quia vesica ob abundantiam humoris comprimere nequit, vt neque manus pomum magnum velut paruum. Secūda, quia distenti villi vim omnem amittunt soluta compagine. Tertia, quia nimium repleti tum ob distentionem, tum ob plenitudinem proprium temperamentum amittunt. Duæ aliæ causæ sunt à membris ipsis, velut phlegmon vel scirrhus, & caro excrescens, caro quidem solet sequi fluxum seminis spontaneum, & vrinæ ardorem, ab vtriusque enim erosa carne intus alia superexcrescit, velut in vlceribus oriri solet, alia obducta cicatrice, quæ meatum vrinæ impedit. Duæ aliæ ex humoribus, sanguine scilicet concreto, aut pituita crassa vel lenta. Duæ aliæ ex rebus non naturalibus, lapidibus aut arena: sed lapides si magni sint, rarò ischuriā, sæpe dysuriam faciunt, repelluntur que facilius catheteræ. Si verò vesicæ collum ingrediantur, quia parui sint, licet difficilius repellantur, spes tamen est ægrum posse liberari, seu mutatione situs, seu attritione aliqua. Octaua est à flatu, quam Galenus affirmat, etsi meo iudicio rarò accidat. In præsenti com. Fit & aliquando ob vlcus, dum natura timet serosum humorem super læsam partem transmittere.

Difficillima est quæ à carne, pòst à lapillis, Galenus verò meminit & eius quæ ab intemperie fit, maximè sicca vel frigida, quanquam hæc stranguriam sæpius parere soleat, frigida quidem intemperies in musculo incontinentiam potius parit quàm dysuriam, aut ischuriam, in ipsa autem vesica ischuriam & dysuriam, Ergo ischuriæ causæ principales sunt septem, nam vlcus dysuriam potius facit, non potest autem supprimere vrinam, vt neque sola intemperies: quæ si hoc faciat, ad virtutem reduci debet, flatum quoque ischuriam facere rarò contingit. VI. sint ergo causæ, virtutis imbecillitas in vesica, caro & abscessus, lapis, & arena, sanguis & pituita. Ischuriam & dysuriam solet ardor vrinæ consequi, non quia vrina vltra modum retenta putrescat (nam in sanis id non contingit, vt dum vrinam retinent, ardorem experiantur dum mingunt) sed quia materia quæ obstruit aut putrescit, aut erodit, dum dutius retinetur, Ardorem retentio non subsequitur, nisi postquam caro ob id creuerit, aut quia idem sit vtriusque causa, veluti lapis aut arena: diuturnos ardores autem stranguria consequi solet. Distinguuntur certis signis causæ dysuriæ, nam lapide facta insignis magnitudinis cognoscitur, vt dicebat Galenus: quoniam ægro resupino, si concutiatur, vrina prodit: si paruus extiterit, cathetera immissa sentitur lapis in collo vesicæ ob strepitum. 6. de Locis cap.4. Si autem arena, dignoscitur ex exitu, quanquam rarò, si humor lentus non adsit, sola obstruat. Si sanguis concretus, liquidus solet antea effluere: si pituita, lenta & ipsa, dum excernitur, apparet. Si ex virium imbecillitate, præcessit aut diuturna retentio, aut frigus vehemens: si abscessus, dolores & febres præcesserunt, & etiam adsunt caro, tophus, callus, difficilius dignoscuntur: solent tamen subsequi ardorem vrinæ, & dysuriam paulatim factam cum vrina clara, & fluxum seminis, & catheteræ impositionem laboriosam, & morbum Indicum. Calculi signa propriè sex sunt, quorum quatuor Galenus commemorat primo de Locis affectis: Cap.1. Vrina aquea, sedimen arenosum, pruritus in præputio, & tensio veretri

vt enim vlcus ardorem facit in præputio, ita pruritus ex lapidis motu in vesica, pruritum in præputio. Cum verò magnus iam euaserit, & pedē concutiendo, & repentè sedendo, sētitur lęsio in pectinis imo, & virgę radice: arena eiicitur, quoniā plerumq; lapis atteritur, neque enim ex arena lapis, sed ex lapide arena fit: cuius tamē contrariū pleriq; existimant. Cū verò lapis iā vlcus excitauerit, aut carnem, tunc signa confunduntur. Curatio ergo, vt ad rē reuertar, cū in remotione causæ cōsistat in lapide, arena & lapillo, vna est, scilicet vt protrudantur cum his quæ talia potētius solent comminuere: qualia sunt lapis Iudaicus, & cancrorum lapilli, & balsami succus, & cinis scorpionum. Sed si lapis magnus sit & durus, excidatur, si virtus ferat Modum curandi pòst describemus, ligandi vulnus, Galenus, seu potius Heliodorus in libro de Fasciis. *Lib. 13. Aphor. 1.* In his plus confert vinum quàm sectio venæ, in his qui vino non prorsus sunt assueti. *Sec. 116.* Vnde animaduertendum, olim vinum potius pro medicamento quàm pro potu in vsu fuisse, & propterea quæ ab Hippoc. de vino scribuntur, tanquam de medicamento accipienda: nec nobis qui illud in vsu habemus, tantum prodesse. Præterea Hippocratis regio, vtpote calidior & magis inæqualis, vina longè potentiora fert, quemadmodum Mombasium seu Creticum seu Maluaticum, quòd flauum est, potens, suaue, & Græcum. Falleris ô homo, ô medice, ne deteriori nomine vtar: imò insanis, qui hæc ex vappa nostra (talia enim sunt nostra vina, & præsertim quæ in campis nascuntur) expectas. Quis enim ad talia respiciens, in his quæ tamen sunt verissima, delirare Hippocratem non existimet? Non sunt nostra vina, nisi solo nomine. Itaque si dysuriam patienti vinum vel Mombasium vel Græcum dederis, aut etiam quod amabile vocant, intelliges in plerisque Aphorismum esse verum, quamuis etiam nos vino simus assueti: in lapide tamen fortuna quadam hæc proderunt. Sed si refrigerata sit vesica, aut imbecillior distentione facta, non frustrà tentabis. Iuuabit etiam seu caro addita sit, seu sanguis concretus, seu pituita lenta impediat. In phlegmone tantum nocebis, quantum sectio venæ proderit. Vides igitur hæc auxilia pluribus in causis communiter plurimùm prodesse? in omnibus autem, alterum eorum. Medicamentum autem minus tutum est clystere, cum ad locum trahat, & non euacuet ex venis propè vesicam, liquet igitur, Hippoc. sententiam ab aliis oscitanter tractatam. Quòd si nullo securo auxilio ischuria sedatur, sit autem propria, id est non facta suppressio supra vesicam, oriri quæstio solet, an cathetera potius per vim sit immittenda, an sectio in loco vbi lapis extrahi solet, administranda, an escharoticum medicamentum superponendum, inde locus perforandus? Semper enim in deploratis casibus quamlibet rationem, quamuis non tutam, modò in ea spes aliqua sit, tentandam esse, quàm certæ morti ægrum destinare præstat. Itaque ex cathetera per vim immissa dolores, vlcera, phlegmonesque excitari solent: escharoticum medicamentum serius agit, quàm occasio postulet: sectio incerta est: ob id plurimum refert quàm præstans sit lithurgicus, quam mundum sit corpus, quàm sanguine plenum, in omnibus ratio excessus habenda est. Nos tamen vidimus perforatam cathetera carnem in Francisco Lanzauerta patricio optimè cessisse, tametsi sanguinis & saniei multum profluxerit. Sed si callus sit, sectio expeditior, in imperitis artificibus tutius est escharoticum. Quæret forsan aliquis, cur Hippoc. balnei tam præstantis auxilij non meminerit? siquidem balneum primùm est in ordine, quo ad vires attinet, soluentium dysuriam & ischuriam. Galenus in libro de Cura & dignotione affectuum, renum hoc auxilium tanquam vltimum relinquit, quòd vehementer vires exoluat. *Cap. 4.* Ob id forsan Hippocr. prætermisit, quanquam vtilissimum: vel quia non nisi purgato corpore omnibus modis adhiberi conueniat. In ischuria tamen & dysuria cum quæramus curam potius symptomatis quàm morbi, tutius adhibetur quàm in calculo.

APHORISMVS XLIV.

Qvibus cerebrum concussum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos euaserint, sani fiunt.

COMMENTARIVS.

Qvæ Galenus hic & secundo de Locis, *Cap. 1.* quanquam disertè, docet, refutantur à Brasauolo experimento: nec sic interpretandus est Hippocrates. Et nos vidimus concusso ex saltu, ex casu, ex ictu cerebro videmus persæpe, vbi læsio sit magna, homines & animalia reliqua vt mortua concidere: quod si cerebrum præter concussionem corruptum fuerit aut dissolutum, aut diuisum, omnes pereunt intra tertiam diem, absurdum est enim credere, corruptum cerebrum, velut carnem quæ nullum habet vsum sed solum vtilitatem, posse restitui, neque si cerebrum corrumpatur aliter quam vt concutiantur, sed velut ex vulnere vel ictu non grauioris rei, qualis est malleus, later, patiētem intra triduum mori, dicente Suetonio in Caligula: Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum, non priùs occidit, quam offensus putrefacti cerebri odore. Quis ergo adeò insaniat, vt putet cerebro incipiente corrumpi, mortem intra triduum sequi? vel si euadat eos dies, posimodùm sanari? At verò quomodo id dignoscere potuisset? omitto de mortuis ex dissectione: quanquam & hoc tamē operosum fuisset. Neque enim nunc cum maxima concedatur libertas dissecandi corpora, quoscunque dissecare licet, eos qui non sunt mortui, quomodo dignoscere potuit sphacelo cerebri laborasse, cum nil minus verisimile? Est autem hoc inter oracula numerandum, cum rationem habeat obscurissimam, quam venari præstitisset potius quàm nugari. Nos tamen id agemus: sed prius eos docebimus modos, qui cum videantur comprehen

cõprehenduntur, velut cum venula aut ossis squammula disrumpitur, aut membrana laceratur,nam in his etsi non statim mors subsequatur,tandem tamen omnes, aut magna pars perit, vt Hippocrates testatur, & experimentum docet.Ibidem quoque colliges signa tria præcipua sphacelati ossis; scilicet cum à casu vel ab ictu aut saltu vertigo primùm,inde sopor,demum etiam quòd in terram decidat, acciderit.Clarum est igitur,eos qui sic afficiuntur,nec ob sphacelum pereũt, sed rupto osse, vel venula, vel membrana corrupta seu interiore,seu vinculis quæ per suturas trãseunt putrefactis,æstate post septimam diem,hyeme post quartam decimam atque serius,pro vt iuuenes aut seniores fuerint, interire.Vnde communis vsus obtinuit,vt iudices vsque ad quadragesimum diem si perierit vi vulneris, aut ictus periisse censeatur:si autem post,alia causa.Ex quo liquet problematis solutio,cuius aliàs non adeò mihi comperta ratio fuit:scilicet Cur quidamconcidãt velut mortui ex ictu vel casu aut saltu, inde resipiscũt ante tertiã diẽ & tamẽ post aliquot dies etiã moriũtur,nã his cerebrum sph celatum est, sed non adeò vt mori debeant ex hoc:verùm præterea venula, aut membrana disrupta est,quandoque & vitio membrorum inferiorum,velut renum aut iecoris aut ventriculi pereunt,præsertim si in ventrem ceciderint.Signa ergo ex sphacelo perituri sunt, si nullo modo ante diem tertium resipiscat, & magnitudo causæ, vt casus ex altissimo loco, pondus grauissimũ quod in caput inciderit:tametsi mollis res sit quæ incidat,vt lanæ aut gossipij moles coacta atque densata. Et si fluat sanguis è naribus,& si oculorũ Venæ impleantur, plerunque subsequitur mors breui. Non tamen adeò certum est signum, sed si cum hoc protuberent oculi,& si nitorẽ amittãt,aut si conuellantur:moriuntur enim statim.Cur ergo triduum definiat hoc periculum,causa est,quòd si noxa sit grauissima,tertia die,qui est primus circuitus, necessariò occidit,aut si non occidit morbus,nõ est grauissimus, sed mitescit, igitur non est ex illa collisione facta continui solutio,nec vlla pars corrupta.

Lib. de capitis vuln. p. 8. Pag. 5. & 7.

Multa tamen in oppositum adduci possunt: atque primùm Galeni auctoritas secus interpretantis,quam negligere piaculum videtur nec certè sine ratione manifesta relinqui potest,tum maximè quòd infrà ait:ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ, id est: Quibus cerebrum concessum est:hic verò, ὁκόσοισι σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος. Vt non idem sit, σεισθῇ καὶ σφακελισθῇ. Altera ratio est, quòd proposito hoc vt eadem sint,nõ coueniunt,malum fieri & perire,ibi enim subiungit ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα. Tertia, quoniã Hippocrates secundo de Morbis habet,ἢν σφακελίσῃ ἐγκέφαλος, seu in cerebri sphacelismo dolor ex capite spinam occupat, & ad cor animi deliquium procedit,& sudat,& somni expers est, & ex naribus sanguis fluit, sæpe etiam sanguinem vomit. Σφακελίζεται δὲ ὁ ἐγκέφαλος τρόπῳ τοιῷδε.Id est.Sphacelismum,contrahit autem hoc modo,quum aut nimium calefactum aut perfrigeratum fuerit, aut biliosum pituitosumve plus solito factum. Vbi aliquid, horum plus solito perpessum fuerit: etiam spinalem medullan supercalefacit. Et cum etiam hæc percalefacit,dolorem inducit. Animo verò linquitur homo,cum pituita aut bilis ad cor consistit:consistere autem necesse est commotis ac humectatis.Sudor autem fit ob dolorem:sanguinem verò vomit, quum venæ quæ sunt in capite,à cerebro fuerint calefactæ:quæ verò circa spinam sunt,à spina, spina autẽ à spinali medulla: medulla verò à cerebro,vnde originem trahit. Quum igitur calefactę fuerint venæ,& sanguis in ipsis efferbuerit, quæ quidem in capite sunt venæ distribuunt ipsum ad nares,& ad os:quæ verò circa spinam sanguifluæ,in corpus. Hic tertia aut quinta die plerunque perit. Et infrà:σφάκελος ἐγκέφαλον. Quod ille vertit, & satis bene in hoc proposito:Si corruptio cerebrum inuaserit, dolor tenet maximè anteriorem partem, & paulatim etiam intumescit,& liuida fit,& febris ac rigor apprehendit.Et in tertio rursus:ἂν δὲ σφακελίσῃ ἐγκέφαλος. In cerebri sphacelismo,dolor caput tenet,& per collum ad spinam procedit: æger non audit,& frigus ad caput deuenit, totusque intumescit, & voce priuatur:ex naribus quoque sanguis fluit, & liuidus fit. Quòd si morbus leuis fuerit, vbi sanguis effusus est, melius habet:sin autem vehemens,citò perit. Notandum tamen, quòd in eodem secundo, tertiò repetitur huiusmodi morbi descriptio: Si cerebrum corruptum fuerit, dolor ex ceruicis neruo ad spinam tendit,& ad cor frigus descendit,& derepentè nouus sudor adest,& per nares sanguis fluit, vomunt quoque multi,hic triduo moritur:si verò septem dies transgrediatur(plerique autem non trãsgrediuntur)manifestum est autem discrimen à superioribus,conuenit tamen cum his quæ dicta sunt in Coacis prædictionibus: Cerebro corrupto alij in tribus,alij in septem diebus moriuntur:hos verò si effugerint,seruantur.Verùm, vt dixi, eadem est difficultas in verbo σφάκελος.Vt sit sensus:quomodocunque cerebrum afficiatur,sic vt sanguis profluat è naribus, & persæpe euomatur, etiam ob ictum seu casum seu saltum, vel etiam morbum,cum doleat vsque ad spinam & cor,animo linquitur, intra triduum moritur, si autẽ quintum diem, aut ad summum septimum superauerit,euadet omnino. A tertia autem die vsque ad quintam,vel septimam,euadere potest.Pro quo vide decimo Contradicentiũ. Ad id de concussione dico, quod muti fiunt in sphacelismo necessariò non tamen necessariò moriuntur,concordatque cũ illo quintæ particulæ:Si ebrius quispiam repentè obmutuerit.Vide etiam quæ in eo sextæ Particulæ, Quicunque sani dolore capitis, dicta sunt. 49

Aphor. 50. Pag. 2. Pag. 8. Pag. 2. Pag. 7. Pag. 7. Contrad. 5.

APHORISMVS XLV.

Sternutamentum fit ex capite calefacto, cerebro autem humectato: eo quòd in capite inani. Aër enim intus contentus extrà erumpit: sonat au-

tem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

COMMENTARIVS.

CVm locutus sit de signis à cerebro malè affecto valde, sumptis, in præcedenti Aphor.43. Aphorismo, tum aliis, antea interposita cura stellicidij & difficultatis vrinæ, tum suppuratorum, vt sint tres continui Aphorismi: transit ordine exacto ad affectum cerebri præter naturam, sed minus malum, imò quasi leue symptoma, inde prosequitur per continuos quatuor alios Aphorismos, illud in omnibus intendens, Aphor.13. quod seu per artem seu à natura morbos symptomataque à repletione facta materiæ cōtentæ expulsio sanat. Diximus autem nonnulla circa præsentem expositionem in superiore Particula, ad quam Cap.3. te relego. Nunc opinionem Galeni prosequar secundo de Symptomatum causis, cum inquit: Cuius generis & sternutatio est, ad persequenda protrudendaque ea quæ nares offendunt, instituta. Quæ ipsæ quoque respiratus sunt viæ à natura inuentæ: quippe expurgat spiritus subiipsi violenter & cum impetu delatus, vias: non aliter quàm tibias Cap.4. & fistulas expurgāt harum opifices. Et paulo infrà: Porrò eos humores qui in arteriis contumaciter hærēt, & qui difficulter reiiciūtur magis expediūt sternutationes: vtpote in quibus maior etiā est spiritus impetus, quā tussi: causa verò generationis altera, quippe propter ea quæ in naso, non propter ea quæ in arteria aspera offendunt, emittitur in iis spiritus vehementer. Emittitur autem cum eo, etiam ex prioribus cerebri ventriculis aliquid atque id circo tusses quidem caput nihil iuuant, sternutationes (si tamen ex catarrho non fiunt) maximum remedium capitis halitu repleti, sunt. Nec mirum vno impulsu, tum à pulmone, tum à capite spiritum emitti. Monstratum enim est, vbi de iis disseruimus, caput quidem pectori motus principium tradere: pectus autem pulmonem & dilatare, & contrahere. Cum igitur quæ in naso offendunt, persequi propterea vtrisque emittendi spiritus visui simul vtitur: altera quidem ea, quam ipsum per se facit: altera, quam per neruos, veluti per quædam longa brachia, quæ in pectus descendant (quippe per hos id contrahit) halituosum autem spiritum per colatoria ossa, ipsum per se exturbat. Atque hæc quidem symptomata voluntariæ sunt facultatis. Propius sanè quam alibi ad naturam & vsum sternutationis accessit, non tamen clarè rem explicat: sed nos vt diximus superius, sternutatio fit spiritum confertim attrahente cerebro, inde simul protrudente. Et quoniam non potest trahi, nisi simul trahat & pulmo, ideo videtur etiam à pulmone protrudi, sed cerebrū verè est principium protrudendi, attrahendi autem initiū. Cæterùm propter illud pulmo trahit, quod obscurè nimis ipse proponit. Cæterū Aristoteles multa de sternutatione proponit quæ nos vt vera colligemus atque supponemus, 10.Probl.53. sunt autem hæc: Homo solus, quòd natura erectus sit, adde calidissimus & humidissimus, grauedinibus tentatur, non vllum aliud animal, sunt enim omnia alia prona, aues tamē quod magis erectæ sunt, natura grauedine licet exigua, non rarò corripiuntur. Sternunt autem quæcunque grauedine corripiuntur siquidem sternutamentum est ad propulsandam cerebri læsionem: vnde grauedine oppressi, voluntate quidem tenentur sternuendi, sed non possunt: verùm sternuunt maximè, vel incipiēte, vel dissoluta iam ex parte grauedine, aut saltem concocta: antea verò desiderio magis tenentur, quàm affectu ipso corripiantur. Aliis etiam ex causis quæ cerebrum oblædere solent, sternutamentum exoriri solet: vt sit actus cerebri offensam propellere conantis, flatus propulsi medio: vnde etiā singultus tollitur, solet enim singultus & tussis cerebrum vellicare, vt cerebrum ad propulsandam noxam incitetur. Atque in tussi cur sternutamentum tussim soluat, sæpe iam diximus: quoniam ex pulmone spiritus vehemens delatus perpurgat viam: at in singultu, cùm sit ex ventriculo hæc noxa, vt decipi videatur, quod ad hoc attinet Philosophus, sanatio fit ea ratione qua superius in alio libro diximus: sed iuxta Aristotelem, quoniam 13.Probl.1. vicinitate loci ex motu vehementi calefit ventriculus, calor autem dissoluit flatum, flatusque materiam. Indicio est, quòd etiam contento spiritu solùm aut foto ventriculo itidem soluitur singultus. Sed prosequor Aristotelis institutum. Probl.4. Indicio sternutationem fieri à molestia, & præsertim à calore, quod intuitus in solem, & titillatio narium, atque odor rerum calidarum, præcipuè piperis (condisi vocati) euphorbij, & talium, vehementes concitat sternutationes. Eaque ratione dormientes non sternuimus, Probl.15. quoniam cerebrum refrigeratur, & quiescit, calore intus ad cor reuocato, Sed & confricato oculo, dum calor Probl.8. & molestia foràs auocatur, & maximè quousque lacrima effluat, intus quiescit, & sternutatio non mouetur. Sed sacram rem existimarunt Probl.7.& 9. & 11. veteres hanc operationem, quæ ex principe parte procedit: verùm meliora sternutamenta esse putant, quæ à meridie ad mediam noctem eueniunt, quam quæ à media nocte ad mediam diem.

Deueniendo ergo ad Aphorismi expositionem, postquam constat sternutamentum fieri ob caloris principaliter, tum ob humidi replentis ventriculos cerebri molestiam, vt in grauedinibus, patet expositio primæ partis Aphorismi, & concordia Hippocratis cū Aristotele: tum causa cur in comitiali sternutamentum est signum aduentus accessionis in principio, & in fine liberationis. Quod est generale etiam in consimilibus affectibus, grauedine, attonito morbo, atque huiusmodi. Et ego vidi iuuenem, quem solum eo morbo affectum vidisse me memini, qui conciderat morbo, ex quo, ni oblitus sum, altera periit die: quem astantes dicebant, vesperi præcedente sternuisse plus quàm tricies, & nihil emittebat, idque iure, nam magna molestia affectum esse cerebrum, indicabāt tot inania sternutamēta: ex quo patet, quod quanto plura & sicca atque inania, eo peiora, & si magna & valida sint, eo deteriora, cum validæ fuerint vires: & quanto debiliora, cùm debiles.

les. Ideo nuper Ioannes Ludouicus Bouius, annum agens sexagesimumquartum, post multa signa mala affecti cerebri cùm longo morbo decubuisset, sternuit manè vno forsan vigintiquinque vicibus leuiter & inani effectu, itaque tertia die periit, ea ratione, contrariisque causis pauca & plena seu humida, & quæ crassam educunt materiam, faciliáque optima, & signum optimum, vnde Probl. 3. Aristoteles; dicit, quòd plerunq; geminantur.

Aër enim intus contentus, extrà erumpit. Docet causam efficientem sternutamenti, tacens causam causæ, calefacto enim cerebro, vt refrigeretur confertim, attrahitur confertim aër & similier repleto inani humido, vt expellatur idem, eodemque modo attrahitur: vnde ante omne sternutamentum sentimus nos aërem attrahere celeriter, & copiosum, quo attracto, cùm ibi sit præter naturam, extrà erumpit.

Sonat autem, quoniam per angustum illi est exitus. Reddit causam, cur adeò resonet. Dicit Quoniam per angustum locum fertur spiritus, scilicet per meatus ossium, qui sunt Ca. 5 & 11. supra nares: vt à Vesalio libro primo, ac septimo.

Galenus hoc in Aphorismo ter reprehen- Cap. 1. dit Hippocratem. Primùm quod dictum illud non sit generale: sed intelligi debeat de sternutamento solo, quòd sit vitio capitis nam in reliquis quæ fiunt, gratia exempli, ex narium titillatione, non est necesse vt fiant vel supercalefacto cerebro, vel repleto inani ab humido: videturque hæc accusatio toleranda, quoniam est quasi expositio Hippocratis potius quàm accusatio. Atque vtinam taliter se gessisset vbique. Secunda autem est, strepitum illum fieri solùm ex aëre excusso à cerebro credere (supple, vt Hippocrates credidit) est manifestè falsum, quandoquidem videamus etiam fieri propter aërem protrusum à membris pectoris: præterea quia aër ille attrahitur à cerebro ante sternutationem, non solus excutitur qui intus erat, hoc enim experimentum docet. Tertia, non fit sternutamentum repleto inani ab humido, nisi humidum illud in flatum conuertatur: aut sit acre, quod stimulet cerebrum, videamus modò de istis accusationibus. Nã etsi intelligamus de sternutamento facto à solo cerebro, adhuc hoc modo nõ esset verũ, quòd fieret à calore, vel repleto inani ab humido solũ: quandoquidem facta ex vaporibus tali molestia, qualis concitatur ex narium titillatione, fiet sternutamentum, nec tamen ab illis causis. Ob id dico generaliter intelligendum Hippocratem ex demonstratione dicta, scilicet quòd titillatio & reliqua non mouent sternutamentum, nisi calefacto cerebro, neque enim dubium esse potest, quin titillatio in naribus non possit esse causa propria & cohærens sternutationi, sed causa tantùm causæ, quæ causa est caliditas cum motu in ventriculis cerebri: Ex quo patet, non esse absurdum credere, quòd olim interirent ex vnica sternutatione, vnde nata sit consuetudo bene ominandi à sternutamento: seu illa orta sit ex opinione, quod sternutamentum omen faciat bonum, au malum, vt precemur bene sternutantibus, satis est potuisse gigni humorem adeò acrem, qui vexauerit cerebri ventres, ac statim interfecerit: non quia sternutamentum occideret, sed erat signum causæ, ex qua interius accideret. De secunda accusatione, illa verba (Aër enim intus cõtentus) non sunt intelligẽda de aëre qui in cerebro antea continetur, sed qui contractus est dum sternutat. Siluit autem secundam partem tanquam notam, cùm explicasset primam & tertiam, scilicet causam sternutamenti effectricem primam, & pòst proximam: De tertia calumnia dico, quod humidum illud est (vt dixi) causa attrahendi aërem, quo fit, vt sternutatio. Fallaciam enim facit Galenus reprehendendo Hippocratem, qui non dixit quòd humidum & calor semper faciant sternutamentum: sed quòd sternutamentum semper fit calefacto cerebro, aut humectato, ideo manifesta est calumnia. Quòd enim humidum acre salsumue moueat sternutamentum, verum est: sed hoc non est ad propositum; sed illud oppugnare debuit, quod sternutamentum fit ab humido, neque enim generaliter hoc est intelligendum, cùm ipsemet dicat, quòd etiam fit à calido.

APHORISMVS LXVI.

QVibus inter ventriculum & septum pituita reposita est, & dolorem affert, exitum non habens, neque ad alterum ventrem, iis per venas ad vesicam, pituita versa, soluitur morbus.

COMMENTARIVS.

SErmones antiquorum vel euidentem cũ rebus ipsis consensum habere debent: aut si id non possumus, potius quàm per difficillimas rationes, nec satis certas alienum velle expiscari sensum, propriam tueri sententiam, modò vera sit. Neque enim dubium esse potest, quòd si vellemus per septum transuersũ legere omentum, quin clarissimus esset sensus atque euidentem contineret veritatem, tum artem. At hoc nolumus, quocirca dubitarunt meritò tum Marinus, tum Galenus, quomodo pituita possit ibi decumbere, absque eo quod non defluat vsque ad ossa pubis? Galenus respondet, quòd non vbique id contingit, sed in ea tantùm abdominis parte, quæ ad epigastrium attinet. Ridicula Fuchsij expositio, Intra peritoneum, quod iuxta abdomen est: id est. Pituita, quæ est iuxta phlegma, adeóne putauit imponere nobis caligantibus oculis, vt nesciremus abdomen idem esse Latinè, quod Græcè peritoneõ; alludit ergo Hippocrates ad illud quartæ Particulæ: Quibus tor- 11. mina & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter tolluntur, iis in hydropẽ siccam firmatur. Ergo lamborũ dolor fit crudo ex humore in vacuo illo vsque ad os pubis descendente, id est, ad regionem illi propinquam:

dolores autem,& tormina ex parte quæ superius quieuit,& retentus est. Si ergo regionem inuenerimus inter ventriculum & septum transuersum,in qua considere,aut commodè contineri, aut saltem firmiter possit hærere, habemus intentum. Videtur autem mihi,quod ea sit quæ supra septum transuersum est,ibi enim ventriculus supereminet ea parte,quæ est prope os. Et hanc vidi in patricio Briuio dissecto Mediolani,cùm iam tamen computruisset,erat autem in vinculis,ac prope ea quibus iecur superius alligatur, ostendit autem hoc Hippocr.cùm dixit:Exitum non habens neque ad alterum ventrem. Ad quem rogo ventrem,si infra septum trãsuersum iacet?Propterea docet modum curandi, cùm neque adeò facilè ad intestina deriuari possit tunica vtraque & inani intermediis, neque per sanguinem aut sudorem toto corpore medio,neque per vomitum eisdẽ rationibus fermè, quæ vetant vt per aluum educatur:reliquum est,vt vnica spes & à natura & ab arte superfit,scilicet vt per vrinas educatur, nam in gibba iecoris ob propinquitatem transumitur,à quibus ad vrinas deriuatur. In tam claris ergo rebus caligarunt antiqui,& Galenus præcipuè ad insectandũ potius quàm interpretandum Hippocratem, hac in parte duntaxat natus:vt etiam in carminibus, quæ operi præposui, testatus sum.

1.Aphor. 21. Monet autem nos Hippocrates,ne,quod plerique nunc medici faciunt,agas, (ex nullo penè morbo mortem non afferentes (purgare coneris tamen humorem medicamentis: non solùm quòd vndecunque natura repit, inde ducere per conuenientes regiones, sed quòd materia non educta putrescet & corrumpet epar, & interim ægrum ad mortem educet. Monuit autem nos experimentum, quod quis forsan tanquam verisimile posset obiicere, ægrum scilicet sine tussi fuisse: aderat autem febris quotidianæ similis.

Cæterùm quod de transsumptione humoris ex vacuo in venas & ad vrinas meminit Galenus, verissimum est:eaque exempla bellè proposito sunt accommodata: De transitu materiæ per ossa,dum illa etiam extenduntur, abscessumque contrahunt, quod magis mirum est: de exitu sanguinis ex cute, ac carne sana redundantis, in ossium fractorum coagmentatione: de pure in cauitate pectoris contento, & in pulmones transumpto, vt commodè per tussim eiiciatur. Sed nihil mirandum est, scientibus nobis ab Hippocrate commemoratum, quòd corpus nostrum totum est transpirabile, & in vnum consentit, vt in libro de Alimento, cùm dixit: Confluxio vna, conspiratio vna. Pag. 2.

APHORISMVS XLVII.

QVibus iecur aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur,& moriuntur.

COMMENTARIVS.

EI'Σ dictio,in apud Latinos significat:& licet alia multa significata iuxta annexas dictiones habeat,cũ sequatur τὸ ἐπίπλοον, significat in omentum: quod tamen est, ad omentum, vt, Vado in vrbem, id est ad vrbem: feror in hominem, id est ad homine incitatus accedo,sunt enim formulæ quædam loquendi, quas explicare longum esset, iis qui linguam callent solùm notæ.Sicut & illud in Verrem: quantum differt ab hoc. In domo sum, in cœtu, vt stultus clamitabat. Dissectio autem nobis ostendit, aquam hydropicorum primò inter omentum & peritoneum contineri, pòst exeso omento inter illud etiam & intestina,sed & ante illud,licet enim solidum sit intùs,tamen penetrat, vnde quatuor tempora. Primum, cùm inter omentum fuerit, & peritoneum, tuncque sanabilis semper est morbus,ni causã vel aliud obstet. Secundum,cùm in omentum penetrat sed illud tamen integrum est: difficileque iam sanantur,quoniam ea pars non adeò per vrinas excerni potest. Tertium, cum ibi est,& exesum est omentum,tuncque sunt insanabiles, nisi omnia prorsus ægro opitulentur. Vltimum,cùm iam ad septum ascenderit aqua, tussimque excitauerit: quo tempore sunt deplorati prorsus,& breui vitam finiunt.

Quòd verò adiecit (Et moriuntur) scientibus nobis, quòd omnis ascites lethalis est:non adiecit frustra (Et moriuntur) nisi vt intelligeremus,omnes ex hac causa interire,tametsi & in huiusmodi accidãt monstra & sanationes admirandæ,sed rarissimè: seu ex causis ignotis nobis,seu ex cœlo,seu quod alius sanationis modus supra naturam & ex miraculo,de quo non est dubitandum:& præter miraculum,ordine Dei ita disponente,vt etiam esset aliquid in nobis naturaliter supra naturam constitutum,de quo sæpe dubitaui. Causa autem, cur omnes ex hac causa intereunt, est,quòd in huiusmodi hominibus iecur imbecille est,& excoriatum,& iam contraxit intemperiem,ex aqua contenta per intemperiem,qua illam genuit, vt sint in hac constitutione quatuor causæ offendentes iecoris coctionem: vnde verisimile est, tales ægros nunquam posse liberari. Fit enim ascites vitio semper iecoris,at illud duplex est: per se,& per consensum.Per se quidem quinque modis,aut ob abscessum durum in eo magnum, & tunc est insanabilis,vt etiam illius causa:aut propter materiam contentam in eo malam,aut propter vlcus,aut propter malam intemperiem,aut defectum caloris innati Ex materia quidem in eo contenta,vel eiusdem generis,vt aqua:vel alterius,vt atra,velut in Aphorismo suprà. Similiter mala intemperies per se,aut orta à causis internis,aut potu aquæ vel deleteriorum putrefacientium,qualia sunt cicuta & opium.Sed ex consensu fit multis modis,principaliter tamen quatuor:à pulmone, vt in difficultate spirandi grauiùà liene à renibus,& ab vtero:Est etiam modus præter hos duos à malo regimine,copia cibi, potus,vigiliis,madefactione vestium & pedũ decubitu

decubitu super terram. Est quidam modus absque vitio iecoris, cum aqua in vniuerso corpore ob imbecillitatem coaceruata intus pellitur, quasi per crisim, vt infrà. Hi duo modi vltimi prorsus sunt sanabiles, ex duobus etiam superioribus, qui fit vitio vteri, facilè sanatur: pòst qui à liene: qui a pulmone vix vnquam curari potest. Qui à renibus, si ex fractura emulgentis venæ, nunquam: & si ex scirrho ipsorum, si ex imbecillitate, nec facilè: qui verò ab intemperie iecoris, vel à materia in eo, vel ex defectu caloris innati, ni aliud obstit, facilè non dicam, sed non admodum difficulter sanatur. Ob id igitur iurè adiecit in hoc casu: Et moriuntur.

APHORISMVS XLVIII.

PAndiculatio, oscitatio, horror, vinũ æquale, æquali potum, soluit ægritudinem.

COMMENTARIVS.

MIra socordia conscripta & interpretata cuncta sunt, cùm enim Græcè, Galeno teste scriptum esset, Αλύκη, χάσμη, φρίκη: verterunt eam orationem in ἀλύκην, χάσμην, φρίκην, non solùm Fuchsius, sed etiam codices Aldi vtrique ego tamen malim credere Galeno, priorem probanti testantique scripturam, quàm illis. Quòd si omnino nolint eam admittere, ad quid eam Galeni accusationem extra omnem sensum reliquêre? Scilicet σολοικοφανὲς εἰκότως ἐνίοις ἔδοξεν εἶναι τὸ σχῆμα τοῦ λόγου, καὶ διὰ τοῦτ' ἔνιοι κατ' αἰτιατικὰς πτώσεις ἔγραψαν ἀλύκην, χάσμην, φρίκην, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος. λύει δὲ διαφέρει γοῦν οὐδὲν εἰς τὸ παρὸν, καθ' ὁπότερον ἄν τιν γραφὴν ἐξηγήσηται τὸν ἀφορισμόν. Quæ verba non interpretor, cùm sint ab omnibus qui verterunt Galeni Commentaria, bene conuersa, initium enim sunt Aphorismi: quæ tamen superflua omnino sunt, cùm tam plura sint, & nullum habitura sensum: nec Græcè habent, sed tanquam delyrantem Galenũ faciunt. Quapropter melius Leonicenus interpres, tanquam dixisset, Αλύκη, χάσμη, φρίκη: vertit, Anxietas, oscitatio, horror. Hæc tam multa addidi, vt ostenderem quàm negligenter, aut sine iudicio, plerique cuncta tractauerint. Et crimine ab vno. Disce omnes.---

Nam non veriti sunt verba relinquere, quæ repugnantia essent sibi mutuò. O socordiam intolerandam. Sed mittamus hæc. Αλύκην vocat anxietatem. Dicebat septimo
Pag.13. Epidem. Τῇ παυσανίου κούρῃ μύκητα ὠμὸν φαγούσῃ, ἄση ἔσχε, πνιγμὸς, ὀδύνη γαστρός. id est, Pausaniæ filiam ex fungi crudi esu anxietas habuit, strangulatio, ventris dolor. vt ἄση anxietatem significauerit, & verisimiliter anxietas, non pandiculatio, quæ leuis est affectus, comitata est esum fungorum, strangu-
Pag.8. lationem, & ventris dolorem. At in Coacis: τοῖσιν ἀλυσμώδεσιν ἐν ὑποχονδρίῳ τὰ παρὰ οὖς ἐπαρθέντα, κτείνει. Quod est: Anxietate in præcordio, circa aures oborti tumores, occiduntur, nec anxietatem eo vocabulo indicarit. Quanquam Galenus in Commento hic dicat, ἄλυν & ἀλύκην idem esse. Et infrà, τὰ Pag.15.
ἐξ ἐμέτων ἀσώδεα κλαγγώδεα: scilicet, ex vomitibus anxietates, clangores, & ibidem: Οἱ ἀσώδεες ἀνημέτως παροξυνόμενοι, κακόν, id est: Qui anxietate cura vomitum corripiuntur, malum. Tum illud, Ἐν ἀσώδεσιν ἀγρύπνοις, In anxiis vigilantibus: tum sæpius ad fastidium vsque repetito. & in Prognostico: Καὶ τὸν τράPag.2.
χηλον, καὶ τὰς χεῖρας, & reliqua: subiicit tandem, κακόν. ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει. id est, Collum (supple, disiectum habere) & manus, malum. Anxietatem enim significat: vt in nullo sensu anxietatem, quæ est magni mali indicium, & lethale signum, per ἀλύκην vllib de declarauerit: rem sanè leuem; quanquam hic affirmat modico vino diluto solui, velut Galenus interpretatur: sed pandiculationem, vt Theodorus Gaza vertendo diuinauit, scribendum esse omnino exstimem. Hæc satis superque: nunc quæramus, cur pandiculatio, non pandiculationem, & reliqua eodem modo scripserit. neque enim absque ratione solœcismum fecisse existimandum est. Est igitur suspensa oratio, quasi dicat: Cùm pandiculatio, oscitatio, horrórque apprehenderint hominem, hanc dispositionem soluit vinum dilutum æquale: id est, quantum oportet sumptum: & æquali aqua, id est, quanta oportet: vt illud Æquale ad vim hominis & aquæ sit referendum, soluit morbum: vt intelligamus de morboso affectu loqui, cum tædio nos hæc afficiunt. Causam huius Galenus rectè in Commento exponit, dicens quod vinum huiusmodi calefacit, mouet humores, & etiam illos efficit bonos: quod vtinam ita esset, atque eo minus hoc ipse aliis dicere potest. Sed de hoc consule quæ in decimo libro Contradicentium scripsimus. Contrad. 95.
Nunc satis sit declarasse, non humores mutare hoc vinum, sed potius vapores dissoluere, qui horum trium symptomatum communis causa sunt atque id & verum est, & rationi consentaneum, tum maximè quòd statim id contingit.

APHORISMVS XLIX.

QVibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

COMMENTARIVS.

SVperius de hoc Aphorismo fecimus Com. 44.
mentionem: diximus & de mutis in quinCom. 5.
to libro, & sexto: nunc verò quantum est Com. 49.
necessarium præsenti negocio, in reliquis ad priora te relego. Vnum satis est, videri grauiorem casum concussionem, in qua muti necessariò euadunt, nam in ea ventriculi, & totum cerebrum afficiuntur, quam præcisionem, vt suprà visum est, solus vomitus & febris consequitur. Muti igitur à natiuitate Lib.6. Apho. 48.
non sine voce sunt, imò plerique ex his grande aliquid boant: qui verò ex morbo, submissè loquuntur, velut in columellæ seu

vueæ casibus muti non sunt. Si quis ergo vocem seruet,& loqui didicerit, delirare potest,mutus esse non potest. Cùm ergo mutum dixit, eum dicit qui vocis, non solum sermonis impotens factus est. Quoniam verò ad sermonem vox necessaria est,& mens quæ linguam dirigat ad motum,& lingua & nerui, qui sunt animæ linguam mouentis instrumentum:& ab initio etiam auditus, per quem mens doceatur: sed hic postquam didicerit, non est necessarius,& ad vocem pulmo,& musculi etiam intercostales, vt aërem efflent, & laryngis guttur mouentes, tum verò glottis, epiglottis ac columella: erunt nouem ad sermonem necessaria:& vnum ab initio,vt dixi,scilicet auditus: & duo ad exactam locutionem,labia atque dentes. Videmus enim oblæsos in labiis non perfectè loqui. Erunt omnia quæ ad hoc concurrunt, duodecim. At impediri sermonem ex musculis intercostalibus aut gutturis ex toto, vel vuea, vel ligula aut epiglottide,rarò contingit. Planè igitur accidit, lingua vel neruo vel mente impeditis,frequentius mente, rarò lingua, nonnunquam neruo:quo fit,vt in huiusmodi casibus etiam reliqua membra torpeant, & vt attonito morbo deprehensi iaceant. At verò si ita est, apparet insanos & stultos habere mentem perturbatam quidem non tamen impeditã. Contingit hoc ex casu maximè ab alto,tum etiã ex succeßione & ex ictu mollis rei ac grauis:tũ verò in hac cõcußione facilè auelluntur nerui ex cerebro, aut disrumpũtur:vel quod pessimũ est, cerebrum quassatur. Estque difficillimum per se malum: sed si horum aliquid contingat, etiam prorsus insanabile. Videamus modò, cur dixerit,Necesse est statim, neque enim iacent vt apoplectici,licet magna ex parte:& aliqui quibus morbus est sæuior prorsus & omnino, contingit,hoc,quoniam vibratum cerebrum maximè læditur: habet enim is motus rationem duarum ictuum, velut demonstrauimus in naturalibus:& ideo vertiginem patiuntur statim,& obtenebrationem & læsionem omnium partium cerebri:& plerunque moriuntur, maximè intra triduum.

APHORISMVS L.

CORporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit,fames enim corpora siccat.

COMMENTARIVS.

MAgna Dialectica hîc opus est. Neque enim statim sequitur:Carnes humidæ sunt, igitur siccandæ, cum naturaliter sic se habuerint, nec sequitur: Siccandæ sunt, & fames siccat: ergo siccandæ sunt fame. Præsertim quæ fames siccat interiora, tabefacit & humidum innatum minuit, vitamque abbreuiat. Ob hoc igitur studiosè quærenda est ratio horum. Dicamus ergo primum,quæ in his qui carnes habent humidas,ætatis ratione non conuenit corrumpere bonum temperamentum:nec de his intelligit Hippocrates, vt neque de sexu. Sed neque,si commoda sit temperies, vt sub multo calore exiguum humidum comprehendatur. Vbi ergo humida temperies sit videndum, cui vsui sit illam exiccari:id verò dignoscemus,si incommoda humidioris corporis cognouerimus. Videtur autem hoc quadrifariam contingere,primò generaliter. Inquit enim Hippocrat. Causæ morborum sunt plerunque fluxiones: at fluxiones ex abundanti humido fiunt,quod etiam docuit in libro de Locis in homine,& de Flatibus, vbi docet fluxionum ex capite multa genera:pòst,quo pacto morbi ex his oriantur. Specialiter autem in libro de Veteri medicina, inquit: Membra sunt quatuor generum,solida, quæ nec tentantur à fluxionibus & ab humido, nec ipsa trahunt:quæ autem caua sunt, velut vterus atque vesica, & caput trahunt, & implentur: quæ verò caua & expassa, vt ventriculus,recipiunt quidem humorem, sed non trahunt, nec combibunt: quæ autem mollia sunt, & carne spongiæ simili,trahunt,implenturque, & dura euadunt, vt pulmo, lien, mammæ: sed maximè omnium pulmo. At magis specialiter de cerebro istud docet in libro de Sacro morbo, dicens: Et insanimus quidem præ humiditate, cùm enim humidus quàm pro natura fuerit cerebrum, necesse est moueri: vbi verò mouetur affectio, necesse est neque visum quiescere, neque auditum, sed aliàs aliud videre atque audire:linguam autem proferre talia, qualia viderit atque audierit. Nocet demùm articulis hæc constitutio, vnde in libro de Articulis: Humidum hominibus ex articulis fit, propter neruorum connexionem si laxa fuerit, & intensiones facilè ferat.Multos enim videas,qui adeò humidi sunt, vt quando velint, articuli ipsis citra dolorem excidant, & reponantur. Liquet igitur, quod & cur corpora humida necesse sit exiccare.

Lib. de Glandulis pag. 5. *Pag. 5.* *Ibid. m.* *Pag. 10.* *Pag. 9.* *Pag. 5.*

Nunc modò videamus, cur potius fame, quæ solùm per accidens illa siccat, quàm aliis auxiliis id fieri iubeat. Sed primùm id discutiamus,quod à Galeno, sed imperfectè, vt moris eius est,tangitur: scilicet,cur quædam animalia fame pinguescant in hyeme, vt vrsi. Si enim breuis sit hyems, impinguantur: si longa, tunc macrent. Atque id ratione est,quoniam dormiunt: non ergo ob famem,sed ob somnum fiunt pinguiora. Cur verò consulat, fame siccanda,ratio est: quoniam hoc solo modo æqualiter siccari potest corpus, non læsis corde vel iecore. Vt enim Galenus docebat in libro de Tabe: In fame enecto animali, cor & iecur non tabefacta videntur. Sed iam per singula discurramus auxilia, quæ id facere posse videntur. Exercitium autem impinguat corpora: aut si extenuat, adeò calefacit, vt ad febres præparet. Purgantia medicamenta non siccant corpora,nisi etiam multum ex vtili euacuent, & viscera debilitent. Sectio venæ languidos reddit, & tremulos, & potius pinguefacit quàm exiccet corpus. Balneum ex aqua humectat, caldaria & πυρεκτήεια inflammant corpus, & fluxiones mouent. Vigiliæ certè siccant, sed cerebrum multum, reliqua parum, & concoctiones impediunt. Medica-

Cap. 5.

menta

menta exiccantia non quod opus est, siccant, nec æqualiter: sed ventriculum, deinde iecur, reliqua non ita. Sola igitur fames tutò, æqualiter & sine agitatione id facere potest: quare ad eam confugiendum consulit Hippocrates. Quòd si obiicias illud ex libro de Veteri medicina: Fames magnam habet potentiam in naturam hominis sanam debilitandi & occidendi. Respondeo, quòd moderata sanat, & de hac intelligit Hippocr. nam quæ debilitat, vehemens est: quæ occidit, longa & diuturna, de qua non est hic sermo: sed neque de vehementi, sed moderata. Pag.11.

APHORISMVS LI.

QVibuscunque cruda ex aluo secedunt, ex atra bile sunt: si plura, copiosiore: si pauca, pauciore.

COMMENTARIVS.

HIc Aphorismus non est inter illos qui à Galeno exponuntur, est tamen in Aldino textu, & etiam infrà exponitur ab eodem Galeno, nam ab omnibus expositoribus antiquis probatur, cuius sententia vera vtilis est, rara & breuis. Humor crudus alius est longè à pituita, cùm sit omnino præter naturam: pituita autem vnus è quatuor humoribus, atque hanc differentiam docuit ipse Galenus primo de Alimentis. Sed & humorem crudum ex atra bile generari docet, id quod vsu euenit in curatione Quartanæ, cùm Galenus exhibet diatrion pipereon, & sinapim, & dicit: si quotidie piper cum aqua biberent, benefacerent, primo ad Glauconem. Causa huius est (cùm neque piper neque sinapis conuenirent ratione materiæ, multo minus morbi ratione: sunt enim sicca) quoniam crudus humor, qui multus in his generatur, impeditque curam, dissipatur. Generatur autem ob hanc rationem, quòd atra bilis crudos generat humores: & si quis in quartana illum negligat, raptim deferuntur miseri ægri in hydropem humidam aut siccam, & queruntur medici non successisse curationem, quam existimant ritè peregisse calefacientibus & humectantibus. Docet, inquã, igitur Hippocrates cruda per aluũ eiecta fieri ex atra bile. Differũt autẽ plurimũ cruda per aluũ deiecta, & crudæ deiectiones, nã deiectiones crudę, liquidę sunt & dilutę, vt colligitur libro de Symptomatũ differentiis. Dicit enim, quod deiectio quæ celeriter eiicitur, humida necessariò est. At crudus humor in hoc differt à pituita, vt dixi, ex Galeno, primo de Alimentis, quòd crassus sit. Vtroque tamen modo contingit ex melancholia cruda deiici & humorem quidem crudum: & crudas, id est liquidas deiectiones. Si plura, copiosiore. Vbi atra bilis superabundat, magnas fieri cruditates est necesse, ob impeditam maximè coctionem: si autem pauca, parum impedita coctione, parum etiam deiici ex humore crudo. Est autem triplex cruditas: vna, in qua crudus humor generatur ac deiicitur: alia, in qua cibus incoctus deiicitur, velut in lyenteriis: tertia, cùm crudus quidam succus generatur, qui acidus est sapore, & persæpè eructuationes mouet: & est cruditatis indicium, quæ Hippocrati maximè nota fuit, parùm Galeno cognita. Diximus tamen aliàs Aetio notam: cuius hodie multa sunt exempla, vigétque magis epoto vino quàm aqua, & hæc, si quis ad Galenum eam referat, causa est flammosæ melancholiæ, vt in idem recidat. Et huiusmodi expositio, vt dixi, est secundum mentem Galeni infrà, & eius sententiæ conformis.

Com.5. Cap.2. Cap.11. Cap. 4. in med. Lib.6.c.9. post princip.

APHORISMVS LII.

SI quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, ita laboranti, morbus.

COMMENTARIVS.

HIc ferri accusatio Galeni tam anxia potest, postquam & hunc & alios multos Hippocratis esse negat. Verùm si sine iracundia perferre dictum possumus, videtur mihi sanè expositus ab ipso eodem in primo de Alimentis, cùm dixit: Si quis exercens vtatur oleribus & ptisana, breui vires collabentur, & corpus ipsum conficiet, & sumpsit ab Hippocrate, prima Aphorismorum dicente: Alioquin corpus absumitur. Voluit Hippocrates declarare, quod nullibi alibi quam iacturam faciat cibus assumens pro constanti, quòd vulgus prædicat, scilicet cibum addere robur viribus, Dicit Hippocrates: Verum est, sed ægrotantibus ex febre addit robur febri. Et hoc est quod dixit Galenus secundo de Naturalibus facultatibus: Cibus non concoquitur à calore febrili, sed corrumpitur ab illo. Docet ergo detrimentum esse, quòd cibus ille duo mala facit: scilicet quòd non auget vires, vt in sanis, & auget morbum. Vulgares enim putant quòd vtrumque adaugeat: sed vires magis quàm morbum, ipse docet quòd in febribus nullo modo vires adauget, sed ipsum morbum. Quia cibus in febricitante tria magna mala facit, fatigat naturam, & calefacit hominem: & hoc, quia in concoquendo natura, quæ est debilis propter calorem putridum, & quia est impedita, fatigatur sicut vis imbecillis, & impeditur sub magno onere. Secundum, quia impeditur à coctione materiæ facientis morbum. Et ideo naturali circuitu adueniunt dies indicatiui & decretorij, in quibus cogitur pugnare non præparata materia: atque ideo succumbere. Ideóque si materia benigna fuerit, optimum quod ei possit euenire, est, vt, transferatur ea pugna in sequentes decretorios producto morbo, & ipsa languidiore facta, ex quo persæpè etiam mors sequitur. Nam si antea, dicemus cum Hippocrate: Cruda verò & incocta, & in malos abscessus conuersa, aut iudicium nullum futurum esse ostendunt, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Tertium est, vt dixi, incrementum materiæ ob malam coctionem. Quicquid enim subterfugit

Cap.2. Cap.2. 1.Epid. Pag.4. Cap.2. Pag.3. in fine. Cap.3.

git coctionem, aggregatur materiæ facienti morbum. Et hoc eo deterius, si fuerit nutriens, vt octauo Artis curandi: Atque id magis, si durus fuerit, ille enim pessimus: libro de Veteri medicina. Demùm, si fuerit postate similis causæ morbi, aut morbo, aut vtriusque.

Cap. 2. Pag. 3. in fine. Cap. 3.

APHORISMVS LIII.

QVæ per vesicam excernuntur inspicere oportet, si talia, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur his minimè similia sunt, morbosiora sunt hæc: quæ verò sanis similia, hæc minimè morbosa.

COMMENTARIVS.

Contrad. 39. LOngior sanè esse cogerer, nisi esset quòd in sexto Contradicentium demonstraui, quomodo ab initio morbi vrina debeat esse concocta substantia: licet non in contentis, si non morbus difficillimus futurus sit. Hic verò ostendit generaliter de his etiam qui non habent concoctas vrinas, & de contentis simul, dicens: Quòd quæ non sunt similia sanis, sunt morbosiora: quæ verò similia sunt sanis, minimè morbosa: cum hoc stat quòd morbus adsit, per morbosum enim intelligit, quòd sua natura morbum adauget. Similiter intelligendum illud idem de fecibus: non potest autem intelligi hoc de aliis vllis excrementis, cum quæ sunt secundum naturam, tantum duo sint, vrina & feces, nam quis dicat sudorem similẽ sudori sani? Scripsimus etiam libros quatuor in hoc genere, scilicet de Vrinis, vt non sit decens repetere quicquam. Et si omisissem ibi vt huc traducerem, fecissem doctrinam imperfectam, illa enim est vnius generis, cui nihil sine turpitudine deesse possit. Etenim honestius est vt ex hoc loco ad eos libros transmittamus, quã ex illis ad hunc, nihil enim absurdius. Vnũ sat sit hic animaduertisse, vrinam sanam, aut excrementa alui sana quadrifariam dici: vel quoniam sunt similia sanorum vrinis aut excrementis, & hoc significat morbum mitem: & de hac loquebatur Hippocrates in Prognosticis. Vel quoniam absolutè sana sit, & tunc significat morbum ad vrinam non portinere, velut in dolore iuncturarum ab intemperie. Vel quoniam natura non pugnat, nec aggreditur materiam morbi, vt in pestilenti febre: tertio de præsagio ex Pulsibus. Demùm, cum est similis sanæ, sed verè multum ab ea distat, vt cum pro hypostasi capimus pituitam tenuem. Et si eam consideramus in febre sæuiente propter causas, de quibus diximus ibi: aut cum non perseuerat.

Pag. 4. in fine.

Cap. 4.

APHORISMVS LIV.

ET quibus deiectiones, si stare permiseris, & non moueris, velut strigmenta subsistunt: & si pauca, paucus est morbus: & si multa, multus, iis confert alui purgatio. Quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones: quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

COMMENTARIVS.

HVius & trium præcedentium Aphorismorum continuitatem adeò perspicuam esse puto, vt quãuis non sint Hippocratis, certè eiusdem omnes sint autoris. Cum enim dixisset in præcedenti. Quòd si quæ exeunt, non sint similia sanis, quòd sint morbosiora: declarat id exẽplo in excretionibus alui. Hoc habens saltem Hippocraticum, vt exemplum accipiat diuersum in specie ab eo quod proposuit antea in genere: veluti in præcedenti de vrina locutus est, hîc de alui excrementis. Et quia dixerat antè. Si quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, ita laboranti morbus, hic docet quomodo, dicens: Si aluo non purgata his dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis. Simile est illud. Quibuscunq; cruda ex aluo secedunt: ante proximum dictum, ex magnitudine enim effectus magnitudinem causæ venatur. Quòd autem hoc non sit ex phrasi Hippocratis apertè assentior, nam facilius digno scitur mendum similibus quàm dissimilibus. Hîc enim cupiebat similem se ostendere Hippocrati: sed huiusmodi doctrina reflexione & participatione caret, quibus tota Hippocratis oratio vbique referta est. Galenus quidem agnouit phrasim non esse, appellatque sermonem hunc ænigmaticum, quique sibi ipsi repugnet, nam deiectiones, ad excrementa alui referuntur, verba autem illa si stare permiseris, & non moueris, ad vrinas potius quàm excrementa alui pertinent: rursus verba ea (veluti strigmenta) ad alui excrementa magis quàm ad vrinas: subsistunt autem ad vrinas denuò, potius quàm alui deiectiones. Vt enim in vrinis facilè subsistunt quæ continentur, & facilius dignoscuntur, ita in alui excrementis neutrum facilè contingit. Præterea neque verum est, omnes in quibus strigmenta contingunt in excrementis purgatione iuuari, nam si quicquid est bilis, fuerit euacuatum, purgatione non indigent: & si eos sorbitionibus nutrias, non propter id lædentur. Multo minus hæc vera erunt, si de vrinis intelligantur. Præterea iustè etiam reprehendit illos, qui volunt non sorbitiones damnare Hippocratem, sed copiam illarum, quasi non omnibus copia nimia non sit importuna: In aliquibus autem videtur alius Aphorismus loco huius insertus, quem nos suprà exposuimus. Sed & illum damnat Galenus, quamuis Herophilus, Bacchius,

chius, Zeusis & Heraclides primi huius operis expositores approbauerint: Sed vt sententiam meam in hoc proferam, autor hic intelligit, vt dixi, de alui deiectionibus: quæ si sint vt strigmenta, cum habeant materiam erodentem, corpus significant indigere purgatione.

APHORISMVS LV.

A Pituita alba, aqua intercus superuenit.

COMMENTARIVS.

ET hic, & tres sequentes legitimi sunt, & omnino Hippocraticam scripturam redolentes Aphorismi: tametsi Galenus existi-
57 met, vnum ex his partem esse alterius alibi scripti, in sexto libro, vt suo loco videbitur, nunc ad rem accedamus. Textus habet: ἐπὶ λευκῷ φλέγματι ὕδρωψ ἐπιγίνεται. Diximus aliàs λευκὸν φλέγμα esse anasarcam, & albam pituitam, & idem, λευκοφλεγματίαν. Scribit enim
Pag.1. in primo de Morbis, inquiens: ἐκ λευκοῦ φλέγματος δὲ ὕδρωπα μεταπίπτει. Manifestum, cum dicat ex morbis in morbos transitum fieri, proprio sub significato vtrumque nomen intelligi. Deinde quis hic esset abusus, certam rem ex incerta docere, quod quotidie experimento deprehendimus, relinquere? Est autem tem duples alba pituita. Vna, quæ insanabilis est, & consequitur ad morituros & mortuos omnes fermè: eiusmodi esse videmus præcipuè tabescentes, & de hac loquitur Hippocrates in libro de Internis affectionibus, dum
Pag.7. dixit: Tertia tabes ab hac, hæc patitur: Medulla ipsius spinalis sanguine plena fit, tabescit autem similiter & à cauis, hæ verò pituita hydropiformi & bile replentur. Patitur autem eadem ab vnis: tandem tabescit, & homo statim niger fit, ac subtumidus, & partes sub oculis pallidæ fiunt. Reliqua signa non subiicio, quia ibi describitur species, non genus albæ pituitæ. Vnum satis est, hanc ab altera quæ non exitialis est admodum, & de qua hîc loquitur, ibidem distingui, quòd hæc non est exquisitè candida: illa de qua hîc loquitur, quæque in ascitem transit, alba pura est. Cum enim corpus tabescit, aut homo ad mortem properat per quemcũque morbum, nutrimentum in ambitu corporis confici non potest, fitque tumidum totum & molle, & praui coloris ob intemperiem febrilem, aut morbi alterius: & candidum ob pituitam, & quod dealbatum est à solidorum membrorum vi, atque ob id homo videtur laborare alba pituita. Sed in acutis morbis est flauus color, in tabe pura, quæ est absque putredine & vlcere pulmonis candidior, non tamen adeò vt in pituita alba vera: de qua propriè agit in
Pag.6. libro de Affectionibus. Dictum est autem su-
Aphor.28. prà, quòd hæc soluitur à largo ventris profluuio: sed si non sic soluatur, necesse est vt vel detrudatur materia illa in ventrem, & fiat ascites: vel non detrudatur, sed quemadmodum alibi docuimus, sensim iecoris vim corrumpendo efficiat eandem ascitem. Per pituitam albam ergo, morbum anasarcam intelligit: & per aquam intercutem, ascitem, vt sermo fit proprius, verus, & medico atque ægro vtilis. Medico scilicet, vera absque erroris periculo prædicenti: ægro, vt possit, dum tempus est, curare seipsum, neque enim vlla species est ascitis facilior curatu, quàm quæ ab alba pituita ducit initium: illa enim absque scirrho iecoris fit. Quanto magis igitur, antequam ad ascitem deuenerit, facile curabitur morbus? Hic igitur fructus est vberrimus huius Aphorismi. Vnde cauere debent senes, & maximè principes, ab his initiis, cum plerique huiusmodi morbo, & ab eodem initio pereant. Nec curam adduco, tum quia nõ est hîc locus: tum quia locum docuimus ex Hippocrate in libro de Affectionibus, vbi eam curare docet. An ergo hæc meliora sint, quàm nugari circa verba, cuilibet iudicandum relinquo, vbi enim Galenus in aciem illam quatuor præcedentium incompositam incidit, totum quod posterius descriptum erat, neglexit. At non id faciendum erat, sed naturæ exemplo negligenda negligere, non negligenda exponere.

APHORISMVS LVI.

AB alui profluuio, difficultas intestinorum.

COMMENTARIVS.

DIxi in præcedenti, quandoquidem si quatuor Aphorismi eandem praxin redolent, duplicem vnicuique sensum, & literæ ratione & experimento tribui posse. Nã vt verum erat, quòd alba pituita per crisim in ascitem transmutari poterat, & rursus alter ex altero morbus generari, priore non recedente: ita & in hoc ipso fieri potest sanè, vt morbus in morbum transmutetur: fieri etiam potest, vt vnus ob alterum accedat, priore non finito. Quod quoties videant medici, non est vt dicam. Hoc autem interest, quòd in priore sensu cum id acciderit, liberationis indicium est: in hoc autem secundo periculum prægrauat. Videtur autem ex contextu præsentis Aphorismi potius ortum morbi ex morbo, quàm transmutationem significare, nam cum difficultas intestinorum superuenit, iam non desinere profluuium alui tum solet, sed manet: igitur consequentiũ se morborum potius quàm transmutationum præcepta hæc erunt. Cum verò commutationes omnes in meliora bonæ sint, accessiones omnes prorsus malæ: necesse est & medias esse, cum manente, sed imminuto principali leuius quiddam accedit, vt tympaniti alba pituita. Videtur autem hoc necessarium in commutatione, vt prius accedat quàm ex toto minuatur. Ergo si æqualiter crescat, aut minus bonum est. Sin autem plus consideranda est ratio, aut enim vitio curationis est, aut quoniam transmutatio non est, sed videtur ob id, quod iam debili priore membro aliquod aliud membrum debilius est. Aliud est: Aphor.13.
autem hoc, quàm quod antea dixerat suprà.

Adeie

A deiectione syncera difficultas intestinorum, malum. Nam hic non dicit, malum: sed manifestum est, quòd dictum dicto respondet. A profluuio enim ventris difficultas oriri intestinorum solet: at à deiectione syncera in profluuio ventris si oriatur difficultas intestinorum, malum est. Vnde frustra Galenus hîc Hippocratem reprehendit. At vteris argumento suo, neque enim quotiescunque aduenit alui profluuium, homo cadit in difficultatem intestinorum: hoc verum est. Sed quod addit Fuchsius. Diuturno & syncero: primum est falsum, diuturna enim profluuia alui non transmutantur in alui difficultatem, seu intestinorum. Reliquum, vt dixi, est Galeni, nec est simplex dictum. Si enim incidat, malum est: non autem incidit quasi necessariò. Vt enim tum diximus, si cum incidit, malum est, non semper incidit.

Videamus ergo quonam pacto profluuia alui difficultatem intestinorum adducant, quandoquidem nec diuturna, imò minus illa, quia ex materia fiunt minus calida, acri, erodente, nec ex syncera materia: tales enim malæ sunt. Et etiam, quòd causæ dysenteriæ sunt plures quàm humor syncerus, vel ipso teste Galeno, nam cum tertio de Symptomatum causis tres species cruentæ dysenteriæ enumerasset, à toto, à iecore ob imbecillitatem, & à liene se exonerante: quartam speciem, in qua dolor adest ex intestinorum abrasione, quam solam propriam dysenteriam sexto de Locis esse affirmat: ibi bilem acrem, in antedicto autem loco vlcus in causa ponit. Vnam etiam speciem esse atram bilem, suprà tum ex Hippocrate tum Galeno vidimus: vt iam sint tres. Sed princeps ponit longè plures: materiam biliosam, sanguineam, acutam, virulentam, saniosam, ac feces ac es. Didicimus & ex venenis fieri: & rursum, venena ipsa etiam in corpore generari. Quapropter multis modis difficultas intestinorum ex alui profluuio etiam generari potest, sed & hoc de ichoribus, quod possint abradere intestina, si ab iecore profluant, Galenus sexta Aphorismorum fatetur. Princeps verò ad longitudinem temporis retulisse visus est, cum sic mentem huius Aphorismi interpretatur: Si profluuium à bile fiat, in 14. dies exulcerat intestina: si à salsa pituita, intra mensem: si à melancholica, intra 40 dies. Igitur cum profluuium ventris adfuerit, plerumque dysenteriæ oriuntur. Sed hic sensus non est Hippocr. tametsi vera dicat Princeps. Est enim ac si dicat. Via ad dysenteriam est ex ventris profluuio, quoniam non est dysenteria absque illo: velut dicimus finem morborum esse mortem, non quòd morbi omnes sint lethales, sed quòd sine morbo nemo moritur. Hoc autem habet plus hic Aphorismus, quod etiam pleraque profluuia ventris in dysenteriam terminantur. Quid lucri ex hoc? sanè vt intelligamus, quale debeamus præcauere periculum. Neque enim alui profluuia per se occidunt, nisi vel pestifera sint, quale illud tertio Epidemiorum: Secessus autem biliosi & pingues & tenues & aquosi, malus quidem ipse morbus ad hoc decubuit, & sine febribus & in febribus cum doloribus tormina, & voluuli maligni, multorumque in corpore erant, & suppressa erant exitus & exeuntia progressa dolores nonsoluentia, & his quæ offerebantur difficulter cedentia, nã purgationes plurimos amplius lædebant. Ex his autem qui sic habebant, multi quidem citò peribant, multi verò longius vitam degebant. Et in summa, omnes & qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis, maximè ex his quæ per aluum secedebant, mortui sunt. Equidem constat multos, etiam sine febre, interiisse. Alij moriuntur cum febre, etiam si pestifera non sit constitutio: demùm cum cõuertitur in intestinorum difficultatem. Primùm igitur periculum erat manifestum, secundum verò præsens, tertium solùm est quod præscire iuuat tanquam ignotum iam, & vt arceamus ne eueniat. Id ergo nutrimento ac medicamentis refrigerantibus tũ humectantibus, tum ne moram trahant excrementa: sed & enematibus & cibis intestina vestientibus, & his quæ moderatè putrefaciunt humores, vt non possint adeò esse acres, quæ obstupefacere dicimus: velut mandragoræ & papaueris cortices, & magis his opium, atque eiusmodi. Tot igitur & tanta voluit Hippocrates, quæ Galenus præteriit hoc ipso tanquam perculsus, quod parum legitima sit hæc Hippocratis libri vltima pars, quod & nos fatemur: sed non tantum obest etiam illius, si sit spuria, integra pagina, quantum emolumenti afferunt quatuor prædicta verba, aut etiam totidem subsequentia.

Cap. 2. Pag. 7.

C. 2. in prin

Pag. 5. 4. Aphor. 24.

Com. 3. 16. 3. Tract. 1. cap. 2.

Pag. 7.

APHORISMVS LVII.

A Difficultate intestinorum, leuitas intestinorum, superuenit.

COMMENTARIVS.

Galenus dicit hunc esse partem Aphorismi illius: Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his longa superueniente intestinorum difficultate, aqua intercus aut leuitas intestinorum superuenit, & moriuntur. Verùm aberrat toto cœlo, quod ex euidentia ipsius rei demonstratur, siquidẽ tam procliue est in omni dysenteria lienteriam superuenire, vt nil frequentius, namque ex dysenteria primùm debilitantur intestina, quorum consensu inde ventriculus, & ex eo lienteria. Alia causa est, quòd natura irritata dolore, & ob metum excutit cibum incoctũ. Cum ergo in omni dysenteria lethali, & in omni graui, necesse sit subsequi lienteriam, tum verò etiam in multis quæ ad salutem terminantur: patet hunc Aphorismum nihil cum illo habere commune, multo minus illius esse partem. 6. Aphor. 43.

Scribitur hic Aphorismus primo de Morbis hac serie: Ad dysenteriam tenesmus transit ex dysenteria in lyenteriam, ex lyenteria in aquam intercutem. Hic si quis animaduertat, ex profluuio ventris loco tenesmi dysenteriam sequi docuit. Sed dices. Libro Pag. 10.

de

de Victu in acutis, commemorantur omnes dysenteriæ fines, & non ponitur lyenteria. Nam ad febres, inquit, continuas aut tertianas, ad abscessum aliquem seu tumorem in testibus, aut varices, aut dolorem coxarum vel crurum, aut sudorem, aut crassas vrinas albas & leues. Respondeo: Loquitur de transmutatione, at lienteria est de superuenientibus. *Pag.10.* Dices rursus: In secundo Prædictionum, cum numeraret signa mala & bona, superuenientia aut assidentia dysenteriæ, lyenteriæ non meminit. Dico: Intelligit in eo quòd dixit, variis alui egestionibus, aut ventris inflammatione, aut quæ cibos intercipiunt. Aut dic, quòd, vt antea docui, lienteria non est signum neque bonum neque malum: sed fermè pathognomicum, cum diuturna fuerit dysenteria.

APHORISMVS LVIII.

A Corruptione, abscessus ossis.

COMMENTARIVS.

SVperuenit, dicit Galenus, & rectè, debet intelligi. Sed admiror subtilitatem, laudat vtrumque sensum, sed non docet vsum. Verùm est, quòd à corruptione ossis id necessarium sit separari: verùm est etiam, quòd à corruptione carnis os quod subest, necessarium sit separari. Primùm quam habeat vtilitatem, nunc dicam: secundum, quare & quomodo. Percussus fuit olim Phratrius quidam ob inuidiam ab alio Phratrio baculo grandi, os corruptum est: & cum soleat intra quadragesimam diem frustum ossis capitis separari, dilata est separatio ad diem septuagesimam, erátque corruptum, & videbatur manifestè: & cum niteretur chirurgus auellere, & non posset, hortabar ego illum vt vi vel terebro separaret. Ille vsu doctus dixit, expetendum potius quòd omnino etiam per se esset discessurum: sed timere, cum nimis hæreret, ne sanies subgenita perderet ægrotantem, nam feram coniectabatur futuram separationem. Consului ergo *Differentia III.* ipsi, vt ceratum Apponensis ei applicaret, quod non solum os separat, sed etiam saniem extrahit. Applicauit itaq; & sanatus est, nam os LXXVIII. die separatum est. Quòd si vi auulsum fuisset, iuxta cõsilium meum: quamuis ego electionem illi proponerem, non iuberem: maximo malo conflictatus fuisset, & forsan mortuus. De ossibus ergo discissuris carne corrupta, inquit Hippocrates: Quæ- *Pag.18.* cunque verò ossa repositionem effugerunt, ea discessura esse noscere oportet: itemque, ea quæ carnibus penitus nudata sunt. Nudatur autem quorundam superna pars, quorundam verò carnes circumcirca mortuales fiunt, vt liceat videre quando corruptio carnis afferat necessitatem discessus ossi, scilicet, cum nudata prorsus carne ob corruptionem ossa fuerint. Sed quod addit paulo pòst, dubitationem affert: Aliqua eo quòd non discedunt, resiccata & marcida effecta desquammantur. Intelligit, quod fieri potest, vt corruptio non fit in toto osse, sed in superficie: & tunc solùm desquammantur, non abscedunt, quod etiam verum est in dentibus, cum enim anno præterito dens dexter superior ex anterioribus nutaret, & non possem aliquid tangere ob dolorem & imbecillitatem, *Pag.8.* applicato auxilio ex lib. de Dentibus, tandem discessit caro, & pars tota dentis detecta, & ita desquammatus est à dextra parte, nec abscessit reliquum. Ita eo anno cuius initium fuit à Calendis Iulij ad hanc vsque diem, omnia expertus sum mala, à quorum parte vt præsenti & febre & phlegmone faciei, & surditate auris dextræ, & morbo nepotis infantuli, ars ipsa me liberauit. Porrò ab insidiis maleficis, vt reor, veneni, & aliis, manifestum, vt ita dicam, Dei miraculum, quod aliàs enarraui: à violentia verò & necis periculo, Mauricius Quadrus, dux militum, gentis Hispanicæ decus, amicúsque meus Antonius Pezonus, vir illustris, cuius memoriam celebrabo, à falsis accusationibus optimi antistites, innocentia mea, senatus etiam. Verùm ob oppressionem & multiplicem illam lerneam hydram coactus sum more Aristotelis & Menedemi, patriam in senio deserere: sed illi iudicium timentes, ego alia, vt potius Lycurgum aut Solonem, aut Demetrium Phalereum, aut Pythagoram, qui omnes inuidiæ metu patriam liquerunt: Solon in Cypro, Pythagoras Metaponti, Lycurgus in Creta, Demetrius apud Ptolemæum. Sic mihi necesse fuit, vt tutius viuerem, postquam neque iudicia neque insidiæ occultæ valuêre, in aliam patriam commigrare. Itaque hoc ipso anno tua insigni clementia, Pie Pontifex maximè, natus denuò sum, ac mihi ipsi tua sapientia restitutus, impleuique numerum præcepto consimilem: cuius indicio sunt tot à me, nunquam ante *62. præceptum Proxenetæ de patria linquenda.* aliàs, vno toto anno vertente à me edita, vel absoluta tam bene: quamuis & ipsius non exiguam partem in ipso itinere consumpserim. Primùm quidem præsentes Commentarios, quorum magnam partem perfeci, totúmque curaui vt rescriberetur. Deinde tres libros qui sequuntur, de Venenis: & consilium illud de prouidentia ex constitutione temporum: nec non Proxenetam libellum de dẽtibus, magnámque Contradicentium medicorum voluminis partem, totque alia, nam & emendaui libros omnes de Vtilitate capienda ex aduersis. Theognoston transcribi curaui. Hæc inquam, vt intelligant docti, si quid forsan aptius exit, id totum atque vniuersum tibi, santissime Pontifex, tuisque deberi: quanquam bono consilio tum illi, tum ciues huius præclaræ vrbis, nostrique cõciues, humanis rebus, & bonarum literarum studiis dum nos euehunt, id egerint.

Cæterùm vt ad rem ipsam redeam, dicet aliquis: Si os corruptum non necesse est totum abscedere, sed solùm desquammari: quî fiet, vt si solùm caro computruerit, abscedere os necesse sit? Respondemus: Ossis corrupti tantam partem abscedere necesse esse, quanta est quod corruptum est: sed si caro circumquaque marcida sit (non dico ex vna parte tantùm: nam tunc desquammari illud solum necesse est, vt in capitis vulneribus

cum

cum producuntur diutius, videmus) totum os corrumpi, quia etiam totum refrigerari, & alimento destitui necesse est. Ob id neque in vulneribus auulsa carne semper desquammatur, nedum corrumpitur, sed solùm si refrigeratur. Quod igitur corrumpitur, & marcescit, & quantum, tantundem abscedere necesse est. Porrò marcescit corrupta carne: quoniam & dum tegitur, & dum detegitur, refrigeratur: sed si circũcirca marcescat caro aut detegatur, etiam iuxta singulas dimensiones, atque ideo profundè etiam os marcescere & abscedere necesse est. Plurimum igitur iuuat, cum alimento non destituitur, os ne corrumpatur, calidum fouere, tum aëre ipso, tum igne, tum lanis: atque etiam medicamentis, maximè potestate calidis, vt terebinthi lachryma, thure, eleni gummi: quæ etiam bene redolent. Atque hucusque extenditur, quod à Galeno expositum est in codicibus consuetis: at is qui subiicitur, etiam Galeni expositionem habet, reliqui tantùm in Aldino exemplari tum Græco tum etiam Latino sine Galeni expositione inueniuntur: quos etiam delectu habito ob id adieci.

APHORISMVS LIX.

IN lethargo tremor, malum.

COMMENTARIVS.

LEthargus, Galeno hìc in Commento teste, abscessus est pituitosus in puppi cerebri: sed si alibi fiat quàm in puppi, non video quomodo sit appellandus. Illum enim videtur sequutus morem qui constiuerunt memoriam in parte cerebri posteriore, ad hoc rei euentus conformarunt: at postquam vident obliuiosos fieri, quacunque cerebri parte fiat pituitosus abscessus, memoriam etiam in toto quidem cerebro, seu ventriculis potius, & verius in anima ipsa, sed certa intemperie constituêre. At de duplici memoria alibi plenè dictum est. Nunc ergo appellasse sufficiat lethargum, morbum ex abscessu pituitoso in cerebro: aliter pro inexpugnabili somni necessitate, dicitur ἀπὸ τῆς λήθης, hoc est ab obliuione: Veternus, aut torpor Latinè, quanquam Celsus neutro horum, sed Græco tantum nomine eum dignetur appellare. *Lib.3.c.20.* Ergo sermones ἀπαράσκευοι, & Hippocratis maiestate indigni fiunt, primùm cum id adiicitur quod per se tale est: vt si quis dicat, Ex lethargo attonitus morbus aut resolutio, malum. Nam attonitus morbus & resolutio cum per se sint insanabilia fermè, non est quod dicamus, malum, si contingant à febre vel à lethargo. Secundum, cum generaliter malum est: omnis enim morbi ad morbum accessio, mala est. Quis enim ignorat, quòd febris fit mala, aut morbus quiuis grauis? Vnde superuenire febrem, aut coli dolores cuiuis morbo, vt ille non soluatur, malum est, malum ergo dicere, caret artificio omni. Tertium est, si sub vno sensu malum sit simpliciter, sub alio solùm vt symptoma, velitque simpliciter id intelligere, velut hoc in casu tremor duo significat, symptoma in acutis: & morbum diuturnum, ac penè insanabilem, præsertim in senibus. Si ergo quis intelligat de morbo, omnino erit extra propositum, cum debeat intelligi de symptomate. Quartum est, cum est penè consequens affectui, velut phrenitidi, nam tremor in illa licet malum sit, non tamen ponitur pro malo signo, cum sit fermè pathognomicum. Quintum est, cum falsa est oratio: vt si quis dicat, tremorem esse malum in febribus, nam hoc non est verum, quinimò aduenit tertianis & quartanis: & melius est pati intermittentem cum tremore, quàm continuam absque tremore. Sextum est, cum conditio addita minor est quàm pro re, vt malum pro lethali: cuius solùm Hippocrates quãdoque est negligens. In hoc ergo casu, vt fugiamus ἀπαράσκευον, necesse vt intelligamus de tremore, qui est symptoma morbi acuti: est enim acutus morbus, lethargus, vt Celsus ibi docet, & Hippocrates libro de Victu in acutis, licet in codice Basileæ excuso Cornarius perperàm prætererit. *Pag.1.*

Rationes igitur duas Galenus huius dicti affert. Prima, si ex lethargo molles fiant nerui, sed non adeò vt resoluantur: tunc ob imbecillitatem neruorum ipsorum mollium, cum membrum non possit liberè attolli, sequitur tremor. Hæc causa speciosa est, sed non vera, neque enim membra à neruis attolluntur, sed musculis: ideoque mollicies illa neruorum non impedit per se motum membri, sed ob id quòd spiritus liberè non possunt per illos transire: deinde, quòd affectum mala intemperie humida, musculis vim mouendi absolutam tribuere non possunt. Secunda est, quòd materia illa in flatum conuersa, membranas ac neruorum principia concutiat, vnde tremor exoriatur. At hæc causa parum certa est ad perniciem: & etiam non satis constans, vt melius sit primæ inhærere. Liquet autem quòd hoc signum malum est, quia conuulsionis periculum portendit.

APHORISMVS LX.

QVibus in febribus quartanis sanguis ex naribus fluxerit, malum est.

COMMENTARIVS.

QVartanæ sanguinis è naribus eruptiones ægrè iudicant: dicebat ipsemet sexto Epidemiorum, vbi Galeni expositio desideratur, cum eundem locum in secundo declarasset. *Sec.2.* Verùm vt doceamus quod ad præsens attinet: Quæcunque vtiliter fiunt à natura, vel signi boni vel causæ rationem habent: causæ quidem, vel quoniam materia, quæ quartanam efficit, euacuatur: aut quoniam intemperies contraria corpori accedit, signi verò, quòd naturam rectè operantem indicet. Nullum autem ex his tribus euenit

ex

ex hac actione, namque sanguine è naribus fluente, corpus exsiccatur & refrigeratur, at horum vtrumque minus necessarium laboranti quartana, quæ per se corpus refrigerat & exsiccat. Sed neque materia illius hoc modo euacuari commodè potest, nam quartanarum crises non hoc modo fieri solent: neque humor qui quartanas efficit, facilè potest per eum locum euacuari, cum sit crassus & frigidus: huiusmodi autem nec ascendit facilè, nec in eas venas detruditur.

Quocirca dubitandum esset, quonam pacto febres intermittentes, cum materia earum sit extra venas, per fluxum sanguinis narium iudicari possint? Et si iudicantur, quid prosunt iudicationes, quæ fiunt singulis accessionibus? Sin autem solum tenue per accessiones extruditur, vbinam interim vsque ad statum tanta materia tutò seruatur? Si autem expellitur in singulis accessionibus quidquid etiam corrumpitur, in quo differt vniuersale iudicium à iudiciis singularum accessionum? Deinde quid expellitur in iudiciis, si materia quæ antecedit, quomodo in accessionis fine? sin autem quæ iam corrupta est, quomodo ex venis, cum iam sit foras detrusa? Atque vtinam Galenus, qui tanta de Crisibus vsque ad satietatem scripsit, aliquid etiam de his dixisset, nisi forsan ætate sua nullæ erant febres intermittentes. Certè nostra nihil frequentius, præsertim melioribus annis, nec pestilentibus. Diximus autem nos in Arte medendi parua, tum nunc satis sit monuisse, crises fieri rarissimè in quartanis per sanguinis narium fluxum: & si fiant, ægrè decernere, nec sanari, quoniam materia quæ excernitur, licet in venis sit (nam quæ extra est, per accessiones expellitur (antecedens ad materiam, quæ putrescit, in accessione frigida est, sicca, crassa, quæ non potest ascendere ad caput: & si ascendat, non potest bene separari, vnde sanguis tenuior fluit, materia ipsa morbi relinquitur: quocirca potius finitur per putredinem ipsã in accessionibus, aut transmutatur in abscessibus. Vnde rarò fiunt crises non solum in quartanis, sed etiam omnibus febribus intermittentibus. Quod cum Galenus nesciret, nec ausus est scribere de his: & necesse fuit vt valde imperfectam, quam tantum iactabat doctrinã, de crisibus relinqueret. Id autem contigit, quoniam intactam hanc tractationem ab antiquis inuenit: ipse verò iudicio quidem multum, tum ratione valuit, inuẽtione prorsus caruit. Non enim cuncta vni concessa sunt.

APHORISMVS LXI.

SVdores in diebus iudicatoriis oborientes, vehemẽtes & veloces, periculosi sunt: qui expelluntur ex fronte velut guttæ, & aquæ salientes, & frigidi valde, ac multi. Necesse est enim talem sudorem prodire cum violentia, & doloris excessu, ac expressione diuturna,

COMMENTARIVS.

VNa coniunctione (Et) addita per incuriam interpres corruperat totum sẽsum, qui clarissimus est. Iacet enim litera: γινόμενοι σφοδροὶ ϗ ταχέες ὐθικίνδυνοι. legerat ϗ ὐθικίνδυνοι. vt totum illud, sudores in diebus iudicatoriis oborientes vehementes, & veloces, à parte subiecti sit, inde dicit, tales sudores esse periculosos. Quòd verò dicit. Qui expelluntur, & vsque ad id (ac multi) dupliciter legi potest, vel coniunctim, vt expositio præcedẽtium, vt sit sensus: Qui sudores in diebus iudicatoriis oboriẽtes, veloces ac vehemẽtes expelluntur ex fronte, velut guttæ & aquæ salientes, & sũt frigidi valde, ac multi. Alius sensus Hippocrate dignior, vt tanquam tres partes habeat, quæ omnes referantur ad id Periculosi, hoc modo: Sudores in diebus iudicatoriis vehementes & veloces, vel si expellantur à fronte, velut guttæ & aquæ salientes: vel si frigidi valde sint, & multi, sunt periculosi. Hoc enim totum cum verum sit, & generale magis, dignum est Hippocrate, & etiam verius ac clarius, ideò sub hoc sensu est intelligendus. Quòd autem verior sit hic sensus priore, patet, nam qui fieri potest, vt sudores multi profluant à fronte, præsertim cum iam in prioribus verbis dixerit: Quæ velut guttæ & aquæ salientes.

Ergo sudores, tum reliquæ euacuationes, sed maximè hi, cum superflui sunt, & ab immoderatis exercitiis boni etiam aliquid educunt, vt tertio de Symptomatum causis. Variantur enim excrementa, præcipuè sudo- *Cap.2.in fine* res, ratione multitudinis, qualitatis, temporis atque hæc communia, tum locum eorum, considerare præterea oportet morbum, in *Pag.2.* quo accidunt. Dicebat Hippocrates in Prognosticis: Pessimi sudores sunt frigidi, & tãtum circa caput, faciem et ceruicem orientes. Hi enim cum acuta quidẽ febre, mortem prædicunt: cum mitiore autem, longitudinem morbi: Et qui per totum corpus fiunt, similiter significant his qui circa caput. At verò milij formes, & solum circa collum exeuntes, mali sunt: qui verò cum guttis fiũt, & euaporant, boni sunt. Considerare porrò conuenit sudores in summa, fiunt enim aliqui propter corporis exolutionẽ, aliqui propter inflammationis vigorem. Verùm si hæc series constaret, haud dubiè haberemus declarationem præsentium: at Galenus & alij viri eruditi, qui locum illum exposuerunt, noc putant ab illis verbis, Et qui per totum corpus, vsque in finem, esse legitima: & ego ita censeo, quandoquidem nec integrum retinent sensum, sed pugnant. Milijformem enim sudorem difficile est distinguere ab eo qui cum guttis prodit. Sed & quæ ad vltimã partem pertinent, suo loco exponentur, vt melius sit ad propria accedere. Intelligamus ergo frigidos, & qui solum circa ceruicem prodeunt, & qui nondum cocta materia, omnes malos esse. Qui circa caput solum prodeunt, dicebat Galenus, locum illum exponens, syncopem futuram minantur: sed si frigidi sint, iam præsentem atque inchoantem, non tamen reddit rationem, vbi maximè locus reddendi erat eam. Et quanquam & nos alibi

alibi clarius loqui potuissemus, explicando Aphorismum illum: Frigidi sudores cum acuta quidem febre, & reliqua, liquet, Galenum non intellexisse causam frigidi sudoris, 4. Partic. 37. nam putat esse cutis frigiditatem, vt licet à calore colliquetur sudor, quia tamen per cutim transit frigidam, idcirco frigidum esse. Quòd si ita esset frigidus sudor solum prodiret cum frigida cute: & etiam non semper frigida cute fieret frigidus sudor, cum à feruenti calore extruderetur. Quid ergo dicendum? Sudorem fieri colliquato humido à calore, vt in ardentibus febribus, cum omnia calida sunt, & tunc proculdubio calidus est: Nonnunquam fit ex doloribus, & ex vehementibus semper, atque is palàm frigidus. Cur ergo? Quia spiritus naturalis resoluitur, & ab aëre frigido cogitur: non igitur mirum si sit frigidus, quandoquidem à frigore coactus sit. Ergo in doloribus talis esse debet, in febre acuta præsertim: si fiat, nihil ex materia febris colliquari, sed spiritum vitalem extingui docet. Vtraque igitur ratione lethalis est huiusmodi sudor, & lethale signum. Ob hoc syncopes huiusmodi sudores antecedunt, & magis necessariò, vt visum est, consequuntur. Apparet igitur Galenum, quem adeò quidam admirantur, nihil horum intellexisse. In pestilentibus ergo febribus, & quæ ex maligno abscessu viscerum contingunt, tales solent subsequi sudores. Cum ergo sudores in ceruice facieque oboriuntur, maximè accidit in frigidis, quòd hæ partes plurimo abundent spiritu, & rarior ibi sit cutis: pessimi igitur hi sunt. Calidorum autem alia Probl. 10. est ratio, neque enim à spiritu moderatè calido, coacto ab aëris frigiditate, sudor calidus manare potest. Hi ergo sudores fiunt, quoniam eò plures feruntur vapores? & quoniam rarior est ibi cutis: non quia concocta sit materia, ob id imbecillitatem naturæ significant: ob idque non boni, licet nō mali, quoniam exolutionem non significant. Non me Probl. 35. latet, Aristotelem eadem particula assignare aliam causam, quæ philosopho digna certè est, & longè melior quàm Galeni. Inquit igitur Philosophus: Vbi multa est materia, multum secernitur à calore, & ob id incalescere non potest, quapropter mortem in acuto morbo, in alio longitudinem morbi significat. Vbi autem pauca materia, supple & minus cruda, quod secernitur, incalescere necesse est, prodireque calidū sudorem. Cū igitur sudorē frigidū sequitur viriū exolutio, fit ob spirituū resolutionē: si maneāt vires integræ, dicendū est abūdare materiā peccantē. Galeni igitur ratio omnino absurda est. Simile est Co. 2. in fine. illud in tertio de Symptomatū causis: Sudoris retentio & expulsio fit ex imbecillitate virium in carne. Nam qua probare nititur, similitudo perabsurda est. Vesica enim retinet per musculū, vētriculus per villos, vtrūque per eosdem expellit, non sic caro vapo- 2. de Symptō. causis cap. 5. ante med. res: Illud non ineptè, rigorem esse causam sudoris, tum exprimendo, si fiat cum frigore: aut saltem agitando, si sine eo. Sed vt ad rē redeā. Philiscus tertio in primum Epidemiorum, sudauit perpetuò, atque toto morbo su- Tex. & Com. 18. dore frigido: atque ideo ab initio ob materiæ redundantiam, in fine ob vtramque causam, scilicet redundantiam materiæ peccantis & naturalis vtilis resolutionem. Quinimò addit Hippocrates in textu, frigidum fuisse: quasi nos vellet intelligere, potuisse esse calidū cū sudore frigido. Quocirca quis non videt absurditatem rursus Galeni, quarta Aphorismorum, exponentis illud Hippocratis? Sudor Com. 41. multus, calidus aut frigidus superfluens: exponit. Calidus significat materiam calidam, frigidus frigidam, & ob id maiorem morbū. Quis hoc recipiat, quod maximè dubiū est? At expone vt Aristoteles: calidus paucam & tenuiorem, frigidus multā & magis crudam: tūc liquet, cur frigidus magis significet morbum. Est enim propositio per se. Maior materia facit maiorem morbum, si sit eiusdem generis: quanto magis, si deterioris? Aliàs verò ex primo de Morbis Hippocratis sententiam de hoc explicauimus. Quod verò Pag. 11. dixit. Vehemētes & veloces: id indicat, quòd copia multa sudoris mala sit, quoniam exo- Com. 23. luit vires, secundo Prorrheticorum: quanto magis si vehemens & velox fuerit? nam mutatio quanto magis subita, eo magis, etiam prosternit vires: tum maximè, quia indicat caloris præternaturalis vehementiam. Quòd autem adiecerit. In diebus iudicatoriis: duo voluit nos intelligere. Primum, quod nō obstat dies iudicatoria, quin malus sit sudor. Secundum, quia in aliis diebus posset esse ex causa aliena à morbo: & tunc non significaret malum vllum, licet esset malus per viam causæ. Vnde regula colligitur generalis: Quæ non fiunt vi morbi, possunt esse mala, sed non possunt esse signum malum. Præcipuè autem malum erit signum in febribus, quæ sudore non solent solui, nam biliosæ maximè sudore soluuntur, septima Aphorismo- Com. 42. & est 40. nostr rū: in pituitosa ergo & melācholica deterius etiam erit hoc signum, ostendetque prorsus solui substantiam caloris naturalis. Vbi etiā animaduertendum est, quòd ibi dicitur à Galeno: quòdque verum est, scilicet sudores à capite exoriri, licet cum non vlterius procedunt, malum, vt dixi, sint signum.

Est etiam illud consideratione dignum, cur aliqui ante mortem, vel per horam sudēt sudore calido, & vehementer quod ego animaduerti. Nam si non sunt nisi duo illi modi sudoris, vnus calidi & morbi materia, alter frigidi, & est à morbi materia inuicta, aut resolutione humidi naturalis: vnde erit ille lethalis feruens, qui similis est guttis aquæ? Respondeo, illum esse à calore igneo ipsius morbi, colliquante vitalem humorem statim. à frigidi actione, quoniam in isto humidum naturale difflatur à qualitate praua, adhuc sepulto calore in materia: in calido accensus ignis velut in candela, cuius ellychnium ardet, dissoluit quicquid est humidi boni ac mali, exhalatque tum verò cogitur ab ambientis frigore. Quòd si post abundantem & calidum paucus aut frigidus manet, nec tamen causa sudoris minuatur, tunc hoc in ægro deterrimum est: quandoquidem refrigerari, exiccari, exhauririque corpus & calorem natiuum ostendat, vt secundo de Sanitate tuenda docet Galenus: atque id planè lethiferum Cap. 12. est. Animaduertendum est, sudorem à sudore distingui, substantia, colore, sapore, odore, qualitate,

qualitate, aut quantitate, sed de his dictum est. Sapore autem, alius acidus, alius salsus, alius amarus: sicut etiam colore, pallidus, flauus, ac medius: odore, lutosus, viruletus: Hæc Galenus quarto de Tuenda sanitate parum methodicè, qui aliis nil aliud quàm methodum illam suam inculcat, sed verè tamen. De substantiæ autem ratione constat, lentos esse quosdam, qui solent prodire vel ob materiã crassam, vel ob resolutionem virium, qualibus prædixit tertiodecimo Methodi Galenus Theogenem moriturum: quos & Hippocrates agnouisse visus est.

Cap. 4.

Cap. 18.

APHORISMVS LXII.

EX morbo diuturno etiam alui defluxus, malum.

COMMENTARIVS.

CVm dixit etiam alui defluxus malum, intelligit duo. Primum, ne morbus diuturnus per defluxum alui: tunc enim esset malum. Secundum, quòd superueniens alui defluxus malum præcipuum affert. Signum enim est vires labefactatas, cum tum magis opus esset implere corpus, non posse retinere idcoque morbum factum sæuiorem. Deinde, cum corpus languidum ex morbo nunc bifariam debilitetur, malum id esse valde. Verbum autem χρονίῳ & natura longos morbos, & casu significare potest: at natura longos morbos magis nominat verbo μακρά, vt in primo de Morbis. De longis igitur casu potius hic intelligit. Desumptum autem est exemplo illius Aphorismi antea expositi: A puris sputo, phthisis & fluxus Est autem fluxus subsequens morbos plures, vt profluuiũ alui fluxum, vt superius in contextu Cornarij. Dicitur profluuium, concitatus fluxus, quoties impetu maximo, & sine quiete, natura emittit, seu per aluum, seu per alia loca.

Pag. 2.

16.

78.

APHORISMVS LXIII.

SVdor multus, calidus, vel frigidus semper fluens, humorem abduci, robusto quidem suprà, debili verò infrà, significat.

COMMENTARIVS.

HVnc Aphorismum etiam exposuit Galenus vltima parte. Nam tria cum proponat Hippocrates, primum autem superius in Quarta particula fit declaratum: secundum est, multitudinem sudoris indicare repletionem euacuandam: quod antea docuerat. Est autem dubitatione dignum, cum natura non secundum rationem, sed vi coacta morbi extrudat sudorem, an ad alias partes reuocandus sit humor? Et si febris non adest, facere præstat, quoniam humores crassi facilius per aluum expurganturquàm per sudorem, tenuis enim solùm humor per sudorem excernitur libro de Atra bile. Et sudor ipse exoluit vires, facitque syncopim, primo ad Glauconẽ etiam in robustioribus corporibus. At si febris adest, facere vetamur ex prima Aphorismorum: Concocta medicari. Tum forsan si mitior sit febris, paulatim poterit materia morbi educi. Tertium, quod proponit, est, vt robusti per superiora, imbecilles per inferiora expurgentur, quod Galenus ex iudicationibus scriptis in Quarto libro sumendas indicationes iubeat. Verùm illud constans est. Purgationem per superiora magis robustas vires exposcere: per inferiora, coctiones. Equidem omnium purgationum mitissima est, quæ fit per aluum, cæteris paribus: cum tot non solùm diebus, sed & mensibus & annis quotidie ferre homines videamus, non ita reliquas (sola enim est secundum naturã) aut maximè, propter excretionem etiam vrinarum.

Aphor. 61.

42.

41

Cap. 4.

Cap. 14.

Tex. 22.

A 4. ad 20. fermè.

APHORISMVS LXIV.

QVæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia existimare oportet.

COMMENTARIVS.

MErito hic Aphorismus hos omnes claudere debuit, vt primus etiam primæ particulæ omnibus aliis anteponi. Nam cum sint tria medici instrumenta, ratio victus, medicamentum, & manus operatio, libro de Decenti ornatu: quæ ergo non sanantur victus ratione, medicamento indigent: quæ non sanantur medicamento, ferro. Manifestum est, quòd per ferrum non intelligit cucurbitulas, aut venæ sectionem: quãquam enim hæc manu administrentur, tamen non dicuntur ferro fieri. Sed ferrum dicimus, cum quod corruptum est, aufertur: aqua intercus, pus empyematis, lapis in vesica, strumæ, lapis in rene, nebula in oculo depressa varix, gibbus, luxatio, fractura, hernia, carcinoma. Et est medicatio omnis propria, velut etiã in abscessibus. Sectio enim venæ & cucurbitula, communia sunt auxilia, & generaliter iuuant totum corpus. Hæc igitur non comprehenduntur sub nomine ferri, nam hoc posterius esse debet medicamentis, cum sectio venæ sit prior: sexto Epidemiorum. Ratio verò generalis est etiam, quoniam ferro dicitur curari, quod præscinditur: at hoc est extremum, cum sit periculosissimum, aut maximam afferat iacturam, aut vtrumque: igitur: hoc posterius esse debet medicamentis omnibus. Tacuit comparationem rationis victus ad medicamenta, namper sæpè se cõcomitantur hæc auxilia, nonnunquàm etiam vtimur medicamentis aut sectione venæ absque diætetica. Porrò de ferri curatione multa sũt præcepta in libro de Fracturis, de Articulis atque capitis vulneribus, tum aliis in

Pag. 3.

Sec. 1. Co. 6.

in libris, sed præcipuè in his. Et per ferrum etiam æs intelligere debemus. Nam & incisio quæ fit cum ære, præstantior est in quibusdam casibus, & quibusdam rationibus quam quæ fit cum ferro. Vtimur autem igne, quando non solùm oportet auferre quod peccat, sed circumiacentes partes emendare ac temperare aut ob timorem effluxionis sanguinis. Per ignem enim intelligit corruptionem, quæ fit ab illo, nam quandoque vtimur igne ad remouendum intemperiem absque incisione, vt in libro de Internis affectionibus, de iecore & liene. Pag. 15.

At de hoc non intelligit, sed velut in carcinomatibus. Intelligitur autē trifariam ignis, candenti ferro: & hic est melior quàm æris, aut auri igniti, & cum oleo, vel ligno, vel fungis: sed cum oleo post præcisionem mēbri, dicit Princeps, optimum est ad generationem carnis, & detrimenta incisionis remouenda. 4.1. cap. 17. Tertiò, cum potestate exurit aqua separationis optima est, oleum chalcanthi, capitellum vocatum. Dicitur autem vltimum ignis, quia est maximè inimicus neruis, vt ait Hippocrates. Lib. de Artis Pag. 6.

COMMENTARIORVM H. CARDANI in Hippocratis Aphorismos. FINIS.



HIERONYMI



HYERONIMI CARDANI IN PROGNOSTICORVM HIPPOCRATIS LIBRVM, LIBRI QVATVOR,

ILLVSTRI CIVITATIS LIBERTATISQVE parenti totique Senatui Bononiensi. S. P. D.



PERÆ Pretium mihi facturus videtur, Patres conscripti, quisque, si suæ vitæ laboris, munerisque præsertim publici rationem aliquam summo magistratui Primoribusque Reip. reddat, tum præcipuè cum ab illis & honorificè acceptus, & beneficiis affectus fuerit. Sic enim & otij turpis calumniam euitabit, & alios sui similes exemplo ad idem præstandum accendet & gratiam his qui de se bene meriti sunt, reddet: quorum vtrumque cum ego memor sim, quàm cumulatè mihi præstiteritis, non tam à me id expectare, quàm exigere humanitate vestra videmini. Hæc igitur mihi in animo versanti occurrit liber Prognosticorum Hippocratis, illius inquam Hippocratis, quem mortalium genus vniuersum pro Deo colit. Diuinum dico illud opus, quo mortalem conditionem superauit. Nam si futura prænoscere in humanis res semper diuina habita est: in prædicendo autem nihil tam pulchrum atque admirabile, quàm si diuinationem sequatur euentus, meritò hoc opus inter omnia quæ præclara humani vis ingenij fert, est præstantissimum atque pulcherrimum. Fuerunt & huius libri nonnulli explanatores, inter quos Galenus ipse vt in reliquis etiam partibus eminet & si res ipsa pateretur nihil iam reliqui desideramus, sed vt ferunt conditiones diuinarum quarumcunque artium, & vita hominum breuis, quæ sensim illas adauget, paulatim ad tanti viri mentem assequendam, imò ad artis apicem peruentum est: vestra hæc est laus, vestra hæc gloria, denique etiam præmium, si quid vtile mortalibus, vestris non solum auspiciis (nam hoc parum esse volo quodcunque meum est) sed beneficio vestro in lucem prodierit. Quippe eam amplexatus sum artem quam apud Arabes, Persas, & Indos soli reges tractabant, eamque artis partem quæ cum diis ipsis communis sit, vt nihil propius ad illius maiestatem possit accedere. Tanta fuit cura, vt dignum aliquid vestris in Rempub. meritis ederem, vt genio quodam bono magis hac in parte fœlix videri possim, quam sapiens, nam rem quam vires meæ recusent, quam sustinere aut perficere non queam, aggressum me intelligo: nihilominus tanta me vobis placendi incessit cupido, & vestra sub autoritate cunctos iuuandi mortales, vt leuis non solum labor visus sit, & dulces vigiliæ, sed quod maius est, aliquid profecisse videar. Sit qualecunque iudicium aliorum de nostris lucubrationibus nos solabitur honestum desiderium, magnitudo ipsa rei, & voluptas quam vberrimam capimus in referenda gratia, si tot viri sapientia illustres hoc onus, vt graue recusarunt, quæ gloria mihi illud subeunti relinquitur? Si ob incuriam prætererunt, digna erit laude diligentia mea? si satis esse

putarunt, quæ in hoc argumento ab aliis scripta sunt: certè vituperationem non mereor, quod in pulcherrima palæstra cum optimis quibuscunque ac sapientissimis viris tam illustri proposito fine, qualis est salus hominum, aut diuinitatis cuiusdam imago decertare proposuerim. Cum verò in singulis tum artibus, tum disciplinis turpis sit error atque damnosus, tum maximè in Medicina, vbi erroris alieni culpa morte luitur. Neque enim solum hic liber prædicere de futuris euentibus docet, sed salutis humanæ maxima portio in illo reposita est. Quis enim rationem vitæ instituere, aut venam secare, aut tempestiuè medicamento vti poterit, qui non exactam futuri atque omnium eorum quæ in hoc libro continentur, notitiam habuerit? sic illæ præclaræ prædictiones Hippocratis & Galeni post tot secula illustres adhuc habentur, sic Medicina in excelso rerum humanarum fastigio non solum supra Philosophos & iurisconsultos, sed etiam supra militarem disciplinam, cunctásque humanas artes, vtpote diuinitus nobis concessa, eminet: inde orta est iure meritò opinio de illius origine, quod à diis promanauerit, veluti iurisprudentia à regibus. Etenim quodnam maius argumentum diuinitatis esse potest, quam omnibus prodesse nemini nocere, maximo beneficio mortales afficere, futura præuidere? quæ omnia cum Medicina ipsa præstet, non est, cur quisquam mortalium cum medico de dignitate contendere audeat. Dico dignitatem, quæ à vera veritate proficiscitur, non illam, quæ ementitis personis ac titulis sub medici nomine ac habitu, latronum vitam carnificisque facta exercet. Et sub eruditi speciem profundam ignorantiam, sub mansueta verborum & calamistrata imagine lupinos mores retinet. Non enim quicquam tam sanctum est, cuius vicem non subeat consuta dolis humanæ, imo potius ferinæ improbitatis vitiositas, & atra mens dolis, auaritia, ambitione, calumniaque, corrupta. Quàm doleo me adeò imparem esse cogitatione improbitati hominum nunc, longè vero verbis inferiorem his, quæ mente ipsa concepi, atque mecum reuoluo. Dij boni, quantum prauitatis in hoc humano genere inultum sinitis? sed non est inultum, quicquid adeò improbum est, vt seipsum damnet, omitto nunc diuinæ iustitiæ terribilem expectationem: ipsum atrocium vitiorum semper in deterius ruentium casum haud dubium, ne quisque in sua colluuie, suisque sordibus & amentia infœliciter pereat, illud nemo negare potest, cum qui sic contaminatus est, etiam si omnibus delitiis ac fortunæ bonis affluat, cum videt aliquem qui verè artis peritus sit, qui diuinum quippiam spiret, qui super humanam mediocritatem iam euectus sit, posse quidem dissimulare dolorem, simulare lætitiam, at fieri non posse quin grauiter animo torqueatur, angatur, excrutietur: At contra quam pulchrum est (vt ille dicebat) digito monstrari, & dicier, hic est, integram vitam agere, sibi conscium rectæ mentis & fidei, posse prodesse suis, securum euentuum, certum de dogmate quod profitetur, denique coniunctum cum diis, non solum innocentia vitæ, sed & beneuolentia in cunctos & diuinitate sapientiæ. Quid ergo esse potest in humanis tam magnificum, vt vestro huic beneficio immortali (si quid præstitero vobis dignum) comparari possit? sunt inquam huius almæ vrbis totalia ornamenta atque decora, vt quæ non vnam ciuitatem, sed plures exornare possent. Antiquitas summa vt quæ Tyrrhenorum, inde latinorum Colonia fuerit, postea Triumuirorum tempore, annis ab hinc plus mille sexcentis Mutinensi prælio Pansa Consul vulneratus pro libertate Reip. obiit sita in Italiæ ipsius medio, ac corde, vt ita dicam, ipsa vrbs ædificiorum magnificentia adeò splendet, vt multitudo tollat admirationem. Iam vero mons, amnis præclara, atque augusta diuorum fana, insigne gymnasium & in medio foro elegantissimus fons, hanc inter cæteras ita conspicuam reddunt, vt paucæ vrbes pulchritudine cum ea conferri possint. Adest præterea libertatis honos, religionis cultus, tutela Pont. Maximi splendor ciuium, frequentia populi, ornatus, mores, & leges redolentes antiquam sæculi maiestatem, sorte tot magistratus ducendi consuetudo, ludi, certamina, vbertas ipsa soli, omnium linguis ac vocibus celebrata, viri denique armis, literis, sanctitate clari, Pontificésque maximi duo, Honorius Luciusque Secundi. Antiquitas ipsa Academiæ à Iuniore Theodosio Imperatore inchoatæ, iam annis mille centum triginta quinque, vt nulla sit vetustior. Sed nullum adeo perpetuum penéque diuinum munus, quam tot aluisse viros celebres vestris pecuniis, & grandi liberalitate sustentasse, priuilegiis exornasse, adhortarionibus incitasse, præsertim medicos, quorum vna est salus humani generis, vnũ commune consortium cum diis, vnicum beneficium afflictis hominibus, diuinæque nostræ naturæ exemplum, dum futura præuident, vt intelligant, omnes mortales fastigium in hac sola arte residere. Inde factum est, vt tam

tam constanti proposito elogium illud insigne, quod etiam pecuniæ publicæ vestræ inscriptum est totoque in orbe vagatur, vobis pro meueritis, Bononia docet. *Ergo vt rursus ad argumentum libri redeam, vnde amor vrbis, admiratioque ordinis vestri me distraxerant. Tractamus argumentum cognitione pulchrum, exercitatione vtile, experimento admirabile, in quod quicquid boni ac reconditi ille sapientissimus senex potuit, verisimile est contulisse, vt ex re mortali immortalem doctrinam nobis relinqueret. Tractamus argumentum quod quicquid habet præcipuum aut singulare Medicina disciplinarum omnium absque controuersia nobilissima totum continet. Sola enim Medicina constantem facit prædictionem, modumque docet, tempus ac eorum omnium certas & euidentes causas affert, atque ostendit. Quam partem adeò ante nos conspurcatam atque fœdatam accepimus, vt iam non arti fidem & existimationem Hippocratis auctoritas reddere posset. Sed contra potius ipsa disciplina adeò lacerata & fallax reddita vituperaret authorem. Vnde coacti sumus aliquando eos deserere qui quanquam magni essent nominis; plus tamen impedimenti quam auxilij, artem tradendam afferebant. Ergo vt aurum permixtione fœda terreæ fecis, tum multorum metallorum expurgare nemo potest citra magnos labores, & multum ignem, ita mihi non licuit hos commentarios nisi magnis vigiliis, & longa edoctum experientia, & veritatis incomparabili amore puros edere. Vt simul & prædicendi artem, & curandi addiscerent studiosi. At pudet homines præsertim iam prouecta ætate discere, nonne turpius est atque damnosius nescire? nos vero neque ætas vlla ingrauescens, neque timor calumniæ, nec verecundia vlla deterruit, vt non mallemus discendo scire, quàm negligendo aut contradicendo in tenebris ignorantiæ versari. Et dum non pudet nos in mortalium commodum quicquam omittere, factum est, vt diuinitus adiuti tam quiescendo quam laborando artem ipsam exornaremus. Sed si modo ea fœlicitate natus est Galenus, vt omnes illum sequuti sint, nemo tamen quæ deerant restituit, aut quæ mutanda erant mutauit, sed potius ab illo bene dicta multi corruperunt, & perperam interpretati sunt. Vt iam cum multis pro vno nunc sit decertandum: nec tamen recuso laborem in quo & res & ars & sententiæ illius illustrentur. Et quanquam nonnulli quod desperent, interturbare alios malint, quam discere artem, videreque tam clara illius miracula, non tamen ideo negligere eam oportet, quod rudes diffidant: alioquin omnes disciplinas negligere oporteret, quod in qualibet earum plures imperiti sint, quam periti, cum nos his tantum scribamus, qui fœlices esse cupiunt & gloriosi, beatique, quod si aliæ honestæ disciplinæ, quanquam non vt hæc beatum reddere possint hominem, cur quenquam debet huius tædere studij, in quo omnia bona continentur: contendant aliqui non esse necessariam, existimarunt alij nos non ex arte diuinare. Velut etiam olim de Galeno, & Hippocrate, atque ea causa coactus sum hæc commentaria postmodum in publicum edere, ne quod Deo, quodque genio meo in radice debetur, id falso aliis causis in fructu tribuatur, discent itaque studiosi, posse hæc sciri, atque fuisse homines, esséque hac ætate, qui ista norint, natura duce, non dæmone, aut magicis artibus: hæc inquam, non nunc primum prodita, sed ab Hippocrate tradita, à Galeno amplificata, qui etsi nimio gloriæ propriæ amore sæpius, & seipsum, & nos fefellit, tam magni tamen nominis virum, ac iam tot sæculis fato functum insectari, haud propositum est, ne cum manibus, ac laruis luctari velle videamur, quin potius, quæ ab illo adiecta fuerunt, seu pauca, seu multa, amplecti, atque illustrare propositum est, cum præsertim in tanta inopia bonorum authorum, & tot cum rabulis. Neque vlli desperandum est, ne possit hanc artem consequi, quæ longè facilior est ipsa dissectione, & longè breuior doctrina cognoscendi plantas: in quibus tamen adeo multi hoc seculo profecerunt, & ad admirationem vsque, seu breuitatem temporis, seu eruditorum multitudinem, seu perfectionem inspicias. Et tamen hæc ipsa, quam nunc edituri sumus illis, vt dixi, multo facilior, & breuior est: tum vero fructus, qui ex ea colligitur, vberior, atque diuinior, persuasit etiam, atque animos addidit ipse rei euentus, cum & nostros libros in manibus multorum videam, & rei inchoatæ fructum vberem sentiam, cum multi institutum, & curandi, & prædicendi in nobilissimis vrbibus, vel his solum initiis immutarint, vt ostendant, quæ editurus sum absoluta, quàm placitura sint. Itaque iam prodeat hic liber vestris auspiciis, eoque arrhabone, vt medici, relictis nugis, & contentionibus inutilibus, &*

verbulis inefficacibus, insectationeque eorum, qui laboribus suis humanum genus iuuerunt, seu Graci, seu Arabes, seu Latini, aut recentiores fuerint, ad tam vtilem languentibus exercitationem, ad tam sublimem experientiam studia sua traducant. Quod si, vt spero, eueniat, vt vniuerso in orbe tantum incrementi huic arti ex Bononiensis Senatus beneficio prodierit, quanta laus vestra humanitatis vbique futura est, quod, vt fœliciter succedat, Deum Opt. Maximumque oro, atque rogo. VII. Idus Decembris. M. D. LXVI. Bononiæ.



PROOEMIVM.

AVSPICATVRVS librum Prognosticorum Hippocratis, operepretium quoque facturus videor, si aliquid de vtilitate, tum eius partis medicinæ, tum ipsius libri dixero, omisso præconio, tum totius diuinationis, quæ nimis longè latéque patet, tum ipsius Authoris, de quo alias copiosè satis, etiamsi non pro rei magnitudine, disseruimus. Namque quod laurum vocet Dionysius in Pannegyricis præceptis μαντικὸν φυτόν id est, arborẽ Diuinationis, & Aphthonius symbolum, vatũ quanquã negent eam tangi fulmine, & mysticè dictum puto, & nil mirum significantes eos solos, qui diuinare nossent, itam Iouis deuitare posse. Verum ad rem ipsam propius accedamus. Quanta sit vtilitas prænotionis, docebat Hippocratis in primo de Diæta (Pag. 2.) dicens: Homo quamdiu benè temperatus est, sanus degit: cùm verò à temperamento recedit, ægrotat. Sed cum non aceruatim in intemperiem deueniat, sed sensim, si Medicus prænoscit, id in sanitate contineri poterit, vt iam hoc sit primum emolumentum medicæ prædictionis, hominem perpetuò in sano habitu conseruare: fieri enim non potest, vt cum videatur corpus inclinatum ad morbum, quin occurrendo, antequam plenitudo, vel intemperies inualescat, homo morbo corripiatur. Secundum autem est, vt ex prædictione homo non solum singulum quemque tueri possit, sed etiam vniuersam prouinciam, quod factitasse Hippocratem testatur Thessalus in Oratione ad Athenienses, cum totam Græciam, & Macedoniam, ac insuper Thessalos præmuniuit aduersus imminentem pestem. Tertium commodum est, vt morbum nullum sinat esse mortalem, ab initio illi occurrens, vt videbitis tertia post hanc lectione, vbi ex sententia Hippocratis in hoc libro claris demonstrationibus ostendam. (Super Tex. 4. primi lib. Prog. Si dict.) Ob hancque vtilitatem tum primam inualuit vsus apud principes habendi medicum, quem si rectè consulant, & à morte, si ægrotent, & ne ægrotent, securi, quantum fas est, homini redduntur. Inde illud gloriosum succedit emolumentum medico, vt tamquam Deus quidam in terris habeatur: quod non solum testatur Hippocrates in lib. de Decenti ornatu (pag. 3.) Medicus enim Philosophus Deo æqualis est, neque enim multa inter eos intercedit differentia: Medici tamen eis concedunt, quoniam in medicis non est redundans potentia. Hoc ipsum sic intelligi debet, quatenus Medicus est non homo, & ad genus præcognitionis, & curationis consideratio extenditur. Præuident dij futura, in morbis præuidet & Medicus, & quatenus Medicus excellenter quidem, quia artem, quæ diuina est refert: quatenus autem homo, & minister, longè superatur à diis. Item de curatione dico. Est enim solius Medici, præstare salutem cum diis: nam occidere commune est principibus cum feris ac regulis. Quin etiam & veriùs multò id Sacra Pagina docet, dicens. (Ecclesiast. cap. 38.) Medicum creauit Dominus, & à supremo medicina venit: non ita laudauit, aut extulit Iurisprudentiam, multóque minus cæteras artes, aut disciplinas. Non pigebit commemorare, quæ Hippocrates in primo de Diæta (pag. 6.) rursus ait. Vaticinatio enim, inquit, quadruplex est, ex manifestis obscura cognoscere, ex obscuris manifesta, ex præsentibus futura, ac ex mortuis viuentia. Quomodo primum ex manifestis queamus obscura cognoscere, hic processum à signis, & causis exterioribus docet. Et dat exemplum. Intelligo ex concubitu re manifesta nasciturum puerum. Et ad hoc genus reducuntur quæcunque in Medicina per signa dignoscuntur, nam accidentia sola subiecta sunt sensibus

sibus, substantia tantum mente comprehenditur. Qui ergo substantiam per accidentia dignoscit, obscura percognita intelligit: atque hoc ad præsentia præteritaque refertur. At manifesta ex obscuris dicit, ad prudentem solum medicum cognoscere pertinet:ille enim ex causis obscuris, quæ manifesta sunt, scilicet genere, diiudicat. Vnde intelligendum est, quòd genera accidentium semper nota sunt, species autem, & modi, & quantitates nequaquam. Scio, quòd is, qui febrem aut, vt exemplo vtar nitidiore, quem inuasit frigus occupabit calor, hoc quidem est manifestum:sed qualis, acrilne an satis mitis, quantus, quandiuque, hoc solum est prudentis Medici, nam ex causa dignoscitur. Hanc iterum per signa, quæ sunt manifesta, dignoscimus, velut per vrinam crudam cum multa hypostasi intelligimus plurimam esse materiam, quæ non est euicta à calore: atque ideò necessarium est eam putrescere, idque longum & vehementem efficiet morbum. Vtar autem exemplo illi proprio: Mens hominis obscura est, scilicet aliis: per hanc tamen tam abditam causam dignoscuntur naturalia, & artificiosa, atque huiusmodi. Et ob hoc intelligimus, Medicinam esse certiorem naturali philosophia, cùm naturalis philosophia semper procedat ab effectibus ad causas, Medicina verò persæpe à causis supra effectus. Et ob id dicebat Galenus primo artis curandi(cap.4.) quod demonstrationes medicæ sunt similes mathematicis, & à causis. Futura autem per præterita, iterum exemplum affero suum, scilicet, quòd puer transibit in virum, huiusmodi quædam sunt necessaria, vt quòd Ver succedet: quia iam hyems inchoauit, quæ vt in pluribus velut quod ex puero fiet. Quæ rarius atque in his opus est solertia multa, quæ ex æquo in vtramque partem inclinantur. Et hoc scientia indiget, velut de morbo, an poterit curari, vel non:an morietur, an seruabitur. Ex mortuis viuentia, vt quod, velut ille inquit, mortuo animali non redibit amplius, & quod nullum erit ei simile. Et ita per ventrem, tanquam rem mortuam, homo cognoscit appetitum cibi & potus, tanquam rei contrariæ, & in summa nube intelligit per mortuum & viuum, quod etiam ex rebus, quæ sensu carent, cognoscimus ea, quæ sensu prædita sunt. Et vt apponam exemplum accommodatum (nam mos antiquorum fuit, non curare omnino pulchritudinem in exemplis:quod vitium, si modo vitium maximè in Aristotele perspicitur) capiemus aërem & aquam ex quorum corruptione pestem futuram aut præsentem præcognoscimus. Dico, quòd fieri potest, vt plures, moriantur, & tum nesciamus etiam an sit pestis, fieri enim potest & immodico fructuum vsu, ex exercitationibus intempestiuis, & immodicis exuentis frigidis in hora vespertina succedentibus magnis caloribus, vt homines plures moriantur, & non sit pestilentia tamen. Porrò splendidas Hippocrates, & generosas prædictiones dixit, esse in libro de Articulis(Sec.3.Tex.103.) quæ docent an insanabilis sit morbus, an possit sanari: & si possit, quando, & quod in membrum, & qualiter. Galenus autem diligentius hanc prosequutus est rationem, (1.Prorrhit.1.) docens, præsensionem esse in anima, prædictionem autem eorum quæ iam in anima concepisti. Esse autem trium vtranque futurorum & obscurorum præsentium atque præteritorum symptomatum, neque opus esse semper prædictione, sed solum præsentire persæpe decet, nam non oportet prædicere, vbi iterum de re tractandum sit, neque vbi dubia res est. Nam qui prædicit, debet esse voti compos omnino, aut saltem maxima ex parte: nam si octies prædicendo Medicus erret, his vera dicat, erit Medicus ille contemptibilis, & quouis idiota vilior. Secundo Prorrhiticorum(Com.3.) & sexto Epidemiorum [Par 1.Com.16.]vbi etiam velle videtur, quod aliquando errare necesse sit. Vnde in libro de Constitutione dicit [cap.18.] Prædictio in hoc differt à diuinatione, quòd qui diuinant, dicunt absolutè. Sic erit gratia exempli, quòd nono die liberabitur æger, vt etiam de impedimento sint certi:at Medicus, dicit, non debet ita prædicere, sed adiicere, si omnia ritè administrentur. At si secus inquit, vel seriùs sanabitur, si sanari debet, vel celerius morietur, si sit moriturus. Vnde patet, prædictionem ad mortem esse securiorem, sed magis inuisa, vt in secundo Prædictionum[cap.7.]nam de illa intelligit. Tum verò excelluisse se prædicat, vt non ex arte medica, sed ex diuinatione id facere videretur, scilicet, quòd ita ad vnguem prædicebat. Secundo de differentiis febrium dicebat in libro de Constitutione artis medicæ[cap.16.]Debet autem prædicere ob tria commoda cognitionem, temporis, auxiliorum, & cibi:sed hoc pertinet ad solam prænotionem, vt liberet se ab infamia, si æger moriatur

riatur vindicare. Circa quod dicebat in Duodecimo artis medendi (cap. 3.) Oportet vt præter prædictionẽ, si debet se vindicare ab infamia, vt non vtatur generosiore aliquo medicamento. Ego dicam potius auxilio, vt & inedia, & sectio venæ sub eo dicto comprehendatur. Ratio huius est: Quoniam si à prædictione tali auxilio vtaris, primùm videberis sperasse salutem, secundo poterit tribui causa mortis illi auxilio, tertiò etiam infamabis auxilium, quartum commodum est, quòd æger se concredet magis medico, & ita obediet illi. Adiicit in sexto Epidemiorum (Par. 4. Com. 16.) quòd ob hoc multi sanabantur in templo Æsculapij, qui à Medicis sanari non poterant: quia ob fidem, quam in Deo illo habebant, ferebant auxilia incredibilia, quæ non tulissent à Medicis, concepta spe certa salutis, vtpote dicit, abstinere à potu per XV dies perpetuos, & talia huiusmodi. Est autem duplex prædictio propria, & est præcognoscere die iudicij tertio Prognosticorum (Com. 10) & communis scilicet cognoscere an sit moriturus æger, vel sanandus, quæ ex quatuor præcipuè habetur, tertio Epidemiorum (Par. 1. Com. 1.) à natura ægrotantis, velut si sit macilentus morbosus, & maximè quod laboret perpetuo morbo graui, vt lapide vesicæ vel fistula, & quantum à naturali statu per nouum morbum recesserit: secundo ex moribus sapiens qui desipiat maiore in periculo est, & si mitis, ferociter respondeat, tertio si deliquerit, vel non paruerit, & vsus fuerit malis cibis, nec tamen multùm sæuierit morbus, signum est salutis, contra vbi obediendo, & bonos cibos & moderatè sumendo nihil profecerit. Demum si à Medicis claris curatus, semper in deterius lapsus fuerit, hoc indicat grauissimum esse morbum, aut insanabilem. Porrò liber Prædictionum, quam suscepimus exponendum, teste Galeno, tertio de Difficultate spirandi [cap. 9.] solum tractat de acutis morbis, licet possit per coniunctionem aut similitudinem etiam traduci prædictio ad diuturnos. Vnum vos monere volo ab illis, qui non ad vnguem præcepta seruant, etiam abstinendum à cura, nedum à Prognostico, neque ex vno auxilio opportuno ad dubium propter ægri, aut astantium pertinaciam, aut timorem transeundum, nam qui non paret, neque fidem habet, nec decorum est tibi admouere manus illi, vt plerunque dedecus tibi, illi damnum ex hoc succedat. Quod generaliter explicatum est, specialiter aggredi opportet, scilicet vt doceamus, quinam sint prædicendi modi: atque vt vno verbo dicam, cum symptomatum tria sunt genera, vt in libro de Constitutione Artis medicæ (cap. 15.) læsio operationis, exiens, & qualitas mutata, ex his quænam præferri debeat primùm videndum est. Siquidem principale videtur læsa actio, postquam viuere ipsum quædam actio est, exeuntia mutata & qualitas mutata certam mortem aut salutem futuram ostendere possunt, præsentem, non nisi læsio operationis. Adeò vero certa sunt signa lesæ operationis, vt quandoque tanquam notissima omittantur. Qualitatis mutatæ illud in primo libro, nares acutæ, oculi concaui, tempora plana (Tex. 6.) Operationis, velut illud, spiritus creber dolorem aut inflammationem, quæ supra præcordia hominem fatiget, significat (Tex. 23.) Exeuntium: sudor, ibidem (Tex. 25. (Verùm omnia simul in vno comprehendit membro, locoque, cum dixit de oculis (Tex. 9.) loquens; si enim lucem effugiant, aut nolentes illachriment, aut peruertantur: tria tetigit genera signorum. Ea enim, quòd lucem effugiunt, operatio læsa est: quod illachriment nolentes, & vltra id exiens mutatum, quæ peruertant qualitatem, vt inferius docebo, neque enim me latet, quantæ sint in his dubitationes, quod ergo sit efficacius signum, dignoscitur ex eo, quod est propinquius vitæ, & morti: talia autem sunt læsa operatio absque dubio. Exeuntia vero mutata fiunt ex mutatione operationis: ideo cum sint potentiora qualitate mutata, obtinent secundum locum. Sed qualitas mutata in substantia membri, cum possit significare super membri ipsius temperaturam & compositionem: ideo eatenus hoc signum potentius est. Videtur autem sexto in sextum de Morbis vulgaribus (Com. 6.) docere comparationem symptomatum reliquorum cum exeunte mutato, dicens: Cum signa pessima fuerint, vt in illo ægro, qui ibi describitur, vrina autem optima, æger acutè ægrotabit, euadet tamen, sin vero mediocris, moriturum, sed serius quam, si mala esset vrina. In vniuersum dico, quod malum & bonum comparari possunt bifariam, vel quod ad velocitatem & tarditatem, & tunc certiora sunt signa læsarum operationum, idest, velocius ostendunt decretum suum quàm excrementa, vel quod ad firmitatem iudicij, & hoc modo signa ab excrementis

sunt

sunt certiora. Est aliud discrimen ratione bonorum & malorum, nam signa bona in exeuntibus sunt securiora, quam signa bona in operationibus, quia signa bona in exeuntibus significant simul minorem morbum, & maius robur facultatis, signa autem bona in operationibus significant solum robur facultatis, maior autem est significatio à minore morbo & robore virtutis quam à robore virium solo, ergo exeuntia certius decernunt, quam læsa operatio. Tertia differentia est ratione generis operationis: nam in operationibus visus plus refert quod non videat, quàm quod vulnus sit in pupilla, & plus refert quod vulnus sit in pupilla, quam qualitas saniei, non tamen plusquam illud, quod exit ex vulnere, ideo oportet considerare diuersitatem membri læsi, & facultatis læsæ. Et ista sunt vtiliora longè, quam disputatio de differentia inter symptoma & epigennema, & quid sit symptoma, apud Olympicum vel Thessalum. Pudet me tot inutilium illius viri disputationum in tam vbere segete.

Secundum discrimen est, quod ad mortem est, quod plus faciant signa imbecillitatis facultatis vitalis, an naturalis, an animalis? Et videtur secundum Galenum, quod minus animalis, secunda Aphorismorum (Com. 29.) cum in statu morborum illa sit fermè semper imbecillis. De vitali illa cum fuerit in vltimo imbecillitatis statim occidit, quinto de locis [cap. 1.] Verùm in mediocri imbecillitate plus refert naturalis, vt in quarto de præsagio ex Pulsibus [cap. 12.] cum illa concoqueat materiam dicit, separet, & expellat.

Tertia consideratio est ratione magnitudinis & paruitatis. Et in hac clarum est, quòd multo plus potest magnum symptoma cuiusque ordinis, aut facultatis, quàm exiguum alterius, quando non augeatur.

Quarta consideratio est signorum generalium & propriorum. Generalia quidem dicuntur rursus duorum generum alia declarantia robur virium, vel imbecillitatem, velut bene appetere facies quoque, & moueri præcipuè, facile & ordinatè: alia morbi magnitudinem vel paruitatem: & sunt quinque communia, vt dixi, egestio, vrina, sudor, pulsus, & respiratio. Specialia, sputum in morbo pectoris, sanies in vlcere, quid magis significet? Vt potè, duo sunt, vnus laborat morbo laterali cum bono sputo, sed habet vrinam malam: alius autem vrinam bonam cum malo sputo. Dubitatur, quis morietur potius, & vbi ambo morituri sint, quis celerius? Ad hoc respondeo, quod in morbis, qui appellantur pessimi, plus possunt signa propria, quam vniuersalia. Sed animaduertendum, quod signa mala plus possunt, quam bona. Et hoc ex regula Aristotelis ad destruendum sufficit vnum, ad construendum autem plura requiruntur. Ideo debemus comparare bona signa bonis, & mala malis: non autem comparare bona cum malis. Porrò de diuisione libri videtur Galenus librum diuisisse, more eius, qui carmina stylo metiebatur quòd non existimauerit Hippocratem vllum seruasse ordinem. Sed si vera fateri volumus, in tres partes commodè diuidi potest. In prima tractat de signis, sumptis ab operatione animali, & qualitate mutata: vsque eo (sudor optimus est.) In secunda parte, cuius est initium dictum tractat de exeuntibus mutatis: vsque eo (screatio in omni dolore.) In tertia cuius id est initium propria ponit signa morborum magis familiarium, veluti febris, & abscessuum pectoris. In quarta partem, cuius est initium [oportet eum, qui sit rectè præsensurus] ponit quædam præcepta generalia necessaria rectè iudicaturo, ex quo patet Galenum confudisse totum ordinem

Et quia dictum est, quòd pulsus & respiratio sunt signa communia, videndum est, quis illorum maiorem ad vitam & morbum significationem habeat. Galenus siquidem in libro de Pulsuum vsu [capite sexto] eandem refert vtilitatem respirationis ad cor, & pulsus ad reliquum vniuersum corpus. Porrò vsum respirationis dixerat [capite secundo] duplicem esse antea principalem scilicet caloris naturalis refrigerationem: minorem autem restaurationem spiritus animalis differre in hoc, quod respiratio fit ab animali facultate, pulsus à vitali. Addo ego, quod respiratio rarior & tardior est pulsu semper, aut fermè semper: neque enim contrarium videre contigit, sine pulsu etiam toto triduo manere iuuenem vidimus, qui euasit sine respiratione, neque vidi, neque audiui. Causa est, vt etiam in illo patuit, quod ex frigiditate per consensum [excreuit enim per aluum sanguinis maiori ex parte coagulati libras circiter duodecim] impediri potest cor, ne vim illam arteriis communicet, per se retineat: aliter non daretur pulsus viuens.

Item

Item in tertio de Crisi)cap.11.pag. vlt.) dicit,quòd Hippocrates non posuit signa crisis ex pulsu : vel quia ignorauit, vel quia non credidit, magni esse momenti. Idem in primo de pulsuum differentiis (cap.2.) Hippocrates primus pulsum nominauit, neque tamen cuilibet arteriarum motui hoc nomen tribuit, nec artem ipsam elaborauit. Causam huius reddit in libro(cap. 8.in fine) quod animi mores corporis temperaturam sequantur dicens : Quoniam Hippocratis ætate pulsum solum vehementer vocabant arteriarum motum vnde secundo Epidemiorum (Par.5.)Quorum vena in cubito pulsat,hi furiosi sunt, iræque præcipitis. Verum dicit Hippocrates, in eum traducit vsum hoc nomen, qui nunc habet,scilicet, vt per pulsum motum illum ordinarium arteriarum intelligeremus. Et in de Prædictione ad Posthumum(cap.12.)Hippocrates solum pulsuum doctrinam non attigit : qua tantum adiecta his,quæ ab illo tradita sunt, prædictiones illas, vt scis, feci. Vt videatur præponere non solum hic, sed vbique, præcognitionem ex pulsibus ei, quæ est ex respiratione. Videtur etiam certior,cum pulsus, vt dixi,ad facultatem vitalem pertineat, respiratio ad animalem. Et tamen videmus quotidie pulsum sæpe fallere Medicos, respirationem vix vnquam. Dico ergo, quòd hæc determinatio pendet ex vno dicto Philosophi) 2. de Anim. cap.9. (scilicet quòd homo est præstantissimi tactus, & non solum excellit omnia alia animalia in eo sensu, sed omnes proprios alios sensus. Sed pulsum dignoscit sensu tactus, respirationem visu. Ergo in pulsu plures cognoscit differentias, quàm in respiratione. Et ita cognoscit morbos, causas, symptomata, & vires, quæ sunt quatuor principalia. In respiratione autem præcipuè, vt à Galeno docetur, (In libris de diff. spir.) quatuor præcipua habentur (licet adeò confuderit totam illam doctrinam in libris de difficultate spirandi, vt neque omnibus perlectis, quòd quatuor verbis declaro hæc paucula, quæ omnia sunt, quæ ille dixit, assequi possit : quod illi euenit, non ob prolixitatem, vt quidam putant, sed ob dialecticæ,quam maximè tamen profitebatur, defectum.) magnitudo, velocitas & frequentia, vel contraria à caloris seu naturalis, seu præter naturam magnitudine : paruitas cum velocitate, & frequentia, à dolore:raritas cum magnitudine ex delyrio:& inter costalium musculorum motus ob imbecillitatem virium, & cum sunt in vltimo imbecillitatis, mouentur etiam omoplatæ, & narium primæ. Hoc est totum & maius eo omni, quod dixit in omnibus illis libris. Ex quibus patet, quod neque tot differentiæ rerum demonstrantur ex anhelitu, neque tam adamussim magnitudo, sicut per pulsum. Reliquum est igitur, vt ostendamus, quare cum imperfectior sit notitia respirationis & minus propria vitæ, tamen magis certa sit pulsu. Et respondeo, quòd hoc pendet quatuor dictis:quorum primum est Hippocratis, (In libro de gland. & exempla ad Demetrium Regem) scilicet quod cerebrum est imbecillissimum inter membra principalia : secundum Galeni, quòd cor est validissimum in omni operatione:tertium Aristotelis,si de quo minus videtur inesse, & inest, ergo & de quo magis, quartum, quòd membra validiora celeriùs & sæpius reficiuntur, ac restituuntur imbecillibus. Quibus intellectis, si cerebri vis salua est, ergo & cordis : ergo æger sanatur. Sin autem vis cerebri læsa est valde, ergo restitui non poterit, sed cerebri operatione cessante, homo strangulatur statim, ergo respirationis significatio tam ad bonum quàm ad malum certior est, quàm pulsus. Est etiam alia ratio, quod spiratio simul est signum & causa mortis, aut salutis, sicut & pulsus,sed pulsus est longè minus causa mortis,& vitæ, quàm spiratio, cum per illum cor non adeo perfrigeretur.

Præter hæc admonitum te volo, vt in signis necessariis fidei maximam partem colloces, & sunt præcipuè Vrinæ, inde alui excrementa, demum propria velut sputa, ob coctiones. Secundum est à similitudine cum mortuis. Mortui enim iacent supini ad pedes cum facie horrida,oculi semiaperti, & obscuri, dentes sicci. Reliqua sunt minora his. At ex illis vix vnquam euadit aliquis. Gloria medici ergo est, cùm sunt signa magnitudinis morbi: furor quod exilit, quod iacet, vt mortuus, postmodum quod pulsus quasi abscedit. Tunc enim diligentia medici plurimum præstare potest, non in prioribus. Respiratio ad malum est, in primo genere,sed ad salutem, non est signum, nisi quod non de proximo moriturus sit. Secundum est, vt neque amore, neque timore, aut verbis aliorum, aut omnibus quibusdam, aut quadam diffidentia omittas rectam prædicendi rationem, aut in ea dubites. Tertium, vt nisi fueris benè certus de interitu non prædicas,

dicas, iuxta præceptum Consiliatoris, ne cogaris illius postmodum desiderare mortem. Quartum, vt in prædictione de vita circumspicias diligenter, an sit insidiator, qui illius mortem procuret. Multi enim cum signis salutis Medicis obstupescentibus periere.

PROGNOSTICVM I.

MEDICVM vti prouidentia (vt mihi videtur] optimum est.

COMMENTARIVS.

Librum hunc genuinum Hippocratis esse, ipsa dicendi forma docet grauis, plena, ordinata, certa, acuta, breuis, antiqua, & ipse Galenus, quanquam non hic, sed in tertio de Difficultate (cap. 1.) spirandi id testatur. Idem litigat secum, ne dum cum Hippocrate, quòd dixerit πρόνοιαν id est prouidentiam, ἀντὶ τῆς προγνώσεως, scilicet pro præsentione. Interest autem inter prouidentiam, atque præsentionem: quod prouidentia est omnium generalisque cognitio, antequam eueniant, dum in nostra potestate sunt: Velut apud Euripidem hæc moriens multam adhibuit prouidentiam, vt honestè caderet. Sic & mundum gubernari diuina prouidentia dicimus: vt prouidentiæ significatum sit, curam gerere, atque eorum, quæ in nostra sunt potestate. At præsentire, seu prænoscere eorum est, quæ ab aliis fiunt, & non in nostra sunt potestate. Hæc sunt, in quibus tacitè sugillat Hippocratem, quæ quia sunt Grammatici, potius quam Medici, condonemus illi, ac victoriam sinamus etiam aduersus Hippocratem. Sensus enim est huiusmodi Galeni, cùm tria sint πρόνοια prouidentia, πρόγνωσις præsentio, seu prænotio, & πρόρρησις prædictio. Prouidentia est eorum, quæ sunt in potestate nostra, prænotio in aliena, prædictio est præsentionis per verba declaratio. Hippocrates prouidentiæ nomine pro prænotione impropriè vsus est. Quin etiam vult prouidentiam habere, idem esse, quod curam gerere de aliquo: vt libentius accuset, quem laudare videtur. Sed omissa disputatione, an prouidentiæ opponatur solum casus an etiam fortuna, & an in vtramque partem bonam & malam dicatur, nam apud Græcos vtrumque significat, non ita apud latinos. Sed diuinum quid habet, & vt etiam vtrique opponitur, videamus, in quo differt prædictio, & præcognitio medicorum à prædictione vatum. An enim diuinatio aliqua sit, omitto: sustulisse enim potius, quam probasse Cicero videtur. At ego existimo illum in homonymia versatum, nam diuinationem absque causis intelligimus, certè nulla est: cum nihil absque causis fit, seu effectus sint causarum signa, seu signa aliorum effectuum per communes causas. Et similiter, si dubitauerimus, an sit scientia futurorum per causas, & de hoc dubium non est, nam si cognouero quod virtus naturalis perit etiam quod vitalis valida sit, cognoscam quòd tandem etiam naturalis concidet. Iam ergo duo habemus clara & quòd non datur scientia futurorum, nisi per relationem causæ ad effectum, vel effectus ad causam, vel causæ ad causam, vel effectus ad effectum. Et si dentur signa quædam, quæ adeò propinqua sunt sensui, vt videantur differre ab ipsis causis, & effectibus: Velut sanies ex abscessu erumpens, & pulsatio, quæ fit in ventre prægnantis, indicans subesse fœtum, & viuere. Illud tertiò etiam perspicuum est, esse quædam signa huic, non illi velut nautæ nebula circa asinos, est signum, & causa prædicendi tempetatem futuram, Iurisconsulto non ita. Et etiam vni nautæ, non alteri. Ergo quod ad causas naturales & proprias, vt in Medicina datur prædictio.

Reliquum est, vt videamus de stellis, Physiognomia, chyromantia, somniis, & fato, seu ordine causarum: sub his enim quinque continentur omnia genera prædictionum communia. Et dico, quod de stellis eatenus, quatenus agunt calore & lumine, dubium non est: sed hæc, si ritè extendantur, etiam influxus continent. Fatum quoque pro ordine causarum admittitur ab Augustino, in opere de Ciuitate Dei. Physiognomia quoque haud dubiè magnam continet veritatem. Chyromantia est alterius rationis, nec potest adeò reduci ad causam seu causas naturales. Somnia probat Hippocrates, & lex vtraque antiqua & noua. Ideo videntur, posse facere præcognitionem adeò certam, vt Medicina. Itaque in vniuersum quo scientia est vnius generis, eo certior est in prædicendo. An verò Hippocrates velit nos vti istis generibus prædicendi? palàm est, quòd non: sed naturalem tantùm viam sectatur, relinquens communia. Sed circa hoc dubitarunt methodici, dicẽtes: Si est aliqua præcognitio, vel est certa, & sic est scientia, non præcognitio: si autem incerta, ergo non est cognitio. Nam naturalem, & ex ordine præsensionẽ admittunt etiam methodici, vt Aurelianus in primo chronicorum (cap. 4.) dum admonet Epilepticum, vt præsentiat accessionem, & maneat domi. Sed in secundo libro (cap. 1.) dicit, Paralysim in senibus & debilibus vix curari posse. Ex quo liquet vel Methodicos admisisse prædictionem communem, & solam propriam, ac distinctam negasse, vel litem esse in solis verbis. Idem de hydrope docet prædicendum, in paracentesi (lib. 3. in fine.) quam Arabes vocant Berel de morte. Sed dicetis, Hippocratis in secundo prædictionum (cap. 2.) consulit, tutius esse, vt abstineamus prædictione, ne odiosi fiamus ægro: intelligite malè prædicendo: vel etiam dicit, ne insanire videatur medicus. Dico, non est ob id excusatio admittenda, vel Celsi (lib. 2. cap. 6.) vel etiam Galeni dicentis, quarto de victus ratione in acutis (Com. 59.) prædictiones magna ex parte veras esse, eumque medicum præferri debere, non qui nunquam errat: sed admirabiliorem

rem esse illum, cuius prædictiones minùs fallant. Vt neque illud in tertio huius (Com. 41.) nunquam aberrare supra naturam hominis est, quàm minimè solius artificis dicet, at Hippocrates. Quis te cogit? Non nos, Deos, vt peieremus, in testimonium adducimus, sed medicos Mediolanenses Bononiensésque. Quis nos vnquam vidit aberrare? Videte quinto contradicentium (57.) Nam si fieri potest, non debet prædicere: Verùm cum vitæ periculum certum est, vt leuet se ab infamia, vel cum est timidus, aut parum obediens. Galenus gloriatur tertio in primum Epidemiorum (Com. 17.) nunquam in prædicendo aberrasse. Quomodo autem agendum sit diximus sexto Epidemiorum: Celsus autem excusat. (Par. 2. Com.)

Philosophus in libro de Memoria, & reminiscentia dubitat, (lib. 2. cap. 6.) an sit cognitio aliqua futurorum: & dicit, quòd est opinio, & spes. Et certè (inquit) erit scientia quædam sperandi, vt nonnulli aiunt de Diuinatione. Voluit, vt sit scientia sperandi, non autem futuri, id est, quòd possumus, aut debemus sperare, vel non sperare, non scientia, quod futurum. Idem de diuinatione per somnum: nam per causam naturalem fieri autumat. Cum ergo omnis scientia sit per causam, si causa illa sit ignota, vocatur diuinatio, at Hippocrates non vult causam ignotam esse, sed medicam, & sensui subiectam: ergo præcognitio medica non est diuinatio, nec ad illam pertinet. Sed & de hac modestè loquitur, cum dixit, Vt mihi: nam non tantum tribuit sibi, vt hoc velit simpliciter proferre. Quòd si quis in hoc arguat ambitionis Aristotelem, quod non addere soleat: ipse vult intelligi, Videtur, id est, mihi videtur. Verùm cum Hippocrates de tota re agat, & tractatione ipsa ab initio libri, ei necessarium fuit, & ad modestiam pertinebat, adiicere pronomen illud, mihi. Præsensio autem licet propriè de futuris dicatur etiam præsentia, & præteritorum cognitionem per signa, quæ anamnestica vocamus, pertinet: vt etiam Galenus in Commento affirmat. Similiter præsensio alia dicit Galenus certa, vt quod cras sol oriturus sit: alia verò eorum, quæ, vt plurimum, accidunt non semper, & dat exemplum ex Arato, de Luna loquente:

Si verò cornu sublimius annuat illi.

Vim Boreæ expectes: Austrũ, si recta supinat.

Hæc licet non vera sint, quoniam de Sole, quod orietur, aut tempora variabit, est scientia: scientia autem aliud est à præsensione. Condonemus tamen Galeno, quia lis tantum est in verbis, etenim fieri potuit, vt eius ætate πρόνοια significauerit etiam scientiam, sicut etiam Hippocratis seculo prædictionem, vt melius fuisset hanc subtilem cauillationem, qua licet solum aduersus æmulos, & qui sua ætate scribunt vti, omittere in Hippocrate. Neque enim video, si Hippocrates tum habuisset aliquid significantius, pro prædictione, vel præcognitione, cur voluerit, eo relicto, aliud deterius nomen in initio totius libri pro macula præfigere, nisi omnino excordem esse voluerit. Quapropter si viueret Galenus, libenter de hoc illum interrogarem, vt condiscerem aliquod admirabile responsum, neque enim ingenuè fateor, mihi succurrit. Sed ne illum hac in parte imitemur relinquamus hæc. Illud sanè mirum, quòd dicat Galenus, hoc scriptum fuisse ab Hippocrate (lib. de Medico cap. 4.) ob Methodicos, qui illius ætate erant, eum constet eam sectam post Asclepiadem inchoasse à Themisone Laodiceo Syriæ, annis plusquam quadringentis post Hippocratem, sed existimauit, Hippocratem non secus ac se nihil dixisse, nisi vt contradiceret aliis. Verùm secùs habet: Est enim Procœmium libri, vt etiam ipse Galenus fatetur, in quo iuxta præcepta artis Rhetoricæ facit auditorem maximè beneuolum, sed & docilem.

Mihi verò, omissis tot, quæ insuper adiecit sine vtilitate, meliùs videtur, quærere quod est necessarium: scilicet, an per πρόνοιαν intelligat prædictionem, an solam præsensionem: hæc enim re multum inter se differunt: nam si prædictionem vult in omni ægro medicum prædicere debere: sin autem, prouidentiam solum non prædicere, sed præcognoscere. Multum autem interest inter hoc, & illud. Et verba quidem ostendunt, potius prædictionem oportere intelligi: nam subiicit, quòd æger se illi securius credet: deinde, quòd si pereat, ab infamia tutus erit: hæc non ex presensione, sed ex prædictione contingere possunt. At secùs: nam nec πρόνοια hoc significat, nec videtur Medico expedire, vt in singulis ægris velit prædicere, Nã & si ratio prædicendi firmissima esset, necesse esset tamen aliquãdo aberrare, quod maiori dedecori foret, quã diuinasse honori, maximè quòd ad casum prædictio vera referri potest falsa, est argumentum dementiæ, cum non, nisi à stulta persuasione possit oriri. Talia potius considerare expediebat, sed ad rem redeo: vt satius meo iudicio sit intelligendum de præsensione, qua vti possumus etiam ad prædicendum, cum oportuerit, non vt temerè semper prædicas. In vniuersum cum tres sint medicinæ partes, teste Galeno, (Com. 1.) primò de his, quæ in medicatrina fiunt significatiua, prædictio & curatio: meritò ergo, cum vna hæc sit ex tribus principalibus, dignum est, vt medicus ea nõ careat. Scripsit hunc librũ ionicè, vt refert Ælianus (4. de Var. His cap. 20.) velut & reliquos, cum Hippocrates Doricus esset in Democriti gratiam. Constat autem ex dictis, tum hic, tum in libro de Conscribendis libris Hippocratis, hunc esse librum, & etiam senis: hoc enim multum interest. Tales sunt Aphorismi, & libri de Victu in acutis, seu potius liber, & primus, ac tertius Epidemiorum: Mediæ ætatis liber de Aëre, Aquis, & Locis: In iuuenta de his, quæ in Medicatrina, de Fracturis, de Articulis.

PROGNOSTICON II. & III.

PRæsentiens enim & prædicens coram ægro præsentia, præterita, & futura, quæque infirmi omittunt enarrans, creditur agnoscere magis ægri conditionem. Hinc audent homines se concredere Medico.

COM

COMMENTARIVS.

ILli medico ſe concredent ægri: quem credent agnoſcere morbum: ſed eum credent morbum agnoſcere, quem prædicere viderint præterita, præſentia, & futura, igitur medico prædicenti talia ægri ſe concredent. Poteram ſane variare diuiſionem, nolui tamen, ne viderer à Galeno voluntariè diſcedere: nã non eſſe bonam oſtendit, quòd in ſecundo Commendo cogitur partem tertij textus explicare, quod vitioſum eſt. Nam ſupponit & rectè velle Hippocratem oſtendere, prædictionem Medici conferre ad ſalutem ægri, nam hoc ſanè vult, vult, & eſt primum commodum. Sit ergo demonſtratum hoc, ſolum medico prædicendi ægrum ſe concredere. Illud mirum eſt, cur hic dicat Galenus: Quod enim cenſuit Hippocrates exercere medicum, quantum in hæc agitur, omiſit, nequaquam indicans, quo pacto conueniat præterita, aut præſentia non perſpecta à nobis ſenſibus præſentiri. Nam ſi de Proœmio intelligat, nimis violenti ſpiritus fuerit exigere, quæ toti tractationi debentur, mitti in proœmium, quod tractationis pars non eſt: ſin autem de tractatione, probare debuit, nam ſigna, quæ præſentem morbum ſignificant, etiam vt anteceſſiſſe intelliguntur, anamneſtica ſunt: Dicimus enim laboranti quartana, quem iam acceſſio inuaſit, quantum temporis interceſſit, & quandiu frigus eum vexauit: Prædictio autem, & præſenſio, & prouidentia ex natura verborum, ſolum ſunt futurorum & propriè de illis dicuntur: ſed vt ſunt incognitorum Medico ipſi, dicuntur præſenſiones etiam præſentium, & præteritorum. Vnde in Arte medica (cap. 7.) vocantur autem nonnunquam à vetuſtioribus, medicis hæc omnia ſigna prænunciatiua quamuis præſentium, & præteritorum ſint indicatiua. Vnde notandum, quòd omnia ſigna membrorum & totius poſita in Arte medica à Galeno de ſanis, ægris, neutris, ſimpliciter ſunt ſigna Prognoſtica, indicatiua, & anamneſtica ſimul. In morbis autem, dicit Galenus, maior eſt vtilitas ex indicatiuis, & prognoſticis, quam anamneſticis. Solet diſtingui ſic: quod ſigna prognoſtica ſunt vtilia magis Medico, & ægro, anamneſtica medico, indicatiua ægro. Sed cum Hippocrates loquatur de triplici vtilitate, ideò non contradicit his, quę dicta ſunt. Quæ autem omiſſa dicit Hippocrates ab ægro ſunt duorum generum: alia quidem incognita, velut abſceſſus, vel praua qualitas: alia verò cognita, velut cauſæ antegreſſæ, & rubor maxillarum. Sed hoc non pertinet ad exemplum, magis pandiculatio, oſcitatio, nauſea, tuſſis, grauitas, & eiuſmodi. Quædam etiam, quæ prius ignota fuerunt ægro, inde reducente medico, in memoriam aſtantibus nota fiunt: vt vermes, arena, pus, excretum, & huiuſmodi. Hoc totum Hippocrates ex primo Epidemiorum (Par. 2. Tex 48.) ad verbum tranſtulit.

Verùm anamneſticorum vtilitas in medicis in ſignis fuit, & maior, quàm ex aliis, quòd cum artis excellentia prudentiam oſtẽdant: quanquam quædam ex his, qui rem non profundè conſiderant, ad indicatiua referant. Eraſiſtratus ergo ex huiuſmodi ſigno LXM. Coronatorum Philippeorum ab Antigono Rege conſecutus eſt. Hiſtoriam de matrona Romana, & Pylade hiſtrione, & ſeruo tum Cyrillo puero, habes in libro de Præcognitione ad Poſthumum à Galeno (cap. 6. & 7.

Galenus per id concredere Medico, intelligit parêre illi, poteſt defendi non ignoro, non accuſo, ſiquis illum tueatur, vt textus ſit ratione diuiſus, & in eo prima vtilitas explicetur, modò nil pereat, quod ad vtilitatem humani generis pertineat, omnia velim condonare. Mihi tamen magis arridet, vt in eis verbis prima cum ſecunda vtilitate contineatur. Circa hoc de præſenſione & prædictione dicebat vnum Galenus, quinto de Locis (c. 7. pag. 4.) Interdum apparent nobis feliciter quædam certa ſigna: interdum verò omnia ſunt ambigua, atque idcirco & alteram, & tertiam conſiderationem expectamus. Vnde liquet, ad prædictionem raro ſtatim procedendum, nonnunquam ſerius multò, & aliquando non prædicendum. Sed ſemper vtiliora prætermittit Galenus. Sanè laudabilis fuit illa prædictio, ſed non ob id, quod certa fuerit: maximè, nam certam ſanè oportet eſſe: Verùm etiam in multis certis ſilentium habere, melius eſt. Sed optimum fuit tunc prædicere: quoniam coram Philoſopho, & amico, & coram Medico, qui ipſe ægrotabat (vt prædictio inuidentiæ expers eſſet, & apud homines laudis eius cupidos) facta fuit. Hoc cum prætermittat Galenus, plus noxæ ex præcepto, quàm vtilitatis affert.

PROGNOSTICON IV.

ITa curationem optimè molieris cognoſcendo ex præſentibus futuras affectiones. Fieri enim non poteſt, vt ægros omnes ſanos facias. Id enim melius foret, quàm præſentire futura.

COMMENTARIVS.

QVòd præinoſcendo futuras affectiones quomodo vis ſeu præſentibus, ſeu præteritis Medicus meliùs curare poſſit, & illud Poëticum docet.

————*Venienti occurrite morbo.*

Et experimento conſtat frequenti, & res naturali rationi conſona eſt: quomodo autem partim clarum eſt, dicente Aëtio (lib. 5. c. 2.) citra cognitionem finis morbi fieri non poteſt, vt ratio victus ordinetur: Partim durius eſt, quàm tu primo intuitu id demonſtrare liceat. Vel enim quod notum eſt, cauſa & poſtulat curari affectum, vel ſymptoma: vel effectus notus eſt, & volumus curare cauſma, aut ſymptoma: aut omnia ſymptomata cognoſcimus, & quod ſequitur, cauſam aut effectum curare volumus: neque enim alios modos inuenire licet. Si intelligit de cauſis, durum eſt: quoniam illæ plerunque ſunt ignotiores affectibus, & ſymptomatibus: ſed vt curatio fit non ablato affectu, aut ſymptomate, verùm cauſa, neque enim quenquam curatum

curatum dicere solemus, in cuius corpore causa manet. Sin verò dicas, affectibus præsentibus notis quæri curam oportere, vel causarum, vel symptomatum, littera contradicit Hippocratis, affectus curandos dicens oportere. Vult etiam, vt dignoscamus futuras affectiones, non causas, aut symptomata. Si symptomata ex emphasi sermonis, cum non distinguat præsentia à futuris, nisi tempore, etiam de symptomatum curatione agit, quod est absurdum. Galenus adeò curiosus in πρόνοια & προγνῶσι hoc ipsum transit sicco pede, & vt postquam loquor, Romana lingua. Romano etiam more, & simpliciter dicam, rem transfert ad symptomata futura, quæ prohiberi possunt, inquit, aut minui, velut delyrium, aut capitis dolorem, quæ solent superuenire febribus: aut casum virtutis, & non intellexit Hippocratem, nam talia si ammoueas etiam, non ob id desinit morbus, & æger sanatur. Subiicit enim Hippocrates. Ita & curationem optimè molieris: Vult ergo sanandum per hoc morbum, non curanda vel minuenda tantum symptomata. Dico ergo, quod sensus litteræ est clarus, & intendit, quod curatur dispositio futura, quæ aliquando est ex genere præsentis. Exemplum: febris ardens interficit hominem per se, ob magnitudinem suam aliquando transmutatur in phrenitim, vtrouis modo contingat, si medicus tempestiuè occurrat, prohibet, ne moriatur æger. Circa quod notandum, quòd in morbis materiariis fit sæuitia, & magnitudo eorum quadrifariam, vel ratione multitudinis materiæ, quæ est in venenis, vt in quibusdam febribus ardentibus cum plenitudine venarum, & tunc occurrimus eis ab initio cum sectione venæ. Iuxta illud. Inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue: cum verò consistunt, ac vigent, meliùs est quietem habere, secunda Aphorismorum (cap. 29.) vel quia materia mouetur, & periculum est, ne decubant in locum principalem, quod videns Medicus, debet purgare ægrum, nisi quid obstet: nam transibit morbus in aliam speciem sæuiorem. Hoc autem significauit in quarta Aphorismorum (c. 10.) Medicari (dixit) in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus, malum est. Quomodo enim potero hoc facere, nisi per signa præsentis dispositionis hoc cognouero? vel cum materia est in loco periculoso collecta, vt in secundo de Victu in acutis (Tex. 10.) si verò dolor ad clauiculam pertigerit, aut molesta sit grauitas vel brachio, vel mammæ, vel partibus, septo transuerso superioribus, inter nam cubiti venam secare expedit: neque vt copiosè sanguis detrahatur cunctandum est, sed eousque auferendus, donec rubidior multum, vel pro puro rubro liuidus euaserit, nam vtrumque contingit. Hìc ergo prohibet incrementum morbi. Quartus modus est, vt materia sit pestilens, & mali moris, in qua oportebit per alexipharmaca obstare: quæ tempore Hippocratis non tam fuere nota, quàm nostro, atque in his oportet vti prædictione. Et ob hanc causam, & duas alias subiunxit verba illa: fieri enim non potest, vt ægros omnes sanos facias: siquidem hoc perspicuum est.

Ostendam autem, quomodo: sed mirum de verbis illis, quæ vulgaria videntur, & indigna grauitate senis Hippocratis, cùm docuerimus hunc librum ab Hippocrate in senectute conscriptum esse. Id enim melius foret, quàm præsentire futura. Quis de hoc dubitare potest? Hoc ergo insinuauit, quasi indignans, vt ex verbis sequentis textus apparet: quoniam plerique moriuntur ex defectu ægrorum, vel astantium, quòd serò Medicum vocent: deinde vellent, vt sanaret ægrum, vt etiam faciunt mecum hìc Bononiæ, & est quasi dicat, vos serò vocando Medicum, interficitis ægrum: & postmodum iniquè fertis, si ille, cognita vestra stultitia, aut ignauia, pronunciat de morte, nec potest illum sanare, facit, quod ei licet. Quis dubitat, quòd si posset sanare omnes, iam non esset id melius. Ideò etiam fit deterius per callidos medicos, qui nil curantes Deum, neque fidem suam eo tempore, quo possunt adhuc superuiuere, non vocant præstantes viros, imò eousque differunt, donec sciant certò eos interituros, timentes, ne si reuiuiscant, domum amittant, & ille alter eis præponatur. Deinde infamant, & oderunt, siquis immortales animos esse ostendat, tanquam audituri, quod maximè eis displicet. Hippocratis autem tempore neque lex sua constans erat, quamuis inferos admitteret: nec tantum processerat philosophia, vt de animorum immortalitate, & pœnis, ac gaudiis possemus esse certi. Sed nobis conuenit, Deum benefactorem obseruare, quàm æmulorum maledicta. Itaque scitote, ô amici mei, quod à Salomone dictum est: (Sap. 2.) Initium sapientiæ est timor Domini, & in lege Dei voluntas eius. Etenim omnis sapientia à Domino Deo est. At improbi inquiunt: Insidiemur iusto quandoquidem nobis est incommodus, & nostris aduersatur operibus, nobis peccata in legem exprobrans, & disciplinæ nostræ delicta culpans. Sed redeo ad institutum. Sententia Hippocratis, quæ ad intelligenda sequentia plurimum proderit, est, quòd ægri moriantur solum tribus ex causis. Prima, cùm morbus est magis pestilens: nam homunculus cœlo, & aëri, cuius tantam quantitatem singulo die haurimus per tria loca, per asperam arteriam ad cor, per palati foramina, & narium, ad cerebrum, per oscula cutis, in ambitu totius corporis ad arterias, quomodo residere poterit? Secunda, cum serò vocatur Medicus, nam licet in morbo laterali educat totum sanguinem, non poterit minuere abscessum, iam factum, sed solum prohibere, ne augeatur. Si ergo ab initio statim vocaretur, prohiberetur abscessus omnino: ergo non periret. Tertia est, cum aliquis habet imbecillitatem innatam, velut ex ætate senes valde & infantes, ex morbo perpetuo, vt fistulis, carnomate, vrinæ vrigine, & talibus. Supponit autem, Medicum esse perfectum, & ægrum, & astantes in omnibus parêre. Propterea subiungit:

PROGNOSTICON V. VI. & VII.

CVm homines intereant alij, priusquam adhibeant Medicum exui morbi: nonnulli adhibentes Medicum statim moriuntur: quidam diem viuentes vnum, aut paulo plus temporis, antequam Medicus arte repugnet, oportet igitur agnoscere talium naturam affectionum, quantum supra vires corporis sit: pariter & siquid in morbis diuinum habetur, illius quoque ediscere prouidentiam. Ita enim meritò cōmendabitur, & fidus medicus erit. Etenim superesse qui possint, eos vel magis poterit rectè seruare, ex multo antè tempore singulis consulens, atque morituros, euasurosque prænoscens, ac prænuncians, culpa vacabit.

COMMENTARIVS.

OStendit in hoc textu duas reliquas vtilitates: quarum vna est, vt in his, qui sanari possunt, præcognoscēdo ex multo antè tempore consulat eorum saluti: in morituris autem prædicat mortem, vt in vtroque culpa vacet. Vt non sufficiat apud Hippocratem etiam seruasse, ægrum si non prædicat de salute, hoc dicit propter illos, qui multo pòst tempore sanantur, vt non minus sit necessarium in sanandis prædicere, quàm in morituris, imò magis. O quot vidi ægros ex morbo longo, qui cùm Medicus prædicere nesciret, in vnum duorum incommodorum peruenerunt: vel vt cogeretur, quasi morbum intelligeret, mutare rectam medendi rationem, interficere ægrum, vt obsequeretur astantibus, alioquin sanandum: vel vt alium in fine morbi aduocarent Medicum, quo facto, si peribat æger, ex errore secundi medici culpa in primum referebatur, si sanabatur, existimabatur, qui superuenerat, sanasse illū, atque ita vtroque modo à domesticis prior reiiciebatur. Ergo necesse est in morbis omnibus periculosis, aut sæuis, aut longis, prædicere de morbo, etiam si æger debeat sanari. Et circa hoc dicebat Hippocrates (ne hoc totum ego fingere videar) hæc verba in libro de præceptis (Pag. 3.) Nec verò indecorè se geret ille Medicus, qui in rei præsentis angustia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente alios quoque accersat medicos, iusserit quorum communi consilio res circa ægrum inquirantur, & cognoscantur, & illi cooperatores sint ad auxilium ferendum. Ex hoc non obscurum est, cùm non licet prædicere, veremurque magnitudinem morbi, tunc socium esse aduocandum.

Secundum emolumentum non ex prædictione, vt dixi, pendet, sed ex præsensione. Et est, vt statim occurrat morbis, nam in his, qui superesse possunt, quam celerrimè obuiam ire oportet. Reddit rationem, cur non omnes sanari possint: quia aliqui intereunt, etiam antequam aduocent Medicum: aliqui statim. Medico aduocato: nonnulli, licet superuiuant, tamen exiguo tempore, velut per vnum diem, aut duos, postquam Medicus superuenerit. Manifestum est ergo, quòd intendit, omnes ægros sanari posse, si tempestiuè Medicus bonus aduocetur, & nisi diuinum quid obstet. Aliàs sic intelligebā: Quorum enim illa verba tendunt: nonnulli adhibentes Medicum statim intereunt, vel post vnam diem, aut paulò plus, nisi ad hoc, quòd non possint seruari omnes? Nam cùm duo proponat: non omnes posse seruari ægros: Et vtendum esse prædictione: illa verba ad prædictionis non possunt referri necessitatem, igitur ad illud, quòd non omnes possunt seruari. Præcipuè autem prima verba, cum homines intereant alij, priusquam Medicus aduocetur: nam ad hoc solum possunt coaptari, cur non omnes ægri seruari possint: quasi dicat. Quomodo vis, vt omnes ægri possint seruari a Medico, si etiam aliqui ex his, antequam medicus aduocetur, intereunt? Verum est, etiam clarissima de hoc decisio in libro de Arte (Pag. 6.) ex quo etiam cognoscere possumus, eum librum esse Magni Hippocratis Germanum, ita enim inquit: Medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, sufficiet ad sanandum. Si verò is, in quo morbus cognoscitur, supererur, ob id sanè, quod seriùs Medicum accessit, aut ob morbi celeritatem, peribit. Si enim ex æquo morbus cum medicina processerit, velocior non est: si verò præoccupauerit, velocior omnino existit. Præoccupat autem; tum propter corporum angustiam, in qua non in conspicuo inhabitant morbi, tum propter ægrorum negligentiam. Non obscurum est, hîc velle Hippocratem, omnes morbos ab initio posse curari: Illud enim propriè significant verba illa. Medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, sufficiet ad sanandum. Et docet rationem, cur non sanentur, dicit. Quia occasio prætermissa est. Est autē occasio prætermissa, vel ob negligentiam, vel quia medicus serò intellexit naturam morbi. Illud idem ratione demonstrari potest, & fuit assignata in prima lectione. Causa morbi sensim introducit morbum, sed ab initio siquis obstet validiore contrario illi causæ non poterit illum cōseruare ergo æger euadet. Alia ratio. Morbus ille etiam sine auxilio quodam temporis spacio introducitur. Ergo si causa in dimidio temporis oppositum introducere possit, non augebitur morbus, Ergo non morietur. Quia tamen sumus in arte, in qua experimentum est iudex, ideò soleo addere ego tres conditiones. Vna, quòd ætas non obstet, scilicet, vt non sit minor quinque annis, aut maior 70. & maximè ex stirpe ex qua non multum senescant, nam declinant vires per ætatem, & ideò à lenibus auxiliis non possunt sanari, & à validis vires superantur. Simili ratione, si morbo aliquo valido & continuo detenti sint diu, seu communi, vt sunt, hydrops, morbus regius, hæctica, & comitialis: vel proprio, velut lapis vesicæ, vt vlcus in intestino recto, carcino

carcinoma, in quacunque parte sit. Et hoc ob easdē causas quas superius assignauimus. Est alius modus, quē tetigit Aetius, dicens: Fieri non potest, vt citra cognitionem finis morbi, ratio, victus statuatur, præsertim in acutis. Tertia est, etiam ab Hippocrate commemorata, cum dixit: Pariter & siquid in morbis diuinum habetur, illiusque ediscere prouidētiam. Sed quid sit hoc, multùm laborat Galenus in explicando. Verùm illud solum accōmodatū docet, quòd Hippocrates per diuinum, non intelligit deorum iram, quòd sanè manifestissimum, in libro de Sacro morbo. Sed quantum illi prodest hæc authoritas, ad interpretationem mentis Hippocratis, cùm librum illum neget eius esse? Adducit aliam ex Primo de Victu in acutis, (Tex. 35.) vbi βλητοὺς, id est, percussos à strangulatione, mortuos esse dicit. Vtinam ego scirem quorsum, neque enim de illis ibi agit, cum constet, morbo laterali periisse. Sed quos vulgus ita à similitudine appellat. Christophorus de Vega adducit verba illa ex tertio Prognosticorum (Tex. 38.) Scire oportet morbos vagantes, & temporis cōstitutionem. Sed postquam iam conuenimus in principali, scilicet, quòd Deus, vt bonus, cunctis auxiliatur, verisimile non est perimere languentes, qui ordine naturæ pereunt. Propositionem addit sanè bonam, & veram sed, vt solet, potius ex præstantia ingenij, quam arte vlla, & grammaticam, quasi scilicet non appellanda diuina omnia, quæ occultam habent causam, sed quæ admiranda & sint. Vtinam docuisset, in generaliter fientibus quando non sint admiranda, cum occultam habent causam, aut quando cum generaliter fiant, admiranda esse possint? Sed tandem concludit, per diuinū aerem debere intelligi credo, quòd diuina non videantur neque aer ipse, ita enim concludere solet. At meo iudicio Hippocrates nunquam diceret aerem diuinum esse, sed cœlum: Id enim apertè dicit in libro de Carnibus (Pag. 2.) dicitque sempiternū, & quòd est calidum, & omnia nouit. In libro verò de Aere. Aquis, ac locis (Pag. 2.) tum in primo de Diæta (Pag. 2.) dicit. Astrologiam esse Medico necessariam, oportereque illum noscere ortus, & occasus syderum, plurimumque hoc conducere ad artis gloriam. Oportet igitur agnoscere talium naturas affectionum, quātum supra corporū vires sint. Legi debet, sint plurali numero ἐισι, & τῶν σωμάτων. nescio quo furore rem, quæ græci benè habet, in latinū nullo sensu verterit. Volo autem experientiæ logicæ causa, vt quiuis intelligat, quàm necessaria sit, & vtilis logica, & quòd illius auxilio possumus restituere errata librorum, paulò latius diuagari, ostendens quòd sit, non potuerit scribi vllo modo: nam si sit scribatur, ad naturam cuiusque affectionum singularum referre oportebat, παθέων, id est, affectionum, non ad diuersas diuersorum corporum affectiones referēdum est, Nam δύναμιν singulari nomine profert, vt intelligamus multas complecti in vno quoque ægrotante affectiones: virtutem autem siue naturæ vim vnam tantum. Quod dixit: quia, Galeno teste (1. Methodi cap. vlt.) in vno quoque ægrotante saltem tria sunt, præter naturam ægrotātis, morbus, causa, symptoma, & etiā propter morbos compositos, cum plures fuerint. Vnde coactus est dicere τὰ φύσιας, non τὴν φύσιν singulari numero, quomodo ergo ἐστὶ dicere poterat, seu sit? Constat enim non, quemadmodum singulorum ægrorum diuersam esse naturam symptomatis, morbi, atque causæ: tū multo magis, si diuersi fuerint morbi, ita vim, seu naturam ægrotantis diuersam fore. Igitur naturas & sint necessario scribi oportuit: corporis autem quod minus esset necessarium, pro corporum legi nihil prohibet. Sed & hoc commodi ex hoc accessit, vt sciamus, quantum fidei tribuere debeamus huic Interpreti Laurentiano, qui nulla causa ex græcis bonis latinas fecit non bonas. Nā illud,

Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres.

Primùm de Poëtis dictum est: sed extendatur etiam licenter ad historicos, & oratores inde. Ac vbi de nugis agitur, vbi de seriis agendum est, sententia ita seruanda est, vt nihil ex ea depereat: tum magis etiam in Medicina, quàm Philosophia, ne propter verbū hominis salutem prodamus. Proximè quibus sunt leges. Huiusmodi ergo experimentum habemus huius conuersionis, vt qui græcas literas non norint. Cornario longè fidelius vertenti se concredant: nam de Galeni sententia non adeò interest, vt, si corrupta sit, nos trahat in errorem, tum duce iam litera Hippocratis: tum quia minus fide digna: tum etiam ob prolixitatem, vbi error, velut venenum in multo cibo lateat. Ergo elegantiam sermonis in vertendo veterum libros non negligere oportet, sed diligentiam augere.

PROGNOSTICON VIII. & IX.

Considerare porrò hoc modo conuenit in morbis acutis.

Primum quidem faciem ægroti, an similis sit his, quæ in sanis sunt: maximè verò an ipsa sibiipsi, ita enim optima fuerit. Si verò maximè contraria simili fuerit, horrendissima est.

COMMENTARIVS.

Hic incipit, finito prooemio, ipsa tractatio: Et ideò artificiosè præsupponit vnum, quod est manifestum, scilicet Naturalem statū vniuscuiusque hominis illi sanitatem esse, & quantum quisque à naturali violenter rapitur, tantò deteriùs se habere, & maiorem morbum appellari. Hæc igitur comparatio ad vnumquenque referri debet, ita vt non ad alium quempiam. Dicebat in libro de Chirurgiæ officina: (In prin.) Aut similia, aut dissimilia à principio, à maximis, à facillimis: id est, quia similia sanitatem arguunt, dissimilia morbum, & à maximis, duplex autem maximum, quantitate, & dignitate:

tate:dignitate,vt facies manus comparatione:quantitate, si pinguis & carnosus exilis valde fiat,promptam mortem significat:contra quosdam videas ægrotare tum mala facie naturaliter, vt morituros breui suspiceris,qui breui euaserint. Neque ibi pudet me ab initio ingressus fateri deceptum , nec semel,cum tamen primùm sciscitarer,an hæc esset ægri naturalis facies? respondentibus illis talem esse,aut fermè, proximamque nil audebam pronunciare.Ita Medicum oportet esse oculatum,ex ætatibus tales solent esse senes mortuis similiores,iuuenibus,cùm decrepiti fuerint:ex temperaturis melancholici.Sed & morbi quidam,vt lues indica, permutant faciem,vt naturalis possit dici, à naturali tamen plurimùm absit. Et qui in carcere, & damnati ad metalla,& ad triremes, habitum habent similiorem sæpe mortuis, quàm viuis , cum tamen sani alioqui sint. Noui (famulusque is meus fuit) hominem, qui decem octo annis in triremi vinctus fuit apud Afros Hortensium nomine, Patria Brixiensem, qui etiam vxorem duxerat,cum oculos clauderet , nullamque sui corporis partem moueret,in nullo à mortuo potuisse dissimilem dici.Ita pallor , macies , extensa cutis,arctæ nares,color plumbeus, ac ferrugineus cum tumore,quodam iuxta oculos illum mortuo similem fingebant. Palam est autem , quòd , qui talis erat,sanus non fuit: hunc tamen sanum appellat Hippocrates, qui possit muniis sanorum fungi. In huiusmodi viris sanguis,qui circa cor est,ob cordis robur seruatur purus, reliquæ partes maximè affliguntur: alij multi eisdem facti laboribus,inedia,vigiliis,cum cor habeant imbecillius,citò moriuntur,nec tamen faciem adeò habent terribilem:quia cor inualidam reliquit aliis membris partem succi melioris. Quod si iecur etiam cũ corde illæsum maneat, poterunt superuiuere:nam cerebrum nullum creat spiritum,sed acceptum à corde temperat:& ventriculus fouetur iecoris calore. Neque solum dissimilem refugit,& damnat,qui ad extenuationem declinat,sed si ad inflationem,& tumorem:quanquam in acutis frequentius ad gracilitatem tendant, quã ad tumorem. Verum non solum hæc spectat Hippocrates, sed color,sitũ partium, splendorem, extensionem , & quod ex omnibus his,quasi in vnum conspirantibus,prouenit, pulchritudinem.Quo circa in pulchrioribus tanto facilius detrimentum deprehenditur, quo magna paruis facilius cognoscuntur:habet tamen quilibet suum decorem , & pulchritudinem.

Dubitare autem expedit,an facies melior, quàm sana,in morbo acuto, vt pote meliùs colorata , & in fine morborum viuidior , vt mihi quandoque videre,quanquam rarò sanæ simillima melior sit?Et de hoc multi absurda dicerent non animaduertentes,non solũ sanam dicere faciem , quam habuit æger, cum antequam ægrotasset,nuper habuit,sed quacunque nactus est etiam multò antea, modò fuerit ei naturalis.Verùm Galenus hac in parte,vt solet,quod præcipuum est,omittit,scilicet ut docet,cur signa ex facie sumptasint potiora,nõ solùm prima,quæ Medico occurrant apud illum. Et sanè talia sunt scitu digna,nisi apud Galenum,qui vult interpretis officium esse,solùm exponere verba authoris,nil aliud.O egregium virum,& dignum hac in parte suis laudatoribus,qui nõ solum optimas partes interpretatione sustulit,& vt alij facerent,consuluit,sed,quod iniquissimum est,nescio qua de causa,alij intelligunt,ne vllus non faceret,hoc ipsum conatus est deterrere.

Sunt ergo in facie,præter cæteras corporis partes principales,tres causæ , cur magis virium lapsum,& morbi magnitudinem declarent.Prima est multitudo partium minuscularum,& maximè dissimilium oris,menti, maxillarum,nasi,oculorum , frontis palpebrarum,temporum,aurium.Vnde faciliùs & euidẽtiùs lapsus quiuis,& varietas,deprehẽditur.Secunda est tenuitas cutis , vnde faciliùs effloreſcit color faciliùs pallet,& magis deprehenditur pallor,tenditur etiam,& contrahitur,& terrea fit.Sic etiam subest multis in locis statim cartilago,vt in naribus,auribus,palpebrisque:tum verò musculi frontis sunt tenues.Tertia est propinquitas cerebri, à cuius plurimùm affectionibus variatur : vt in tristi cogitatione lætitia quantò magis, cùm arescit,contrahitur , superfluè calescit, vaporibus flatuque impletur,materia grauatur, abscessu opprimitur, diuellitur, spiritus euanescunt,putrefit,atque eiusmodi patitur. Quarta est etiam causa, & quinta , & aliæ plures,sed non adeò principales, multitudo sanguinis,locus glaber. Quos autem intelligat morbos acutos declarat infrà.(Tex. 25.) dicens:Qui cum febre sunt,& intra quadragesimum diem terminantur. Præterea subiungit in tertio (Tex. 36.) Et qui ex his (scilicet per commutationem) fiunt.

PROGNOSTICON X.

Talis autem fuerit : nasus acutus, oculi caui, tempora collapsa , aures frigidæ , & contractæ , & earum extremitates auersæ , & cutis circa frontem dura circumtenta ac arida: & color totius faciei pallidus , aut etiam niger , & liuidus , aut plumbeus.

COMMENTARIVS.

Nescio , qua ratione Galenus diuiserit hunc Textum,atque adeò, vt paucula illa verba segregauerit ab aliis. Talis autem fierit:nasus acutus.Aut enim sibi licere omnia existimauit , aut nos omnino stupidos. Laudabam illum,qui optabat comata,quæ disiungerent orationum partes in libris, reprehendebatque eos,qui omitterent Et iure sanè quærimus enim ordinem atque distinctionem,at nostro Galeno,nescio qua ratione,non sufficit, vt satis leuiter omnia attingat,nisi etiam hoc ipso bono nos priuet, vt literam per se bene ab authore distinctam

 perturbet.

perturbet. Sed, eo omisso, cùm dixisset, eam faciem, quæ maximè contraria fuerit, esse horrentissimam, eam declarat, qualis sit: describitque sex partes faciei, à quibus sumitur faciem intelligendo satis ampla sub significatione: nam facies apud antiquos intelligebatur pars nuda capitis tota. Vnde Ruffus Ephesius (Lib. 1. cap. 4.) Caput intelligimus, & partem capillis contectam, & eam etiam simul cum facie παειὰν, & alij πρoσώπoν, vt Hippocrates (lib. 2. cap. 23.) vocarunt. Sed Iulius Pollux inquit: τὸ δ᾽ὑπὸ τῷ μετώπῳ, πρόσωπoν. id est, quod autem fronte est facies. Nam in animalibus aliis πρoτoμὴ, cùm de solo homine facies dicatur. Vt tria sint eius significata pro tota ea parte, quæ in capite à capillis detecta est: pro ea, quæ frontem ambit cum toto eo, quod in anteriore parte positum est.

O facies oculis insidiosa meis:

Et sic à Plinio (lib. 11. cap. 37.) describitur, & Horatius.

Mutatus, ligurinum in faciem verterit Hispidam.

Et videtur Meletius (cap. de Auribus.) pro παρμιαι cum diphthongo, genera interpretari, ὄχε᾽ οεμιν ἑλε παρειὸν, vt Homerus,

Cui pallor totam faciem comprehenderat ingens.

Et paulò pòst redit in priorem sententiam Non modò ex facie ipsa, sed oculis ac fronte, & nariũ forma, mores hominis animaduertunt, vt rursus faciem pro genis interpretetur. Hæc disputatio non de Grammaticis rebus, sed seriis instituta est. Sed eam meo iudicio discutit verbum τ̃ ξύμπαντoς, quod est, totius: ex Dialectica regula, cùm enim dictio totum significans adiicitur nomini habendi plura significata, debet accipi in generaliore. Sed difficultas est, quid per χλωρὸς significet: Textus, qui cum Galeno excessus est, totus corruptus est. Cum enim quatuor sint nomina in Græco codice, χλωρόν τε, ἢ καὶ μελαν ἐὸν, καὶ πελιὸν, ἢ μoλ. βεωῦδες, Laurentianus vertit viridem, aut nigrum De nigro nullum est dubium, de plumbeo etiam, & liuido Laurentiani manifesta est oscitantia, credo eum non potuisse emendare: sed de chloro discrepat non à rebus ipsis edoctus. Quis enim vidit mortuum viridem ne dum morti proximum? Galenus brassicæ similem & lactucæ ait. Idem in linguis Hippocratis pro viridi exponit affinia nomina χλωρὸς nimirum & viride, & pallidum, & croceum, significat colorem. Videtur Galenus significasse viride nigricans. Ego non vidi mortuos lactucæ, nec brassicæ similes, sed pallidos, alios quidem candidos, plerosque croceo quodam, aut liuido, aut nigro permistos. Nã vt declaratum est à nobis, viride omne est cum luce: sed mortui sunt expertes lucis.

Quid plura liuidum, plumbeum, & nigrum, subnigrumque sæpius videmus fitque niger propriè, cum sanguis ad faciem spargitur, inde coagulatur refrigeratus, & à vitali spiritu destitutus. Oportet ergo per Chloron illum colorem intelligere, qui inter colores mortuorum hic non adnumeratur. Constat autem hunc esse pallidum ad luteum vergẽtem. quẽ χλωρὸν nominauit aut Hippocrages, mihi autem satis videtur hac in parte adducere verba ex nostro libro de Coloribus ad loci huius intellectum. Quidam colores parum retinent luminis, atque nitoris, velut cinereus, & magis ferrugineus quidam verò multum, vt viridis, puniceus, & omniũ maximè candidus: pòst etiam purpureus: & quod magis mirũ est, cœruleus. Et rursus nil aliud est niger color, quàm luminis exquisita priuatio: & niger color non sentitur, nisi vt silentium, & tenebræ. Sed tenebræ à nigro differunt, quod tenebræ, neque ipsæ videntur, neque aliud in eis: sed nigrum videtur, dum alia videntur, in comparatione, scilicet ad illa. Ergo dum homo præparatur ad mortem, colores eos induit, qui sunt mortuorum scilicet, lucis expertes, album, non cãdidum: nam in candido, vt visum est, multa lux est, nigrum, & fuscum, liuidum, plumbeum, ferrugineum, vt est ferri rubigo, & subuiride: quatenus enim viuit, aliquantulum habet lucis, quatenus moritur, extinguitur interior lux ob animalem spiritum, tum vitalem, qui vndequaque spargitur per arterias, Atque id abunde est manifestum, vtinam adeò illud, quomodo oculis. Et in oculis quidem per neruos concauos, manifestè obticos vocatos: sed quomodo per faciem, dubium est. An verò transeant per neruos, dubitatione dignum est, cùm neque in illis sit sanguis, neque temperies spiritui congrua. neque meatus recti, & liberi. Propter ea existimãdũ est, omnes à corde transmitti: quod in magnis pauoribus manifestum est, quanquam etiam aliqui non ex toto palleant, refertis arteriis spiritu, aut sanguine venali, qui non tam celeriter fertur ad cor. Itaque videtur anima quædam vitalis hoc efficere, cum nihil iuuet, si ficcarius ingruat, aut nauis euertatur sanguinem ad ipsum cor contrahi: Vt etiam existimemus in corde non vitalem facultatem principem motus, & vitæ eius quæ cum sensu est, sed mistam quandam vim causam esse huius motus. Quod ipsum nos à magna dubitatione liberat, scilicet, non esse eam animã in iecore, vt existimat Galenus: neque enim ad iecur sed ad cor contrahitur sanguis. Quare vel necesse esset eam attractionem fieri à vitali motrice, quod non est verisimile, cùm totus sanguis contrahatur, vel fieri ab anima naturali, quæ in corde sit. Est enim anima illa, etiam Galeno teste, origo attrahendi expellendique in morituris, ergo principio iam valde debilitato, & euerso, par est multò magis calorem corrumpi, quàm in timoribus magnis, in quibus facies solùm alba fit.

Galenus tradit quædam de analogismo & epilogismo satis obscurè impropriis verbis desumpta ab aliquo alio authore quæ duxi explicanda non solùm, ne quicquam vtile prætermisisse dici possem, sed vt in explicando non confunderem commentaria. Sed velut alutarius cerdo simul extendit pellem, & polit, ac format: ita qui explanat authorem diligenter, dum aliorum sententias in medium adducit, & etiam vt lucem quãtũ operi adderẽ ex his verbis. Est ergo, quod propo

proponitur, huiusmodi. Ratio duplex est: vna quidem, quæ vocatur epilogismus, quòd scilicet ita sit: alia autem analogismus, cur ita sit. Quòd homines deos colant, epilogistica ratio docet: quoniam videmus omnes gentes deos colere: sed cur colant, alia ratio est, disceptant enim de hoc & philosophi inter se, & cum defensoribus Epilogistica autem rationis (hîc me Grammaticus forsan arguat, sed ego non curo: neque enim verbum aliud latine succurrit, cum in analogismo & epilogismo ratio contineatur, vtrumque enim rationis modus est discrimen. Aliud quidem ab effectu, velut, qui eiusmodi habent faciē, moriūtur: igitur facies hæc est maximè horrenda, & lethalis, alia à causa facies huiusdi à naturali aliena est, & maximè ei contraria: igitur horrenda & maximè, atque lethalis. Quod enim maximè naturæ inimicum est, naturam maximè etiam euertit. At analogismus causam docet, cur ita sit: cum ergo cur ita sit, effectum declarari non postulet, sed causam tantum. Manifestum est, analogismum vnius tantum esse speciei, cùm epilogismus sit duarum. De hoc epilogismo, & analogismo, loquitur quarto de Victu in acutis (Com. 44.) & libro de sectis (cap. 5.) & in libro de Medicamentis (cap. 1.) secundum genera, tum alibi. Sed huiusmodi, vt dixi, nugæ inutiles sunt, reuertamur ad ordinem.

Cutis circa frontem circuntensa, dura, & arida. Laborat Galenus, vt reddat rationem in huius, sed plurimùm abest, non vituperemus, satis sit bene voluisse, bonisque animus reliqua sunt diuini, vt reor arbitrij, & in aliis ad casum referuntur. In fronte tenuissimi sunt musculi, humidum etiam in ea parte tenuissimum est, cuius rei author est Galenus, nono de Vsu partium: calor etiam in ea parte vehementior est, vt quinta Aphorismorum Galenus super Aphorismo (cap. 14. Com. 69.) Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis. Cum ergo adsit tenuitas musculorum, humidum ibi subtile, non terreum, & calor abundans ob id fit, vt in acutis morbis tendatur cutis super extensa, & arescat, & fiat dura, hoc enim est declaratum à Galeno, secundò de Temperamentis (cap. 3.) quod siccum, durum, & humidum, est molle. Et siquis obiiciat, quod non debuit adiici, quia aridum est siccum, & siccum durum? Respondeo, quòd voluit nos intelligere de ariditate profunda, non superficialis non est periculosa, cum fuerit in summa cute. Durities etiam posset & maximè cum tensione prouenire ex plenitudine: ideò adiungitur vtrumque vt fiat sindrome.

Aures frigidæ, & contractæ, & earum extremitates auersæ. Cur contractæ? quoniam subest illis substantia cartilaginea, tenuis, & cui nil carnis superest. Quia enim cartilagineæ contrahuntur facilè, dum siccantur: & quia tenues, faciliùs: & quia sola cute sunt munitæ, facilè exsiccantur: neque enim ab humido carnis perfundi possunt. Cartilago autem membrum est exangue, cutis autem parum sanguinea, ideo refrigerantur: maximè tum etiam, quia exteriùs prominent. Vnde in hyeme, & à vento maximè refrigerantur, & aliquibus etiam in transitu montium corrumpuntur, adeòque vt etiam decidant. Febre autem seu extrema pars facilè auertitur retro: quoniam molles admodum sunt, vt siccatis neruis, qui admodum parui sunt: ad sua principia retrahantur.

Tempora collapsa, Hoc est quartum signum, quod ex notitia dissectionis prouenit: nam in temporibus sunt musculi carnei plurimi, quorum absumpta carne, concaua pars manifestè redditur atque adeò, vt vix quenquam latêre possit. Et non solùm hoc accidit morituris, sed extremo senio consumptis, & est horribile hoc signum per se, vt etiam narium illa angustia quantò magis simul iuncta. Non est adeo cauitas illa magna solum ex extrema consumptione, sed etiam contractione, & inæqualitate.

Quintum signum est, oculi caui. Hac in parte dicit Galenus mirabilia, cum enim inquit, humidi sint, & multò abundent spiritu, & calore illis consumptis concaui fiunt, at non ob id concaui fiunt, sed musculi, quibus alligati sunt, contrahuntur, atque ob id concaui fiunt. Quandoque etiam macilentius fit oculus circumcirca, vt videatur in cauitatē quadam positus.

De naribus autem acutis eadem videtur ratio, quæ in auribus. Ego tamen credo vocē illam ῥισοξεῖα significare narem astrictam, nam ῥὶς & si nasum significet, μυκτῆρες autem nares, tamen & ῥίν, ῥίς narem significant. ὅισι ῥῖνες υγρότεραι φύσει, (6. Aph. 2.) & illud κεφαλὴν πονέοντι κατὰ τὰς ῥῖνας πῦον ἢ αἷμα ῥύεν, (Aph. 10) vt nares significet vox illa singulari numero prolata, vt intelligeremus non acutum, sed astrictū significari. Oportet autem res contemplātem docere, vt videas hoc in morituris manifestissimum signum, & haud ambiguum. illud adeò obscurum, vt in multis non appareat vestigium illius. Ratio vltra experimentum docet id, nam nares, consumpto humido, cōstringuntur, cum sint cartilagineæ. Tum verò molliores, quæ nasi alæ nuncupantur, vt ipsæ vertex nasi, quasi ex vinculis iam degenerantibus cartilaginibus constet, vt Vesalius etiam docet (lib. 1. cap. 3.) Vnde constat, cur in morituris subsidant, vix autem fieri possit, vt nasi apex, consumpta tam dura substantia, attenuetur. Scribitur hæc sētentia in coacis prædictionibus: (pag. 8.) sed nil additum est ibi. Verùm quòd Galenus conetur Hippocratem sugillare, nō præter consuetudinem facit, illum enim vbique insectatur, nihilo æquior in illum, quàm in tot alios veteres: quos adeo lacerat. At res ipsa nihil est: in magnis enim frigoribus pallent homines, non tamen absumuntur. De senibus autem, nescio quid obiiciat Hippocrati, cùm ætas inter res naturales adnumeretur, at Hippocrates ad naturalem statum facit comparationem. An & vnus forsan iā oblitus erat Galenus, vt de eo malediceret. Sed de hominis. Notandum quòd antiquo tempore talis facies ab initio morbi erat frequens, ob malum victum: nostris autem temporibus rara, nisi ex causa externa.

Dignum est admiratione, cur Hippocrates reliquerit manifestissimum, & certissimum signum breui moriturorum, genarum

coar

coarctationem, & astrictionem è regione dentium, adeo, vt concauitas appareat ex vtroque latere, quæ omnia fiunt contractis musculis, cum gens ibi nil habeantur, cui immittantur.

PROGNOSTICON XI.

Siquidem igitur in principio morbi facies talis fuerit, & nondum ex aliis signis coniecturam facere licuerit: interrogare oportet, num vigilauerit homo, aut alui excrementa valde liquida sint, aut fames aliqua ipsum teneat? & siquid est horum aliquid confiteatur, minus graue esse putandum est.

COMMENTARIVS.

MVlti putant, me dicere, atque exponere ea, quæ nec cogitauerit Hippocrates, non quòd vera ea, quæ dicuntur, esse negent, sed negant ea ab Hippocrate esse excogitata. Ego verò, si ea illum dicere credam, quia ex aliis verbis deducta sint, etiam in illorum sententiam venirem: sed si illi putant potius me hæc existimare dicta, quia ille ratione ductus ea dixerit, & me magno labore liberant, & illi suum decorem reddunt. Veluti hic, cùm tria possent esse in causa, vitiosæ illius formæ natura, deprauata res præter naturam, & res contra naturam: scilicet morbus, causa, symptomatum. Docuisset autem, rem naturalem non esse formidandam, contrà naturam autem maximè formidabilem: nunc docet, eam, quæ præter naturam est, nec timore vacare, nec tantum timeri debere & iure merito. Exponit autem tria, vigilias alui, fluorem, & inediam, hæc enim omnia pertinent ad res naturales. De fame & vigilia haud obscurum est. De alui fluore patet in illo Aphorismo, (2. Par. 20.) Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, his senescentibus exsiccatur. Docet ergo nos duo simul Hippocrates, & quod non adeò verendum est à vigilia, & aliis, sicut si fiat vi morbi, & quantum noceant: tum huiusmodi in morbis acutis. De fame autem specialiter sexto Epidemiorum (Par. 3. Tex. 31.) Fames est inimica febriculosis. Galenus ibi nihil dicere videtur (2. Aphorism. 16.): Sed ait, vbi fames, laborandum non est, vt secunda Aphorismorum. Esset autem excusandus, si non tot nugis egisset paulò antè contra alios explanatores. Sed quis eum iure merito in tanta abundantia nugarum excuset de duorum verborum defectum? Videtur enim sensus fuisse, quemadmodum & vbi fames, laborandum non est, scilicet quòd tam in labore, quàm febre immodice. Siccat, & vires deiicit. At dicet, Nonne quantò morbus acutior est, eo magis tenui victu vtendum est, (prima Aphorismorum) Respondeo non, vt solet dici simpliciter, scilicet quòd præsupponitur fames, id est, illegitima inedia, hoc enim verissimum est. Sed oportet addere, quod dicere soleo in morbis partium, quæ ad concoctionem pertinent, velut lienis, renum pulmonis, cerebri, intestinorum non vtendum esse exquisitâ inedia, sed solum in febribus continuis, & acutis, tum morbis ventriculi, & iecoris, vbi inflammatione laborent. Quomodo autem in febribus abstinendum sit à cibo, super sexto Epidemiorum dicendum est. Fames ergo potest efficere hanc faciem accendẽdo calorẽ innatum, siccando humidum, debilitando vires, & replẽdo ventriculum malis humoribus. Vnde princeps (3. p doct. 2. cap. 7. in princ. medio, & fine.) Tolerare famem ventriculum virulentis replet humoribus, subiicit in fine, quandoque, At in medio addit: & calefactis habentibus rubram bilem in ventriculo, aut si in corpore is humor abundauerit, fames nocet, illis quidem per se: his verò, quoniam bilem ipsam ad ventriculum trahit, vnde etiam, cùm pòst comederint, cibi in ventriculo corrumpentur: vnde damna ea sequentur, tam in somno, quàm in vigilia, quæ ad corruptionem ciborum sequi consueuerunt. Per se verò id agit bilis, vt appetitum cibi destruat. Et in tertio libro (Tem. 13. Tract. 2. cap. 1.) docet, quòd ex effusione eiusmodi bilis ad ventriculum sequitur dolor eius magnus, & quandoque syncopis, & multa mala. Ita quòd fames iuxta principem aliquando non lædit, at in Aphorismo corporibus humidis famem adhibere conuenit. Quandoque lædit, sed non multùm: quandoque valde, cum intemperies calida est in toto corpore, aut abundantia, bilis, aut bilis in ventriculo. Quos omnes modos complexus est in eo capite (Com. 60.) Princeps: & sumpsit à Galeno, sexta Aphorismorum (cap. 13.) & tertio de facultatibus naturalibus. Ideo nil mirum, si fames inter hæc commemoratur.

De aluo autem liquidiore notãdum, quòd potest dici morbus, & solum etiam res præter naturam, seu non naturalis. Dicebat Hippocrates septimo Epidemiorum (Pag. 20.) Thyni filio in febre ardente inedia macerato, alui egestio multa, verùm cum bile, & animali deliquio, & sudore multò, fiebat: perfrigeratus est valde, & voce destitutus totam diem, ac noctem. Instillatum ptisanæ succum continuit, sapiebat, benè spirabat. Verisimile est, hunc euasisse: quoniam causa fuerat inedia superflua: inde fluxus bilis superueniens. Aluus autem liquida, vt quarto de Victu, in Acutis (Com. 40.) fit vel febrẽ colliquantem, vel per flegmonem, maximè iecoris. At hoc signi ratione contingere etiam potest aliis causis, vt ob imbecillitatẽ ventriculi, aut bilis impetũ, aut ob multas cruditates cõgestas. Cum igitur Hippocrat. periculum reiiciat in causam, efficientem vultum illũ adeò terribilem, quicquid ad causam pertinet, interiorẽ significatum non minuit: sed quod ad effectũ attinet, non videtur metuere adeò, veluti si dicamus (vt breuiter rẽ in compendiũ redigã, quam Galenus confundit multitudine verborum) fluor alui debilitat vires semper trifariam: primùm, quia cum malo effluit aliquid boni, vt sexta Aphorismorũ (Com. 27.) secundo, quia corpus agitatur, & debilitatur ex motu, & ex vigilia, & magis, si dolor adsit:

adsit: tertiò, quia priuant corpus alimento. Cùm ergo hæ causæ sint manifestæ, nil mirum est, si facies ex hoc possit permutari, nam quod de signis addi potest, vt quod sit febris colliquans aut pestilens, aut abscessus iecoris, hoc non inficiatur, quin non significet præsentem mortem. Oportet ergo, vt causam hæc habeant talem in morbum non adaugeat. De his autem causis externis addebat Galenus secundo de Victu in Acutis, (Com. 47.) rectè affectum oris ventriculi, quod est potentissimum. Præterea sanguinis magnam euacuationem, dolorem, & cum sæpe surgit.

Venio pariter ad tertium signum, scilicet vigilias: hæ enim mirum in modum vires debilitant, & non solum debilitant, sed consumunt etiam corpus. Non omittam tamen, quod scriptum est in Coacis Prædictionibus (Pag. 27.) Liquida alui egestio & aceruatim, & paulatim facta, mala est, altera enim vigilias (id est, paulatim facta) altera exsolutionem (id est, aceruatim facta) efficere poterit. Verùm, vt dixi, ipsa per se vigilia exsoluere potest hominem, idque bifariam primùm quidem coctionem impediēdo Dicebat Hippocrates in secundo de Diæta (Pag. 11.) vigilia exsatiatis cibo noxia est, non permittens illum liquari, & concoqui: ieiunos autem attenuat quidem, Verùm minùs lædit: cuius rei scientia ego viuo adhuc, & satis incolumis: id obseruans tota vita mea, quòd quotiens aduersi quicquam contigisset: contigit autem sæpius, vt ex eo vigilare cogerer, vel etiam sistatis temporibus, nam quater in anno, scilicet in singulis anni temporibus, solebam vigilare, & magna vigilia circiter octo dies, & vsque ad quindecim, adeò vt fermè nihil dormirem, raro excedente hoc malo, aliquando tamen memini peruenisse me fermè ad duos menses, semper à cibo abstinui, præsertim duriore, aut qui multum nutriret ratus concoqui illum non posse. Altera causa est, quod sensus, & motus fiunt per spiritus temperatos ab humido quodam dulci cerebri, quod cum absumatur per vigilias, simul etiam vigilare defectum eius humidi arguat: eo fit, vt corpus ipsum ex hoc & maximè partes circa faciem extenuentur.

Hæc quo ad expositionem litteræ sed nondum patet sensus Hippocratis ille quæsitus, scilicet profundus, & ordinatus. Quærendum est igitur, quomodo facies eiusmodi ex morbi prauitate apparere soleat, quasi perterrefacta natura? In hoc bene Galenus, ita in aliis, Vtinam, inquit, hoc maximè contingerem in quibusdam febribus, in quibus ob prauitatem exhalat absque sensu vitalis ille calor, atque cum eo humidum ipsum innatum. Sunt autem tales febres, quas vocant syncopales minutas, de quibus agit Galenus duodecimo artis curandi (cap. 6.) Sicut secundum genus est colliquantium, de quibus iam egerat ibidem (cap. 5.) & tertium pestilentium. Dico præter hæc etiam in quibusdam morbis exitialibus valde hæc accidunt, velut in pessimis phrenitidibus, & angina perniciosa, & peripneumoniis valde acutis, & abscessibus circa cor, & repentinis quibusdam motibus atræ bilis, & eruginosæ illius splendidæ, non prassij coloris, & in sphacelo iecoris, & cerebri, & venenis præsentaneis ebibitis, & in percussis ab illis serpentibus, qui primas obtinent in hoc vires aduersum humanum genus, & in attonito etiam morbo, & in deprehensis, & in ventriculi malo maximo, iuxta os eius, propter consensum, & in eo malo. In omnibus his ab initio ægri facies solet parum à mortui facie differre. Sicut etiam in vulneribus cordis cerebrumue, aut iecoris iuxta venam cauam, & vbi magnus statim effusus sanguis, maximè diuisa arteria magna, & in vulnere ventriculi, & vbi ex vulnere statim conuulsio accidit. Et in sphlegmonibus maximis internarum partium, qui ex bile fiunt, & cum rumpitur in his locis longa vomica. Cur autem ab initio hæc? solent enim vultus hi multò magis procedente morbo apparere, & sēper decernunt mortem, imò magis quàm ab initio: nec hoc latuit Hippocratem. Sed ad gloriam Medici, & ad curam ægri tum nil prosunt. Ad curam quidem: quia, nisi ex errore contigerit, nulla est spes salutis: ad Medici gloriam: quia etiam fabri tum moriturum dignoscunt: collabuntur enim omnes vires tum, quamobrem non dixerim cum Galeno, hæc signa non habere significatum, sed non habere neque vtile Medico, neque ægro.

Causæ autem illæ externæ, vt ita dicam, quæ quam multæ esse possunt, vt timor, ingens tristitia, potus aquæ putridæ, atque eiusmodi, ad tres reduci possunt, nam cum vita nostra constet calido humidoque, & ipsius corporis compagine, tria etiam sunt, quæ illam dissoluere possunt. Apparet autem easdem esse causas dissolutionis vitę & signorum, per quæ vitam dissolui intelligimus. Omne ergo, vt breuiter dicam, quod immodicè exsiccat, aut refrigerat, aut propria natura calorem innatum destruit, vt vulnera principalium membrorum venena exitialia, & sanguinis immodicæ effusiones, & quod immodicè siccat, aut refrigerat, eiusmodi est. Debuerat frigus esse potentius: attamen, quia calor faciliùs reparatur à calore, & frigus depellitur, quam siccum ab humido, est enim humidum omnium qualitatum in agendo imbecillissimum, vt calor potentissimum. Propterea frigidū celerrimè occīdit, pōst, siccū: siccum autem certius, quā frigidum. Concludit ergo, quod antequam Medicus proferat iudicium, non ob gloriam suam in hoc, sed ne fallatur, & vt effugiat vituperationem astantium, & publicam, debet sciscitari, an æger aliquid tale passus sit, non quòd velit ex hoc, vt Galenus inquit, gloriam quærere. Neque enim Galenus Proxenetam nostrum vidit, vbi docemus, non esse commercanda vilia magno prætio, id esset, velle prædicere, quod quisque alia arte cognitum, quàm medicina existimare posset, & si decipi contingat, erubescere: vt non sit par gloria dedecori. Propterea videamas quid subiiciat. Verba autem illa. Et nondum ex aliis signis contecturam facere licuerit: intelligit, quod non possumus coniectari, quòd ipse sit moritus, per alia signa declarantia vim morbi: qualia sunt, sputum, vrina, egestio bona quæ significant faciem illam non ex morbo talem

talem factam esse, aut omnino malam, indicent mortem futuram, vt ridiculus sit Medicus talia quærens. Vult enim, vt refugiat Medicus, quantum potest, interrogationes, sed multò magis errorem in prædicendo: quia in morituris prædicere oportet.

PROGNOSTICON.

Idem cum præcedente.

INdicantur autem talia in die, ac nocte, si ob has causas facies talis fuerit. Si verò nihil horum esse dicat, neque in prædicto tempore considat, nosse oportet morti (ægrum) proximum esse.

COMMENTARIVS.

CVm proposuisset tria, in quibus contingit falli Medicum vt mors ex tam horrendis signis non tamen sequatur: vel vt facies illa parum distet à naturali, vel vt sit vitio rei non naturalis: vel vt non sit ab initio, de quo mox dicturus est. Circa secundam admonuit, vt sciscitaremur ab astantibus, an aliquid, quod exolueret naturam, incidisset? Sed talis interrogatio dupliciter poterat non satisfacere. Vel quòd astantes nescirent, quid accidisse ægro, velut contingit his, qui furtiua venere vtuntur: qui flagitium aliquod perpetrarunt, & diseruiantur occultè: qui timent à Principibus sibiipsis conscij, nec detegi volunt: & ita Medicus posset decipi, & existimare, quod contigisset morbi causa, & errare in iudicio. Secundò, quòd contraria ratione astantes narrarent id ipsum accidisse vt pote, famem, vigilias, ne tamen ob id, sed morbi vim interiret æger, cùm Medicus ob relationem non timendum existimaret. Admonet in vtroque casu Hippocrates, expectandam esse diem naturalem, id est, viginti quatuor horarum, quòd die & nocte completur, & hoc est certius indicium. Nam dicit, Si fuerit vi morbi, omnia hæc signa non considebunt, sed manebunt: sin autem ob vnam causarum prius connumeratarum, aut similem confidebunt, & mitescent, nec manebunt signa illa horrenda. Vnde nonnulla notatu digna intelligimus. Primùm quòd dicit, Si neque subsidant, neque tale quicquam accidisse dicant, tunc mortem proximam esse: Si ergo non subsidant, non tamen necesse est ex vi morbi talia adesse. Potest enim hæc noxa ex vigilia & fame perseuerare, licet rarò, etiam vltra vnum diem. Est & alia quæstio, quomodo fames sit adeò noxia in valde acutis morbis, cum cibus in his prohiberi soleat ab Hippocrate (Contrad. 41.) sed de hoc in quarto Contradicentium. Rursus, quomodo præfiniat vnam diem ad restitutionem, etiamsi pluribus diebus vigilauerit, aut inedia sit consumptus? Dico, quòd præsupponit duo. Primum, vt tollatur causa, nam ea manente, non cessaret affectus ille, imò magis augeretur. Secundum, quòd vultus in melius commutabitur: quia in viginti quatuor horis est vna nox pro somno, & vna dies, in qua bis cibari potest, & æger à surgendo quiescere, & ita incipiet commutari vultus in melius, non quòd cesset prorsus facies illa horrenda. Sufficit ergo, vt in melius commutetur, & mitigetur. Quarta dubitatio est: quia talis facies ponitur pro lethali, vt bona pro significante salutem. Attamen secunda particula sexti Epidemiorum inquit Hippocrat. (Text. Com. 35.) Quòd in magnis morbis facies optima optimum est signum, vt in paruis non bona malum est signum, Galenus suo more omnia implicat: sed hoc facit ad præsentem sententiam. Tantum enim tribuit ibi Hippocrates faciei signo, vt quasi securiorem magnum morbum esse velit, cum optima facie, quàm paruum cū mala facie. Et hoc est, quòd videmus sæpe morituros breui, pridie quàm ægrotent, & etiam perendie, habere pessimam faciem. Et hoc est, docere res vtiles, quas quotidie inspicere licet: & non nugas illas meras, quas Galenus, vt in eo commento apertè videre licet, scripsit. Nam per hanc & illam Hippocratis sententiam docemur, vbi talis facies appareat, etiam dum sanus sibi videtur homo, cauendum à vino, cibis, venere, vigilia, laboribus dedereque se lecto, ex quo multi effugerent mortem, & forsan etiam morbum qui hæc negligentes, intereunt.

Quintum quæsitum quasi ex præcedenti dilabitur, & est, cur quibusdam eueniunt morbi lethales, sine mala facie? Et breuiter dico, quòd quatuor in casibus homo moritur ex morbo sine facie mala ab initio. Primum, cùm morbus est diuturnus. Hippocrates autem hîc loquitur de acutis solum, vt antea diximus. Secundus est, vt cùm ipsæ fuerint densæ texturæ cutis, & carnis, cuius corpus non facilè resoluatur. Tertius cum moritur ex errore in cura non est necesse, vt facies ab initio affligatur, quoniam morbus neque ab initio lethalis est. Quartus, cum moritur ex multitudine materiæ, vt quasi suffocetur, vel ob obstructionem, vel caloris magnitudinem, & non adest qualitas alia mala præter putredinem, quæ ab initio non solet esse tanta, vt virtus & calor simul dissoluantur.

Sextum est, an in huiusmodi casibus dissoluatur virtus, an calor? Et respondeo, quòd licet ambo, vt aliàs declaraui, diminuantur in huiusmodi, tamen facie magis diminutas esse vires, quàm calorem, significantur. Quia etiam pueri in illas incidunt, in quibus calor viget. Et si adsit constantia pulsus, hoc magis indicat vires constare, calorem autem esse diminutum: secùs, contrarium dicendum est. Dico hoc, quòd, vt dixi, & in phreniticis, & in sphacelo cerebri, & vomicis, pulmonis, & iecoris ruptis, calor magis manet, sed virtus dissoluitur. Et cùm virtus dissoluitur, & calor manet, tales moriuntur strangulati. Circa hoc notandum, quòd ægrorum aliqui cum signis lethalibus non pereunt, de quibus dixit, aliqui cum eis, & repente moriuntur, & hos docuit. Sunt & qui repente sine huiusmodi signis, aut non admodum euidentibus, intereunt: in quibus Medici, si non admodum oculati sunt, decipiuntur, &

repentino

repentino exitio perturbantur, non sine infamia. Nam illi, de quibus prædicere Hippocrates docet, absque Medici admiratione, & infamia obeunt. De aliis autem innuit Galenus, cum docuit eorum obitum prædicere, qui in circuitu & vigore accessionis pereunt. Moriuntur ergo tales omnes vel exolutis viribus, vel suffocati, aut vtroque modo exoluti, aut aperto abscessu. Sexta Aphorismorum (Tex. vigesimo sexto.) aut veneno suffocati, vt in initiis accessionum. Vtroque modo, cũ abscessus magnus in loco angusto & nobili rumpitur. In quibus autem mors sequitur ruptum abscessum, quouis modo vomitus magni ante vel post mortem id significant.

Septimum dubium est, quòd sunt quidam morbi, in quibus ex propria natura apparet huiusmodi facies, vt in febre syncopali, quã minutam vocant, de qua Galenus Duodecimo Artis curandi, maximè si non nutriantur. At in his non adeò graue est periculum, vt in his, qui sine causa externa ad hoc deueniunt: maius tamen: quàm in his, qui ex inedia sola, non morbi natura, ad hoc deuenerunt.

Vltimum quæsitũ est: quia videtur Hippocrates velle, vt signa initij morbi sint efficaciora signis status. Pro quo vide Quarto Contradicentium.

PROGNOSTICON XII.

AT si vetustior sit morbus, quam triduanus, talisque appareat facies, de his interrogare oportet, de quibus etiam iussi. Itemque alia signa considerare, & in vniuersa facie, & in corpore, & in oculis.

COMMENTARIVS.

HÆc est tertia exceptio de morbo, qui iam non sit adeò acutus, in quo par est, non tam celerem mortem significari: quia serius hæc apparent: igitur morbus mitior est quare neque adeò certa mors expectatur. Sed oportet alia addere signa, quæ si adsint, tunc morbus lethalis erit. Hæc autem iubet inquirere ex tota facie, & corpore, & oculis. Præuidit autẽ cõsiderandum esse, quòd omnes ægri perituri ad hoc deueniunt: sed non omnes, qui ad hoc deueniunt, moriuntur. Constat igitur sententia horum verborum in tribus, quorum primum est. Quouis tempore (hoc enim significat, cùm de processu & incremẽto morbi locutus sit.) hæc facies, contingat, interrogandus est æger, vel astantes, si aliquid contigerit? scilicet, si ex causa prouenit externa, tunc spes est, posse sanari. Quia si in sæuiore morbo, multò magis in mitiore.

Secundum est, si nihil horum acciderit, alia, quæ dicit, sunt exploranda Quod autem intelligat, si talia signa non adsint, tunc perpendenda esse hæc alia signa, clarum est. Quia priùs dixerat, & hîc etiam dicit, considerare oportere colorem in vniuersa facie & sunt eadem verba, græca scilicet, ἐνξίμπαντι προσώπῳ, & infrà (Tex. 10.) cum dixisset superiùs oculi caui dicit oculi eminentes, at nõ possũt esse simul caui & eminẽtes. Præterea quorsum quærere alia signa, cum ista sint validissima? Et hic error accidit propter Galenum, qui oscitanter locum interpretatur & inconsideratè. Inquit enim: ergo tunc iis, quæ dixit antea (Com. 9.) signis addendam censuit ductam ab aliis signis determinationem: cùm palàm sit de aliis ægris illum loqui, in quibus priora signa minimè apparuerunt nam priora sunt vehementissima, & certissima. Vnde in his, cùm dixisset (τὰ σημεῖον θανατῶδες ἔον) id est exitiale valde est: De illis autem (ταῦτα πάντα νομίζειν, καὶ ὀλέθριον εἶ) id est mala sunt, & perniciosa. Hoc autem minus est, non solùm, quòd minus sit ὀλέθριον, quàm θανατῶδες, sed quia ante id verbum ὀλέθριον, quod est perniciosum, proposuit, omnia talia mala. Et hoc est, quasi dicat, mala sunt, & potius ad perniciem, quàm ad salutem tendunt, cum de illis simpliciter protulerit, lethalia esse. Et vult sumi signa à facie corpore, & oculis. Ob id, quòd oculi sunt proximiores cerebro situ, via, & natura, omnibus aliis partibus faciei, à tota facie verò, vt in sequenti textu (vel totius vultus color euariet.) Dicebat Princeps Tertia decima tertij (Trac. 1. cap. 17. iuxta medium:) Color magnam vim habet ad significandum dispositionem ventriculi, & plerumque iecoris. Plurimæ enim ventriculi affectiones sunt frigidæ, & humidæ, & color est plumbeus: & si est pallidus, declinabit ad albedinem. Et paulò pòst (capite 19. Et color eius qui ventriculum habet frigidum, est albus, & pallidus, nec latet expertum. Et pòst quarta decima tertij (Tract. 2. capite 2.) Et medicus quidem expertus cognoscit opaticum, & stomaticum omnem per colorem suum, non egens cum alio, significatione alia simili huic. Et ideo color ille niger fit à iecoris corruptione, aut lienis: liuidus autem, & plumbeus similiter significant vltimam ventriculi imbecillitatem sed tamen non fit ab illa, sed ab extinctione caloris: viridis ab exustione valida. Et generaliter fiunt corrupto iecore, ad similemque colorem declinante. Vt Galenus, qui primo de locis (capite quinto) refert, non colorem faciei, sed totius corporis ad iecur, vel splenem, vel hæmorroidas. Concludendo dico, quòd viridis color in facie indicat sæuientem exustionem, niger exactam, pallidus refrigeratum corpus, & extinctum, calorem naturalem, vel ob exustionem, vel suffocationem. At in corpore, vt nuper dixi, & infrà exponetur, nam plura sunt in toto corpore indicia, quàm in sola facie. Tertium est, quòd cum dixit consideranda signa illa in vniuersa facie, & corpore, si intelligere de habentibus faciem illam horrendam, cum illa tractatio extendatur à capite ad calcem, oporteret, vt totus liber Prognosticorum esset de habentibus illam faciem: quo nihil absurdius, vt etiam vellet & sanandos, & morituros post vigesimam habere faciem hanc Hippocraticam

craticam à morbi initio, vel paulò pòst. In huiusmodi absurdissima incidunt addicti nomini alicuius, qui fastu solo turgeat. Demū verò ex his intelligere oportet, Hippocratem non solum nos monuisse, vt abstineremus à prædictione, sed in omnibus morbis malè curatis, cum postmodum bene curantur, euadere poterunt, tametsi deplorati videantur: alij interite etiam de quibus spes esset cum vel ab aliis solis, vel etiam te præsente perperam curantur. Ideò tutissimum duxerim de solis tuis ægris prædicere, aliter in multas difficultates incidere necesse est: & aliquando forsan etiam errabis. Ex hoc loco desumpta est illa triplex significatio principij, pro ipsa statim prima inuasione, pro tempore cruditatis materiæ, & pro primis tribus diebus, de qua Primo de Crisi.(cap. 6. 7. 8.)

PROGNOSTICON XIII.

SI enim lucem fugiant, aut inuoluntariè lacrimentur, aut distorqueantur, aut alter altero minor fiat, aut alba eorum rubra fiant, aut venulæ liuidæ nigræue in ipsis sint, aut lemæ, aut sordes circa oculos appareant, aut etiam instabiles, aut eminentes, aut vehementer caui facti sint, aut squallentes, & obscuri, vel totius faciei color alius factus sit: hæc omnia mala, & pernitiosa fore, putandum est.

COMMENTARIVS.

NOn intelligi debere omnia illa signa, cum aliquo istorum indicat illud oculi vehementer caui. Nam si caui iam supponuntur, quorsum expediebat addere hìc illud (vehementer) hoc superius demonstrauimus. Et ideo sensus est. Itemque alia signa considerare, id est vt sit initium tertiæ constitutionis faciei. Sed minus malè, id est si ab initio fuerit talis, qualis præscripta est facies, morietur statim. Sin autem post tertiam diem, vel paulò serius factis interrogationibus, & reliquis, & hoc erit valde exitiale. Demum si nihil horum contigerit, tunc oportet inspicere oculos, totam faciem & totum corpus. Et sic illa signa erunt in tertio ordine. Et hic solus est genuinus sensus. Proponit ergo duodecim signa lethalia, quorum vnum solum est à tota facie, reliqua vndecim sunt ab oculis. Primum ergo est lucis fuga, quam dicit Galenus accidere ob virtutis imbecillitatem. Adducit exemplum contra propositum in opthalmiis, quas isti vocant, vt aliàs, lippitudines. Refugiunt enim homines lucem, sed non ob imbecillitatem, verùm potius ob spiritus inflammationem & caliditatem, refugiunt & lucem ob imbecillitatem, cum oculus est sine spiritu animali: sicut accidit nuper experrectis à somno, cùm spiritus intus erant ob somnum contracti: & item venientibus ex tenebris. Et ideo dico, quòd oportet distinguere hoc signum per causas: cùm enim ambo sint valde mala, vbi non adsit lippitudo vnum tantum significat cerebri inflammationem: & est constantius signum mortis. Sed non adeo celeris: hoc verò celeris, sed non tam certum. Dicit Galenus (libro de Symptom. Differen. cap. 3.) quòd oculi ob lucem dolorem patiuntur. Sed non dixit, quomodo. Dico ergo, quod Crystalloides à luce externa tactus incalescit, sicut cum manus frigida ad ignem posita dolet, si non adsit calor innatus. Præterea atrahit spiritus extra: & ita dupliciter læditur oculus ex luce, cùm est debilis, est enim multus spiritus ei temperamentum. Indicium causæ est, quòd si fit ex inflammatione cerebri, apparent venæ rubræ in oculis, capitis dolor, delyrium, vigilia, splendores obuersantes: & tamen, cùm hoc si vident, longiùs vident & in obscuro. Sin autē sint ex imbecillitate læsi, nil horū apparet, sed eorum loco syncopis lipothomia, & non vident procul, & sunt fermè immobiles. Et similiter curatio est ex toto diuersa. Quantum verò referat, vides, nam incipientem (confirmatam enim non sanabis) Galenum secutus, cibo curabis, & interficies: nos si sequaris, balneo capitis assiduo sanabis. Ita in aliis: Scribitur in Coacis Prædictionibus: (Pag. 9.) Aut si inuoluntariè illachrimentur, hoc est secundum signum, in quo rursus eodem lapsu cadit Galenus. Cum enim sint tres causæ, lacrimarum, morbi, oculorum, qui possunt esse plures, caliditas cerebri colliquans, & imbecillitas, meminit primæ & tertiæ prætermissa secunda. Horum sunt signa diuersa, vt causæ, & prognosticum. Differunt in hoc, quòd lacrima in omni casu minus lethalis est, aut mala, quam non posse ferre lucem. Incipiunt opthalmiæ cū lacrima, sed cùm confirmantur, lucem etiam refugiunt. Dictum est à nobis super eo Aphorismo quartæ particulæ (52.) quibus in febribus, vel aliis ex morbis lacrimæ inuoluntariæ profluunt, id esse absurdiùs, quàm si ex voluntate, nam vt dixi, vehementem oportet esse caliditatem: quæ tamen colliquet aquam, cum maximè cerebrum est siccum: & cum humectatione indigeret. De lacrimis fluentibus in morbis acutis scriptum est in Prognostico (libr. 3. Tex. 33.) infrà dixit, Lacrimas ostendere fluxum sanguinis, narium fluxurum. Sed hoc est signum decretorium: ergo non potest sic apparere in principio morbi. Est igitur neutrum hoc signum, & potius ad bonum, sed non comparatione temporis: neque in opthalmia, quæ non præsupponitur, quibus duobus casibus è quatuor sublatis relinquuntur duo illi, de quibus agit Hippocrates in textu, ambo mali, ac pernitiosi. Itaque adducit Galenus loco præallegato Hippocratē, ex libro primo Epidemiorū, dicentem, lacrimas esse iudicium fluxuri sanguinis in decretorio. Et est ad propositum. Quibus in febribus acutis magis ardentibus

lacrimæ

lacrimæ inuitæ defluunt, in his sanguis è naribus eruptionem expectare oportet, si etiam alia perniciosè non habeant, nam in his, qui malè se habent, non sanguinis eruptionem, sed mortem significant. (Sec. secunda Tex. vigesimo quarto) In sexto autem de Morbis vulgaribus. (Paralipomen , prima Comment. vigesimo quinto) Id quoque in morbis acutis fieri cernitur , tum summè aridi sunt , & vires imbecillæ , perexiguis lacrimulis ab oculis excidentibus, deinde iterum inarescentibus. Constat ergo, quòd in huiusmodi lacrimis oculus aridus est : seu sint ob imbecillitatem, seu ob cerebri inflammationem. Quæ quidem maximè obseruanda sunt. Multa alia magna signa addit Hippocrates Sexto Epidemiorum(Par. prima à vigesimo secundo Tex. ad vigesimumoctauum) sed nō omnia illa sunt lethalia, tametsi valde praua Omnia, quæ circa oculos, si exaruerint, vt ibi dicit.

Aut distorqueantur. Distorquentur (dicit admirabilis Galenus) oculi conuulsis musculis eos commouentibus, quòd si fuerit illorum tantummodo affectus, nihil difficile significatur. Si verò principij neruorum (quod quidem cerebrum est) summè exitiosum est. Propinqui enim musculi principij affectum , priusquam cæteri , præsentiunt, interdum hi , qui in oculis sunt , de quibus nunc dicit , quandoque crotaphitæ , id est musculi temporum nominati , de quibus libro de Articulis(lib. 2. Com. 3.) indicauit. Hæc postrema verba obscura sunt prima falsa : reliqua, quæ medium locum obtinet, vera sanè. Et certè oporteret magnum pelagus hîc ingredi. Primùm , quomodo possit fieri conuulsio non compatiente cerebro , est enim conuulsionis diffinitio, quòd sit contractio nerui , seu musculi ad suum principium. Inde, quòd propinquarum partium cerebro, & adeò nobilium, careatque metu maximo , absurdum est Deinde in febre acuta ipse etiam fatetur præsens periculum. Quarta Aphorismorum (Com. 57. & 66.) Nunquam etiam in acuta febre casum hunc imaginarium accidere vidi : multò minus puto illum , qui longè pauciores, quā ego , ægros curauit , scilicet , vt oculi in acuta febre distorquerentur citra maximam noxam , mihi nunquam videre contigit citra mortem. Non me latet , quòd differentiam facit inter totius & partis conuulsionem : quandoquidem generalem toti corpori videatur velle esse solum lethalem. At ego hanc propriam membro non intelligo, & præcipuè in oculis , adeò propinquis cerebro , atque nobilibus. De musculis crotaphitis meminit ipse Galenus libro de Dissectione musculorum (capite sexto) quos etiam vocat temporales : qui sunt quatuor in vtroque tempore mandibulam mouentes. Quare nescio quorsum illorum meminerit in oculorum distortione. Locus ille in libro de Articulis(Pag. vndecima) est, vbi id docet, quomodo moueant hi musculi mandibulam inferiorem. Et apud Galenum in secundo (Tex. & Comment. quinto) vbi alios vult esse temporarios , scilicet qui os concludunt mandibulam sursum trahendo : alios verò mandibulam circumcirca agentes, dum homo cibum atterit. Sed tamen nullibi meminit , quòd oculum contorqueant conuulsi vel quouis modo læsi : solent enim contorquere membrum , quòd etiam mouent. Scripsit de his non semel author Prorrhitici (Prorrhiticorum 35. & 49. & 57.) Primùm ex lumborum recursione oculi peruersio mala : & idem in ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione deiectionibusque aquosæ bilis , multis peruersio oculorum signum malum : tum aliàs , tum si catochi fiant. Et rursus : In oculorum peruersione cum febre & lassitudine rigor perniciosus : comatosique in his malè habent. Galenus solum primum dictum declarat, idque solum tenuiter : scilicet quòd compatientibus lumbis oculi retrahantur , conuulsa parte. Meliùs ergo hîc claudemus hanc sententiam distortis oculis , quòd ex conuulsione accidit prauum per se signum : tum quia prope cerebrum affectus est & in nobiliore parte , vt natura videatur deseruisse corporis regimen, tum verò periculum imminet , ne humidioribus & tenuioribus , siccatis musculis , morbus propagetur in musculos maiores , licciores, & longius distantes , vt etiam pectoris: vnde prohibita respiratione mors sequatur, Nam mortis modus in conuulsis talis est.

Aut alter altero minor fiat. Hoc est quartum signum , in quo hallucinatur Galenus, cum dicat hoc esse indicium facultatis , quæ in eo extinguitur : & prorsus secus est, est enim signum siccitatis eximiæ , ex qua oculus non nutritur , & exiccatur. Adiuuat & ad hoc cauitas maior : profunda enim minora videntur , quam quæ mediocriter distant. Cum verò loquetur de cauitate , de vtriusque oculi cauitate loquetur. Ita hic modus ab illo distinguitur. De facultate præterea extincta , si iam vult esse significatum per primum signum , vel oportebat vtrumque coniungere , vt dixisset. Si enim lucem fugiunt , & alter altero minor fit , at hoc non fecit : quin imò non coniunctionis solum notam non addidit , sed eius loco disiunctionis potius: verùm interposuit. Aut necesse est alteram expositionum non esse veram : aut forsan stuporis voluit accurare Hippocratem. Quod si dicat, si per defectum facultatis , intelligere defectum nutrimenti , aliud est. Sed quàm bene conueniunt , facultas videndi est animalis nutritionis naturalis vno oculo propria , vel à iecore transmissa , alia à cerebro. Si dicat se intelligere de naturali facultate, quæram ab illo , quomodo possit ex morbo vniuersali perire facultas innata in vno oculo ? Tandem deueniendum est ad hoc , quod solum verum est , cum reliqua sint diurnæ imaginationes : siccato cerebro ea in parte magis non transmitti alimentum ad oculum præsertim ad vitreum humorem , ex quo crystalloides nutriri solet: vnde humorem illum siccari, & vtrumque pariter. vnde tunicas etiam partim con

considere, partim contrahi. Vnde nec hoc animaduertit Galenus, qui non solum non rectè causas inuenit, neque exponit, sed nihil tale vidit, non oculum totum minorem fieri, sed pupillam ipsam, quam Hippocrates ex communi consuetudine oculum appellat; nã ea minore facta, totus oculus videtur specie minor, cum tamen sola pupilla, & verè, sit diminuta. Dicebat in libro de Coacis Prædictionibus (Pag. 9:) Et alterum oculum fieri minorem, malum est.

Aut alba eorum rubra fiant. Quintum signum est vt alba oculorum fiant rubra: Dicit Galenus in commento, quòd hoc contingit ob copiam (supple sanguinis) vel in cerebro, vel in membranulis coacti: interdum ex inflammatione ipsarum partium, quæ in eo facta fuerit. Nam vtrouis modo, dicit, sanguis in venulas exprimitur: & ob eam rem pars in eis candida rubra apparet. Quæ corolla appellata ambit oculum circiter, quam per dissectionem docuimus omnium oculi membranularum atque tunicularum copulam quandam haberi, vt ambientis caluam membranulæ terminus ad eam vnà cum venulis permeet: Docuit enim hoc in decimo Anatomicarũ aggressionum. Attigit & hoc in decimo de Vsu partium (In princ.) Censet autem de venulis, non substantia oculi debere intelligi: subiungens ad huius opinionis fidem, quòd infrà statim dicat (cap. 2. in fine.) Aut venulæ liuidæ, aut nigræ in ipsis sint. Sed quãquam de venis etiam hoc intelligi possit non tamen per alba oculorũ venas intelligere oportet. Videtur hic homo paucos curasse ægros: licuisset enim videre alba oculorum rubra, non perfectè (hoc enim, inquam, fateor rarò accidit) lucida, ac quasi splendida, quòd à cerebri inflammatione, aut membranarum oritur. Et plerique horum, vt antea dixerat, lumen refugiũt hoc dixi: quia venulæ rubræ solum sunt morbi oculi potius signum, quam exitij. Vix enim fieri potest, vt si propter febris vim hoc accidat, quin etiam rubescat oculi ipsa substantia. Et si de venis intellexisset, vno signo, quemadmodum lucidas, & nigras, comprehendere poterat.

Aut si venulæ liuidæ nigræue in ipsis sint. Nisi proprius affectus oculi sit in causa, quomodo sanguis ibi lucescere, vel nigrescere potest, nisi in maximo morbo? siquidem liuor & nigrities, dicebat Galenus fiunt à frigiditate. Hoc non est generaliter, verum de nigro fit enim nigrum à frigore, & à calore. Verum est, quod nigrum, si fiat ex liuido, fit à frigiditate: sed frequentius fit à viridi, flauo, & rubro, & tunc fit à calore.

Aut lemæ. Lacrymæ congelatæ, dicebat Plin. (lib 23. ca. 1.) In græco codice λήμη: vbique & apud Gal Causam ergo harum, non pituitæ (vt malè verterunt) declarat in commento hac ratione Lemæ fiunt ex mala coctione, quæ in lippitudinibus accidit, tum ob imbecillitatem oculi, tum ob abundantiam humoris. Sed in laborantibus acuto morbo, & maximè cum oculis cauis, non potest esse abundantia humoris, imò nec solida quãtitas. Ergo si fiant lemæ, erunt vitio imbecillis valde facultatis, igitur mortem significabunt.

Aut sordes circa oculos appareant. Differũt hæc à lacrymis, & pituita, & conueniũt in causa dicta, scilicet quòd in hoc casu fiunt præ nimia imbecillitate. Omitto modò, quòd non supponantur oculi concaui (quia Galenus, vt dixi, suprà legit (In princ. com.) cum illo, nares acutæ, oculi caui perperam) Dico, quòd febris magna, quæ in acuto morbo semper comitatur, siccat oculos, vt non possint talia, nisi ob magnam prouenire imbecillitatem. Habent lemæ & sordes hæ, vt dixi, vt fiant à magna siccitate: adeo vt propter imbecillitatem naturalis caloris generetur pituita, & ob siccitatem præter naturam cogatur in lemas & sordes; sed lemæ sunt coloris liuidi, & sordes citrini, seu pallidi, aut propè.

Aut etiam instabiles. Nonum hoc est signum, de quo Galenus dicit, quòd significat delyrium, vel tremorem, & delyrium cum imbecillibus viribus mortem significat: sed tremor cum siccitate est insanabilis; igitur vtrouis modo mortem significabunt. Verum Galenus non declarat, quare tremor oculorũ significet, aut musculorum tremorem. Nam primum est prorsus ignotum, sicut quod dicitur, nam tremoris musculorum causam docere oportet. Dico ergo, quòd oculi instabiles fiũt vel ob musculos, qui pungũtur à vaporibus acutis, vel à caliditate nimia, calidi enim est mouere, ab vtroque autem delyrium contingere solet absque dubio. Quomodo autẽ palpitatio hæc contingat ex tremore musculorum, suo more intelligendo tremorem, non est adeò facilè ostendere. Dicitur etiam nictatio, sed de palpebris, non oculis ipsis, in Coacis Prædictionibus (Pag. 9.) & est tantò minus malum oculo instabili, quanto palpebra oculo ipso est ignobilior. Circa hoc igitur Galenus dicebat secundo Prorrhitic. (Com. 11.) Oculi immobiles fiunt ex contrariis causis, ex quibus instabiles, fiunt enim vel à musculorum resolutione, vel à tensione valida in vtramque partem, vel à summa imbecillitate: vnde mors manifestè ex hoc impendet: maximè ex duabus postremis causis.

At ergo dicetis, cur Hippocrates hoc prætermisit? Dico, quòd illud per hoc intelligebatur à contrario prætermisit notissimum. Nam illud etiam plebs nouit, quòd fixus omnino intuitus est morientium: ne dum vt Medici id soli dignoscant. Solet etiam istud accidere, cùm non vident, aut cum delirant, aut cum ectasim patiuntur: quod frequentissimum est.

Aut eminentes. Proponitur hoc idem in Coacis prædictionibus (Pag. 9.) Et certè qualiscunque situs mutatio horrenda est, & maximè in oculis, & distortio est deterior, vt colligitur Quarta Aphorismorũ (49.) in illo dicto Hippocratis. In febre non intermittente si palpebra aut labrum. Sed de eminentia dicit Galenus, quòd fit in vomentibus ex copia ingesti vini. Hoc autem non est reddere rationem, sed dicere quiddam fortuitum. Etenim neque in illis remanent oculi prominẽtes. Tandem serò animaduertens, se non rectè

ctè expoſuiſſe Hippocratem, recurrit ad aliam expoſitionem meliorem, ſed nec abſolutam, vt Hippocrates intellexerit de ſignis, quæ poſt triduum accidunt. Et verè adeo confuſus eſt, vt ſtultum ſit, velle illum interpretari vel bene, vel vt reprehendas, nam odioſum eſt malè interpretari, vt damnes: vanum autem aberrantem, vel ne ſomniantem quidem vt tuearis. Relinquamus illum ſuis ſectatoribus, nos de eminentibus oculis verba faciamus. Veſalius id docet (lib. 2. cap. 11.) quòd cùm ſeptem ſint muſculi oculum mouentes: quorum primus introrſum poſitus, oculum intrò contrahit, ſecundus autem extrorſum, & quaſi è regione forâs illum ducit, dum oculi peruertuntur, neceſſe eſt primum contrahi, ſecundum verò extendi. Et vt figura illius vtar, K qui intro fert, breuior reddetur, L autem longior, vt neceſſe ſit vtrumque conuelli: illum, quia niſi conuelleretur, oculus non introferretur: hunc quia oculus contractus diuellit, contraria ratione cum fertur extrà, decurtetur L. K autem longior fit. Intelligo intùs ferri verſus naſum, extrà autem ad angulos illos, qui ſunt in extremis oculorum. Hæ igitur ſunt cauſæ peruerſionis. Cum ergo à duriore membrana cerebri oriantur, neceſſe eſt, hanc conulſione eſſe periculoſiſſimam. Sed tamen contractio oculi & eminentia cum fiant vel contracto, vel extenſo neruo viſorio, qui ex cerebro oriens cum apophiſibus tunicæ tenuis, & craſſæ cerebri fertur ad oculum, neceſſe eſt multò periculoſiorem eſſe verè profundum oculum, & vt Veſalius dicit (libr. ſeptimo capite decimo quarto) vehementer cauum, aut eminentiam, quam peruerſionem, quantò maioris nobilitatis eſt cerebrum, eiuſque membrana tenuis ſola craſſa. Sed cur, dicetis, nihilominus ex diſtorto oculo certiùs pronuntiatur mors, quàm ex cauo, aut prominēte? Ergo hoc pòſt declaratur. Nunc ſatis ſit, vt ſciamus, neruos viſus eſſe molles valde, ac magnos, ſeu craſſos, atque coniunctos, ideò oportet illos contrahi vel diſtendi in profundo vel eminentia eorum: quare non ſine magno periculo ſunt. Cur autem in vomitibus emineant, cauſa eſt: quoniam ſpiritus fertur à ventriculo ad oculos vehemens (indicio ſunt imagines, quæ apparent ex mala coctione) hoc autem maximè per foramina palati, nam in inferiore ſede baſis cerebri nerui viſorij implantantur, & ideò ex vapore aſcendente diſtenduntur. At quicunque oculos habent magnos, iidem habent & prominentes, & qui prominentes, magnos: & dum prodeunt, craſſiores redduntur, prodeunt: & nullus oculus cauus magnus eſt, nec prominens, paruus cauſa verò eſt vna: quoniam oculus, cùm rotundus ſit, & oui formam referat, dum exit, maiore ſui parte ſe oſtentat, dùm recedit, integitur, non quòd fiat minor, aut exitu maior, quanquam & id accidere poſſit. Illud ſatis eſt mirabile: quanquam parerga, cur Hebræis omnibus oculi ſint tumidi, & prominentes, & craſſi. Certè alba tunica muſcalis & muſculorum febris eſt intecta. Eminentia oculi, vt dixi, fit laxatis muſculis atque neruis viſoriis: vnde oculi non ſolùm eminentes, & magni, ſed etiam omnibus his, quibus hæc accidunt, informes viſuntur. Cur ergo laxantur in his muſculi neruique? Forſan dicendum eſſet, illos ex calidis regionibus originem ducere, ſcilicet Syria.



Homines autem, in his regionibus tumidos habent oculos, ſicut & capillos nigros, & dentes albos: quia humidum cerebri diſſoluitur, ideò laxantur nerui viſorij, habent etiam debilia capita. Illud non prætereundum duxi, quod Galenus hac in parte obiicit Hippocrat. nam cum dixiſſet, oculi caui, naſus acutus, & reliqua ſi non ſtatim ab initio appareant, ſed poſt tertiam diem, tunc inſpicienda eſſe reliqua ſigna, inter quæ connumerat oculos eminentes, igitur ſimul poterunt apparere oculi caui & eminentes: quod eſſe non poteſt. Reſpondet, quòd Hippocrates non ſolum connumerat ſigna, quæ apparent cum facie horrenda, ſed alia etiam. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit. Sic enim ex ſola oculorum eminentia poſſemus iudicare de morte & imminente: quod abſurdum eſt. Propterea dicendum, quòd vel vult poſſe mutari vnum ex his ſignis, vt intelligeremus, non eſſe omnia omnino ſimul neceſſaria: vel per ἐν ἑωρευμένοι, ſuperlati. Prominent enim laxatis muſculis, & cauti fiunt ob ſiccitatem: quandoque contrahuntur muſculis exſiccatis, & tument, quaſi phlegmonem patiantur.

Aut vehementer caui facti ſint. Hoc eſt decimum ſignum. Addit vehementer: quia antea propoſuerat ſolum, quòd caui eſſent: nam illud ſignum erat cum aliis quinque coniunctum: præſens autem ponitur tanquam ſolum. Nam ſi fuerit cum lemis, gratia exempli, & venulis liuidis, tunc ſufficiet, quòd ſint caui. Cauſa eſt exſiccatio neruorum viſoriorum euidens, quæ eſſe non poteſt, niſi cerebrum ſit etiam in parte anteriore valde exſiccatum: & ideò eſt ſignum mortis.

Aut ſqualentes, aut obſcuri. Oculi obſcuri ſunt luce priuati, ſquallidi autem ſicci. Significant ergo huiuſmodi oculi extremam conſumptionem caloris naturalis, ac vitalis ſpiritus. Et habetur primo in ſextum de morbis Vulgaribus (Tex. 24. & 25.) vbi Galenus nihil ſingulare docet. Sed tandem concludit, hæc omnia ſignificare principij magnam noxam: quod veriſſimum eſt. Sed non determinauit, quomodo hoc illo maius ſit genere, aut magnitudine. Exemplū. Diſtorqueri oculum, maius eſt, quàm lachrimari: poteſt tamen lachrima eſſe adeò multa & frigida, vt leuiſſima diſtortione magis ſit periculoſa. Eſt autem ſqualor ſiccitatis dominantis indicium maximum, & reſolutionis ſpiritus vitalis contrarium eius, quod eſt ſplendidi. Vel totius faciei color alius factus ſit, hæc omnia mala & pernitioſa fore

fore putandum eſt. Si rectè animaduertas ſolum ſignum de facie, & oculis cauis repetiit, vt intelligeremus hæc ſola etiam eſſe peſſima: quia vnum declarat cerebri extremam corruptionem, altera, totius corporis. Quoties enim natura erat circa principaliores partes, magis delinquit, quàm ſi circa ignobiles, at oculus nobiliſſima eſt pars totius corporis. Vnde Princeps prima tertij (in primis verbis) inquit: Dixit Galenus, quòd natura creauit caput propter oculos, vt eſſent, quaſi in ſpecula. Et hoc ille dixit in octauo de Vſu Partium (cap. 5.) Cum ergo in oculis delinquir, tunc à magna cauſa euertitur eius facultas. Sed & in principe membro læſio ob propinquitatem contingit. Sed iſtud ſignum, vt dixi, poteſt eſſe naturale, & tunc nihil ſignificat, vt dicebat Galenus, de hoc loquens libro de Optima Secta (cap. 26.) ad Traſybulum: vbi etiam dat exemplum de oculis cauis, & naribus acutis. Nam dicit: Si naturalia ſint, nil referunt. Et dabat exemplum de Indo, cuius color in facie niger eſt cum perfecta ſanitate. Signum ergo ſumptum à calore, eſt valde potens: quia nares illæ acutæ ſunt ſolum ſignum, ſed color malus ſignificat cauſam, quæ lædit alia ſolum, quæ læſit, ideo hoc eſt maius & certius. Ideo ſuperiùs dixit) Tex. 9.) Itémque alia ſigna, & in vniuerſa facie, & in corpore, & in oculis.

Ergo, vt ad hiſtoriam diſtorſionis deueniam, Hippocrates in Tertio Epidemiorum, (Par. 2. Tex. 8. Lang. 11.) narrat mulierem, Ocetai vxorem, in quarta habuiſſe oculum dextrum diſtortum, & ea mortua eſt in ſeptima. Et aderant vrinæ ſubnigtæ, paucæ & tenues. Hîc ergo meritò quærendum eſt, an deterius ſit, vnum oculum eſſe diſtortum, an ambos? Et quid, ſi redierint? Dico, quod quãdoque accidit, vt redeant, & tunc morbus eſt minus periculoſus. Et ego vidi aliquos reſtitutos. Cum ergo iſtud fiat faciliùs in vno oculo, quam ambobus (rarò enim ex ſiccitate vnus tantum oculus diſtorquetur) Ergo peruerſio vnius oculi non eſt adeo mala, vt amborum. Et quæ reſtituitur, lethalis non eſt: quia fit ab humore, non vi febris. Propterea dicebat Galenus in Primo ſuper tertium eiſdem (Com. 23.) ſuper illis verbis: Dexter oculus diſtortus erat. Nam quod delirauerit in nona, & oculo dextro ſtrabo fuerit, res ſunt, quæ ſolent in iudiciis euenire. Hic enim ſeruatus eſt in vigeſima, cùm hoc accidiſſet in nona. Verùm quod dixit de oculis obtortis in ſexto Epidemiorum (Par. 1. Com. 27.) magnam habet difficultatem. inquit enim. Obtorti autem oculi, aut delyrium, aut tremorem ipſos mouentium muſculorum indicant. Hæc omnia verò in acutis & periculoſis morbis ob principis membri noxam oboriuntur. At hoc in commento præſenti Galenus & veriſimili magis ratione tribuit oculis inſtabilibus. Hic enim habet ἢ παρα` φροσύνης, ἢ τρόμον τῶν περὶ αὐτῶν μυῶν. In alia παραφροσύνην ἢ τρόμον ἐνδεικνονται, quod idem eſt. Quamobrem non eſt meum, vt lapſum librariorum corrigere velim. Difficultas eſt in verbo ἐνδε δεδεινημένοι: quod cum repetat Galenus in commento, non ſolum abſurdam rationem, aliàs dictorum ſententiam, ſcribit, ſed & per ſe. Quid enim contorſioni cum muſculorum motu, imò neque cum delyrio, nam contorſio ſeu ab humore fiat, ſeu à ſiccitate paruum habet cum delyrio comertium. Itaque legerem ἐνεωρυμενοι, quod eſt inſtabiles, in Epidemiis pro ἐνδεδεινημένοι, quod eſt contorti. Aut die, quòd, hic loquitur, dum dicit inſtabiles, de futuro delyrio, & conuulſione in Epidemiis, cum dicit obtorti, de præſentibus, Omitto modò dictum illud, in fine ſecundi Prorrhiticorum (Tex. 57.) In oculorum peruerſione & laſſitudine rigor pernitioſus. Comatoſique in his malè habent. Qui velit, videat ibi noſtram expoſitionem: nam Galenus ſuo more fatetur, ſe nullum proprium ſenſum elicere poſſe.

Antequam verò egrediar tractationem de oculis, ſciendum, quòd dolor in oculo ſolum eſt ſymptoma, ſalutem ſignificans, vt in Lazomenio, cui oculus dexter in quadrageſima doluit, & ſanatus eſt. Primo Epidemiorum (Lang. 10.) & eo, qui in Dealcis horto habitabat, cui in vigeſima doluit oculus, & ipſi dexter in vigeſima & iudicatus eſt, & ipſe in quadrageſima. (Lang. 3 prim. ord.)

PROGNOSTICON XIV.

Conſiderare etiam conuenit in ſomnis, ſi oculi videantur. Si enim albæ partis aliquid apparuerit, palpebris non commiſſis, nec ex alui fluore, aut medicamenti potione: aut quia æger ita dormire conſueuerit, id accidat, malum ſignum & valde lethale eſt.

COMMENTARIVS.

Qvòd egregius fuerit grammaticus Galenus, nec aliud quippiam id Auerrois & Princeps, & quicunque mathematicarum periti & intellexerunt, & teſtati ſunt, ſolum Medicinam admirantur: idque iure-merito illis temporibus. Sed optaſſem, vt animum ei, quòd habuiſſet, intendiſſet, quæ non haberet, relinqueret. Reducit hæc in imbecillitatem virtutis, quaſi nullos viderit mortuos clauſis oculis, quibus prorſus nihil eſt virium. Solent mulieres id facere, exiſtimantes ad decorem pertinere, vt cadauer oculos habeat clauſos. Rerò per ſe morientibus clauduntur, tum ob conuulſionem, tum ob ſiccitatem, quæ etiam cauſæ ſunt eædem in morituris, non imbecillitas virium, nam ſuperior palpebra adeò decidit, niſi retrahatur à muſculis, vt cuiuſdam à pedibus Principis Iſtonij vxori, dum ex caſu muſculi illi fuiſſent redditi inutiles, perpetuò clauſus ſiniſter eſſet. Quid adhuc habent Galenici pro defenſione? palpebram inferiorem, attolli viribus muſculorum dicent, quibus collapſis, non attolli, atque ideò non claudi? Ah inſani, pudet me veſtrarum ineptiarum, non neſcitis,

nescitis palpebram, inferiorem, velut superiorem mandibulam, prorsus esse immobilem? Quid? hoc nolim vos à Galeno tanquam viro imperito retrahere, absit: sed impetrare illud, vt à Galeno tantundem tribuatis fidei (Vesalius lib. 2. cap. 9. in vlt. verbis & omnes.) quantum ratio suadet. Si vbique cespitantem inuenitis, cur tantum bonum, tot pulchra, ob vnius viri audaciam amittere vultis? præsertim, quòd non hic peccatur: quemadmodum in Philosophia absque perniciæ hominum. vt modò, & construite rationem, ob imbecillitatem virium superior palpebra decidit, inferior nunquam mouetur, æger cùm non claudit oculos, ob imbecillitatem claudere non potest? An cùm in somnum decidimus, tunc non palpebra clauditur, & tum membra omnia quasi expensa calore, seu hebetato in exterioribus, seu intrò fugiente cadunt? Verte modò rationem. Siccantur cartilagines, conuelluntur musculi, & ob hoc non clauditur oculus, quam bene conuenit. Aliud: quia veritas veritatem parit, mendacium mendacium. Si naturalis non sit hæc rima, & hiatus oculi, sed à morbo, vel & medicamento, nunquam fieri potest, quin cum hoc etiam palpebra ipsa non coutorqueatur, cuius ratio est manifesta. Nam si musculus non voluntariè trahitur, si cartilago siccatur, velut in loco necessario, parit inæqualitatem. Quid verò medicamento cum imbecillitate virium, nisi sit medicamentum Themisonis? At medicamenta, & fluor alui exsiccant. Cum enim triplex sit humidum in membris innatum, & profundum, quòd crassum est, & densum, quòd non coosumitur ætate, aut violentissima febre (nec etiam statim) aut veneno lethali, & tenue, & quod in dies additur (hæc duo soluuntur alui fluore vel etiam medicamento) ob id nos admonuit Hippocrates, ergo distortio euidens in his non est. Propterea de illa seorsum agit, & dixit de oculorum albo: quia his color magis conspicuus est, & facilius discernitur: & etiam quia iuxta angulos minus conniuent oculi, propter palpebrarum angustiam. Scribitur hic textus sexta Aphorismorum.

PROGNOSTICON XV.

SI verò retorta, aut contracta, vel liuida fiat, aut pallida palpebra, vel labium, vel nasus cum aliquo ex aliis signis, morti proximum esse sciendum est.

COMMENTARIVS.

VOlui semel conuersionem Cornarij falsa ascribere, vt eius in hoc, quod etiam Theodorus Gaza facit, lapsum frequentem declararem. Simul & vt originem ambiguitatis, cuius in commento meminit Galenus, ostenderem καμπύλον Græci, à κάμπη, flexura, curuamen. Vnde etiam κάμπτω deflecto, curuo, circumuehor, καμπυλότης, inflexio, curuitas. Cornarius ob id, quòd, vt dixi, Gazam errantem in hoc immitatus, vtrumque significatum, tanquam duo proponat, diuersa diuersis verbis retulit in codicem, cùm debuisset, quod sibi videretur, in contextu scribere, aliud, addita græca dictione, in margine (hoc enim munus est sapientis interpretis) apponere, ita omnis dubitatio tollitur. Ita dicit Galenus in commento pro καμπύλον, quod est peruertitur, ῥιγνόν, quod est distrahitur, scripsere. Sed melius rursus loco ῥιγνόν, vertere contracta, quàm distracta, cum dicat id fieri à frigore In vniuersum de labio, vel naso, vel verbum quidem habet. Sed ad peruersionem, non contractionem, omnia potius traducere expedit: quoniam hæc ad conuulsionem referri possunt. Sed Galenus resolutionis meminit parum apposite in acutis: nam & si fiat (fieri enim potest) non tamen mors sequetur ex hoc, est enim colliquationis, non siccitatis effectus, neque vt causa perimere potest, velut conuulsio. Conuulsio enim vt causa occidit delyrium, aut non videre solum, vt signum: resolutio neutro modo, aut vix, velut in apoplexia. Cum verò simile quippiam scribatur in Quarta Aphorismorum, cum dixit: In febre non intermittente se labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus peruertatur, vel non videat, vel non audiat iam debili corpore, quicquid horum euenerit, iam mors proxima est. Discrepat multum à dictis hic (addendo supercilium, & non videre, vel audire. Sed hæc non ad rem) quod supponat, vires esse imbecilles, quod indicat, apertè Galenum non rectè interpretari, hæc prouenire ab imbecillitate virium, neque enim necesse esset, hoc addere, vel saltem incomposita redderetur oratio.

PROGNOSTICON.

Idem cum præcedente.

LEthale est etiam, habere labia resoluta, & pendentia, & frigida, & albicantia facta.

COMMENTARIVS.

HOc totum deest, vt liquet in Galeni textu illo, vt puto oblito ob similitudinem præcedentis θανατώδες δὲ καὶ χείλεα ἀπολυόμενα καὶ κρεμάμενα, καὶ ψυχρά, καὶ ἔκλευκα γινόμενα. In labia plurimæ venæ desinunt, & tenuissima cutis est, vnde ex quauis causa erumpere sanguis solet. Sunt in illis musculi, numero duodecim: sed quatuor proprij adeò permisti inuicem, vt vix distingui queant: insuper fungosa quædam substantia, qua ossibus mandibulæ coniunguntur, vt Vesalius docet (lib. 2. cap. 13. & 14.) Cum ergo resoluuntur Primùm, nec sint natura ponderosa, id potius ex conuulsione accidit, aut summa omnino imbecillitate. Si verò pendeant, differunt à resolutis: quoniam in illis videntur cadere, pendula autem à κεικέω, quod est suspendo, quasi suspensa. Et

hoc est contractionis genus leue. Et resoluto oppositum, neque obliqua sunt, sed versus principium respiciunt, seu reflectuntur: absunt autem non parum àdentibus vt illi detegantur, χεῖλος labium labrumue significat. Propriè quidem oris, sed impropriè de labris vulnerum, tertio de Ira(Com.7.Sed labium apud latinos solum de homine dicitur: labrum etiam de vasorum margine:labiàque plurali numero, rarò singulari. Verùm vt dixi, Græcè vno nomine significantur,nam ἄμβη & si significet labrum, tamen ollæ tantum. Differunt etiam apud latinos: quoniam labium de parte solum, quæ mobilis est, dicitur circum os: labrum de eo etiam quod est annexum. Cæsar de bello Gallico (lib. 5.) Omni parte corporis rasa præter caput, & labrum superius, labia tamen dicuntur etiam de vlceribus,& non labra. Vtcumque sit, nunc de oris labiis intelligimus. Videamus ergo, cum quo habeant consensum, cum iecore, ob sanguinis copiam, cum cerebro, ob musculos, & cum ventriculo. Dicebat Galenus Primo Prorrhiticorum(Com.30.Idem 2.de Victu in acutis Com.44.) ob id labium inferius tremit in vomituris, quòd tunica illius vna est cũ tunica ventriculi, ideò cum ventriculus mordetur, & vellitur, ac agitatur, labium inferius tremit. Tunica autem labij superioris manifestè eadem est cum tunica palati, quæ est eadem tunicæ gargareonis, seu collumellæ.

Constat autem,illam cerebro esse affinem cùm in eam degenerent nerui quartiparis cerebri,vt docet Vesalius(lib.4.cap.7. & infig.2.)adeò vt magnum consensum cum cerebro habeat. Porrò de labiorum constructione Galenus agit quarto Anatomicarum Aggressionum(cap.3.)vbi docet, eam constructionem esse admirandam ob motuum, & substantiæ singularem quandam præstantiam:ad quæ veniunt ex dentium propaginibus, scilicet neruis tertiiparis nerui, quibus motum,& sensus vim adipiscuntur:ad superius,ex superioribus, ad inferius, ex inferioribus. Docet autem Galenus secundo de Differentiis (cap.11.) febrium materiam, quæ ad labra defertur,ex capite descendere, non minus,quàm illam,quæ ad aures, vel oculos venit.

Sed cadit dubitatio: quoniam Galenus tertio Prognosticorum(Com.30.)vult,quòd ventriculi tunica sit eadem cum tunica palati:etiam & ob id labia tremant. Vide quarto contradicentium.(44.)

Notandum, quòd bilis in ventriculo, significatur per motum labij inferioris vomitum, non solum præsentem,sed etiam multò post futurum: sicut apparuit in Cherione, Tertio Epidemiorum (Lang.5.princ.ordi.) cui non solum labium inferius tremuit, & maximè,sed etiam totum caput in tertia die, & vomuit biliosa, tamen solum die sextadecima. Et clarum est, signum hoc fuisse salubre:quia ostendit, materiam biliosam fuisse contentam in cauitàte ventriculi. Verum vt, ad rem reuertar, Galenus in libro de Causis morborum (cap. 7.) dicit, quòd in elephantiasi labra crassa fiunt,& nares resimæ fiunt,& aures extenuantur. Sed in tabificis nares acutæ euadunt oculi caui, & tempora collapsa, hæc igitur fuerit vitio iecoris. Quoniam cum totum corpus communicet, & membra principalia ad omnia alia membra mittant partes,quæ illis inseruiunt: non solum considerare oportet partem patientem, cum quo communicet, sed quale sit genus affectus. Velut si labia patiantur, oportet considerare,quod tunica conueniunt cum ventriculo, neruis cum cerebro, & venis cum iecore.Ergo si tremant, significant affectum ventriculi. Si distortio fit à conuulsione si impallescant, aut alba fiant, facultatem iecoris extinctam. Atque id eo signum primum non est nec lethale, nec graue:secundum graue, sed non lethale:tertium graue,& lethale.Nam si labra conuellantur,dicebat Galenus Tertio de locis, Affectis(cap.6.)necesse est, quod nerui anterioris partis cerebri sint conuulsi. At nerui anterioris partis si conuellantur,deterius est quàm si spinalis medullæ:tum quia molliores sunt:tum quia ibi cerebrum mollius est. Ideo hoc est periculosissimum. Ob hæc ergo dixit Hippocrates: Labiorum contractionem, aut ob liquiditatem, pallorem, *liuorem*,lethalia esse signa. At verò hæc tantò sunt vtiliora scitu, quantò sunt euidentiora. Et hæc licet à Celso exponantur(lib.1.c.6.) tamen pallor labij constans est valde malum signum.Meminit & posterioris partis quarta Aphorismorum.49.)

PROGNOSTICON XVI.

Decumbentem ægrotum à Medico deprehendi conuenit in latus dextrum aut sinistrum, & manus, & collum, & crura modicè inflexa habentem, & totum corpus flexibile situm. Ita enim plurimi ex sanis decumbunt. Optimi autem sunt decubitus, qui sanorum decubitibus similes existunt.

COMMENTARIVS.

Pro intellectu eorum,quæ dicuntur, necesse est, intelligere sensum totius sententiæ, quæ habetur à Galeno Primo de Motu musculorum, (cap. vltim.) Verùm ante hæc scire quædam necesse, quæ ille præponit, & cùm facillima sint ambigua prolixitate reddit difficillima. Primum igitur est, quod continet quinque capita, vt vix vnum intelligere possis, non omnibus intellectis, scilicet vnumquemque musculum trahere versus principium suum, vnde virtutem animalem recipit per tendonem omnino, vel fermè semper, qui annectitur membro, quod attrahitur, idque ex dissectione, & ratione conspicuum est, nec vnquam cessante motu hoc

experimen

experimentum docet cum præcisis musculis interioribus, puta(vocat interiores Galenus, ne putet aliquid magnum esse partis illius, in quam manus sinuatur vt vole)manus perpetuò extendatur. Et si alia manu inflectatur continuò, vbi destiteris redit similiter præcisis,exterioribus contrà inflectitur:& si manum reducas, altera manu extendendo, continuè tamen inflectitur: vt constet in actione perpetua vtrosque esse,& exteriores musculos semper extendere, interiores semper contrahere, id enim liquido sic intelligenti externum atque internum ex sola vocum ratione apparet, vt etiam quintum:scilicet quòd dum vnus musculus contrahitur, alter necessariò extenditur:vt contracto interiore exterior extenditur, & vicissim contraria ratione. Quibus iam intellectis sextum exoritur: scilicet vt musculus duorum motuum sit causa,vnius quidem per se, alterius verò ex consequentia.Non autem per se, veluti musculus internus per se quidem causa est contractionis digiti,causa verò per accidens(vt dici solet)extensionis. Nam nisi contractus iam esset digitus, ab exteriore non posset extendi. Ex quo etiam sequitur, quòd membri eiusdem dum tenditur, contracto exteriore interior tantum extenditur, quantum exterior,dum contrahitur interior à medio situ.

Sunt præter hæc duo alia consideranda. Vnum quòd ratione patet, scilicet motum esse membri,& musculi etiam,sed non membri à musculo:& est motus, quo membrum decidit ad inferiora sua grauitate, quo decidente, dubium non est,etiam musculum decidere, atque ideo loco moueri: non tamen membrum à musculo mouetur, sed à natura elementari: velut cum fatigaris, brachia sponte decidunt, aut cum quis ex saltu decidit in terram,mouentur enim membra sponte,non ab vllo musculo, musculi quoque secum. Sed & quasi contraria ratio, ne, dum quis continet brachium extentum, laborant musculi ex aduerso vtrinque, vt cum brachium quiescat, moueantur ipsi musculi, hoc Galenus vult. Sed aliud est moueri,aliud agere, non enim rectè dicit in hoc, quòd moueantur,sed rectè, quòd agant. Si enim vt eò retrahatur, moti sunt: iam cum retractum est ad eam extensionem, finis est motus, finis autem motus est quies. Rursus si mouentur vel alio motu,quam loci (hoc autem perabsurdum)aut secundum locum,at locum non mutant:non igitur vllo modo mouentur. Hoc autem illi contigit,quod durum videbatur fateri quòd agerent, & non mouerentur,& quòd quies motu esset magis laboriosa:quorum tamen vtrunque verum est, etenim quies, quæ est contra naturam, & dum res est extra locum suum, aut situm laboriosior est ipso motu, etiam præter naturam.Vt cum lapis in aëre quiescit,antequam descendat sursum proiectus, illa enim quies est magis præter naturam,quàm motus, quo rursum ferebatur. Porrò facultas animalis efficit tria. Cum enim musculi breuitate sua secundum naturam contrahant membrum ad partem vnam exteriores extendendo, interiores flectendo:facultas animalis dilatando contrahit longè magis, puta internum flectendo, & externum angustiorem faciendo producit, vt ab extensione non lædatur, nec molesta illi sit, tertiò vt voluntati pareat. Vnde omnis contractio distentioque motus quidam est compositus reluctante aduerso musculo: sed mitiùs longè, quam per breuitatem facturus esset, adiuuante animi vi, quæ in vnum motum tota conspirat,tanquam in finem intentum. At verò,cur contractio musculo magis naturalis sit extensione valde,malè demonstrat:scilicet quòd magis contrahatur, membrum quàm extendatur,confundit contractionem membri, quæ tanta est, quanta extensio,non maior,vt ipse dicit, cum extensione musculi, quæ sanè minor est, quandoquidem musculus naturaliter contrahatur magis, quàm extendatur: quia extensus est, dum medio in situ membrum manet. Verùm propria ratio non est hæc, vt dixi,sed quòd ab anima fit attractio, principium autem animæ est à principio musculi.

His ergo suppositis, omnis musculus quauis ratione laborat, & quouis situ postquam in naturali laborat: sed in eo minus, quàm omni alio. Verùm vires,vt validæ sunt, læsionem minùs sentiunt:vt imbecilliores magis. Quo fit,vt dum imbecilles sunt vires, nullus situs diu placere possit laboriosum tamen id est qui fit cum magna extensione musculorum, seu internorum, seu externorum sustinere omnino nequeant.Est autem laboriosissimus etiam qui contra nititur ponderi corporis:corpora autem naturaliter ob latitudinem dorsi supina manent, vnde decubitus in latus laboriosus est magis, quam supinus:& contractis cruribus magis, quàm extensis. Dixi enim quòd figura naturalis est cum extensione, cum vterque musculus æqualiter tenditur, vt in mortuis: naturalis autem, vt homo viuit,quæ est ceruice brachiis & cruribus paulum contractis. Hippocrati autem sufficit, quod illud probet ex sanorum consuetudine, nam illa figura maximè indicat sanitatem quæ sanis etiam maximè est familiaris. Verùm Galenus id ratione conatur demonstrare. Idque enumerando illarum coniecturas, seu causas, seu species: quod licet facere, cum rem ex diuisione comprehendimus, existimamúsque validas esse illas ad confirmandum propositum, & primæ quidem quinque satis apertæ sunt: quarum prima, quæ quinto loco ponitur, fundamentum aliis præbet. Ea autem est figuram etiam mediam aliquando mutare desideramus: ergo multò magis extremæ laboriosæ sunt, secunda & tertia, in extremis non possumus conquiescere, in mediis conquiescimus, quarta & quinta secundæ & tertiæ rationem reddunt: scilicet, quòd extremæ dolorem afferunt, mediæ non ita, ergo extrema figura seu contractio seu distentio naturalis non est. Sexta ratio erat obscura vitio scripturæ: & est, vt dixi, quòd omnis corporis figura imbecillissimis ægrotis molesta: supple quæ est animalis, ideo conuertuntur ægri in hoc casu in naturalem,quæ supina est.

Et totum corpus flexile. Hæc est quarta pars, quæ flectitur in homine, scilicet dorsum

ſum:quo ſcilicet incur uato,totum corpus dicitur incuruari,& maximè in partibus circa lumbos. Ideo explicauit manus,id eſt, brachia,in quibus humeri cubiti, & manus etiam propterea de manibus dixit:Quia illud erat magis mirabile(crura intelligere,& coxendices, & genua, & talus)vt etiam pedes aliquo modo reclinentur, & collum ob caput: & demum lumbi cum dorſo, hoc intellexit per totum corpus ſermone communi.

Galenus hac in parte docet continuitatem, primò cum antecedentibus: quoniam dixerat, oportere ſigna lethalia ſumi à toto, qualia ſunt à decubitu, ſed quia, vt dixerat, lethalia ſunt aduerſa maximè naturalibus, non poterat ſciri decubitus lethalis, & maximè contrarius naturali, niſi naturalem priùs,qualis eſſet, conſideremus. Hic enim non vt vultus à ſolo aſpectu dignoſci poterat, ſed doctrina indigebat, propterea illum deſcripſit Hippocrates. Ad demonſtrandum autem,quòd eſſet naturalis, vtitur Epilogiſmo(qui qualis ſit,oſtenſum eſt ſuperiùs) dicens:Quia talis eſt conſuetus ſanis, ergo naturalis,& optimus.Demum adiicit, non ſimpliciter eſſe neceſſarium, vt æger ſic cubet, ſed vt inueniatur à Medico in hoc ſtatu: id eſt, cùm æger ſe componit, quæ vtinam diceret, omittit enim ſemper potiſſimam partem,vt tota oratio,vt iacet,accepta, nullum habeat ſenſum, quo videatur admirabilior. Nam quæ diuinatio eſt, aut quomodo caſui innitetur, ſi æger tota die molliter cubauerit,deinde dum medicus aduenit illum ſecus cubantem inueniat? Tandem vel non intellexit Hippocratem, vel declarare non ſciuit. Eſt autem hoc:quoniam ſi cum medicus aduenit ita cubet æger, ſignum eſt & quòd mente valet,quia ſe compoſuit, & quòd vires validæ ſunt, ſi autem non ſe compoſuit, nullum neceſſe eſt contrarium horum ſequi: nec quòd vires ſint imbecillæ,nec quòd æger non valeat.Sed interrogare oportet(dicitque hoc faciendum eſſe ſemper,ſcilicet in ſignis quæ ſunt præter naturam,non contra naturam: nam rideretur medicus, ſi dum efflat æger animam,interrogaret,an ſic conſueſſet) an hoc ſit conſuetum ægro, dum eſt ſanus, an non? Si ſit conſuetum, nihil mali ex hoc timendum: neque de imbecillitate, cum ſit conſuetus decubitus:neque de delirio, cum ſoleant ægri ſe componere ad conſuetum, & ſolitum decubitum:non autem ad optimum, quem etiam,qualis ſit:neſciant.Demum declarat mollem pro flexili:ſed vt ille.

——*Alchitras dic eſſe cauillam.*

Quæ tenet allidadam cum valdagora ſociatam.

Scilicet per hyperbolicam,vt ab illa plurimum diſtet. Eſt autem hyperbole ſuperexcedens comparatio, tropuſque,vt Quintilianus docet: velut apud Pindarum in hymno,ne diſcedam ab Hippocrate omnino,cum Herculis impetum Meropas ex Coo inſula expellentis deſcribit: vbi illum aſſimilat fulmini. Sed hymni periere, ſuperſunt ſolum Odę. In fine tamen Iſthmorum meminit huius, dicens: Hercules auxilio Telamonis expulit Meropas: vbi per Meropas Coos explanator exponit, vt Leonicetus in ſcholiis docet. Ergo,dicit Galen. oportet, vt in molli decubitu neutra hyperbolica, id eſt extrema figura,ſeu extenſionis,ſeu contractionis adſit.

Illud potius quærendum erat, & eſt dignum dubitatione, quod in tot locis, dum Galenus de muſculis loquitur, prætermiſit: ſcilicet, quare quòd cum decubitus eſt ſupinus,conueniat imbecilliſſimis, cur non magis conueniat aliis ægris, cum ſit ſecundum naturam: & etiam ſanis. Propterea dico, quòd talis decubitus nullis membris cõfert, præterquam oculis: nam calefacit lumbos qui facilè incaleſcunt,nec tamen ſunt aſſueti calori. Nam ſub ſpinali medulla vena eſt, & arteria magna, quæ facilè inflammantur: & ideo etiam totum corpus, & maximè renes incaleſcunt. Secundò incaleſcit ſpinalis medulla & omnia membra mollia, & exanguia,quaſi liqueſcunt huiuſmodi calore: & totum corpus redditur laxum. Tertium detrimentum eſt, quòd pulmo magis comprimitur: & ideo homo ſentit quandam difficultatem in ſpirando.Quartum eſt,quòd pituita non poteſt deſcẽdere ad nares, ſed deſcendit ad guttur,vel ad gulã, & ad os,nõ leui noxa.Et ideo dicebat Princeps Tertia primi (Doct.2.cap.9.)Decubitus ſupinus præparat ad Apoplexiam paralyſim,& incubum: quia omnia excrementa retinet, & ad partem poſteriorem præcipitat, vbi nullus patet exitus. Quintum eſt, quòd operatio iuxta vires eſt delectabilis, & hoc eſt maximum: tum propter conſuetudinem (conſueta enim grata ſunt) tum ob reparandas vires: tum quia natura ſentit voluptatem excernendo excrementa tertiæ coctionis, quæ titillant, & ſtimulant. Et quòd ſit verum, videmus quòd homines, quando ſunt delaſſati à laboribus, proiiciunt ſe ſupinos, & extendunt crura: quia tunc maior eſt noxa ex decubitu in latus, & contractis membris,quàm ſit vtilitas ex his,quæ dicta ſunt propter imbecillitatem virium, quatenus ergo homo viget, adeo vt maior ſit vtilitas ex his, quæ dicta ſunt, quàm iactura virium, iuuat decumbere, vt dicit Hippocrates; cum verò maior eſt iactura propter vires imbecilles, quàm ſit vtilitas illa, tunc magis iuuat decumbere ſupinum. Et de hoc decubitu ſpecialiter in vno quoque morbo tractat Oribaſius ex Anthillide (lib. 6 Collect.cap.1.) Et generalis ratio conſtat in hoc, quòd decubitus in partem quãcunque laborantem eſt ſignum bonum:quia ſignificat,quòd fert, & cauſa bona,quia concoquit:vt in ventriculo imbecilli ſuper ſiniſtrum latus: & in abſceſſu iecoris ſuper dextrum. Hoc autem in ſpontinis morbis, inuiolentis, etiam cùm non amplius materia fluit: nam ab initio hæmorrhoſagias concitat, & fluxiones auget.Ergo decubitus talis, qualem deſcribit Hippocrates, declarat vires eſſe validas, & ideo ſpem bonã.Ex quo patet, quòd quatuor ſunt decubitus in latus,& cõtractis partibus, qui optimus eſt: & ſupinus extenſis membris & expanſis,qui eſt peſſimus:& ſupinus collectis membris, & in latus expanſis,& extenſis,qui ſunt medij, quis autẽ horum

rum sit deterior, infrà declarabitur. Cum autem dixit, super latus dextrum, aut sinistrum, videtur quoquomodo dextrum sinistro prætulisse.

PROGNOSTICON XVII. XVIII. & XVIX.

AT verò supinum iacere, & manus & collum, & cruraextenta habere, minus bonum est. Si verò etiam pronus fiat, & de lecto ad pedes delabatur, magis horrendum est. Si verò nudos quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos, & manus, & collum, ac crura inæqualiter disiecta, ac nuda, malum est, anxietatem enim significat.

COMMENTARIVS.

PRoposui hæc simul iuncta: quia Hippocrates Græcè iuncta legit, & etiam ordinem in eis seruat, primum enim proponit, minus bonum: deinde dicit: magis horrendum esse: tertiò malum absolutè pronunciat, itaque & ex ordine & coniunctione *ꝗ* declaratur hæc tria signa debere legi coniunctim, ita quòd secundum. præsupponat primum & tertium ambo præcedentia. Galenus hac in parte arguit Hippocratem, dicens: Quomodo conuenit illud (minus bonum) cum sit malum, vt dicit se ostendisse: & etiam, quia Hippocrates dicit, magis horrendum, seu maiore cum periculo, Græcè δεινότερον, quod est grauius seu terribiliùs. Et certè Galenus non magnifacit significatum verbi illius, sed quòd comparatiuè loquatur: siquidem comparatiuum præsupponit positiuum, oportet igitur aliquid dixisse in eo verbo (minus bonum est,) seu significasse. Inde subiicit illa verba parum digna Hippocrate, & impudenter prolata scilicet vt qui negligentius loquatur de eis, cum vtrisque conferre possint, quemadmodum hic facit Hippocrates: quæ verba tamen non sunt in Aldino codice Græco, sed ab illis (cæterum vt id bonum non sit) nihil amplius est. Dicit etiam Galenus se ostendisse, decubitum supinum esse malum, sed hoc vbi ostenderit, non facile est dicere, nisi intelligamus in secundo de motu Musculorum cap. 4.) vbi meminit præsentis loci, sed qualis demonstratio, videbitur in explicatione. At postmodum vult tueri Hippocratem, tanquam omnia hæc posuerit, vt signa neutra, vel parui momenti, quòd ex consuetudine talia esse possint: at hac excusatione non indiget Hippocrates, qui iam hoc dixerit in aliis signis, quæ tamen non numerat inter indifferentia. Est verò locus alius satis ad huius intellectum ex Galeno, quomodo huiusmodi decubitus sit valde malus. Verba illius sunt in lib. de Tremore & rigore (cap. 4.) hæc: Hæc sanè & Hippocrates asserebat. Si verò præceps agitur, & à lecto ad pedes delabitur, grauius periculum minatur. Nam ad pedes sublabi decumbentem, virtutis extremæ imbecillis nota est firmissima. Stare etenim aut sedere, aut surgere non posse, graue quidem: sed minus graue periculum minuit, quippe multi ægrotantium ad hæc deueniunt desinuntque, ad extremam nondum imbecillitatem prolapsi. At decumbere non posse viuentis modò: sed hic quoque tanquam mortuum & inanimatum corpus deorsum ferri, extremum malum fatetur. Hic plus dicit Galenus, quàm velit Hippocrates: nec ad illius mentem. Porrò sententia Hippocratis non est eiusmodi, & clara est: sed Galenus totam confundit.

Vult ergo decubitum significare super robur aut imbecillitatem animalis facultatis. Ergo hæc imbecillitas, cum ab ea facultate proueniat, nunquam lethalis est: quia neque per viam causæ, cum ad illam facultatem non pertineat concoctio, nec etiam vita: igitur illa imbecillitas non est signum valde malum, nisi ratione causæ: scilicet cum fuerit ratione morbi, at secus, cum possit prouenire infinitis ex causis, vel natura, vel tempore, vel à re præter naturam: ideo dixit Hippocrates, quòd talis decubitus non est adeo bonus vt primus. Imbecillitas autem, quæ est virtutis naturalis, non solum est signum, sed causa mortis: quia interim materia non coquitur. Similiter imbecillitas vitalis facultatis est mala, non solum vt signum, sed vt causa: quoniam calor ille non adiuuat facultatem naturalem vt debet, ideo humores corrumpuntur, & homo perit. At facultas animalis, nec est principalis in coctione, neque auxiliatrix coctionis, ideo potest esse imbecillis & tamen seruari æger: & valida, & tamen perire. Et hoc est, quòd multi decipiuntur videntes ægros, qui vix possunt se mouere, & tamen seruantur, alios, qui loquuntur, & vt sani ratione constant, & tamen moriuntur etiam breui: quod non apparet de facultate vitali, nisi rarissimè, & de naturali adhuc rarius. Et siquis obiiciat, quòd ob respirationem peribit æger, suffocato homine, cum illa facultas fuerit imbecillis? Dico, quod Hippocrates ob id ponit tres ordines huius imbecillitatis, & in primo dicit, quòd solùm non est adeo bonum signum in secundo non dicit malum, sed quod est grauius, seu magis horrendum, multa enim sunt mala non horrenda, vt mors naturalis: alia sunt horrenda, & non mala vt incidere in Principem, quem aliquis grauiter offenderit: vbi subsequatur alia, sunt horrenda & mala vt si laceretur captiuus iussu illius Principis, ergo imbecillitas magna facultatis animalis est signum per se horrendum, non tamen malum, vbi contingat ab alia causa, quæ sit contra naturam. Sed cum fuerit coniuncta cum causa contra naturam, tunc necessariò est mala, vt in tertio exemplo. Ad id de suffocatione respondetur ex Galeno ipso (2. Aphorr. Comm. 42.) quod natura in quauis imbecillitate illius facultatis modò non extrema, quidquid reseruatum fuerit ex viribus eius, id totum traducit ad motum pectoris.

Ergo

Ergo in hac facultate appellat ſigna mala, quoties illa imbecillitas fit à morbo, vel coniunctis illis. Videamus modo ſingula.

Dicit ergo primùm, quòd ſi patiens iaceat ſupinus, hoc eſt contrarium eius, quod eſt in latus, & extentis brachiis, cruribus, ac ceruice, quò hoc eſt minus bonum: quia ita iacent defatigati, & in decubitus illorum, ergo proportio talis decubitus ad optimum eſt, velut defatigati ad robuſtum: quare non debet dici periculoſus: & maximè, quòd ſit decubitus calore multo laborantium, at qui acuto morbo ægrotant, magnum æſtum patiuntur: ideo in iuuene & æſtate non eſt admiratione dignum, quòd ſic decumbat æger. De hoc decubitu contracto dicebat Philoſophus ſexta Problematum (3.) quòd diligitur à natura ob coctionem meliorem: & quoniam flatibus locus magis patet, & ſunt veræ cauſæ, cum etiam adiungat conſuetudinem. Gaudet enim natura conſuetis: quòd ſi valde debilis ſit, læditur ex illo paruo labore continendi muſculos contractos: ſed ſi etiam ſit imbecillior, à minimo etiam fatigatur, qui eſt continendi corpus, ne ruat, & eligit, cum tot incommodis caſum corporis ad pedes, electio autem naturæ, cum cognitione careat, eſt neceſſitas. Quia ergo omnis hæc ratio pendet à conſuetudine, cauere diligentiſſimè oportet, ne ab illa decipiamur, & maximè in pueris parum moratis, eoque magis infantibus: quia decubitus ſupinus & ad pedes eſt ſecundum naturam alius eſt ex bona & decenti inſtitutione. Meminit huius ſententiæ Hippocrates ſexto Epidemiorum (Par. 1.) Diſtinctio corporis articulorumque durities, & æger ipſe diſſolutus, & confractiones articulorum malæ. Vbi vides, cur non adiiciat (lethale.)

Secundus ordo eſt, vt præter decubitum ſupinum & extentis membris, etiam pronus fiat, & de lecto delabatur ad pedes. Hoc ſignificat maiorem imbecillitatem: quia non poteſt continere ſe in recto ſitu, neque etiam ex obliquo, quin in pedes delabatur, quorum hoc ſecundum conuenit mortuis: primum autem conuenit, quatenus viuit, & mouetur. Nam mortui ſi rectè ſtatuantur, non inclinanrur in aliquam partem. Ea tamen verba, εἰ δὲ καὶ προπετὴς γένοιτο meliùs & ex re interpretarer, (ſi verò etiam præceps fiat, id eſt, iaceat, & de lecto, id eſt, puluinari delabatur ad pedes: nam ſupini proni eſſe non poſſunt, & προπετὴς magis ſignificat præcipitem, quàm pronum: tunc ſententia maximè congruet experimento, decidunt enim ex puluinari non ſolum morientes, ſed etiam mortui, quòd puluinar ſit altius: ideo & inflectunt collum & faciem verſus pectus, & hoc eſt proprium ſignum maximè imbecillitatis. Notandum, quòd talis præcipitatio eſt exigua, & vix dignoſcitur: quia coguntur inflectere caput, niſi cùm ſunt in actu moriendi: tunc enim eſt manifeſta, & ideo non eſt malum ſignum tunc, cum ſit obſcura: nam de ſecunda non loquitur, ne videatur abſurdus. Et ideo eſt hoc ſignum non vulgare, cum tamen ſignificet morbum aliquem: neque ſymptoma, aut cauſam morbi: ideo ponitur pro horrendo ſigno, ſiquidem ſi fiat ex cauſa morbi eſt lethale ſi non coniungatur, non eſt lethale, propter cauſas dictas.

Tertius ordo eſt, vt nudos cum his omnibus pedes habere comperiatur, nec admodum calidos, & manus, & collum, & crura inæqualiter diſiecta, ac nuda, malum eſt: anxietatem enim ſignificat. Hic tertius modus eſt cum morboſo affectu: ſiquidem pedes non habere valde calidos, & detegere illos, ſignificat febrem mali moris, & anxietatem. Ob id dicebat Hippocrates quarto de victu in Acutis (Ter. 39. & 40.) pedes habere frigidos non eſt malum: quia poteſt eſſe ſignum acceſſionis morbi: ſi autem morbus ſit in declinatione, tunc pedes erunt calidiores reliquo corpore. Cum verò non ſunt calidiores reliquo corpore, febris eſt in augmento: propterea abſtinere iubet eos à cibo. Igitur pedes non multum calidi in morbo acuto ſignificant aut illum eſſe in augmento, ſi adſit acceſſio: vel ob Phlegmonem interiorem, aut velut in lipyriis, velut quarta Aphoriſmorum (Comm. 48.) vel cum homo iam incipit mori extincto calore innato, aut omnino ob exteriorem cauſam. quicquid horum fuerit eſt ſignum haud bonum, & aliud ſignificans, quàm imbecillitatem facultatis animalis. Similiter & crura multò magis, adiuuant & manus: ſed ſolæ non poſſunt ob conſuetudinem magnum malum ſignificare. Significare etiam poſſunt delyrij initium, cum hæc ab omnino ſana mente citra impudentiam fieri non ſoleant. Dicebat Galenus ſeptima Aphoriſmorum (Com. 1.) In morbis diuturnis & qui ſine febre ſunt, tum verò in ſene & hyeme extrema frigere non eſt abſurdum. Cum verò dixit (diiiecta inæqualiter) intelligit, quòd id ſignificat anxietatem, quæ cogit iactare ſe & membra, quaſi diſpergere: nam quæ à natura fiunt, non coacta ſolent eſſe ordinata. Cum ergo hoc non fiat à calore externo ob pedes, qui non ſunt valde calidi, neceſſe eſt, vt fiat vel ob prauitatem occultæ qualitatis morbi, ſicut etiam ob multitudinem materiæ: aut ob calorem febris contractum ad interiora.

Galenus autem reducit huiuſmodi ſymptomata aliquando ad rationem morum: & ideo vult eſſe conſiderandam mollitiem patientis, aut patientiam, nam ſi patiens fuerit valde mollis parum horrenda ſunt, eadem ratione dicam, ſi petulans aut ſtultus: contrà hæc horrenda erunt, cum fuerit prudens, verecundus, & patiens. Adiicit etiam, quòd ſi præſente Medico hæc agat æger, ſignum eſt, quod fit ob vitium oris ventriculi, vel ob virium imbecillitatem: ſed de ventriculo ſatis verè dictum eſt, ſed & propter animi triſtitiam & vterinos affectus hoc accidere vidi: poſſunt & alia eſſe. Sed de virium imbecillitate docui, quòd προπετὴν & de cubitum ſupinum facere poteſt: Diſtractionem autem membrorum aut iactationem quomodo facere poſſe illi in mentem venerit, non queo intelligere. Id tamen vtile eſt, quòd anxietas magna præcipuè eſt ſymptoma morborum afficientium os ventriculi, ſi non ſit ex triſtitia, vt quotidianæ. Vnde ſecundo de

Victu in acutis (Com. 2. 7.) inquit : Quibus ventriculus cibis grauatur, inquies ſuperuenit : quod verum eſt & de acri humore, & ſunt febres quædam, quibus hoc eſt proprium: vt in quarto eiuſdem (Tex. 47.) vocat Interpres ibi implacidas.

PROGNOSTICON XX. & XXI.

Lethale eſt & hiantem ſemper dormire : & crura ſupini iacentis valde incuruata eſſe, ac complicata.

COMMENTARIVS.

CVm dixiſſet de tertio modo, quòd ſit malum: ſubiicit modo ſignum lethale, quod non ex imbecillitate oritur : tum quia illud non poteſt tantam ſignificare imbecillitatem, vt ſit ſignum mortis : tum quia os concluſum manet naturaliter, & aperitur ac clauditur muſculis. Sed mittamus hoc, primumque quæremus, quanta mala afferat hiatus oris in ſomno : deinde quod modis fiat: demum quomodo ſit lethalis. Ergo primum damnum eſt ex ſiti ſexto Epidemiorum (Par. 3. Tex. 33.) Ad ſitim tollendam os claudere. Secundum eſt, quòd lingua denigratur & exiccatur: vnde corrumpitur guſtus & ventriculus vitiatur, ideo qui dormiunt ore aperto, fermè ſemper habent linguam fœdam. Tertium eſt, quòd tempore hyemis debilitatur pulmo, & ventriculus: quia exanguis, & omne exangue læditur à frigido : pulmo: quia illi frigus eſt inimicum, decima tertij (Trac. 1. cap. 3.) quartum eſt quòd dentes læduntur ab aëre frigido, & incurrunt dolores ob hoc : & exiccatur id, quod eſt circa illos, ex humido, quod eos tutatur. Quintum eſt ingreſſus rerum malarum, præcipuè ſerpentium: ſicut narrat Hippocrates in quinto Epidem. (Pag. 11.) de adoleſcente, qui multo mero ebibito in loco quodam dormiebat ſupinus aperto ore, per cuius os ingreſſus eſt ſerpens, qui vocatur Argeus, hunc, cum loqui non poſſet, dentibus ſtridens deuorauit, ſic ille in ventriculum ingreſſus eſt, cuius deſcenſum ſequutus eſt dolor magnus, & ſtrangulatio, & iactatio manuum, inde conuulſio : atque ſic mortuus eſt. Circa quod notandum eſt, quòd quidam deuorant ſerpentes paruos etiam, & manent per aliquot annos cum vita: non vita, ſed infelicíſſimi torquentur, nec ſi interficiatur ſerpens, quod facile eſſet, potu diptami, aut corticis fraxini cum aceto vel lacte multo, non tamen poſſunt euadere: quia nec vomitu, nec per aluum res adeo longa, & ſinuoſa, poteſt exprimi. Ob id vnum eſt præſidium : macerare patientem fame, & ſuſpendere illum pronum à pedibus non rectè: nam ſuffocaretur ex longa mora, quam perpeti coguntur, ita vt manibus adhæreant margini lecti, vt ſe recreare poſſint, inde ſuppoſito vaſe pleno lacte, aut vini dulcis, quod etiam magis appetunt ſerpentes, expectare illius exitum, & patienter : & vbi exierit, ſtatim ſoluto vinculo, ſenſim demittere ipſum in lectum, optimis odoribus recreando, & contegendo leuiter. Ideo tales caſus accidunt ex ſomno, ore aperto, in locis humilibus poſt potum vini, cuius odore ſerpentes alliciuntur : velut dicebat Galen. vndecimo de ſimplicibus Medicamentis (cap. 1.) præſertim æſtate media, cum ſerpentes ſitibundi ſunt, & iuxta hederam, cuius opacitatem libenter ſequuntur, & maximè, vt lateant. Quomodo autem contingat hiare os per ſomnum? dico, quòd tribus ex cauſis, prima eſt conſuetudo, ſecunda eſt, cum nares obſtruuntur: nam cum neceſſe ſit hominem interim reſpirare, cogitur impedita narium via apertum os tenere, tertia cauſa eſt, cum muſculus temporalis, qui ad maxillam tendit inferiorem, aut reſolutus eſt, aut præciſus, aut vires imbecilles nimis, aut contrà ille, qui aperit, conuulſus, non poteſt homo claudere os. Horum muſculorum conſtructionem tradebat Galen. vndecimo de Vſu partium (cap. 5. & 20.) & Veſ. lib. 2. (cap. 15.) vbi dicta Galeni ex eodem reprehendit. Oriuntur ergo ex temporibus, deſcendunt ſub oſſe iugali, quod exterius gibbum eſt, interius cauum, vt muſculum hunc tegat: & vt tutum reddat, ſine medulla eſt, & latum ad pomum maxillæ tenuè verſus tempora. Neque ergo ſæpius accidit hæc oris dilatatio ex imbecillitate ſuperiorum, & concludentium os muſculorum, quam conuulſionem inferiorum, qui non ſub iugali oſſe feruntur ſed in maxilla poſiti ſunt inferiore. Cuius rei teſtimonium ego fero, qui anno M.D.XXIV. ſcilicet ab hinc XLI. die Natalis Domini hanc expertus ſum conuulſionem, vt non poſſem os claudere, & erat ſine dolore. Vnde notate, quòd cum muſculus conuellitur, non niſi quantum eſt ſpacium, quo mouere poteſt membrum ſanum, non affert dolorem : vt de hoc muſculo, qui mouit mandibulam, nam neque ipſe ſupra modum factus breuis erat : neque qui ad oppoſitam partem, longior, quàm ferre poſſet Similiter Natura appoſuit muſculos aperientes mandibulam, non, vt aperietur, (hoc enim grauitate ſola conſequi poterat) ſed vt quantum oporteret, primùm aperire poſſet : Et vt rectè contineret apertam : demum vt omnino cum vellemus. De tertio dico, quod veriſimilius eſt intelligere Hippocratem de conuulſione, quàm imbecillitate : oſtendunt verba coniuncta. Et crura ſupini eſſe valde complicata atque coniuncta. Quid enim ad imbecillitatem complicata crura ac coniuncta, imò mortuorum crura ſunt extenſa, & diuaricata, niſi illorum, qui in tormentis moriuntur, aut ex vulneribus? Præterea ſi poſſunt contrahere crura, multò magis & mandibulam inferiorem, nunquam enim ob ſolam imbecillitatē contingit, vt homo adeò debilis fit in dies maior & ideo à ſiccitate, nam ſi imbecillitate ſtatim fieret maximus. Sed hāc ſuam imbecillitatem vbique Galenus pro ſcuto opponit. Hæc ergo minima conuulſio cum imbecillitate, quam ſupinus decubitus declarat, lethalis

thalis omnino est: seu imbecillitati ipsi superueniat, seu illius causa sit: potest enim vtroque modo contingere, sed hoc est deterius. Possunt & hæc delirium significare, scilicet futurum, sicut & de conuulsione intelligendum est: nam præsens delirium & conuulsionem longè faciliùs ac certiùs ex ipsa re cognoscere licet, quàm ex tam longè repetito signo, hoc ergo est cognoscere initia affectuum malorum, atque periculosorum. Porrò cur ad aperiendum multis sit vsa instrumentis, ad claudendum musculo illo duntaxat, qui in coronam finitur, ratio est manifesta: quoniam aperire multifariam pluribusque diuersis modis concludere non erat necessarium: quanquam ne Galenus quidem hoc attigerit. Quales tamen musculi patiantur, hiante ore, per laxationem, aut debilitationem, docuit secundo de Articulis (Comm.21. & 22.) quatuor: scilicet duo ex temporibus, & duo ex cauitate ossium alarium. Manifestum est autem, quòd hiare vigilantem est deterius, sed non semper: pessimum autem in cataphora, quod etiam est familiare.

PROGNOSTICON XXII.

AT in ventrem decumbere, siquis non sit adsuetus, dum sanus fuit, ita dormire, delirium significat, aut dolorem loculorum circa ventrem.

COMMENTARIVS.

CVr dolorem significet, aliquo modo docet Galenus, scilicet, quòd decubitus super partem dolentem plerumque alleuiat dolorem, quotiescunque primo pendula sit collecta materia secus decumbent: nam dolorem, qui fit ex pondere, aufert. Secundò: quia calidum dolorem sedat, authore Hippocrate (5. Aphor. 22.) & experimento soluens flatum & extendens partem, & tollens plerunque causam doloris, quæ est frigiditas. Tertiò calidum concoquit abscessus: & ob id etiam dolores leuat. Auget hic decubitus dolores tribus in casibus ipsius ventris: cum fuerint à causa calida, vt in erysipelate: cum pendulus fuerit abscessus, vt cum in dorso fuerit: demum, cum comprimit locum. At de delirio nil aliud sciret afferre in medium, quàm quòd absurdus sit talis decubitus coram medico. Hæc est subtilitas. Attamen cum hoc dixerit, vel de præcedentibus dictum intelligere oportuit, aut illorum aliam causam quærere.

Naturaliter autem decumbere in ventrem iuuat plurimum ad coctionem, dicebat Princeps: & est vnus decubitus, quasi naturalis. Sed est difficile decumbere in ventrem, nisi homo contorqueat collum. Ideo ponuntur à me octo modi decubitus, qui faciunt ad intellectum præsentis partis: super dextrum latus: super sinistrum: super ventrem: supinus. Dexter medius, qui fit brachio dextro supposito capiti, & corpore reclinato ex dextro latere super ventrem, & similiter sinister medius super brachium sinistrum, capite reclinato, vel saltem brachio sinistro extento: corpore autem super latus sinistrum reclinato ad ventrem, his duobus ego dormire soleo. postmodum est supinus eleuatus, quo dormiunt laborãtes difficultate spirandi magna: & sedentarius pronus, quo decumbunt elephantici grauiter affecti; nam non possunt decumbere in lecto, sed sedent perpetuò in sede, & caput pronum, cum volunt dormire, reclinant super tripodem: vt faciebat quidã Mercator ex Restarum familia, quem curare volui, sed non successit. Hic decubitus est valde malus, quando somni eorum sunt breues, & corpus totum laborat. Deterior tamen multò est supinus erectus, qui etiam conuenit aliquando graui ascite laborantibus. Supinus autem simplex non est adeò malus, cũ sit aliquibus naturalis, non reliqui duo dicti. Pronus simplex parte nulli conuenit (suffocaretur enim homo) sed sit reclinato capite: & tunc etiam est laboriosus, & molestus, & nocet oculis, optimi ergo sunt duo super latera, & duo medij reclinati, & de reclinatis intellexit Princeps, cum laudauit decubitum in ventrem. Optimum putat ille decubitum super latus dextrum: primò scilicet, vt cicus descendat ad fundum ventriculi, tametsi fundus ventriculi sit in sinistro latere potius. Deinde super sinistrum: tum quia ventriculi situs est secundum naturam, habet enim locum satis amplum in sinistro latere, non solum, quanto iecur est liene maius, sed etiam, quia ren sinister est humilior dextro; secunda causa est: quoniam iecur in tali situ amplectitur ventriculum, & fouet illum: nec præmitur à ventriculo, nec à cibo in eo contento. Iuxta etiam rationem naturæ & morbi: nam quibus cor afficitur, maius detrimentum sentiunt ex decubitu super sinistrum latus, vel si pars pulmonis sinistra sit affecta: quia morbi non sunt concoctioni apti: & similiter in abscessibus iecoris. Contrà si iecur sit nimis calidum, aut lien laboret abscessu, vel sit impedimentum in latere dextro pulmonis, adeò vt ex compressione impediatur spiritus, talibus non conuenit decubitus super dextrum latus. Optimi ergo sunt super latera perfectè sanis, & feliciores: habentibus autem debilem coctionem meliores sunt medij decubitus, in artibus etiam patientibus, & magis in oculis, & in nuper percussis, aut vulneratis, decubitus super idem latus partim molestus est, partim periculosior: & ob id vitari debet. Illud autem obseruandum in omni decubitu quibuscunque descriptus est, cuius nos sæpius admonet Hippocrates obseruandam consuetudinem: de qua etiam Celsus inquit (libr: 2. cap. 2) esse proprietates hominũ, sine quarum notitia nemo præsagire possit: necesse timendum, nisi à nouis.

PROG

PROGNOSTICON. XXIII.

CÆterum erectum sedere velle ægrum in morbi vigore in omnibus morbis acutis malum est: pessimum autem in pulmone inflammato.

COMMENTARIVS.

POstquam decubitu vario sermonem habuit, ad oppositum transit statum, qui est eorum, qui sedent in lecto: neque enim ambulare possunt ob morbi magnitudinem. Cum ergo imbecillitas suadeat decubitum, si exurgat, non nisi violentia morbi id accidere potest. In statu autem morbi dispositio, si salubris sit, mitior est, & symptomata minora: si ergo exurgit, symptomata vrgent, aut morb. aut materia torquet ęgrotātē, nō ergo salubris est morbus. Et causę surgēdi possunt esse, vel molestia, vel difficultas spirandi, vel delirium: Nam vel sunt ab errore, vel necessitate, vel propter melius. A necessitate nulla potest esse, quàm respirationis, non solum, quòd æger surgendo meliùs respiret: quoniā pulmo faciliùs attollitur, & magis, quam iacendo: num etiam pectus, dum iacet homo supinus, minùs & difficilliùs dilatetur: quare & pulmo. Sed & pulmo cum difficultate attollitur magis in supinis, cùm alligatus sit dorso longè magis, quàm pectori: & maximè in parte superiore: & etiam quòd in eo decubitu consident partes. Sed est alia causa molestia, qua dum impeditur respiratio, imaginatur, quòd surgendo meliùs respirabit: vnde etiam se iactat hinc inde æger, nō solum surgit, sicut febricitans, qui sperat se inuenturum maiorem quietem per mutationem lateris. Inquies autem & molestia, quæ cogit hominem surgere, aliquando est dolor vehemens: sicut videmus in lapide renum, & colica. Vel color maximus, sicut in febre ardente, vel molestia abdita, sicut in pestilentibus. Delirium præcipuè in phreneticis apparet: & imaginantur res horrendas: propter quas timent: aut res, quæ prouocant ad iram, quoniam declaratum est à nobis, quòd hi duo soli affectus sunt potentissimi in animis hominum. Et experientia, & ratio docent, quòd ex his, qui ira & furore perciti surgūt, multi sanantur, eorū, autē qui ob timorem surgūt, neminem ad hanc vsque diem sanatum vidi. Et ratio huic astipulatur: quoniam timor fit à frigido, & phrenisis causa calida est, & à flaua bile, igitur frigiditas hic non potest contingere, nisi extincto calore naturali: quo facto, cum morbus sit in principe particula, necesse est ægrum perire.

Pessimum autem in pulmone inflammato. In hoc est suffocatio magna ex causa pessima: & vbi maximè indiget æger respiratione. Sed hoc est longè deterius, quàm in alio morbo, ergo in hoc morbo si æger surgat prorsus lethale est. Causæ enim difficultatis spirandi possunt esse, vel ob materiam contentam in pectore, vel in pulmone, vel in aspera arteria, sed in pectore est minus malum, cùm inter pectus & cor maior intercedat distantia, quàm inter pulmonem & cor: igitur deterior est difficultas spirandi in pulmone, quàm pectore. In aspera autem arteria, velut in angina, licet celerius præfocet, quā pulmonis inflammatio, peripneumonia tamen est magis insanabilis: quia est magis remotá ab auxilio manuum: & si disrumpatur materia, non ita liberè expurgatur, sed transit ex morbo in morbum: in angina autem perfectè sanatur, rupto abscessu. Inter morbos autem pulmonis acutos cum sit destillatio, quæ impediat respirationem, illa est minus periculosa inflammatione, cum substantia pulmonis nō sit vitiata, nec materia adeo calida. Quod ad necessitatem attinet, clarum est, quòd nihil est grauius inflammatione pulmonis: tum ob impedimentum respirationis, cum ipsius functio propria sit, cor refrigerare tum quia ob mollitiem abscessus fit maior & ideo calidior: tum ob propinquitatem cordis: demum, quia nutritur ex sanguine calidissimo, quarto de Vsu partium (ca. 15.) Sed dubium est: quoniam orthopnœa est symptoma pathognomicō peripneumoniæ, quarto de Locis (cap. 8. igitur non potest esse pessimum, quod in ea in luditur. Respondeo, quòd Galeni sententia est falsa, & contra Hippocratem, & experimentum: nisi intelligatur de magna, aut cruda. Cruditas antem in morbi vigore, & magnitudo, semper sunt pessima.

PROGNOSTICON XXIV.

DEntibus stridere in febribus, quibus non familiare, id est, à pueris, furiosum ac lethale est. Verum prædicere oportet ab vtrisque periculum futurum. Si verò etiam delirus hoc faciat, perniciosum valde iam existit.

COMMENTARIVS.

SEntentia clara est, sed Galenus aut non intellexit, aut nesciuit declarare: nam reliqua, quæ ad explicationem attinent, pulchrè docet. Est ergo sensus. Vbi quis strideat dentibus in morbo acuto, significatur periculum delirij furiosi: id est, distinguitur à placido, & læto. μανικὸν enim differt à placido & læto, iuxta illud. Desipientiæ: quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores. Sunt enim quatuor propriè genera delirij & insaniæ, furiosum quòd à bile flaua, & à bile etiam exusta fit: cum timore à melancholica naturali: lætum à sanguine: & quod fit cum studio, & vocatur stultitia sapiens, & sapientia stulta, quæ fit à pituita, licet ibi tres magis vulgatas exposuerim, ordo autem magnitudinis apud Hippocratem est, nugari,

nugari, delirare, desipere, mẽte moueri. Dicit ergo, quòd significat vel furorem, vel mortem, & quod ita prædicere conuenit: quia dixit ἀλλὰ, quod est sed, ostendit, quòd non ita futurum debeat prædicere, sed periculum, imminere ab alterutro, aut forsan vtroque, videturque verisimilius: quia inter furiosum ac lethale καὶ, quod est, &, non ἢ, quod est, vel interposuit. Quasi velit, quod periculum est de furore, quo superueniente succedet etiam mors. Et hoc declarant verba sequentia: Si verò delirus hoc faciat, id est modò delirium adueniat, certi sumus de morte: non tamen certi sumus de delirio, cum autem delirium aduenerit, mortem propinquam esse significat. Quia dixit: Si verò iam delirus hoc faciat: quia significatur materiam malam iam efficere lethale symptoma: ergo hoc valde perniciosum est; nam morbus & causa & symptoma cum mala fuerint, lethale est: si verò omnia hæc non mala fuerint, sanitatẽ polliceri possumus: si partim mala, partim bona, non est certum iudicium. Cum ergo conuulsio per se sit leuis morbus, quia est in membro ignobili, scilicet in neruis, & symptoma lethale, quia cerebrum diuellit, ideo si fuerit ex humore bilioso prauo, & à siccitate, morbus erit, & causa & symptoma lethalia, sin autem ex humore pituitoso, rarò occidit.

Hoc igitur in casu quærendum est, an debeat intelligi ab vtrisque videndo, an simile? & videtur velle Hippocrates, quòd ab vtrisque sit periculum, ita vt prædicamus hoc modo, vt antea dixi. Periculum est, ne furor succedat, & si successerit, morietur.

Aliud dubium est, an intelligat valde exitiosum esse, cum ex delirio superuenerit stridor dentium? an continuato stridore dentium deliriũ superueniat? quasi velit, posse ex stridore dentium peruenire in delirium, sed cessare tamen stridorem dentium. Sunt autem duo, vt ex delirio perueniat in stridorem dentium: vt ex stridore dentium perueniat in delirium, vtroque manente: nam quod simul oriantur, nihil est, cum sub alterutro comprehendatur. Videtur autem secundus modus locutioni proprior: scilicet vt velit innuere stridor dentium permutatur ad delirium, & tunc vel cessat, & est periculosum, nõ lethale: vel vt non cesset, & tunc est longè deterius: tum quia significat originem mali ex malo, non transmutationem, & copiam materiæ: tum quia periculosiora sunt duo mala lethalia, quàm vnum.

In primo est actio naturæ vitiosa non critica, & morbi sedes maior: in altero malum multiplicatum. Est ergo sensus: Stridor dentium significat & delirium & mortem: ideo debes prædicere periculum ex vtroque: scilicet vel delirabit, vel morietur, sed si delirium iam adsit, lethale est, & valde lethale.

Galenus innuit trifariam posse contingere stridorem dentium ex natura musculorum: & ex illorum affectu proprio, licet hoc non dicat, velut in vermibus: & ex cerebro malè affecto, & cum indicet conuulsionem, signum est lethale. Addit Galenus omissa dubitatione illius, quæ leuis est, quòd significat mortem esse propè: hoc non dicit Hippocrates, est tamen verum, & in hoc dignus est laude. Paucos enim vidi, qui secundæ dici finem attigerint, cum stridor dentium delirium comitatur. Scribitur & in Coacis prædictionibus (Pag. 9.) Additur ibi, quòd si dentes resiccentur, etiam lethale est. Hoc enim accidit ex humore adurente, & febre valde sicca: quoniam os à ventriculo & capite humectari solet. Meminit & in secundo Prorrhitici (Tex. 13.) addens, quòd suffocatio ex stridore dentium valde mala est: nam significat, vt dixi, conuulsionem, cũ verò suffocatur, significat etiam conuelli musculos respirationis, remque in summa necessitate positam: vt superius dixi (Com. 14.) de morbo attonito loquens.

Sed meo iudicio adhuc nihil dictum est, cum non reddiderimus causam, cur stridor dentium delirium significet. Dico ergo, quòd Hippocrates vult, vt intelligamus illud, vt dixi (furiosum ac lethale) distinctè, quòd declarat per verba sequentia: Si enim significat conuulsionem, lethale est: si delirium, non est lethale. Propterea dicit: si verò etiam delirus hoc faciat, perniciosũ valde iam hoc existit. Id est, quia non amplius potest significare delirium: quare valde perniciosum existit: & quia significat conuulsionem non delirium: & quoniam præter conuulsionem, adest deliriũ. Hic patet maximus error Galeni, qui cum stridorem dentium significare delirium maximè dixerit, ille solum, quasi de cõuulsione, non de delirio manifestissimè eum exponit. Ergo iam habemus literam claram, & partis vnius, etiam causam à Galeno explicatam: scilicet quando stridor dentium per se significat conuulsionem, & tunc significat mortem: secundò cum significat conuulsionem iam cum delirio, & tunc significat velocem mortem, seu valde certam, secundum Hippocratem. Solum restat tertius casus, cum stridor dentium solum significat delirium, & tunc non significat mortem. Dico ergo, quòd stridor dentium est motus inuoluntarius, & non est conuulsio: sed fit à vaporibus acribus, & mordentibus, qui, si tenues sint, excitant delirium: si crassi, conuulsionem, & pòst mortem, igitur stridor dentium in febre significat delirium, vel mortem: quod erat demonstrandum. Cur autem vapores tenues faciant delirium, est ob motum velocem: & non figuntur, sed resoluuntur: ideo faciunt delirium, sed si crassi, hærent: & ob id faciunt mortem. Dicemus autem, stridorem dentium non esse conuulsionem: quia est motus consuetus, vt non varietur, nisi modus, seu quantitas, vel dicas, quòd est vaporosa.

PROGNOSTICON XXV.

VLcus autem, siue prius factum fuerit, siue in morbo accesserit, considerare oportet. Si enim periturus est homo, ante mortem liuidum, ac siccum erit: aut etiam pallidum, & siccum.

COM

COMMENTARIVS.

OBſeruandum eſt, Hippocratem à debilioribus partibus ſigna ſumere: quoniam ſicut in laboribus abſumuntur ægri, infantes, & mulieres & calor ingens priùs exiccat herbas, quàm arbores grandes: ita partes debiliores noſtri corporis priùs affliguntur, quàm validæ & partes vlcerum cum ſint læſæ, imbecilliores ſunt reliquis totius corporis igitur priùs affliguntur. Sed corpus, quod ad mortem, refrigeratur, & exiccatur: quia vita conſtat calore, & humido, quorum vnum eſt qualitas cœleſtis, & actiua reliquum elementaris, & paſſiua: igitur mors contrariis horum priuationibus, quare mors conſtabit frigiditate & ſiccitate. Frigiditas autem liuorem parit, ſiccitas exiccat, igitur vlcus liuidum, & ſiccum mortem oſtendit. Sed & pallidum, cum inferius ſit liuido, idē: ſed non adeò euidenter ſignificabit. Siccitas hæc aduenit ex defectu nutrimenti: nam pars illa, alioquin debilis, facta debilior, nutrimētum trahere nequit. Color autem ille fit, extincto vitali calore: & ob id vtriuſque facultatis, quæ principalior eſt in vita, ſignificat extinctionem. Galenus verò aliena ab Hippocrate, & ab omni ratione, hìc dicit, alios colores, tanquam ab humoribus genitos, adiungens. Quid enim morti cum humore confluente ad vlcus in pede? imò ſi conflueret, non eſſet ſiccum vlcus. Hoc autem minus lethale eſt in morbo, qui eſt ob vlcus: lethalius verò in membro principali proximo, vt in vulneribus capitis. Vnde hi facillimè pereūt, & quandoque etiam ſananrur. Sed non eſt morbus acutus: Vt in libro de Capitis vulneribus (Pag. 9.)

PROGNOSTICON XXVI.

AT de manuum latione ita ſentio, quæ in febribus acutis, aut peripneumoniis, aut in phrenitide, aut capitis dolore, ante faciem feruntur, & fruſtra venantur, & feſtucas legunt, & floccos de veſtibus euellunt, & de pariete paleas detrahunt eas omnes malas & lethales eſſe.

COMMENTARIVS.

HOc pertinet ad operationem læſam. Galenus totum refert, quòd videat feſtucas, & ob id legere eas conetur: ita vt ſit vitium in oculo. Et pro hoc adducit pulchrū exemplū d eſemetipſo, vt colligitur quarto de Locis (cap. 2. iuxta medium) lege quicunque has lucubrationes inſpicis. Conatur autem hoc oſtendere ex his, quæ relata ſunt ab ipſis ægrotantibus, & quòd quibuſdam ſtragula eminere videbantur: aliis quòd feſtucæ in illis eſſent: aliis quòd circumuolitarent puſilla animalia ante oculos, quæ capere & feſtucas euellere conabantur, in quibuſdam etiam ſtante ratione: vt quāquam videre ſibi perſuaſum eſſet ob oculos, abſtinebant tamē à motu manuum, ratione docente, quòd nihil tale viderent. Atque hunc palam eſt decipi, vbi tum multa conatur, neque enim hoc verum eſt, cum delirantes multos videamus, & multò ante mortem, & etiam qui pòſt ſanentur. Et ſi ipſe ſanatus eſt, non collegit feſtucas, neque vidit. Et eorum, qui viderunt velut Franciſcus Pellizarius, in Saccenſi oppido, ſaltantes puellas, & choreas ducentes, aliaque multa, quique ſuperfuerunt, vt ille, omnes continuerunt manus. At eorum, qui vellerent feſtucas, & aſſiduè, non ſolum quēquam euaſiſſe vidi, ſed etiam breui periiſſe. Quare valeat cum ſuis libris de Demonſtratione: quoniam aliam cauſam quærere oportet collectionis feſtucarum, poſtquam illa non eſt ſufficiens: eſt enim ſignum valde lethale vt admonitus de hocſis lector. Dico ergo quod delirium hoc eſt admixtum initio conuulſionis: velut ſuperius cum dixit Hipp. (Tex. 18. quod dentibus, ſtridere eſt ſignum mortis. Et Galen. docuit, quia eſt ſignum conuulſionis, hoc idē dico de hoc motu, quāuis enim motus brachiorum naturalis ſit hic: tamen fit ob vapores, qui ſtimulant muſculos brachiorum: & ideo hoc ſymptoma ſignificat conuulſionem futuram. Indicio etiā eſt, quòd tales conuulſi moriuntur: conuulſio autem cum delirio lethale valde ſignum eſt imò celeris mortis, ideo hoc modo conſtat ſententia.

Sed cur dixit Hippocrates: In acutis febribus, & peripneumoniis, & phreneſi, & dolore capitis, & non dixit ſimpliciter? Quoniā in inſania quæ fit ex bile exuſta, aut ſanguine, ſed ſine febre, hoc non eſt lethale, imò ne periculoſum quidem ſignum: vt ſæpe vidi. Et ſimiliter poteſt accidere in dolore magno, cerebro, & neruis compatientibus: non autē ex ſe affectis, vt ergo ſit lethale ſignum vnū è tribus, eſt neceſſarium, vel vt ſit cum febre ardente, vel patiente valde capite: vnde phrenitis non ſolum vnum ex his habet, ſed ambo hæc: vel vt ſit coniunctum vehementi morbo, qualis eſt pulmonis inflammatio: quæ licet pariat paraphrenitidem, non phrenitidem tamen eſt abſceſſus membri adeò principalis, vt adiecta conuulſione, neceſſe ſit etiam breui ſequi mortem. Videamus modò, quomodo vapores aſcendentes à toto corpore, vel etiam ex ventriculo, cauſa ſint videndi res, quæ non ſunt imaginando, vel etiam, oculis ipſis. Dico ergo, quod φαντασία, vt habetur Tertio de Anima (capite tertio) eſt vis quædam animæ, ad ſenſum pertinens, & euidentius ad oculos, & eſt non ſine ſenſu: neque enim contingit imaginari colorem cæco, aut ſonum ſurdo: atque ideo motio eſt, quæ fit ſenſilium, ſed non præſentium. Propterea Themiſtius tertio de Anima (capite vndecimo) dicit, quòd imaginandi vis eſt tam verorum quam falſorum, imò plerumque potius falſorum: nam quatuor præter illam ſūt facultates veri, aut falſi, ſcilicet ſēſus, opinio, ſcientia, & intellectus, nulla illarū eſt φαντασία, quia ſæpe verorum non eſt, illa omnia ſunt verorum, præter opinionem: opinionem autem

autem fides consequitur, at non φαντασίαν, est enim φαντασία, quæ non coniungit, hocque inferius docet. In vniuersum autem tum Philosophus (cap. 54.) tum Themistius docet φαντασίαν esse quoddam genus memoriæ, id est virtutis, quæ seruat imagines sensu cognitas, & differt à memoria: quoniam memoria est propriè verborum φαντασία verò rerum. Confitetur autem vterque quod φαντασία conseruat species: & adducit exemplum huiusmodi accommodum de sensu, & φαντασία, dicens (cap. 14.) Gemma in annulo figuram in cera imprimat illa postmodum in aerem rursus imprimit figuram aliam: ergo annulus est instar sensilis rei, cera sensus, & aer φαντασίας. Est autem φαντασία, vt Themistius (cap. 15.) exponit, motus animæ, quem sensus in actu creat. Fit ergo falsa, inquit, φαντασία ratione sensuum aberrantium. Illi autem aberrant: vel quia non commodè admoti, vt circa colores in obscuro, vel procul, vel in dubia luce, ac mobili vel ratione sensilium communium, vt magnitudinis numeri, figuræ, motus vel quietis, in his ergo duobus aberrat. Cum igitur tam memoria quam φαντασία dupliciter moueantur, vel à sensu, vel ab intellectu, cui parent, dubium est, in ægris quomodo moueantur. Et certum est, quòd non secùs, quàm in somniantibus ab humoribus & ingestis, cibo atque potu, at hoc accidit in somniantibus deuinctis sẽsibus exterioribus quocirca delirantes habent vinctos sensus exteriores, qui cum vinciri non soleant, nisi in somno, sequitur, vt causa illa in vigilia sit adeò potens, vt sensuum vim interim extinguat. Ad hoc ergo, vt delirent, duo necessaria sunt, vt sensus vel cessent, vel aberrent sentiendo, quod frequentius accidit, quàm vt omnino cessent, & moueantur interim φαντασία aliarum rerum. Itaque duplex est delirium à sensu aberrante, vt in ebriis quòd frequentius accidit, & est minus periculosum, cum non ostendat, nisi vapores malos delatos ad cerebrum: alterum à φαντασία vel memoria cum ratione: & hooc non potest contingere, nisi dum sensus exteriores silent, & φαντασία peruertitur rursus à vaporibus, hoc autem argumentum est duplicis mali, scilicet corruptæ & imbecillis facultatis animalis. Reliquum est igitur, vt videamus, quomodo operatio naturalis, id est φαντασία, vel falsa ratio, possit moueri à tertio agente qui non est secundum naturam, scilicet qui non est neque sensus, neque intellectus. Et clarum est, quòd quemadmodum in sensibus conturbato instrumento fiũt falsæ repræsentationes, ita etiam perturbatis spiritibus, aut instrumento imaginandi, hoc autem non videtur esse anima: quia anima videtur esse subiectum rerum intellectarum: & etiam in ipsa nihil est nouum, sed tanquam lux, quæ illuminat instrumenta & spiritus, ergo videtur, quod vapor ille agitando cerebrum, cum lumen animæ semper illustret, ostendit falsas imagines in tribus facultatibus: imaginandi, cogitandi, & memorandi: quia absunt tria illa, quæ etiam concurrunt ad veram cognitionem: scilicet lux animæ, instrumentum, & spiritus, & lux animæ non potest corrumpi, neque vitiari, cum non sit sicut lux solis, sed materia caret: sed perturbatur instrumentum, & spiritus: & vtrumque etiam afficitur mala qualitate, vt inordinatè moueantur, ergo in hoc casu apparebunt falsæ imagines & maximè comparatæ ad sensilia communia, & ad coniunctionem: velut amicus rubro vestitus cum sit nigro, hoc est ob nimium splendorem & est vitium in proprio sensili: mouens brachium, vt percutiat, & longè maior quam sit: & est in sensili communi & in coniunctione, id est sub specie inimici. Et indicium, quòd cerebri temperies iam sit corrupta, est delirium perpetuum, vt in Phrenitide. Et ideo vigilia est duplex malum signum: & temperiei calidæ, & siccæ in cerebro, & delirij: propter id & consumptionis spirituum, vnde virium animalium collapsus, atque ruina: & ideo ex ambobus etiam mors ipsa. Indicium quoque iam est calefacti cerebri: & quòd delirium non sit à vaporibus, & per consensum ipsum est continuitas per aliquam partem temporis: vel quia sæpe redit in vna die: vel quòd cum non delirat, non tamen plenè stant tres illæ facultates.

Circa imagines autem, quæ fiunt in sensibus, diximus superiùs, & maximè de sensu visus. Galenus in Primo de symptomatum causis (capite 2. iuxta medium) dicebat, quòd ex ventriculo ascendentibus vaporibus in oculo valde liuido apparent imagines: & quòd hoc fit, quoniam tales vapores in crystalloidem & aqueum humorem, qui illum circumstat, quem & vitreum vocamus, deferuntur. Contingit autem hoc ex eo, quòd vapores ventriculi deferuntur ad neruos visorios: sed qua ratione solum à ventriculo, nõ à cæteris partibus hi deferantur, debuit Galenus, si sciebat, explicare. Et mihi sanè verisimile videtur, postquam hoc fit absque perturbatione mentis, vt non antea ingrediantur cerebri ventriculos, sed cum nerui visorij iuxta basim cerebri oriantur, vt Vesalius (lib. 4. c. 4. & prima ac secunda fig. sub litera G) docet, & prope glandem, per quam cerebri pituita expurgatur: vt non solum cruditates ex ventriculo vapores deferant ad oculos per rimam asperi foraminis posteriorem, cum alter ramus meatus ad angulum interiorem oculi deferatur, sed etiam ad aures per foramina exculpta in caluariæ basis sede externa. Vnde imagines in oculis, & tinnitus in auribus, & partibus cerebri repletis suffusiones, & surditates, (lib. 1. cap. 12. fig. 2. & 3. M. & V. literis.)

PROGNOSTICON XXVII.

Spiritus densus dolorem aut inflammationem significat in locis supra septum transuersum.

COMMENTARIVS.

COnfudisse Galenum omnem, ordinem disiunxisse coniuncta, coniunxisse disiũcta, apertius est, quam vt dicam quemadmodum in præsenti textu, sed hoc minimum eius

eius in exponendo Hippocratem vitium: est testimonium: tum vel insoluetis animi, quòd non credo: vel egregiæ negligentiæ, quasi illum contenneret, ac fastidiret, quod & verũ esse reor, & ex multis ac multis coniecturis vbique deprehendere licet. Verum nec expositionem hìc adiecit, volens nos reuoluere longas suas nugas in libris de spirandi difficultate, vt autem ibi, quæ dixit, vera sunt: ita tamen prolixè, vt fastidium peritis, difficultatem introducendis, vtrisque non leue damnum ex temporis iactura pariant. Omittam quærere, vt ille anxiè facit (lib. 3. de Diffic. spir. cap. 4. & 5.) vt Hippocratem accusaret, cur ex multis cõiugationibus spirationis has solum paucas hìc posuerit? Ecce vides illius animum aut doctrinam cum laudando Hippocratem tam paucis satisfaciam. Posuit eas, quæ in acutis morbis & validam haberent, & obscuram significationem. Habes totam excusationem, vis declarationem, paulò longior est. (Quorsum, cum hic tractare propositum sit de morbis acutis solum, alias commemorare? cũ breuiter, quæ ex illis intelligi possent? cum vt salutem vel mortem prædicere Medicus posset, minus efficaces?) Sed vide, quod iam ipsi accusatori similis fio ob prolixitatem.

Spiritus densus dolorem aut inflammationem. Antequam explicetur sententia Hippocratis, præmittere oportet id primũ, quòd respiratio, cuius vsus, vt habetur in lib. de Vsu respirationis (c. 5. in fine) est duplex temperare & nutrire spiritum vitalem, & animalem: & expiratione, cuius vsus est expurgare calorem præter naturam. Alterum est, quod habetur in libro secundo de motu musculorum (cap. 9. & 1. de Diff. spir. c. 13.) & est, quòd inspiratio fit per eleuationẽ thoracis, quæ naturaliter fit per septũ transuersum præter naturam, aut per septum transuersum, & alios musculos: expiratio autem fit considente thorace motu, qui fit à grauitate: nec indiget musculis, licet septum trãsuersum se contrahendo adiuuet contractionem etiam thoracis. Intelligendum & quòd omnis respiratio, sicut & pulsus, componitur ex inspiratione & quiete sequente eam. Et inspiratio duplex est seu dupliciter afficitur velocitate & tarditate, magnitudine, & paruitate, similiter & exspiratio, vt sint quatuor membra, inspiratio magna & parua, velox vel tarda: expiratio magna vel parua, & velox vel tarda: inde prima quies longa vel breuis, & similiter secunda variabitur: ergo bifariam sex modis, tanquam habeat sex partes, sumptis igitur sex terminis de binario duplicatis, erunt sexaginta quatuor difficultatis spirandi modi, æquales tamen. Exẽplum vnius pro omnibus: Inspiratio magna tarda cum sua quiete breui, cum exspiratione celeri: parua cum sua quiete longa, at quia inæqualitas poterit ac cidere in vnaquaque parte, erit vnaquaque respiratio ex illis sexaginta quatuor variata sex modis inæqualitatis simplicis: quibus addita æquali in difficultates spirandi simplices euadent quadringentas quadraginta octo, tantus enim numerus excrescit ductis septem modis in sexaginta quatuor species. Compositarum autem modi geminandi noningenti sexaginta trigeminorũ mille ducenta octuaginta, nam modi sunt viginti quadregeminorum: ergo nongenti sexaginta sex quinque inæqualitatum, scilicet totidem quod simplicium, & vna omnium, vt sint septem modi ducenti in sexaginta quatuor species: & ideo quadringenti quadraginta octo modi, summa igitur omnium erit, vt ducamus bis septem, bis quindecim & viginti, & aggregatum est, sexaginta quatuor (numerus modorum in sexaginta quatuor species, producunt numerum difficultatis spirandi, millies quater supra nonaginta sex. Cur ergo non quæsiuit Galenus, quare Hippocrates non tractauerit de singulis? sunt insuper exspirationes horum modorum singulæ, aut naturales, aut calidæ, & vrentes, aut frigidæ, vt sit triplicandus numerus, aut saltem duplicandus. Præterea est expiratio breuis, quæ non est eadem cum celeri, neque cum parua: nam si magna sit, licet celer, non erit breuis: neque si tarda, licet parua, non erit etiam breuis. Præterea breuis (cum per eam intelligam, quæ fit parum sublato pectore, & celeriter,) licet parua sit, non tamen longa: in qua multum attollitur pectus, necessariò magna est: quia per magnam Galenus primo de Difficultate spirandi (capite 15.) intelligit illam, in qua multus aër trahitur, at verò stat multum attolli pectus, & tamen paucum trahi aërem, vt in asthmaticis. Sicut etiam fieri potest, vt sit parua, non tamen breuis: quia tarda. Ergo aliam differentiam addere oportet illis tribus primis contrariis differentiis magnæ, & paruæ velocis, & tardæ, crebræ, & raræ, scilicet longam & breuem. Veruntamen breuis non potest esse magna: licet parua possit esse longa. Est etiam consideratione dignum, quòd natura refugit dolorem, sed dolor fit in motu magno & celeri: ergo vbi dolor fit in pectore, id est, in partibus super φρένας, natura fugit motum velocem pectoris & magnum: ergo oportet, vt suppleat cum densitate, similiter si spatium pectoris occupet magnitudo, minuitur: ergo crescet celeritas & densitas, si verò abscessus fit cum dolore duplici causa magnitudo minuetur & vna tantum celeritas: ergo densitas, per quam natura cogitur supplere, si homo debet viuere, triplici de causa augebitur: & ita in morbo latherali erit spiritus densissimus. Mirum autem est de Galeno, qui cum dixerit, quòd magnitudo respirationis attenditur penes aëris multitudinem attractam, quòd velit, vt in inflammatione pectoris, cum capacitas pectoris multo minor facta sit, respirationem esse maiorem, quàm in simplici dolore. Sed hæc transeant cum cæteris suis erroribus: quia multis modis potest defendi: nullo tamen vero, quia est error. Constat ergo quod si dolor est in pectore, respiratio est densa, & tarda: si verò abscessus sine dolore, densa & celer: si verò cum abscessu doloroso, densissima, & quasi media inter celerem & tardam: semper tamen parua in omni casu.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

QVi verò magnus expiratur, & per multum temporis interuallum, delirium indicat.

COMMENTARIVS.

SPiritum magnum appellari, vel in quo multum pectus attollitur, vt sensus declarat, aut in quo plurimum aeris trahitur velut Galenus in primo de difficultate spirandi (cap.13.) ostendere nititur. Inquit enim obseruandam esse aeris quantitatem, non pectoris dilatationem. Neque cum non docuerit, quomodo fieri debeat, quod ego fateor, nec in meipso cognoscere posse, probare tamen bifariam nititur: & ab exemplo, quòd in cibis dicamus eum multum comedisse, nō qui ventrem habeat tensum, sed qui multum cibi absumpserit: & ab eo, quòd sæpe contigit in spirandi difficultatibus attolli multum pectus, sed occupatis viis parum aeris intus trahi. Hoc igitur in ipso intellectus verborum Hippocratis, nisi enim intellexerimus, quæ sit rara vel magna spiratio, nunquam scire poterimus, an delirium portendat, & multò minus etiam, cur portendat. Promptū est cuique videre anhelantem magna pectoris extensione, an trahat multum aerem, benè fecisset Galenus nos imperitos docere. Forsan expirationem hyemis tempore magnam dignoscere licebit, inspirationem nequaquam: aliis temporibus neutram. Sed forsan obiiciet, quòd si pectus occupatum fuerit, aut aliqua pars cauitatis expectare non poterit, vt sit rara: vt ergo rara sit, magnam sub illo significato intelligere oportet. Sed mittamus hoc, quod ambiguum est, & proponamus hominem laborantem peripneumonia, in quo plurimum pectus distendatur: quòd si rarò distendi posse neges ob caloris vehementiam, proponatur destillatio certè cum frequentiore indigeat spiratione, nec omnino respiret, in causa non minus erit delirium, quàm si nullus sit abscessus, aut impedimentum in pectore, imò magis. Ergo & hanc magnam & raram dicemus esse spirationem. Sanè Galenus apertè fatetur, posse esse delirium absque spiratione magna raráq; vt in Pythione secundi ordinis ægrorum tertij Epidemiorum (1. de diff. spir. c.4. & 5.) & in Dealcis vxore, quæ in leio decumbebat, de qua, cum deliraret vehementer, Hippocrates inquit decimaquarta (languen. 3.) spiritus rarus magnus per tempus, & rursus, breuis spiratio. Et rursus vigesima sermones multi, & rursus sedata est, voce destituta breuis spiratio. Tandem subiicit (languen. 15.) Huic perpetuò erat spiritus ad finem vsque rarus & magnus. Huc vsque concordes sumus, scilicet quòd non in omni delirio est spiritus rarus & magnus. Sed Galenus, dij boni, in reddenda causa quantas nugas agit? Primùm dicamus ergo illud, in quo sumus concordes: scilicet quòd ob delirium natura oblita functionis, omittit spirationem, atque ideo fit rara. At cum necessitas restaurationis spiritus ex hoc acta sit, interim cogitur natura resarcire magnitudine, quod amissum est raritate, ideoque spiritus fit magnus & rarus, sicut ex dolore & inflammatione partium, densus. Verùm cur in his deliriis & in cæteris non affuerit hic spiritus optimè satisfacit. Cum enim duo haberet difficillima, primum quòd illa quæ in leio decumbebat, nullum dolorem passa videtur, & tamen non habuit spirationem raram & magnam, secunda, quòd cum dixisset, breuis spiratio sæpius, quod opponitur raræ & magnæ, in calce adiiciat, quòd vsque in finem spiritus fuerit rarus & magnus semper. Augent hanc difficultatem verba illa (spiritus rarus & magnus per tempus) non ergo (perpetuò, & vsque ad finem.) Hoc multis verbis, & nisi tam prolixè, vt homo cogatur obliuisci priorum, dum sequentia legit, satis bene: vt illud (perpetuò ad finem vsque) intelligatur in omni tempore morbi, & per omnes dies. Sed tamen aliqui fuerunt dies, in quibus fuit per aliquod tempus breuis spiratio & ea die verum fuit, quod per tempus solum fuit spiratio rara & magna: quia reliquum temporis fuit parua & celer. Hæc est sententia vnius paginæ (cap.8) nec adeo ab illo clarè explicata. Porrò in secunda dubitatione tandem respondet, & verè illam factam fuisse breuis spirationem, interdum ob perfrigerationes, quæ superuenerunt: scilicet vel dum virtus concidebat, aut suffocabatur, aut materia aliqua praua versus cor contrahebatur. Restaret solum difficultas, quod dicat: Si ex dolore fiat parua spiratio, erit densus spiritus: si ex perfrigeratione, rarus, at nos diximus celerem esse breuem spirationem. At multum differt spiritus celer à denso: nam & in perfrigerationibus, cum rarus sit, & paruus, cogitur esse celer. In vniuersum tria cum sint, necessitas, impedimētum, & ratio: necessitas omnia superat, inde impedimentum, vltimum est ratio. Si ergo necessitas vrgeat, etiam, quod adsit obliuio, fit spiratio frequens: & potest esse parua etiam. Antequam vltrà progrediamur, dubium non est, magnitudinem aut densitatem spiritus esse consequentia symptomata morborum, aut affectuum pectoris: nam magnitudo fit cum labore pectoris. Sed si crebritas adsit sine dolore partium thoracis, aut magnitudo sine raritate, aut ab initio morbi, vel, vt in febribus, prope mortem, quid significabunt? Dico magnus, qui non est rarus, significat vehementiam caloris, & plerunque repletionem. Prope mortem incendium magnum, aut occupatas vias anhelitus: distenditur enim plurimum pulmo, & ob id pectus, vt infrà docebimus, (libro tertio comment. trigesimo secundo) quia fistulæ sunt compressæ, aut impeditæ, vt etiam in rechmone. At densitas spiritus in pura febre accidit, iuxta Principis sententiam (prima quart. tractat. secund. capite triges. primo) aut ob siccitatem, aut ob materiam humidam impedientem, aut imbecillitatem virium: adde tu vapores venenosos.

PROG

PROGNOSTICON
ad præcedens.

SI verò frigidus è naſo & ore expiretur, valde iam pernicioſus eſt.

COMMENTARIVS.

MAgna difficultas eſt, an debeat hoc intelligi coniunctum cum præcedente & ſanè Galenus ita interpretatur: mihi verò non eſt neceſſarium hoc dicere. Nam cum ſpiritus bifariam effletur, & è corde, ac cerebro, cor autem ſit adeo calidum, vt quis digitum in illo vix continere queat, vt in libro de inæquali intemperie (capite 5.) cerebrum quoque calidius ſit aëre etiam æſtatis calidiſſimo, vt octauo de Vſu partium (c.3.) habetur, liquet aërem omnem, qui expiratur, oportere eſſe calidum, quantò magis in febribus? Ideo ſi frigidus ſit, aliter eſſe non poteſt, quam extincto planè calore innato: cui, cum is, qui præter naturam eſt, ſociatus ſit, ita vt grauiter iam ſe habeat, qui fieri poteſt, vt viuat. At in acutis, qui ſine febre ſunt, facilius contingere id poterit, velut in Appoplexiis, & deprehenſionibus, ſed & in perfrigerationibus earum febrium, quæ ex immodica pituita, atque ea frigidiſſima fiunt. In vniuerſum cum ex duobus locis effletur aër, ſcilicet cerebro, & corde, quæ duo membra etiam hauriunt aërem, & remittunt, oportet illum eſſe calidum (capite 15.).

Sed forſan dubium accidet, an cerebrum reſpiret? Quippe facilius eſſet admittere inſpirationem in cerebro, quam expirationem: quanquam ne hanc quidem quomodo fiat, & per quæ inſtrumenta, docuerit, multo minus expirationem. At videtur de inſpiratione innuere (6. de Vſu partium cap.13.) quod fiat, dum aër etiam trahitur per pulmones ad cor, adeò vt ſit quidam conſenſus, ſed quomodo expirabit aër, num etiam in cerebro erunt alæ quædam ventilantes? At ſaltem docuiſſet coniecturam, qua id aſſecutus ſit, quod cerebrum reſpiret: nam pulſationi, quæ in eo, dum eſt detectum, conſpicitur, ſatisfacit pulſus arteriarum (13. de Vſu partium cap.8.) & quanquam in violentis attractionibus aliquid ſentiamus aſcendere, non tamen neceſſe eſt, vt in ordinaria reſpiratione idem contingat, cum neque in illa quicquam tale ſentiamus. Sed neque id ratione deprehendere licet, cum potius contrarium oſtendat.

Remanet quæſitum, cur expiratio rara calida ſit, denſa frigida? Reſpondet Philoſophus trigeſimaquarta Problematum (7.) quòd hoc contingit, quia in tenui exſufflatione parum aëris calidi educitur: ideo à continente multo circumſtante refrigeratur verùm in exſufflatione lata multum calidi aëris exit, & parum circũſtantis frigidi. Sed hoc eſt falſum, quia in tenui illa exit plus aëris: quia cum impetu. Cauſa ergo eſt, quoniam in tenui ob velocitatem exit ſolus aër, & vapor intus remanet: in lenta exit vapor, qui calidus eſt. Alia cauſa eſt, quòd aër denſus refrigerat per ſe: quia caloris eſt rarefacere.

Porrò de reſpirationibus malis ſi quis diligentiorem quærat notitiam, videat noſtra Commentaria in ſecundum, tertium, & ſextum de Morbis vulgaribus (68.) & quarta & ſexta Aphoriſmorum (52.)

Circa hoc dubitandum eſt, vt dixi, an cerebrum reſpiret? hoc enim Galenus pollicitus eſt demonſtrare: imò demonſtraſſe ſe ait in Opere de Dogmate Platonis, & Hippocratis. Quinimo ſi locus erat, fuit in octauo (lib. de Vſu Reſpir. cap.5. in fin. med.) dum de cordis reſpiratione agit, vbi ne verbum quidem, ſed potius in libro de Odoratus inſtrumento. Rationem tamen vnam appoſuit in libro de Vſu Reſpirationis (capite 8) eiuſmodi cordi pulmonem, cerebro nares naturâ inſeruire ad reſpirationem voluit: quaſi dicat: Vbi inſtrumentum, ibi functio, neque enim natura quicquam agit fruſtra. Secunda ratio eſt, quòd odores feruntur ad cerebrum & adeo illud immutatur, vt excitent dolores, ſternutamenta, ſonum, & huiuſmodi (cap.6. in fin. lib.6. de Odor. Inſtr.) at odoris ſubiectum eſt aër: igitur aër ad cerebrum tendit. Id verò confirmatur (Ibidem cap. 4.) quoniam homo non odorat, niſi cum inſpirat aerem. Ergo iſtud eſt manifeſtum indicium, quod cerebrum inſpirat aerem: & ex conſequenti, expirat. Tertia, ſi cerebrum vires muſculis pectoris ſubminiſtrat ad refrigerandum cor, quantò veriſimilius eſt, quòd etiam ſibi inſeruiat, cum refrigeratione indigeat, & vires habeat, quibus & ſe dilatare & conſtringere poſſit? Quarta eſt, quod in ſternutatione trahit, inde expellit medio, cuius etiam pituitam & excrementa: nec poteſt illa expellere, niſi per aërem, nec illum edere ſonum igitur expirat: ergo prius inſpirauit.

Modum autem, quo fiat hæc inſpiratio, non docuit, ſed cum docere vellet in libro de Vſu reſpirationis, ea pars prorſus periit: antea tamen attigerat, dicens: Veriſimile eſſe, quod cum cor à cerebro refrigeretur, ipſum quoque cerebrum exiguo motu dilatandi conſtringendique ſemet refrigerare. Author etiam libri de Anatomia viuorum (cap. vlt.) docet, quendam motum ex conſenſu cordis: ſcilicet, quòd dum cor dilatatur, retrahit ſpiritum ad ſe, & cerebrum ſe conſtringit: atque ita expirat aërem, ſicut etiam arteriæ, & dum cor conſtringitur, cerebrum dilatatur, quia impletur: & dum dilatatur, etiam alium aërem trahit, atque ita refrigeratur per inſpirationem. Galenus autem dubitat quarto de differentiis Pulſuum (cap.2.) an cerebrum dilatetur & conſtringatur. Dicens, quòd aliqui exiſtimarunt cerebrum & membranas ſimul attolli: aliqui neutrum eorum: quidam autem eorum cerebrum per ſe attolli: membranas autem conſequentia ad ipſum. Concludit palàm, vt dixi, cerebrum moueri motu reſpirationis, non ſolum in libro de Vſu reſpirationis, ſed etiam ſexto de Vſu partium.

At oppoſitum habetur multis rationibus, ſi

ſi cerebrum reſpiraret,diuelleretur perpetuo motu, dicebat enim Galenus ſexto de Vſu partium (cap.8.& 15.) Quòd Natura fecit robuſtiſſimas fibras in corde, & duriſſimam carnem ob perpetuum motum. At cerebrum tantum abeſt, vt ſit duriſſimum vel ex carne valida, quod etiam eſt exangue, & medulla molliſſima: vt Hippocrates author eſt.

Secundò, quia ſi cerebrum reſpiraret in his,qui naribus occluſis manifeſtè non reſpirant per illas, magnum ſentiretur detrimentum,at hoc non videmus: quinimo aliqui ſic vſque ad vltimam ſenectutem perdurarent, nec poſſumus dicere, quòd hi reſpirent per palati foramina:nam tunc operatio eſſet perfecta abſque proprio inſtrumento, præterea eſſet tanto debilior:igitur omnino læderetur.

Tertiò,& ſumitur à Philoſopho docente (lib.de Inſpir.& expir. par. 1.)piſces non reſpirare, quoniam Natura fabricaſſet proprium inſtrumentum:at nõ fabricauit,quòd ſi cerebrum reſpiraret, neceſſariò reſpiraret: quia eſt membrum principale. Igitur Natura aberraſſet non fabricando membrum quod eſſet proprium inſtrumentum, ſicut pulmo eſt cordi. Et ſi dicatur, quòd nares ſunt proprium inſtrumentum, primum obſtat, quod illis obturatis ſequeretur mors: ſicut impedito pulmone. Secundum eſt quod nares non trahunt aerem,neque aliquid habent,quo trahant, neque muſculos ad hoc, nec per vacui neceſſitatem: quinimo potius pars ſuperior creata eſt ex oſſibus immobilibus nec ſunt muſculi ad hoc opus vlla in parte ordinati. Quartò, quia nullum membrum indiget duplici refrigeratione: cor enim quia reſpiratione refrigeratur, arteriis intra non indiguit:ad cerebrum veniunt arteriæ perfrigerationis cauſa: igitur altera perfrigeratio ſuperflua eſſet.

Tertiodecimo de Vſu Partium(cap.8.)Galenus affirmat cerebrum pulſare per arterias, quæ ad illud adueniunt. Idem dicebat A. Veſ.lib.3.(cap.14.)oſtendens tres arterias ab vnoquoque latere caluariam ingredi, quæ in cerebrum penetrant. Sed ita, vt in membranas degenerent, adeò vt membranæ excauatæ excipiant ſanguinem,& ſpiritum.Ex quarto ergo ſinu duræ membranæ ramus exporrigitur per medium teſtium interuallum, & ad glandulam deſcendens nuci pineæ non abſimilem tandem in ventriculos, dextrum atque ſiniſtrum, peruenit, quod etiam in 7. lib.euidenter docetur. Vbi etiam Veſ. affirmat,ventriculos cerebri reſpirare, dum illorum enarrat vſum. Qua ratione id exploratum habuerit,non docet.

Quintò: In ſternutatione neceſſarius eſt impulſus ex aere à pectore, vt vult Galenus ſeptima Aphoriſmorum (cap.6.) imò non poteſt fieri, niſi attracto aere prius ad pulmones:igitur cerebrum non efficit ſternutationem,ſed potius pulmo, ideo neque reſpirationem.

Sextò: Cerebrum eſt frigidum: igitur reſpiratione num indiget,neque, qui illam ponunt, modum tradunt, quo aer ad cerebri ventriculos perueniat, nam ſi neceſſaria ſit maximè propter illos erit.

At olfactus organa (prætermitto modò, quod ſolida ſint, vt illa aer non queat permeare) non ventriculorum cerebri partem auguſtam, in quam reflectuntur, antè tangunt,quomodo ergo per illam reſpirare poſſunt? relinquo enim toto ambitu, cum non ſint in ſede cerebri,multum ſubſtantiæ illius interiacet,vt aer permeare non poſſit.

A ventriculi pars anterior & ſuperior.B. ventriculi pars, qua anterius reflectitur in inferiori per ſe. C olfactus inſtrumentum ad nares tendens.

Sed & illud obſtat,quod ſi reſpirant, ventriculi attolluntur:igitur vel ab aere vel natura,ſi natura,igitur pars erit, quæ attollit, & quæ attollitur: hoc autem non adeſt, oportet enim adeſſe neruos & muſculos, quorum vtroque carent,aut ab aere, qui ingreditur,at ille,cum ſit modicus,& per vias obliquas penetret, hoc efficere non poteſt: quare cerebrum haud reſpirat.

Ad ea verò,quæ obiiciuntur à Galeno,dico ad primam nares non eſſe reſpirationis cauſa, ſed tranſitus aeris,& odorum & decoris cauſa. Et ſi etiam eſſent, ob reſpirationem conſtructionem non habent conuenientem illi. Ad ſecundam: Non penetrat, niſi trahamus aerem:& ſi aliqui odores validi ſine corporea ſubſtantia per aerem & medium paratum ad hoc inſtrumentum perueniant. Imò argumentum ſi quis rectè conſideret, concludit oppoſitum: nam ſi ſpecies coloris ex aere defertur ad inſtrumentum per corporeum medium, quod eſt pars noſtri:& vbi aer peruenire non poteſt, vt declarat Ariſtoteles ſecundo de Anima, igitur in odoratu aer non poteſt peruenire ad ventriculos cerebri.

Dico etiam, quòd homo non ſentit ob hoc odorem,niſi dum reſpirat:quoniam tum aer tranſit ad cerebrum. Sed manifeſtum eſt ex hoc, quòd reſpiratio cerebri eſt eadem cum pulmonis reſpiratione:ideo poteſt poni pro quarto argumento demonſtratiuo, quòd ſi hoc modo Galenus illud conſtruxiſſet, poterat probari.

Tertium eſt iuridicum: ideo permittatur Iuriſconſultis. Ad quartam: Fit vi pulmonis, procul percutientis aerem: cerebro autem repellente,non ex hoc ſequitur, quòd expiret, imò ex hoc cerebrum valde læditur. Vt referant,quoſdam ex ſternutamento obiiſſe. Quòd ſi dicas, ſatis eſſe, quòd per pulmonis attractionem atque compreſſionem cerebrum repletur, euacuatur ab aere. Dico, quòd ventriculus in inſpiratione magis hoc facit: quia amplior decuplo via eſt,& recta, illæ omnes obliquæ, nemo tamen ob hoc dixit, ventriculum reſpirare: igitur neque multò minùs cerebrum. Sed dico eſſe rationes, quæ demonſtrant, cerebrum reſpirare. Prima: quoniam ſpiritus vitalis generatur ex aere, & animalis non eſt, niſi vitalis temperatus in cerebro. Igitur cum eſſentia ſit eadem, ſequitur, vt reſtauratione indigeat aeris, ergo cum in ventriculis non ſit aer, neceſſe eſt, vt deferatur per reſpirationem, ſed hoc ſuppoſitum,quòd ſpiritus vitalis ex aere nutriatur, negat Philoſophus:vide quarto contradicentium.

tium. Præterea vel aër pertingit ad cerebrum, vel non? si pertingeret, non essent ventriculi cerebri, nam illi non sunt pleni alia materia, nisi posset repurgari, adeò fieret impurus, quòd animal periret. Ergo expurgari, aërem est naturale: sed omni actioni naturali principalis membri necessariæ. Addita sunt omnia, per quæ possit esse sempiterna, nec frustrari: ergo etiam huic expurgationi, quæ nō potest fieri, nisi cerebrum respiret. Liquet igitur cerebrum respirare.

Demum in sternutatione propellitur manifestè ex sensu, quod molestia cerebrum afficit, & illud non potest propelli, nisi per aërem præsentem: ergo aër, qui ibi adest, potest propelli, nec potest propelli à solo aëre ascendente ex pulmone, quoniam viæ à palato ad ventriculos cerebri sinuosæ sunt, & obliquæ: igitur à cerebro ipso. Propter hoc ad argumenta in oppositum dico, quòd cerebrum respirat, sed non eo modò, quo cor, sed solum per motum aëris cerebro immoto: ideo modum hunc inuenire oportet. Nam, vt in argumento dicto, quod mouetur à corpore, non potest moueri illo immoto. Itaque dico, quod cum viæ sint apertæ, mouetur aër in cerebro per motum pulmonis: nec mouetur aër per nares, nisi consequentia aëris moti à pulmone: sicut etiam in palato. Ideo Galenus hoc iuuenit ab aliquo antiquo, sed non intellexit: sicut neque illud recitatū à Vesalio (lib. 7. cap. 6. iux. fin.) quod dictum fuit ab Herophilo. Andrea, vel Marino, quòd tres tantum ventriculi membrana subcingantur, quartus non cum nullus ventriculus tunica subcingatur. Ad secundam dico, quòd in expiratione cerebrum aërem inspirat per palatum, & non nihil etiam in inspiratione. Ad tertiam: Pulmo est instrumentum necessarium: pro respiratione cerebri non tamen. Hoc autem videmus in pluribus aliis partibus corporis. Nam ventriculus trahit nutrimentum necessariò, & per se, vt nutriatur: necessariò non per se propter iecur: tertiò de facultatibus naturalibus (cap. 13.) nec tamen iecur ab hac actione frustrari potest. Ad quartam dico, quòd cerebrum indiget aëris refrigeratione ob multitudinem motuum: & quoniam naturâ frigidissimum est. Vnde etiam patet solutio ad sextam rationem. Ad quintam dico, quòd licet in sternutatione necessarius sit ascensus aëris ex pulmone, ille tamen non efficit sternutationem: sed eo cum impetu ingresso per vias palati comprimitur aër, qui est in ventriculis cerebri, & ita eiicitur, velut in instrumentis illis, quibus pueri per embolum masculum expellunt è canali globulos. Non ergo fit sternutamentum: neque sicut credit vulgus, scilicet quòd cerebrum impellat aërem: neque vt Galenus, quòd aër ille è pulmone prodeat, quanquam adiuuet in educentis materiebus, quæ sunt in osse punicoso, quod est ad nares positum. Neque id, quod expellitur, est in ventriculis cerebri, scilicet pituita: nam tam longam viā transire, & tam obliquam, non posset. Sed quod exit à naribus, & osse illo pumicoso, venit per aërem, qui è pulmone sursum impellitur: A ventriculis autem cerebri alia materia propellitur ad infundibulum, quæ postmodum & ipsa ad nares vel palatum descendit. Ostendit autem, quòd exit è naribus semper materia in sternutatione non per palatum, quod fertur impetu aëris venientis à pulmone, non à cerebro: nam si exiret impetu aëris delati ex cerebro, ita posset exire è palato, imò faciliùs, & frequentiùs, quam ex naribus. Experimentum verò docet hoc omne, quòd in sternutatione non defertur spiritus à cerebro: neque impetus illa est ab eo, quòd, cum quis vult sternutare, si os aperiat, nihil è naribus educet, & sonus etiam ille longè minor fit. Ad septimam dico, ventriculos cerebri ex respiratione non attolli, sed solum expurgari, atque refrigerari, atque spiritus, qui in eis sunt, nutriri. Cum ergo quæris, qua via: dico similiter, quòd argumentum docet, quod non per olfactus illa additamenta (ambæ enim rationes concludunt) sed foramina palati, per quæ solet exire pituita: licet quædam ex illis tendant ad nares. Respirat igitur cerebrum perpetuò, non sicut cor, sed leuiter, & absque motu proprio. Vnde in malo aere plurimum & longè plus corde afficitur & indicium est, quòd in grauedinibus incalescit: quāuis materia, quæ continetur, sit frigida, quoniam prohibetur respiratio.

Sequitur etiam quòd illi maximè habent cerebrum incolume, quibus pituita defluit è capite: & non solum, quòd per illam cerebrum expurgetur liberè, sed quoniam meatus sunt ampliores: vnde aër meliùs refrigerat ipsum. Et tales tamen magis læduntur in aëre malo. Ex hoc etiā manifestum est, quòd cerebrum bis respirat in vna pulmonis respiratione: quia tam in inspiratione, quàm expiratione pulmonis cerebrum simul inspirat, & expirat aërem: quoniam inspiratio cerebri fit simul cum expiratione: quod necessarium est in his, quæ non mouentur, at in his, quæ dilatantur, & constringuntur, inspiratio succedit expirationi, & contrà semel autem inspirat frigidum ex naribus, & semel calidum ex pulmone, ne nimis refrigeraretur.

Hæc igitur quæstio pulchra est, & pertinet non solum ad medicos, sed etiam ad Philosophos. Medicis autem multa commoda affert in actu curandi: & docet, quòd, qui laborant pulmone, non possunt diu habere cerebrum incolume: & quòd, habitare in aëre bono est, res valde salutaris, & maximè pro vita & conseruatione sensuum, tam interiorum, quàm exteriorum: & quod minima pars spirationis, quæ exit ex naribus, procedit à cerebro. Et ideo non potest esse frigida, quoniam fermè tota venit à corde, nisi cor sit morti proximum. Ideo locus iste non poterat intelligi sine determinatione huius quæsiti. Et quòd, quæ tenentur in ore, multum conferunt cerebro: sicut etiam specuum exhalationes repente interficiunt homines, quia ille nullo septo transit ad cerebrum infectus qualitate perniciosa, & quòd submittere rem venenatam naribus: modò non trahas spiritum: tutò posset fieri. Sed quia nares iam implentur illo aëre infecto, cum postmodum inspiras aërem, est valde periculosum, ideo oportet antea expirare. Atque his octo par-

tibus

tibus possunt pulcherrimè & ordinatim examinari fermè omnes quæstiones.

PROGNOSTICON XXVIII.

Bonam autem spirationem valde magnam vim habere ad salutem in omnibus acutis morbis, putare conuenit, qui cum febribus sunt, & in quadraginta diebus iudicantur.

COMMENTARIVS.

Cum proposuisset tria genera malæ respirationis, subiungit quartum, quod est bonum adeò vt si quis ad ordinem redigere velit. In primo collocauit simpliciter malam, cum dixit, spiritus densus: deteriorem, cum dixit, Qui verò magnus: pessimam, cum inquit, Si verò frigidus è naso. Quòd verò dicit magnam vim, non simpliciter laudauit bonam spirationem, vt reliqua signa: quamobrem peculiare quippiam insinuasse visum est, ergo bona spiratio in acutis morbis, qui cum febre sunt, & in quadraginta diebus, id est, intra quadraginta dies iudicantur, valde magnam vim ad salutem habet.

Liberat nos à difficultatibus his, quæ diximus in cõtradictionibus (10. lib. 5. & lib. 4. 57.) itaque quòd scribitur hîc non ad disputationem reuocandum erit, sed quasi concessum, & solum ad declarandam veritatis causam adiectum. Veluti si dicas: Morbi acuti si bonam habeant respirationem, ea magnam affert ad salutem spem: quoniam acutus morbus cum febre est vt intra quadraginta dies terminatur. Nolo modò ingredi disputationem, an hoc dixerit: quoniam aliqui sint acuti morbi sine febre, vel qui terminentur post quadraginta dies: scilicet an dictum sit expositionis loco, vt intelligamus, quos vocet acutos morbos: aut distinctionis, vt de quibus acutis intelligat. Nam certum est intelligere illum solum de acutis huiusmodi, qui intra hunc terminum finiuntur, & febrem coniunctam habent, ergo in his dicit bonam spirationem magnam vim habere ad salutem: quasi non solum sit signum, sed etiam causa, & quòd maiorem habeat vim in talibus, quam in aliis minùs grauibus morbis, quod sanè videtur perabsurdum.

Neque ergo huiusmodi doctrina vulgaris esse potest, quæ non, nisi exquisitissimis rationibus dialecticæ, erui valeat. Iam verò duplicem habet hoc expositionem, vnam Galeni, aliam nostram: amplectatur quisque quam volet, neque enim in his eadem est ratio, quæ in aliis: scilicet vt, vbi minùs benedixit, sit accusandus: sin omnia sic dixisset, quemadmodum in præsenti ferri possit, imò forsan laudem mereretur. Explicabo autem illam. Facilem primum dixit respirationem, quæ naturalis esset, atque omni vitio careret. An verò per facilem spirationem illa intelligenda, quæ naturalis sit, attamen vitio non caret, quemadmodum in his, qui angusto sunt pectore, aut anhelosi sunt, aut, quod deterius est, etiam asthma patiuntur per circuitus, nec vnquam in mediis temporibus liberè spirant, quærere velle inter tot difficultates, curiosi nimis sit, inuidit autem, velle ob id accusare Galenum, qui, etsi errauerit, multipliciter possit non solum excusari, sed etiã iure defendi. Dicamus ergo inculpatam hanc spirationem, & vitio carentem omni. Vnde neque in præcordiis dolorem, neque in septo transuerso, neque in iecore, liene, ventriculòue inflammationem adesse significat: nam si adesset, esset, vt dixi, spiratio densa. Non minus enim necessarium est ad horum mombrorum tales affectus sequi densam spirationem, quàm densam spirationem signum esse partium harum affectatũ, firmiore enim vinculo effectus suis causis annectuntur, quã causæ, aut effectus suis signis, cũ eorundẽ signorum frequentiùs possint esse diuersæ causæ, quàm earundem causarum non iidem effectus. Veluti tumor durus in liene densum parit spiritum, nec tamen est inflammatio: sed in acuto morbo non contingit ob temporis breuitatem illum fieri: & si fiat, omnino res est præter medici sapientiam, qui de his cogitat, quæ frequenter eueniunt. Iam si deliret homo, altero modo rarus, ac quasi per interualla spiritus erit: si ergo facilis sit, nihil horum adesse significat, at neque adesse dolorem, neque inflammationem in visceribus mediis, ac prope medium neque delirium neque stuporem, istud plurimum facit ad salutis spem: imò etiã ad euentũ ipsum. Si enim hæc adesse mortis causam esse persæpe manifestum est: quòd si non adsint, salutem afferent, quia non impedient. Dupliciter enim aliquid afferre salutem dicitur: aut verè, velut robur naturæ, & restauratæ vires ex cibo, vel somno, vel lætitia, & hoc propriè: aut quia faciliorem occasionem sanationis præbent, eiusmodi etiam est coctio, neque enim coctio est causa aliqua efficiens salutis, sed efficit, vt expelli humor se patiatur, quia non remittitur, aut modicè. Similiter si spiratio bona sit frigida, non, sed paulò calidior naturali, vt etiam maior, ac frequentior: quo fit, vt non mihi videatur Gal. rectè interprætari naturalem: si enim naturalis sit spiratio in morbo acuto, erit, quam pro ratione postulat, frigidior, minor, tardior ac rarior, quam esse debeat. Neque enim omnis spiratio crebrior densa appellatur ab Hipp. sed solum, quæ naturam febris excedit, aut si illa immodica fuerit, & vicerit, ac superauerit quoquomodo hominem tantam habet crebritatem, vt non patiatur discerni tempora intermediæ quietis: tunc enim densa etiam dicitur. Sed hæc pro ratione morbi & ex causa manifesta, quæ solum in morituris, & alia signa mortis habentibus apparet, de qua hic sermo non est apud Hipp. alia, quæ densa est, & non pro ratione febris, de qua locutus est in superioribus. Sed tamen omnis spiratio, vt dixi, bona in febre & acuto morbo, crebra, velox magna calida est: secùs si sit, naturalem dicas, ego malam certè, & cum Hipp. & cum experientia appellabo, indicantem tantò refrigeratum

geratum atque ideo immutatum esse calorem naturale, quantò per morbum aucta sit necessitas. Si ergo frigidus non sit, nec pro comparatione naturalis spirationis, nec eius, quæ debet febri caliditatis, significabit omnia illa membra, quæ ad hanc functionem pertinent, illæsa esse, quo ad facultatem, siquidem præcipuè cor, pulmones, pectus, asperam arteriam, quòd si etiam talis prodierit è naribus idem de cerebro, & Partibus eius pronunciabis, quòd verò in morbo, non solum verè acuto, sed in omni eo, qui acumē sapit, quoniam exacuitur per partes, ita tamen, vt intra 40. diem finiatur, intelligi debeat. Hanc adducit rationem Gal. nam in huiusmodi deficere non potest adeò virtus vitalis, vt salua respiratione euadere non possit. Nam acutos morbos non solum hi, sed etiam alij diuturni comitari solent: scilicet aqua intercus maximè, morbusque regius (hi enim principales) tum quartana suppuratio, & tabes. Atque hic est sensus Galeni. Nos verò dicimus Hipp. dictum ad rem potiùs, quam signum pertinere: quanquam non esset absurdum, dicere Hipp. dictum sic debere intelligi, magnam vim habere ad salutem, id est, significandam: tum præcipuè, quòd hic de signis, non causis, institutus sit sermo. Sed nihil videtur loqui ita de causa, vt per eam signum intelligamus: veluti si dixisset, cum habeat magnam vim ad salutem, propterea salutem indicat. Et hæc sentent. magis congruit rei ipsi, quam prior. Oportet ergo ostēdere, spirationem bonam magnam vim habere in acutis morbis, qui cum febre sunt, & intra quadraginta dies iudicantur. Quod autem iudicari sit febrem abscedere solum, id docuimus in tertio super primum Epid. (Com. 45. (quare non est, vt de hoc laboremus. Postulat omnis febris, cum sit calida, & sicca, vberiùs humectari, atque refrigerari cor: refrigerari quidem qualitate aeris (quem tamen Philosophi calidum, nescio qua ratione, contendunt) & humectari ipsa illius substantia.

Diximus aliàs elementa esse immutabilia, nam si vna sit eorum substantia, dum ex vno aliud fit, nulla contingit transmutatio; sin diuersa, non omnino transmutantur, dum ergo spiritus vis restauratur optimè, ita vt non casura sit eius substantia, antequam morbus finiatur, certum est, salutem esse exspectandā, cū ergo facilis fiat spiratio, restaurabitur spiritus, & euadet æger.

Hoc mihi suadet interpretandum esse, quia quæ dicuntur hìc, de sporadibus morbis tantum, aut saltem principaliter, non autem pestilentibus, intelliguntur, neque enim dubium est, in pestilentibus temporibus dū aër corruptus est, etiamsi homo benè respiret, nullam esse securitatem, cum fieri possit, vt rectam spirandi rationem non illa tria sequantur commoda aut saltem duo, per quæ stat vita: scilicet superflui fumi, expulsio, refrigeratio temperiei febrilis, & humectatio. Quamobrem in pestilentibus morbis spiratio bona solum bonum est signum, causa non est necessariò bona, nisi per bonum, minus malum intelligamus. Equidem minus malum est, in malo aere habitare functionem, tum esse illæsam: respirandi, quam vtrumque adesse, malum aerem, & læsionem instrumētorum respirationis. Vnde Hippocr. cum in tertio Epid. in cōstitutione pestilenti meminisset omnium signorum, solam prætermisit spirandi difficultatem, quòd verisimile sit: quanquam benè spirantes plerosque interijsse. Eadem ratio efficit, vt in breuibus ac magnis febribus quales sunt acutæ, hoc magis sit necessarium, quam in aliis longis, & mitibus: ob hocque dixerit magnam habere vim ad salutem, nam si ad signum solum respicias, etiam in longis, & sine febre, respiratio bona salutis erit significatrix.

Ostensum est etiam in præcedenti Commento, quomodo ex pectoris respiratione purgetur cerebri aër, qui in eo continebatur absque cerebri dilatatione, aut motu. Cum ergo respiratio in parte pectoris commodè se habuerit, etiam cerebrū bene expurgabitur, atque ita à delirio & conuulsione æger immunis reddetur. Inde etiam procedent sōni & quies: quæ omnia faciunt ad virium constantiam, vnde coctiones & iudicia fiunt, iudicij nomen, vt Gal. accipit, audiendo, non, vt Hipp.

An verò in omnibus morbis mala spiratio magnum momentum habeat contrario modo, tam & si verum sit, modò noua sit, etiam si signum sit pathognomicum, modò valde mala sit: dubium non est, cum non solum signū sit, sed causa mala. In causis verò sēper malū, malum est, & si obsint per se vitæ: qualis est spiratio mala, ingens etiam malum. Vt ergo respiratio bona sit, comparanda est ad se ipsam, & ad materiam, & ad instrumentum, ad instrumentum quidem, vt non moueantur omoplatæ sensu manifesto. Nam ob continuitatem pectoris cum illis necesse est, vt etiam in sanis aliqualiter moueantur, non nares, vt visum est, illud enim maximæ necessitatis indicium est: neque pectus sursum trahatur, velut in anhelosis, & qui cursu incaluerunt, indicat enim respirandi maiorem necessitatem quam facultatem. Optimum enim in vnoquoque est semper maiorem esse facultatem necessitate: æqualem tolerabile: minorem malum, & in huiusmodi valde. Propterea in iuuenibus longè maior solet esse facultas necessitate, in senibus penè æqualis in plerisque actionibus, si benè sint dispositi. Necessitas minor facultate soles euertere hominem: maxima & euidentior eleuatior est in prima notha costa descendendo, quod ibi septum transuersum (à quo solo secundum naturam pectus agitatur) prope sit, & nullis osseis vinculis locus alligetur. Inde consensu trahitur totus vēter cū illis etiam, adeo vt æquos asthmate laborare ex hoc ipso signo deprehendamus. Dilatantur & costæ nothæ, & venter maximè vsque ad vmbilicum à lateribus minùs autem retrò: & ad hoc etiam non parum faciat situs. Partes ergo, quæ sunt è regione oris ventriculi, quòd sublimes sint, & liberæ, & in medio, plurimùm attolluntur mensura dimidij degiti, sed non est mensura eadem in omnibrs inde, quæ sunt circumcirca. Sed & nares inferiùs aliqualiter in trahendo aerem dilatantur:

dilatantur: ne quis deceptus lethale signum esse existimet narium motum.

Quòd ad maximam, quæ respiratur, attinet calida esse debet, & quasi tepida, & pro natura ætatum & têperaturarum, mala valde est exurens, & deterior frigida, præsertim in morbo acuto: mala est etiam fœtida, præter consuetudinem mediocris in multitudine, & plus inspirari debet aeris, quam expirari. At quod ad seipsam attinet magnitudine, celeritate, & duarum quietum tempore moderata esse debet: propterea ordinata, & æqualis, vt sint in vniuersum sex genera simplicia rectæ respirationi necessaria, & de magnitudine, velocitate, & longitudine debita quietis primæ atque secundæ satis perspicuum est: difficultas est in ordine & æqualitate, quanquã ordinem bonum & sibi constantem, omnes intelligant. At æqualitatem, quæ ad partes respirationis refertur, singulas singulis referendo plerique conniuent.

Sunt ergo duæ partes respirationis, inspiratio, & exspiratio. Quid? si ergo prima pars inspirationis velox sit, secunda tarda, aut cõtrà aut vna magna, alia parua aut in medio maior quam in extremis: vel etiam cesset, & remittatur? vnde sunt suspiriosæ inspirationes, velut in flentibus.

Reliquum est, vt videamus, quomodo cũ bona spiratione æger intereat, quemadmodũ Philini vxor (lang. 4. 1. Epid.) Cum enim nil apposuerit, velut (lang. 8. 1. Epid.) in Philisco, & Sileno, nec in Erasino etiam nil adiectum est, vt videantur huiusmodi ægri non habuisse læsam spirationem, tum multi alij, qui obiere: dici posset, intellectam esse malam spirationem, cum adiecerit quod delirarint, quicunq; autẽ delirãt, malè respirant, & inordinatè cũ enim spiratio sit motus volũtarius, necesse est, vt si deliret, reddatur inordinata igitur subintelligitur. Quocirca quæritur, an spiratio bona sit appellanda, quæ solũ delirij tẽpore ab ordine euariat? Nam poterit, constãte delirio, esse facilis, & tamẽ inordinata, dum delirium perdurat. Sed cum in Sileno, & Philisco adiecit, (lang. prim. & secũd. prim. Epid.) & quòd delirabant, & quòd spiratio mala fuit: igitur non semper se consequuntur.

Diceret Galenus, Hippocratem voluisse intelligi genus malè spirationis, nõ quòd simpliciter malè spirarent: at mihi videtur, quòd malam spirationem non ob id solum appellet, quæ inæqualis tantum est ob delirium breue, sed cum spiritus valde laborat: aut hãc esse mentem potius illius, quod omnino bona sit: atque ideo erit æger absque delirio, qui verò delirarunt, malam habuerunt spirationem, non bonam: ideo euadere non potuerunt.

At dices, si nullum sit malum signum, quis ignorat non esse ratione timendum? Ergo ex hoc fit clara mens Hippocratis in textu, scilicet sub hoc vno signo, quòd est bene spirare fermè omnia signa ad salutem contineri, vt non sit quærendum, an doleat pectus, an præcordia intumuerint, an deliret? illo enim cognitio, scimus nil horum adesse: quanquam possint adesse signa cruditatis, ac pertinentia ad facultatẽ naturalem, quo in casu æger per abscessus seruabitur.

Antequam ex hac tractione exeam, visum est mihi, postquam spirandi ratio adeo ad diiudicandum de vita potens est, vt ostendam, quomodo cognosci possit spirandi difficultas: atque ideo facile erit intelligere Galenum multa præclara scripsisse, sed vel experientia omnino caruisse, vel aliena transcripsisse: certè sine principali methodo methodi author.

Quippe cum rectum & bene, inquit Philosophus, sit, iudex sui fuerit obliqui: ideo oportet primùm scire, qualis sit vniuscuiusque respiratio naturalis, & quamuis alia sit biliosorum, alia pituitosorum, alia senum, & alia infantium, & iuuenum, alia etiam iuxta vitæ rationem, nihilominus hæc mutuò sibi respondent in omni temperatura, atque ætate, & sexu, & quibuscunque aliis causis naturalibus atque etiam non naturalibus: quales sunt, consuetudo, ars, anni, tempus. Nam cum respiratio constituatur ex quatuor partibus, inspiratione & quiete (& quam vocabimus sequentẽ) & expiratione, & quiete (quam vocabimus antecedentem) supponemus illud primò, quòd spacium inspirationis pectoris, dum eleuatur, æquale est spacio, quo considet, dum aerem expirat, id facilè demonstrari potest: nam si secùs foret, necesse esset, vt tandem vel ob nimiam dilatationem pectus disrumpetur, vel vt ob nimiam compressionem homo suffocaretur: aut pectus non attolleretur prorsus depressum, aut non deprimeretur elatum. Iam ergo hoc supposito clarissimè demonstrato, dico dilatationis tẽpus lõgè maius, esse tempore compressionis: quòd experimento & ratione perspicuum est, namque discrimen non obscurum est: siquidem dilatationis tempus est sexquialterũ compressionis tempori, aut etiam maius, at verò quies consequens cũ inspiratione æqualis est expirationi cum sua quiete: itaque tanto longior est quies antecedens consequente, quãto inspirationis tẽpus expirationis tẽpore. Cũ igitur fuerint duæ quãtitates æquales diuisæ per proportiones mutuas partes, etiã æquales: sin autem mutuæ non sint, inæquales necessario erunt illæ partes, velut diuido septem in sex, & vnum, & rursus in quatuor & tria, proportio sex ad quatuor, quæ est proxima proportioni temporis inspirationis ad tempus expirationis, est minor, quam trium ad vnum, quæ est temporis quietis antecedentis ad tempus quietis subsequentis. Cum ergo primæ diuisionis quãtitas maior fuerit minor quantitate maiore secundæ diuisionis, erit proportio maioris partis primæ diuisionis ad minorem secundæ diuisionis maior, quam maioris secundæ diuisionis ad minorem primæ: & rursus minoris primæ diuisionis ad minorem secundæ diuisionis maior, quam maioris secundæ diuisionis ad maiorẽ primæ diuisionis. Considerare igitur oportet, quodnã maius sit: tempus inspirationis, an quietis antecedentis? & mihi sanè videtur, quòd tempus inspirationis sit maximum omnium, & iure merito: quoniã ipsum est principaliter in tantum à natura quia solum illud fit per musculos, nam duæ quietes fiunt per se ex necessitate, quæ intercedit motus contrarios:

trarios:motus autem expirationis fit pectore retrahente ſe ad naturalem ſtatum,non dicã à grauitate,ſed certè à nullo,inquit(2.de motu Muſ.cap.9.in prin°)muſculo fit.

Aer etiam expiratur,quia inſpiratus: ideo hæc pars,ſcilicet inſpiratio,eſt principalis,& ideo longior.Præterea fit, vt nutriantur ſpiritus,& refrigerentur:hoc autem præſtat,vt fiat ſenſim, at expulſio noxij quantò celerior,tantò melior:igitur inſpiratio longior eſſe debet expiratione. Demum aer,qui inſpiratur,digeritur magna ex parte per arterias à corde:igitur qui expiratur, debet eſſe multò maior inſpirato:Eſt igitur, vt dixi, hæc proportio proxima his numeris 6.1. & 4.3.

Cum ergo ſit reſpiratio rara, intelligitur non de omnibus partibus,cum illæ ſint coniunctæ:nam inter reſpirationem,& reſpirationem ſic intellectam, nil medium poteſt intercedere, ſed inter inſpirationem & inſpirationem intercedit quies vtraque & expiratio.Oportet vnam ex his, aut duas, aut omnes partes eſſe ſolito longiores.Videmus autem quòd non poteſt eſſe quies ſequens: quia natura vniuerſi non poteſt obliuiſci muneris ſui,& maximè pectore immodicè ſublato:igitur talis reſpiratio, quo ad quietem ſequentem, eſt crebra.Et ita iam habemus, quòd dupliciter peccat;primùm,quòd inſpiratio eſt nimis magna ſecundò, quòd nimis tarda:& hoc pendet ex magnitudine, vt demonſtratum eſt : vnde natura muſculorum fatigatur,tertio,quòd,quies ſuccedens eſt nimis breuis,& ideo non poteſt benè nutriri, neque refrigerari ſpiritus vitalis cum ipſo corde.Expiratio autem eſt quaſi naturalis, quoad tempus:quia eſt tantò celerior,quantò ſpacium,quo exceſſit inſpiratio illa inſpirationem naturalem,eſt naturali maius.

Reliquum eſt igitur,quòd inſpiratio non poteſt dici rara,ſed tarda,cum ſit motus,raritas autẽ dicitur de quiete,vt ſit rara ratione partium interpoſitarum. Sed illæ ſunt tres, quarum duæ primæ ſunt aut naturales aut ſolito breuiores,vt tertia, quæ eſt quies antecedens,ſit ſolito longior:primùm, vt ſuppleat breuitatem ſubſequentis quietis,ad explendam naturalem menſuram:ſecundò, vt faciat reſpirationem,vt poſſet dici rara,quia longa,igitur quies antecedens eſt multò lõgior naturali inſpiratione magna & rara. Sed in iſta quiete nec ſpiritus nutritur,nec refrigeratur:talis ſpiratio deurit & debilitat multum calorem naturalem, & vires:& ab hac etiam neceſſe eſt,vt ſequantur ſuſpiria.Ergo Hippocrates intelligit per ſpiritum, inſpirationem,non reſpirationem.

His viſis,multis modis in vna reſpiratione poteſt contingere ægris difficultas, ſeu inæqualitas. Dico inæqualitatem, comparando ad naturalem. Et manifeſtum eſt,quòd primùm ſimpliciter quatuor ſunt in longitudine,& quatuor in breuitate,& rurſus in actionibus magnitudo & paruitas, vt ſint duodecim:velut inſpiratio magna longa, magna breuis,parua & longa,& parua breuis,vt in motibus ſint quatuor differentiæ : in quietibus,non niſi duæ, vt ductis inuicem omnibus numeris, conſurgant ſexaginta quatuor ſpirandi difficultates.

4
2
4
2
64


Quæ ergo ſũt in motu inſpirationis, ad nutritionem ſpiritus pertinent,& robur virium : quæ in expiratione, ad extinctionem caloris præter naturam. Quies conſequens inſeruit nutritioni, & refrigerationi, antecedens verò reparationi viriũ à fatigatione.Et certè illa eſt minùs vtilis conſequenter:ſed conſequens nocet aggregando multum caloris præter naturam,in febribus præſertim,& reliqua debilitat,ideo natura fecit antecedentem longiorem multò conſequenti:quia cõſequens nocet, augendo calorem præter naturam, & debilitat vires ſuſtinendo pectus violenter:antecedens autem à fatigatione liberat, ſed non ſubminiſtrat alimentum ſpiritui:ideo hæc eſt minùs mala conſequenti.Si ergo alicui ſecundum naturam inſpirationis tempus fuerit æquale fermè expirationis tempori, ita quòd inſpiratio ſit facta breuior,& expiratio lõgior,ſignificatur tẽperamẽtũ non valde calidũ,& paruitas caloris naturalis,& vires imbecillæ:ſi verò inſpirationis tempus ſit iuſto longius, comparatum ad expirationem,ſignificat calidum naturale eſſe robuſtius,ſed magis aere ac fuliginoſum;igitur in morbis hoc ſignificat calorem naturalem,validum,& moderatum,febrilem autem magnum.Sed ſi fuerit parua differentia, hoc ſignificat morbum frigidum, & vires defectas,& languidas. In febre autem hoc euenire non poteſt, niſi cum extinctus eſt calor naturalis,& anhelitus eſt breuis,at frequens, & omnia euerſa. Et ſimiliter ſunt ſpirandi difficultates à dolore, de quibus dictum eſt dolor enim facit denſam ſpirationem, cum fuerit in partibus pectoris:ſed non lædit vim pulſandi,quia cognitione caret.Pro quo videte quarto Contradicentium (45.) Præter has ſunt ſpirandi difficultates, quæ in vna ſunt actione,vt cum intercipitur: nec initiũ eſt celerius fine:vt primo de Difficultate ſpirandi(cap.17.)



IN LIBRVM
Prænotionum Hippocratis Commentarius secundus.



CVm superiùs docuisset signa sumpta à qualitate mutata, & ab operationibus, incipit in hac parte tractare de signis sumptis ab excrementis. Et circa hoc debetis scire, quòd omnia signa diuiduntur in ea, quæ sunt secundum naturam, sed aut sunt similia naturalibus, aut dissimilia: velut facies naturalis res est, oculus item, vrina, respiratio, egestiones, horum vnumquodque potest esse simile naturali, & potest esse dissimile, quædam verò sunt præter naturam: & ideo in his non quærimus, an sint similia naturalibus, an dissimilia: velut Arenulæ, vermes, sputum, sudor ista enim non adueniunt sanis per se: aut adueniunt violentis quibusdam ex causis, quædam tamen magis sunt naturalia: vt sudor, & sputum, quædam omnino præter naturam: vt lapis, & vermes, & vomitus, in his ergo prorsus non est quærenda comparatio ad naturalia. In primis autem signis, vt dixi, oportet omnino quærere, postquam non est aliud efficacius: sed in sudore, & sputo, quodammodo medio modo, vt etiam sunt media, quasi natura. Volui igitur hoc te non nescire, antequam ad Hippocratis verba accederem.



PROGNOSTICON XXIV.

SVdores optimi sunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus iudicatoriis fiunt, & febrem perfectè submouent.

COMMENTARIVS.

DE sudore agens, proponit octo: at Galenus seu non intellexerit, seu subtiliùs intellexerit, solum quatuor partes exponit primas, reliquas negare videtur, fuisse Hippocratis. Vtcunque videntur ab Hippocratis modo alienæ aliquantulum: nos tamen eas singillatim explicabimus.

Duos verò, vt dixi, vbique inueniendorum præsagiorum scopos sibi proponit ipse, vnum, quem ab initio dixi, similitudinē, aut dissimilitudinem, ad optimū statum vniuscuiusq; rei, qui, vt diximus, est naturalis & sani in illo homine, si naturalis res sit: si præter naturā, qui saluberrimus est, vt lapidis, quòd sit minimus mollis & leuis. Alterū ab his, quę facillimè mutantur, vt in vlceribus siccitas, & color liuidus, hic ergo cum sit res media, vt docui, inter naturalem & contra naturam assumit optimum, non à similitudine in sanis, sed violenter tantum affectis: atque id principaliter. Pòst etiam ab eorum, quæ secundum naturam sunt similitudine: vt in sequenti textu.

Considerat autem quatuor præcipua ægri: tolerantiam, diem, quòd sint communes toti corpori, seu locum, & qualitatem, quòd sint calidi, & hoc de omnibus. Sed quoniam Hippocrat. nō solet dicere res vulgatas: licet hoc, quod dixit (qui febrem soluunt) esset vulgatum, non tamen illud, quòd quanquam febrem soluant, nihilominus non sunt optimi, nisi fiant in die iudicatoria, ideo illa pars, cum sit coniuncta secundæ, non efficit dictum vulgatum. Tantam enim inesse vim diebus iudicatoriis putat, quòd etiam si sudores soluant morbum, tamen non sint optimi: quia significent morbum reuersurum, nam aliter non possent esse non optimi: quia tametsi non releuetur æger, modò non redeat morbus, Hippocrat. hoc non videtur curare: ergo vult, quòd quanquam finiatur morbus tamen sudor ille non possit dici optimus. Dicebat in lib. de Indicationibus (In Princ.) Sudores optimi sunt, & celerrimè febrem sedant, qui in iudicatoriis diebus fiunt, & febrem perfectè summouent. Hoc dictum videtur aliquomodo alienum à præsenti: quoniam videtur minus polliceri, quam requirant, cum exigat ad sudoris bonitatem, quòd perfectè febrem tollat, & in die sit iudicatoria, cur ergo dicit celerrimè febrem sedat, cum perfectè iam sit summata? Id verò manifestum est, quòd per id (perfectè sit summota) intelligit, quod peruenerit ad integritatem: per illud autem (sedat celerrimè febrem (intelligit, quòd morbus finiatur. Neque enim de intermittentibus loquitur: nam illæ non numerantur inter morbos acutos, de quibus hîc sermo est, igitur vult, quòd si sudor adueniat in die iudicatoria, & tunc febris cesset perfectè, vel quòd morbus prorsus finiatur: vel si non finitur prorsus, cum reuertitur, neque æger sit in periculo mortis per recidiuam, neque febris illa diuturna esse possit, quòd si cesset febris per sudorem, non in die iudicatoric, periculum est, vt omnino reuertatur, nec æger est securus de vita: etsi omnino sanetur, erit post longius tempus. Ergo sudor in die iudicatoria febrem soluens, præcedit sudorem in die non iudicatoria, etiam à febre liberantem in tribus: quòd raró febris reuertatur, cum in alio casu fermè semper expectanda sit recidiua: quòd & si recidiua fiat, absit periculum mortis, à quo ille tutus non est: quodque in die iudicatoria sudore facto etiamsi adueniat recidiua,

recidiua, & alteri etiam, nec quisquam eorum pereat, attamen longè celeriùs liberabitur is, in quo sudor factus est in die iudicatoria. Exemplum eius, qui iudicatus est perfectè, nec rediit morbus amplius, habetur in Cleanactide(1.ep. lang.6.) qui sudauit in octuagesima die, & liberatus est in ea. Similiter & Herophon liberatus est per sudorem in decima septima die (1. ep. lang. 3.)Circa quod notandum, quòd is iam euaserat à febre liber in nona, quæ inter dies computatur iudicatorios, vt quarta Aphor. (36.) celerrimè enim liberatus est à febre, licet reuersa sit post quinque dies, id est, in quarta decima(princ.ep. lang.13.) liberatus est enim in decimaseptima, quæ tertia dies fuit à reditu febris.

Pari modo mulier, quæ decumbebat in littore, cum in quinta liberata esset à febre, per sudorem reuersa illi febre in vndecima, liberata est in decimaquarta: nec reuersa fuisset febris, nec tot passa incommoda, nisi fuisset prægnans trimestris.

Sed hi in quibus sudor aduenit non in die iudicatorio,& reuersa est febris, quæ abscederat, & serò iudicati sunt: quemadmodum Epicratis vxor (prim. Ep.lang.5.) quæ per sudorem liberata est in quintadecima, tamen statim rediit febris, & vix liberata est in quadragesima, post multam luctam naturæ.

Hippocrates autem in primo & tertio Epidemiorum nō meminit eorum,qui breui liberati sunt per sudorem:quoniam intentio non fuit commemorare ægros, nisi qui magno morbo laborassent, at qui breui per sudorem terminantur,cum materiam esse tenuem constet, & ex sudoris iudicatione, & morbi breuitate non potuerunt esse graues neque periculosi, meminit tamen Perielis, in Abdera (3. Ep. ord.2. lang.6.) quoniam liberatus est in quarta: quæ quanquam breuem morbum fuisse ostenderit, non tamen fuit dies iudicatoria, sed in indicatiua.

Ad dices Chærioni,qui liberatus est,imò dicit(3.Epid. ord.1.lang.5.) iudicatus est in septima, reuersa est febris, nec liberatus est perfectè, nisi in vigesima? sed noster Galenus,vt reliqua omnia difficilia,& salebrosos saltus, sicco (vt aiunt) pede transit. Dico ergo,quòd in septima sudauit, & iudicatus est,sed non ea die liber fuit à febre, verùm in octaua:quare par fuit,vt bis in recidiuam incideret, & liberatio ad vigesimam vsque differretur. Quod autem dixerit (iudicatus est)suo loco exponatur.

Alia dubitatio est de Nicodemo in Abderis(3 Epid.ord.2.lang.10.) qui cum febre liberatus sit in vigesima quarta, quæ non est iudicatoria, liberatus tamen in ea die perfectè.Sed hoc contigit, quoniam vt de quarta illa est indicatiua saltem: & iudicium fuit non solum per sudorem, sed etiam per vrinam multam.

At dices, cur non attulit exemplum aliquod de his,qui in die non iudicatoria sudarunt,& liberati sunt, & pòst reuerso morbo periere? nam hoc, vt dixi, videtur innuere Hippocrates in litera?Respondeo,quòd hoc etsi contingere possit,non tamen, nisi rarò contingit: quoniam liberari à febre signum est, vires superiores esse morbo:id verò contingere ex sudore indicium est, materiam esse tenuem, esse ergo superiores vires, & materiam, causa est, vt rarò contingat ægrū pòst mori. At per sudorem ita deficere febrem, vt homo videatur liber, hoc est adeò frequens,vt exemplo non indigeret.Propterea medicus debet esse valde cautus in diiudicando, an æger per sudorem sit perfectè liber à febre,annon. Et ob id vides Hippoc. dixisse in iudicationibus. Qui à febre perfectè liberant. Sed an verum est hoc in aliis expurgationibus sicut in sudore? Dico quod sic:sed non adeò euidenter, quia in sudore sunt duo, quæ non sunt in aliis expurgationibus, nam sudor est contrarius è regione fluxui sanguinis narium in hoc enim nulla est mutatio in sudore maxima media in vomitu,egestione,& inanis sudor etiam est totius corporis raliquæ excretionis,vnius duntaxat partis: ideo hæc veriora sunt & euidentiora in sudore,quam in aliis excretionibus.Videtur enim naturæ opus proprium in febribus, cum sint morbi sicci,at vrinæ & excrementa alui videntur posse contingere sine electione naturæ: quoniam sine hac etiam quotidie fluunt ordinariè è corpore. Vomitus etiam ex aliqua causa propria ventriculum irritante:& ita ob calorem hæmorrhosagia. Sudor autem vt dixi, multum calorem & in vniuerso corpore postulare videtur: nihilominus etiam in aliis excretionibus, plerunque superabundantibus, hoc verum est, quod ab Hippocrate de sudore dicitur.

PROGNOSTICON

ad præcedens.

BOni verò sunt,qui per totum corpus contingentes homine facilius morbum ferre faciunt.

COMMENTARIVS.

TAmetsi nunc multi sectantes facilitatem ingratè accepturi sint labores nostros, non tamen dubito, quin post aliquos annos non defuturi sint,qui dicant,Galenum nec à longè Hippocratis sententiam, aut mentem attigisse. Nam cum duo sint, quorum vnum est manifestum in sudore totius corporis, scilicet calor æqualiter diffusus,qui duo ostendit, & naturalem esse validum, & eum, qui præter naturam est, parêre, vt ita dicam,naturali:nihilominus secundum, scilicet quòd materia etiam sit per totum corpus diffusa,neque est manifestum,nec à Galeno, vt oportuit,est declaratum.Nam in tertianis forsan, & aliis intermittentibus, clarius hoc esset, materia super omnes musculos corporis diffusa:at de illis sermo non est, quæ non sub acutorum morborum numero continentur. In continuis igitur febribus & in abscessibus pectoris,aut capitis, multo magis

magis perspicuum est materiam morbi non in totius ambitu corporis contineri, cur igitur sudor non ibi esse debet vbi materia solum nocens est? Præsertim cum ille idem dicat, vbi sudor, ibi morbus (4. Aphor. 38.) Propterea ne attigisse verbum in hoc Galenum, mirabile est, necessarium est ad prædicendum & morbum etiam curandum, nisi forsan existimat materiam talium febrium, præcipuè ardentium, per totum corpus sparsam esse. Sed cur ergo (1. in 1. Epid. Com. 9.) dixit, Neque enim in quibuslibet corriuatus corporis partibus potest humor hic febrem excitare ardentem, verùm circa ventriculum, & huius præcipuè os, circáque iecinoris partes. Sed forsan melius erit, illum interpretari, vt ibi (2. in 1. Epidem. Com. 10.) etenim si ardentes febres sint in venis abundat præcipuè iecinoris & ventris: & illud (Ibid. Com. 73.) Nam cum in vasorum capedinibus vnà cum sanguine continetur, flaua bilis vtcunque accendatur, contingit febres ardentes prodire, præcipuè verò vbi in ventris, aut iecinoris, aut pulmonis efferuescat. Et rursus (2. in 3. Epid. Com. 7.) Ardentem autem febrem ex humoribus nasci biliosis scimus; igitur consentaneum est, huic mulieri in tota mole corporis biliosum fuisse aceruatum humorem. At in quarto de Victu in acutis (Com. prim.) videtur hanc difficultatem declarare, hoc modo, quòd febris ardens alia fiat humore bilioso in vniuersis venis putrescente, alia in vna tantum præcipua: exemplumque dat de venis iecoris, ventriculi, & pulmonis, igitur in hoc casu adhuc sudor non conueniet toti corpori. Dicendum est ex his tandem, quòd sudor communis toti corpori indicat non esse contractionem caloris aliquam, si ergo æger facilius fert morbum, materia, quæ euacuatur, morbifica est: ergo bonus. Non ergo bonus, quia in toto corpore: sed quia, cum sit in toto corpore, morbum alleuiat. Si obiicias decretoria, quæ non decernunt mortem, aut difficile iudicium significare: in Anaxione autem, & Chærione, ac Nicodemo, sudor vniuersalis non soluit morbum, dico decernere, quæ mutant in melius eo loco.

PROGNOSTICON.
ad præcedens.

QVi verò tale quid non effecerint, incommodi sunt.

COMMENTARIVS.

SCilicet, qui nec hominem leuauerint, nec liberauerint, incommodi sunt, verbum ἐξερνάσονται effecerint, non potest referri ad totum corpus, neque ad dies iudicatorios. Quanquam Galenus ad duas partes referat præcedentis textus, quasi velit, vt sudor in toto, & modò adiiciamus etiam calidus, possit esse vtilis, etiam si non soluat, neque alleuiet ægrotantem. Non videt, quòd in sudore semper vires debilitantur, exhalante vitali spiritu simul cum noxio vapore, quomodo ergo si æger non alleuiatur, tanta imbecillitas poterit esse vtilis? Præterea dicebat quarta Aphorismorum (42.) sudor multus, calidus, aut frigidus, superfluens, frigidus magis calidus, minus significat morbum. Et rursus (56.) Febricitanti sudor superueniens febre non deficiente malum. Prorogatur enim morbus, & humidam substantiam abundare significat. Quomodo ergo potest esse bonus? Adeò verò hac in parte malè sensit, vt vtilem etiam esse velit eum, qui omnino reddat deteriorem morbum, modò in toto corpore eueniat. Pessimi autem sunt frigidi: & circa caput tantum, & faciem oborientes, & circa ceruicem, hi enim cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi prænunciant.

Προσημαίνουσι verti prænunciant, quoniam præsignificant, durius est, ad contrariam transit indicationem, scilicet pessimorum qualitate, & loco. De qualitate, quòd frigidus sit: nam cum sudor semper fiat à calore, si frigidus prodeat, vna ex tribus causis illum prodire necesse est: vt in commentariis Aporismorum ostendimus, scilicet vel quia abscessus sit in profundo, qui colliquet interius humorem, exterius colliquatus refrigeretur: vel quòd ex multa materia gelida crassa aliquid dissoluatur: tuncque morbi longitudinem hoc significat, sicut prior mortem: aut quòd venenosa qualitas pestilentis febris, aut veneni epoti extinguat calorem innatum, & spiritus, sicque prodeat sudor frigidus. Cúmque hoc acciderit, statim mortem imminere prænunciat.

Hic denuò multis modis accusandus venit Galenus, qui superficiem tantum pulcherrimorum dogmatum attigit, omisit eorum veram cognitionem. Addemus hîc his, quæ ibi diximus, ne morem nostrum non repetendi præuertamus. Dico ergo, quòd sudor non semper fit à calore, sed in materia congelata, & etiam aquea, vt in ichoribus à calore semper fit, in vaporosa autem etiam à frigore, & maximè ab illo, sudant parietes magis flantibus aquilonibus, quam Austris, quòd vapor sudore sit frigidior. Est enim sudor medius inter aquam & vaporem & ideo ex aqua fit per calorem, ex vapore per frigus. Ideo sudor frigidus in febre acuta admodum lethalis est, quia significat aqueam substantiam dissolui à calore febrili: vel etiam inflammationis, cogi autem à membris refrigeratis: aut frigus exitiale calorem naturalem cogendo generare sudorem: vtrunque autem pessimum est. At ex dolore, vt in tortis, sudat facies, & partes reliquæ sudore frigido: & ita in acerbis coli, ac magis ventriculi doloribus. Cum enim dolor extinguat spiritus, & cogat partem sanguinis vaporosam, necesse est, vt sudor prodeat, & frigidus. Quomodo autem spiritus resoluatur à dolore, suo loco demonstrabimus: nam & hoc est vnum ex pulcherrimis quæsitis, quæ Galenus reliquit intacta.

Sed cur deterior in facie & collo, seu ceruice, & capite? quoniam tum resoluitur calor naturalis, qui maximè abundat in *illis*

partibus, vix fieri potest, vt homo viuat. Vt contrà, si sine febre & in cruribus, & pedibus, ac in sene frigidus appareat sudor, nil mirabile. Ita videmus tortos sudare in facie, & tamen non mori. Qui tamen sapientes iudices sunt, cum eum sudorem inspexerint, & anhelantem hominem, eum deponere solent, ne damnatio confessionem præcedat. Galenus dicit, quòd hi sudores circa faciem, si calidi sint, minantur syncopim, sin autem frigidi, iam incipere eam denunciant. Ego credo ipsum hoc semel vidisse, & regulam ex sua dialectica construxisse, sed non semper, imò raro, veram; nam ad syncopim succedit sudor frigidus, non tamen antecedit. Poterant admonere illum saltem ægri Hippocratis, velut mulier, quæ decumbebat in Mendacium foro tertio Epidemiorum (lang. 12. ptim. ordin.) Tamen sudor huiusmodi est signum valde malum. Et vt intelligas, rem de syncopi illam antecedit deliquium animi, vt primo (cap. 14.) ad Glauconem Galenus docet: hic ergo cum sine sudore fiat, vt syncopis cum eodem. Vnde Aëtius (lib. 5. cap. 101.) animi deliquium repente inuadit & (supple solum vigilantes) ac omnino sine sudore: syncope autem tam dormientes, quam vigilantes, & cum sudoribus, qui sycoptici appellantur. Vnde illud diligenter considerandum, sudorem esse proprium cordi, & eius esse symptomaticam euacuationem: vnde in timoribus, & ira solet effundi: nec aliud signum certius patientis cordis, vt in magnis etiam sanguinis fluxibus, in febribus pestilentibus, atque venenis, vt contrà vomitus est symptoma ventriculi, aut iecoris, aut cerebri patientium cordis nequaquam: tam & si per neruos sextiparis iungatur illi multo magis tamen cerebrum: iecori autem paret propter eam, quæ ab illo insita ipsi est, facultatem. Sudor autem motum exigit & calorem, quæ ambo sunt in corde: reliquæ euacuationes non sunt symptomaticæ propriè, cum sint naturales præter hemorrhosagiam: sed naturæ non conuenit vires suas contrahenti, vt solum in ira quibusdam sanguis profluet.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

ET qui per totum corpus fiunt, similiter significant his, qui circa caput.

COMMENTARIVS.

CAllidè Galenus hanc partem & sequentia de sudore omisit, quoniam suis decretis aduersabantur. Docet enim Hippocrates non minus sudores frigidos esse lethales in toto corpore, quam si apparuerint in ceruice sola, aut facie, aut capite. At non vidit, quod superius adduximus, quod sudor superueniens frigidus magis significat morbum, & quòd in acuta lethalis est, etiamsi non sit in ceruice, aut facie, vel capite, sed in toto. Non enim Hippocrates, vt Galenus qui se in immensum difficultatis barathrum sponte iecit sudorem capitis, aut faciei, vel ceruicis sudori totius corporis opposuit, cum æquè malus sit in toto vt etiam in partibus superioribus, si autem bonus, melius longè est, quemadmodum declaraui: quoniam ostendit materiam nocentem esse sparsam per totum corpus & calorem naturalem esse validiorem: sed opposuit sudorem ceruicis & superiorum partium sudori inferiorum, quem constat non esse adeò malum, imò aliquando bonum, cum in superiore parte malus sit.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

AT verò milij formes, & circa collum facti, mali sunt.

COMMENTARIVS.

DE calidis modò sermo est: nam frigidos, vt dixi, seu in toto, seu in parte superiore prauos esse iam docuit, explicare igitur conuenit, quare sudor cuiuscunque partis semper malus sit, & quis deterior: deinde docebimus, quinam sint miliiformes sudores, & cur fiant, & cur malum significent. Neque enim in his, quæ inconiuncta sunt, nec per contrarium declarata, illa sic coniungit Hippocrates, vt vtramque partem non amplectatur. Constat enim quòd sudores omnes in collo, seu facie, aut etiam pedibus, mali sunt ex iam dictis ab ipso, quæ etiam nunc explicabuntur: sed & miliiformes docebimus, etiam si calidi sint, malos esse. Non ergo simpliciter malum hunc sudorem esse docuit, sed prorsus esse malum, si vtrumque contingat. Quòd ergo sudor in vna parte malus sit, hoc est nunc ostendendum ex dictis iam (4. Aphor. 38.) Nam si, vbi sudor, ibi morbus (sit autem sudor in superioribus partibus) significat materiam esse, & calorem imbecillem, qui non possit expandi: hoc ergo signum est proximum & lethale fermè, at si sudor sit in inferioribus partibus, non possunt illæ esse calidiores superioribus: aut ergo frigidus erit, atque adeò malus: aut quia materia, quæ in superiori parte est, dissolui nequit à multo, etiam maiore calore: quod significat morbi contumaciam. Et si materia in inferioribus partibus morbum non poterit creare acutum, nisi immodica aut praua, vnde periculum imminet, ne ascendat, & opprimat languentem, sudores tamen circa pectus, inter eos qui non sunt per totum corpus, omnium optimi sunt quoniam ibi viget calor naturalis. Vnde dominari illum materiæ, sed tamen ægrè, ostendit. Nec malus est, cum in pectore fuerit, atque vicinis partibus, seu superioribus, seu inferioribus. At comparati inuicem inferiores superioribus frigidi quidem superiores multò deteriores sunt, & calidi, etiamsi ad pectus non peruenerint, & si valde calidi

lidi sint, ac copiosi. At si moderati sint in vtriusque conditionibus superiores inferioribus, breuiorem morbum ostendunt.

Miliiformes autem sudores dicuntur rotundi, & cum granis exiguis. Quos significauit septima Aphorismorum (61.) cum dixit: Sudores in diebus iudicatoriis oborientes vehementes, & veloces, periculosi sunt: qui expelluntur ex fronte, velut guttæ, & aquæ salientes, & frigidi valde, ac multi.

Necesse est enim talem sudorem prodire cum violentia, & doloris excessu, ac expressione diuturna. Ibi autem de reliquis egimus: hîc autem constat, miliiformem sudorem fieri in illis partibus calore colliquante substantiam membrorum, quæ pauca est, ac densa: cur igitur pessimus sit, nemo ambigere potest, aut causam ignorare. Tum etiam in sequentibus eam docet.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

QVi verò cum guttis fiunt, & euaporant, boni sunt.

COMMENTARIVS.

OPponuntur hi, cùm forma fermè sint similes, quòd hi euaporant, illi consistunt & fluunt: hi magni sunt illi parui. Propterea cum euaporent, anxietatem abesse significant, & esse aqueam materiam, quæ à calore valido colliquata est, atque exoluta. Quocirca tria significat robur caloris, materiam peccantem euacuari, & tenuem illam esse, & aquosam. Ideo subiicit.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

COnsiderare porrò expedit sudores in summa: fiunt enim aliqui propter corporum exolutionem, aliqui propter inflammationis vigorem.

COMMENTARIVS.

DE his, qui fiunt propter corporum exolutionem, haud dubium est, quòd hi mali sunt, scilicet miliarei: quoniam necesse est, vt humidum, quod in concauitatibus membrorum erat ad nutritionem paratum, quodque iam, vt gluttem affigebatur membro, colliquatum à calore pernicioso, cogeretur in granula milio simillima ob paucitatem, insuaque rotunditate consisteret, neque enim aliter posset, nisi ex huiusmodi substantia foret hæc habere: sed & ob id rara sunt, vocamusque rorem.

At quod dixit (Aliqui propter inflammationis vigorem) incertum est, an loquatur de prauo sudore solum, an etiam de vtili: quasi dicat: In primo sensu sudores hi praui fiunt ob inflammationis magnitudinem: & ideo mali sunt: illi autem pessimi, aut vt intelligat, quòd quidam sunt mali omnino, qui fiunt ob exolutionem virium, alij non mali, cum fiunt circa statum morbi vrgente calore: nam tales esse possunt boni, & mali. Vt mali, qui sunt velut ros, quoniam ab exolutione, indicio quòd tales fiunt in vehementissimis doloribus calidi, non succumbente virtute, succumbente autem, frigidi. Et ita litera fauet. At ratio videtur docere, quòd potius solum de malis intelligat: nam qui fiunt ex vigore inflammationis, non etiam sunt semper boni, quinimo boni sunt materia concocta, & non ob id, quòd fiant ex inflammationis vigore, vt melius sit, referre ergo ad malos sudores. Aut si modò ad omnes considerare oportet diuisionem, non ad bonum, seu malum refertur, sed simpliciter ad causam efficientem sudores fiunt à duabus causis omnes: aut ob exolutione virium, aut vehementia morbi: quo intellecto quasi dicat, considera postmodum omnes quales sint, seu in toto, seu in parte, seu in die critica, seu alia die: nam genus persæpe docet species suas quales sint, velut lux solis clarificat visum, & aërem bonum reddit: ignis autem obtenebrat, & siccum ac noxium efficit. Vt verò generaliter dicam, tam sudorum, quàm aliorum excrementorum indicia sumuntur, vel per se, vel à morbo, & eius causa, vel ægrotante ipso. Per se quidem, calidus aut frigidus sapor, color, odor, substantia & quantitas morbi ratione in morbo, cui conuenit in tempore status aut initij, in die critica & indicatus, aut non, & quod morbum finiat, aut minuat, vel non: ex egro, aut à toto, aut parte, & qua: & vbi ferant vires, aut non.

PROGNOSTICON
XXX.

PRæcordium optimum est doloris exors, & molle, & æquale, tum in dextra, tum in sinistra parte.

COMMENTARIVS.

MEliùs fecisset Galenus, si hoc modo diuisisset optimum à malo, & non simul confundere aut omnino totam tractationem de præcordio vno commento complecti. Sed visus est sibi eo visum iri in sapientiorem, atque ingenij præstantioris, quo contemptius omnia fecisse videretur, quod vitium est multorum, qui volunt videri ingeniosiores. Vnde illud Philosophi: Negamus nos studere, vt ingeniosi videamur, quasi maius sit munus naturæ, quàm consilij. Ergo in præcordiis contineri solent humores coctioni & nutritioni parati, vt colligitur duodecimo Artis curandi (capite tertio, circa medium) & quarto de tuenda Sanitate (capite quinto,) & primo de febrium Differentiis (capite tertio post medium.) Proponit ergo tria signa: vnum ex his, quæ

quæ non adsunt, scilicet vt dolore vacent: duo ex his, quæ adesse oportet, scilicet vt sint mollia,& æqualia dextra ac sinistra parte. Potuisset enim æquale referri ad seipsum non sic intelligit, nam necesse est esse elatiora in superiore parte,ob viscera, quæ substant:dextro, iecur, sinistro, lien: inferiore depressa:in medio altiora, tam in medio inter superiorem & inferiorem partem, quam inter medium & locum syluestrem. Vult ergo, vt intelligamus similitudinem ex hoc, in omni dimensione,& in qualitate calidi ac frigidi.Non opposuit (æquale) vt ipse Galenus putat,intento:sed cum dixit(molle)intellexit, quod non esset durum, nec intentum. Poterant hæc ipsa verba textus docere: Aut intenta sunt, aut inæqualiter affecta dextra atque sinistra, non ergo intentum sub inæquali continetur. Animaduertendum, quòd ab initio morbi persæpe ilia sunt bona, & pòst accedit dolor, aut tumor: velut primo Epidemiorum(lang.2.& 3.) de Sileno in tertia, & Herophonte in quinta primo Epid.(lang. 5.) & primus obiit:secundus autem sanatus est. Est etiam aduertendum, quòd aliud est de lumbis,& lateribus.Sub his enim non comprehenduntur præcordia: vt ibidem de Epicratis vxore,in qua doluerunt hæc,non tamen precordium.Quinimo aberrauit etiam alius Interpres, loco præcordiorum ilia,quæ sub præcordiis sunt,vertens.

Illud quoque non prætermittendum in historia illa ægrorum apud Hippocratem, præcordia bona intelligere, & reliqua etiam omnia, cum eorum non meminit, velut in Cleanactide,& Metone, & Melidia, & Pythione primo, qui omnes seruati sunt. Mortua igitur est Euryanactis filia virgo,sed dicit:Innata quadam tabe laborabat, & anginosa;tertio Epid. (3. Ep. lang.1.) in quibus præcordia benè se habuerunt: quoniam in anginosa fuit morbus propriæ partis,non ex febre acuta tantum, & secunda ex abortu: ideo subiecit:Mortua est ex phrenitide, obiit sola mulier, quæ decumbebat in Mendacium foro.Circa quod etiam considerandum quod Hippocrates nulla in re adeo fuit diligens,vt in examine præcordiorum.Nec immeritò,cum sub his contineantur, præcipuè tria membra naturalia maxima, & vt sæpius dixi, homo viuit, per facultatem naturalem sanatur, & moritur: ergo cum illa membra benè se habent,nisi sit aliquod magnum symptoma, vt læsio in membro principali, homo seruatur:contra si illa sint læsa, quomodo poterit res bene procedere? secunda causa est,quia ibi est penu nutritionis & humorum,ex quibus corpus nutritur:sunt enim humores imperfecti,& ab illis solum sperandum est auxilium,& ideo, si boni sint, bona spes est:si mali,exigua.Nam ex tribus constat vis vniuersi corporis, ex sanguine bono, & spiritu:in hoc constant vires,sed non est sperandum nouum auxilium,quia iam est perfectum hoc & virtus ipsa: reliqui humores, qui iam perfecti sunt,non solum non iuuant, sed nocent,secundum est cibus,& potus: hi cum indigeant magna transmutatione, plus nocent,quàm iuuent exhibiti, reliquum est, vt tota spes sit in humoribus semicoctis,qui aliqua ex parte sunt in venis,sub pituitæ nomine:sed longè maiore in mesaræi venis, & iecoris, nec non in intestinis coniuncti cum fecibus.Si ergo tales fuerint multi,& boni,& æqualite distributi magnas supetias possunt afferre ægro:si mali,contrà.

PROGNOSTICON *ad præcedens.*

At inflammatum, aut dolorem exhibens,aut dextræ partes inæqualiter affectæ ad sinistras: hæc omnia obseruare oportet.

COMMENTARIVS.

Hic delirare videtur Hippocrates, cum suspensam habeat orationem. Galenus verò non animaduertit, Hippocratem nihil hic dicere non malum,non bonum, sed cursim venit ad expositionem, interpretatus illud(obseruare oportet)quasi dixisset, hoc esse pessimum,quod nec somniauit Hippocrates: sed aperuit arcanum pulcherrimum, scilicet docens, hac constitutionem esse longè vtiliorem omnibus supradictis, nam quæ dixit de facie,oculis,decubitu, manibus,sudoribus omnia hæc nihil sunt, si ad hanc contemplationem conferantur. Quippe illa omnia solum,an æger sit euasurus, an non, docent: quòd vtilitatem nullam persæpe etiam neque gloriam,aliquando etiam dedecus,si minus consideratè proferantur,afferunt. At hoc ipsum docet plerunque, sedem affectam, morbi magnitudinem, curandi modum. Innuit enim tacitè Hippocrates in hoc loco, acutorum morborum sedem esse in præcordiis.Propterea signa, quæ ex illis sumuntur, non esse prognostica, sed potius pathognomica,& assidentia,aut superuenientia.Nam si inflammatio ibi sit,quis dubitat,quin morbus contrahat originem?eas enim consequũtur necessariò febres acutæ. At si inflammatæ sint,non tamen ex phlegmone,febris erit ardens, & mali moris: & si non sitiant, lethale est, bilem enim multam ibi putrescere intelligimus. Quòd si dolorem exhibeat, scilicet citra inflammationem, multitudinem contentæ materiæ docet. Si verò pars dextra magis afficiatur, periculosior erit morbus, sed breuior, scilicet laborante iecore:sin autem sinistra, minùs periculosus, sed longior. Ostendunt etiam hoc pestilentiæ,& Hippocratis tempore, & nostro:quæ alterius omnino cum sint, commune tamen est,vt tumeat præcordium, maximè sinistrum. Porrò exempla dextri multa habes,atque sinistri.Primùm quidem tamen scire debes, quod cum dicit præcordij, nec adiicit, cuius breuitatis causa de vtroque dictum puta.Cum verò dicit, præcordia, tunc hoc plus significat,quàm cum simpliciter,vt magnam ex eo noxam intelligas Hoc ostendunt verba Hippocratis hic,& in sequentibus(Tex.10.11.& 13.) velut illa:Tumor in præcordio durus,& per totum præcordium, dextra

dextra ac sinistra. Ergo dextri præcordij habes Philini vxorem (1.Ep.4.&12.& ægrum sine nomine: & qui in Dealcis decumbebat horto: & Philistes, qui in mane quintæ diei obiit. De quo hæc: Præcordium dextrum distentum est, declinauit ad internas partes, & Apollonius in Abderis, at de Sinistro in Philisco: Splen eleuatus orbiculari gibbositate: & qui in Dealcis horto, de splene similiter. Verum difficultates supersunt, de Herophante primùm: quia dixit, (splen eleuatus est præcordij distentio) videtur, cum non adiiciat (sinistri) vt intelligatur de dextro. Sed ad priora verba referri debet: nam alibi dicit (post splen eleuatus præcordij dextri) altera, cur secundo ordine tertij Epidemiorum non meminerit præcordij, nisi in duobus ægris, cum sint tamen sexdecim. Dico, quòd & si præcordia non laborabant, moriebantur, quia constitutio fuit valde pestilens, & hoc est, quod nos voluit intelligere Hippocrates. Galeni autem verba, quæ in fine Commenti habentur, obscura sunt: quia Interpres non rectè reddidit, eorum sensus est: Quandoque præcordia intenduntur sine inflammatione propriè nominata in illis: sed vel ob propriam siccitatem ipsorum præcordiorum: aut succingentis costas membranæ: aut septi transuersi: aut etiam harum ipsarum partium inflammationem absque musculorum præcordiorum phlegmone, id est, vt clariùs dicam, tenduntur præcordia sex ob causas: ob phlegmonem, vel sine phlegmone: & horum vtrumque trifariam, vel in præcordiis, vel in pleura, vel in septo transuerso, ob phlegmonem in aliquo horum, vel etiam ob siccitatem. Cum tamen possint etiam tendi à flatu, sed in morbo acuto non perseuerat: sermo autem est de eo, qui perseuerat: Sed, vt ad rem redeam, si cum vno ex tribus dictis: scilicet vt sint inflammata, vel doleant vel sint inæqualia, & pulsauerit vnum ex illis, aut ambo.

PROGNOSTICON XXXI. & XXXII.

Si verò etiam pulsus inerit in Præcordio, turbationem significat, aut delirium, verùm oculos talium insuper intueri oportet: si enim oculi frequenter moueantur, furiosos hos fore, timor est.

COMMENTARIVS.

Galenus hàc in parte multa dicit: sed neque probat, neque docet, solum dubitationem ex verbis mouet σφυγμὸς & est pulsus, & παλμὸς palpitationem. Differunt pulsus à palpitatione (vt hic intelligitur) quòd pulsus vno certo loco fit: palpitatio magnam partem occupat. Vidi sacram virginem B. Lazari Mediolani, cuius hypochondria tota palpitabant, quasi toti illi spacio arteria subesset: & iam anni erant circiter decem octo (vt retulerunt) sed dispositio ab initio longè leuior erat, idem in aliis, sed non adeo grauiter affectis, sæpe conspexi. Appellamus etiam palpitationem quencunque motum, sub cute non ordinatum: vt cordis pulsum, cum naturaliter se habet: cum vehemens, aut frequens, aut inordinatus, palpitationem. Causæ sunt illæ tres, quas Galenus recitat in Commento, flatus, phlegmon, arteriæ magnæ consensus, scilicet, quæ sub spina dorsi iacet: vt in tertio libro (cap.12.fig.) à Vesalio describitur. Enumerat præterea Galenus tria membra alia, quorum vitio contingere potest hic pulsus: ventriculum, iecur, & septum transuersum. Cum ergo Hippocrates pulsum adiiciat, non palpitationem, rem quasi fortuitam, sed eum propriè intelligit, qui ex phlegmone oritur. Pulsum ergo adiecit, vt à siccitate, à plenitudine, obstructionéque distingueret. Iam ergo phlegmonem ostendit: at sub præcordiis continentur, musculi, intestina, septum transuersum, omentum, iecur, ventriculus, & lien, & mesaræum, continentur & alia, vt peritoneum, & membrana carnea: sed hæc per se vix possunt inflammationem contrahere, sermò autem Hippocratis est de his, quæ accidere solent. Intestina, si inflammationem concipiant, dolent maximo dolore arteriæ: pulsatio, si fit ob obstructiones, delirium non significat: musculorum abscessus non efficit acutam febrem, neque delirium, sed si fit cum acuta febre, turbationem affert, medicis & ægro, & astantibus territis: vel turbationem qualis est fluxus ventris, aut vomitus, qui consequi solent, vt in Aphorismo in Perturbationibus (2.prim. partic.) Omentum autem raro contrahit abscessum, quoniam modicum continet sanguinem. Maximè ergo de septo trãsuerso intelligitur: quoniam neque iecur, neque lien solent deliria excitare, quoniam ad illa pauci nerui, descendunt. Neque Princeps (14. tert. Tract.3.c.4. & 5.) ponit inter signa abscessuum calidorum: membra enim ad quæ nerui, aut plures, aut magni, aut magno sensu prædití, si, deliria, & conuulsiones, & inflammationibus corripiantur, excitare solent. Mesaræi quoque abscessus, sed is profundus est, & sub intestinis positus hoc facere potest. In vniuersum particulæ illæ ventris, ad quas arteriæ effatu dignæ, & nerui, peruenire solent: velut septum transuersum, & ventriculus cum siccis membranis adiacentibus ex peritoneo & omento, & mesaræi pars, vbi glandula est, pro quibus consule Vesalium libro quinto (cap.3. fig.12. & cap.6. fig.10.& 11. lit. K) & maximè de Glandula, quæ pro centro habetur.

Ita & in iecore & liene partes sunt, quæ magis mouent delirium, & homines, iuxta naturæ imbecillitatem. Vbi ergo abscessus magni sint, & circa loca neruosa, & materia praua, tunc fiunt insaniæ, & oculi primùm mouentur: nam morbus cum non sit in cerebro, non maius symptoma in illis commouet. Eadem si benigna sit, deliria, percoctiones, efficit: quæ postmodum sedantur, coctione facta. Verum vix à materia benigna adeò calescere, & exiccari potest cerebrum; vt oculi moueantur solito frequentius,

quentius, cum potius ægrorum mos sit, nisi cerebrum tentetur, vt oculos habeant ob imbecillitatem, vt etiam alia membra ad quietem, & segnem motum declinantia, quàm ad frequentem, aut vehementem. Quocirca & hoc signo per similitudinem intelligimus, etiam in sanis mobiles perpetuò oculos δινδιλλειν, aut ἴσσον æquum: quanquam hoc proprium sit nutantis palpebræ, sed qui tam assiduè oculos mouent, & palpebram inquietam habent, seu tremulos dicas, parum sana mente esse, inconstantes, stultos, & fallaces. Eadem enim ratio est sanorum & ægrorum: sed in ægris manifestior insania, quæ à naturali more aberret. Secundum autem membrum, quod sub præcordiis continetur, & deliria excitare potest, imò etiam quod communicat cum oculis, est ventriculus: vt tertio de locis (cap. 5.) & primo de causis symptomatum (cap. 2.) Abscessus ergo in illo non quiuis, sed magni propter neruos communes mouent deliria: quinto de locis (cap. 5.) & 13. artis curandi (c. 1.)

DIGRESSIO.

Dictum est in Aphorismis (2. part. Com. 35.) qualiter hypocondrium est superius, seu præcordium inde ὀμφαλον circa vmbilicum pars eius nomine dicta, & ventris imum, ἦτρον, ilium namque os Vesalius (lib. 1. cap. 29.) describit, quòd posteriore parte sacro anteriore pubis iungitur. Celsus (lib. 4. cap. 1.) Ilia ipsa inter coxas, & pubem in imo ventre posita sunt. Quod & Plinius lib. 11. cap. 37. pag 9.) confirmat, dicens, inter vesicam & aluum arteriæ ad pubem tendentes, quæ ilia appellantur. Sunt igitur ilia sub præcordiis, & multò infra, dicta ab ile, quæ pars est ventris, gulosis ex animalibus, maximè suibus, grata, cum etiam nunc lumbos vocemus suauissimam carnem illinc ablatam. Præcordia vero dicimus etiam aliquando septũ transuersum, vt ibi exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur: quod Græci phrenas appellant. Quæ igitur statim septotransuerso subtenduntur, præcordia dici debent. Aliquando pro omnibus extis capitur præcordium, vt ab Eodem (lib. 30. cap. 5. in fine.) Verùm præcordia Græcè προκόρδια dicunt, non ὑποχόνδρια: hæc enim subcartilaginea sonant. At ergo hypochondrij nomine, quicquid sub septotransuerso à cartilagine scutiformi, vnde nomen sumpsit, ad vmbilicum tenus appellatur.

Dolor cum subest ad tactum, solum est ex immodica repletione, & obstructione: cum est tensio sine dolore, tum est ex siccitate: cum dolet sine tactu, nec adest pulsus, est ex erysipelate, aut huiusmodi inflammatione: cum adest tumor sine pulsatione cum leui dolore, est œdema: cum adest pulsatio, est abscessus calidus, tunc inspice oculos, si sunt secundum naturam, est abscessus in musculis: si verò adsit motus oculorum & pulsus, tunc erit ex phlegmone in viscere, vt dictum est, profundo, & aderit insania, & eo magis, si præcordium contrahatur, vt superiùs retulimus.

Rursus intelligendum est, quòd delirium duabus ex causis tantum per se fit: vel affecto cerebro, vel neruis, & ideo vel loco, vbi sunt multi nerui, vel vbi magni, vel vbi molles, vel ex febre pestilenti, cum cerebrum prauis vaporibus impletur, per accidens autem in febribus ardentibus magnis ob multitudinem caloris, non prauitatem. Furor autem, qui per μαν ῶναι hic significatur (secundo de causis symptomatum cap. 7.) fit semper à calido: scilicet vel intemperie, vel humore mordaci, vt flaua bile soláque febre à phrenitide differt. Sed hic iam febris supponitur, propterea nomen φρενιτίδις & ipsum adhuc distinguere oporteret: nam alia est ex abscessu calido cerebri, alia ex sola febre, & cerebri caliditate, non ergo satis aptè additur hoc discrimen his, quòd solam sine fructu ambiguitatem affert, nec etiam sic interpretantur Arabes, sed pro solo abscessu. Insania autem latinè, vt apud Celsum libro tertio (cap. 18.) capitur & pro mania, & phrenitide, & melancholia, vt sit nomen commune.

Restat dubitatio pulchra in his, quæ dicta sunt: scilicet an splenis tumor, de quo Hippocrates sæpius verba facit contineatur sub hypochondrij tumore. Et videtur, quòd sic: quia si per hypochondrij tumorem, intelligimus semper dextri, & per splenis tumorem, nõ intelligatur tumor hypochondrij sinistri nullum erit exemplum hypochondrij sinistri solius malè affecti inter omnes illos ægros. Propterea dico, quod Hippocrates, vt dixi, non considerauit tumorem hypochondriorum, nisi in ordine ad membra sub eis contenta, & ob id etiam in sinistro raro contingit, quod præter musculos afficiatur, quin etiam lien afficiatur: quia est sub peritoneo illi adhærens, & est membrum imbecille, & excrementitium, & ideo etiam minus lethale. Ideo etiam subiungit:

PROGNOSTICON XXXIII.

Tumor in præcordio durus si sit, dolorosus: pessimus est quidem si per totum præcordium fuerit: si verò fuerit in altera parte minus periculosus est in sinistra.

COMMENTARIVS.

Vbi Grammatica sensum aperit, & ratio nominis, in ea tunc versari oportunum est, nec malè aut segniter se gerit Galenus: verba hæc, οἴδημα σκληρὸν, significant verè tumorem durum mediocriter renitentem cum sensu, id est, phlegmonem apud Hippocratem: quoniam sua ætate φλεγμὸν, significabat φλογῶσιν, id est, inflammationem absque abscessu, vel etiam tumore, phlegmon ergo in hypochondriis valde malus est, in vno tantum, deterior, in dextra ob iecoris propinquitatem. Ecce vides Galenum hac in parte, quam strenuè interpretem agat: & sanè appositè. Quin etiam historiam de medico ægrotante, & Glaucone narratam quinto

quinto de locis (ca.7.pag.4.) hîc afferre possemus. Sed aliud est phlegmon iecoris, aliud præcordii hoc autem docet, quod antea dixi, per præcordium Hippocratem vtrumque præcordium, sed non insigniter tumidum. Interpres posuit tumorem, œdematis loco, potius interpretationem secutus Galeni, quàm verborum significationem propriam.

Circa intellectum huius loci facit, quòd scribitur sexto Epidemiorũ (Sec.2. Tex.31.) Considerandæ hypochondriorum exceptiones, ex qualibus, ad qualia, atque aliæ: inflammationum item viscera obsidentium, qualia possunt, seu ex iecinore in lienem fiant, seu è contra: & quæcunque talia. Hæc autem inferiùs declarabo in exemplo Peregrini. Nunc adiecisse sufficiat, Hipocratem intellexisse per tumores, non solum eleuatos in ventre, sed occultos etiam; quos medici nostri vocant durities, sine alio substantiuo addito, vel adiectiuo: de quibus dicebat Farnelius cõperisse sæpe esse glandulas, & non vllam visceris partem, quæ scirrhum contraxerit. Sunt autẽ plurimæ in mesareo, & maximè regia, quasi è regione vmbilici, & aliæ à lateribus, & quæ in pyloro. Quòd autem dixerit periculosius esse in dextro, quàm in sinistro latere, rursus habet difficultatem, vnde fluxiones in latere sinistro fiant, cum totum iecur sit in dextra parte: id autem contingere potest duobus modis. Vnus certus est, scilicet, quòd iecur seexonerat in lienẽ, lien post modũ transmittit, & generat fluxionem, & tunc morbi illi sunt diuturniores, sed minùs periculosi: quanquam in morbo laterali ob propinquitatem cordis sit contrarium iudicium Principis (10.3.tract.4.cap.1) generaliter tamen fluxiones à latere dextro celeriùs soluuntur: tum quia locus est calidior ob iecur, & tenuitatem sanguinis, & ob motum, quàm in sinistra. Alia causa non est adeò certa: & est, quòd licet gibba pars iecoris sit tota in latere dextro, tamen ost diuisa, vt etiam spina dorsi nõ tunica aliqua, nec septo: sed ratione motus, cum quo consentit tota pars, & etiam pars iecoris, & maximè propter cor, quòd trahit à latere sinistro venæ, vt sint duo principia à diuersis lateribus, cor & iecur, nec id obstat dictis, cum dictum Hippocratis hîc tantum debeat intelligi de tumore in præcordio, ob propinquitatem iecoris, sicut de morbo laterali in sinistro, ob propinquitatem cordis in cæteris inferius à septo in sinistra minus periculosa, & diuturniora ob splenem superius in acutis periculosiora.

PROGNOSTICON XXXIV.

SIgnificant autem eiusmodi tumores, in principio quidem mortem breui affuturam.

COMMENTARIVS.

HÆc apud me sunt efficaciora argumẽta ad ostendẽdum, quòd Hippocrates per œdema intelligit abscessum calidum, non verum œdema, quàm illa subtilis nominum dissectio. Sed illius imperitiam & maledicentiã in Hippocratem quis non perspiciat? Inquit, nisi viscus aliquod afficiatur, falsum est, quòd mortem significent breui affuturam, namque si in musculis phlegmon fuerit, nisi ob errorem, aut virium ægri imbecillitatẽ, vel phlegmonis egregium tumorem, æger non interibit, hæc sanè vera sunt. Sed in quo reprehendis Hippocratem? quòd dixerit mortem breui affuturam, cum æger sit euasurus? At non vides, egregiè vir, quòd hoc non dicit Hippocrates: sed sermo eius, & modus loquendi est, Inflammatio in præcordiis, si in initio morbi acuti fuerit, mortem affert breui: aut si distulerit, sequentur, quæ in aliis verbis subiicit. Quoniam scilicet abscessus ab initio in acuto morbo præcordij, aut breui occidit, aũt tardè sanatur, atque ita docet non solum exitum morbi, sed causam, & modum exitus. Adde, quòd non illa verba expendit in principio (scilicet morbi) nam Hippocrates cum præsupponat morbum acutum, vult febrem illam pendêre ex tumore, qui si sit musculis, non video quomodo sit pariturus acutam febrem? Atque hoc modo hallucinatur etiam Vega multa ex Galeno secundo (In prœm.) in tertium de Morbis popularibus, & secundo Prorrhitici (Comment. vigesimo primo) adducens, vbi vult febres ex cerebro, & eius membranis pulmone, ac corde, posse appellari malignas: & alia in authoritate dicit, nec in ventriculo, nec septo transuerso, posse dici malignas, sed acutas: & hoc nec semper, inquit, at ex hyppochondriis nequaquam. Verùm, vt par est (licet modum non exquisitè inuenerit (Vega Hippocratem defendit contra Galenum, dicens, de intimis præcordij partibus Hippocratem intellexisse, non exterioribus, cum præsupponat, vt dixi, febrem acutam ex ea inflammatione oriri, quæ nullo modo (dico nullo) citra æquale vitæ discrimen, ac si ex interioribus, exteriori inflammatione potest. Ideo subiecit.

PROGNOSTICON XXXV.

SI verò viginti dies transgrediatur, nec febris cesset, nec considat, tumor ad suppurationem conuertitur.

COMMENTARIVS.

Declarat hoc mentem eius, quod supponit aliquas phlegmonas occidere, aliquos resolui, vel mutari, cum dixit (nec considat tumor.) quasi in multis, vel saltem aliquibus, considat: vel (febris cesset) hos in tumorẽ durum transire, quotiescunque cessauerit, indicat. Aliàs enim declarauimus quatuor esse fines omnium tumorum præter naturam, concoctionem, resolutionem, transmutationem, duritiem, cum ergo in transmutatione, & resolutione tumor cesset, in duritie autem febris,

febris,neutrum autem eorum ceſſauerit, liquidò apparet reliquam eſſe concoctionem. Verum duo ſuperſunt dubia. Vnum, quia ſi ad ſuppurationem verſum eſt phlegmon, febris ceſſare debuit, iuxta illud (2. Aphoriſm. 47.) Dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quàm iam confecto. Secundum, quare non ita poteſt putreſcere, aut etiam ad ſuppurationem verti? nam hos duos modos proponit Galenus prim. de Differentiis febrium (capite 6.) Cui poteſt adiici tertius, qui à Galeno in Commento tangitur, ſcilicet cur in vigeſima die? Dicit hoc docuiſſe in ſecundo, de diebus triticis.

Hæc excuſatio trifariam peccat, vt ab vltimo auſpicemur. Primum, quòd non par eſt, relegare lectorem tam facilè ad totum librum alium perlegendum, niſi in materiis connexis. Secundum, quòd cauſa illa dierum iudicatoriorum à Galeno aſſignata eſt, purum ſomnium, vt in Contradictionibus docui:& eſt cauſa extra artem, & ficta, demum quæ etiam per tot figmenta propoſito non ſatisfacit. Verum hæc paruifacio tertia cauſa eſt, quod etſi fatear vigeſimam diem eſſe iudicatoriam, non tamen hæc eſt iudicatio:& dato,quòd eſſet, & ipſe doceret ibi cauſam, quòd dies vigeſima eſſet iudicatoria, non tamen docet vllo modo, quod in hoc morbo conueniat illa dies. Sunt reges (ita eliguntur apud Sarmatas) ergo ego ero rex:hæc eſt præclara illa doctrina de demonſtratione. Oſtende mihi, cur hi abſceſſus in viginti diebus ſuppurent? quanquam nec hoc omnino ſomniauerit Hippocrates, ne dum dicat. Neque enim quod ille putat, vllo modo vigeſimam ſtatuit ſuppurationis limitem,ſed finem initij: quod & verba illius pòſt, & modus loquendi, & ratio ſimul cum experientia, docent. Propterea dico, quòd rem grauiſſimam, vt leuiſſimam tranſegit, ignorans quanta difficultate ratio huius poſſit haberi. Dico ergo primùm, quòd vigeſimus dies eſt vltimus terminus, qui ab Hippocrate hic ponitur. Et eſt cauſa, quoniam materia dum fluit ad locum aliquem, & eſt in venis, reſoluitur. Sanguis enim perpetuò difflatur in febre, nono methodi (capite 3.) quanto magis concluſus in loco, & donec fluit,non fit ſuppuratio, quia mouetur, & partes etiam variantur: ideo cum morbus ſit acutus, & acutus morbus poſſit differri ad quartumdecimum diem vſque, ſecunda Aphoriſmorum(cap. 23.) ideo vſque ad ſtatum febris poteſt differri initium ſuppurationis, ſuppuratio ergo ad ſummum poteſt differri vſque ad quartamdecimam diem. Cum verò ſanguis incipit putreſcere, tranſit in pus non ante quartam diem, & aliquando differtur, cum calor eſt debilis, vel ratione naturæ, vel ætatis, aut temporis, vſque ad ſeptimam diem: ideo neceſſe eſt, vt in vigeſima ſaltem pars ſit ſuppurata. Et propterea hoc declaratur: & viciſſim declarat duos locos. Vnus ex Galeno in libro de Inæquali intemperie (capite tertio) cur doceat continuè augeri phlegmonem, donec quicquid eſt inane, impleatur, & donec poſſit continere: hoc autem contingit ob materiam, quæ reſoluitur, partim, vt alia loco eius exprimatur in locum, partim quod locus ſit mollis, & ideo magis poſſit tendi: ideo durior locus efficit breue tempus incrementi abſceſſus,mollis autem longum vnde in adenibus,& mammis vix vnquam peruenitur ad finem incrementi phlegmonis, vel alterius abſceſſus.

Alter locus ex Hippocrate in tertio de Fracturis (Tex. 49.) Verum vlcus curare oportet, velut in capitis oſſibus fractis, & frigidi nihil adhibere, & cibos penitus auferre: & ſiquidem amarabile præditus natura fuerit, fauorum cremorem odoratum coctum, aut acetum mulſum dulce, in aquam inſtillato, eóque prouictu vtatur. Si verò amarabile præditus non ſit, aquæ potione vtatur.

Et ſiquidem continua febre laborarit ad quatuordecim dies, vt minimum hoc victu degat: ſi verò ſine febre ſit,ſeptem diebus.

Hic non obſcurum eſt,quod Hippocrates veretur phlegmonis generationem vſque ad quartumdecimum diem, cum febris adeſt, cum non adeſt, ad ſeptimam vſque. Liquet ergo,quanta fuerit difficultas in cauſa huius dicti,quam Galenus nunquam inueniſſet:ſed conatur imponere lectoribus.

De prima autem dico, quod neque generato pure, febrem finiri dixit Hippocrates: neque hic dicit, quòd abſceſſus in ſuppurationem ſit conuerſus Ad ſecundam autem dicitur ſuppuratio ſub vtroque ſenſu. Indicant hoc verba(Tex. 24.) Quæ verò magnæ ſunt,& latæ, & minimè in acutum faſtigiatæ, peſſimæ ſunt, non ergo ſolum de vera ſuppuratione loquitur.

PROGNOSTICON XXXVI.

Contingit autem hic in primo circuitu etiam ſanguinis eruptio è naribus, & valde prodeſt. Verùm interrogare conuenit, an caput doleant? aut hebetem viſum habeant? Si enim horum aliquid fuerit, ad eum locum repit.

COMMENTARIVS.

PRo intellectu huius faciunt, quæ infrà ſcribit in tertio (Ex Galen. diuiſione, Tex. 11.) Capitis dolores magni & continui cum febre, ſiquidem lethalium ſignorum quid acceſſerit, pernicioſi valde ſunt: ſi verò abſque talibus ſignis dolor viginti dies tranſmiſerit, & febris tenuerit, ſanguinis à naribus eruptionem, aut abſceſſum quemdam ad infernas partes expectare oportet, ſed & quandiu dolor recens fuerit, ſimiliter ſanguinis è naribus eruptionem,aut puris eruptionem ſperare conuenit, cùm aliàs, tùm ſi dolor circa tempora, & frontem fuerit. Dicit Galenus, quod hoc contingit in abſceſſibus iecoris, aut lienis, non autem aliarum

aliarum partium. Atque vtinam docuisset modum, nam quod ad venas attinet, satis expedita ratio est: sed quomodo sanguis iam in inflammatione contentus, possit retrocedere, vt qui iam ex venis in concauum membri exierit, hoc erat demonstrandum. Dicebat hoc in secundo Epidemiorum (Sec.5. in Initio) his verbis: Dolorem in infernis partibus magnum surditas soluit: itemque sanguis multus è naribus erumpens, quod etiam est repetitum in libro de Iudicationibus (Pag. 4.) In libro Prorrhiticorum habetur (Pag.6.) Præcordij tensio cum capitis grauitate ac surditate, & quæ ad hęc consequenter diuexant, sanguinis eruptionem significant. Sed Galenus nullam refert causam. In Coacis prædictionibus (Pag.11.) quoque hæc ad literam, vt dici solet, non addita causa, transcripta sunt. Porrò inferiùs (Pag. 13.) ad sententiam hæc adiicit: ex lumborum dolore sanguinis fluxiones largæ fiunt: quibus ex lumborum dolore recursus ad caput, & manus torpidæ, & oris ventriculi dolores, & aurium sonitus, his sanguis largè profluet, sed & alui his deorsum erumpunt, & mens turbata est, vt plurimum. Et iterum (Pagin.12.) Quibus præcordia non mollia, facies sana, non liberantur citra multi sanguinis fluxum è naribus, aut conuulsionem, aut coxendicum dolorem: quibus dolores præcordiorum oris ventriculi epatis partium circa vmbilicum, hi sanguine per aluum egesto seruantur. Illud autem mirum est, quod Galenus in primo (capite 15.) ad Glauconem, inter signa fluxuri sanguinis è naribus præcordia retracta dicit: hæc autem contraria sunt tumidis atque dolentibus. Verum vide, quid dicat tertio de Crisi (capite 11. Pag. vlt.) Proprium verò signum sanguinis fluxuri, scilicet (è naribus) est præcordiorum tensio sine dolore. Si verò præcordia cum dolore extendantur, non fluxum sanguinis futurum, sed aliquam ibi adesse inflammationem significant. At Hippocrates videtur supponere dolorem in præcordiis, & ideo in tertio Epidemiorum (Ordin. in 2. lang.6.) inquit: sublienosus ab initio cum esset sanguis, prima die è sinistra nare erupit. Vnde etiam illud in scopo secundo Epidemiorum (Sec.4. Tex.35.) Splen eleuatus de sinistra nare parum sanguinis aquosi fluxit, euasitque. Et ibidem (Tex.43. & 45.) E directò etiam laterum int ntiones, & splenis eleuationes, è naribus eruptiones. Dico ergo, quòd eleuationes præcordiorum aliæ cum dolore sunt, & aliæ sine, & ex his, quæ sunt cum dolore, aliæ cum pulsu, & significant phlegmonem factum: quæ verò absque pulsu sunt, & dolorem afferunt, hæ propriè in primo circuitu sanguinis eruptionem parêre solent, nondum decumbente abscessu: sin autem dolor non adsit, seriùs faciunt sanguinis eruptionem, si alia signa attestentur. Primum circuitum voco septem dierum. Sunt autem alia signa seriùs futuri profluuij sanguinis, spiratio difficilis: celerius, capitis dolor: præsentis autem, quasi visus obscuritas, & splendores, qui obuersantur coram oculis.

PROGNOSTICON XXXVII.

MAgis tamen in iunioribus quinque ac triginta annis sanguinis eruptionem expectare conuenit.

COMMENTARIVS.

ALludit ad id tertiæ particulæ (Aphorism.27.) Grandioribus autem & iam accedentibus ad pubertatem, ex naribus profluuia sanguinis. Ostendit & hoc, non fuisse homines illius ætatis longioris vitæ, quàm præsentis, licet multa alij fabulentur, siquidem trigesimum quintum annum statuit tanquam iuuentutis finem: ea inætate plurimus sanguis & calidissimus generatur, & parum absumitur, ideo illa ætas ad profluuia sanguinis maximè prona est. Digeritur ex tertia arteria soporali, seu magno ramo, ramulus longus totam narem permeans: tum verò ex iugularibus venis, scilicet interiore exteriorum portione, cum primùm glandulas faucium * tertij generis superarunt ramusque insignis oris partes nutrit: alius insignior etiam per palati foramen ad posteriorem mammillaris processus sedem ascendit: tertius demum in palatum & tunicam narium dispersus, caluariam petit. Hic non possum non admirari iudicium hominis illius, & adeò præstantis, & amicissimi, qui neglectis contemplationibus, aut admodum tactis, obscura, & quæ rarissimè in vsum veniunt, longissimis disputationibus prosequitur. Nam quid quæso aut notius, aut frequentius, aut quod auxilium sæpius exposcat pro genere venoso, quàm fluxus sanguinis narium, aut hæmorrhoidarum? quorum alterum satis perfunctoriè, dico venarum situm, magnitudinem, ortum, reliquum vix omnino attigit. Sed ob id necessarium fuit mihi, vt librum conficerem deconscribendis libris; nam Galenus in hoc non errasset (iudicio enim plurimum præstitit) si nouisset: huic, quem palàm est optimè omnia nouisse, nescio, quid obstiterit.

Per hoc autem præceptum monuit nos de aliis causis, tam naturalibus, vt in temperatura biliosa, & sanguinea, & sexu, velut masculis potius, quàm fœminis: quam etiam præter naturam, vt in vtentibus vino potenti, multis carnibus, & aromatibus: & in regione calida, & sicca, magis quàm contraria: & in tempore æstatis & Veris, magis quàm autumni, vel hyemis: & in exercitatione & arte, vt in venatoribus, & pedibus iter agentibus, militibus cataphractis, um fabris ferrariis.

PROGNOSTICON XXXVIII.

At verò molles tumores, & doloris expertes, & qui digito cedunt, diuturniores efficiunt indicationes, & minori cum periculo ſunt.

COMMENTARIVS.

Opponit ſuo more mollia œdemata, & dolore carentia duris ac doloroſis, de quibus ſuperiùs agit. Tria verò à Galeno proponuntur: quæ vel ſunt explicanda diffuſiùs, ſi vera ſunt: aut confutanda, ſi falſa. Primùm dicit, quòd par eſt longiorem eſſe illius finem, quia concoctio fit à calido, at œdema molle, & doloris expers, fit à pituita, quæ frigida eſt: par ergo eſt, differri coctionem talis tumoris, atque hoc totum verum eſt. Sed cur œdema fit à pituita? quod enim ſit doloris expers, non eſt neceſſe: nam nec ſchirri vllo modo dolent, & fiunt à melancholia, non pituita. Videtur ergo mihi conſentaneum, quòd ita ſermonem diſponat Hippocrates: œdema eſt doloris expers, ideo frigidum: ideo tardæ & difficilis coctionis, non ergo in quantum eſt à pituita, ſed quoniam eſt à materia frigida, ideo ſerò concoquitur, & terminatur. Ac ſi quis vellet referre rationem, cur homo reſpiret, & dicat, quia bipes, non rectè quidem reddet, licet bipes ſit: non enim etſi omnia bipeda reſpirarent, ſufficeret dicere, quia bipes, ſed oporteret, vt ſola bipeda reſpirarent. At œdemata cum ſint expertia doloris, aut valde parui ſenſus, non ideo talia ſunt, quoniam frigida: neque enim omnis intemperies frigida exiguum affert dolorem, & eſt abſceſſus, frigidus neceſſariò eſt, nam calidus ſi eſſet, febres & dolores gigneret, quia breui membrum corrumperet. Accidit autem contrarium frigori, quod calori: calor enim in abſceſſu longè maiorem gignit dolorem, quam ſine, quia vtrumque extendit particulam, & hoc modo vlcus auget: frigus autem aſtringendo dolorem facit, abſceſſus dilatat, ac diſtendit, ob id particula ad mediocritatem redigitur in abſceſſibus frigidis: & ob id parum dolent.

Itaque dolor colicus à frigiditate citra abſceſſum interficit: œdema vix ſentitur. Quia ergo abſceſſus eſt cum exiguo dolore, à frigido eſt: igitur par eſt, vt tardè concoquatur.

Quia verò dolore vacant, Galenus inquit non debilitant vires: ideo ſunt minore cum periculo. Vtinam adieciſſet, & quia ſine febre: magis enim moriuntur ob febrem quàm ob dolorem, quis enim dolor ibi tantus eſt, aut qualam vidit, maximè in præcordiis, qui breui poſſet interficere: at febris ſiccando facit vigilias? propria eſſentia corrumpit humores cordis: prohibet alimentum nutrire, hæc longè maiora mala ſunt, quàm mediocris ille dolor. Sed cur non magis dixerat, quod commune eſt tam febri, quàm dolori ipſi, ſcilicet, quòd attrahant materias, & faciant fluxiones? At dicetis, quorſum ergo addidit, molles: ne de ſcirrho intelligeremus, qui huic propoſito non conducit: ſcirrhum enim fieri in febre acuto inauditum eſt, relinqui, extra propoſitum. Sed neque omnis tumor mollis, & doloris expers œdema eſt: nam huius tumoris in languentibus ſæpe meminit Hippocrates, œdematis in acuta febre non meminit, & eſſet res admirabilis, niſi in fine, at hic non de his, quæ conſequuntur, nunc tractat, ſed potius, ex quibus morbus originem ducit. Et quanquam minus malum hoc dicat, velut de eo, qui in Dealcis horto habitabat tertio Epidemiorum (lang. 3. prim. ord.) Præcordij dextri diſtentio ſubmollis, quique ſeruatus eſt in quadrageſima (lang. 13. ſec. ord.) vt contrà Apollonius ibidem periit, cum dextrum hypochondrium eleuatum haberet cum dolore: Silenus tamen, & qui in Meliboea erat adoleſcens mortui ſunt cum præcordium ſine dolore & ſubmolle haberent. Silenus quidem in ſexta die, ſed adoleſcens ob ætatis robur in vigeſimaquarta: propterea addidit, præcordium vtrinque intentum, ſubmolle, oblongum. Vt obſcurum non ſit, nil minus intelligere hic, quàm œdema à Galeno vocatum, quod eſt abſceſſus mollis, collecta materia, nam ſic vix ad interitum perduceretur æger, niſi ex malo regimine. In homine verò illo, de quo dixit. In primo (lang. 12. prim. Epid.) Præcordij dextri dolor inflammatio ſubmollis ex interna parte: liquet, non omnes molles tumores eſſe doloris expertes. Propterea vtrumque adiecit in Textu.

Sed Galenus dubitat, quia ſi mollis, ergo cur adiicit, ita, vt digito cedat: an forſan intelligit anaſarcam ſeu albam pituitam? ſed quid albæ pituitæ in initio morbi acuti? ſunt enim ſaltem in coniuncta, quæ vna regula continentur, vt tantundem poſſint, quantum ſingulorum vis in vnum coniuncta, dum ſimul aduenerit: ideo de huiuſmodi turpe eſſet vel vulgari medico, ne dum Hippocrati, ſermonem inſtituere. Ergo per molle intelligit, quod digito cedit citra tenſionem euidentem: non molle, quod omnino duritie caret, vt non ſimplicem mollitiem declararet, ſed quæ tanta eſt, vt digito cedat, hic autem eſt abſceſſus ex materia miſta, non aqua, vel flatu. Hæc eſt ſubtilitas, de qua ambigit Galenus, ſed iam vlterius procedamus, inquit enim.

PROGNOSTICON XXXIX.

Si verò tranſgrediatur ſexaginta dies, febriſque detineat, nec tumor conſidet, ſupuratum fore, & hunc, & eum, qui in reliquo ventre, eodem modo.

COMMENTARIVS.

Si calidus ſit abſceſſus, in viginti diebus, febre perſeuerante, ſuppurat: ſi frigidus, in

in sexaginta, scilicet, vt vltra non possit differre, cum febris & signum sit, & causa suppurationis, nam dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quam iam confecto. Febris quoque ipsa humorem ipsum calefaciens, ad suppurationem deducit. Propterea rectè adiectum est, febrisque detineat. Intra hunc terminum clarum est, vel permisto humore, vel media natura, plures abscessus deuenire ad suppurationem, maximè in quadraginta diebus: & non solum in præcordiis, sed etiam in toto ventre. Vnde contingit, non animaduertente medico, obire ægrum, suppurato interius abscessu, & pure corruptis visceribus, vt in Nouariensi quodam patritio Mediolanum delato contingit. Dicebat in Coacis prædictionibus (Pag. 17.) Fiunt abscessus ad infernas partes his, quibus circa præcordia inflammatio fit. Appellat autem infernas partes eas, quæ sunt sub septo transuerso, in comparatione ad pectus, de quo ibi sermo est. Pro hoc etiam facit, quod scribitur infrà, & in Coacis prædictionibus (Pag. 11.) Tumores circa ventrem consimilia significant his, qui sunt in præcordiis: verum minùs suppurant hi, quàm illi, minimè verò, qui sub vmbilico consistunt. Et sunt etiam hi quidem in tunica, illi verò sursum diffusi: læthales autem sunt ex ipsis, quicunque intro rupti fuerint. Per hos & illos intelligit, qui in ventre, quòd minùs suppurant his, qui sunt in præcordiis: sunt enim frigidiore loco. Quin etiam illud addidit (pag. 12.) Post aluum suppressam præcordia eleuata in tumorem, mala sunt: maximè iam diu tabescentibus, & quibus alui humectantur. Et rursus: Durities circa ventrem cum dolore: in febrientibus, si aluo patum humectata purgationem non faciant, ad suppurationem perueniant. Sed & pro his vide quæ scripsimus in septima Aphorismorum (35 & 37.) præcipuè autem in illorum expositione: quibus autem morbo renali laborantibus: & destillationes in ventrem superiorem, in hoc nunc Onnocrotalum imitari, properante penna: nam de his postmodum assumptis denuò dicemus.

PROGNOSTICON XL.

QVicunque igitur tumores dolorosi sunt, & duri, magni, periculum mortis breui affore significant: qui vero molles, & doloris exortes sunt, & digito compressi cedunt, diuturniores illis sunt.

COMMENTARIVS.

REcolligit sententiam, quàm protulerat tribus in verbis, magni, duri, dolorosi. Atque id etiam verum est, si causa fuerit externa, vt quinto Epidemiorum (pag. 12.) Arisippus in supernum ventrem violenter, & grauiter percussus sagittæ ictu, ventris dolor vehemens, & breui ardebat, deorsum verò non egerebat: anxius erat biliosa abundecolorata: cum vomuisset, meliùs habere videbatur: paulo pòst rursus dolores vehementes, & venter velut in voluulis, dolores, sitis, & in septem diebus mortuus est. Habetis duo exempla secundo Epidemiorum (Sec. 2. Tex. 24.) Coi sorori epar eleuatum est splenico modo, mortua est secunda die. Et de splene (Ibidem Tex. 21.) Sanata est veratri potione licya: postremum splen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores, & vena, quæ in splene est, in cubito secabatur, & saliebat quidem sæpe: aliquando verò etiam non est secta, sed vna cum sudore sanguis penetrauit, aut sua sponte, ex quo autem prodibat, splen dextra parte intendebatur, spiritus intus duplicabatur, non tamen magnus: mente mouebatur, contegebatur, flatus inerat, non prodibat infernè quicquam, neque mingebat: mortua est ante partum, liquet eam non potuisse liberari ob fœtum, quem gerebat in vtero. Dictum enim est suprà, quòd à sinistra parte, & propter quid tumores, ac dolores, sint minus periculosi, nam & de Bione inquit: (Ibidem Tex. 25.) Bion multum mingebat, quod non subsidebat: & sanguis ex sinistra nare manabat, erat enim & splen sursum eleuatuss ac durus: superstes mansit recidiua. Sed dices, dextra parte lien intumuit: igitur periculosum, & quomodo Imò tumor in dextro latere periculosior est ob id, quòd vel est ex iecore: vel si sit ex liene, sumus in casu huius textus, quòd oportet tumorem esse valde magnum. Vidimus aliquando extendi eum tumorem vsque ad vmbilici dextram partem, & infrà, adeò vt esse instar tabulæ magnæ quadratæ forma magnitudine, duritie, & æqualitate, sed de hoc in Commentariis actum est: nunc intentum sermonem prosequamur, ostendamusque mentem Hippocratis, quæ se sponte exhibet declarandam.

Magni tumores absque dubio multitudinem materiæ significant: neque enim magnus tumor esse potest, nisi quod in tumore continetur, multum sit, at materiæ multitudo, si mala sit, certum affert exitium: sin autem benigna, laborem multum naturæ affert, & vt plurimum, longitudinem morbi, præcipuè, si tempus frigidum fuerit, & vires imbecillæ, & ipsa materia lenta. Dicebat Hippocrates (2. Aph. 51.) Omnis multitudo est naturæ inimica: quidam verterunt nimium. Adeò verò, quod multum est, naturæ graue est: vt illud de Athletis sit vulgatum (1. Aph. 2.) Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi: Galenus præterea & in libro de Multitudine, & de Bono corporis habitu (cap. 8. & 12) hoc ipsum testatur: vbi etiam illud adducit ex Hippocrate: Si quis repente obmutuerit, venarum interceptiones corpori molestiam afferunt. Illud interest, quod magnus tumor solam multitudinem materiæ significat: durus autem etiam qualitatem illius: & quòd materia etiam sit cruda, aut etiam melancholica, nam cum durus est tumor, si ab initio talis sit, fit à cruditate, & multitudine materiæ: sin autem in processu, à multitudine cruditate, & terrea substantia: nam non potest

potest consequi, & esse durus: ergo si durus, non concoctus, sed mollis fit ob paucitatem materiæ, & humidam substantiam, aut coctionem, quæ semper humectat: nam in coctione frigida incalescunt, congelata dissoluuntur, terrea permiscentur, & comminuuntur. Dolor ergo omnia hæc distinguit: nam duri, qui ex materia melancholica fiunt, doloris sunt expertes: quos vocamus scirrhos, tales autem scilicet, qui sunt dolorosi, à multitudine materiæ, & cum calore putrefaciente fiunt. Hi non sunt abscessus iecoris, aut lienis, vt Galenus putat, & credo raro huiusmodi vidisse: sed est tensio in toto ventre, quando sunt pessimi cum febre valida, & dolore. Dissecui vnum ex his, & inueni inter iecur & septum transuersum materiam multam collectam in parte superiore, & fuit vt aqua quædam corrupta, admistis frustulis saniei similibus pinguedini coagulatæ, & dolor non solum erat ibi, sed in præcordio dextro, credo ob id, quòd pars superior, quæ retrò contegebatur, costis calidior esset, & ob id celeriùs suppurauerat: nihilominus cruda etiam erat sub peritoneo, & credo, quòd in musculis, & etiam ob flatus, communicabatur toti præcordio. Et ideo si quis verba verbis conferat, videbit sententiam non aliam esse, quàm quæ suprà, per hæc verba dicta est (Tex.13. Tumor in præcordio durus si sit dolorosus, pessimus est quidem, si per totum præcordium fuerit: scilicet quia tunc magnus verè dici potest.

De huiusmodi præcordiis tria habetis pulcherrima, vt ita dicam, exempla quarto Epidemiorum (lang.6.) Primum sororis Apemanti filius præcordia habuit magna & intenta, sed fine acuta febre: ideo seruatus. Secundum (pag.5.) Martius lechus puerperæ apud Sirodochum regio morbo infestatus, ad quem septima die ingressus sum, octaua moriebatur, neque egerens, neque mingens: præcordia dura, & magna: & spiritus densus, hic moriens, ne frontem quidem sudore humectauit præ dolore. Tertium est serui in Hippolochi villa, de quo ait (pag.7.) In præcordiis vtrinque, quid collectum, erat durum, & fulgorem aliquantulum habens infernè: qualis erat in fabri ferrarij vxore hydropica. Sed & illud generale & commune ibi: Rigores tremulis præcordij intentio.

Hic non possum silere, quod ex processu vniuerso intelligitur librorum Epidemiorum, scilicet Hippocratem curasse solum pauperes, vixque vllum nobilem: quamuis in senecta fuerit medicus regius, at nunc paruipendunt miseros, & nihil iactant, nisi multitudinem & potentiam ægrorum, quasi idem sit mederi, & benè mederi: & quòd diues à paupere natura differat, cum bonus Hippocrates fermè solos rusticos, & artifices, & seruos curaret, Idololatra cum esset, at nostri christiani, sed solo nomine, ambitiosi, auari, crudeles, maligni, huius vitæ solam curam habentes, pauperes pro pecudibus habent, nec putant illorum mortem eis obesse, vt à Deo pœna exigatur: contemptu autem solo eximunt se à dedecore. Et huius etiam tanti mali author fuit noster Galenus, qui nil vbique iactat, quàm proceres, atque imperatores, cum tum iuuenis esset, vt ambitione, & inani nomine potius, quàm artis peritia ei innotuerit, non negarim egregium fuisse chirurgum, sed physicus iam nondum exercitatus erat. Hoc non in illius inuidiam scripsi, sed vt mores horum temporum coarguerem, qui ea solum in medicis requirunt, quæ minimè, sunt necessaria: nugas, ornatum calliditatem, diuitias, comitatem, atq; multitudinem ægrorum, & eorum potentiam, quin etiam formam, milleque alia importuna, quibus si saperent, illos potius fugerent, quàm sequerentur, at eruditionem artis, bonos mores, & linguam veracem, iudicium, diligentiam, scientiam rerum medico necessariarum, pietatem prædictionum, successus, experimenta sanationum difficilium morborum, intelligentiam mathematicarum, tranquillitatem mentis, amorem gloriæ, quæ ex operibus habetur contemptum aliarum rerum, & voluptatum, desiderium sciendi, nemo est, qui requirat in medico: ergo non vlterius digni pœna, postquam hac electione meritas stultitiæ suæ pœnas iam dent morte sua, suorúmque, & diuturno cruciatu protractorum per longum tempus morborum, præterea syderationum, & debilitatum, quæ post sanationem illis relinquuntur: tum verò impensarum superfluarum, & negociorum interruptorum, & tœdij tot medicamentorum, atque inunctionum, atque emplastrorum frustra adhibitorum, quæ omnia pro supplicio sunt, atque in compensationem paucorum verborum compositorum, & fucatæ peritiæ cum ambitione fastu, & arrogantia: quibus tamen exigunt pœnas sceleratæ vitæ, quam nunc sub optimo nomine, & diuini cultus falsa existimatione mortales ducunt.

Sed redeo ad rem. Subiungit: Qui verò molles, & absque dolore diuturniores illis sunt. Vt doceat, non securos tamen esse, ob loci qualitatem: innuit tamen esse cum minori periculo. Vt in vniuersum concludam, tumores ventris, & si suppurent, & si molles sint, magno periculo non vacant, tametsi parui fuerint: quoniam si intus rumpantur, exitum non habent. Omitto errores, qui non tantum accidere possunt, sed qui solent euenire: quos non considerat Hippocrates, præsupponit enim semper medicum expertissimum, & sapientem.

PROGNOSTICON XLI.

CÆterùm tumores in ventre minùs faciunt abscessum, quam qui sunt in præcordiis: minimè verò hi, qui sub vmbilico consistunt, ad suppurationem conuertuntur.

COMMENTARIVS.

QVoniam quis credere posset, tumores præcordiorum esse vndequaque deteriores reliquis ventris tumoribus: declarat hoc

hoc non esse verum, nisi periculi ratione, nam quod ad difficultatem sanationis, reliqui difficilius sanantur, quia difficilius ad suppurationem veniunt, & eadem ratione etiam resoluuntur: quare difficiliùs, & tardiùs necessariò sanantur. Causa est clara: quia calor ibi minor est, concoctio verò, & resolutio à calore fiunt: ergo tardiùs restituuntur. Cum autem subiungit (Minimè verò hi, qui sub vmbilico) Galenus non animaduertit dictum artificiosè aliter hoc ex præcedentibus manifestum erat. Si quidem tumores ventris difficilius sanantur, quàm præcordiorum, seu suppurant: igitur quantò inferiores magis erunt, eò tardiùs sanabuntur at hoc cum perspicuum esset, quid attinebat per alia verba docere: neque enim occasio deesse potest volenti loqui meliora subiungendi, propterea intendit, quòd magnitudo morbi & contumacia non æqualiter crescit, sed in ventris partibus iuxta præcordia multò minus varietatis accidit ex æquali interuallo, quàm procul à præcordiis: adeo quòd tumores sub præcordiis per duos digitos satis, & bene, ac celeriter suppurant, at sub vmbilico interuallum digiti magnam efficit varietatem, adeo vt vix vnquam suppurent, qui prope imum ventris sunt. Hanc sententiam Celsus transtulit in suum opus, fermè ad verbum (lib. 2. cap. 7. Sed & sexto Epidemiorum (Par. 2. Tex. 41.) Suppurationum vmbilicus terminus est: quibus autem rumpi suppurationes debent, ventres his turbantur.

PROGNOSTICON XLII.

SAnguinis verò eruptionem ex supernis locis maximé expectare oportet.

COMMENTARIVS.

LOcus hic humanarum rerum, tum negociorum, quandam refert imaginem, vt si quis animaduertat, videatur magna difficultas, cum nulla sit: nam verbum illud (magis ex supernis locis) non ad sanguinis eruptionem, sed ad tumores, qui sub vmbilico consistunt, vt sit sensus: Sed & sanguinis eruptiones magis expectare oportet in tumoribus, qui sunt in præcordiis, quàm in inferioribus partibus: scilicet vt ostendat hoc vnum, quòd tumores, qui in imo ventris sunt difficillimè sanantur: nam neque suppurant, neque resoluuntur sponte, nec per sanguinis eruptionem. Nam authorum præcepta debent in vnum finem tendere, vt sint ex arte. Dices ergo, innuit esse insanabiles, cum nulla via pateat? Dicam, quòd viderim magna pars horum transmutatur ad crura, & post longum tempus cura arthritidis liberantur: plurimis durescit tumor, & bona cura adhibita sanantur: quidam morbo aquæ inter cutem pereunt. Sed & alium sensum Galenus innuit, vt intelligamus, quamuis tumor in parte inferiore sit, nihilominus sanguinem etiam in illo, magis ex superiore parte, id est, naribus erumpere solere, quàm inferioribus, veluti vtero, vel hemorrhoidibus.

PROGNOSTICON XLIII.

OMnium autem tumorum diuturnorum circa hos locos suppurationes considerare conuenit.

COMMENTARIVS.

CVm docuisset huiusmodi tumores ad suppuratione͂ verti solere, ostẽdit quomodo considerandæ sint duas rationes: adiiciens primam, cum nondum erumpunt: secundam, cum eruperint iam. Sed antequam ad hæc, deueniam ad distinctionem tumorum, qui in toto ventre percipiuntur. Pessimi ergo sunt duri magni in præcordiis cum dolore vehementi profundi, ex quibus homo magnam anxietatem patitur, hi enim vel in vna die enecare solent. Pòst sunt, qui anxietate illa carent: cætera autem habent. Occidunt enim paulò tardiùs: sed & ipsi sine spe sunt. Post quos sunt dolorosi magni cum anxietate, sed citra duritiem, qui breui tempore perimunt, sed omnino non sunt sine aliqua spe. Qui verò magni sunt, & duri, vitam protrahunt, præsertim à latere sinistro, sed absque spe salutis. Post hos sunt magni dolorosi non profundi (ideo sine anxietate) molles, qui celeriter perimunt: sed tamen etiam possunt euadere. Post hos sunt magni duri, sed sine dolore in partibus ventris inferioribus qui serò perimunt: nonnunquam etiam, licet rarò, curantur, nam qui cum dolore sunt, citò perimunt, non tamen adeò, vt superiores: & ob id nec tantam anxietatem pariunt. Apparent plerunque in malis & deploratis coli doloribus, interficiuntque tertia die. Sed superiorum magni valde, duri autem & dolorosi mediocriter familiares febribus, flatus & vaporis imaginem præbent: ex his multi pereunt, aliqui, sed pauci, seruantur, nonnullis ad suppurationem vertitur. Rarò autem suppurat tumor magnus in superiore parte: quia si collectus, durus, & ideo interficit ante suppurationem: si non collectus, non potest suppurare. Durus, paruus, tunc, cum non sit cum dolore, deterior in dextro latere, quàm sinistro, & maximè profundus, non tamen in sinistro latere est prorsus insanabilis paruus: & dolorosus profundus est inter spem, & metum magnum, non profundus, inter metum, & magnam spem. Magnus solum citra dolorem, & duritiem in acuta febre, non est contemnendus, si albus sit: nam ostendit albam pituitam ruber erysipelas, sed cum maiore spe, in inferiore magnus semper valde malus. Vbi enim durities non adsit, nec dolor, semper est deterior, si sit collectus: si non collectus, longè minus malus. In vniuersum ergo cum sint quatuor: dolor, durities, magnitudo, & locus, dolor semper facit periculosiorem morbum: durities magis insanabilem: magnitudo collecta vtrumque facit, non tamen adeò

periculum

periculum auget, vt dolor, nec sanationis difficultatem, vt durities: locus ad periculum si facit, facit & ad spem, ac celeritatem sanationis: si ad tarditatem faciat, securiorem etiam morbum ostendit.

Nunc ergo de suppuratione agendum est, si memineris illius Aphorismi (6. Par. 39.) Quibuscunque suppuratio in corpore facta non innotescit, iis ob loci crassitudinem non innotescit. Ergo primum est, an sit vel non sit: nam laborant in hoc non parum medici, etiam periti, & nonnunquam diffident. Solent autem præcedere dolor ac febris, iuxta dictum secundæ particulæ (47.) dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quàm iam confecto, secundum signum est mollities, tertium, inundatio: & ponuntur à Paulo (lib. 4. cap 18. in fine) quartum est Principis (3. 4. Tract. 1. cap. 29.) vbi etiam docet, quomodo inundationem explorare debeamus pluribus digitis, vt vno compresso, sub alio percipiatur motus: idque vicissim tangimus ergo quatuor digitis totum locum premimúsque partes: modò minimo, modò indice pollicis, raro vsus est.

Signum igitur quartum est permutatio coloris cutis ad splendorem quendam, & albedinem, parte circumuicina rubra, aut ad rubrum, in medio partis candidæ. Duo reliqua signa Pauli, tumor scilicet fastigiatus in mucronem, & cutis, quæ in vertice auellitur, propria sunt phlegmoni suppurato. Præterea est pondus in loco, & pruritus etiam plerunque. Diximus autem & de hoc in septima particula Aphorismorum (22.)

Secundum dubium est, an suppuratio sit planè absoluta an non, dum perfecta? hoc idem eadem habet signa, sed exquisitiora, quæ primum, nam vbi perfecta sit in toto abscessu, & inundatio est maior & locus mollior, & cutis splendidior, & febris, & dolor prorsus fermè cessant, quorum loco pruritus solet vrgere, & cutis fit rubicundior, aut candidior: & si ex abscessu, fit separatio cutis à parte, & tumor magis in acutum tendit, sed tamen subsidet.

Tertium dubium est, an debeamus incîdere, & quo tempore: nam in ventre oportet statim, vbi puris signum apparet, secare cutim, ne intus penetret, dicebat Albucasis (libro 2. capite 40.) quòd in duobus casibus oportet præuenire perfectam suppurationem, cum abscessus est in articulis: nam si expectaueris tempus perfectæ suppurationis, corrumpuntur ligamenta, & euenient mala symptomata, & cum fuerit in membro propinquo principali: nam erit periculum de vita, sed ego addo tertium in hoc casu, cum fuerit iuxta cauitatem, in qua continentur membra vitæ necessaria: nec illa habuerit exitum, nam vbi periculum non est, ne penetret, si maior pars ad suppurationem antea deueniat, melius est primum, quia minùs debilitatur æger, iam sublatis febre, atque dolore: secundum, quòd reliquum meliùs, ac celeriùs concoquatur: tertium, quòd pars ipsa exquisitiùs expurgatur: quartum, quòd celeriùs sanescit: quintum, quòd periculum effugiat, transeundi in fistulam, sunt & alia commoda minora.

Dubium quartum est de natura suppurationis, & loci, de quibus agit in sequentibus.

PROGNOSTICON XLIV.

SVnt autem suppurationes, quæ in huiusmodi locis eueniunt, hoc modo considerandæ. Quæcunque extra vertuntur, potimæ sunt, quæ paruæ sunt, & quam maximè forâs eminentes, & in acutum fastigiatæ: quæ verò magnæ sunt, & latæ, & minimè in acutum fastigiatæ, pessimæ.

COMMENTARIVS.

POnit duplicem differentiam: vnam, nondum rupto abscessu, alteram, rupto iam, rupti tria indicia, à magnitudine, à figura, à loco, à loco intus, extra: à magnitudine, magnum & paruum: à figura, fastigiatum & planum. Verùm non est hic sensus genuinus Hippocratis, quanquam Galenus & ipse illi subscribat. Sed videtur Hippocrates rursus earum suppurationem quæ nondum eruperunt in duas distinxisse, scilicet quæ forâs, & quæ intrò vertuntur, non apponens, quæ sit deterior (quanquam non negarim eas, quæ forâs tendunt, esse securiores) sed quæ forâs vertuntur, duo signa esse optima: vt paruæ sint, & vt fastigiatæ, seu in acutum tendentes: vt contrà magnas & latas pessimas.

De his verò, quæ intùs tendunt, & franguntur, non eadem, sed alia signa ponit, vt luce manifestius fit, distinctionem intrò & forâs, non esse signi, sed specierum. Vt sit sensus: Suppurationum aliæ forâs tendunt, aliæ intrò rumpuntur, quæ forâs tendunt, aliæ sunt optimæ, quæ scilicet paruæ sunt, & in acutum terminantur: contrariæ verò pessimæ. Assumpsit ergo differentias illas, tanquam genere quasi diuersas, vt notissimum præsupponens, quòd quæ forâs tendunt, sunt multò leuiores intùs ruptis, cum enim hoc notissimum esset, non laborat in docendo, sed transit ad difficiliora: namque meritò aliquis dubitare posset, ne fastigiatæ essent peiores, quòd in acutum tendant, & biliosam magis naturam testentur, & calorem acriorem. Galenus adducit causam in Commento fastigij suppurationis robur facultatis propellentis longius: & quoniam sic minus corrumpitur de particula.

Hanc sententiam ponit Hippocrates sexto Epidemiorum (Par. prim. Tex. 14.) Princeps tertia quarti (Tract. 1. c. 20.) eam sic declarat. Acumen prouenit ex materiæ caliditate, & ideo celerius resoluitur, aut concoquitur, & erumpitur.

Dico, ne quis decipiatur in hoc ex parua experientia, quòd Hippocrates loquitur hic de his, qui sanantur: nam in pestilentibus persæpe accidit, vt quanto magis in acutum tendant, vt celeriùs interficiant: sicut etiam de diebus creticis, qui magis interficiunt, quàm reliqui dies.

De magnitudine,& paruitate causa est conspicua,cum contingat ex multa materia aut pauca , nã in magnis fiunt dolores,& febres magnæ:& cum rumpuntur,fit resolutio magna Virium,& vlcus magnum , quòd tardè sanatur , hæc omnia incommoda sunt in magnis suppurationibus,quæ absũt à paruis.

At cur intrò tendunt, aut forâs abscessus, assignat Galenus tres causas,prima est locus, in quem confluit materia intra,vel extra peritoneum:secunda est materia crassa,& lenta, vel tenuis,& fluida:tertia est , vt coerceatur intra aliquam membranulam , vt non possit prodire forâs.Causæ etiam suppurationis sũt virium & caloris robur, & febris continua De hoc tamen dicto,quòd non est Galeni,est dubitatio:meliùs esset , vt diceremus caloris magnitudinem,& materiæ mediocritatem,& exactam mistionem , nam tenuis resoluitur: crassa nimis durescit & similiter,si pars tenuis à crassa sit seiuncta,vtrumque enim accidit, scilicet,vt pars tenuis resoluatur,& crassa durescat.

PROGNOSTICON XXXXV.

QVæcunque verò intrò rumpuntur, optimè sunt, quæ nihil cum externo loco communicant , sed sunt contractæ , & absque dolore , & totus externus locus concolor appareт.

COMMENTARIVS.

HOc est secundum membrum primæ diuisionis , in quo Hippocrates proponit de internis suppurationibus , proponens tria signa:sed Galenus hîc toto cœlo aberrat, quoniam non perfectè intellexit mentem Hippocratis, quæ si non perfectè intelligatur, etiam imperfectè non potest intelligi, nã sẽsus Hippoc. est,quòd per eas,quæ foris prominẽt,omnes ventris intelligat,quæ sunt supra abdomen:quæ autem interiùs rumpuntur,omnes Profundas,& intra abdomen, in quibus considerat hoc,vt ruptio fiat ad locum vasorum,scilicet intestinorum,aut venarum, & non in cauitatem, quæ est inter intestina , & abdomen , vbi saniei nullus exitus patet.

Hæc igitur sunt, quòd non communicent cum exteriore loco:nam si in illud spacium incidat sanies,fieri non potest,quin communicent cum loco exteriore : similiter inficietur cutis è regione , non erit ergo concolor, pus quoque seu sanies dolorem efficiet, exitum non habens : sed & doloris absentia significat pus esse bonum non saniem. Ex hoc apparet,cur Hippocrates non comparauerit eruptionem interiorem exteriori: nam loquitur de diuersis abscessuum generibus,scilicet quæ sunt supra abdomen in substantia illa musculorum cutis membranæ, & pinguedinis:& infrà scilicet intra peritoneũ, velut in mesaræo,vel intestinis,aut liene,vel aliis membris.

Neque verum est,quòd Galenus somniat de ruptione,simul intùs , & extrà:est enim somnium,& contingit , quia non exercuit medicinam , neque enim illud euenit, nisi vel arte,vtpote rupto iam intus abscessu , si perforetur à medico:vel ob malam curam, cum exterius rupto iterum,rumpitur interius quia non bene expurgatur sanies.

Sed dices:At si ex ventre exteriore rumpatur interius:nam hoc euenit.Fateor .Sed Hippocrates proponit euidentissima,& contraria mista relinquit æstimanda iudicio. Etenim in hoc casu dicemus, quòd oportebit curam bonam adhibere , & non relinquere , naturæ , proprium enim huiusmodi abscessuum est, vt rumpantur exteriùs: ergo si interiùs rumpantur,exteriùs erunt secandi.

Optima ergo eruptio erit exteriorum forâs:secunda interiorum intrò,id est,ad meatum tertia exteriorum intrò:de qua Celsus libro secundo capite octauo) E suppurationibus hæ pessimæ sunt,quæ intùs tendunt, ita vt exteriorem quoque cutim decolerent, quarta interiorum forâs,quæ pessima est,cũ nec à natura, nec ab arte auxilium habeant. Vides quàm facilis sit expositio hæc, & tamen vtilior ad opus.Quia verò in exteriore rupta exteriùs apparet pus sub digitis,in interiore intùs rupta,per excrementa , scilicet alui vel vrinarũ,ideo subdit,quale pus ipsum esse debeat.

PROGNOSTICON XLVI.

AT verò pus optimum est , si est album , & æquale , & leue ,& quam minimè graue olens , quod verò huic contrarium pessim u m est

COMMENTARIVS.

DEclarat pus optimum ex quatuor conditionibus,vt pessimum,etiam ex ombus oppositis.Ex his vnam pulchrè declarat Galenus:in vna rursus aberrat omnino : de reliquis duabus ne verbum quidem. Quòd enim pus minimè fœtidum esse debeat,clarissimè & verissimè causam docuit:nam putredo efficit prauum ,& tetrum odorem : & vice versa, odor fœtidus putredinis est indicium,ideo in pestilentibus morbis solent fœtidissima apparere excrementa.Cum ergo calor naturalis,& præter naturam agentia sint naturalia , nunquam ab actione cessant in subiectam materiam : vtroque ergo pariter agente,& eum,qui præter naturam est,adiuuat motus,& anima mundi segregans , imò ipsa natura elementorum, quæ ad loca propria redire cupit,& eum , qui est secundum naturam,anima nutrix,vt ergo alter vicerit, apparent signa ex naturali,candor,æqualitas partium,leuitas , odor non teter:ex putrido, quia separet , inæqualitas , iam enim partes

tenue:

tenues à crassis diuelli incipiunt, fœtor horbirilis, si plurimũ dominetur, asperitas quædam, quæ prouenit ob partium exteriorum inæqualitatem, & color malus, flauus aut viridis, vel croceus, vel cæruleus, aut niger.

Quandoque neuter calorum dominatur: & tunc non fætet, sed est liuidus, & concretus humor satis æqualis in quibusdam partibus, in aliis contrà.

Fieri autem non potest, vt hic tertius modus cum aliis duobus, cum quibus pugnat, conueniat, magis possunt illi inter se: & tũc fit pus album satis æquale, & leue, sed nõ omnino, & aliqualiter malè olens, citóque morbus terminatur ad bonum, seu malum: nonnunquam etiam tardè, cum alioqui corpus sanum extiterit.

Habes igitur causas odoris, & æqualitatis, ac leuitatis. Puris nomen apud latinos propriè dicitur de bono pure, vt apud Celsum (lib. quinto capite decimosexto) Sed & à multis, & cõmune nomen, ad saniem etiam. Eadem difficultas est de sanie latinè, quæ dicitur etiam de crasso liquore, quod non potest poni pro ichore. ἰχὼρ enim de tenui tantum dicitur: quarto de Victu in Acutis (comment. prin.) & secundo de partibus Animaliũ (capit. quart.) ideo pro ichore transferri debet sanies tenuis. Sed hæc difficultas est in verbis, nunc de candore.

Galenus eandem vult esse causam candoris in pure, quæ etiam in sedimentis vrinarum, scilicet naturam membrorum, quibus contenta & concocta intus assimilantur. Ideo quanto candidus, tantò melius pus: attestatur enim meliori coctioni membrorum solidorum, neque tamen absolutè candidum pus euadere potest, cum color solidorum non sit absolutè, nec ipse candidus, quod etiam in semine videmus. Sed tamen dicit, semen purius est, ideoque etiam pure candidius, cui semper aliquid sanguinis incocti admistum est.

Sed non rectè: nam in abscessibus iecoris & renum apparet pus candissimum, cum tamen horum substantia sit rubra. Et si dicas, quòd in eis sunt venæ, dico, quòd illæ primũ sunt longæ obscurioris coloris is quàm pus, ideo non possunt ipsum dealbare, præterea actio fit à carne iecoris, vt ipse Galenus (quarto de Vsu partium capite duodecimo) testatur, non à venis, & illa habet calorem non venæ, & ob id sanguis fit ruber: ergo non venæ ipsæ.

Accedit, quòd cum in generatione seminis & lactis natura effecerit carnes glandosas albas, & tamen pus est candidius semine, lacte autem non: ideo aberrat in experimento. Præterea si actio ista fieret à solitis, caro in vulneribus alba generaretur: at generatur rubra, nam quæ est maior ratio vnius, quàm alterius, cum quo ad calorem membrorum sit vnus: Deinde mucor est albus, & non fit à vi eius quod corrumpitur, sed à colore externo; igitur causa candoris in pure non est color membrorum. In carne etiam musculorum cùm putrescit cum omnibus suis partibus, & concoctio procedit, nihil est, quod possit dealbare, aut valde exiguum pro portione partis rubræ: præsertim, quòd reliquæ partes sunt frigidiores carne. Propterea cùm videamus hanc albedinem prouenire vbique, & tamen à putredine concocta, existimandum est, quòd sit causa modus putredinis: & est mirabile, nam durum omnino est, suppurationem fieri, vbi solum est caro rubra, nec quisquam album videtur, & si sit aliquid: totum autem pus esse candidissimum. Deinde cum putrescit, quid efficiet calor ille, præter naturam: Dico ergo, quòd albitudo illa fit calore naturali prædominatæ putrido calori: & ideo significat salutẽ. Causæ autẽ propria est, quia à duplici calore subagitatus sanguis in quandam spumam transit, & äere impletur, quoniam continet: quoniam calor naturalis vincit, ideo miscet, ideoque fit lentum & corporatum pus, vt aërem possit continere: nam si præter naturalis calor dominetur, dissoluitur mistio, nec aër magis quàm in aqua potest retineri, & fit sanies fluida, liquidaque cuius argumento est sedimen in vrina, quod cum fiat in membris magis seminis naturæ conuenientibus, vt pote in venis, nihilominus est minus candidum pure. Galenus autem dicit, quòd tale sedimentum fit in iecore ex excremento seu cruditate secundæ coctionis: de qua aliàs.

HIPPOCRATIS Liber secundus.

PROGNOSTICON I.

AQuæ porrò inter cutem ex acutis morbis obortæ omnes malæ sunt. Neque enim à febre liberant, & valde dolorosæ sunt, ac lethales. Incipiunt autem pleræque à laterum mollitudine, & à lumbis: quædam verò etiam ab epate.

COMMENTARIVS.

AE' sitne porrò, seu autem conuertas, non laboro, modò intelligas, aliud esse genus morbi similis abscessibus, eandem habentibus, ventrem scilicet. Sed hæ semper malæ, idest, valde malæ: nam omnis aqua intercus mala est. At cum morbi aliqui morbos firmant, vt suprà de abscessibus, quibus febres terminantur, aqua intercus non est eiusmodi: ideo per crisis modum fieri nequit. Cum verò symptomatum propriorum tria genera esse docuerimus & in hoc, & in præcedenti sermone, dum de abscessibus agit, quarti meminit non propriè symptomatis, sed morbi vocati: vt abscessus, & aqua intercus. Comparat autem talia, licet sint non ex genere morborum acutorum, sed potius diuturni morbi ad acutos morbos, cum absurdum minimè sit, morbi acuti symptoma esse ex diuturnorum genere. Itaque & de quartanis etiam agit sub hoc titulo, tenus tamen. Et hoc est, quod Galenus insinuat: scilicet Hippocratem

tractare in hoc lib. de acutis morbis tãtũ:aut si de diuturnis,vt acutos sequuntur.In græco textu iacet, ἀπὸ τ̃ κενεώνων, id est potius ab inani parte,quàm mollitudine,constat sanè, illam esse,vbi lumbi nullum os præterea admittant:estque,vt Galenus docet,spacium ab vltima costa ad femoris ossa , hucusque rectè : reliquorum nihil intellexit. Proponit Hippocrates duo genera hydropis:seu aquæ intercus siccam,quæ fit à visceribus,& incipit à lumbis,& in ea solent accidere dolores, iuxta illud(quart. Aphorism.vndecim.(Quibus tormina,& circa vmbilicum dolores,& lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluitur, his in hydropem siccã firmatur:alteram humidam,quæ fit à iecore, de quibus dicemus in sequenti.Neque ignoro Galenum quarto de Victu in Acutis(Coment.10.) posuisse tria hydropis genera iuxta tria genera fluidorum,non calidorum:scilicet pituitam,ex qua leucophlegmatia, seu alba pituita:aquam.ex qua ascites:& aërem, ex quo tympanites,at duæ harũ in loco cõueniũt,tympanites,& ascites, cũ locum inter abdomẽ,ac omemum, & intestina occupent: leucophlegmatia totum corpus exterius,præcipuè autem crura , cum flatu tamen illo in tympanite semper aquæ modicum subest:secus ex flatu ibi intercepto,quod sæpe accidit,hydropicus homo fieret, sed non fit,quia non manet:non manet,quia aqua putris nõ subest.Conueniunt omnes in hoc , quod ex imbecilli,ac deprauata coctione fiunt tympanites primæ, Ascites secundæ, leucophlegmatia tertiæ.Hippocrates autem de his tractat,non quòd acuti morbi sint, sed quòd ad acutos morbos sæpe, & per se consequantur non enim de omnibus.

PROGNOSTICON II & III.

QVibus ergo à laterum inani , & lumbis principia fiunt, his & pedes intumescunt , &. alui profluuia diuturna illos tenent, quæ neque dolores ex laterum inani, ac lumbis soluunt, neque ventrem molliunt.Quibuscunque verò ab epate aquæ intercutem oboriuntur, his tusses,tussiendique cupiditas accedit, & nihil , de quo sit curandum , expuunt : & pedes tument : & venter non egerit nisi dura , & coactus:& circa aluum fiunt tumores , aliqui in dextra , aliqui in sinistra parte,tum consistentes,tum considentes.

COMMENTARIVS.

PVlcherrimam tractationem , & Medicinæ,vt ita dicam partem præcipuam Galenus inuoluit:non animaduertens primum non in epatica,sed in inani,quæ flatuosa est, dolores adesse.Sed neque in tympanite intestina replẽtur spiritu flatuoso.prius enim disrumperentur,quàm possent ventrem in tantam molem attollere. Præterea dolores illi admodum sæui essent:nam pars neruosa,tametsi neruis veris non abundet, velut ventriculus.& intestina,& vterus,maximis doloribus distenta discruciatur.vt contrà carnea, ossea,cartilaginea,& pinguedine obsita,vix sentiunt dolores,etiam si magna causa ingruat:flatus præterea in viis illis , quæ exitum habent tam manifestum , nunquam hydropem creant.

Vnde sapienter Princeps caput scripsit in tertia decima tertij(Tract.5.cap.prim.de Inflatione ventriculi distinctum prorsus ab omni genere hydropis , & hic est secundus error.Deinde omittit plurima necessaria,atque scitu iucunda circa hanc declarationem: quale illud primum,quod in omni hydrope necesse est vitari functionem iecoris, & tamen non vitiari necesse est facultatem,cum necesse sit functionem iecoris vitiari , nam hydrops est morbus vniuersalis toti corpori frigidus,& humidus, contrarius ad vnguem febri:& sicut febris non potest fieri à iecore, quia iecur non potest adeò calescere , dum vita est,vt fiat febris:ita hydrops non potest fieri à corde,quia non potest adeò refrigerari,dum homo viuit,vt fiat hydrops,cum ergo hydrops sit morbus vniuersalis,& non possit fieri à corde,necesse est,vt fiat à iecore: quia,vt declaratum est à nobis in libro Artis medendi(pag.1.) paruæ duo sunt tantum principia totius corporis, cor & iecur:cerebrum enim est solum instrumentum , vel si vis sequi falsam viam Galeni,dices,quòd solũ ista duo influũt supra corpus,quod & ipse tamẽ testatus est libro Artis medicæ(cap.50. & etiã quia solũ hæc mẽbra nutriũt corpus: vnum per sanguinem venalem imperfectum, aliud per sanguinem arterialẽ,& perfectum. Ergo necesse est,in omni hydrope vera vitiatam esse functionem iecoris, non tamen semper facultatem ostendo:quia si quis comederet herbas agrestes crudas,& fœnum,& legumina cruda,diceremus functionem ventriculi esse vitiatam saltem respectu obiecti, id est alimenti , quia alimentum non esset concoctum : imò ventriculus possit esse exquisitè sanus,& tamen functio esse vitiata,& si quis dicat,quod læsio operationis est morbus:dico,quod istud facit pro me : primum, quia non est verum,cum læsio operationis sit symptoma, non morbus:& etiam causa lædens operationem,non est morbus,nisi sit à principio in homine,seu corporeo,seu animali:quanquam medici velint, vt sola corporea causa possit dici morbus. Ad propositum ergo redeundo : cum iecur non concoquit vitio membrorum anteriorum , veluti ventriculi,& intestinorum,vitiatur functio, & non facultas:& ideo morbus non est in iecore,sed in intestinis , vel in ventriculo, vel lactibus,seu mesaræo:non potest esse ergo morbus,nisi facultas sit vitiata, nam tametsi ex vngula nata in oculo vitiato visu, id est functione citra omnem læsionem principalioris instrumenti,quod supponimus esse humorem crystoloidem, tamen dicemus,

facultatem oculi non ſolam functionem eſſe læſam: quia facultas ocul non ſolum conſtat in cryſtolloide, ſed in omnibus partibus ipſius oculi: & ideo erit morbus oculi verè, quia oculi facultas eſt læſa, ſed non dicemus quòd morbus ſit in chryſtolloide nec quòd chryſtolloides ægrotet: quia facultas illius humoris nō eſt vitiata, propterea Hippocrates, quamuis poſuerit commune ſignum læſionis functionis in iecore, ſcilicet inflationem pedum, tamen dixit, vnam hydropem eſſe ex iecore, aliam ex inani, & lumbis: indicans, quòd non poſſit eſſe morbus, niſi eſſet læſa facultas: & quòd non ſufficit functio læſa ad morbi generationem, ſed neceſſaria eſt facultatis læſio.

Quartum, quod prætermittitur etiam à Galeno, & quod magnam dedit anſam medicis aberrandi in curatione hydropis, eſt id, de quo ſæpe dixi, quòd omnis hydrops fit à cauſa calida, ſaltem aſcites, & tympanites, omitto modò hypoſaream, nam hoc apparet ex textu Hippocratis: ponit enim vtramque hydropem ſequi ad morbos acutos: ergo ad cauſam calidam, & ſiccam, iſtud argumentū demonſtrat de vniuerſali hydrope. Verùm reſpondebunt, quòd de aliis non ita eſt, quia poſſunt fieri à cauſa frigida, vt ex fluxu ventris diuturno, vel ex abundantia pituitæ, & humoris crudi: & quia dicerent, quod iam confiteor, quòd morbus ſit frigidus, ergo non ſemper fiet à cauſa contraria, morbo ſcilicet à caliditate, præterea, quia fit à frigiditate caloris innati per ſe primò: ſed illa poteſt prouenire à cauſa frigida, vel ſaltem non calida, vt labore nimio, decubitu ſuper terram, potu aquæ frigidæ, multitudine pituitæ, & ſimilibus. Et dico ad hæc, quòd in hydrope videmus ſitim: & quòd ſitis eſt indicium caloris vel ſiccitatis: & medicus debet credere euidentibus ſignis potius, quàm rationibus perſuaſiuis, vel à priori, ergo debet credere, quòd hydrops ſit à caliditate, vel ſiccitate, vel vtroque, & ſi dicas, quòd eſt aliqua hydrops, maximè tympanies, prorſus ſine ſiti, reſpondebo, quòd de illa, ſi ita ſit, non litigabo: ſed hoc rariſſimè accidit, ſecundò, quoniam in curatione illius ſitis dabóne ego calida, & vinum, ſicut quidam ſtolidi medici faciunt? ergo oportebit occurrere cum refrigerantibus, & humectantibus: igitur cura fiet tanquam de morbo à cauſa calida. Quinimo cū animaduertiſſent caupones maximè hoc morbo corripi ob vini meri, quam hauriunt, copiam, quod etiam teſtatur Ariſtoteles (Ter. proble. 5.) curam adhibui cum frigidis, & omnes, quos ſuſcepi curandos, curaui, & hoc argumentum, ſiquis non omnino impius eſt, & natus ad prodendum amicos, & humanum genus, concludere debet, quoniam non certatur de ambitione, ſed hominum ſalute, idque præcipuè, quoniam neque Græci referunt ſua cura ægros ſanari, quinimo vix vnum inter innumeros euaſiſſe teſtantur: neque experimentum docet, quòd aliqui illa ſua via ſanentur, nos autem frigidis aperientibus paucis, & coctis cibis diu, ſanamus omnes. Sed vt ad rē redeam, veſtiarij etiam plures ob vigiliam, & quietem in hunc morbum incidunt: & quotquot ex his multa carne, & vino vtuntur. Tertiò, quia videmus, quòd in magna frigiditate iecoris homo non peruenit ad hydropem, ſed ad fluxum vrinæ, ad inappetentiam, & malum colorem, & morbos frigidos alios, ergo hydrops non fit ſimpliciter à frigiditate iecoris: & ſimiliter in maximis effuſionibus ſanguinis, quæ contingunt per vulnera, nemo fit hydropicus, cum ſit ibi ſumma perfrigeratio iecoris: ſed ſolum in fluxu hemorrhoidarum, vel menſium ob corruptionē ſanguinis, præterea imbecillitas caloris naturalis iam non eſt cauſa per ſe primò ſola hydropis, vt demonſtratum eſt: ergo oportet, vt coniungatur ei alia cauſa, ſed cum illa iam ex conceſſis ſit aliquando intemperies calida præter naturam: ergo non poterit eſſe intemperies frigida, quia ab eodem principio, & diuerſis inſtrumentis, nunquam poteſt prouenire eadem actio, & idem effectus, nam diuerſitas inſtrumenti comparata ad idē agens eſt cauſa propria diuerſitatis effectuum. Propterea ex imbecillitate renum contingit hydrops: ſed hæc fit corrupto ſanguine, non refrigerato, quia vrina eſt potius calida, quam frigida, aut ſaltem non eſt frigida purè, ſicut apparet ex affectibus: nam reſoluit flatus & eſt falſa & acuta, ergo cauſa hydropis eſt potius putredo quædam, & caliditas, quàm intemperies frigida, diſſecta etiam corpora hydropicorum habent pinguedinem iecoris non plumbei coloris, ſed crocei potius & flaui, & ferruginei, qui atteſtantur ſuper caliditatem potius, quàm frigiditatem, & ſi frigiditas eſſet cauſa huius, magis iuuarentur à cibis calidis ſaltem leuibus, quàm paucis, & incorruptis. Sed experimentum, & authoritates docent oppoſitum: nam ab aromatibus omnes per ſe læduntur, quamuis aliqui prouocata vrina iuuentur, & à malis punicis, & lacte camelarum, quoniam refrigerant, & corruptioni maximè reſiſtunt: tametſi non prouocent, neque vrinas, neque aluum, tamen omnes iuuātur. Demum ſi vigeat ſola intemperies frigida generabitur ſāguinis minus, & plus aquæ: nam ſi totus ſanguis fieret aquoſus, non nutriretur corpus: ſed vbi multiplicetur aquea pars, illam trahunt venæ, & poſt renes, aut per ſudorem expellitur, & ideo ſumus in caſu de multitudine vrinæ, de quo nunquam dictum eſt à Principe, nec viſum eſt, quòd conuertatur in hydropem: imò hydrops nunquam incipit ab vrinæ multitudine, ſed à paucitate potius ſemper, quare hydrops fiet vel à calida iecoris intemperie, vel ab impedimento in renibus, & nunquam à frigiditate. Ex quo patet, quòd euacuatio aquæ per aluum, & magis etiam per emplaſtra eſt fucata, & ad oſtentationem, cum aqua minuatur non cauſa hydropis, & coclearum, emplaſtrum minus malum: quod à Paulo laudatur, ſed non in loco proprio, verùm in ſeptimo (libro tertio, capite quadrageſimooctauo) ſed ſolum in aſciti: ergo mala omnia emplaſtra ſi non reſoluant aquam, cum in cauſam addant: Peiora, quæ calida ſunt, & poteſtate, & actu: peſſima & omnino pernicioſa in tympanite, quia viſcera inflament, etiam ſi frigida ſint & frigida imponantur, & prohibeant flatus exitum, cum veteris ſubſtantiam cogant

cogant, & inspissent. Neque cibi calidi conueniunt, nisi quoniam qui tales sunt, medicamenta potius sunt, & tenuis substantiæ, & vrinam prolicientia. Sed si modò educentia per aluum conueniunt, optimum est saccharum haser, id est, manna cum decocto mirabolanorum citrinorum dicit Rasis (19. conten. cap. 2. fol. 190. col. 4.) at ego addidi emblicos, & syrupum rosaceum cum rore collectarum.

Hæc volui adiecisse opportuno loco, quia medici omnes solent occidere nostra ætate, cum tamen ab initio omnes fermè possent sanari: nã curãt ipsos calidis & siccis: deinde quod deterius est, perueniũt ad lactirim, seu mezereon Arabũ, quæ meritò vocatur herba faciens viduas, & nutriunt carne contusa, vt verè sint interfectores eorum, nam primum auget causam morbi secundam: seu instrumentum: secundum est venenum, & debilitat membra naturalia propriè, cum causa huius morbi prima semper sit imbecillitas membrorum naturalium: adeò vt qui semel, aut bis sumpserint catapotia illa postmodũ, etiam quòd bene curentur, non possunt sanari: tertium auget corruptionem, & est difficillimæ coctionis, & obstruit, ergo cura propria est potius in refrigerantibus iecur, & ipsum, ac renes confirmantibus, & vrinam prouocantibus, & indicium rectæ curationis est vrinæ attenuatio, multitudo, & coloris bonitas cum fame, & diminutione sitis, & notandum, quòd rarò ascites fit absque tympanite: qnoniam si calor est validus, portio humoris tenuis, in flatum conuertitur, vt Auerroes tertio collectaneorum (cap. vigesimoprim. inquit: vt contrà ex tympani aëre inspissato colligitur aqua, vt Aetius (lib. 10. cap. 20.) Ideo rarissimè simplex genus earum inuenitur.

Venio ergo ad declarationem textus, proponit Hippocrates in primo genere signum commune: quia cum sit vnus morbus, oportet, vt habeat vnam causam communem, scilicet imbecillitatem functionis iecoris, quæ maximè apparet ex signo inflationis pedum ob duas causas, prima, quia natura transmittit humores crudos magis ad pedes: quia omne graue tendit deorsum, secunda, quia calor ibi est imbecillis: nam illa membra sunt remotissima à fontibus caloris, & quòd magis refert, ex aduerso posita, quia calor semper ascendit: sicut videmus in lebete feruente, cuius aqua in imo, si non agitetur, est frigida. Ergo ex imbecillitate caloris alimentum transit in substantiam aqueam, & non in membrum, & fit œdema, seu alba pituita potius & hoc est primum signum & commune vtrique hydropi, & conueniunt in vno genere: sicut morbus dicitur vnus, scilicet hydrops, ascites & tympanites, quia conueniunt in essentia vna, quæ est tumor totius corporis, sed præcipue ventris. Secun dum est sumptum à conrrariis: quia diuisio in diuersas species, vt Boetius author est, debet esse per contraria: harum autem hydropum vna est aquea, altera flatuosa: vna est à iecore, altera à lactibus & loco inani, ergo oportet, vt habeant signa contraria: & sunt, quòd prima est cum fluxu ventris, & secunda est cum aluo astricta. Tertium est propriũ vnicuique: & est, quòd prima est cum dolore ventris secunda verò loco eius comprehendit duo, tussim siccam & tumores in ventre, modò consistentes, & modò considentes, vnde manifestum est, quòd per tumores illos non intelligit inflationem ventris quæ est communis morbus nam si debet esse hydrops oportet, vt adsit tumor ventris perpetuus, aliter non esset morbus lethalis, quibus enim modò tumescit venter, modò dissoluitur, hi non dicuntur pati hydropem, sed potius inflationem ventris. Cum ergo non intelligat de tumore cõmuni hydropis, necesse est, vt intelligat de proprio: & propterea dixit, modò dextra, modò sinistra, etiã ad distinguẽdũ à tumore cõmuni, seu proprio hydropis, qui nõ solũ considet, sed etiã est æqualis in toto ventre, quantum ad dextrum & sinistrum, quamuis sit diuersus ratione partium, superioris & inferioris, in tympanite enim magis tument partes superiores, & in ascite inferiores: in tympanite etiam magis tumet pars media ventris, & resonat ad tactum sicut tympanum, & non sentitur grauitas: in ascite autem magis latera implentur, si homo maneat supinus, & adest grauitas, & non resonat venter, sed loco eius sentitur rugitus in conuersione de latere ad latus, & ideo in ascite variat tumor iuxta decubitum super latus, scilicet super quod decumbit, inflatio maior apparet: in tympanite autem, vt dixi, non fit variatio manifesta in decubitu, sed in ascite, cum fuerit plenus venter valde, tunc magis tumet in medio, & tales vix vnquam sanantur, & sunt similes tympaniticis: sed sunt valde graues, & non resonat venter valde, si percutiatur: & tunc superuenit tussis, quæ etiam superuenit ab initio in ea ascite, quæ fit ex morbo acuto, & ideo dictum illud (6. Aph. 34.) aqua intercute laborantibus, si tussis superueniat, lethale est, verum est de ascite, non facta ex morbo acuto, quòd super veniat: nam in facta ex morbo acuto apparet statim ab initio, quod ad prognosticum tamen attinet, in vtroque verum est, scilicet quòd sit lethalis, nam si non sit ex morbo acuto, significat incrementum maximum morbi: si ex morbo acuto, est per se lethalis. Itaque docet in prima, quòd cũ sint duo morbi, scilicet tumor, & dolor, per fluxũ alui vterque debet alleuari euacuata scilicet, materia: at cum non alleuietur, signum est certum mortis. Circa quod notandum, quòd naturæ effectus triplices sunt, alij quidẽ sunt alieni: & tales non significant neque salutem neque mortem, sed sunt medij, sicut est horror, dolor, sitis, vigilia, & similia alij, qui fiunt cum euacuatione: & hi deberent alleuiare morbum, si ergo alleuiant, boni sunt, etiam, si essent symptomatici: si non alleuiant, sunt praui, & per viam signi, & per viam causæ, per viam signi, quia significant naturam nõ rectè operari, sed coactam à vi morbi, atque ideo superatam: secundò, quia bifariam defatigatur, & expellendo, & vtile educendo sine vtilitate aliqua. Ergo talia eueniunt in primo genere hydropis propter abscessum in ieiuno intestino, vel lactibus, seu mesaræo, tussis verò illa aduenit propter corruptionem

in iecore

in iecore,& tumorem durum,cuius cauſa colligitur à Galeno quinto de Locis(capite ſeptimo)& aſtringitur aluus propter ſiccitatem iecoris,quæ non eſt ſine reliquiis caliditatis putridæ derelictæ à febre,quamuis,vt plurimum, etiam febriant : ſicut in prima ſpecie fluor,alui contingit,quoniam quod trahitur à iecore, non ſolum non eſt concoctum,ſed etiam corruptum eſt ob abſceſſum loci vicini,& cum iecur ſatis bene ſe habeat,expellit quod attraxit;eſt enim vna regula generalis:Quòd cum membrum eſt robuſtum,& quod trahitur,eſt vitioſum,ſemper expellitur,& in iecore ob multitudinem eius, quod trahitur,efficit ſpeciem fluxus ventris,& ſi dicas, ex quo nutritur interim ? dico , quòd mauult nutriri ex ſanguine iam confecto ſatis bono,licet vetuſto,quàm ex recenti ſucco adeo deprauato.Cauſa autem,cur modò illi tumores conſiſtant,modò conſideant,eſt; quoniam ſtante tumore iam aſcitidis,& aluo aſtricta augentur cruditates in viſceribus,& flatus etiam,qui reſoluuntur partim à calore naturali,partim præter naturam,hoc autem accidit in ſanis,ſed in his fit diſſolutio,antequam pariant tumorem:in aſciticis ob impedimentum morbi eleuant partes epigaſtrij,& poſtmodum ſubſident,quicunque ſũt à flatu,vel materia tenui,qui verè craſſa conſiſtunt.

Venio ad explicationem quarundam partium textus.Inquit.Tuſſes cupiditaſque ipſis ineſt. Galenus quinto de Locis(cap.6.& 7.) docet,inflammationem iecoris excitare tuſſim , tuſſiendique cupiditatem. Et licet , quæ in caua eſt iecoris,minus trahat ſeptum tranſuerſum ad ſe, minuſque illud offendat, & intemperie afficiat , attamen & illa ſaltem tuſſiendi cupiditatem gignit. Quòd ſi tumor durus hoc non efficit (nam hydropicis tuſſis non eſſet aſſidens ſignum ſed pathognomicum) contra Aphoriſmum (6.Par. 35. Perſpicuum eſt, tuſſim tam potius ob intemperiem affecti iecoris, quàm pondus tumoris excitari. Pedes autem intumeſcere,ſignum eſt affecti iecinoris, nam œdema rarò vtrumque ſimul pedem inuadit , quòd ratò ambo pedes ſimul caſu lædantur : verum hydrops non ex abſceſſu ſolum iecoris primario , ſed etiam perſæpe pulmonis accidit.

Dicam autem egregium exemplum,quod contigit , vt hodie viderem , dum hæc ſcribo VII. ſcilicet Idus ſeptembris anni M.D.LXVI.& vt intelligant medici,quantum fallantur in dignotione morborum interiorum membrorum , quod etiam teſtatur Hippocrates: & quantum proſit ſectio corporum illorum,qui ex morbis obiere:quantumque prodeſſe poſſit optima cura. Ægrotabat iam menſibus* ferè medicus , & artis eiuſdem profeſſor,Ioann. baptiſta Peregrinus Bononienſis,vir ſtudioſiſſimus , & probus admodum,ætatis annorum XLVIII. totus habitus melancholici,timidus,tardus,niger,macilentus,pauci cibi,& potus moderatus,vxorem habens forſan iuniorem , quàm, illius temperatura,& curæ expoſcerent,cum quinque filijs:res domeſtica tenuis, & difficultates multæ.Igitur ab initio intumuit venter,aduocauit medicum celebrem,qui ratus, eſſe,vt erat,aſcitem,fomenta calida exterius multa applicuit, & quæ deiicerent aquam exhibuit , inde calidas compoſitiones , tantumque diatrion pipereon , piperiſque vt affirmauerint , ad libras duas aſcendiſſe, à quibus parum , vt referebant , aut nihil leuatus eſt. Demum quaſi ſpontè poſt* menſes , anno iam ad vnguem exacto , ſcilicet VIII. Idus anni M. D. LXV. (mortuus eſt enim heri (cœpit deiicere humores crudos , & aquam multam per aluum per dieſque multos , & ita detumuit venter : ſurrexit , & per hyemem ambulabat cum baculo tamen , & per domum tantum , durus tumor videbatur eſſe in dextro hypochondrio , & ipſe non ſe erigere poterat, trahebatur deorſum,quaſi vinculo intus , & difficulter ſpirabat. Vere autem,& ſpiratio facta eſt deterior, & tenſio loci augebatur: ſentiebatque dum ſe verteret , quaſi pondus in præcordiis transferri ex dextra parte in ſiniſtram, & febris intendebatur , rurſus ergo coactus eſt decumbere, & auxilia illa calida , & vnguenta emollientia experiri , atque ita per totam æſtatem è malo in peius decidendo curabatur. Fortefortuna etiam aduenit & alius medicus ex Epidauro , qui & ipſe,cum celebris eſſet, conatus eſt afferre opem , ſed parum , aut nihil profecit: nam prior curationem deſeruerat. Fortefortuna cum , vt mutuò peterem , quædam commentaria illum adiiſſem , inueni febricitantem continua febre , pulſum magnum velocem , & frequentem , modò durum , modò ſatis mollem : inuadebat eum febris circa meridiem modò cum frigore alternis ſcilicet diebus , modò erat exacerbatio tantum , ſomni penè nulli, appetitus cibi conſtans,difficultas ſpirandi magna,præcordia palpitabant , & dextrum ſatis tenſum erat. Medicus ille alter curabat illum,vt hecticum.Ego cum interrogarer,non habebam quid dicerem,ſed curam alterius probabam: paulo pòſt dixi exiſtimare,quòd eſſet obſtructio magna in meſaræo , hecticum autem non credebam eſſe,pòſt quadraginta autem dies , & fuit circa menſis Auguſti medium (nam ab hac ſententia circiter viginti dies ſuperuixit)dixi apertè, me morbum tenere; non eſſe vllo pacto ſcirrhum in iecore, nec vllo membrorum naturalium,ſed fore morbum totum fermè principaliterque in pulmone:eſſeque œdema,& ſuffocatum iri.Itaque curam aggreſſus,nihil profeci,ſed Paulo pòſt ab ea ſtrangulatus eſt.Rogatum igitur, vt diſſecarem,acceſſi cum Germano Anatomico egregio , & qui artem profitebatur. Folcherio , & diſſecuimus : nec in muſculo partis dextræ,nec in iecore,nec in vllo viſcerũ inferiorum inuentus eſt ſcirrhus, nec aliquid duri, ſolum iecur languidioris coloris,& dilutioris, ſcilicet albedinem tendentis , conſpeximus , verùm ipſum non ſolis vinculis tranſuerſis,vt in cæteris hominibus, annexum erat ſeptotranſuerſo , ſed eidem fermè totum per alia vincula connexum erat , vt tota illa pars eidem iungeretur : ſimiliter & ventriculus ipſe connexus erat per ligamenta , præter naturam , ipſi ſepto rurſus

rursus pulmo totus ima parte eodem modo per vincula iunctus erat eidem septo-transuerso vndique, & circumcirca membranæ costas succingenti antè, retrò, & à lateribus, quod etiam dicebat ipse Folcherius obseruasse in aliis multis, qui præsertim ex phtisi obierant, erat præterea pulmo maximus, vt penè totum pectus occuparet, & pericardio annexum: plenus autem totus scirrhis, ac vesicis aqua plenis hæc fuit constitutio, causa autem symptomatis manifesta: iecur & ventriculus, & maximè à cibo trahebant deorsum septumtransuersum., cui fermè tota substantia, quæ ad illud respiciebat, iuncta erant: ipsum verò septum eadem ratione pulmones, cum quibus vngebantur, vnde grauitas illa & spirandi difficultas: quàm augebat coniunctio pulmonis vndequaque cum pleura, vt constringi non posset, nec dilatari probè. Vnde illa imago hecticæ, sed cum pulsus magnitudine, quia hecticus non erat. Mirum, cur non videretur contractio maior, vt suppleret defectum contractionis pulmonis: sed oportuit pulsum multum eleuari, quia pectus à septo grauato, atque ideo pulmo, delatari non poterant: tum etiam, vt posset maiore interuallo deprimi, ac constringi. Vincula autem illa omnia præter naturam facta erant ex humido resudante ex vesicis illis siccato à calore immodico: & quia per motum difficilem membrum membro diu adhærebat.

PROGNOSTICON IV. V. VI.

Caput autem & manus, & pedes, si frigida sint, malum est, vbi & venter, & latera calida sint, optimum verò est, & totum corpus æqualiter calidum esse, ac molle.

COMMENTARIVS.

INcipit signa tradere sumpta à toto corpore, & proponit quatuor: à labore, & frigore: à grauitate, & leuitate: à calore, & conuulsione. Neque ignorare oportet signum sumptum à calore, esse maximè proprium, quoniam febris est calor: & ideo in febre acuta necesse est totum corpus calere merito febris, & vehementer, quòd si non caleat, contingit, non ob febrem, sed vel naturam, vel causam morbi, vel ob consequentiæ febrem, neque enim aliud est, quod efficere hoc possit, natura quidem, vt si sit valde senex, temperaturæ frigidioris, & si tempus anni frigidum sit, vt si vir proceræ staturæ sit, ac macilentus: neque idem est cum eo, quod dixit quarta Aphorismorum (Comment. 48.) In febribus non intermittentibus si partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & sitim habeat, lethale est. Nam primum ibi loquitur de omni non intermittente, hîc verò de acutis tantum, omnis acuta est non intermittens: non omnis non intermittens acuta est; quales sunt longæ febres, & mites, & variæ, quæ subsiliunt, deinde in Aphorismo vult, quòd exteriores partes sint frigidæ: hîc tria extrema, pedes, manus, caput, quantum autem intersit inter extrema, & exteriores partes, abundè perspicuum est. Tertium discrimen est, quoniam in Aphorismo præsupponitur, quod interiora vrantur. Quartum, quòd sitiat, quorum neutrum hic præsupponitur, sedet in prædictione, plurimum interest, illic enim dicit malum est, illi lethale. Ergo seu natura hoc contingat, seu ex causa, velut in leipyriis, cum phlegmon intus est, corrumpitur verò sanguis in extremitatibus, non quod contrahatur, hoc enim est absurdum seu pituita vitrea in causa sit, seu ex effectu, scilicet, vt dixi, corrupto sanguine, & resoluto spiritu, omnimo malum signum est. In heptalis, vt dicebat Galenus secundo de Differentiis febrium (cap.6.) accenditur pituita vitrea, & exteriora calent, & interiora frigent, & omnino partes diuersæ sunt, per quas fluit sudor frigidus, & quæ calent, secundum Galenum (Par.4. Comment. 37.) quod etiam dixit Paulus libro secundo (cap.20.) & recitatum est à Principe prima quarti (Tract.2. c.41.) est ergo hepyala contraria leipyriæ. Dico igitur, quòd non est absurdum in eiusmodi febribus, quòd refrigerentur extrema, & costæ incalescant, quæ sunt propinquæ cordi, & iecori, sed difficultas est, quòd non sunt morbi acuti: & de pedibus quidem, & manibus clara est ratio, at de capite dubitandum esset, cum ibi sint plurimæ venæ, & arteriæ, vtinam verò Galenus hoc explicasset. Verùm dico, quòd talis refrigeratio contigit ob vehementem contractionem sanguinis ad pectus: secùs, deberet incalescere, quia proprium est caloris, vt ascendat.

Dixit autem (ventre, & lateribus calentibus) quia in annotationibus febrium continuarum, quales sunt hemitritæi, refrigerantur extrema, & tamen euadunt: hæc est expositio Galeni, at non dicit Hippocrates, quòd sit lethalis, sed quòd malum, hemitritæi autem omnes mali sunt, & difficilis sanationis, non ergo propter illos id adiecit, aut accessiones in febribus continuis, cum omnia hæc mala sint, sed vel propter illud dictum (4. Aphorism. 58.) A febre ardente, habito rigore superueniente, fit solutio. Quomodo enim potest esse malum, quod soluit morbum, vel potius ob causam generalem? siquidem cum mediæ partes iusto calidiores sunt, calor contractus esse non potest: ergo si extrema frigent, erit imminutus, at hoc est malum per se: ergo dictum Hippocratis est manifestum. Quod verò subiungit ex contrario, optimum esse, quòd corpus totum sit æqualiter calidum, opposuit vtrique parti, siquidem totum ei, quod dixit de extremis: deinde, quòd neque thorax, neque venter calidiores sint, neque extrema frigidiora, nam in febribus ardentibus æqualiter non incalescit corpus, licet totum incalescat: sed in initiis magis venter, & pectus circa finem exacerbationum, magis pedes, & manus, quàm mediæ partes per æquale, igitur exclusit, quòd pectus sit calidius, aut venter, extremitatibus, posset enim totum corpus esse calidum,

calidum, nec tamen æqualiter: adiecit verò (molle) ne caliditas illa sit exuberans, molle enim dicimus, vt opponitur duro, & vt opponitur aspero: & aspero quidem bifariam, secundum substantiam, & vt acri, in hoc vltimo sensu molle oportere esse ait, id est, non aridum, neque mordax. An verò hoc signum sit deterius in adolescēte, quàm in sene: dico, quòd vbi malè significet, est deterius in sene, quia celeriùs moritur: sed non est adeò generale in illis, sicut in adolescentibus. Ideo talia semper hoc modo sunt distinguenda.

PROGNOSTICON VII.

Conuerti autem conuenit facilè ægrotum, & in attollendo facilem esse, si verò grauis esse videatur, & reliquo corpore, & manibus, & pedibus, magis periculosum est.

COMMENTARIVS.

Nota est admodum expositio huius textus: nam sumit signum à facultate animali, prout ad totum corpus comparatur. Circa quod notandum, quòd in corpore nostro sunt tres facultates manifestè distinctæ. Vitalis & pulsatilis cuius vis apparet in cerebro: Naturalis, cuius est generare, nutrire, & augere, eique subseruiunt attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix: & Animalis, quæ in cerebro manifesta redditur: & ea est triplex, sensus, motus, & hegemonica, seu rectrix. Hic ergo de motrice agit: & est clara sententia, nisi verbi magis, hoc enim comparatiuum & ad aliquid referri debet: Galenus hoc prætermittit, non ergo vult, quòd conuerti ægrum facilè, sit bonum, sed necessarium: adeò vt sententia hæc sit: Conuerti ægrum oportet facilè, non quòd hoc sit bonum, sed necessarium: si autem non facilè conuertatur, hoc est magis periculosum, quoniam conuerti facilè ægrum non est sibi per se bonum, sed potest esse cum periculo. Vnde notandum est, quòd quædam sunt signa semper bona, quædam semper mala, quædam, quæ si adsint, non sunt bona, si non adsint, tamen mala sunt, velut signa à facultate naturali semper bona sunt, quia faciunt ad coctiones, & ad conseruationem corporis: quædam semper mala, vt conuulsio, dolor. Sunt enim præter naturam & magnitudo morbi & causæ, & symptomatum, & signa horum: at quædam sunt signa, quæ non sunt bona, contraria tamen sunt mala: velut signa sumpta à facultate animali, hæc enim non sunt bona, quoniam ea facultas non facit ad coctionem materiæ morbi: si tamen adsint signa imbecillitatis eius, tunc est signum malum, quia functio illius, vt pote respiratio, est necessaria vitæ. Hìc, nisi omnino es lapis, & molaris, cogeris dicere, Galenum non intellexisse verè mentem Hippocrat sed per explicationes cōmunes transisse pulcherrimam partem præceptorum eius intactum derelinquendo. Velut & illud, quòd homo naturaliter, dum sanus est, triplum etiam ponderis sui corporis vertere potest: cum ergo nec seipsum vertere possit, dodrante magis se ipso imbecillior factus est, vnde vix fieri potest, vt seruetur, nisi morbus sit peculiaris eius partis.

PROGNOSTICON VIII. & IX.

Si verò supra grauitatem vnguas, & digiti liuidi fiant, mors è vestigio expectanda est, at si digiti ac pedes penitus nigrescunt, minus perniciosi sunt, quàm liuidi. Verum & alia signa considerare oportet, si enim facilè ferre videatur, malum, & aliud quoddam ex salutaribus ad hæc signa subindicet, morbum ad abcessum verti, spes est, ita vt æger quidem superstes mansurus sit, corporis verò partes nigrè factæ casuræ.

COMMENTARIVS.

Liuor in digitis, seu pedum, seu manuum quod est deterius: sed non distinxit Hippocrates, quoniam nil morte deterius est præcipuè festina; interitum declarat imminentem. Dixerat etiam hoc de liuido in vlceribus superiùs, vt nisi adiiceret, quòd niger color est minus malus, hæc sufficere possent, nunc verò, cum id subiiciat, causam addere opere precium est: tum maximè, quod Galenus, vt omnia alia ardua, prætermittit, intentus in redarguendo Hippocratem, quod dixerit ἧσσον ὀχέθριον, cum & vsu sit fueritque semper, vt non solum ad quantitatem perniciosi periculi, sed numerum periclitantium referatur, talia multa circa verba cum insectetur, quid aliud est indicium, quàm defuisse, quod circa res diceret? inopiáque illarum laborasse? sanè, quòd liuidus color extinctionis facultatis vitalis, aut naturalis signum sit, satis notum est experientia. Sed neque cur hoc, neque cuius harum facultatem, nec etiam cur non à sanguine corrupto is color apparere possit (præsertim cum in verberatis, seu statim, seu post vnam diem, seu post plures inspicias, manifestus sit,) non est mihi hoc adeo perspicuum: forsan Galeno, id tam apertum fuerit, vt docere neglexerit, quem admodum & multa alia. Propterea non illius studiosis, sed aliis, qui crassiore sunt minerua, hæc ipsa scribimus. Igitur cum albitudo fiat à putredine, vt docebat Philosophus in quarto de Generatione Animalium (cap. 4.) nigrities autem & à frigore & à calore, vt ibidem, & quinto collectaneorum etiam Auerroes docet (cap. 6.) liuidus autem color mistus sit ex albo pauco, & multo nigro: ob id liuidus color & semper malus, & deterior nigro. Et primum quidem hoc ipsum non solum ad Hippocratis intellectum, sed etiam ad rem ipsam est necessarium, ostendens Galenum hac in parte non rectè sentire, cum liuidus color nigro deterior sit,

ſit. Vnde ſuperiùs non vlcera nigra, ſed liuida, vel pallida, damnat:quod in vtriſque, & putredinis, & caloris, vel frigoris dominantis indicia extent. In horum conſenſum eſt, quod ſcribitur nona particula problematum(capite 14. rupta venula ſub cute, in verberatis liuidum colorem oſtendit: ſanguis enim ille temporis tractu niger efficitur, & ſub candida cute liuorem oſtendit.

Duorum igitur problematum quæſtionem diſſolutam habemus, ſcilicet cur lethale ſignum ſit liuor extremorum, & cur magis, quam color niger? At non id perſpicuum eſt quod queritur tertio loco, ſiquidem cur non à ſanguine effuſo ex venis contingere poſſit? atque ita neque valde lethale erit, neque etiam lethale prorſus: præſertim cum dicat Alexander Aphrodiſienſis prima problematum(capite 43.)dum querit, cur ſummis frigoribus digiti,& omnino extrema corporis, nigreſcant, & decidant? rectè docet cauſam, quæ facit ad eorum,quæ hic vltimo proponuntur ab Hippocrate, declarationem, & confirmationem: ſcilicet, quòd præ frigore in extremis & digitis, vbi parum viget calor,deſerit ſuperficiem, primùm ipſius loci, & intra contrahitur: & primùm fit liuida particula:deinde vbi perierit calor,etiam nigra:facultas autem ipſa, quæ vitæ ſuper eſt in con termina particula ſeparat,quod emortuum eſt,ab eo,quod viuit: atque ita, quod nigrefactum eſt, decidit, vt plenè pateat, quod ab Hippocrate proponitur. Sed, vt dixi,ex vno capite hidrælerneæ præciſo,duo conſurgunt, ſcilicet,cur non poſſit in morbo fieri, vt ex frigore, vel ictu corrupto ſanguine, color liuidus citra mortis ſignificationem? deinde cur, ſi dolor liuidus mortem ſignificat, & ille tractu temporis conuertatur in nigrum, niger non magis ſignificet mortem,ac celerius impendentem? Supererat & illud, vt dixi, iam ex primis quæſitis, ſcilicet cur non magis hoc accidens poſſit eſſe naturalis facultatis, quam vitalis? ergo nequid deſit priſtinæ tractationi, pulchrè caſum extremorum ob frigus Alexander comparauit caſui filiorum. in hyeme: quoniam exiguo ambo hæc ſecundum comparationem cum calore prædita ſint, etiam pariter ſummis frigoribus affecta,excidunt. Sed in his cum frigus externum aut ictus cauſa ſit,in morbis neutrum horum neceſſe eſt vt fiat, extincto calore innato exui morbi: at iam debilitata facultate adeò animali, vt vix, vel non omnino corpus mouere poſſit, ſimul quoque extincto innato calore ob morbum, atque ideo non in ſolis extremis, ſed in vniuerſo corpore mortem continuò inſtare neceſſe eſt, palàm eſt igitur, cur non ex frigore,vel ictu mors expectanda ſit,quoniam in particula illa duntaxat extinctus eſt calor,in morbo mors ſit expectanda prorſus, quia calor vbique ſit extinctus. Videndum nunc, cur, ſi liuidus ſignificat mortem, & tractu temporis conuertitur in nigrum, niger non magis ſignificet:aut ſi niger non ſignificat ſemper, cur liuidus, qui eſt via ad nigrum? Dicimus ergo,liuidum magis ſignificare mortem,quàm nigrum, cumque non nigrum verti,quoniam ab extinctione caloris cum putredine fiat,cuius exemplum pulchrum habetis in Philiſco tertio ſuper primum Epidemiorum (Tex.18.) in quo, cum extremæ partes liueſcerent in quinta, mortuus eſt ſexta in meridie: vt hic pronunciat Hippocrates.Vbi cum Galenus quærat cauſas mortis, & ſigna alia,adducit minus valida, hoc certiſſimum ex Hippocrate prætermittit. Sed minus iam mirum eſt, quod eſt conſuetum, ſolum ſupereſt, quod difficillimum eſt, ſcilicet vt doceamus, an liuor ſit proprium facultatis vitalis extinctæ, vt Galenus affirmat,an naturalis, an vtriuſque:idque doceamus ex ipſomet Galeno, neque enim melius quicquam eſſe reor, quàm authorem quemuis per ſua dicta ac principia, teſtimoniáque interpretari. Dicebat ergo quartodecimo Methodi de Eryſipelatæ(capite 3.)iam inueterato loquens: Quomodo ergo non ſit contrarius affectui calido frigidus, quemadmodum qui flauo, aut pallido calore eſt,is, qui nigro ſit,aut liuido? Vbi videtur ſentire,liuidum à frigido ſemper fieri, quemadmodum & nigrum, ſed non eſt ita intelligendus, ſed vbi per refrigerantia immutatum ſit,quod flauum eſt, aut pallidum, liuidum aut nigrum euadit, hoc in caſu non ab extinctione caloris innati,ſed etiam præternaturalis liuidus color contingere poteſt, ſed hoc non eſt merito morbi vniuerſalis, qualis eſt febris,ſed, vt dixi, morbi proprij, de quo nunc ſermo non eſt apud Hippocratem, contingere poteſt. Iam non ergo ſolius caloris vitalis, vel naturalis, ſed etiam externi,& alieni extinctione,tam niger, quàm liuidus color poteſt euadere. Sed & in aliam cauſam liuoris infrà Galenus adducit,ſuper illis verbis(3.Prognoſ.34.) Pueris conuulſio accidit,ſi febris acuta fuerit, nec aluus deiiciat,vigilent,paueant, lugeant, coloremque mutent in viridem,liuidum,aut rubrum.Vbi Galenus exponens inquit:Color viridis, aut liuidus humorem ſignificat prauum,ſicut ruber ſanguinem bonum. Idem in ſecundo de fracturis hæc habet tam multa,& quaſi ſine ſenſu,cum dicit(Com.32.)Sanguis in terram effuſus aliquando diutius permanet,aliquando flauior euadit, aliquando in nigricantem conuertitur, quandoque etiam niger prorſus fit:quod ei contingere veriſimile eſt,cum ex aëre ambiente, qui vel ſerenus,vel caliginoſus,vel humidus, vel ſiccus, vel calidus, vel frigidus cum ſit, varietates eas colorum efficit: tum ex ſingulorum hominum natura potiſſimum diuerſitatis huius cauſa exiſtit, quippe cum nonnullis ſanguis magis melancholicus ſit,aliis pituitoſior, & aquoſior, quibuſdam eiuſmodi, & flauæ & pallidæ bilis quamplurimum trahit, ſic quoque in animalium corporibus ſanguis è venis effuſus, cum à natura ſuperatur, & in pus à continentibus eum partibus mutatur,in varios abit colores, interdum enim eo tempore liuidus apparet, propterea quòd liuidus apparet, propterea quòd liuidus color medius eſt inter planè nigrum, & aliquem alium ex floridis:cuiuſmodi eſt præcipuè ruber,& flauus,liuidus igitur hic color,vel ex floridis in nigrum abeuntibus exurgere conſueuit,vel ex nigro in album cedente,quan-

do

do videlicet in pus iam conuertitur, sæpenumero enim videre licet, quæ antea erant nigrefacta, inter initia puris liuida apparere, ac paulatim à nigro recedentia ad calorem ignis tendere atque effici subinde albiora: puris siquidem color cinereus est.

Nunc igitur Hippocrates differentiã quãdam sugillatorum tibi tradit, cum liuida apparent, si enim cum duritie sint liuida, inflãmata esse membra ostendunt sin absque duritie liuorem præseferunt, inflammationem abesse declarant cum itaque inflammatione carent, & naturam esse præualidam, & sanguinem è venis effusum concocturam, & in pus conuersuram esse indicant: cum verò inflammata sunt membra, ex eo infirmitatem naturæ arguunt: quæ tũ ex imbecillitate partium inflammatarum, tum ex copia praui humoris, qui in eis continetur, sugillatum concoquere, atque ad pus perducere non potest, vt nihil aliud supersit, quàm vt nigrescant, & corrumpantur.

Hæc volui adscribere, vt intelligas, quam parum Galenus ad rem multis accedat, nos equidem docuimus, liuidum fieri ex albo pauco, nigroque multo. Et paucum quidem illud album vel naturale est, vt ex cute, vel ex putredine. Sed quoniam hoc non adeò huc pertinet, cum sit chirurgiæ documentum, ideo ad alia transeamus, huic proposito magis congruentia. Et sanè meliùs de nigro sensit, quàm de liuido, cum dixit, fieri & ab humore melancholico, & ab extinctione caloris. In sexto siquidem Epidemiorum (Par. 1. Com. 29. finem) dixit (liuidas) simpliciter febres non liuidissimas appellauit, quòd color liuidus semper malus sit. Inde de illis paulo pòst hæc subiicit: At liuidæ febres à calore sanè & ipse cognomen adeptæ, sanguineum succum deficere nunciant, & cum ipso itidem ingenitum calidum, atque iccirco mortiferæ sunt: ex quibus nõnullæ syncopas euacuationem sequentes efficiunt, de quibus in libris de Arte curatrice notitiam accepisti. Id genus febres Euriphon liuidas nominat, ita scribens: Liuida febris habet, & sinciput aliâs, & aliâs caput dolet, & viscera dolor torquet, & vomit bilem: & cum dolor cruciat, intueri nequit, quoniam grauatur, & venter siccus redditur, & cutis tota liuida, & labia, qualia exesis moris esse solent, & oculorum alba liuescunt, aspicit perinde ac si stranguletur, interdum verò minus id patitũt: sæpius etiam commutatur. Quin etiam & in libro de Morbis Hippocrati adscripto, quẽ Dioscorides ab altero Hippocrate Tessali filio scriptum esse voluit, de quodam morbo liuido mentio fit. Libri autem initium tale est: Multam vrinam facit, quando caput excalfactum fuerit. Sed de liuido morbo ad verbum hæc scribit: Morbum liuidum febris arida comitatur, & horror aliâs, & aliâs capitis dolor: & viscera dolor malè habet, & bilem vomitu reiicit, cũq; dolor vexat, neq; intueri, sed grauatur, & venter aridus redditur, & cutis liuida, & labia, & oculorum alba liuent, aspicitque, ac si strangulетur, interdum & colorem mutat, atq; ex liuido subuiridis efficitur. Plura adieci, quàm forsan erat necessarium, vt intelligeres Galenum multa sanè legisse, sed quid verè esset liuidum, & vnde fieret, dubitasse.

Forsan non abs re fuerit commemorare, quæ scripserit primo de Crisi (cap. 21. Nigrum in excrementis aut superabundatum sanguinem perustum indicat: liuidum autem partium infernarum validum frigus, ac velut mortificationem. Idem in secundo Prognosticorum (Com. 22.) parum, vt solet, sibi constans: Nigra deiectio fit ex atra bile syncera: liuida autem, vbi modica modicæ permiscetur.

Rursus in expositione illius Aphorismi (7. par. 2.) In osse ægrotante caro liuida malũ est. Dicit Galenus, quod non ex mediocri læsione ossium, sed vehementi putrilagine fit talis liuor, extincto calore naturali: vt manifestum sit, quod ab initio diximus, à putredine extinguente calorem natnralem fieri liuorem. In vniuersum liuidum medium esse vult nigri, atque rubri: libro de tumoribus (c. 10.) censuitque exercentibus se, aut imbecillibus, aut mali succi hominibus in facie apparere: tertio in sextam Epidemiorum (Com. 32.) & rursus in secundo super primum Epidemiorũ (Comment. 75.) Extremitates liuidæ, nec recalescentes, emori ipsas indicat, clariùs secundo in tertium laguente octauo (Comment. 5.) Extremæ partes liuidæ, & frigidæ in morbo acuto lethales sunt, atque adeò hac ætate: fiunt enim vel ex nimia inflammationis intestinorum magnitudine, vel natiuo calore intermoriente. Ergo, vt ad intelliengtiã horum recta via procedamus, ab his, quæ sẽsu percipiuntur, inchoandum, scilicet, quòd frigore & contusione maximè exteriora liuescunt: quorum primum etiam testatus est libro. Quòd animi mores corporis sequantur temperaturam horum amborum (cap. 4.) Si vna esset proxima causa, facile esset coniectari, quænam esset generalis omnium causa liuorum: sin duæ, etiam verisimile est, communem vtrique. Verum adhuc res hæc multas habet difficultates: quarum nonnullæ ex rebus ipsis oriuntur, aliæ ex Galeni sententia adeò varia, vt nullum sibi constare visus sit, de hac re dum loqueretur. Sed res ita se habet: Fit liuidum, cum rubrum ad nigredinẽ vergit, & ita ex florido, vt in sugillatis, & cũ putrescendo calor extinguitur: nã causa proxima eadem est modicus candor, mius multæ nigritiei.

Sed etiam est duplex liuidum: propriè cũ splendore, & vocatur πελιδνός: & sine, μελασμός, id est fuscum. Fiunt hi colores trifariam: vel ab humoribus, & ita non possunt fieri in extremis: vel à sanguine corrupto, & tunc vel in parte tantum, & non significant mortem (sed non fiunt ex acuto morbo, verũ vel frigore externo) vel in accessione, vel abscessu, vel percussione, vel vinculis, vel ex causa vniuersali, ideo à putredine, quia in morbo acuto: & ob id, si coniungant grauitati corporis, vel frigori non recalescenti, significat mortem imminere. At calor niger non potest fieri ex frigore, nisi liuido præcedente, fit ex sanguine exusto, vel atra bile, cum ergo non sit ibi genitus à natura, in eã partem protrusus est, ergo habet naturã crisis:

sis: ideo fit cum spe salutis, in liuido cum fiat ex extinctione caloris natiui per putridum: proprium autem est caloris putridi, vitalem extinguere, flósque ille coloris, & splēdor insit spiritui, sanguinique arteriali, si ille vigeret, non posset liuida pars videri, at cum eius extinctione etiā naturalis calor extinguitur. At si extingueretur calor naturalis, & à iecore missus, qui fieri posset, & vt subrupto fundamento, mutus maneat, id est, calor vitalis. Ille etiam maximam efficit mutationem, & in vehementi timore homo impallescit, & lucidus potius, quàm liuidus efficitur? Itaque hunc potius, quàm illum, vt manifestissimam causam nominauit, non vt vnum ab altero Galenus seiungeret. Porrò quòd vngues magis nominet, ratio est: quoniam, vt habetur libro de Natura pueri (Pag. 5) ad illos plurimæ venæ terminantur: cumque sint lucidi, sanguis sub his effusus nigrescit, aut liuescit. Quòd verò Galenus dicit in libro de Pulsuum vsu (c. 1.) coniecturam ex vnguibus nigris, aut incuruis, non esse sumptam à causis mortis, bene dicit: non tamen negat, imò vult esse signum constantissimum, quod toties ab Hippocrate per exempla repetitur in Epidemiis.

Quod verò dicit (æger facilè ferat morbum) hoc est, vt neque magnitudine symptomatum opprimatur, neque alicuius vitæ necessarij. Sunt autem duo principalia: respiratio, & cibi concoctio: & tertium non adeo necessarium, somnus scilicet. Et aliquod ex bonis signis appareat, velut coctio, constantia mentis. Adiectum est hoc artificiosè, quia multi ægri, qui facile videntur ferre morbum, repentè concidunt: quoniam ea facilitas non ex victoria naturæ, sed ex amissione sensus accidit: velut Hippocrates (2. Aphorism. 6.) Quicunque dolentes aliqua parte corporis, plurimum dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. Animaduertendum, quod quantò maior pars nigrescit, eò magis attestatur iudicationis loco habendam eiusmodi nigritiem, & ideo minus periculosam, imò securiorem: propterea dixit, digiti ac pedes.

PROGNOSTICON X.

Testes, & pudenda reuulsa, dolores magnos significant, periculumque lethale.

COMMENTARIVS.

Si quis mihi non omnino iniquus iudex contingat, fatebitur Galenum fecisse mortalitati fucum: deprehensam ab Hippocrate experimento sententiam communi ratione explicare conatur. Conuulsionem scimus fermè semper præcedere morituros: sed neque hoc, cur docet, conuulsionem fieri ex doloribus magnis, non obscurum est, & causam satis manifestam habet, & etiam testium conuulsionem minari conuulsionem aliarum partium, verisimile est, sed cur conuulsio à testibus incipere debeat, nec id docet: sicut nec illud, quomodo notius, imò notissimum (siquidem dolorem præcipuè magnum) per obscurissimum conuulsionem testium ostendere nitatur: nam primùm pudens medicus partes illas velle videre dicere non audebit: & etiam quod videat, non facilè dignoscet, omnia hæc tanquam nullius momenti prætermittit, imponereque legentibus conatur, imò imponit palàm, maximè hac ætate adeò veritati inimica. Quatuor ergo sunt, quæ docere oportet, incipiam autem à faciliori: forsan enim reliqua interim in mentem venient. Signum hoc fortuitò occurrere astantibus solet etiam à matribus de pueris filiis sollicitis referri: & in viris à medicis, qui ægrum curant ex instituto Hippocratis, dum lintea mutantur, reponunturque pro sordidis munda. Quòd si mihi non quærenti bis aut ter obtigit, potuit & Hippocrati nonnunquam accidisse: Galeno puto nunquam, quòd, vt dixi sæpius, dialecticam, & disputationem in triuiis magis exercuerit (vel etiam ipso teste) quàm medicinam, maximè partem illam, quæ de interioribus morbis agit, fuit enim medicus proculdubio chirurgus: vt demirer hos pertinaciter adeò defendentes illum aduersus ea, quæ de semetipso testatur. Nam verum chirurgum, & medicum vulnerarium se fuisse fatetur: Præpositumque gladiatorum curæ à Pontifice in vrbe sua Pergami. Quid igitur? aut exercuit ambas partes? at medicus famosus neutri quidem sufficit: aut illam exercuit, cui non præfectus erat, quàm non profitebatur, quam profitebatur, cui præfectus erat, omisit? Venit Romam chirurgus, & vt ignotus vrbi, & in ciuitate, in qua omnia confundebantur, licebátque omnia facere: tum primū physicam (vt etiam nunc plurimi) sed omnes parum prosperè, exercere cœpit. Sic Vesalius Dominicus, Senus Patauinus, Petrus Marcus, Tronus Nauariensis, Gabriel Cuneus, & Petrus Antonius de Raude Mediolanenses, omnes egregij chirurgi, sed physici nulli. An modò illos medicos physicos appellabimus, quod vulneratis medicamenta aliqua propinauerint? & aliquos febricitantes plerunque etiam infelici successu curare aggressi sint: vt tandem toto vitæ tempore centum ęgris manum admouerint, sed redeo ad institutum. Conuulsionem horum membrorū etiam mulieres, vt dixi, videntur internoscere: maximè quòd non solum testes, sed membrum ipsum contrahitur. Vt Hippocrates hoc ipsum etiā in textu adiecerit, ac communicauit: ergo in huiusmodi ægris conuulsio leuior grauiorem futuram ostendit, quod iure dictum est. Sed de dolore duplex est dubitatio, cum enim cōuellitur, iam nō dolet: præterea si iam doluit, magis ex ægrotante & clamoribus, & gemitu scire licebit, quàm ex conuulsione. Sed vides quid sit scire verè & quot arcana sub his lateant. Iā duas vidi mulieres clamantes magna voce per interualla: quæ ambæ breui perierunt. Cū interim interrogarētur, nihil respondebant, vt quæ delirarēt: imò non delirabant iā, sed sicut mortuæ iacebāt, solū sorbitonem, quāuis & id ægrè, admittētes. Vnum est, quod sensu destitutæ erant, nec dum tamen adeò vt dolorem non sentirēt, sed in his non poterat comprehendi contractio testium, qui in mulieribus latent. Ergo fientis conuulsionis aut secundum partem, hoc est indicium: & tunc dolor adesse potest non

merito

merito partis,quæ iam conuulsa est, sed illius, quæ tum conuellitur successione reliquarum. Ergo dolor latère potest medicum, seu ob delirium,seu ob stuporem mentis:deprehenditur tamen querela illius aut lamentatione,aut gemitu,aut conuulsione,aut distorsione corporis. Ob hæc ergo scripsit Hippocrates, conuulsionem testium significare vehementes dolores, scilicet qui successuri sunt ad conuulsionem reliquarum partium: quibus conuulsis, mors sequitur. Habes ergo,quod hæc in stupidis, aut delirantibus proponuntur,non in his, qui mente valent.

Porrò hanc rem ita se habere existimandum est: ad vasa seminaria cor spiritum & sanguinem delegat non paucum,vbi reuocarit illum,contrahitur membrum,ac scrotum: idque manifestum est etiam experimento, siccantur ergo loca illa immodicè,& se contrahunt. Verùm ob dolorem fieri compertum est,siue præcesserit, seu sequatur.

Ex dolore conuulsio,quod Galenus docet quanquam præstitisset alia obscuriora docere:nam hoc nimis notum est. Sed tamen neque illud verum est, neque verisimile, partes ex dolore contrahi ad medium,vt ob id conuulsio accidat, quin potius in dolore contrahuntur vndique:sicut etiam videmus tortos,qui pro viribus se cogunt,retrahuntque pedes, & crura ad ventrem, atque ita nerui diuellunt cerebrum.At quòd ex imbecillitate contrahantur partes, istud non est manifestum:quin imo à Venere primùm genitalia laxantur,cum antea essent contracta: & morientes non solum homines, sed etiam pulli,quantum valent, crura extendunt. Et mihi sanè haud obscurum est,conuulsionem esse mortis causam,tum læso valde cerebro, tum prohibita transpiratione, sed cur morientes conuellantur,forsan id accidit, quòd conuulsio mortem afferat:ideo existimemus conuelli ob id morientes, vel quoniam qui moritur, suffocatur, magnam noxam percipit,vnde motus efficit conuulsiuos, nam & ex punctione acus, & vulnere conuulsiuos motus homines patiuntur, neruis ob offensam repente se contrahentibus: aut etiam quòd acres vapores tum mordeant cerebrum,neruosásque partes. Morbis enim interimentibus, eleuari à iam prædominante materia vapores verisimile est, qui cor petentes,vitam subruant, cerebrumque,& deliria faciunt,tum neruosas partes, alioquin huic malo insuetas, quæ se contrahant, & motus conuulsiuos edant,non tamen distentionem: nam si per distinctionem illam trifariam diuisam intelligamus, de qua aliàs (Vide 6. Aphor.37.) pauci admodum conuulsi pereunt,nisi ex vulneribus,atque etiam ex illis rari, ad iecur autem dum accidunt, prostrant omnem vim illius: euidentissimè autem appetentiam ciborum.

Reliquum est, vt de extrema dubitatione sermonem habeamus:ea est, cur initium huiusmodi conuulsio à testibus sumat,idque est principale.Galenus,vt dixi, quasi imperitos omnes futuros existimet,causam prodit,quòd testes circa medium sint. Conuulsio autem fiat in morientibus,vt antea dixi, contractis membris ob virtutis resolutionem, ideoque paucis,ac facillimis causis vniuersæ quæstioni satisfacit. At saltem dixisset, quod statim occurrebat,& erat sanè verisimilius:Siccato humido à mortifero morbo,contrahi partes, quemadmodum in coriis,diu igni expositis. Primum ergo hoc scire expedit,quod dicitur in libro de Musculorum dessectione (c.27.) Duo gratiles musculi in vtrumque testem perueniunt: quorum alter à pubis, alter ab ilium osse per tenue membranosum ligamentum exoritur, illic autem per meatum, qui ad testem deuenit, deferuntur:postea dilatati * eidem membranam complectuntur: ipsorum officium est, testem sursum attollere. Vnde Cremasteras quidam,id est,suspensores appellarunt. Contrahuntur enim adeo in Venere,vt sub eodem osse pubis toti nonnunquam lateant. Addebat Vesalius id factum, vt vasa seminis, & forsan parastatæ ipsæ pondere laxatæ, & ob id breuiores, & laxiores factæ,faciliùs effunderent semen,vt constet,musculum illum facillimè vehementerque contrahi solere, adeò vt sursum reuellat testem absque dolore, distentionemque,quæ in aliis partibus futura est, indicet, quæ non sine magnis doloribus fieri potest. Gramfum vulgariter appellamus,sed gramfus à flatu fit, distentio hæc in acutis à prauis humoribus: conuulsio verò fermè, aut prorsus sine dolore est.Sed an musculus, qui trahit supra testem,vnus sit,an plures,quarto Contradicentium(56.)declaraui.

De musculis autem pudendi, quatuor ponit Galenus(c.26.de Musc.Dissect.) & duos quidem exorientes ex osse pubis,duos alios, seu vnum bifidum,infernè connatum,& carneum:& iidem à Vesalio (lib.2.c.49.) referuntur. Ergo tum ob contractionis facilitatem, quia in Venere leui ex causa, & plurimum contrahuntur testes: & quia musculo contrario carent,distentio à testibus oritur.

PROGNOSTICON XI. & XII.

QVod verò ad somnos attinet, quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu vigilare oportet,noctu dormire:si verò hoc fuerit transmutatum, peius est. Minimè verò lædi æger poterit,si manè dormiat ad tertiam diei partem. Pessimum autem est non dormire noctu,neque interdiu:aut enim ob dolorem,atque afflictionem vigiliæ adsunt: aut delirium aderit ab hoc signo.

COMMENTARIVS.

QVatuor exponit somni ordines, optimum,qui fit noctu: pessimum,qui nunquam fit:malum, cum homo quiescit in die, nocte vigilat: & medium, qui fit matutina hora. Circa illum, qui fit in die, & homo nocte vigilat, dicebat Galenus primo Epidemiorum(Par.3.Com.6. (super illis verbis

Hippocratis: Nocturna non admodum lethalis, longa tamen est: diurna longior: sunt quibus ad tabem vergat. Dicebat Galenus in fine Commenti, quamuis sit error in conuersione: Vbi (de diurna sermonem habens febre) non cubauerit de die, & noctu etiam ob negocia vigilauerit, scilicet & vt operam medicis det, & vt cibum accipiat, quem in die accipere non potest ob febrem, quæ illum inuadere solet, extenuabitur ob vigilias, nunquam dormiendo: vel si die dormire velit, noctu vigilare, vitam aget vespertilionis atque ita contabescet, vt simus in casu eodem, cum æger die dormiens, noctu vigilans, magnum assequetur detrimentum. Dicebat Princeps (3. prim. Doct. 2. cap. 9.) In die dormire malum est: generat enim morbos humidos, & destillationes, colorem corrumpit, splenem auget, laxat neruos, pigros reddit, famem hebetat, & generat tumores, & abscessus, ac febres persæpe. Et est sumptum à Rasi in trigesimo primo continentium (Tract. 5. cap. 1. fol. 443. col. 3. Et ille accepit à libro Indo. Et causa horum est, quòd in somno contrahuntur humores, & sanguis, & spiritus, ac calor intus: vt habetur in secunda primi (Doct. 2. cap. 12.) & in die expanduntur omnia hæc, fiunt ergo motus ad vnguem contrarij, qui euertunt hominem, & nihil perficitur ex vtroque. Verùm vigilare vtroque tempore, est deterius: vigiliæ enim (vt ibi dicit Princeps) intemperiem siccam gignunt in cerebro, & debilitant ipsum, & efficiunt delirium, corrumpuntque humores, & morbos pariunt acutos. Et Arabes vocant vigiliam superfluam, sahara: de qua duo præcipua notanda sunt, primum, quòd vigilia maximè nocet senibus & ideo Galenus quinto de Tuenda sanitate (In fine) adducit illud ex Poëta:

Vt lauit, sumpsitque cibum, det membra sopori.

Et tamen est propria illorum affectio, vt Princeps dicebat, & sumpsit ab Hippocrate (3. Aphorism. vltimo) vt senex inter duo hæc sit: vel vt vigilet magno damno, vel vt dormiat, vel mediocriter: quod indicium est, vel nimium refrigerari cerebri, vel etiam materiæ humidæ prædominantis: & ita inter scyllam & charybdim positus est. Melius tamen est, vt dormiat sufficienter: nam iactura vigiliæ nimis mala est, & fugere magis decet malas causas, quàm tristia signa, signa enim, si quis euaserit, nihil relinquunt: causæ etiam, quòd quis euaserit, nocent. Alterum est, quòd vigilia valida, præsertim in sene, parit aut morbum acutum, qui plerunque interficit, aut insaniam, cum ergo iam adueniat, morbo acuto deterius longè est: nam auget prauitatem morbi, & resolutas inueniens vires interficit. Præsertim, quòd isti egregij medici, vt deberent subtrahere cibos, solis iuribus, & balneis illos consolantes: quæ vnica superest via, si modò vlla est, exhibent tam carnes contusas, & oua, vel etiam magis.

Verùm quia Hippocrates præsupponit, quòd vigilent plus iusto, scire decet, quàm tum sit tempus moderatum somni, & in hoc debent referri ad tempus bonæ valitudinis, sed illa mensura adhuc incerta est. Galenus sexto de Tuenda sanitate (capite quinto) ponit illud horarum nouem, dicens: Nam cum Romæ minima nox sit, horarum nouem abundè fuerit, si eam totam quis dormiendo insumpserit. Vtilitas autem somni præcipua est, vt dicebat Auerroes secundo collectaneorum (capite vigesimoprimo) fouere facultatem naturalem: cum tantum sit functio ipsius animalis virtutis secundum Galenum & vitalis, secundum Aristotelem. Et vult, quòd propriè fiat ex defectu caloris naturalis, ideo sequitur ad labores & coitum: sicut cum abundat calor homo euigilat illo expanso.

Sed cur laudat illum somnum, qui fit ad tertiam vsque diei partem quoniam, vt Princeps dicebat, incommodum somni maximum est interruptio: qui ergo ea hora fit, coniunctus est nocturno, ideóque illi fermè similis. Reddebat ille rationem, quoniam per somnum natura ociosa multa inchoat corpori salutaria, quemadmodum coctiones, separationes, transmutationes dirigit ad loca vrinæ, vel alui, aut nasi, aut palati, vel sudorem inchoat: vnde interrupto somno, maxima incommoda sequuntur, & nonnunquam mors. Et ideo cum is somnus sit nocturno coniunctus, possunt perfici opera naturæ, secundò, quia illa hora perficiuntur coctiones ventriculi, & iecoris, ideo magnum affert auxilium illis membris, quorum robore (vt sæpe dixi) stat salus nostræ vitæ: reparantur etiam spiritus animales, qui iam aliis horis præcedentibus geniti sunt, & ad cerebrum transmissi. Vnde dormire ea hora, plus confert cerebro, & sensibus, quàm si quis tum vigilans, antea triplo temporis plus dormierit. Senibus autem tum decumbere vtilissimum est: tum ob somni spem: tum ob quietem: & vt aëri impuro, ac frigidiori, & humidiori non occurrant. Quæ aëris qualitates efficiunt, vt etiam somnus ea hora vtilior sit, quàm diurnus circa meridiem: is enim pessimus, & deterior etiam eo, qui fit vesperi, cum vesperi aër sit frigidior, & cibus manè assumptus sit prope coctionem.

Cum verò homo expergiscitur, contingit hoc trifariam, vel quoniam restauratus calor ac multiplicatus diffunditur: & hic solus modus est naturalis, ac laudabilis, secundus est ob causam, quæ molestia ægrum, vel etiam sanum, afficit, & tunc est valde malum & ex his est ille modus, & de quo dicebat Hippocrates secunda Aphorismorum (c. 1.) in quo morbo somnus laborem facit, mortale, tertius est medius, deficiente humido, quo velut visco quodam spiritus in quiete continentur.

Sed cur homo dormiat noctu magis, quàm in die, & nocturnus somnus plus conferat, quam diurnus, præcipuæ causæ sunt tres, prima est, frigus, per quod contrahitur calor, secunda, obscuritas, causa etiam contractionis caloris: contractio autem caloris tantum potest ad somnum, vt etiam in febrium intermittentium frigoribus, & in initiis etiam illarum, in quibus frigus manifestum non apparet, adeò ægri somno occupentur, vt vix contineri possint, ne dormiant

quod

quod est malum signum, & mala causa: & maximè, si frigus non sit manifestum, plurimi enim, & maximè iam senescentes, lethargia ex hoc corripiuntur, & moriuntur: & medici valde peccant in his, dantes vinum, quia dicunt, quòd sunt febres intermittentes: & plerunque sunt continuæ frigorificæ, aut hæmitritæi, aut saltem tertianæ duplices extensæ, aut etiam simplices, quæ sunt valde extensæ, & sub forma continuarum: & sunt etiam valde malæ, tantum ergo potest consuetudo se contrahendi caloris ad somnum conciliandum. Ex primis duabus causis ergo somni nocturni exorta est tertia, quæ est potentior omnibus, scilicet consuetudo longa, & confirmata: quæ est altera natura, vt in die non possint dormire, noctu promptè illos occupet somnus. Ex quo patet, quòd in consuetis somnus diurnus est necessarius, & in pluribus, cum omnes iuuet, nihil nocet. Vnde secundo de Victu in acutis (capite vigesimotertio) super verbis illis Hippocratis satis obscurè transcriptis: Dormire autem eos oportet, tanquam noctem à cœna, hyeme citra frigus, æstate citra calorem, inquit Galenus, & rectè (vtinam sic vbique) Et si dormire plures lenta ambulatione absoluant circuitus, idque, vt quamplurimi expositorum aiunt, post cœnam: sed vt eorum, quæ dicuntur, sensus præcipit, post prandium. Nam oratio hæc, tamquam noctem agant, de somno meridiano, non de nocturno dici expostulat. Præterea quod continuata est scriptum serie, vbi inquit: Si verò dormire non queant plures, lentè ambulando absoluant circuitus, neque stent, nihil præterea cœnent, vel pauca, & innocua, testatur, Hippocratem velle eos à prandio dormire, non à cœna, duorum igitur alterum. Nam aut emendanda, tanquam errati conscia scriptio atque ita scribendum: Dormire siquidem eos oportet post prandiũ, tanquam noctẽ agant: hyeme quidem citra frigus, æstate verò citra calorem. Vel si seruare volumus orationem hanc) à cœna) intelligenda est hoc pacto dictio: Dormire siquidem eos oportet, vt à cœna antè dormiebant, sic & nunc post prandium, tanquam noctem agant. Et Paulus (lib. 1. cap. 97.) Porrò tempus somni optimum est à cibo: sed diurnus non omnibus est idoneus, tempus enim, quo obdormiscunt, ad absolutam ciborum concoctionem non sufficit: interrupta enim ciborum coctione, surgentes acidos ructus edunt, & flatibus implentur. Vt duobus in casibus inutilem velit esse somnum diurnum: vel cum est præter consuetudinem: vel cum non est pro ratione assumpti cibi, vt parum prandentibus vtilis sit. Ita ergo etiam assueti in die, & à prandio dormire, si à prandio non dormiant, læduntur fermè ac si tota nocte vigilarent. Sunt etiam somni duæ partes, prior, quæ perdurat circiter horas septem, & fit ab exhalatione cibi, aut humoris crudi in ventriculo contenti, aut demum ex abundanti humido totius corporis, vel etiam solius cerebri vias occupante, & spiritus continente, moueri possint: isque non finitur tam paucis horis, quòd in septem horis prima coctio perficiatur, quæ solet durare per decem horas saltem, sed quòd tum exhalatio cibi & fumus desinat, velut etiam videmus in ptisana, quæ multo antè fumare parum incipit, quàm perfectè cocta sit: hoc tempore vetriculus maximè restauratur. Secunda pars somni fit à sanguine secreto, à iecore translato ad cerebrum, & nutriente ipsum: sicut colligitur à Philosopho in libro de Somno & vigilia (cap. 6.) cum dixit: Expergiscitur autem, cum concocta fuerit, & euicerit impulsa caliditas in angustum multa ab eo, quod distabat, & discretus fuerit corpulentior sanguis, atque purior, est autem tenuissimus quidem sanguis, & purissimus, qui in capite. Ex quo patet, quòd hic somnus est longè vtilior, ac magis necessarius, quàm prior, præcipuè studiosis, ac multò magis senibus, conseruans visum, & auditum, & memoriam, & prudentiam, & præseruat ab apoplexia, seu attonito morbo, & resolutione neruorum, & tremore membrorum.

Et licet homo non dormiat prioribus sex, aut septem horis, potest non lædi comedendo valde parum, ac benè coctum: sed si deficiat hæc pars vltima somni, non potest vlla arte sarciri damnum, etiam quòd dormierint tota nocte residua, sed turbati, & stupidi surgunt, & hanc puto esse causam, cur Hippocrates suaserit somnum ad tertiam vsque diei partem: quia illa hora est ad vnguem, in qua fit tam vtilis distributio, & reparatio, in cerebro præsertim, & in corde. Et ideo perspicuum est, quàm malè consulat Marsilius Ficinus illud studium antelucanum, cum etiam tum aër sit valde crudus, ac malus, & magistri ludi literarij, qui hortantur, & cogunt suos discipulos, vt surgant ante diem ad studia: multò sapientius pater meus, qui me, dum essem puer, hortabatur, vt dormitem ad secundam horam ab ortu solis. Et non parum ei debeo ex hoc, cum in fine LXV. anni huius adeò valeam, vt adolescens, sensibus ac mente, quamuis tot perculsus aduersis, puto hoc solo præcepto, quòd iussit me perpetuò, vt seruarem. Marsilius Ficinus tamen, vt reor, supponebat suum studiosum leuissimam sumere cœnam, adeò vt antelucana hora cum surgeret, essent absolutæ ambæ partes somni, aliter fuisset stultum omnino consilium. Et nec sic etiam est adeò vtile, & tutum ad bonam valitudinem, & ad custodiam ab abscessibus, à quibus consilium patris & Hippocratis quasi nos tutos reddit, nisi magna causa ingruente. At hoc valde magnum commodum est, cum multi præclari viri ex his pereant, licet ad negocia postmodum, & ad lucra hoc sit magno impedimento. Neque aliud vnquam nec à medicis, nec à ciuibus mihi obiectum est, quàm de hac tarda ægrorum visitatione, quæ extenditur plerunque ad horam prandij, & etiam post, magis autem me accusabant dum essem iuuenis, quàm nunc, cum ætas me excuset. Ego autem non curabam iacturam pecuniæ ob incolumitatem corporis & animi. Ergo sententia Principis de somno meridiano debet ita intelligi, quam etiam ipse circumscribit & exponit, sed melior est ratio Pauli in hoc, & absolutior. Quærunt etiam quidam, quid sit somnus, & post multa cum sint

sint extra suam aream se implicant, dicentes, quod est vera priuatio. Ita non vident, quòd mors & syncopis, & catalepsia essent somnus: sunt enim priuationes & eorundem. Præterea somnus est vtilis, & insomnia ostēdit: priuatio nulla vtilis est. Dico ergo, quòd somnus est res vera, & actio animalis principalis, vt sentire, & intelligere. Est ergo victoria animæ vegetatricis, seu facultatis eius supra animalem, seu operatio perfecta eiusdem, iuxta statum, in quo est, vt sit vicissitudo perpetua in animali, vt dominetur animalis facultas, & tunc dicitur vigilia: velut dominetur vegetatrix, & ideo vegetatrix nunquam perfectè quiescit ab opere, animalis verò etiam raró: ideo dicitur victoriæ, vitalis autem quasi media sedet in vtroque tempore.

Cum verò dixit (Aut enim ob dolorem, vel afflictionem) ostendit duo genera causarum. Alterum, vt veram, scilicet dolorem, vel inquietem, scilicet commutationem materiæ, quæ somnum impedit, non potest autem esse inquies iudicatoria: quia licet dicat Hippocrates (2. Aphorism. 13.) Quibus Crisis futura est, his nox difficilis est ante Crisim: tamen, vt dixi, talis crisis durat solum per vnam diem, de mente Hippocratis, ideo non potest commotio illa durare per vnam diem & noctē ante: vel dic, quòd hic intelligit, quòd nō dormiat, nec die, nec noctu continuādo per plures dies. Alterum genus causarum est commune, vt indicatio sit super effectum, velut siccitas immodica est communis causa insaniæ, & vigiliæ, ideo ex vigilia coniicimus, certò insaniam futuram per communem causam.

Discrimen autem doloris, & anxietatis, vel doloris, & siccitatis manifestum est: sed inquietis & siccitatis non adeò, ob id scire decet, inquietos cupere dormire, palpebras graues habere, volutari in lecto, & extendere extrema: contrà sicci siccos habent oculos, & apertos, nec dormire desiderant nec admodum volutantur. In vniuersum autem somnus adiuuat functionem naturalem, & restaurat facultatem animalem: ideo cerebro & sensibus, vt dixi, vtilissimus. At quanquam in die dormire non expediat, aliàs quatuor casus excepti.

PROGNOSTICON XIII. XIV. XV. XVI. & XVII.

EGestio alui optima est mollis & cohærens, & secundum horam, in qua etiam à sano egerebatur: iuxta copiam verò, pro ratione ciborum ingestorum. Tali enim contingente exitu venter infernus sanus fuerit, si verò liquida fuerit egestio, conducit neque stridere, neque frequentem esse, & paulatim secedere. Delassatur enim homo ex frequenti descessu, & vigilias vtique contraxerit, si verò sæpe aceruatim egerit, periculum est, ne in animi deliquium incidat. Quin & iuxta copiam ingestorum egerere oportet bis, aut ter in die, & noctu semel, plura verò manè, quemadmodum in consuetudine est homini: inspissari autem oportet egestionem, morbo ad iudicationem tendente.

COMMENTARIVS.

PArùm diligenter Galenus, quas præ oculis habebat, conditiones bonæ, aut malæ egestionis enumerat. Sunt autem vndecim: à substantia: à qualitate: à tempore: à multitudine: à numero: à calore: ab odore: à stridore: à mutatione: ab accidentibus secundum naturam, & præter naturam. Primum ergo à qualitate, quod sit mollis, hæc opponitur duræ, atque liquidæ, nam liquida humidior est: dura siccior: mollis media est. Quinimo quamuis Galenus nos admoneat vtilis documenti, scilicet quòd animaduertere decet in ventrem confluere vndique excrementa ex omnibus partibus, adeò vt non sint, quæ in eis videntur certa indicia naturalium membrorum, sed modò laborantis iecoris, modò lienis, omittit tamen necessaria scitu, & eiusmodi necessaria, quæ neglecta, in maximos errores hominem inducere soleant: veluti cum quis opinabitur, quòd mollis egestio fit secundum naturam, sanisque conueniens, cùm videamus primùm in equis pro vitio duci mollem excretionem, quippe qui non ferant labores, deinde in hominibus: quotquot ad longam perueniunt senectam, aluum habent duram, & qui robusti sunt naturâ. Inde ratione id coniectari licet: Qui enim viribus validis sunt membrorum naturalium, horum venæ exsugunt quicquid est boni in fæcibus: atque ideo diu illas retinent, ac tum tempore, tum longa suctione duræ redduntur. Neque par est ratio in ægris, quos sola ptisana, vel eius succo nutriri Hippocrates præsupponit, ergo mollis fit egestio, cum cibus ipse, qui assumitur, liquidus admodum fuerit, idque à Celso optimè declaratur, dicente libro secundo (capite 3.) At venter ei, qui à periculo tutus est, deiicit mollia figurata, vult ergo, hanc mollitiem eatenus intelligi debere, vt figuram retineat, & ideo oportet, vt sit dura, vlterius tamen, si concrescat, maximè in ægro vtente sorbitionibus, signum est autem exurentis caloris, aut nimiæ distributionis alimenti per vrinas, aut sudores, aut longioris moræ in ventriculo, atque intestinis, quanquam Princeps (1. cantriæ 327.) loco moræ apposuerit cibum astringentem: at hoc notius est, & non est per se. Mollis autem egestio fit, quoties nihil horum adfuerit: neque per se magnum habet momentum, nisi vbi aquosæ opponitur. Adde, quòd secundo Prorrhiticorum (Comment. 6.) non vult, quòd deiectio dura, atque rotunda soleat sponte prodire, maximè per initia morborum: quòd si exeat, magnum naturæ incommodum significat, tâm ergo generatione ipsa, quàm exitu malum est potius signum, quàm bonum. Aquosa igitur significat imbecillitatem

cillitatem caloris naturalis in partibus ventriculi, intestinorum, mesaraei, & iecoris & cruditatem, dicebat Galenus in primo de Humoribus (Comment. 19.) Vnde enim aquosa, nisi quia nec trahitur pars aquosa, à venis, nec concoquitur: siquidem concoctio cogit, & crassiùs reddit, vt quarto Metheororum (Tex. Comment. 18.) Galenus quinto in sextum de Morbis vulgaribus super illis verbis Hippocratis (Comment. & Tex. 27.) Refrigeratio, quæ in ventre sunt, durat, dicit, quòd fæces exiccantur vel à siccitate, vel à frigiditate: à frigiditate non possunt, quia corpus, dum viuit, non potest adeò refrigerari, vt fæces siccentur: à siccitate autem vel ob moram sine læsione membrorum naturalium, vel ob caliditatem, quæ exurit, vel ob caliditatem contractam à frigore, nam frigus externum intus cogit, adducitque illud ex prima particula Aphorismorum (15.) Ventres Hyeme & Vere natura calidissimi. Sed & tertia adest causa à frigiditate: inquit, quòd constricto ano, à frigore, & partibus inferioribus constringuntur fæces, & sursum ascendunt, præcipuéque bilis, quæ leuior est, velut contingit his, qui ob negocia sponte deiectionem, & ex voluntate retinent, adeò vt postmodum, illa sursum recurrente, in periculum vitæ, & maximè coli doloris, aut ilei perueniant. Dico etiam, præter id frigiditas ipsa efficit, vt congelentur fæces partim, & partim torpescant intestina ad excretionem: quod apparet etiam in senibus, qui de hoc, maximè decrepitis, conqueruntur. Attamen Hippocrates tertia Aphorismorum (25.) hoc symptoma refert in pueros, qui dentire incipiunt, non quòd proprium id sit eius ætatis, sed quòd quibusdam contingit, aluos in ea ætate habere duras, ob nutritionis validam vim: sicut etiam Princeps loco adducto docet. Verùm potiùs generaliter hoc refertur, & meritò in aquiloniam constitutionem. Idem etiam pòst repetit) Aphor. 5.) Causa duritiei alui affert siccitatem, & simul frigiditatem, ex qua fæces retinentur. Illud mirabile, quòd videtur velle (Aphor. 17.) antiquos solitos bis, aut ter in die deiicere aluum, præterea etiam semel noctu, atque vtinam hoc Galenus, qui propior fuit illi æuo, & patria propinquior aliquid dixisset, quod maximè necessarium est ad sanitatis custodiam: solum damnat illud totum, quod ad hoc pertinet, tanquam superuacuum. Et certè hac in parte multum laborat authoritas Hippocratis: quia si consuetis sufficiebat dixisse, quemadmodum consueuerunt: si præter consuetudinem hoc nimis frequens est, & minimè ad valitudinem conseruandam firmam, vitæque longitudinem vtile fuerit. Atheneus libro primo (cap. 4.) videtur docere, nos antiquos consuesse quater cibum in die sumere: sub Auroram Aristum, quod posteriores acratismum appellarunt, quòd pane, & puro vino solùm constaret: communius apud latinos ientaculum, hora prope meridiem dipnum quod prandium est apud latinos: inde dorpa vespertinum. Sed in explicando quartum implicat se non minùs, quàm posteriores, qui dipnon cœnam potiùs, quàm prandium interpretantur Romanorum more, qui solum cœnabant, non prandebant, in voce & consuetudine Græca perperam secuti: nam vespertinum cibum dorpa vocabant, neque video plus, quàm tres, vt etiam ex Æschylo (lib. 6. capite 17.) ipsemet citat, ientaculum, prandium, cœnámque, eadem sentit Iulius Pollux, sed pòst cœnam addit, tunc enim erunt quatuor, sed sint tria tantum: toties aluum deiicere expedit, quoties cibum sumimus, nam vnicuique cibo sua concoctio, atque deiectio debetur, vt æqualis fiat actio in corpore: secùs enim necesse est, inæqualem fieri sectionem alimenti. Cum ergo Hippocrates hic agat de ægrorum cura, non curauit quid præstaret sanis facere, nempè bis in die solum sumere decet cibum: at in his duntaxat vna vice pinguibus vti, quod qui volet scire, secundum librum legat Theonoston, & de Tuendi sanitate.

Vnum dicam iuxta hoc. Eis, qui dura sunt aluo, dicit. (Vega, os malè olere plerunque: quod & ego obseruaui, dicit etiam se vidisse, quibus septies, & octies aluus deiiciebatur in die, qui erant amusi: & iure, nam cum per morbum non contigerit, fiet ex immodica repletione, & in his, qui frequenter cibum sumunt nil aliud, quàm de crapula cogitantes, quos certum est, esse viros nullius precij: idque frequentius in mulieribus, maximè impudicis, obseruaui.

Cohærens) Nam hoc significat pinguedinem quandam, cuius gratia canes, & sues illam appetunt: quæ, si consumatur, dispergitur, vnde vel non coctam materiam indicat, aut humorem, aut consumptionem pinguis humidi, quæ contingit ob acrem calorem, aut pestilentem: ideo inter signa pestifera & perniciosa connumeratur esse solutam, vt ibi (3. Epid. Comm. 15.) Aluus biliosa, pinguis, aquosa, tenuis. Pinguis enim redditur, cum pinguedo ipsa non miscetur fæci: ideo tamen inconcreta vocatur, & non cohærens, seu soluta, vt & ibi infrà (Tex. 73.) Aluus turbata multis tenuibus, & aquosa bile mistis. Quis dubitat talia non cohærere?

Et secundum horam, in qua à sano egerebatur (Hoc est tertium signum, sumptum à consuetudine, quæ cum in omnibus plurimum possit, longè tamen plus in his, quæ ad operationes naturales pertinent: vt aluum deiicere, mingere, esurire, & dormiturire, nam in his quatuor maximè præualet consuetudo, quòd natura tunc temporis exigat consuetum, tanquam sibi debitum. Et si quis illam fraudarit, solent accidere magnæ molestiæ, & quandoque detrimenta: velut ex voluntate egerendi retentio fæcum, dolores colici, iliacìue: aut saltem grauitas in toto corpore: ex fame nausea, dolor ventriculi, vomitus vertigo, cessatio appetitus, repletio ventriculi: ex humoribus prauis conuulsio, imbecillitas, lassitudo totius corporis, animi deliquium, apoplexia etiam nonnunquam, & ita dico de aliis. Sed vt rem ad signa reuocem, deiicere aluum non in hora consueta, si antè fit, significat aut flatus, aut motum materiæ, aut acuitatem: si retardet, frigiditatem partium, quod adeò

tantum

tantum refert, vt ſit ſignum futuræ mortis ob extinctionem naturalem, cum alioquin excrementa liquida fuerint.

Iuxta copiam verò pro ratione ciborum ingeſtorum) Fæces ſemper debent eſſe minores, & pauciores cibis ingeſtis, ſed diuerſa ratione, nam ex pinguibus & ouis pauciores multò: ex ptiſana autem, cum ſit liquida, etiā longè minores: ex pane autem non adeò pauciores, quoniam homo nutritur ſolum ex pingui humido: & ideo ex oleribus radicibus, & leguminibus fermè æquales, & ideo Hippocrates, cum dixit (pro ratione ciborum ingeſtorum) non ſolum de quantitate, ſed etiā qualitate eorum intelligit. Potus quidem per vrinam ſecernitur, vt Galenus putat primo de Facultatibus naturalibus (capite vltimo) Cibus ſolidus per aluum abſque dubio, ſed quod admiſcetur ſorbitioni ex liquido: ſi liquida ſit egeſtio egeſtioni: ſi arida vrinæ, vel ſudori, vel aliter cōſumitur. Sed ſi paucior fiat egeſtio, quā pro ratione, indicat fieri vehementem reſolutionem, aut iecur nimio calore laborare: ſæpe etiam accidit, vt in lepra, & renum morbis, tranſire quod terreū eſt, eſtque morbus quidam proprius valde malus in iecore, ſimilis fami caninæ in ventriculo, ſi autem ſit copioſior, inſpiciendum eſt, an ſit ex confluentia humorum, aut ob naturalis facultatis imbecillitatem: tuncque à chyli natura parùm erit immutata.

Tali enim contingente exitu, venter inferior ſanus fuerit.) Per ventrem inferiorem adnotauit rectè Galenus in naturulia viſcera continentur, iecur, renes, veſica, vterus, etiā ventriculus, lien, fel, inteſtina, ſicut per ſuperiorem, in quo animalia, & per medium, vitalia, his ergo quatuor ſignis, à quantitate, tempore, qualitate, & ſubſtantia, declarat, ſanum eſſe ventrem inferiorem: nam de numero conſtat, quòd in hora continetur, ſeu enim frequentiùs, ſeu rariùs deiecerit aluus, cōſtat non poſſe fieri ſine horæ perturbatione, aut vix. Igitur cum talia ſigna affuerint, erit venter inferior ſanus, quoniam reliqua, quæ ad hoc concurrunt, aut ſunt externa, vt vermes, nam hi fiunt à functione vitiata, aut humoribus decumbentibus ad locum citra facultatis noxam. Color autem, & odor, ſi mutentur, vel à calore, vel à frigore, vel ab imbecillitate: calor minuit fæces, & celeriùs effluere facit, contrà frigus, tum verò imbecillitas retentricis efficit, vt exeant ante tempus, & ita expultricis, vt tardiùs. Si ſunt molles, & cohærent, concoctrix fungitur officio, ſuo ſi iecur non traheret ſurſum, exirent ante tempus, ſi ſana ſunt membra, odor valde malus in eis eſſe non poteſt: aut aliunde fluit materia olida. Itaque non rectè videtur Galenus exponere, quòd ſit ſanus, vt non recipiat aliena excremenra, ſed ſolum ex ſe ſanus erit. Cū verò dixit (venter inferior (non membra vrinæ intelligit: quoniam illa ex vrina potius cognoſcuntur, quàm egeſtioni, ſed ſolùm vēter eſt pars anterior: renes autem, & veſica in poſteriore parte poſita ſunt (Si verò liquida fuerit egeſtio)

Hic eſt alter motus, qui pertinet ad qualitatem, atque ſubſtautiam, cum liquidum neque molle ſit, neque cohæreat, veruntamē etiam hanc probat, ſed non adeò, vt primam. Nam prima per ſe bona eſt, niſi mala aliqua conditio adiecta fuerit: hæc autem per ſe nō bona, vt quæ diductionem non ritè factam ad iecur per ſe ſignificet, contingat tamen eſſe bonam, quoties ob lienem, aut iecur ſe exonerās liquida facta fuerit, ac dilutior iuſto. Trifariā ergo, dicit Galenus, mala eſt: vel ſi iecur nō deducat, ſcilicet quia imbecille ſit nimis, aut obſtructum, aut nimis plenum: vel quia membra à iecore ipſo non deducant, vt prima de ſymptomatum cauſis (capite ſeptimo) aut quia, quòd exoneratur à iecore, vel liene, prauum ſit, quouis in caſu dubium nō eſt, malum id eſſe: quamobrem adiicit quatuor conditiones, quæ priùs dictæ ſunt, vt ſolitis temporibus, atque horis, aluus demittat, id autem definit bis in die, aut ter, & maximè in manè, ſemel etiam in nocte: cuius cauſam ſuperius docuimus, cum enim in cœna plus comederent, par erat manè plus deiicere, tametſi etiam noctu aluum deieciſſent: alterum, vt pro ratione ingeſtorum, quomodo id bifariam intelligendum ſit, ſuprà docui, multitudinis ſcilicet, atque naturæ cibi.

Primæ opponitur, vt frequentiùs iuſto, ſeu ſolido, aut confertim excernatur: nā ſi ſæpe, & multa excernatur, periculum eſt, ne anima deficiat: non ratione frequentiæ, ſed multitudinis, hoc autem eſt, quod dixit quarto de Victu in acutis (Tex. 62.) Vel venter liquida repente deiecerit, & animæ defectus apprehenderit, & ſubiicit: quòd tales paulò pòſt ſpirituoſi moriuntur. Et de morte quidem Galenus approbat: ſed de ſpirituoſis dicit eſſe œnigma: & affert duas expoſitiones, quarum vtraque abſurda eſt, ſed de hoc aliàs.

Illud obſeruandum, quod ibidem (Tex. prim.) dicitur: Aluum ſolutam eſſe ſignum febris ardentis exquiſitæ, in huiuſmodi cum ſit pathognomicum, non dixerit: ſed adeò familiare, non eſt adeò terribile. Et etiam dubitatur meritò, an ſub his comprehendat Hippocrates eos, qui diarrhæa cum febre corripiuntur? Et dico, quod ſic ex vi ſermonis cum dicat egeſtio alui optima eſt: ideo generaliter loquitur de quorumcunque ægrorum egeſtione. Item in Epidemiis proponit exēpla de his quàm multa. Aliqui volunt illa verba (quemadmodum in conſuetudine eſt homini) ſed non conuenit (omitto Galenum, qui & ipſe ſic interpretatur) Cum enim Hippocrates propoſuerit quatuor ſigna optimæ deiectionis, & in duabus docuerit, quæ optima non eſt, ab optima differre, reliquas duas repetit, vt priùs, ſcilicet vt ſint pro ratione ingeſtorum, & pro horæ conſuetudine, igitur omnino intelligit illa verba (Quemadmodū in conſuetudine eſt homini) referenda eſſe ad illud totum (bis, aut ter in die, & noctu ſemel: plura verò manè) non ad illa ſolum, plura verò madè. Quòd ſiquis ſecus contendat, non litigabo, cum res pendeat ex hiſtoria illorum temporum, non ex ratione.

Inſpiſſari autem oportet) Dubiū non eſt, quin ſi morbus bene procedat, quòd concoctio augeri non debeat: & ideo excrementa inſpiſſari, & craſceſſere

PROG

PROGNOSTICON XVIII.

SI autem subfulua, & non valde graue olens. Commodum est, vt lumbricos rotundos cum egestione prodire, morbo ad iudicationem tenente.

COMMENTARIVS.

PRoponitur duo signa: vnum naturale, aliud præter naturam. Naturale duas habet partes, quòd sit subfulua, est autem is color, quasi paleæ tritici, quoniam significat bonam bilis permistionem, nam si syncera, & multa bilis flaua deferatur ad intestina, flaua fiet egestio: sin prorsus nulla subflaua optima est, non valde grauiter olens. Natura effecit, vt vnicuique stercus suum malè oleat: quoniam iam naturæ eius contrarium est, & vt odore secernatur: nam noxium est. Refertur inter portenta humana, Commodum imperatorem stercus humanum immiscuisse cibis. Quidam tamen eo pro medicamento vsi sunt ad sinanchen, & tonsillas, tum inflammationes, vt Galenus refert (10. de simp. med. cap. de humano stercore) Stercus malè olens, valde fit ob putredinem prauam, vt in pestilentibus: vel ob colliquationem, vt in ardentibus febribus: vel ob cruditates, vt in pueris. Quod ad vermes attinet, Galenus in libro de Formatione fœtus negat formari eos ab opifice eodem, à quo homines: dicitque credere hoc prope ad impietatem accedere, mittamus hæc: potius illa attingamus, quæ docet quartodecimo Methodi medendi (In fine) scilicet quòd prius expediat illos occidere, quàm emittantur: nam viuentes, inquit, resistunt. Igitur videtur loqui hic de mortuis, non viuentibus. Sed cur adiecit teretes, & morbo ad iudicationem tendente? Aliàs de horum generatione, ac natura locuti sumus. In vniuersum, vermium duplex est generatio, quidam ex putredine fiunt, vt qui sub terra in fimo, in corporibus humanis, & in fructibus generantur, qui in nulla alia animalia vertuntur, atque hi planè oculis carent, quoniam frustra fuissent illis facti, at quidam gignuntur ab animalibus, vt muscis magnis, quos vidi: item à papilionibus omnibus, præsertim bombycum, & sunt ex erucarum genere: & pisces, & ranæ: atque hi sæpius oculis præditi sunt. Quam differentiam Galenus non videtur cognouisse secundo de Semine (cap. 5.) cum dixit, vermium plerisque nullos esse oculos: aliis vestigium eorum solùm. Quinimo & pisces omnes, qui ex limo generantur, aut maris illuuie, velut apuæ, ex vermibus fiunt. Vnde nota est illa triplex distinctio generationis animalium, alia enim fiunt ex animalibus: alia ex ouo prodeunt: alia ex vermibus, velut mures, qui ex putredine ipsa generantur. Disputat de horum generatione locupleti sermone conciliator (Differen. 101.) sed nos vtiliora tractabimus, tum præcipuè, quoniam hæc doctrina est admodum exiliis de vermibus in Medicina.

Prima regula est, quòd lactantes pueri, antequam alio cibo vtantur, apes non edunt. Secunda: Infantes sunt maximè illis subiecti ob intemperiem cibi, & maximè edentes mora (nam ex illis generantur) & etiam ob temperaturam humidam, & breui ex illis intereunt ob conuulsionem. Tertia: Pueri à septimo anno ad quartumdecimum sunt subiecti vermibus, sed raro intereunt, multò minus adolescentes, & iuuenes subiiciuntur huic morbo: sed quantò rariùs affliguntur, tantò magis in febribus periclitantur. Quarta: Senes vermibus obnoxij sunt ob prauam coctionem: & ex eis etiam intereunt, velut narrat Hippocrates de illo sene, qui obiit, quarto Epidemiorum (pag. 10.) sed videtur ob verba adiecta intellexisse, quòd suprà (pag. 2.) prodierit, senes enim magis pereunt: nam Thersandri vxor, etiam quod laboraret febre acuta, cùm supra lumbricum emisisset, liberata est, dicit ibi Hippocrates. Valescus de Taranta recitat, quòd signum vermium efficax in senibus est dolor ilei, & coli validus, qui aliter non sedatur: & ego idem in aliquibus mulieribus expertus sum. Quinta: Vermes in pestilentibus febribus si prodeant, seu viui, seu mortui, malum sunt signum: quoniam materiam indicant adeò malignam, vt ferri non possit, etiam ab alumnis suis, quoniam multo deterior facta sit, & est Valesci. Sexta: Vermes ab initio morbi si prodeant, malum signum, cum nihil ab initio morbi prodire debeat, cum natura tum quiescere soleat: & etiam, quia magnitudinem putredinis indicant. Septima: Vermes in incremento morbi melius est, vt sint viui, quàm mortui: nam mortui significant prauitatem materiæ, ab initio melius est prodire mortuos, quàm viuos supra semper mali: minus tamen in vigore morbi, vel prope: sed in statu infrà plerumque boni. Hippocrates his non adiecit de lumbricis, quia nunquam possint esse boni, quoniam generatio eorum est præter naturam: sed vt intelligeremus, quòd non sunt adeò mali vt vulgus putat. Sunt etiam boni, quoniam natura rectè agit materiam prauam commutando in animal, quod non est adeò noxium membris principalibus, quanquam hoc parum sit, quia materia in intestinis continetur absque venarum participatione. Generantur autem & in vtero, vt narrat Hippocrates & in auribus, & in vesica, ac renibus, & ventriculo, & intestinis.

Dicebat Hippocrates secundo Prædictionum (pag. 12.) Quæcunque subbiliosa vomunt per multos dies à ieiunio, vterum gestent, neque febricitent, si non euomuerit lumbricos rotundos, prædicendum est vomituras. Dixit ergo (lumbricos rotundos) quia hi calidiores, & ex putredine humoris, generantur: cucurbitini autem, & alij potiùs ex cruditatibus ortum habent. Sed dicetis, qui lumbricos eiecit in septima, mortuus est in vndecima, primo Epidemiorum (lang. 12.) Galenus nihil de more: respondeo, quòd irritata non sponte, & liquida excreuit.

PROGNOSTICON XIX.

OPortet autem in omni morbo mollem esse ventrem, & iusta mole præditum.

COMMENTARIVS.

QVærat hic iure merito, cur transierit à fæcibus ad ventrem, tum maximè cum superius tum multa de ventris tumoribus locutus sit? Deinde, quod aliâs dixerit: In quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est: multum verò extanuari, & contabescere, prauum: sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum. Respõdemus, crassitudo hæc non opponitur iustæ moli præditum: atque ibi de parte ventris inferiore tantum agit, hic de toto ventre: ibi de crassitudine, hic de mole, nam crassitudo ad substantiam refertur, moles ad contenta. Hæc autem mollities non abscessui opponitur, non autem tensioni, cum etiam, vt dixi, ibi nunquam de ventre, quo ad excrementa contenta, comparato habuerit sermonem, sed solum quo ad membra, & partes. Itaque iure additum est hic: Oportet autem ventrem in omni morbo esse mollem, & iusta mole præditum: scilicet, vt exponit Galenus, vt ex mollitie neque flatus, qui tendat, neque conuulsio, neque fæces duræ adsint à flatu enim refrigerantur contenta membra, præcipuè neruosa, & exanguia, ventriculus, & intestina, vesica, & dolor excitatur: à tensione dolores, & contractio perniciosa: à duritie fæcum difficultas deiiciendi aluum, & periculum doloris colice, aut iliaci, qui si superuenerint in morbo acuto, occidere solent. Si etiam sit nimis repletus, aut inanis, malum est signum: quanquam Galenus solum tenui eum opponat. Ergo si nimis plenus sit indicat frigiditatem, aut confluxum humorum ad locum, quod ab initio malum est: aut flatum, sed minorem, nam omnis materia, vt habetur, in libro de Multitudine (capite 10.) primò replet, inde tendit: quodcunque fuerit, malum signum est. Contrà si omnino inanis sit venter, adhuc malum est signum: scilicet quòd vel non assumat cibum, vel si assumit, vt statim delabatur. Memini puerum nobilem Mediolani Petrum Antonium Casatum dissecuisse, quem suspicabantur veneno interiisse, quod tria millia, vt dicebant, aureorum in redditibus haberet: inueniisseque inter cætera intestina omnia inania, vt nihil prorsus esset fæcis: mirabile dictu, laborabat & circa pulmonem in malè memini collecta aqua. Sed postquam in hos sermonem incidimus, iuuat declarare, quo modo se habeant hæc tria signa, tumor, grauitas, & tensio, ad plenitudinem significandam: quia in libro de Multitudine, dum Galenus antiquos euertere studet, adeò confusè pauca dixit, vt consulam cuique, ne tempus in eo libro euoluendo terat. Primum ergo simpliciter ipsa se habent per ordinem ad multitudinem, seu plenitudinem significandam, tumor, grauitas, & tensio: & ideo tumor significat repletionem: grauitas maiorem repletionem: tensio autem maximam, & hæc generaliter. Specialiter autem tumor semper significat repletionem, secundum vasa, non tamen secundum vires: neque magis vnius materiæ, quàm alterius, potest enim fieri, vt vasa repleta sint, & homo robustus, vt athletis accidit, nullam sentiat læsionem: & item, vt sit à flatu, sanguine, vel quauis alia materia. Grauitas non semper significat repletionem secundum vasa, quia potest fieri ob imbecillitatem virium: neque semper consequitur ad magnam repletionem, sed requiritur, vt sit ex materia graui, nõ ex flatu, & in membro suo prædito. Tensio est tumor adauctus: ideo easdem subit exceptionem, quas tumor, & cum illo conuenit, maioremque significat plenitudinem. Vt verò scias, cuiusmodi sit plenitudo, vt potè sanguinis, aut flatus, aut acris humoris, peculiaribus signis opus est: vt lassitudine, rubore, punctione. Hæc sunt, quæ toto libro Græcus ille cum tot verbis scripsit: atque vtinam vel hæc ipsa saltem docuisset. Aut ergo nesciuit, aut, vt dicebat Petrus Pomponatius, ex his ille vnus est, qui cum duo, aut tria sciret, voluit librum componere, &, vt in iustam magnitudinem liber excresceret, illum nugis replere, quod saltem clarè fecisset. Sed noluit, opinor, ne adeò apertè homines fucum deprehenderent, ideo supra modum obscurauit.

PROGNOSTICON XX. & XXI.

AT verò, aquosum valde, aut album, aut pallidum, aut viride, aut vehementer rufum, aut spumosum stercus egerere, hæc omnia mala sunt. Malum etiam est, quod exiguum est, & viscosum, ac album, & quod subpallidum, seu subuiride, ac leue.

COMMENTARIVS.

APponit nunc, postquam bona, aut non mala signa docuit, quæ simpliciter mala sunt. Obseruare autẽ decet duo, cum dixit egerere, διαχωρέειν Græcè, cõtinuatam actionem sub hoc infinitiuo modo significari. Alterum, quod cum dixit, aquosum valde, aut album, similiter valde album intelligere, cuius indicio est, quod subiungit, aut vehementer rufum: cum enim oratio ambobus extremis claudatur, κάρτα & ἰσχυρῶς, valde vehementer, media omnia eisdem aduerbiis continentur. Reliquum est, cum mala dicat hæc, & etiam exiguam deiectionem, an similiter sit intelligendum? nam quod albam malam dicat, non de eadem loquitur, sed in primo sermone valde albam, in secundo albam simpliciter, sed exiguam, & lentam

lentam damnauit. Proponit ergo duo genera deiectionis prauæ: vnum simplex, & aliud compositum, simplex diuiditur in tres species, in sumptam à substantia,& ab accidentibus, & à coniunctis:à substantia quidem aquosam damnat, est autem aquosum omne crudum tenue,& coloris aquei. Diximus enim in primo Epidemiorum (Comment.21.) super illis verbis:Æstate iam, & autumno alui profluuia ex biliosis tenuibus multis crudis,& mordacibus:quibusdam verò & aquosis, quod aquosum tria continet: quòd sit crudum:quòd sit tenue: quòd non sit coloratum. Ex his ergo manifestum est, quòd deiectio aquosa fit,quotiens calor naturalis nihil agit in materiam peccantem, præterea obstructionem,vt biliosa materia, non excernatur: quorum vtrumque pessimum est animaduertendum tamen, quòd magnum discrimen est circa tempora: nam in principio morbi parum absurda est, in comparatione incrementi, & in ipso incremento etiam differentiæ sunt, in fine enim eius lethalis est admodum: sed in statu statim interficit, sicut in principio incrementi magnum periculum affert, & mortem, sed tardius.Ita in ætatibus,in pueritia, & iuuentute deterior, quàm in senectute:& in morbis in lienteria minus mala.

Alba verò deiectio, vt ab ordine incipiam, describitur à Galeno perpulchre primo Prorrhiticorum (Comment.13.) tribus modis:vno cum ingeruntur alba, velut lac, ptisana, & quæ ex Saccharo constant, & amygdalis.Sed tamen dicit ibi Galenus, defluente ad fæces bile,fit pallida deiectio non simpliciter alba: non enim ex morbo regio adeò pallidæ fiunt deiectiones, vt sint albæ, sed dicit,quanquam egestio, seu deiectio sit similis cibo assumpto, aut parum ab eo differat,nihilominus non fit verè alba,nisi cum bilis omnino in sanguinem tota defertur, nec quicquam permeat ad intestina, & hoc vel ex obstructione vehementi,vnde impleto corpore bile cerebrum læditur in acutis morbis, persæpeque transeunt in Phrenitidem.Est & alius modus longè deterior, cum bilis tota superiùs defertur ob inflammationem in superioribus partibus iecinoris, scilicet gibba, vti septo transuerso iungitur:in hoc præter commune detrimentum cerebri & sanguinis adest peculiare,scilicet inflammatio ipsius iecoris, postmodum tangit pallidam, de qua dicebat Galenus secundo (Comment.8.)in tertium de Morbis vulgaribus, pallida & flaua bilis communes sunt in excrementis sanis atque ægris, in vomitu etiam: nam Hippocrates loquitur de deiectione. Dicebat Galenus flaua & rufa naturalis esse potest: & propterea dixit Hippocrates, valde rufa ac virulenta, vel nigra, non potest esse naturalis,cum ergo pallidam damnauit in morbo acuto, intelligendum est de pallida simpliciter: quoniam significat obstructionem, & periculum, ne bilis ob caliditatem febris deferatur ad caput.De viridi non est,vt dubitemus: quia fit omnino præter naturam, est autem eadem cautio obseruanda, ne scilicet ob ingesta talis euaserit. Philosophus in secundo de Plantis viridis(capite secundo)causam refert:quoniam dicit, humidum mediocriter concoquitur, nam albæ sunt intus dicit, quia meliùs intus concoquuntur. Verum ibi de naturali concoctione agitur. Sed in præternaturali duplex est ratio:quia,quod subiicitur,vel est pallidum, & ita per vlteriorem exustionem viride redditur:fit etiam permista nigra bile cum crocea:tertium modum inuenere Arabes, cum nigra bilis vlteriùs exuritur, & Auer.(3.coll.cap.3.)credit,quòd fiat ex permistione bilis nigræ cum flaua superueniente putredine, & quòd tales febres ob id sint insabiles, & iam Galenus superiùs de hoc colore egit,& infrà etiam, dicens, viridem colorem prauum significare humorem,idem tertio in sextum de Morbis vulgaribus (3. in prim.Epid.Comment.34.)super illis verbis:Qui subuirides,nigrique sunt,aut subuirides,aut rubri,& virides,dicit subuiride fieri,cum albedini mistus est pallor, viride autem, cum bili pallidæ nigrum admiscetur. Rursus tertio in sextum de Morbis vulgaribus (Comment.32.)cum haberet pulchram occasionem exponendi,non ausus est declarare:sed primo de Crisi (cap.11.& 12.) dixit, viride fieri ab æruginosa bile: & quòd est principium nigri, &, vt in vniuersum dicam, Galenus non attigit, neque cognouit causam viridis præter naturam, dico ergo, quòd flauum aliud est admistum nigro,aliud est purum, & cum exuritur, purum fit rubrum: cum verò fuerit admistum nigro, fit viride, quod experiri possumus in mistis: nam experimentum id docet,vnde palàm est Galenum hoc ignorasse,qui cum viridis emplastri causas doceret secundo de Compositione medicamentorum (cap.4.) secundum locos,nesciuit alium modum faciendi docere, quàm per viam mistionis æruginis. Ex quo patet, quare istud signum fit pessimum, nam significat exustionem maximam & materiam prauam, ergo color hic deterior est nigro:quia niger potest fieri ex vna tantum causa: harum & viridis exigit ambas. Sed modò videndum est de colore viridi, an possit fieri à frigido,& quomodo, & dico,quòd Auerroes quarto Collectaneorum (cap.22.) dicit, quòd omnis color viridis fit à frigido præter æruginosum & prassinum, qui fiunt ex exustione, & colorem pistaceorum, qui etiam manifestè fit à calore. Et videtur probare hoc: quia color viridis est in via ad nigrum, sed niger fit & à calido, & à frigido: ergo etiam viridis. Quæro quomodo color niger fiat à frigido?nam carbones fiunt nigri à calido, succedente frigore, & non à frigido simpliciter. Secunda dubitatio est, quia præsupponit, quòd viridis habeat alias species vltra illas tres:& operepretium fuisset, vt doceret, quænam sint illæ, & quomodo dignoscerentur,& tertia dubitatio est, quomodo color viridis fiat ex nigro?& pro tertia dicamus cum illo id,quod ipse ait in quinto Collect.(c.29.)& quinto Physicorũ quòd colores medij componuntur ex externis:licet oppositum dixerit decimo Methaphysicæ(Comment.6.19.& 52.) sed non est locus disputan

disputandi hic de quæstionibus philosophicis. Ad aliam quæstionem dico, primùm quòd, vt habetur in primo de Generatione animalium ab eodem (Comment. 7.) quòd color fit per admistionem lucis, & aëris cum terreo, vel aqueo, & dat exemplum (suprà cap. 6.) de spuma, quæ est alba: & ideo cum lux pauca admiscetur terreo, fit nigrum. Alio modo exposuit quinto Collectaneorum quòd albitudo fit ex admistione partis igneæ claræ, cum corpore peruio: & nigrities ex igneo tenebroso cum corpore opaco, & tam nigrities, quàm viriditas fiunt à siccitate, ergo eum siccum, & terreum possit fieri à calido, sicut in Æthiopibus, & à frigido, sicut in vino, & sunt exempla Auerrois: igitur frigidum est causa nigritiei, terreum separando ab humido, & ab igneo, & à substantia tenui, & à calido per separationem, quæ attrahit. Sed separatio, quæ attrahit, potest fieri in breui tempore, & separatis, quæ exprimit, non, nisi in longo tempore: propterea dicebat in primo Cantieæ (Texto 326.) Princeps: Nigrities fit ex diuturno frigore, ergo apparet causa viridis, & nigri à frigore, & à calore, quia fit per siccitatem, & priuationem lucis, & aquei, & tenuis substantiæ, sed à calore in breui tempore, sicut videmus in ossibus positis in ignem: à frigore autem bifariam, vel à frigore extinguente calorem, sicut cum ex pruna fit carbo, vel à frigore exprimente, & hoc fit in longo tempore. Sed omnes istæ causæ, scilicet siccitas, extinctio caloris, & materia terrea, & defectus humidi, & substantiæ tenuis & igneum tenebrorum sunt signa naturæ contraria & causæ maximè inimicæ illi, ergo nigrum & viride sunt lethalia signa in excrementis morborum, & prauæ dispositionis in sanis. Est etiam intelligendum quòd nigrities & viriditas fiunt bifariam à calore, non tamen à frigore secundum rationem adustionis, quod raro accidit sicut in ossibus: & secundum exhalationem, & tunc vt in primo casu adest materia, hic adest tinctura velut in fumo olei de lino quo impressores librorum vtuntur & in caligine quæ fit ex fumo, in qua etiam deprehenditur manifestè terrea substantia. Ad secundam dubitationem dico quod intelligit per omnes colores virides herbaceos, præter illos qui nigricant, nam si per porraceum intelligas ex dictione græca splẽdidus est color & non niger: sin autem colorem prassij, id, est, marrubij (nam Græci habent πράσιον quod est marrubium, & πράσον quod est porrum) haud dubiè colorem brassicæ etiam excipiemus, & non videtur necesse, & porraceum quidem colorem videtur agnouisse Aristoteles seu Author libri de coloribus, sic autem excipietur tantum vnus color scilicet viridis cum splendore & purè viridis quem describere difficile esset: melius imaginando deprehenditur, sed & pistaceus quadruplex est: corticis exterioris & corticis duri: & præterea corticis interioris & ipsius pistacei, & pistacei color manifestè est viridis nigricans, sed exterior non est viridis imò conuenit, quia dicit Auerroes quod est mistus ex flauo & viridi, & talis corticis exterioris pistacei: ergo verè non excipitur nisi vnus color scilicet æruginosus qui est splendens & paulo nigrior est porraceus, & istud verisimile est, quia calor facit splendorem: ergo cum vterque splendeat vterque fit à calore, & etiam quia Galenus secundo de Temperamentis (capite sexto) dicit quod homo cum ederit olera calida: ergo præsupponit viridem colorem illum esse à calido. Præterea appellat bilem reliquæ: igitur species coloris & viridis sunt foliorum omnium plantarum, & propter hoc dixit Auerroes omnes alij colores virides, quia innumeri sunt, licet enim plantæ omnes habeant virida folia, tamen viriditas illa valde diuersa est in eis.

Aut spumosum) declarat Galenus, tum hic, tum in septima Aphorismorum (Comment. trigesimo) quod spuma fit, vel à vehenti motu, & agitatione aërem in materiam viscidam induentem: & dat exemplum de mari, aut ex nimio calore: & dat exemplum de bullis, quæ fiunt, dum ferculum coquitur, & iisdem vtitur exemplis vtrobique exponit autem vnum singulare in tertio Prorrhitici (Comment. prim.) scilicet, quòd fit in febribus valde vrentibus: & ratio ostendit, quòd in febribus acutis non possit fieri ex flatu, & agitatione, quoniam à calore dissolueretur flatus, qui fit ex agitatione. Narrabat Galenus sexta Aphorismorum (Comment. sext.) ex Diocle, quòd spumosa deiectio solet sequi leuitatem intestinorum: idem quoque referebat secundo Prorrhiticorum (Comment. decimoquinto) quod deiectiones spumosæ, si syncerae sint, sunt valde malæ, deinde paulo pòst (Comment. decimooctauo) quòd spumosa est mala omnibus naturis, & præsertim si fuerit alba, dicit idem ferme de spumosa tertio de Victu in acutis (Comment. decimotertio) Spumosas deiectiones in Prognostico damnauit: & dicit, quòd fiunt à mulsa meraciore, & quod si fuerint puræ, & biliosæ, magnas habent offensas, dictum est etiam ex septima Aphorismorum, quòd spumosa deiectio aliquando prouenit à capite.

Malum etiam est, quod exiguum est, & viscosum ac album) Hæc est secunda pars: vbi agit de deiectione mala valde, quod apparet ex ordine, primùm, quia suis subiicit magis lethalem, quasi de lethali locutus sit: & etiam, quia plura comprehendit simul signa ex antedictis, si ergo illa signa per se mala sunt: igitur plura simul iuncta erunt longè deteriora. Non tamen vsus est alio verbo, quam mala, quia nec per se poterant dici lethalia, cum in egestionibus maximum malum requiratur ad mortem significandam: quia solum per accidens significare possunt, quia non significant, nisi super intestina ventriculum, & venas mesaræi, & cauam iecoris, & non multum: quibus debilitatis aut intemperiem patientibus mors etiam multùm abest, sed significant per accidens, vtpotè ratione humorum permistorum, qui aliunde veniunt: malæ

malæ nutritionis, vnde æger debilitatur: vel incommodi, vnde vt dictum est, surgendo debilitantur: vel ratione morbi in compositione intelligendo & vlcus in membris naturalibus. Erat etiam per se notum ex ordine, vt dixi, scribendi, quod per malum valde malum intelligebat, cum verò pauca sit, & viscosa significat consumptionem humidi pinguis, sed quatenus alba est, obstructionem, vt dictum est. Coniunxit autem paucitatem cum lentore, quoniam lentor fit etiam aliquando ab eduliis humorem talem generantibus. Sed tunc excernitur copiosus: ergo pauca deiectio, & lenta, non potest esse, nisi ob vehementiam caloris. Potest & quandoque pauca excerni, & lenta in febre non merito febris, sed ob moram, & vbi paucitatem: sed tunc non erit candida, igitur cum hæ tres conditiones simul iunctæ fuerint, necesse erit, vt fiat, & significet febrem exurentem. Et cum dixit:

Et quod subpallidum, & quod sub viride est, ac leue) Galenus conatur reddere rationem verbi ὑπόχλωρον, quod malè Cornarius vertit duobus verbis, tanquam duo sint, subpallidum, & subuiride: idque vt dixi, ei familiare est, velut Theodoro Gazæ. Sed non expedit in hoc casu, cum dictio habet duo significata, debet exponi sub magis vsitato tépore authoris, inde adiicere in margine reliquum, vnde Galenus bene dubitat, Cornarius malè interpretatur. Galen. ergo exponit, sub croceum posse intelligi bifariam: vel cósumpta pinguedine, vel putrefacta, quem colorem etiam videmus in sepo vetusto putrefacto: & hic est color subpallidus, seu subcroceus. Habetis rem exemplo declaratam à Galeno, quod raro facere solet: non curo de verbis. Sed si ὑπόχλωρον interpretetur subuiride, dicit fit ex bile rubiginosa vehementis consumptionis indicium est, scilicet quoniam colorem habet pistacei, vt antea dixi, deinde reuertitur ad declarationem leuis, etiã adducit causam, quia leuitas fit, quotiens vel natura æqualiter egerit: & tunc est optima, vel calor præternaturalis si similiter in totam materiam egerit: & tunc pessimum est signum, ideo concludit, quòd talis deiectio, & vrinæ, & quæcunque alia signa mala, cum fuerint similia naturalibus, vt potè lenia, æqualia, bene corporata, mollia, eò erunt deteriora, quia significant actionem, & dominium causæ præter naturalis sub forma naturalis: atque ideo perfectum. Sed ista ratio, licet videatur speciosa, tamen meo iudicio non est sufficiens, quia vellem scire à Galeno, quomodo calor præter naturam, qui separat, possit facere æqualitatem, & lenitatem? nam naturalis hoc facit, quia miscet. Dicendum est ergo, quòd calor naturalis est ille, qui dat formam: & cum apparent excrementa permutata in substantia, & diluta, & inæqualia, significat, quod licet sint mali coloris, vel habeant aliam malam qualitatem, quòd illa contingit ob motum, & agitationem: & ideo calor præter naturam non perfectè ex hoc dignosci potest, an dominetur naturali, quæ istud contingit ei forsan ob agitationem, sed si fuerit æqualis, vel lenis, impossibile est, quod fit cum agitatione: ergo significatur dominium perfectum caloris præter naturam super naturalem: & ideo hoc est deterius longè. Et si quis dicat, quomodo potest calor naturalis victus à calore præter naturam efficere illam æqualitatem? Dico, quòd in ventriculo vincit, & in iecore vincitur: ideo transmittuntur humores, aut vapor, qui tingit fæces illas. Et sic scire, est verè scire, & veram causam cognoscere, sed Galeno parcendum est, quia ignorauit philosophiam.

PROGNOSTICON XXII.

His verò magis lethalia fuerint stercora nigra, aut pinguia, aut liuida, & malè olentia.

COMMENTARIVS.

Exponit pessimam deiectionem. Dictum est autem de nigra satis in præcedenti lectione: de liuida Galenus non rectè sentit, nam liuidum fit bifariam, vel quia parum bilis nigræ fæci admisceatur: & tunc sumus in casu Galeni, sed hæc non est adeò mala: fit & liuidum, quoties natura exurit humidum, velut fumus est liuidus, quia est humidum ab igne dissolutum, & maximè cum refrigeratur: & ideo plumbum, cum liquescit, est album, sed in superficie est liuidum, & cum congelatur, ergo liuidum huiusmodi est ad vnguem, sicut nigrum tertij modi, nisi quod in nigro aduritur terreum, in liuido aqueum, verum in vtroque fit exustio à calore præter naturam, & extinctio caloris naturalis: liuidum ergo huiusmodi minus malum est, quam nigrum sui generis, ergo nigrum est semper deterius. Sed quia liuidum nunquam potest esse secundum naturam, & nigrum propter fæcem sanguinis potest esse naturale: ideo liuidum aliquando dicimus esse deterius nigro. Palàm est ex dictis, nigram deiectionem non esse prorsus lethalem: Galenus tamen in libro de Atra bile (capite tertio,) dicit neminem vidisse ex his, qui atram bilem deiecissent, seruatum. Et alibi iam qui exactam atram bilem deiecerunt, omnes mortui sunt. Quid si concocta sit? Quorsum astrinxit Hippocrates dictum suum: Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel suprà vel infrà exierit, lethale est: si generaliter, verum esset? At ego in quibus vidi, id verò raro contingit, mortui sunt: sed à coctione minimè. Quare raro id accidere existimandum est: ob id etiam pluribus inuisum. De optima, seu pingui causa est manifestissima, & declaratur à Galeno in Commento: & est dissolutio pinguedinis. Sed notandum, quod ipse dicebat in decimo Artis medendi (capite vltimo) triplex esse humidum pingue: pinguedinem scilicet externam, seu adipem, & hoc est minus malum: pinguedinem solidorum, & hoc est pessimum, & exitiale: & pinguedinem carnis, & hoc est medium, & similiter rations

ratione temperaturæ corporis :in pinguibus enim parum absurdum est,in macilentis & siccis valde timendum. Cum ergo pinguedo apparet, considerandus est color:& si sit albus longè,minus malum est,fit enim ex pinguedine dissoluta intestinorum,vel omenti: & est mirabile,quod possit penetrare Et caue te etiam , ne vos decipiat species pituitæ liquefacta vel abscessus disruptus : omnia enim hæc inter se quasi similia sunt.Inde cōsiderare oportet,si confestim veniat,aliquādo signum est naturæ se exonerantis:sin perseueret,non nisi mala esse potest,nam pauca, signum est febris malignæ , & multa colliquantis,& de febribus colliquantibus videte Galenum duodecimo artis curandi (cap.5.) quartum signum. Generaliter pinguis egestio,aut pauca,nec fœtida,vt in hecticis,aut mulra,nec fœtida,cum adeps solus dissoluitur,non malè olet,quia pinguedo parum putrescit:mala est & colliquationis,sed non vehementis signum:pinguis & fœtida rubens carnis dissolutionem significat,pessima pinguis multa malè olens,glutinosa,quæ pestifera est.

Malè olentia) Dictum est superiùs à Galeno(prim.Prognos.vltimo) quod exuperans graueolentia significat corruptionem,dicebat idem in libro de Differentiis symptomatum(capite quarto)corruptelam concoctionis sequitur graueolentia in deiectionibus alui. Aristoteles tertiadecima Problematum (Probl.5.)dicit, quod graueolentia augetur calore:& ideo quantò calidiora excrementa fuerint,& paulo antè deiecta,tantò deterius olenr, ideo quandoque accidit medicum decipi,& maximè in hyeme:quia non sentit grauitatem odoris,& interrogare debet astātes,secundò dicit(capite duodecimo) quòd quando mouentur,magis pedent:& ideo debent agitari,tertiò dicit(capite octauo)quòd causa fœtoris est,vt maneant loco concluso: & ideo fæces aliquando amittunt malum odorem,quando fuerint in loco perflato, & contraria ratione acquirunt etiam, quod nō haberet antea,maximè cum liquidæ fuerint, ex loci qualitate,scilicet si conclusus fuerit, & calidus,sed plerunque euenit , vt magis fallantur,quòd amiserint odorē,quam quòd iusto plus auxerint. Adiecit præterea Aristoteles(primo)quòd fæces quanto magis retinentur,tantò minus fœtent vrinæ:aut contrario modo quantò magis retinetur , tantò magis fœtet , intelligitur istud de febribus siccis , nam humidæ,vt dixi priùs (octauo) quanto magis retinentur,tantò magis malè olent.

PROGNOSTICON XXIII.

QVæ verò varia diuturniora sunt his sunt , nihilominus autem perniciosa : sunt autem talia ramentosa , & biliosa , & cruenta , & prasina , & nigra , aliquando simul inter se exeūntia , aliquando particulatim.

COMMENTARIVS.

MVltitudo humorum exeuntium, dicebat Galenus, & longitudinem morbi significat,necesse est enim,vt qui multos cogitur superare inimicos,multo etiam tempore indigeat:in longo autem tempore,& multiplicibus humoribus, vix fieri potest , ne ægro quicquam adueniat, quod mortis causam non afferat , primum quidem ex ratione humoris,seu sit niger , seu viridis , seu liuidus: isti enim ttes colores maximè lethales sunt : accedunt & reliquæ conditiones, quæ recitantur in textu,sed & est ratio,quæ à Galeno(2.Prognos.Comment.50.)recitatur, quoniam in longis morbis idem accidit, quod in itineribus , scilicet vt vix possint euadere quin aliquod inconueniens superueniat,seu ex parte ægri,seu astantium, ne dicam etiam medici , seu casu aliquo superueniente. Connumerat autem prasina , & nigra , de quibus dictum est : nam prasina viridia sunt. Neque ergo intelligendum de omnibus his , cum nimis rarò contingeret: neque de vno tantum , nam non paria sunt ramentosa,biliosa,cruenta nigris,aut viridibus: sed vt ex tribus prioribus duo saltem, ex duobus posterioribus , vnum saltem appareat. Quomodo autem ramentosa , & cruenta mala sint , Galenus exponere oblitus est : nam de biliosis abundè supra dictum est , rufis ,pallidis,atque huiusmodi. In vltimis tamen verbis docet vnum , quod erat dubium(scilicet quia poterat intelligi de varia simul,& per successionem vnius ad alteram)dicens se de vtraque intelligere, modò de ea,quæ succedit vna alteri,vt potè modò biliosa,modò ramentosa:vel si varia mista ex pluribus ex his adueniat. Cum verò dixit ramentosa,ξυσματώδεα idem in Aphorismo(7. par. 54.)& quibus deiectiones οἷον ξύσματα, veluti stirgmenta,vt appareat nullum fermè esse discrimen,nisi in conuersione,ergo talia humorem erodentem significant. At dices, nonne humor erodens sæpe apparet, & tamen euadit æger,velut in dysenteriis dolorosis,in quibus talem humorem esse necesse est;Nota,quòd hæc regula est, quam nullus medicorum animaduertit,& tamen est generalis,& vtilis : Omne symptoma in morbo non composito debet mensurari iuxta naturam morbi principalis. Ideo erosio est per se morbus longus,& minimè lethalis:si tamen in morbo acuto eueniat , terminatur , & exacerbatur : & omnia consequitur , quæ sunt propria morbo acuto, & ideo augebitur de tertio in tertium diem, si acutus morbus talis sit , & in diebus iudicatoriis sæuiet (Et apparebunt excrementa nigra,vel liuida) At quia dixit,cruenta etiam(nam per biliosa intelligit mera:non enim meminit,nisi prauarum,biliosa autem,id est,bile mista laudabilis est,vt suprà(Tex.35.) dixit) Galenus in primū Prorrhitici (Comēt .2. in fine)circa hæc duo pulchra dicit. Primū, quòd cruenta excrementa

excrementa trium sunt generum:mera , & mista proluuiei valde,rubræ & tenui in ventrem confluente ex iecore : interdum pauco sanguine acri,ac mordente ac velut semicocto tenui,& aqueæ substantiæ permisto,liquet ergo,cum hæc per se praua admodum sint,& malum affectum in iecore ostendant, tum tamen cum morbus viget acutus,vt dixi, deteriora non parum esse.Alterum , quòd quemadmodum ventriculus corrupta concoctione se exonerat,ita iecur , & in vtroque apparent excrementa tenuia, liquida,acria, sed ex iecore sapiunt cruenti naturam , sed quoniam in quarta Aphorismorum(cap.47.) dicitur fermè oppositum:propterea qui commentaria nostra habent,illa consulant.

De hâc autem varietate fæcum, quomodo debeant intelligi,habetis quatuor exempla in tertio epidemiorum,& primum dico, quòd non solum intelligitur de fæcum mutatione,sed etsi ex lubrica aluo fiat astricta: & rursus ex astricta lubrica , nam in Pario, inquit in septima(lang.prim.2.ord.) ab aluo biliosa pinguia prodierunt:duodecima secessus biliosi tenues multi : & quadragesima aluus non multo tempore suppressa est. Et pòst inquit:In recidiuis aluus astricta erat, & rursus soluta. Demum concludit in hæc verba:Huic aluus assiduè à prima die lubrica fuit ex biliosis liquidis multis:aut astricta ex feruidis,& crudis : mortuus est centesima vigesima die.In puerpera verò,quæ in Thaso (lang.2.eiusdem decumbebat apud frigidam In octaua aluus turbata ex multis tenuibus, & aquosis bile permistis : in vigesima alui secessus iidem:in sexagesima aluus biliosa pauca egessit:octuagesima obiit.Vbi non solum varietas egestorum,& suppressionis,sed etiam multitudinis meminit. In Apollonio autem,qui in Abderis(lang.13,eiusdem) A principio nihil memorabile de ingestis deiecit , sed in quartadecima aluus turbata est multis biliosis , meris,crudis. Secessus inde variè habebant:aut enim nigri , & pauci,ac æruginosi,aut pingues, crudi , & mordaces: per tempora autem videbatur etiam lactosa egerere,circa trigesimam secessus multi tenues,mortuus est trigesimaquarta die , tandem concludit :Huic perpetuò , ex quo ego noui aluus turbata. Adolescens autem in Melibœa(lang.16.eiusdem)qui in vigesimaquarta obiit,ab aluo prima die stercora multa demisit,cum magna defluxione:sequentibus autem diebus multa deiecit aquosa,cum virore pallida : & in decima secessus multi tenues,aut biliosi,& pingues. Ergo & quod varietur,intelligatur in natura fæcum, & in astrictione,& in multitudine: & quòd obierint,& quòd seriùs,luce clarius est.

Fieri tamen potest,vt etiam cum varietate illa,si fæces valde malè sint,homo pereat breui.De quo tamen exemplum nõ habemus. Sed illud animaduertendum,multos ex his, qui stercora solùm deiecerunt,breuissimo tẽpore obiisse:velut Erasmus Philistes & Phreniticus(primo Ep.lang.8.3.Epid. lang. 4.1 ord.lang.4.2.rod.)

Sequitur difficultas magna,quæ ex textu præcedẽti exoritur, scilicet cum dixit, ὀλέθρια δὲ οὐδὲν ἧσσον id est, nõ minus lethalia,scilicet an plures seruari possint cũ his signis,quàm ex præcedentibus, vbi mors breui imminet? Estque hæc quæstio alia ab ea,quæ tractata est quarto Contradicentium (contrad. 30.) nam in ea comparatur vnum genus morbi alteri,in hac morbus morbo eiusdem speciei. Si ergo pares sint morbi,periculosior est longus,quoniam in eo est occasio maior peccandi.Præterea in longo morbo non adest motus:igitur certiùs iudicatur de morte.Sed est in longo morbo maior imbecillitas virtutis: igitur maius periculum.Sed oppositum ostẽdit experimentum : etenim qui in longum producuntur morbi,minùs perimunt,& plerumque euadunt.Accedit,quòd minùs mala est mista ex pessima,& non adeò mala.Præterea,quomodo poterit esse lõgior,si sit morbus acutus?Dico ad hæc, quòd Hippocrates censet,quòd prior sit periculosior secundum naturam propriam:omnibus tamen comparatis,sunt æquè periculosi hi morbi, quia ex diuturnitate fiunt periculosiores , cum verò obiicitur,quòd esset morbus simul acutus, & diuturnus?dico , quòd Hippocrates hic tractat non solùm de acutis , sed etiam morbis, qui ex acutorum transmutatione accidunt, velut aqua intercute, & tabe,quos constat esse diuturnos.

PROGNOSTICON XXIV.

Flatum porrò sine strepitu , ac crepitu prodire , optimum est : melius est autem & cum strepitu exire quàm isthic reuolui , & qui sic progressus est flatus , aut dolere quid hominem significat , aut delirare , nisi sua sponte homo flatum emittat.

COMMENTARIVS.

Flatus,qui cum crepitu emittitur , aut ob licentiam emittitur :cum ille non curet astantes,vel quia amici sunt , vel quia illi subiecti : & tunc nihil absurdum significat, aliter ob delyriũ fit,aut doloris vehementiã: primum,si non animaduertat ,secundum , si animaduertat.Verùm si etiã non curet æger verecundiam,flatum sine crepitu melius est emitti,quod paucam materiam indicet,& vias latas contra:cum crepitu contraria , quæ deteriora sunt.

Intelligendum, quòd flatulentus spiritus fit ab humore crasso,dicebat Galenus primo. Prorrhitici(Cõ.vlt.)Vnde oportet scire,quòd flatus seu vapor quadruplex:aer scilicet, qui tenuissimus est,& per inspirationem hauritur:& flatus,qui est vapor ab humore crasso à calore educatus , qui dolores creare solet, nisi expellatur.Vnde Galenus quarta Aphorismorum(Comment.11.)propter flatuosum spiritũ interceptum in intestinis , qui exitũ non habent, fiunt tormina. Et flatus , qui facit oscitationes , & pandiculationes

de quo Galenus septima Aphorismorum (Cōment. 56.) quod oscitationes facit, & pandiculationes, est spiritus vaporosus: vel humidum flatuosum, quod in musculis (qui sunt instrumenta voluntarij motus) continetur. Quartum genus est eius, qui tendit virgam, vt Aristoteles quarta problematum (24.) Differunt autem substantia, & loco, aër fermè purus in pectoris partibus continetur: vapor crassus in intestinis: vapor crassior, sed non cum spiritu, in musculis, qui facit, vt dixi, oscitationes, & pandiculationes: & cum spiritu vitali, qui in virgam permeat, vnde temigo illa. Forsan dicet aliquis, spiritum vitalem solum contineri in semine: nō contendo. Verùm de spiritu, qui nobis inest, dabat exēplum Galenus appositum, secundo ad Glauconem (c. 6. in prin.) dicens, Spiritus secundum naturam est, qualis in Aquiloniis constitutionibus: morbosus autem in austrinis.

Aristoteles quarta particula Problematum (cap. 5.) dicit, quòd homo maximè est flatuosus: vnde nihil mirum, si emittat crepitus. Idē admonet nos, quòd non debemus emittere flatum, nisi vrgente necessitate, quoniam vel nimis emittitur, aut non totus flatus: vnde portio exigua relicta, cum non possit extrudi dolores, dicit commouet idem de eructatione. Et dicit idem accidit, quod in ramis arborum, qui auelluntur: nā vel aliquid relinquitur eius, quod auelli debet: aut aliquid auellitur vltra id, quod oportet, quorum vtrumque malum est.

Non est existimandum, quod ob tam leuē causam Hippocrates hoc proposuerit de crepitu ventris: sed intelligendum est primum, quod flatus magnus excitatur ab atra bile, vt Aristot. docet quarta & trigesima Problematum (31. & 1.) Vnde talis crepitus significat atram bilem. Crepitus etiā validus fit ex materia sicca sicut videmus in sale: & ideo crepitus ostendit si magnus sit terreum prædominari, præterea flatus qui in nobis abundat, alius est crassus, alius tenuis: qui crassus est multum lædit & non resoluitur, & difficilius propellitur.

PROGNOSTICON XXV.

CÆterum præcordiorum dolores ac tumores si fuerint recentes & non cum inflammatione soluit murmur in præcordio obortum & maximè quidem si pertransierit cum stercore, & vrina ac flatu: sin minus etiam ipsum per se si transierit. Prodest item, si subdescenderit ad infernos locos.

COMMENTARIVS.

CVm sermonem habuisset decrepitu vētris illūque damnasset generaliter, specialiter commendat ventris crepitum, cum κυρτώματα, id est tumores, vt rectè vertit Cornarius, recentēs adfuerint citra inflammationem: suntque collectiones ex flatu cum stercore vel vrina aut aquosa materia in intestinis contenta. Sed & si non transierit cum stercore, sed ipsum solum: Id est flatus solus: hoc enim non adeò bonum: vt etiam minus si solum descendat, non autem extra ventrem prodeat: Vt enim descenderit non prodit causa morbi scilicet tumoris ac doloris: vt verò prodierit flatus solus, causa quidem morbi liberatur æger: non tamen ab his quæ retineut causam & generant illam, sin autem omnia exeant ab omnibus & perfectè liberatur. Duos ergo proponit Hippocrates morbos: tumorem recentem sine inflammatione & dolorem, tresque modos solutionis: optimum, mediocrem &, minus bonum, qui omnes cum murmure fiunt. Sed murmur aliud est à crepitu: verùm si prodeat cū crepitu & maxime fæcibus & vrinis iunctus flatus indicat salutem non solum quia æger morbo liberatur sed per viam signi: cum natura videatur robusta & rectè operari. Murmur hoc quod Græcè borborygmon, de quo etiam Galenus egit vnde proueniat aliās docuimus in Cōmento quartæ sectionis Aphorismorum (73.) Verum quæ ad hanc materiā attinent declarare hic oportunum duco. Galenus tertio de symptomatum causis (cap. 3. pag. 6.) docet quinque differentias sonorum, in ventre & in exitu, crassi & tenuis, magni ac parui silentes & qui audiuntur iam qui crassi sunt bombi appellantur, & in magnis fiunt, ac latis intestinis, vt contra tenues in arctis. Et qui non prodeunt murmura vocātur. Quinta est obtusi qui fit à flatu vaporoso & clari qui à puriore aëre cumque borborygmon exauditur alui deiectionem ob motum & liquidorum ob soni naturam strepētis nunciat. Cum ergo sonus flatum & liquidam prædicat materiam: vtrumque autem scilicet flatus & liquida materia ab imbecilli calore naturalium membrorum proueniat membrorum naturalium, non leuem iacturā ostendit. At verò & hoc tertium quiddam declarat, scilicet multitudinem aquosi illius humidi sicut tenuis & exitij paucitatē. Fiunt autem talia aliquando natura expellente cū robore: sed non perseuerat. Fiunt & flatus sine humida materia, vel ob ciborum copiam, vel ob melancholicum aut habitū extenuatum. Cum ergo cum strepitu excretio mollis emittitur, præsertim multa atque perseuerat inspicere eam oportet: nam si sanguinea vel minimum apparuerit vel cruda, magni mali indicium est: vt potè iam iecur aut ventriculus non leuiter debilitata sunt. Et periculum est de hydrope altera dicta, sensim obrepente si perseueret, vel inuadente grauiter cum cessat, adeò vt languens sit vt dici solet inter scyllam & charybdim. Atque rarò euenit vt si excretio humida fiat ob iecoris imbecillitatem quin cum sonitu excernatur, quia intestina robustiora sunt & materia pinguior, vt gignere flatum magis possit quam in ventriculi imbecillitate. Quandoque etiam fit si non excernatur per aluum in huiusmodi casu vacuatio per vrinas: quod ad verbum docet

cet Hippocrates sexto Epidem. (Par.2. Tex. 38.)

PROGNOSTICON XXVI.

OPtima verò est vrina, cum fuerit alba, subsidentia, & leuis & æqualis per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus. Significat enim & securitatem & morbum fore breuem. Si intermiserit, & aliquando quidem pura mingatur, aliquando verò subsidet album ac leue diuturnior fit morbus & minus securus.

COMMENTARIVS.

POstquam egit de alui excrementis nunc incipit tractare de Vrinis, vt compleat signa vniuersalia: nam de sudore prius egit & de statu totius corporis: at in hoc argumento ero breuissimus quoniam res infinita breui sermone concludi non potest: referam ergo simpliciter sensum Hippocratis vt verba ipsa declarant. Proponit ergo duo circa vrinas: bonarum siquidem & malarum simpliciter, & generaliter indicia, pòst specialiter, ibi (Nubecula quæ inuehitur) In hac autē parte de duabus agit: optima & ea quæ optimam sequitur: optimæ quatuor apponit conditiones quòd sedimentum sit album leue æquale & toto tempore morbi perseueret: cur igitur album leue & æquale esse debeat sedimentum in tractatione de pure & alui excrementis quæ & ipsa leuia & æqualia esse debent, tū etiam perseuerare, vt vrina, ab initio ad finem vsque dictum est. Sed quid sit hoc sedimentum plures dubitant, nos ergo dicimus non absurdum sequuti opinionem, sedimentum fieri in ventriculo, & subterfugere naturæ operationem in venis sicut etiam in febribus materiam esse, quæ subterfugit naturæ opus, aliam quæ concoquitur (prim. de Criti capite duodecimo) cum enim natura morbo intenta non potest illam partem vt ita dixerim pituitæ concoquere quàm concoctura esset sano homine tunc signum est illam distrahi: ergo hæc cōcoctio celebratur in venis non in ventriculo neque in iecore, nā in ventriculo non impediretur cum morbus sit in venis, neque pariter in iecore, cum sit eadem ratio iecoris & ventriculi, nisi morbus esset iecori peculiaris, cum ergo ratro vna generalis est duobus oportet inuenire causam communem vtrique, quæ varietur iuxta diuersitatem temporum & cum hoc afferat diuersitatem in varietate eius quod vnum est. Exemplum: Vrina bona est communis sanis & ægris ratione vnius & eiusdem sedimenti benè concocti: ergo oportet vnum & idem esse fundamentum sedimenti, aliter cessaret sedimentum sani in morbo: aut tempore morbi oportet adesse duo sedimenta quorum neutrum accidit, hoc enim sensus ostendit: primum esse non potest & maximè in leui morbo vt cesset naturæ opus & res naturalis. Et quia in ægris ab initio sedimentum est crudum in statu concoctum sicut in sanitate, in sanitate autem est concoctum: ergo oportet postquam sedimentum est vnum, quòd in morborum initio natura impediatur, in statu autem relicta materia morbi iam superata & ipsa reuersa ad concoquendum sedimentum naturale concoctio appareat.

Tertium est. quòd hypostasis non est materia morbi in vrina, quæ signi locum habet: dum autem natura indicat hypostasis potest esse materia morbi. Ex quibus sequitur quòd in morbo lethali poterit esse vrina optima sedimenti ratione, quoniam iam natura se absoluit ab opere concoctionis materiæ peccantis: quoniam victa est, & tamen sufficiet ad concoctionem illius superflui primæ coctionis: vel quia morbus est pestilens, vel extra venas, vel in vno priuato loco, sicut in abscessibus viscerum, secundò sequitur, quòd materia sedimenti in morbis non est pars materiæ peccantis (totum dico) & quandoque nec portio (prim. (Prim. Prognos. vltim) Tertiò: quod non fit mutatio substantiæ sedimenti propter morbum sed eadem materia manet,

Quartò, quod sedimentum non fit in iecore, sed in omnibus venis in vnum consentientibus cum corde, ideo iecur etiam necessariò participatione salutem esse affectum, quia vniuersum venosum genus. Quintò, quod sedimentum potest dici fieri in tertia coctione & in secunda, in membris & in venis: quia quatenus fit in venis, & venæ habent originem à iecore, eatenus dici potest fieri in secunda coctione: quatenus autem fit in vniuerso venarum genere, & origo impedimenti ducit causam à loco materiæ, puta in morbo laterali quæ est in costis, vel in mesaræo adeò vt non fiat hoc propriè in iecore: ita dicimus, sedimentum fieri in tertia coctione, & in membris ipsis, non tamen ita vt fiat in materia, quæ iam venas exierit, & in membra ipsa sparsa sit. Sequitur etiam ex hoc, quod cum materia sedimenti sit in venis, & portio materiæ peccantis ibidem, vt leuissima & tenuissima portio vel saltem fuligo tingat sedimentum, & tamen non exeat materiæ peccantis vlla pars. Et hæc est causa, quòd vtinæ in morbis habeant sedimenta crocea, rubra, liuida, nigra, in quo differunt ab vrinis sanorum: & tamen non est materia morbi, quoniam in statu essent vrinæ crassioris sedimenti, quàm in initio, cuius rei experimentum ostendit oppositum. Quòd verò hoc sedimentum sit excrementum quoddam, seu in ventriculo genitum, seu resecatum à coctione, quæ fit in iecore, clarum est: nam sicut pus fit ex excremento agente in illud naturali calore, cum iam principium præter naturam contraxerit, eodem modo calor naturalis agens in illud excrementum conuertit in materiam puri similem, nam si vtilis esset illa materia conuerteretur in alimentum, & non expelleretur. Vnde liquet hanc materiam habere locum fæcis in secunda co

da coctione in comparatione ad sanguinem, seu humores in eo contentos, sicut fæx in prima coctione comparata ad vtilem partem quæ nutrire potest, quam chylum vocamus. Et ideo verisimilius est sedimentum vrinæ fieri in secunda, quam in tertia coctione (Vide 5. Contrad. 43) Ex quo etiam patet quòd in febribus vrentibus & in his maximè qui tenuissimè nutriuntur deest persæpe sedimentum in vrina, quia absumitur à calore febris immodico. Ex quo sequitur, quod si talis hypostasis bona perseuerauerit ab initio vsque ad finem morbi, quod hoc non potest contingere, nisi morbus sit leuissimus, aut extra venas, aut pestilens: sed non potest in morbo acuto hoc cõtingere nisi in primo casu, quia febris acuta impedit naturam à concoctione, igitur perseuerantia vrinæ optimæ in acutis est signum salutis & breuitatis morbi. Vide sexto Contradicentium 39. Forsan dicet aliquis cur non meminit substantiæ? dico, quod præsupponit eam etiam esse optimam, quia cum contenta sunt optima, vrinam necessarium est esse optimam, sed non conuertitur.

Si intermiserit & aliquando) Sermo demonstratiuus dicebat Auerroes (Prim. Physic. 71.) soluit omnem difficultatem, quæ accidit in re. Quoniam ergo si intermiserit sedimentum, & modo malum fuerit, materia morbi occupabit naturam, & ita signum erit periculi & diuturnioris morbi: Sed dicetis hic videtur sequi vnum inconueniens & absurdum, scilicet quod quando morbus est periculosior sit etiam prolixior cum hoc sit falsum: imò morbi acuti omnium sunt periculosissimi. Primo de Victu in acutis (Tex. 8.) Dico quod morbus acutus simpliciter est periculosior longiore: tamen bifariam longior est periculosior, vt etiam dictum est: cum in longo tempore plures errores contingere possint, & etiam si producatur vires debilitantur, & manet robur morbi. Nam in longis natura morbus etiam mitior esse solet. Quod verò dicit (pura) intelligit sine sedimento: hoc contingit bifariam vel propter obstructionem maximè in gibba iecoris: vnde hoc etiam est argumentum illud generari in ventriculo, vel in renibus vt in habẽtibus calculum vel ob febrem exurentem: tunc enim significat morbum esse crudum, apposuit autem hoc pro extremo: licet enim sedimentum nigrum aut viride sit deterius quam nullum, non tamen est extremum in cruditate, sicut sedimento omni carere, in hoc autem loco non est ei propositum tractare de malis vrinis (inferius enim id agit) sed de crudis, vt opponuntur optimis, bona enim vrina non debet esse cruda, neque peruersè affecta bonæ, ergo vrinæ duo genera opponuntur. Dicit Galenus (secund. prim. Doctr. tert. summa secund. capite octauo) quod si fuerit optima & constans significabit salutem in die sequenti iudicatoria: ideo cum Princeps hoc transtulerit in suum librum (& cum vrina apparuerit cum sedimento albo in acutis significat salutem in sequenti die) intelligendum est vt hic, id est, iudicatoria. Liquet autem ex hoc quod signum hecticarum & ephemerarum proprium secũdo modo est vrinam esse concoctam, quia materia carent. Huiusmodi vrinarum quæ variant exemplum habetur tertia sectione Galeni prim. Epidemiorum (Tex. & Comment. 23.) in Cleonactide vbi Galenus inquit: A quadragesima die scripsit varias fuisse vrinas interdum cum sedimento, interdum non id quod errantibus quidem accessionibus conuenit, nam illæ ex humorum morbos procreantium varietate proficiscuntur: sicut vrinæ coctæ & crudæ alterna vice si appareant crudos humores partim coctos declarant. Atque hoc generaliter verum: at illud in acutis verum non est sed symptomatum varietate decernunt cryses imperfectas aut malas & decubitus in membra.

Quod verò adiicitur de nebula & enæoremate, scilicet cum est in medio pendens intelligendum est, quod pertinet ad causam primam substantiæ illius, nam reliqua, vt dixi, suo loco transtulimus: quoniam signum est, quod materia illa est minus attenuata à calore, aut admista flatui: & tunc est diuulsa, aut quod substantia vrinæ est nimis crassa. Vnde dicebat Galenus quod ouum supernatat in aqua salsa. Et ob hoc inuenire expedit causam. Galenus multa circa hoc dicit, sed eam non reddit, vt cur ab initio pendeat inde subsidat. Si quis aspiciat ad verba eius diceret biliosam supernatare, & coctione crassiorem factam postmodum descendere, sed hoc, vt dixi, pendet ex falso supposito: sed ab initio sursum fertur, quia magis attenuatur illa materia, sicut etiam in pluribus sanis postmodum permiscetur, vt dixi, à calore per coctionem atque ita descendit. Et vrina diuulsa non significat coctionem, quia coctio miscet, & ipsa habet partes separatas: & flatus etiam est causa separationis, & flatus fit à calore debili. Demũ nos admonet, quod istud intelligendum est de febribus: quia fieri potest in morbo vnius particulę, vt vrina sit optima, & morbus sit lõgus, vt in laterali affectu, phrenitide, & aliis. sed de hoc in libris illis actum est, est enim grauis dubitatio.

PROGNOSTICON XXVII.

SI verò vrina fuerit subrubra & subsidentia eius similis, & leuis, diuturniorem quidem hæc morbum significat quam prior, sed valde salutarem.

COMMENTARIVS.

ADiecta est coniunctio in initio in Cornarij conuersione, quæ sẽsum corrumpit, quoniam videtur adnectere ad Præcedentia hanc sententiam. Dictum est autẽ alias, & in Aphorismis. Sed videte quantum referat bona dialectica. Galenus enim videtur pulcherrimã adducere expositionem, & causam reddere huius, dicens (4. part. 71.)

Vrina

Vrina huiuſmodi ſignificat ſanguinem,quã-uis ſeroſum & crudum,peccare : hic autem humor inter omnes mitiſſimus eſt : ideo ſecuriſſimus erit morbus licet diuturnior,hoc totum falſum eſt.Nã quæro à Galeno,ſi hæc vrina bona eſt,quia ſanguinem peccare oſtẽdit,quis humor peccabit in vrina cuius ſedimentum eſt album cum illa?& viſum eſt,& ipſe confeſſus eſt,ſit melior hac & breuiorẽ ſignificet morbum.At forſã dices,in illa ſignificatur morbi concoctio : igitur morbus ab initio concoctus dici poterit.Egimus de hoc in ſexto Contradicentium (39.)ſed pro nunc quantum ſatis eſt dicamus,ſit ergo huiuſmodi vrina ſubrubra proculdubio,quoniã pingue ac tenue ipſius ſanguinis miſcetur vrinæ,non tamen ſanguis eſt, ſicut in vrinis hydropicorum : & quoniam ſolum liquatur tenuiſſima pars,ideo calor non eſt vehemens, & quia humor eſt benignus,ideo morbus benè terminabitur :non tamen adeò celeriter, quoniam naturam ſignificat impeditam à morbi materia.Et ideo cum cõparat Hippocrates hanc præcedenti,id eſt,ei quæ ſedimẽtum habet album,leue,& æquale ſed inconſtanti,dixit hũc eſſe morbum diuturniorem, non ad hunc ſenſũ,quod ſemper hic ſit longior priore,ſed quod hic ſemper longus ſit, ille non ſemper , ſicut ſuprà dixit de nigro, quòd eſt minùs,id eſt,non ſemper pernicioſum,ſicut liuidum. Dixi enim , quod vrina quæ inconſtans habet ſedimentum ſignificat materiam diſſimilium partium, quarundam facilis coctionis,quorundam non adeò facilis, ideo morbus eſt periculoſior, & perſæpe longus,non tamen natura neceſſariò longus, at vbi vrina,& contentum eſt ſubrubrum eſt neceſſariò longus:ſicut qui habet variam coctionem eſt periculoſior,quia poteſt interficere , aliquando qui habet hanc ſubrubram ſeruabitur:non tamen id prohibet,quin aliquis morbus,in quo ſit iſta varietas ſedimentorũ,non poſſit eſſe multo longior, quã is,in quo totum eſt ſubrubrum:quia materiæ pars poterit eſſe benigna pars autem melancholica,& hoc videmus ſæpius. Cum ergo dixit(diuturniorem (ad genus ſemper eſt referendum:ad quantitatem autem modo verũ erit,modo non verum.Sicut neque quod prior ſit lethalior : poterit enim quantitate aliquis eſſe lethalior,ſed & aliis ſalubrior: genere tamen omnis morbus habens coctionẽ variã in ſedimento lethalior eſt habente vrinã ſubrubram.Nec dixit (rubram)quia licet fiat à ſanguinis fuligine, tamen facilè poteſt mutari in nigrã & mori.Vnde non eſt benignitas humoris ſola cauſa ſecuritatis,vt inquit Galenus,ſed calor præter naturã mitis. Quomodo autem non ſibiipſi contradicat alibi docuimus.

Animaduertendum tam in his quam aliis ſedimentis vrinarum coloribus,quod cum,vt dixi,fiant ex fuligine vel tenui materia miſta cum concoctionis tempus aduenerit ſeparatur illa materia,hoc enim eſt neceſſe , antequam expellatur:quarta Aphoriſmorum,ideo tunc remanet ſedimentum purum & in proprio colore.Et tunc natura agit tanquam in rebellem,materiam expellendo aut abſceſſũ faciendo aut reſoluendo eam & ita ſedimẽta crocea,viridia,rubra,vel nigra euadunt alba,& adeſt finis prioris morbi ſeu bonus ſeu malus aut tranſmutatio in aliũ.Et ideo iſtud eſt manifeſtum indicium,quod materia ſedimenti non eſt materia morbi , nam ſi ſuccedat criſis,nihilominus ſequẽtibus diebus eadẽ remanet hypoſtaſis. Oporteret ergo primum ſi ſecus eſſet ſub intraſſe ſtatim naturale ſedimentum loco materiæ morbi,& illi ad vnguem ſimile,quod quiſque videt merũ eſſe ſomnium.Ergo mutatio coloris ad bonũ propriè indicat ſeparationem materiæ morbi ab excremento naturali,& quia illa ſeparatio non poteſt fieri niſi concocta iam materia morbi, & ea præſuppoſita, igitur talis hypoſtaſis alba eſt etiam indicium concoctionis materiæ morbi.

Notandum eſt apud Hippocratem vrinę ſubſtantia in acutis morbis tendentibus ad ſalutem eſt bona, & ſolet eſſe bona , quo ad colorem & contenta : ſed non in contentis niſi cum proxima eſt iudicationi. Ideo ſi talis appareat ab initio morbi proximam indicat fore iudicationem. Quòd ſi ſubſtantiæ color tincturam habeat malum eſt, non ſic in contentis aut in intermittentibus : nam in his cum ſint omnia ſex tempora, aut ſaltẽ quinque in principio apparet cruda , & in augmento rubra eſſe ſolet:nec ob id magnũ malum timendum eſt.Hoc autem plurimum facit ad intellectum naturæ vrinarum.Dubitant etiam nonnulli propter dictum Galeni tertio de Criſi(capite 3 .) Neminem vidi,qui cum ſignis coctionis ex criſi obierit:dicuntque poſſe abſque criſi obire nõ cum illa:quia ſubiungit(cum ſignis coctionis(fieri non poteſt vt mala criſis ſequatur. Experimentum tamen,ſi intelligamus de vrinæ coctione cẽties docet nos oppoſitum,nam,vt dixi,vrina nunquam poteſt oſtendere coctionem materiæ morbi per ſe , cum ſedimentum non ſit illius pars,ſed ſequala quadam cum pura fuerit ſubſtantia,& ſedimentum indicatur, nec naturam eſſe occupatam circa materiã morbi,nec materiam inficere ſuſtantiam vrinæ, quod ſit ſeparata:ex quibus duobus indiciis ſimul iunctis coniectamur materiam eſſe cõcoctam, & tamen ô quoties fallimur. At ſi poſſemus habere certa ſigna coctionis non falleremur,ſed non poſſunt haberi :ergo neceſſe eſt,vt ſæpius fallamur,ſed ſi materia ſit extra venas perſæpe datur certa cognitio coctionis materiæ , ſed tunc fallimur propter aliam cauſam,quia neſcimus an habeat exitum,vt in pulmone & coſtis,at in cerebro,& iecore multo minùs,quia in his tria ſunt incerta:an materia ſit cocta:an habeat exitum vllum:& an dato,quod poſſit expelli.Sed hoc tertium vix vnquam accidit modo duo priora non deſint,quia talis expulſio ſit à facultate naturali,à qua facta eſt coctio. Sed dices,cur ergo ſi vrina non ſignificat coctionẽ materiæ in venis tantam habet ſignificationem in febribus ad ſalutem , adeò exiguam in morbis,quorum materia eſt extra venas; adeò vt Galenus dicat ſecundo in tertium Epidemiorum (Comm.6.) declarans caſum mulieris , quæ apud Tiſamenum laborabat voluulo bona vrina,tametſi exiguum pro ſalute in morbis qui ſunt extra venas indicium

afferat

afferat, mala tamen ad exitium magnum momentum habet. Dico, quòd hoc secundum dictum verum est, primum non ita: imo bona vrina magnum habet momentum ad salutẽ, vt constituantur tres ordines: primus & firmissimus cum quod significat est pars materiæ peccantis, vt sputum in morbo laterali: secundus cum significat naturam non incumbere materiæ coctioni, nec materiã tingere naturale excrementum, vt vrina in morbis, quorum materia est in venis: tertius cum significat naturã esse liberã à coctione materiæ, vt in morbis, quorũ materia est extra venas. Præterea dico, quod hic probat vrinam subrubram, sed non omnino. Ea autem multo deterior est rubra referẽdo partes ad partes, substantiam ad substantiam, contenta ad contenta, vtrumque ad vtrumque. Sed longè deterior est perrubra: nec oportet facere cõparationem iuxta excessum, nam etsi superrubra, tamen perrubra est longè deterior rubra quã rubra subrubra. Et has duas regulas comparãdi signa ratione magnitudinis, licet sint eiusdem generis maximè in excremẽtis, & præcipuè in coloribus, & excessu significati supra qualitatis excessum debes maximè obseruare. De subrubra rursus, quòd significet morbi longitudinem cum salute exẽplũ habes primo Epidemiorum in Cleonactide (lang. 6.)

PROGNOSTICON XXVIII.

AT subsidentiæ in vrinis crassiores farinæ partes referentes prauæ sunt. His autem peiores sunt laminosæ, albæ verò & tenues valde malæ sunt: verùm his deteriores sunt furfuraceæ.

COMMENTARIVS.

QVatuor sunt genera eorum, quæ per vrinam eiiciuntur, naturale sedimentũ, & naturaliter affectum: scilicet album leue, æquale, perseuerans: naturale sed non naturaliter affectum, velut diuulsum croceum rotundum in summa parte: non naturale naturaliter affectũ, velut quod expellitur à natura in crisi: vt arenæ & lapides, non naturale, nec naturaliter affectum, de quo est hic sermo: quando scilicet natura non vt exoneret se, sed quando calor præter naturam corrumpit partes corporis: & fungitur vice signi, vt in primo & secundo modo: non vt in tertio, in quo talis expulsio est per modum naturæ se exonerantis, nam vrina vno modo, velut & egestio fungitur vice signi alio modo est exoneratio naturæ pergrauatæ sicut quotidie contingit in opere naturali. Proponit ergo quatuor, quæ omnia in his conueniunt, quod non sunt sedimenta, nec ad illa attinent cum facta sint à calore præter naturã. Cuiuslibet enim sedimenti, seu boni, seu mali, materia est secundum naturã, non hic, secundò, quòd omnia sunt factaà calore præter naturam, ideo omnia sũt mala per se, tertiò, quòd omnium materia, ex qua facta sunt, est pars nostri corporis, non humor, primum ergo proponit sedimentum farinæ simile: idest, albius quam sit pro natura membrorum terreum & ficabile. Vnde primo Epidemiorum in Sileno (Sect. 3. Tex. 19. Minxit multum, quod sub crassum in matella euadebat, quod subsidebat erat simile farinæ crassioris, album. Hæc cum apparuissent decima die subiungit vndecima obiisse, non tamen secundum Galenũ ob id, qui nec eius signi meminit quidem, sed ob morbi vehementiam declarantibus aliis signis. Simile quid ei accidit hunc locum exponenti: nam modò vult esse partem alimenti non distributi, neque diuisi modo assato sanguine, aut carnibus, idem fieri contendit, sed enim malam esse vult, vt etiam septima Aphorismorum (Com. 30.) quoniam aut citò moriuntur, aut tardè sanãtur. Si enim vires sunt imbecillæ citò perit æger, si valide, vt qui in Dealcis horto habitabat tardè sanabitur, nam cum secunda die talia minxisset, siquidem, vrinæ tenues variæ in medio pendens quiddam habentes minutim dispersum: velut farinæ crassioris, & genituræ similis. At non animaduertit, quod illud non subsidebat, sed erat humor pituitosus spiritu plenus, qui solum morbum longum declarauit: at hic sermo est de his, quæ subsident solum, talia enim, quæ illi ægro aderant non naturaliter erant affecta, erant tamen naturalia: ideoque ex secundo genere non quarto contentorum. Placet tamen non parum distinctio illa Galeni, quod tres sunt partes nostri corporis solidæ, & vnaquæque bifariam diuiditur, pinguedo, caro, membrana, si pinguedo tenuis dissoluatur apparent vrinæ, in quibus pinguedo supernatat: sin autem crassa apparet materia similis farinæ crassiori, quam videmus sæpe in iuribus refrigeratis modò candidior, modò subrufra, & quasi subcitrina, vt isti vocant. At si sit carnis tenuius humidum fit vrina pinguis, & rubra: si verò crassum sit squamosa, aduritur enim prius quam exeat: licet ipse non satis potuerit, quam proposuit diuisionẽ Hippocratis dictis accommodare. Cum verò solidorum pingue dissoluitur fit oleagina, de qua etiam sermonem facturus est si crassum erit furfuracea. Constat igitur eosdem ordines seruari in prauitate: solum id superest, quod dicit, albæ verò & tenues valde malæ sunt, si quis Galenum consideret videbit, aut non intellexisse Hippocratem, aut Hippocratem in ordine, & re aberrasse, nam hoc tertium addi non oportuit, aut saltem vltimo loco poni. Sed melius fuisset, quæ non vidit, & ob id quale sit non intellexit prætermittere, quàm accusare Hippocratem, & confũdere veritatem λεῶλαὶ καὶ λευκαὶ κάρτα φλαῦραι. Galenus spumæ vult assimilare, nescio qua ratione. Quin melius foret, vt hæc verba ad id πεταλώδεες referantur: vt sit sensus (nã laminosæ, vt ita dicam, rubræ esse solent, vt quæ de carnibus decidantur) quæ tenues ex his sunt, & candidæ deteriores longè sunt: nam ex membris solidis veniunt, quomodo ergo non erunt deterioris his, quæ ex carnibus

bus fiunt:ficut furfurum instar sunt terream substantiam ossium & solidorum exuri ac decidere significant, quare ergo sint albæ clarum est:cur autem tenues,nec id in dubium vertitur cum ex solidis hæ illæ ab exustis membris decidantur. Manifestum est ergo tres partes,vt ita dicam, esse in solidis pinguem teneriorem,& profundam.Genera autem febrium, ex quibus hæ vrinæ prouenıunt prauarum sunt,quæ (scilicet vel ex magna prauitate ciborum fiunt, aut aëre pestilenti. talia quidem in elephantiasi similiter, & morbo indico, sed praui moris) hi tamen diuturni sunt) sine admiratione sæpiùs eueniunt. Vt nostræ ætati nulla occasio ad intelligentiam modo quis laboribus parcere nolit,desit,in morbis ergo longis istiusmodi difficilem significant curationem, sed non imminere mortem ob id conicere possumus in acutis autem prorsus mortis periculum. Duas ergo recipit hæc sententia expositiones experimento, & rationi conformes singulas:nec scio quid in mentem venerit Galeno somnium illud depingere.Vna quidem, quæ videtur ex his, quæ sæpiùs contingunt, vt πεταλώδεες non laminosæ, sed foliatæ, id est,magnæ,crassæ dicantur,quales ex carnibus decidi solent: sunt autem rubræ, fuscæ, neque enim de carnea locus est,nisi sub hac intelligatur,& ita erunt valde paruæ, sed & illa(verba tenues autem, & albæ)ad foliatas referentur, quasi deteriores sint, vt quæ ex solidis membris decidantur, hæ autem squamosæ sunt, vt sic legatur textus. His autem peiores sunt foliatæ, laminosæ verò valde malæ sunt. Et sic fient quatuor ordines continui rem ipsam referentes,& ita vt secunda pars ad primam ita tertia ad secundam, & rursus quarta ad tertiam referatur, πέταλον enim Grecè nō laminam,sed foliū significat. Significat autem laminam impropriè cum adiungitur metallo,vt πέταλον χρύσεον,id est, folium,seu lamina aurea: sic etiam apud latinos nemo intelligit per solium laminam nec solium aureum: si tamen dicas folium aureum tum intelligitur bractea aurea:cum ergo hic simpliciter proferatur, melius erit exponere foliatæ,id est,latæ & crassæ,rubræque quæ ex carne deciduntur:sequentes autem tenues, & albæ,scilicet squammis similes.Squammæ enim candidæ sunt & tenues. Alia expositio est, vt tertia pars non ad secundam referatur, scilicet ad πεταλώδεες seu laminosas referatur:sed cum dixisset in prima similes farinæ crassiori,hic intelligat farinæ tenuiori, quæ sunt valde malæ, cum ex solidis membris decidantur, & ita non erit vnus ordo continuus, sed duplex, vt scilicet secundus ordo sit solidorum,& ideo deterior primo,qui est pinguedinis & carnis.Et item in singulis ordinibus secunda est deterior, prima vt laminosa eáque est similis farinæ tenui non tamen ex hoc fit comparatio inter eam,quæ est similis farinæ tenui,& laminosam,& hæc videtur magis conuenire verbis Hippocratis, vt nec vngue dissedeat. De huiusmodi vrinis,vt breuiter dicam, omissis ambagibus,tria sunt spectanda, si ex solidis corporis partibus excernantur: si sit humor pituitosus concretus:si ex vesica vel renibus decidatur. Neque enim absurdum est, si ex aliis membris talia possint excidere quin multo magis ex his duobus.Et similiter cum ex materia pituitosa siccata nullum genus figuræ reliquum sit, quod non referatur: nil mirum si etiam in vrina possint huiusmodi videri. Et ideo de vesica & renibus, cum sit proprius morbus cognoscitur, quia multo ante passus est huiusmodi:at de pituita crassa & humore crudo alia ratione distinguendum in acutis morbis,nam in aliis non est dubitandum,vt sint partes solidorum,nisi sint è genere morbi elephantici, aut Gallici.Proprium ergo signum in humore assato est vrinarum alioquin inculpata substantia, symptomata non mala, & constantia virtutis:materia etiam crudis assata tota intus alba,& exterius non nisi fusca, ostendunt & in similium partium frustis tria illa, ex quibus componuntur, caro membranula, & fibræ,quorum causa euariant.Quod ad rem attinet docuimus in libris de subtilitate densiora in partes tenuiores diuidi posse: ideo pinguedo in grumos abit dissoluta solida in partes tenuissimas, vt farinæ abeunt. Sed si calor & siccitas extrema sint frusta furfuracea cadunt.Cæterum quod ad genera eorum, quæ in vrinis excernuntur infinita pene sunt maximè si ea,quæ vel in sanis apparent, vel quæ non propriè vi morbi excernuntur:qualia sunt,quæ particulæ fabaceæ assimilantur vt in his,qui edaces sunt, & maximè si non exerceantur, libro de Multitudine capilli (c.11.)& valde longi pili,& vt mihi vermes viui,& frusta nigra similia lentibus maximo numero,quod potius prodigiosum fuit quam naturale, nam post magnam calamitatem cessarunt prorsus cum iam per multos annos perseuerassent, præterea sanguis arena lapides,& quæ sunt similia orobis sanguine concreta, quæ Galenus se vidisse testatur quarta Aphorismorum(Comm.71. & carunculæ carneæ: sunt autem ex carne aliæ, aliæ ex sanguine.Eruosa præterea,vt in libro quæsitorum ex Hippocrate significant carnes absumi pinguedine iam consumpta, sed & à toto & à renibus hoc coniungere possunt: velut foliata sedimina, & erimnodea,id est, farinacea, & furfuracea à toto,vel à vesica, discrimen autem est concoctio,cum ex parte fuerit non à toto:nam à toto crudam esse necesse est. Erimnoidea crassa à pinguedine est tenuis à solidis rubra à sanguine exusto soliata, seu laminosa abrasionem solidorum furfuracea profundā eorum cōsumptionem.

PROGNOSTICON XXIX.

NVbeculæ, quæ feruntur in vrinis, albæ quidem bonæ sunt, nigræ verò malæ.

COMMENTARIVS.

CVm locutus sit de varietate, sumpta ex colore, nunc agit de loco qui est triplex,& est supremus:in quo dum est contentum, vocatur νεφέλη,nebula imum:& cum in eo

eo est contentum, vocatur sedimentum, Græcè ὑπόστασις medium: & quod est in eo, vocatur ἐναιώρημα. Latina voce cum careat enœorema, etiam latinè dicitur. Causa ascensus est leuitas, oportet ergo vel esse flatum, vel substantiæ tenuitatem, vel densitatem, qualis in pinguedine & oleo. Est enim vinum noua parte duntaxat oleo grauius, mel autem dimidio: magis tamen supernatat oleum vino, quòd diuidi nequeat, quā melli. At quod ob densitatem hoc agit, non iam in summa parte vt nebula considet, sed planè in superficie, velut spuma, quæ quartus locus est: cuius extremum, quod ambit, vocatur circulus. Non ergo ob densitatem substantiæ nebulæ fiunt, nam supernatarent prorsus: neque ob vrinæ crassitiem, sed vel ob flatum commixtum, vel ob proprium tenuitatem. Dixit autem malas, non lethales, esse nebulas, eò quòd Hypostasis vt alba, optima est, ita nigra pessima: & nebula minus bona atque mala. Sed non meminit enœorematis: quoniam perspicuum est, quemadmodum est situ medium, ita etiam natura: album melius nebula, minus absolutum sedimento: nigrum peius nebula, minus malum sedimento. Hic enim mos fuit Hippocratis (3. in 1. Ep. Tex. 8.) nominare extrema media, vt ex illis nota præterire. Sed dicetis, Philiscum, cum apparuissent nebulæ, in vrina dispersæ & genituræ similes in quinta, mortuum esse in sexta die. Respondeo, quod Hippocrates, quando vnum signum validum non sufficit, colligit omnia mala simul: non quòd illud fuerit signum lethale, nisi quia cruditatis & flatus magni diuellentis, quo tempore quiescere debuit natura. Imo etiam Meton (lang. 7. 1. Ep.) cum habuisset enœorema nigrum in quarta, sanatus est in sexta. Sed si fuisset sedimentū, seruari non potuisset. At Erasino cum habuisset innatantia nigra, suspensa & rotūda, mortuus est in quinta die vesperi. At de hoc suo loco dictum est: sufficiat intellexisse ordinem illum, nam rotunda figura eorum, quæ coni acumen habere debent, bona non est: nisi quod in mulieribus eas vtero gerere significat, & quando rotundior & densior constiterit colore aliquanto turbido naturali, sed citra febrem, imò morbum. Galenus (vt satisfaciamus his, qui illius nugis delectantur) pulchrè disputat primo in tertium de Morbis vulgarib. (Com. 4.) non vnde fiant nebulæ in vrinis, sed quis primus hoc nomine vsus sit: cumque putat fuisse Hippocratē, aut alium quempiam: qui ductus à similitudine vaporum collectorum nebulas facientium in aëre, ita eorum in vrina coeuntium nebulas vocârit. O miseram doctrinam, misera tempora, miseros homines, qui in tot seriis & vtilibus tempus impendunt nugis, & delectantur: & quod maius est omnib. laudāt quod vix sustinere deberent. Haliabbas septimo Theoricæ) c. 15.) vnam pulchram doctrinam tradidit, quæ ex sedimentis ad reliqua transferri potest, dicens: Nigrum si fiat, præcedente rubro à calido, igneo fit, si liuido, à frigido. Addo pessimum ergo est, quod à liuido fit, quod ex rubro mutatum est: fit enim ab extinctione caloris innati, per calorem præternaturam. Alterum adiicit, adducens exemplum ab Hippocrate, sed non est ex 41. ægris, quod sedimentum rubrum: sed æquale melius est, & magis seruat hominem, quam candidū & diuulsum. Et ratio est manifesta. In vno enim est materia, quæ cingit, in alio defectus caloris naturalis Gal. quarta Aph. (Com. 69.) confundere solitus omnia, dicit, non esse bonum sedimen. quod ab initio apparet ob materiæ crassitiē: sed si intelligit de sedimine naturali, falsum est contra Hippocratem, & experimentū. Si de præternaturali non est sedimentum, & est malum semper, imò peius quam in principio, si non sit factum per modum crisis, vt demiret de homine. Dicebat author libri de Vrinis (capite 21.) quod locus non significat neque malum in contentis, sed magnitudinem tam boni quam mali breuiter dico, nemini fidendum est in causis referendis contentorum, postquam ratio contentorum ad hanc vsque diem fuit ignota. Sed solum per translationem dicam, quod scripsit Actuarius in secundo de Causis vrinarum (cap. 4.) Duo sunt in contentorum ascensu consideratione digna, Locus & Motus, cum enim contentum supra transfertur motum à flatu in membris significat, qui dolores affert: & materiam ad superiora transferri proportione corporis in sublimi ad caput ipsum: alba autem naturaliter fertur, quoniam vsus ciborum leuium etiam in sanis id efficere potest, cum certū sit, ex calore naturam operari. Author libri de Quæsitis vrinarum ex Hippocrate admonet nos de duobus salutaribus præceptis. Primum, quòd vbi humor crassus, peccet aliquando primum hypostasis. Videtur deinde enœorema demū nebula natura concoquente morbum: atque id non absurdum est ex nostra sententia. Alterū est, quod in tertianis aliquando ab initio morbi vsque ad finem apparet nebula, aut enœorema. Et vtrunque euenit: quia perfectio coctionis sæpe non exigit locum, cum ob materiæ tenuitatē ascenderit nebula: sed solum significat cruditatem, cum contigerit hoc ex flatu. Ergo nebulæ, vel enœrema fit in morbis, vbi materia non est adeò leuis: quia excrementum cibi ob febris calorem priùs attenuatur, aut flatu impletur, aut vtroque modo mutatur, quàm concoquatur.

PROGNOSTICON XXX. & XXXI.

QVàm diu verò fulua fuerit vrina, & tenuis, morbum inconcoctum esse significat: si verò & diuturna fuerit, talis existens, periculum est, ne sufficere homo possit, donec vrina concocta fuerit.

COMMENTARIVS.

MAximam, quæ in hoc dicto latet, difficultatem prætermittit Galenus suo more. Cum enim dicat Hippocrates, in morbo longo periculosiorem esse vrinam crudam,

dam, quòd vires forsan non tamdiu perferre poterunt, dubium est, cum in breui fieri non possit, & vllo modo concoquatur morbus: & ita non solùm in acuto morbo citiùs indicabit mortem, sed etiam certius hunc nondum volui explicare. Dico ergò, quòd præsupponit hoc, quod est etiam certum, vrinam crudam apparere per totum tempus initij, & etiam principium incrementi, in morbo ergo longo secundum naturam rei debet apparere per multos dies: in breui, per paucos: sed quàmdiu apparet vrina cruda, non concoquitur alimentum: quia nec illius excrementum, ergo in morbo lõgo vires faciliùs deficient, quàm in breui. Et hoc est, quod voluit Hipp. (1.4. tract. 2. c. 46.) supponens nõ quod videtur, sed quod necessarium est ex rei natura. Nam per longum morbum non intelligit naturã talem, cum loquatur de acutis, sed quòd vrina perseueret per plures dies: adeò, vt sit propè tempus status ex natura morbi, vt pote in ardente febre. Dicit Hipp. si vrina sit cruda vsque ad vndecimam diem cum tãtundem temporis exigatur ab initio coctionis ad finem, quantum ab initio morbi ad initium coctionis, non poterit morbus concoqui ante decimam septimam adsummum: & crisis ex natura morbi accidit in quartadecim. ergo fiet crisis mala, sed plerunque coctionis tempus, vt dixi, est æquale tempori cruditatis. Si quis obiiciat, quomodo posset tandiu viuere homo, vt in quotidiana, cuius principium est XVIII. dierum? dico, quòd nutritur ex potu, tum etiam ex iam paratis partibus vt primo de Facultatibus naturalib. (c. 11.) tum etiam demũ ex sanguine, & humoribus crudis, ac etiam tenuiore cibi parte. Animaduertendum, quòd cum tractasset de contentis in vrina, quæ sunt duorum generum, naturale, & præternaturam: & naturale diuisit in quatuor simpliciter, & quod non est naturale: quia non perseuerat, & quod est præter naturam, ratione coloris, & quod ratione loci cum tractasset de omnibus his, hìc incipit agere de substantia vrinę. Oportet ergo primum scire drã inter substantiam, & contenta in vrina, quandoque enim vrina est boni coloris, & substantiæ, contenta non ita: quandoque contenta, non substantia, & apparent omnia adeò diuersa, vt non obscurum sit, quòd à duabus diuersis causis generantur vrinæ substantia, atque contenta. De hoc autem suo loco: nam longa est tractatio, & ideo ad libros de vrinis relegata. Hìc solum dicemus, Vrinæ substantiam fieri in iecore propriè, & ex aqueo alimento idest potu: sedimentum autem ex cibo, & ob id color bonus in vrina faciliùs retinetur, quam in sedimento: tum quia faciliùs concoquitur: tum quia, si moueatur in venis, nõ adeo inficitur, cum enim inficitur à coloribus malis, necesse est, moram, aut feruorẽ causam esse.

PROGNOSTICON XXXII. & XXXIII.

Lethaliores aut sunt vrinæ, & fœtidæ, & aquosæ, & nigræ, & crassæ. At tum in viris, tum in mulieribus nigræ vrinæ pessimæ sunt: in pueris autem aquosæ.

COMMENTARIVS.

NOn aquosis crassas, sed nigras opponit vt intelligeremus, doctrinam nos debere sequi reconditam potius, quam vulgarem, sedenim fœtidæ sunt maximæ putredinis argumentum cuius scientia proculdubio non mea sed Compatr. mei Paul. Illyr. pharmacopolæ seruatus sum in hanc diem. Cum enim, quando nullus audiretur laborare peste, allata fuisset Mundi Buzachareni vrina in Saccesf. oppidum ex Cauarzero villa, ni fallor, quæ grauiter fœteret, & esset conturbata, admonuit me talium inexpertẽ, vt qui essem iuuenis, omnino suspectam esse pestis eam vrinam: itaque cum eum inuisissem, caui ne spiritum ægri haurirem, qui intra quinque horas à tempore, quo illum inuisi, obiit, cum secus & mente omnino constaret, & vis vitalis, valida visa mihi esset, simulque deprehensũm est, ea in villa ad quadraginta ægros peste obiisse. Sed reuocandum est in mentem, quod diximus, quomodo scil. contingat vrinas nigras esse lethales, vel fœtidas, si non morbi materia in illis est, sed naturale excrementum, bifariam ergo fœtidæ fiunt vrinæ: vno autem tantummodo nigræ, nigræ quidem ob fuliginem, aut tenuem partem humoris ei admistam: neq; enim excrementũ, aut aquea substantia adeò exuri potest, vt euadat nigra, at fœtidæ non per fuliginẽ, sed substantiã tenuem humoris admistam, aut etiã aqueæ partis, vel contenti exactam putredinem: quod lethalissimum est signum. Nigrarum autem vrinarũ Gal. primo Prorrh. (Com. 4.) duplicem affert generationem: & ob atræ bilis admixtionem, cũ aquea substantia, ob melancholici, pessimas autem esse illas, in qua solum, quod innatat, nigrum est, scil. quia nihil expurgetur, cum sola fuligine tingatur ènœorema, aut nebula si fit. Et si fiant ex subnigris vrinæ nigræ, dicebat in tertio Prorrh. (C. 3.) significant febres valdè vrentes, imò vt tales fiãt, id exigunt. Pessimæ ex his, paucæ, & tenues cum fuerint secundo (Com. 75.) in primum de Morbis vulgarib. sed in quinto (C. 15. super sextum de Morbis vulgarib. dicebat, quòd etiam ad intellectum facit præcedentium: Vrinæ ob colliquationẽ lienis fiunt velut hordei: aut erui frusta si habeat, à iecore, vt carnosiora à renibus, soliata à vesica, & vnguinosa ab adipe. In vniuersũ, vrinæ nigræ, nisi sint ex proprio morbo, vt lienis in quartana, in puerperis sunt valde lethales, & sic debet intelligi Galenus primo de Crisi (c. 12.) dicens: Pessima est igitur omnis vrina denigrata, adeò vt meminem viderim vnquam seruatum ex his, qui talem vrinam minxerunt, minùs verò perniciosa, si solum id, quod subsidet, nigrum fuerit: atque minùs, si solum, quod in medio: minùs autem adhuc, si sola nebula. Ergo exceptis his duobus casibus, in quibus oportet nec adesse febrem vehementem, nec symptomata praua. Cum enim illorum alterum adest, nec

nec illico cessat, sed quasi ludit, actum est. Pessima verò, vt dicit, pauca: & deterrima, cuius substantia tenuis est, & sedimentum crassum, hoc enim est, quod dixit (crassæ, ac tenues) sic enim vtrumque habent. Crassæ autem admodum, dum paucæ in dies fiunt, corrumpunt sanguinem, aut ad suppressionem vrinæ perducunt hominem, & occidunt. Sed de crassis dicit Galenus in Commento, de valde crassis esse solum intelligendum: easque aut salutem statim, aut mortem prædicere, idque verum, per viam crisis, quidem salutem, per viam signi, mortem. Nam duplex cruditas in vrina alba, & tenuis, & crassa: tertio (Comment.5.) in primum de Morbis vulgaribus, crassa quidem turbulenta, quæ non subsidet, ea crudum morbum esse ostendit, velut & tenuis clara. Adducit autem textum sequentem: nos autem scimus ex quarta Aphorismorum (Comment.69.) quòd concoctio alia procedit attenuando, in qua materia crassa apparet ab initio: alia contrà. Verùm dicetis. Si materia crassa est in sedimento, & concoquitur: igitur cum materia morbi concoquatur, sedimentum erit pars materiæ morbi? Respondeo, quod res ipsa se ostendit: nonnunquam enim materia illa naturalis, est valde cruda: & hoc est, quia per multos antea dies natura non concoxit, & pariter aggregauit multa alia cruda, quæ facta sunt materia colicæ, aut morbi articularis. Aquea in initio non est præter naturam temporis morbi, natura deserente propriam functionem: imò etiam impedita. Sed Hippocrates supponit, quòd morbus processerit: vnde aduentante tempore iudicij, tum quia cruda, tum quia putrefacta, vt dicebat Galenus primo de differentiis febrium (cap.6.) necesse est malam fieri iudicationem. In pueris ergo tenuis, & aquosa multum distat à naturali, cum soleat esse crassior: & ob id, quia illis plurimis inest calor (pr. Aphorism.14.) qui ad concoquendum materiam, morbi, & vrinæ sedimentum sufficere deberet: cum non id efficiat, magnam ad interitum mutationem ostendit: iuxta illud (2.Aphor.34.) In morbis minùs periclitantur ægrotantes. Crassa autem turbulenta si fit, quoniam naturam non separare significat, & ideo lethalis iudicij tempore, si, vt micta est, peruertatur: si separetur, crassa non est (4.Aphor.22.) crassa verò substantia, vt valde crassa sit, & ob id etiam pauca, oportet: sic enim obstructionem multam indicat. Nigra autem in pueris, quorum humores facilè aduruntur, & magnus est calor, non adeò mala, vt in viris.

PROGNOSTICON XXXIV.

QVicunque vrinas tenues, & crudas mingunt multo tempore, si alia, veluti superstitibus futuris signa fuerint, his abscessum expectare oportet, ad locos infrà septumtransuersum.

COMMENTARIVS.

CVm dixisset vrinas aqueas esse lethales, voluit declarare, non esse per se lethales: sed si sine signis aliis malis fuerint, solùm significare abscessum infra septumtransuersum, atque id non semper: nam quandoque significant ad articulos, & alibi: vt colligitur quarta Aphorismorum (52.33. 44.) Sed vel dolor præcedit, vel febris acuta non est, at id hîc non præsupponitur. In nonnullis etiam ad parotidas finitur: vt tertio Prorrh. (Tex. & Com.71.) Dicebat ibi Galenus, vbi adsint signa abscessus, inspicere oportêt loca, ad quæ natura inclinat. Cur ergo parotidarum non meminit, quia fieri non potest, vt cruditas tamdiu perseueret, dum materia est prope cerebrum, donec concoquatur, & expellatur, côquitur enim aliter non expelleretur. Cur enim nô magis ab initio expelleretur, si non côcoqueretur, cû tunc vires sint validiores? Præterea si non concoquitur materia alimenti, vt ex cruda vrina apparet, in tanto tempore quid agitur? neque enim natura vnquam cessare potest à suo munere, nisi impedita. Vnde liquidum est, quod diximus, materiam sedimenti, quæ nulla interim, aut cruda apparuit, non esse materiam morbi, quæ in eo tempore concocta est, & ad expulsionem parata, sed quia non potuit perfectè concoquere, ideo non expellitur extra corpus. Dicam autem, non, quæ Galenus (3.de Crisi cap.vlt.& 1.& 7.) (qui optimam partem totius rei ignorauit) sed quod manifestè res ipsa docet, & quod cum euentu, vel ipso teste concordat. Natura non fatigata (quod euenit in primis diebus morbi, & ante vigesimam, vt etiam superiùs Com.15. visum est: sed & clariùs infrà (tert. Prognos. vigesimoquinto) colligitur) solet materias expellere prorsus extra corpus: mediocriter autem fagitata vsque ad cutim propellit minore labore, facitque abscessus in locis cuti subiectis: magis autem fatigata non expellit, sed circa immotam agit. Circa vtrumquemque modum contingit error naturæ, & victoria materiæ. Si in primo modo post inchoatam purgationem virtus deficit, & æger à materia superatus, moritur. In secundo modo materia transmutatur ad locum nobiliorem & interficit: aut si ad ignobiliorem non tota expellitur, sed retrograditur, & occîdit ægrum, atque hi duo modi in pestilentibus maximè accidunt. In tertio etiam consumuntur vires à materia, & sensim æger perit. Cum ergo cor, & iecur robustissima sint membra, & sanguine plena, & materia fuerit expers malitiæ, sed solum frigida, vel lenta, vel crassa, neque in loco malo, sed in venis mesaraei, tunc natura impeditur diu à coctione alimenti: atque ideo vrina apparet cruda, & tunc fit abscessus natura mediocriter fatigata. Ideo si talis vrina appareat non in febre, idem significat, id est, ventriculi, & iecoris imbecillitatem, & frustratam coctionem.


Quærat forsitan quis, quare ad ventrem pronunciauerit Hippocrates fieri decubitum? Dico, quòd ille locus est calidissimus, & propinquus, & natura, vt dixi, fatigata

ex

ex morbo diuturno: ideo propellit ad ipsum. Non potest enim materiam resoluere: nam si fuisset adeò tenuis, non tamdiu impedisset naturam à munere coctionis.

Dictum est autem à nobis, & à Galeno secundo in primum de Morbis vulgaribus (Comment. 44.) abscessum duplicem esse, cum effluxione, id est, cum materia ex loco abscedit, vt expellatur: & cum in certo loco congregatur ex alio transmissa, vel quia abscesserit ex priore loco, vel quia partem inuicem abscedant, vocantur hi per decubitum, de quibus est sermo. Quin etiam aliud ex his conspicuum est, quòd cum dicat Galenus (prim. in tert. de Morb. vulg. Comment. 5. in fine) abscessus, qui fiant citra coctionem, bonos esse non posse: horum autem, qui hic proponuntur ab Hippocrate, nullus lethalis sit natura, si medicum nacti fuerint præstanti opera, non esse hos abscessus citra coctionem dico manifestam, quamuis vrina sit cruda, loquor de abscessibus qui febrem soluunt: nam de aliis non semper forsan id verum erit, aut non necesse est concoctam esse materiam, ab Hippocrate (4. Aphor. 5.) innuitur. Non ergo in his quærere oportet celeritatem ex coctione vrinæ, sed ex natura morbi tempore anni, ætate patientis, ac temperaturæ. Ex his demum apparet, longè aliud esse, materiam esse coctam, & naturam non esse fatigatam: aut fatigatam, & crudam nam fatigata natura potest fieri bona crisis: non autem, si materia cruda sit, optima cum natura non est fatigata, & materia concocta. Huiusmodi abscessus ergo fiunt circa ventrem: sed si vrina melior, vt subtenuis etiam infrà, quemadmodum in Pythione (lib. 3. lang. 1. prim. ordin.) Sed si cum tenuibus vrinis alia signa mala fuerint, cum morbo tamen diuturno & virium constantia, fiet abscessus deteriores: vt in Hermocrate ibidem (lang. 2) qui eruginosus euasit, alij phrenetici. Specialiter autem, vnde erupturi sint abscessus, docebat Galenus tertio de Crisi (capite 11. in fine) ibi: Vbi morbus non fuerit valde diuturnus, si subita difficultas anhelitus laboranti superueniens mox quiescat, eamque grauitas capitis, ac dolor, tum somnus grauis subsequatur, tum surditas: cruda verò interim vrina, & tenuis, nec multa, aut si multa citra multam subsidentiam, æger verò salutis signa præferat, huic in carnibus glandosis post aures necessariò abscessus fient, sed si nihil horum affuerit, & morbus diuturnus existat, in partibus autem inferioribus tensio, aut dolor, aut grauitas, aut calor quidam vehemens, ibidem abscessus expectandus est.

Sed meritò posset aliquis dubitare, an talium abscessuum generatio possit prohiberi victus tenuitate præparantibus, atque medicamentis purgantibus, non solum in hoc casu, sed vbi expectantur, vt in elephantiasi? Nam si sic, non erit verum dictum Hippocratis: si non, cur cum videamus alias materias concoqui? sed quod ad præsentem attinet dubitationem, facilè est respondere: quoniam Hippocrates præsupponit, quòd æger omnibus vtatur auxiliis, & tamen sic permaneat vrina: si permutetur, non sumus in casu. Sed in tumoribus maleficis materia, quæ iam fluxa est, non potest educi citra auxilium loci: quæ autem fluit, & quæ generatur, in dies, & intemperies, quæ est in iecore, possunt, aut non possunt corrigi iuxta naturam morbi. Et cum materia est iam in motu, difficile est, nec tutum, auertere materiam à loco in tam breui tempore. Et si febris non adsit, vt in elephantiasi, hoc est facilius ob medicamenta valida, quæ exhiberi possunt, & supplent vim præparantium, non concoquentium: quia coctio est Naturæ opus.



PROGNOSTICON XXXV.

SEd & pinguetudines supernæ instantes, araneorum telis similes, damnare oportet: sunt enim colliquationis signa.

COMMENTARIVS.

SVperiùs (Com. 44.) exposuimus, has vrinas fieri colliquata pinguedine, & ob id supernatant, quoniam permisceri humidum humido ob tres causas præcipuè contingit: moram, agitationem, & naturam similem. Mora efficitur, quod vocant balsamum, vino, atque oleo mistis, seu quod verisimilius est vino absumpto. Agitatione, eáque duplici: alia quidem absque calore, vt cum oleum aquæ permiscetur: & calore, vt videmus in viribus. Illud demiror, quomodo Galenus, quod supernatat vrinæ telæ araneæ simile, ipse comparauerit ei, quod iuri, & pinguiori, & refrigescenti, quod multò crassius est, sed non curauit in exemplo exactam similitudinem: naturæ familiaritate aqua & vinum permiscentur. Nil mirum est ergo, supernatare pinguedinem, calore solutam vrinæ substantiæ, cum multò tenuior sit: nec agitata, nec postquam soluta est, dici cum ea manserit, quæ enim simul conficitur, aut ex sanguine resecatur toti substantiæ vrinæ permiscetur: estque causa, vt vrinæ peruertantur, vt aliâs (lib. 17. de Subtilitate) docuimus. Vnde accidit, vt multis, quibus vrinæ in sanitate claræ permanent, febre superueniente conturbentur, postquam mictæ fuerint loco, & tempore frigido. Ergo huiusmodi tela ex colliquatione, vel renum pinguedinis, vel aliubi, contingit.

Sed sunt pinguis vrinæ præter naturam non solum hoc, sed quatuor alia genera, quæ nos omnia vidimus, primum, cum circulus apparet oleaginus: multósque ex his seruari vidimus, secundum genus multo rarius, supernatantis olei instar guttarum in vrinæ medio: omnes hos periisse contingit, nescio an ob paucitatem, tertium est, & rarum admodum (quod bis, aut ter à me visum est) cum oleum toti substantiæ mistum videtur: nec tunc in circulo deest, quartum in omnibus hecticis conspicuum est, neque enim nullus est hecticus, qui pinguem non habeat vrinam: sed oleum in ea non deprehenditur.

Est oleum sanè pars & pinguedo propria piscium, maximè cartilaginearum, præcipuè iecorum (3. de Hist. Anim. cap. 17.) Sed quomodo in sanguineis, nondum liquet: verùm experientia edocti, quòd solida oleo constant, quod destillatione habetur. Dubium non est, oleum in vrina ostendere summam colliquationem, & febres eas, quæ ipsum ostendunt, esse lethalissimas, seu in hecticis serius, seu in exurentibus, aut etiam pestilentibus. Meminit vrinarum oleaginarum Hippocrates dicens. Quinta minxit leuè oleosum multum: aliqui legunt non multum: febris acuta, idem in septima, cum dixit, vrinæ similes. Dicit Galenus (3. in 1. Epid. Com. 29.) conspicuum erat, illi instare mortem, cum præter alia symptomata reddiderit vrinas oleaginas, & Dromedai vxori in quarta cum apparuissent vrinæ oleaginæ, dicit Galenus (1. in 3. Epid. Comm. 8.) meritò in sexta die obiit, vt liqueas omnes vrinas oleaginat non solum lethales esse, sed imminentem mortem ostendere. At verò cum nimis multa satis Galenus de vrina oleosa dixerit tertio in tertium de Morbis vulgaribus in historia Parij (Comm. 72.) colligam, quæ ibi enarrauit, quam breuiter potero. Die sexto oleosa vrina (mortuus est autem centesima, & vigesima die) vrinam crassamento, & colore sæpe vidi, & cum ægri salute, quinimo & in morbi concoctione: at pinguedine oleo similis, nunquam visa est, neque aliquis vidit vnquam pinguedinem in medio vrinæ pendere, ne dum subsidere: at fluitantem sæpe vidimus, quapropter cũ oleosam appellat Hippocrates vrinam, non pinguedine, sed colore, & crassitie similem intelligere decet. Verùm cum multa in hoc genere subiiciat, concludit alias esse pingues vrinas, & multò minus prauas, quam quæ ex colliquatione funduntur, cùm carnes ipsæ dissoluuntur. Sed de his in quarto Contradicentium: nunc meliùs fuerit adiecisse, quæ Hippocrat. scripsit in secundo Prædictionum (5 8.) hoc modo (pag. 4.) Cæterùm vrinam iuxta potionis copiam mingere oportet, & semper æqualem, & quam maximè aceruatim, & momento paulò crassiorem, quàm id, quod in potu acceptum fuit. Si verò fuerit aquosa, & copiosior, quàm pro eo, quòd bibi imperatum est, significat hominem non obedire, sed copiosiore potu vti: aut non posse renutriri, quandiu talia vrinam faciunt. Si verò paulatim stridat vrina, aut medicamentis hominem opus habere significat, aut morbum aliquem circa vesicam habere. Itaque nos vidimus Helenam virginem ex familia Desideriorum F. Philippi Patritij Bononiensis annos XVIII. natam, quæ per duos menses supra LX. vncias vrinæ crudæ mingebat, cum cibus & potus XL. in dies singulos non attigerat, tribus aliis mensibus vrina, quod assumebat, X. vnciis excedebat, vt tota summa CLXXX. libras superauerit, quicquid edendo bibendóque ingereretur: etiam præter alui fæces, quæ non paucæ fuerunt: & sanata est. Sed, vt ad rem redeam, pinguedines illæ, vt telæ aranearum splendidæ sunt, & aliquando valde: & tunc sunt variorum colorum.

PROGNOSTICON XXXVI.

CONsiderare verò conuenit in vrinis, in quibus nubeculæ sunt, an supernæ, aut infernæ sint: & quales habeant colores. Et quæ quidem deorsum feruntur cum coloribus relatis, eas bonas esse putare, ac laudare: quæ verò sursum feruntur, cum coloribus relatis, malas esse, & tales damnare.

COMMENTARIVS.

CAusam nebularum & enœorematum superiùs diximus esse duplicem. Nam substantiæ ipsius, quæ secundum naturam est, leuitatem: velut in sanis humorem tenuem, & qui perseuerat etiam in morbo, velut in tertiana vnde à principio in finem aliquando nubecula apparet, morbum quasi contemnente natura & ob institutum suum prosequente: sed & si antea non esset nubecula, sed sedimẽtum, eleuatur à calore igneo materiam sedimenti attenuante, atque hic est primus modus. Secundus verò est in morbis magnis, cùm calor ab initio febrilis antè attenuat materiam, quæ est excrementum naturale, aut in flatum vertit, aut vtrunque: & hoc modo illam ad superiorem partem impellit, huc vsque omnia rectè se habent. Illud modo quis in dubium reuocare posset, quonam pacto necesse sit, nebulam descendere, dum materia concoquitur eousque, vt in fundo resideat, si illius materia morbi materia non est, sed naturale excrementum? nam iuxta hanc rationem videtur non esse necessarium, quòd nebula descendat. Si enim naturaliter pendet, cur debet descendere, dum morbus concoquitur? nam si natura agit supernatabit, cum suaptè supernatare apta sit, quippe etiam sanitatis tempore: si non agit, non: ergo erit concocta materia, nec morbus finietur, aut iudicabitur. Propterea difficultas hæc maxima est, nõ in his quibus per morbum incæpit nebula: nam in his palàm est, quòd, dũ concoquitur, oportet eam restitui ad naturalem statum. Sed nunc loquor, vbi leuis sit naturaliter, & supernatet. Dico ergo ad hoc, quod per sanitatem hypostasis nocturna semper esse solet, raró nebula: in plurimis ergo, in quibus nebula apparet, causa non est leuitas materiæ, sed potius cruditas, nam si in plerisque nebula apparet in die, non manè: ergo causa nebulæ est mala coctio plerunque potius, quàm leuitas materiæ. In his ergo cum coctio procedit, etiam quod tempore sanitatis haberent nebulam, vel enœorema, in tempore morbi necesse est, aucto calore, tum propter præternaturalem additum, tum ob nixum naturalis, dissolui flatum: & ita descendat hypostasis. In his autem, in quibus nebula naturalis est, aut enœorema, vel ob materiæ leuitatem, vel ob ciborum paucitatem, & tenuitatem, in illis fiet iudicium absque sedimento: sufficietque nebula, aut

enœorema,

enœorema, vt tempore sanitatis, sicut in Metone (1. Ep. lang. 7. & in Pythione (3. Epid. lang. 1.) & muliere (lang. 11. 2. ord.) in Taso morosa & Virgine Larissea (lang. 12. ibid.) Vbi non prætermittendum est, plerosque ex his, qui sic seruati sunt, per sanguinis effluxionem seruatos esse: & non solum è naribus, sed etiam per menses, vt in Muliere Thasensi: in Virgine autem per vtrunque locum fluxit. Pythioni tamen non fluxit sanguis: sed sed iuxta sedem abscessus factus est.

At dicetis, nulli materia concocta est, quoniam non fuerunt iudicationes, quæ per coctionem fiunt? Dico, quòd necesse fuit præcedere coctionem, quia separationem: quamuis in Pythione non eiecta fuerit è corpore, ob imbecillitatem virium. Galenus hoc in loco nihil dicit: nam neque quid sit ferri sursum, vel deorsum explanat: nec quid intelligat per colores sursum relatos, nam si omnes: ergo omnes idem iudicium habebunt, si malos tantum, vt potè nigrum, & liuidum: igitur niger, & liuidus descendentes significabunt salutem, si bonos tantum, vt album & subrubrum: igitur hi ascendentes mali erunt. Dij boni, quæ pertinacia est quorundam, cum hic disputet tantum, quid intersit inter νεφέλας, & ἐναιωρήματα, quæ quidam vocant sublimamenta. Forsan videtur existimasse sententiam esse eiusmodi, & facilem, quæ deorsum fertur, id est, sublimamentum, seu enœorema, si bonis coloribus prædita est, laudabilis est: quæ autem sursum deterior, & quæ cum malis coloribus. Vt ea, quæ de sedimento & vrinæ substantia dicta sunt, de nebula & enœoremate intelligantur: & vt sursum ferri, non motum indicet, sed locum solum. Quòd si ita est, etiam motus ex hoc manifestus erit, nam mutatio ad meliorem colorem, & descensus contentorum, bonus erit: mutatio ad malos colores, & ascensus, erit prauus, hoc modo videtur Galenus Hippocratem intellexisse. Sed adhuc relinquebatur difficultas in his verbis, an deterior sit nebula nigra (gratia exempli) enœoremate? & secundum hanc interpretationem videtur, quod sic: tamen Meton seruatus cum enœoremate nigro: & in dies videntur seruari ex huiusmodi, sed ex sedimento nigro non ita. Et Galenus, vt supra dictum est, vrinam nigram, quanto crassior est, tanto deteriorem esse obseruauimus, quæ ergo subsidentia nigra est crassior, cum sit nebula, experimento etiam comprobante, deterior habenda est, sedimentum tamen nigrum peccat in vno, sicut dictum est ante: nebula & enœorema in ambobus, in incendio, & in cruditate. Forsan dicendum esset, nebulam nigram significare minus malum, quam sedimentum, vt minus malum est, ardere paleam, quam trabem, & hoc est manifestissimum. Ad Hippocratem dicendum comparare illum simpliciter locum loco, vt colorem colori, non tamen, cum coniunguntur, idem efficiunt: velut iniuriam pati, malum est, exulare malum iterum: & quanto magis procul à patria, eo deterius: at iniuriam pati in exilio procul à patria, non est deterius, quam domi, & in patria. Nebula primum est tenuioris materiæ sedimento: & ob id leuius signum est, eam inflammari, quam sedimentum. In nebula etiam, vt dicebam de excrementis, est signum motus materiæ: sed tunc non est adeo malum signum cum materia est in motu (dico materiam excrementi, non morbi) sicut cum est quieta, qualis per sedimentum significatur. Accedit, quòd si sedimentum sit nigrum, vel est ab initio, vel iuxta statum, si iuxta statum, est signum perniciosum valde, cum non sit spes amplius de concoctione materiæ: ideo æger peribit: si ab initio, & si sit tunc natura robusta, tamen non poterit resistere, quia tempus est breue in suspensis longius: igitur deterior est hypostasis suspensis, cum nigra, vel viridis, aut liuida fuerit. Ad experimentum tamen Galeni aliquis posset dicere, quod intelligitur de substantia vrinæ, non de contentis.

Specialiter autem de vrinæ enœoremate verba facit Galen. tertio de Præsagio (c. 4.) ex pulsibus in febribus pestilentibus (ne quid quod ad rem faciat, vos lateat) dicens: Vrina quæ naturali vndequaque similis est colore, & crassitudine, hæc ad secundam etiam spē certissima est: quæ si sublimamento probo sit prædita, multo etiam est certior: siquidem sedimentum sit candidum, leue, & æquabile. Præcipuè verò sublimamentis animus est adhibendus. Nam quædam, quæ subliuida quodam modo sunt, latent: & item alia, quæ aranearum latas telas referunt, in modum lanæ congestæ. At siquid tale animaduertas, aut nullum planè sublimamentum innatare vrinis, in peiorem partem hæc interpretare, si contraria videas, quæ retuli modò, non potest fieri, vt malè affectus homo sit. Ex his igitur discernas, vtrum inæqualitate quapiam affectus sit, an pestilens morbus, & exitialis, qui hæcticam febrem habeat, eum prehendat.

Forsan aliquis dicet, nos non seruare verba Hippocrat. quæ significant, illas esse malas vrinas, quæ supernè feruntur, & malos habent colores: igitur vult, quòd coniungātur, nam de his, quæ per se sunt, iam locutus est antea seorsum: ergo aberrabit, aut nugabitur. Dico, quod Hippoc. loquitur simpliciter, & non comparatiuè, docens solum in his bonas à malis secernere: vt sit sensus earum quæ suspensæ sunt. Malas dicimus, quæ altiores sunt, & cū coloribus malis: quæ verò in medio versus imum cum bonis coloribus, hæ sunt optimæ, non tamen sequitur, quod contrariæ sint pessimæ. Nam præter cætera vrina, quæ habet nebulam in supremo suspensam, & quasi per se stantem, in acuto morbo indicat delyrium proximum, vt in Virgine, quę in Larissa tertio Epidemiorum (lang. 12. 2. ord.) Porrò de Galeni verbis, quot, & quātas dubitationes habeant, cuilibet relinquo considerandum, nam ego nunc Hipp. explicandam suscepi, non Galenum: Galenici suo more eum exponent. Quot enim verba, tot difficultates: nam ei, quæ hypostasim habet, videtur pręferri, quæ sublimamentum habet. Et cum dicat, vrinam similiter naturali esse certissimā spem salutis, quatuor lineis antè dixi, &c. ea vrina, quæ naturali similis est,

nullam posse concipi certam spẽ:sed de hoc in Contradictionib. (lib.4. Contr.59.)Sententia autem talis est, quod facile est falli,si quid aranearum telis simile,quod lanam congestam referat,seu liuidum,quod innatat,latens,est mortis indicium, ergo hoc transfer ad propositum præsens.

PROGNOSTICON XXXVII.

Nec verò decipiat te,si vesica morbum aliquem habens, eiusmodi vrinas reddiderit. Non enim totius corporis signum est, sed ipsius per se vesicæ.

COMMENTARIVS.

Quatuor diximus esse superiùs(Cõ.44.) quæ in vrina,vt ad totum corpus comparatur,sunt digna consideratione:quibus si addatur quintum,quod proprium est , & vt ad instrumentum suum refertur,perfecta erit illius generalis histotia,nam propria,vt dixi,lõgiore indiget enarratione,quæ quatuor libris tradita est. Nunc non piget repetere, vt totam ideam vrinam,& perfectam, velut quandam picturam totius cuiusdam corporis possis contemplari: & vt non decipiaris ob ea, quæ in præcedentibus enarrationibus defectũ etiã,vt ea ipsa in methodũ redigã.Dico ergo vrinæ duas esse partes(nam frustillatim tradita ab Hippocrate iam nunc colligere tempus est)substantiam scilicet, atque contenta. Et contentorum quidem aliqua pro nunc prætermittit Hippocrates , velut spumam,quod in acutis non sit magnum indicium,sed diuturnis morbis propria.

At harum partium prima comparatio est, vt res naturalis ad causam sum naturalem:& substantia quidem ipsa bifariam comparatur, colore,& substantia,colore quidem,vt sit bonus(nam aliter Hippocrates nesciuit,aut noluit neminare)neque enim rufa est, aut subrubra,sed potius,vt paleæ tritici cum splẽdore magno,& maximè prope, procul enim obscuratur contraria ratione:aliis liquoribus contingit,vt procul,quàm prope sint clariores:& vt sustantia sit media inter crassam & tenuem,& mediocris etiam quantitatis, cõtrà cruda est subrufa,aquei coloris,valde tenuis,aut crassa,pauca nimis,aut copiosa , & præter reliqua minus splendida. Contentorum autem ratione si naturaliter sit affecta, erit in imo alba,id est,prope non propriè,leuis & æqualis. Si autem defectus sit in coctione,loco sedimenti erit suspensum , aut nebula:loco albæ aureæ erit alba valde , vt lana,vel gossipium,& iacebit in fundo , aut liuida,aut subrufa : loco æqualis crassa vel inæqualis:loco lenis diuulsa intùs,aut exteriùs,& tunc erit aspera,vel diuisa, cum fuerit non lenis neque intus,neque extrà Et tot modis potest esse cruda.Secunda comparatio est,vt rei naturalis ad rem præter naturam, id est,causam morbi morbum,& etiam symptomata:sed hoc varius.Et ita,quoad substãtiam,& contenta,nigra,fusca, liuida valde, rubra,viridis,crocea,turbulenta, fœtida, & similia.Tertia est,vt rei præter naturam,hoc autem solum contingit in contentis : velut sanguinea,purulenta,pinguis,oleosa,farina, crassa,aut tenui conspersa furfure,squamuis, si,vt tela araneæ supernatet. Quarta consideratio est,vt est euacuatio cretica : & tunc non habet locum pro signo,sed vt significatur ab aliis, vtpote quod fit cum alleuiatione ægri præcedentibus signis coctionis : quòd tempore status,vt vna die absoluatur : quòd sit multa, vel pauca:quòd præcesserit febris cum rigore:quòd sit crassa vel tenuis:& contentorum color,quæ etiam considerantur in deiectionibus,ac vomitibus creticis,& in sudore , prout in eo talia possunt considerari: non vt signum,sed vt communis excretio , declarans etiam materiam peccantem,hunc modum,vt aliàs dixi,cum Galenus ignorauerit(cum toties esset ab Hippocrate expressus, & diligenter)& prætermiserit, confudit totam doctrinã vrinarum.Quinta considera tio est vrinarum,vt significant,& vt pendet à propriis instrumentis,scilicet renibus,vreteridibus,vesica,& penè.Atque in hoc quædã sunt propria , quædam communia. Propria sunt,arena,lapis,pilus,capillus,vermis, sanguis,& caruncula carnea,de quibus hic non agit,cum non pertineant ad vrinam,vt supra totum corpus significat:neque supra morbũ, aut morbi causam :neque supra functionem liberam , aut impeditam , aut deficientem, quod pessimum est,nam tunc significatur facultatis læsio,& virium lapsus,si aliquid tale appareat.Sunt postmodum signa communia toti,& instrumentis,quæ hic animaduertere docet:& sunt,sanies fluxus,squammæ, farina,furfur,fœtor,vrina cruda , & quod innatat talæ araneæ simile,cuius causa,vt reor,in hunc incidit sermonem. Operepretium ergo erit,hoc solum distinguere , si quod tale signum appareat an sit proprij instrumenti, an à vi morbi violenta.Vnde,quod sæpe dixi,non pigebit repetere,quod etiam inclyti Arabes animaduerterunt, Galenum principia Medicinæ non tenuisse,nam plus doctrinæ ex hac diuisione habetur , quàm ex toto Galeno,quod ad morborum cognitionẽm,& præcognitionem pertinet. Omnia corrupit, præcipuè dissectionem ab aliis bene traditã: nec venia dignus est,vt Aristoteles , si quid errauit,qui suo marte cuncta inuenit, his enim non solum venia danda est,sed laudãdi multo magis,vt etiam phrynis : sed non fures alienorum laborum, reliqua inuoluit, confundit.Hippocratis gloriæ , quem adeò videtur extollere,maximè inuidit. Cómẽtariis adeò exilibus in illum editis, illius autẽ sententiis omnibus in suos libros translatis, vt pro suis legerentur: illum vbique calumniatus,defectus, modò peruersi ordinis,modò impropriæ locutionis , modò repetitionis,sæpe erroris , & adhuc in tanta iniuria conniuetis.Dioscoridem euertere,si animus non defuisset , quòd in re herbaria minimè esset exercitatus,ne quid cumulo flagitij deesset,non sic nos,qui veram laudem ne labefactarequidem in animo vnquam fuit.Nam

præstitit

præſtitit in Medendi Methodo, vt nihil nos, cum tot inuentis viribus addere tentauerimus. Et in examinandis viribus, atque ratione tam ſimplicium quam compoſitorum medicamentorum, nam hoc in genere maximè excelluit ſingulos mortales. Vna duntaxat parte quã puto non animaduerrens omiſit, de qua in ſecundo de dentibus diffuſè egi. Tertiò laudandus eſt, quòd fuerit vir verax admodum: qua illius præcipua virtute, quod & aliâs retuli, ſeruati ſumus, & adhuc viuimus, & quæcunque bene ſcripta ſunt, illi debentur. Cum enim ſcripſiſſet, ſeruatos ſectione venæ à palpitatione cordis omnes, ſed neminem quinquageſimum annum attigiſſe, auxilium id amplecti noluimus; ſed diſtulimus morbum patientes, donec ratione edocti, experimentum iuuit, ac liberati ſine iactura à tanto tædio, & periculo ſumus. Liquet ergo, nos hominem non odiſſe, ſed mores & nimiam viri ambitionem, iniuriamque ſtomachari in veteres, qui ſuis laboribus artem iuuerunt, ſimul etiam vtilitatem mortalium amplexum, plus debere me veritati, quàm illi, tametſi (abſque dubio) viro egregio. Sed ad rem redeo. Exponere oportet, ſi quid tale eueniat, velut tela illa araneæ ſimilis, aut farina, aut pus, aut furfur, vel ſquãmæ, aut vrina cruda (nam quomodo cruda vrina fieri poſſit, renum aut veſicæ vitio, diſputare nunc locus non eſt, ne capitulum in capitulo, vt dici ſolet, intrudatur, ſed pro nũc ſupponatur) quomodo dignoſci poſſit, an morbi, vel virium cauſa fiat, an omnino propriorum inſtrumentorum vitio. Atque ideo magis, quod Galenus ſuo more nugatur: id ſolum vtile docens, quòd eadem ratio eſt in excrementis alui: nam quæ continentur in deiectionibus, quandoque ſunt morbi vniuerſalis indicia, & materiæ illius partis: quãdoque ventriculi, vel inteſtinorum, aut venarum meſaræi, aut iecoris patientis indicia, & effectus, Vt ergo vnum ab alio diſtinguamus, tribus potiſſimum ſignis opus eſt, ſeu potius obſeruationibus, prima, an dolitent loca illa renes, ſcilicet lumbi ad pubis os, & ſub illo: aut ſi ſi vrigo, vel dolor, vel retentio ſentiatur in meiendo, aut ante, vel poſt, nam talia ſunt certa ſigna locorum affectorum. ſed etſi antea dolor ille affuerit. Secunda, ſi antea ſimile quid paſſus eſt æger. O quoties ego dũ admirarer vrinam, aduenit domeſticorum aliquis, me monens, quòd iamdiu ipſe conqueſtus eſt de vrina, aut quod vrinam turbulentam meiebar, Vel quod alij medici hoc dixerant. Tertium eſt ex miſtione: atque id modo ſenſus, viſus vigeat, ſignum eſt valde certum in vtrãque partẽ. ſeu miſtũ ſit valde, quod excernitur, & ſignificat vim morbi, in cauſa eſſe. ſicut ſi citò ſecernatur, factam eſſe miſtionem in renibus: aut in via, quæ ab illis ducit ad virgam. Et ſanè certius hoc eſt ad declarandum, quòd vi morbi ſit, quàm quòd non ſit: nam cum miſtum eſt valde, nec ſeparatur, qui fieri poteſt, vt in membris vrinæ miſtio facta ſit, vbi neque calor magnus comparatiõe iecoris, & præcordiorum eſſe non poteſt, neque motus vehemens, qui iſta confuderit? At ſi etiam impermiſtum ſit, quod craſſum, tamen vi morbi, ſecerni potuit, nec miſceri aliqua ratione ob craſſitiem eius: vt furfures, & ſquammæ, ac talia. Ergo pinguedo, vt tela araneæ innatãs, vt frequẽtius eſt à renibus, ita permiſt a vrinæ à renibus nunquam eſſe poteſt. Sunt etiam colores quidam proprij, & ſubſtantiarum qualitates, quæ familiares ſunt membris his: & præter reliqua cõſiderare oportet mutationem, nam in his, quæ à membris vrinariis contingunt, neque febres incenduntur, neque moleſtia augetur, nec exitu morbus alleuiatur. Sunt præterea, quæ ex vi morbi accidunt minùs perpetua, quàm quæ ex memris illis. Squammæ etiam & laminæ à veſica latiores ſunt, quòd liberiorem exitum habeant, & membrum natura amplum, ac totũ eidem materiæ generandæ aptum. Liquet autem, quòd per veſicam, vt dixi, omnia illa membra, quæ ad vrinam pertinent, complexus eſt. Inter quæ præcipuũ eſt vterus, & maximè à partu in fœmella quidẽ quadraginta duobus diebus, in maſculo triginta, vt in libro de Natura pueri (pag. 5.) quo tempore aliquãdo terribiles apparẽt vrinæ, nigræ, liuidæ, fœtidæ, turbulentæ, diceres exitioſiſſimas, & tamẽ euadunt, cum tamẽ periculũ ſit, ne verſa vice confiſus in renum morbo, aut puerperio, dum nimium his tribuis, æger breui, & inexpectatò intereat, ideo in huiuſmodi cõuenit ſuſpendere iudicium, & præter reliqua penſitare febris vehementiam, & ſymptomatum magnitudinem, & naturam prauam.

PROGNOSTICON XXXVIII.

Vomitus commodiſſimus eſt ex pituita, & bile quàm maximè permiſtus, & non craſſus valde, neque multus, nam meraciores deteriores ſunt.

COMMENTARIVS.

Poteram hic tertium librum iure merito inchoare, quandoquidem abſoluta eſſent ſigna ſumpta à trium coctionum excremẽtis: ſed quia etiam vomitus ad primam coctionem attinet, quod per ipſum expurgetur ventriculus, ideo volui, vt hæc tractatio eſſet potius ſecũdi libri finis, quam tertij initium, Incipit autem, vt è re eſt, ab optimo: nam iudex eſt obliqui rectum, vt Philoſophus (1. de Ani. tex.) author: eſt inde tranſit in reliquas ſpecies, vt tota tractatio in quinque ordines diuidatur: optimus, nõ optimus, malus, lethalis, lethaliſſimus, & malum quidem diuiſit, vt videbimus: optimum autem non optimo comparat. Galenus ſuo more verſatur circa verba: cum autem plurimæ eſſent difficultates declarandæ, prima ſcilicet, an vomitus abſolutè dici poſſit bonus in morbo acuto? adhuc ſenſum, ſcilicet an vtilis ſit, an non? an bonum ſignum, an non? Siquidem ſi centum ægri laborent morbis acutis paribus, vt non diſcrimen, niſi quòd

quòd quadraginta euomant, quinquaginta non, quorum pars maior seruabitur, est autẽ pulchrum scire hoc admodum, deinde, cur ex pituita, & bile? tertiò, cur nõ crassus, quartò, cur non valde multus. Et sane quod ad primum attinet, vomitus in morbo acuto, est signum febris pestilentis. Vnde dicebat Rasis (lib. Diuis. cap. 158.) cum in febre tepida nauseam frequentem, tunc scias, quod est pestilentialis, & Paulus in secundo lib. (cap. 36.) ponit vomitum bilis pro signo febris pestilentis. Multa possum hac in causa dicere, sed esset canere neniam surdis Galenicis, qui nihil sapiunt, nisi Galenum: nec ipsum habent integrum: nec partem, quam habent, intelligunt.

Dico, quòd pestis nostri temporis, quæ etiam fuit visa à Rasi, nullum habet magis præcipuum signum, ac proprium, quàm nauseã perpetuã, & vomitũ, quomodo ergo poterit esse bonum signum, nisi cupientibus mori? Videamus modo in aliis morbis acutis: nam intermittentibus præcipuè tertianæ & quartanæ est signum, quasi pathognomicum in accessione, adeò familiare his febribus, sed in pituitosa febre adest nausea perpetua plerisque; at ego loquor de acutis. Consideremus ergo primùm verba Hippocratis: ipse non collaudat absolutè vllum genus vomitus, sed si vomat æger, docet, quinam sit commodissimus, neque talem habent, qui laborant febre pestilenti: sed plerique vomunt cibum, aut materias corruptas colore, substantia, & odore, vt infrà dicemus. Ideo vomitus eorum non est damnandus, quia vomitus: sed quia prauus. Etenim in tres species diuiditur, quidam enim vomunt materias corruptas, & ille est minus malus, quoniam significat virium robur, & materiam à ventriculo separatam: & ista actione alleuiantur, & quod est per se exitiale, in his est minimum malum, quod possit accidere. Alij vomunt cibum, hoc est deterius, nam corrupta materia non cedit naturæ, nec alleuiãtur ex tali actione, est tamẽ signũ saltem facultatis non intermortuæ ipsius ventriculi: sed qui solùm nausea perpetua laborant, in his est signum mortis. Cæterùm in aliis acutis, experiamus exemplis quadraginta duorum ægrorum, quot sanati sint, aut perierint ex his, qui vomuerunt, aut non vomuerunt. Inde ratione agetur: melius est enim experimento duce præcedente rem tentare, inde rationem inuenire, quàm contrariò modo agere, quanquam nobilior sit illa via honorabilior. Ergo ex quadraginta duobus ægris vndecim cum vomuerint, (excipio nunc eos, qui sic iudicati sunt) periere quinque: Dromeadæ vxor cum sequente, Philistes, & Mulier, quæ habitabat in Mendacium foro, cum Pario quodam: reliqui sex seruati sunt, Epicratis vxor, & Cleanactis, & Cherion, & qui in Dealcis horto habitabat, Eropythus præterea, & Nicodemus Abderitani: at reliquorum vnius quidem supra triginta mortui sũt vnus de viginti. Liquet plures vomitu seruatos, quã mortuos fuisse. Verũ forsã cõstitutio huiusmodi fuit, cũ essẽt morbi populares. In huiusmodi enim accidit, vt signa quædã sint lethalia in aliis salutifera, in quibusdam media, & neutra: fieri potuit, vt hæc fuerint neutra, quamobrem cum rationes hicinde pugnent, illis fidere oportet. Nunc verò sermo non est de his, qui ob imbecillitatem vẽtriculi vomunt (palàm enim est, quod deterius sit, duobus morbis, quàm vno morbo laborare) sed de illis tantum, in quibus vomitus vi morbi fit: & est signum quòd quasi morbum à morbo distinguit. Nam etiam si fiat ob abscessum ventriculi, aut iecoris, non solum malus est, sed admodum malus. Propter hæc Hippocrates cum videret tot difficultates, non à causa, sed à signo, & materia, quæ euomitur, iudicium sumere præcipit. Simul illud docens, quòd per se res est mala, & signum malum: propterea non dixit, aut pronunciauit, esse bonum vomitũ, qui fit è genere malorum, ὠφελιμώτατος, id est, vtilissimus, & magis propriè vertit commodissimus, nam vtile de bono simpliciter dicitur: commodum autem etiam de mediocribus & parum malis. Dico ergo simpliciter cum illo, non esse vomitum rem bonam: neque multominus bonum signum, potest autem potius esse causa bona, quàm signum. Galenus tertio de Præsagio ex pulsibus in febribus pestilentibus (cap. 7.) declarat vomitum indicare defluxionem malorum succorum ad ventriculum: neque tamen semper alterutrum verum est, sed primum sæpe accidit, quod ille etiam ibi docet, vt sola fuit compressio, cum graues fuerint, & non mali: vel vt sola fiat nausea, cum humores adhærent: vel solus morsus, cum acres fuerint, & non abominabiles, neque multi, nec supernatauerint, hæ enim sunt tres causæ, cur, quæ in ventriculo sunt, vomitum cieant: & quarta, est motus. Cum ego pulsando chelim deuorassem muscam viuam à prandio, cuncta statim ob motum euomui: accidit enim vt in titillatione motus, etiam præter voluntatem. Similiter neque vomitus fit à solis humoribus, vel medicamento, verum etiam dum imaginantur: ideoque rectè comparatur è Galeno in libro de Motibus manifestis motui Virgæ, & ideo etiam aspectu rerum horribilium, & corruptarum ad vomitum incitamur.

Quatuor enim præcipuè sunt motus, qui non parent voluntati, sed dum imaginamur virgæ erectio, vomitus, fletus, & risus alij minus, & oscitatio, tertiò ex titillatione: vnde duobus digitis longioribus in os vsque ad gulam facillimè vomitus, & commodus excitatur, quartò ex motu: vt in nauigantibus, & equitantibus elephantos, & in agitationibus pẽsilibus. Fit ergo vomitus frequẽter in his qui inbecillẽ habẽt ventriculum vt recipiat excrementa ex membris validioribus, vt Galenus secundo in primum Epidemiorum (comment. 7.) cum sit cauitas in eo magna. Oportet autem adesse in illo vim expultricem validam. Visus est etiam (tertio de sympt. causis cap. 2. pag. 6,) etsi non clarè admodum, sed ita se habet, vt non solum ventriculus, sed & iecur, cum trahit, sed non cõcoquit: quod attractum est, remittit ad mesaræi venas, atque ex his ad ventriculum ita in tertianis ex felis vesica, & iecori: in quar-

tanis

tanis ex liene: in quotidianis vel ex se ipso, vel ex venis propinquis propellitur in illũ, quod cum ad vomitum incitat, sed præcipuè bilis, veluti tertia Aphorismorum (com. 21.)

Nec te moueat, quod dixerit, oportere esse bilem pituitæ mistam: in Historia illorum, qui seruati sunt, superiùs adducta, pituitæ nõ meminerit, sed solius bilis: addidit enim crassam bilem in plerisque, aut saltem multam præterque in Epicratis vxore. Idem est autẽ crassa bilis permistæ pituitę, imò nõ idẽ prorsus. Sed adiecisse hoc volui, vt intelligeres, ita interpretanda esse verba Hippocratis. Cum enim dixit (ex pituita & bile quàm maximè permistus (ita vult intelligi, vt alterum ab altero secernere possis. Est autem duplex hæc permistio, crassæ, & tenuis: quanquam in vtraque est, quod fluat, vt liquor. Ergo hæc dignotio à colore flauo, aut subuiridi, tũ palido permisto, & substantia habetur, quæ partim fluit, vt bilis, partim lenta est ac viscida, vt pituita, sed ad rem redeo. Proprium est ventriculi, inquit Galenus secundo de Alimentis (capite vigesimo) dum de præcocibus loquitur, seu armeniacis pomis, cũ mali succi in ventris partem superiorem profluũt, vomitu illos expellere, cum ad imum per diarrhœam. Ego verò non hoc tantum, vt dixi, sed morsum, abominationem, & motum in causa ad vomendum esse reor, nam cum multũ vinũ ieiunus euomit, aut frigidũ piscẽ, qui sanus mẽte dicat euomuisse, quia fluctuaret: quoniam odiosa per vomitũ reiicit, grata, aut non odiosa valde, per secessum, non enim potest exprimere, quæ continentur in illo perpylorum, cum sit in superiore, ac dextra parte, nisi iecur, & venæ mesaræi trahãt, at si odiosa, sint, tantum reluctantur intestina, quantum ventriculus nititur expellere: ideoque non potest per aluum demittere, sed vomitus concitatur. Ideo Galenus hac in parte neque veras causas vomitus docet, neque eorum, quæ euomuntur: neque quomodo fiat, nouit. An verò sit naturalis, dixit in libro de Symptomatum differentiis (capite 6.) posse dici naturalem, quoties ex abundantia nimia acciderit, attamen non fit, nisi cum læsione, cætera sine: ideo non videtur adeo naturalis, vt reliqua. Nam vomitum præcedit molestia magna, & cum eo etiã perseuerat: at eiectionem eorum, quæ sunt in ventriculo per pylorum, non sentimus prorsus, ergo fit sensim: si enim simul fieret, sentiretur omnino. Hæc ergo est secunda, cur multa per secessum non possint eiici, quia eiectio illa fit sensim: & quod eiicere necesse est, moram nõ dat.

De signis autem futuræ talis vomitionis biliosæ dicet infrà (libro tertio Tex. 30.) Galenus vult esse illam opus facultatis naturalis, secundo de Symptomatum causis (capite quarto) Sed vt dixi, cum pareat voluntariæ facultati, dum imaginamur, difficile est eam ad illam facultatem reducere: non videtur nihilo secius fieri per musculos. Sed libet adiicere verba ex Vesalio (libro quinto capite tertio) hæc. Exterior ventriculi tunica crassior, mollior propemodũque musculorum natura participans, carnosior visitur: & transuersis tantum, circularibusue abundat febris, quæ si quando vomentibus ventriculus quippiam protrudit, ad eius quoque eiectionem summoperè auxiliantur. Ipse tamen legit eductionẽ pro eiectionem, improprio sensu verbi. Itaque vomitus fit, quoties materia mala ad illum protruditur: magis autem hoc fit ex propinquis ipsi ventriculo locis, quocirca multum necesse est, alleuiari morbum, si pars materiæ propellatur. Habent autem tales febres imaginem quandam intermittentium: cum ergo sint quasi mediæ inter intermittentes & continuas, minus periculosæ sunt, affectus ratione, non signi, indicant enim materiam leuem, aut multo calore impulsam ascendere ex mesaræo ad ventriculum. Sunt & aliæ causæ vomitus per consẽsum, vt in renum doloribus, vbi primùm pituitam euomunt: inde, si dolor vehemens accedat, dicit Hippocrates (sexto Epidem. par.p. Tex. 6.) æruginosa vomunt. Dicit Galenus, quòd exuritur materia: de hoc aliàs. Magis etiam in ileo, interclusa via ad anum, sed maximè & per se violenter tamen pyloro obsæpto. Nos autem instituimus sermonem, vt intelligamus, quæ nam sint causæ, quòd in aliqua acuta febre sine abscessu vomitus fiant, in alia non, nam de febre cum abscessu iecoris, ventriculi & cerebri, nil mirum est. Vnde in Phreniticis virulenti solent accidere vomitus: ex quibus aliqui statim, alij post vnam diem, vel tres, aut ad summum quinque, moriuntur, vt docet Galenus secundo in primum Epidemiorum (comment. 54.) at de his non loquor, sed in febribus.

Dico ergo, quòd videntur quatuor esse præcipuæ causæ. Imbecillitas ventriculi: sub qua continetur etiam vsus vomendi facilis. propinquitas loci materiæ: sub qua etiam continentur eidem motus, vt in intermittẽtibus. Natura humoris: præcipuè enim bilis, & tempus anni calidum, & gracilitas corporis facit ad hoc, & fastidum, seu noxa supra septumtransuersum, & hæc sũt nota omnia ex Hippocrate qui illa pluribus prosequitur quarta Aphorismorum (4.6.17.& 18.) Verùm quarta causa magis propria est: & videtur esse materia cruda, nondum putrefacta, biliosa, & flatui permista, naturam vellicans.

Cum ergo ita sit, cuncta colligendo apparet, quòd vomitus semper est malum signum, scilicet, aut febris pestilentis, aut abscessus membri consentientis cum ventriculo: aut magnæ imbecillitatis ipsius ventriculi, aut compatientis magnæ noxæ alicuius membri, aut interclusæ viæ ad loca euacuationis. Vnde atiam in doloribus renum propter hoc fit, cum lapis impedit aquam, & bilem, ne expurgentur per vesicam vel multitudinis materiæ mordacis, mistæ cum flatu, vel cruditatis, vel veneni: & cum non fuerit signum valde malũ, melius est, vt adsit, quàm quòd non, quia est causa valde bona, vix enim fieri potest, natura se sic exonerante, non nimis irritata aliena causa, vt dixi, vt æger pereat.

Itaque his intellectis, deuenio ad textus expositionem. Quòd si aliquis me de prolixitate reprehendat, iniquus est iudex, cum ferat

ferat Galenum tot, & tanta scribentem, in quibus verborum satis, superque est sensus, ac sententiæ penè nullæ, hic habes totam, vt ita dicam materiam de vomitu declaratam à me, non leui labore partim collectam, partim inuentam, sanè totam digestam, & distributam, cum antea esset fermè ignota, & per nubem comprehensa. Sed sunt quidam, quos delectat, velúti ocij causa in amplo flumine vnum piscari piscem, quàm multos in piscina capere: ita placet his, cum duos absumpserint dies in legendo Galenum, vnam aut duas inuenisse sententias, & satis obscuras, & perplexas tum ob prolixitatem sermonis, tum quia non cohærentes. Quod autem sæpe dixi, in memoriam reuoca: fieri scilicet non posse, vt intelligas partem, nisi totũ intellexeris: & neque imperfectè quicquã, nisi perfectè. Eos verò, qui nihili ducunt hãc tantam temporis iacturam, relego ad Senecam, vt legant illius librum de Breuitate vitæ: nam iuxta finis, quem intendebat, rationem, ea in parte summus Philosophus fuit.

Ergo, vt ad rem redeam, Hippocratis sententia est, vt vomitus commodissimus censeatur, qui est mistus bene ex bile, & pituita: quoniam atra bilis omnino inimica naturæ animalium est, ne dum hominum. Cur autẽ mistus, reddit duas causas Galenus. Vnam, quòd si solus humor vnus ex his fuerit, erit immodicè calidus, aut frigidus, atque id, vt causa.

Altera causa dicti, quæ ad signũ pertinet, cum ad rem comparatur, est, quòd si syncerus sit humor erit crassus necessariò, quia si bilis, excoctus, aut concretus à calore: si pituita cõgelata, à frigore: atque ob id illi parti repugnabit, in qua dicit (nõ crassus) Ex quo apparet quartum, scilicet cur non debeat esse crassus, siquidem immoderatum calorem, aut frigus ostendit? Reliquum ergo solum est, vt doceamus, cur non multus esse debeat, qui eiicitur humor.

Consentaneũ enim videretur, quòd multus esse deberet: vt qui corpus exoneraret, & naturæ robur indicaret, aut enim non præstat expellere: & sic, nec si parum expellat, bonũ erit, aut præstat: & tunc quantò plus, tantò vtilius, & melius signum. Videmus nihilominus verum esse, quod dicit Hippocrates: facilioremque esse morbum, in quo parum eijcitur per vomitum, modo post nauseam cesset, etiam in intermittentibus, nam si nausea non cessaret, non esset pauca materia, quæ per vomitum deberet expelli, sed multa potius, & natura impedita, adeò vt duplici malo afficeretur. Sed & sanguis paucus effluens damnatur: copiosus salubris est, laudatur & multa vrina, non pauca, & egestio similiter, & sudor, & abscessus magni potius, quàm parui. Causa est, quoniam paruum indicat morbum pauca vomitio: & ideo est bonum signum. Præterea eiectiones ante maturitatem morbi, aut fiunt ob naturæ vim, aut materiæ prægrauantis molestiam, cum ergo materia pauca fuerit, indicat non potuisse molestiam esse in causa: igitur facta est ob naturæ robur.

Illud enim obseruandum, quod forsan solũ ab Hippocrate prætermissum est, ac quasi pro miraculo, cum fuerit in omnibus oculatissimus (nam de Galeno non est mirandum, qui solùm dicta dixit, neque de aliis, qui pariter cuncta ab eo acceperunt) scilicet quòd pauci, qui sint natura robustissimi, & magnorum laborum, qui ab initio morbi non emittant quantitatẽ materiæ, natura se exonerãte, cũ ergo natura valida est, conatur aliquid excernere.

Sed si dicas. Iuuarentur tamen magis, si plurimum excerneretur? Dico primùm, quòd Hippocrates non dicit esse hoc melius, quàm si multum, sed commodissimum: scilicet quia hoc semper bonum, illud non tutum omnino, etsi esset aliquando melius. Præterea multa materia non potest esse, nisi cum magno morbo: nam cruda non eiicitur, nisi proportione peccantis: ergo præstat non esse adeò multam, nam vel mortem significat, vel morbum longum, aut robustas vires exigit.

PROGNOSTICON XXXIX.

SI verò id, quod vomitu reiectum est, prasini fuerit coloris, aut liuidum, aut nigrum, quicunque horum fuerit colorum, malum esse putandum est.

COMMENTARIVS.

PRoposuit duos ordines vomituũ cõmodissimum, vt sit bene permistus ex bile, scilicet flaua (hæc enim significatur, cum sine adiectione pronunciatur) & est coloris non adeò flaui, sed potius cinij mali, vt lutei, oui, sed clarioris, & ad viridem declinãtis: adeò, vt cum diluta fuerit, viridis potius, quã flaua videatur, atque hunc colorem meritò Arabes citrinum vocant: & est minus mala, quia tenuior, quàm vitellina, in qua nil viridis est admistum. Et ea, quam pallidam Galenus vocat, est citrina verè: adeò, vt flaua illa sit res malè intellecta à Galeno, qui omnia confudit: citrinum enim colorem seu pallida sit, seu flaua, quotidie in vomitibus tertianarum videmus, & luteum colorem, flauum, si pro luteo accipiamus, rarò videmus. Sed vtcunque sit, non contendam, in verbis fieri potest, vt rectè Galenus exposuerit, sed non adeò facile sit exprimere rẽ hanc colorum: ob quam ego in libris de Subtilitate, historiam, ac nomina à rebus ipsis sumpsi, non reformidans grammaticulos, vbi de salute hominum agitur, & vita. Secundo loco est deterior commodissimo, potius malus, quàm bonus: & est meracus, seu bilis, seu pituitæ. Tertius ordo est mali simpliciter, quẽ hic interpretandum suscepimus. Quartus est valde perniciosi. Quintus perniciosissimi. Sextus est mali, vt ad omnia genera commune est.

Sed vt ad expositionem veniã, quia multi ægrè ferunt, quòd in Galenum adeò acriter irruebar, hæc volui ex Commento illius subiicere.

ſubiicere. De liuido ac nigro colore ſupra definitum iam eſt. Porracei verò nunc primùm habuit mentionem, non habentis quidē proprium nomen, ſed vtentis porri appellatione: niſi aliquis velit ecōtrariò à colore porraceo dictum eſſe porrum, non à porro porraceum.

In quibuſdam enim clara eſt deductio vocabulorum, vt cognoſcatur id, quod à grammaticis prototypum nominatur, & quod ab eo deductum eſt, quemadmodum de lacteo colore: in aliis verò haudquaquam clara eſt.

Dicas enim, licebit non à phœnice (talis eſt fructus palmæ arboris) phœniceum, ſed eſſe à phœnice phœnica dictū: queādmodū cyanō (talis eſt aqua maris) nō à cœruleo magis, quàm cœruleum ab illo. Itidem ochra, & ochron, id eſt, croceus color in eandem ſeriē reponuntur. Ochram verò dixi, non vltima acuta, quo pacto aliquis dicet ochrum, id eſt croceum adoleſcentem, & ochram, id eſt, croceam, ſeu pallidam mulierem: ſed penultima acuta. Ochra enim genus quoddam terræ eſt, cuius potiſſimum Attica probatiſſima eſt, hæc igitur nunc ſemel ſint à me perſcripta. Aſſiduè enim in animo habeas oportet, ſtudendum eſſe nominibus tantum, quantum ad illuſtriorem ſignificationem eorum, quæ dicimus, ex illis iuuati poſſit: reliquum verò tempus ſuperuacuum exiſtimabis, ad ſtudiū rerùm meliorum reponens. Hæc ille, quæ quis non videt primùm quàm præter propoſitum adducat contentionem illam, an porraceum à porro, an à porraceo porrum dicatur. Quid, ſi ego talem diſputationom inueherem, non exſibilarer? deinde idipſum damnat, quod fecerat, nam de ochron, quòd vltima non acuatur, id ipſum plurimùm intereſt, ſed principium deriuationis, vnde oriatur, vt quis perſuadeat ad medicum pertinere, ne Demoſthenes quidem, aut, vt probet, vel Chryſippus obtinere poſſit, huiuſmodi nugis referſit libros hic inclytus Expoſitor.

Sed poſtmodum quid dicit, de bile praſſina loquens (61.) Sed hæc reieci in quarto Contradicentium, dicamuſque hos colores prauos eſſe, & naturam: licet ad eum locum ſe exoneret, plerunque ob redundantiam potius, quàm illius vires id fieri. Sicut vidimus in Iacobo Vrſo Senatore Bononienſi, in quo ſpacium totum inter omentum & peritoneum, tum iecur atra bile repletum erat: ipſa verò perforato ventriculo (ſed cum doloribus vehementiſſimis) in illum ſe effuderat. Quia ergo eſt ex natura bilis aſcendit, effuſa ex iecore an inteſtinis gracilibus, ad ventriculum. Sed cur Galenus non declarat, cum in alui excrementis Hippocrates dixerit, (Tex. 38. & 39.) hos colores eſſe exitales, hic ſolum pronunciauerit, eſſe malos? quaſi deterius ſignum in excrementis, quàm in vomitu. Quid de Vrinis, vt ſuprà (Tex. 47.) viſum eſt? Sed & de ſputo eadem dicet ſuo loco. (Tex. 48. ex Gal ſectione. Dico ergo hos colores quandoque effici ob ingeſtorum naturam: & tunc non adeò praui ſunt. Non ergo intelligit, quòd ſi vitio venarum & morbi fiant, vt ſimpliciter ſint mali, ſed quoniam poſſunt eſſe ſimpliciter mali, cum fuerint ob naturam ingeſtorum: ideo malos dixit hos colores, qui ſunt peſſimi. Superiùs (com. 31.) eiuſmodi exemplum etiam docui dum de extremitatum colore ageretur. Mali tamen ſunt, quoniam etſi vitio ingeſtorum eſſent, plurimum obeſſent, vt cauſa, ab omni autem cauſa ſignum ſumitur. Aeruginoſi non meminit, quoniam, Galeno teſte, ſecundo in primum Epidemiorum (cō. 54.) fit ex bile flaua exuſta.

PROGNOSTICON XXXX.

SI verò omnes colores idem homo vomit, valde pernicioſum hoc eſt.

COMMENTARIVS.

GAlenus agit ſtrenuum agoniſtam: inuenit duos ſenſus, vbi vnus tantum eſt. Quis enim homo vnquam vomuit omnes colores, aut quis ob ſeruauit? Sed neque ſenſum verborū Hippocratis intellexit, neque enim ſoli hi mali ſunt, ſed ſenſus eſt: Si plures colores prauos vomat, hoc valde pernicioſum eſt, cum enim aſſumpſiſſet tres pro exemplo, ita etiam poterat, & duos, & quatuor, at verbum πάντα, id eſt, omnia ad ſupradicta refertur, ideoque & de duobus, & de pluribus intelligi voluit. Quòd ſi quis dicat, Cur ergo non eſt vſus verbo πλείω? dico Hippocratem meliùs hoc ſignificaſſe: nam indifferens eſt πάντα, ſeu omnia, ac ſi diceret, qualiacunque ex his plura, valde pernicioſum eſt, diuiſim enim, & collectim omnes intelligi poſſunt. Sed in plurali apud latinos, non pro ſingulis, ſed coniunctis. Sed non ſolùm, ſi plures colores malos, ſed etiam ſi plures, in quibus aliqui mali ſint, vt in Philiſte (30. Epid. languem. 4. 1. ord.) & ſi in pluribus vicibus, velut Mulier in mendacium foro, tertio Epidemiorum (lang. 12. ord. pr) nō tamen ſemper. Conſideranda eſt enim mutatio, qualis ſit, ex generali præcepto: Ex prauis ad bona, ſemper bona: ex bonis ad mala, nō confeſtim mala: ſiquidem increſcente morbo, ſi virtus ferat, non mala, ſed ad cruda, & olida, aut liuida, ſemper peſſima eſt: propterea ſubiecit

PROGNOSTICON XLI. & XLII.

CElerrimam autem mortem ſignificat liuidus vomitus, ſi graue olens fuerit. Omnes verò ſubputridi odores, ac fœtidi, in omnibus vomitibus mali ſunt.

COMMENTARIUS.

NOn idem significat οἱ ὄζει δυσώδεις, & καὶ δυσώδεις, id est, si malè olens fuerit, & malè olens: nullatenus enim adeò lethalem esse vult liuidum vomitum, sed liuidum, si malè oleat. Vnde subiungit in hoc sensu, quòd omnes malè olentes vomitus, qui subputridum, aut fœtidum referant, mali sunt, id est, valde, voluit enim hoc nos intelligere. Sed cur non dixit, valde mali, si hoc intelligerat? superuacuum enim est hoc credere, vt propter vnius verbi additionem existimauerit, se non breuem futurum videri. Ratio potius est, quòd Hippocrates nobis significat, nihil deterius esse, quàm cum imbecilles vires magnæ morbi causæ subiiciuntur. Sed si modò vires validæ fuerint, nihil verendum esse: quoniam putredo in ventriculo faciliùs fieri potest ob innati caloris paruitatem, & perpetuam cibi assumptionem.

Sed non est omittendum discrimen, quod innuit Hippocrates in illis verbis, subputridi odores, ac fœtidi: quasi alius sit odor fœtidus à putredine. Vnde intelligendum, quod omne mistum est, aut animatum, aut anima caret: & in vtroque genere est frigidum, quod condensat humidum: & quandiu humidum coactum est, manet mistum: & illud, si sit animatum, viget in eo calor cœlesti proportione respondens: secundo de Generatione animalium (capite tertio) at in animatis humidum aliàs concoctum à calore, adeò vt humidum illud, quod facit mistum, perfectum est necessariò concoctum, & pingue, sed sui generis: vtpotè in carne, ossibus, ligno, lapide & metallo. Et ideo Auerroes quarto Metheororum (Comment. magno sec. 30.) dum posuit duas vtilitates frigoris, ambas frustra commemorauit. Nam quòd frigus temperet calorem, absurdum est: primùm, quia calor innatus quantò maior, tantò melior: deinde, quòd calor frigore non indiget, vt temperetur, sed à se ipso temperatus est, & à generante, vt lumen Solis, nam frigiditas non est, nisi verè priuatio caloris. Quòd verò frigus confirmet calorem, non est verum: sed ipsum corrumpit, vt contrarium suum contrarium. Et ideo Auerroes ignorauit magistri sui mentem: is, enim dum quærit (2. de Generat. Animal. capite quarto,) cur cornua sint dura? dicit, quòd à calido fiunt, inde à frigore coguntur. Atque vtinam ossa & neruos non excepisset: sed non existimauit ea emolliri à calore humidum ergo, quod partes continet, & calorem à frigore condensatum continet mistum seu viuat, seu non. Ergo cum calor externus aduenit, dissoluit quod condensatum est, & semper corrumpit mistum, & istam corruptionem vocat Aristoteles in quarto Metheororum putredinem, quia ibi considerat duas actiones caloris oppositas: quæ putrefacit, & quæ concoquit. Et concoctio fit condensando, ob id quòd frigus sibi copulat: igitur putredo fit rarefaciendo, & colliquando. Iam ergo habemus rationem caloris, quomodo putrefaciat dissoluendo humidum, ex quo exhalat calor naturalis, vnde refrigeratur ex proprio calore, & incalescit externo. Propterea Philosophus, tertiadecima Problematum (4. & 8.) ponit tres causas putredinis: calorem, & humidum non concoctum, & quietem. Et de humido probat hoc ab exemplis, nam ligna minùs putrescunt, quàm caro animalium: & minùs etiam ossa, pili, & pinguedo, nam concocta huiusmodi sunt: cuius rationem inferiùs ostendam. Sed & à regionibus: nam Syria & Arabia bonos odores mittunt, quia calor vehemens aëris concoquit humidum. Sed cum miscet cum terreo, quia animal, cum generatur, ideò bene olet. Cum enim calor prorsus peruicerit humidum, & exhalauerit pars crassior, & quæ superari non potest, generatur planta, & res odorata: cum retinetur, nec prorsus separatur, putrescit, & fœtet, & animal generatur. Igitur discrimen totum constat in differentia generationis: ex semine, & à solo calore, & modo. In animalibus ergo hoc, si non perueniat ad dissolutionem caloris, nihilominus debilitat. Auerroes tamen veritus est dicere, quòd frigus confirmet calorem naturalem: quoniam vidit senes esse frigidos, & tamen imbecilles. Sed hoc accidit eis, quoniam calor suus est exiguus. Sunt ergo duo, quibus constant corpora mista: calor cœlesti similis qui concoquit, & frigiditas terræ, quæ astringit, & soliditatem mistis addit. His ergo visis, cùm dissoluitur humidum, vel celeriùs resoluitur, quàm colliquescat: & tunc fit tabes in animalibus, & marcor in plantis, vel parum absumitur humidi, & multum dissoluitur, & tunc separatur: vt in pinguibus, aut æqualiter fermè, & tunc generatur caries: vt in lignis. Cum ergo humidum manet aut mediocriter, aut fermè totum, quia calor est instrumentum animæ, ideò necesse est, vt generetur animal. Frigus autem externum vt prohibet colliquationem humidi, ita etiam generationem animalis. Animalium autem generatio, vt altiùs rem repetam, fit octo modis.

Primus est, cum animal ex animali generatur, vt homo, equus, balena, delphin: & hic est in perfectis, & sanguineis tantum animalibus.

Secundus modus est, cum generatur ouum & ex ouo animal: sicut in cartilagineis animalibus, & viperarum genere.

Tertius est, cum gignitur ouum intus, & animal extrà: vt in auibus, & crocodilis, & lacertis, & piscibus plerisque, tum cancris, & ostreis.

Quartus est, dum vermis generatur ex alio vt à muscis magnis, quod ego vidi.

Quintus est, dum vermis transmutatur, vt in muribus, qui ex putredine generantur, & ranis, primùm enim generatur vermis: deinde formatur sensim in animal.

Sextus est, cum vermis gignitur ex ouo, inde mutat formam: vt in erutis, locustis, & bombicibus. Septimus est, cum vermis generatur ex illuuie eiusdem generis, in quod

quod tranſmutatur: vt in anguillis, muſtellis & apibus. Octauus, cum gignitur ex pura putredine, vt in hominibus, in cadaueribus, in fructibus, & foliis ſingulis plantarum diuerſæ ſpeciei: qui tamen in alia animalia non mutantur. Nam qui mutantur, vt in abſynthio, ad quintum genus pertinent. Ergo omne, quod putreſcit, introducto nouo calore, & reſoluto frigore elementi, quo continebatur humidum, & exhalante alio calore innato, putreſcit: ſtatim ergo ab anima mundi animæ pars introducitur medio caloris ſolis. Vnde quæ ab igne corrumpuntur, vel ab igneo calore, animal nunquam generare poſſunt: quæcunque verò generantur, ex terra, & aqua conſtant, cum ergo nimium humidum diſſoluitur, generari animal non poteſt, generatur ergo cum humidum eſt pinguiſſimum: ſiquidem quæ aliqua ratione generantur, maximè generantur, cum illa eiuſmodi maximè fuerint: à pinguiſſima ergo parte generantur, quæ ab humido ſecreto generantur, talia ſunt vermes in fimo equino, & muſcæ paruæ in vino: nam terreum tenuiſſimum, admodumque paucum, & exiguum ad cogendum ſufficit, ob id vermes huiuſmodi ad dolores ſunt efficaciſſimi: muſcæ autem illæ ſimili ratione, iuxta proportionem. Ob id ergo in imo aquæ vermes generantur, quoniam ibi terrea pars non deeſt, & quieſcit: in ſupremo verò non, niſi in labiis, & niſi foliculus tueretur, neque ibi, nec in infantiũ corporibus, dum viuunt. Cum ergo quod putreſcit, ad formã cõtrariam noſtræ formæ tendat, neceſſe eſt, vt ſapore, odore ac viſu maximè nobis aduerſetur: ſapore tetrũ, odore fœtidum, viſu horrendum, & abominabile. Cauſa autem eſt, quoniam ea, quæ ex putredine generantur, primùm non ſeparant coctum à crudo: quoniam calor illi eſt inſtrumentum animæ mundi in his, quæ à ſemine generantur: eſt inſtrumentum animæ propriæ, ſed in plantis humidum exiguum eſt, quia non adeò tot inſtrumentis indigent: ideo à calore ſuperatur magis, & ob id multæ plantæ bene olent: nullum animal, ex putri materia genitum. Deinde, quod quæ à ſemine fiunt, ſenſim augentur, vnde calor dominari plenè poteſt, quæ à putredine tota ſimul, licet poſt perfectionem augeantur alimento, vt reliqua. Cum verò odoris cauſæ duæ ſint generalis, calor, quo odor, & aër in tenuiſſima diſſoluitur, & penetrat, tum quia calor mouet, motus autem actionem auget, & ſurſum fertur, quod leue eſt, vbi & odoratus inſtrumentum, ſuntque hæc communia bonis ac malis pariter odoribus: & modus putredinis, æqualiter fermè putrent frigida, modò humida ſint, & calida: veruntamen longè magis calida frigidis malè olent. Ob id aqua putrida parùm fœtet: caro autem multum. Pingue autem non putreſcit perfectè, ſed rancidum efficitur, quoniam cum incaleſcat, non exiccetur vlterius: & iam ſi ſit concoctum, non poteſt retrocedere, ſed exuritur quaſi, fieretque quaſi exuſtum, niſi exigua portio humidi ſecum corrumperetur, quo fit, vt rancidum putreſcat humidi crudi ratione, & amarum efficiatur concocti exuſtione. Vnde quantò amarius, tantò minùs obolet: quantò deteriùs olet, eò minùs eſt amarum. Iam verò anima inducta, neceſſe eſt denſari humidum, atque ideo refrigeſcere: quare etiam minùs longè malè olere. Conſtat igitur, cur quædam, quæ generantur animalia, non valde malè oleant, non quòd valde non putreant, ſed quòd calor odorem non explicat, vt ita dixerim, nam quod malè olet, valde mouetur: tertia decima Problematum (12.) quod verò animal generat quieſcit: igitur magis fœtent, quæ animal nondum generarunt. Et ſi valde fœteant, iam genitis animalibus, non ob illa, ſed ob nouam aliorum generationem, aut omnino peſtilens eſt, vt in ſepulcris. Quædam verò cum putreant, mirum in modum animal non generant: vel quia immodico humido obruuntur: vel quoniam aſſiduè mouentur: vel quoniam refrigerantur multum: vel quia exuruntur: autem quoniam percolantur, neque enim, generatio ſine denſo humido: nec denſum abſque frigido: nec frigidum genitale abſque terra. Terra ergo & Sol generant medio humidi. Ob id, qui dixere, Ignem generationis authorem, calidum ſempiternum intellexere: qui aquam frigidam in humido, terram ſcilicet, & aquam, qui aërem calidum in humidum agens, vaporem generat, & motum, per quam cauitates fiunt, inducit. Putreſcunt igitur multa, quæ animal non generant, ſed nuo per ſe. Fit ergo magnus fœtor ex multa putredine, & calore, nec tamen animal generatur obnitente caſu, vnde fiunt fœtores grauiſſimi, & animal generatur. Tertia cauſa fœtoris, quæ eſt ratione putredinis, etiam (nam magnitudo putredinis & caloris ſunt duæ cauſæ) eſt ob id, quod putreſcit, qua parte putreſcit ſcilicet humidum, aqueum, aëreumve, aut excoctum cum tota ſubſtantia terrea, nam ab aqueo leuis putredo fit, & ſolùm vermes generantur à pingui magna, tum quia pingue denſius eſt, & minùs euaporat, vt oleum, aqua: ideo magis generatur animal certi generis, & vehementiùs obolet. Sed iam videamus, cur allia fœteant, & ſcarabei, vermes autem non? Id contingit, quòd vermes, dum latent, fœtent, vnde in anhelitu puerorum, qui eis laborant, deprehendũtur: refrigerantur autem extrà, & ob id non fœtent, allium autem fœtet, quia calidum vehementer eſt humidum habet crudum plurimum: vnde vt putreſcat, paratum eſt. Ob id comeſtum fœtet, non autem per ſe: imò illius odore omnes fermè delectantur, adeò vt quærant odore vti, non ſubſtantia, in aceto terrendo illud: inde abiecta ſubſtantia aceto pro intinctu fruuntur. Ergo allium, aut animal generabit, aut nimio calore generationem animalis prohibebit, oportet, enim in animalis generatione refrigerari, vt denſetur humidum, & contineatur calor, & membra poſſint indurari: & vt quieſcat, donec foliculus perficiatur. Scarabei autem fœtent, quia calidi ſunt & propterea in aëre viuunt, tum ob alimentum etiam putre. Quæ ergo fœtent, omnia ſubputrida ſunt. Sed Hippocrates ſubputrida

da vocat solùm, quæ ad animalium generationem tendunt: quæ verò ab immodico calore malè olida redduntur, vt allium, porrum, cœpa, ea sub nomine subputridi non comprehendit, cum certam speciem rei oboleant. Necesse est enim contraria ad contrarias causas reduci: vt bene, & malè olere ad putre, & non putre. Sed allium non olet putrè ob colorem vehementem, qui propriæ substantiæ odorem retinet, ergo odor comesti est mistus ex proprio ita non olet malè, sed allium, & putrido: & ita non est sensile, vt nec dolor apud tactum, sed sensus inimicum. Sunt ergo odores putridi à calore, & putredine geniti: subputridi à putredine sine calore: vt aquæ putrescentis & fœtidi certæ rei à calore multo, & imperfecta putredine, cum sentitur odor rei marcidæ adeò vehemens, vt putredinis sensus lateat: nec cognoscatur, nisi vt leuis dolor in erysipelate, nam odor malus est & mistus ex putrido, & odore proprio: nihilominus putridi imago latet sub odore rei. Et quia videtur Aristoteles (2. de Anima tex. 76. & 97.) sentire, quòd odor non fiat ex resolutione partis corporeæ, sed quòd fit, sicut color. Dico, quod odor non est corpus: neque enim esset obiectum sensus, corpus enim in animam recipi potest, nec illius specie: nil tamen prohibet, quin solum cum corporeis vaporibus deferatur, aut saltem maximè, vt calor, & frigus.

DIGRESSIO.

SEd antequam vomitus historiam prætergrediamur, videndum est, cur motuum, qui voluntati parent, nullus imaginando fiat: eorum, qui imaginando fiunt, nullus pareat voluntati, non vomitus, non fletus, aut risus verus, non virgæ erectio, non oscitatio vel titillatio, aut pandiculatio, aut rigor: omnes, enim hi imaginando fiunt, non arbitrio voluntatis, in quo consultum est, in hoc vno duntaxat, quod ad virgæ erectionem attinet, ne voluntati pareat, adolescentes enim omnes fermè, & iuuenum plerique à re venerea absumerentur. In causa ergo est, quòd tres sunt facultates, quæ in nostro corpore arbitrio trium principalium membrorum reguntur, naturalis à iecore, nec alij obsequitur: intellectus & mens: ac voluntas à corde, cuius tamen instrumentum est cerebrum, anima enim, vt aliâs dixi nullibi est, sed extra nos: Cerebri autem proprium, non vt cordi paret (in quo est primum voluntatis, & mentis instrumentum, quo mouet, sicut lux Solis, non quo mouetur: esset, enim vis in materia) est imaginari: eáque repræsentatione ad cor, & à corde (non vt imaginatur, sed vt illud recipit, imaginari enim commune est: audere autem, aut timere, non idem in omnibus) contrahuntur, aut expanduntur spiritus (vnde non idem etiam timentibus accidit, metus enim lachrymas exprimit: immodicus cohibet, vt de Hecuba fingunt, sed rectè Poëtæ) & ad determinatum locum mittuntur, vt lachrymas risumque excitent, & vomitum, & oscitationem, & virgæ calorem, & erectionem: neque parent voluntati, cuius initium manifestum fit in corde, vnde illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua. Imaginandi autem est in cerebro initium, licet, vt dixi, cor sit auctor, sed per se: non autem, vt illius instrumentum est cerebrum, & ideo initium motus voluntarij est à corde per neruos, qui ab illo oriuntur: sed harum operationum à corde, vt est principium spirituum, ergo per regulam logicam iam aliâs declaratam, cum principale sit vnum, & instrumenta duo, nunquam poterit, confundi actia vna cum alia, sed erunt prorsus distinctæ. Ideo opinio Galeni de principatu membrorum, & ortu neruorum, præter id, quod repugnat rationi, etiam experimentum habet contrarium.

Nunc redeo ad expositionem. Liuidus color fit ex extinctione caloris naturalis: sed ea, si fiat vel à calore, vel à frigore, vt in verberatis, mala est, sed non lethalis, at si à putredine, perfectam significat putredinem, & penitus extinctum calorem ostendit: ideo mortem, quæ enim perfectè putrent, omnia liuida euadunt: putrent autem perfectè solùm carnea, vt liquet, ideo in canibus, & suibus hoc videre licet: sed non adeò facilè, ob fœtoris magnitudinem.

IN



IN LIBRVM
Prænotionum Hippocratis, Commentarius Tertius.

PROGNOSTICON XLIII. & XLIV.

SPVtum verò in omnibus doloribus, qui circa costas fiunt & pulmonem, citò ac facilè expui conuenit: & flauum sputo valde permistum apparere.

COMMENTARIVS.



CVM tractasset de signis sumptis ab excrementis generalibus, hic incipit tractare de signis sumptis ab excrementis, & ab aliis generibus, provt sunt propria vnicuique morbo. Nam vomitus, etsi possit considerari, vt symptoma ventriculi, & fæces intestinorum, non tamen sic ab Hippocrate hic consideratur: de quo superius (Tex. 51.) nos Hippocrates admonuit, cum dixit: Nec verò decipiat te, si vesica morbum aliquem habens, &c. vt intelligeremus, non tractare illum de his signis vt propriis, sed vt communibus tantùm, & omni morbo acuto, & toti corpori. Demiror autem de Galeno, qui nodum in scirpo quæsierit, textum hunc, qui palàm vnus est, diuidendo. Quamobrem his relictis exponamus sensum literæ, qui est, quòd sputum debet habere tres conditiones, vt facilè celeriterque expuatur, & sit in eo flauum valde permistum. Nam cum sputum est purum, significat materiam esse crudam. Demiror autem Galenum, qui censuerit, cum nihil expuitur indicari summam cruditatem: pòst, si nihil de materia expuatur, nam crudum maximè est, cum expuitur sputum: nihil autem, quod ad materiam attinet: nam non vitio doloris materia sistitur tum, cum aliquid expuitur, sed quia materia prorsus cruda est. Ergo quòd sputum debeat esse facile, id est breui expui, dicebat Hippocrates primo de Victu in acutis (à 36. Tex. ad 39.) his verbis. Causa verò huius est, quod priusquam dolor soluatur, moriuntur: citò enim anhelosi fiunt. Præ multo autem, ac denso spiritu, velut iam dictum est, valde viscosum citra concoctionem fit sputum, & egressum fieri prohibet. Imò stertorem induit, chartilaginosis pulmonis, arteriarum partibus, bronchiis appellatis, impactum: & vbi ad hoc deuenerit, lethale iam plerunque existit. Nam & ipsum sputum impactum prohibet quidem spiritum introferri, cogit autem citò extra fieri. Atque sic mutuam opem ad malum inter se conferunt, dum & sputum impactum, densum spiritum facit: & hic cum densus sit, sputum insuper viscosum facit, & lubricum fieri, ac elabi impedit. Non auderem clariùs hoc ipsum eâdem viâ docere velle. Verùm quod declarare volo, aliud est, scilicet Hippocratem tria proponere. Vt facilè prodeat. i. breui, & sine labore: nam neque virtus sic defecta esse potest, neque materia, quæ expuitur, mala. i. glutinosa, aut crassa, aut tenuis: nec aliquid esse, quod impediat, velut dolorem vehementem. Secunda conditio est, vt citò. i. ab initio morbi appareat: tunc enim inchoantem morbum abbreuiat, vt prima Aphorismorum (12.) & est assidens signum, seu Symptoma potius. Tertium est, vt sit flauum admistum sputo, idque valde, scilicet permistum: non autem flauum. Declaratur autem ex hoc, cur in Aphorismis dixerit, quòd sputum, si primum appareat, breuem significet morbum: vbi non est definitum, quid sit sputum, aliquando enim sanguineum, aliquando flauum videtur, atque in his duobus permistionem considerare oportet: nam vterque horum colorum bonus esse potest, quomodo autem sit valde permistum, Galenus omnino (confidenter enim hoc dico, quia non solùm non animaduertit, sed cum paucos, vt puto, huiusmodi ægros curauerit, ignorauit prorsus) non attigit. Est autem quod non potest esse bene permistum, nisi paucum fuerit, quod admiscetur, vnde si plurimum fuerit, seu quod flauum est, seu rubrum, periculosum est: & mistum bene seu valde esse non potest. Quod autem sputum difficile est, multis modis, vt dixi, contingit: seu ex virium imbecillitate: seu dolore nimio: seu cum exustum est, & ob id lentum, vt cum fabri lignarij farinam cum aqua coquunt, vt colla fiat, quod accidit in febribus exurentibus: atque id multò deterius est lento sputo ob viscidam pituitam facto, aut quia crassum, quod eleuari non potest: aut cum fuerit tenue, & liquidum, vt nequeat, quoniam spargitur, attolli: quod inditium est cruditatis. Ergo videbis, cum bene permistum est sputum, & paucum, etiam si nigrum sit, plures sanari, quàm si flauum, aut sanguineum, sed ob multitudinem, parum mistum. Reliquum est, vt dicamus, quod maximè necessarium erat, scilicet cur sputum bene permistum optimum sit? Cur Galenus hoc tacuit, quia dicit, quòd non est necessarium expositori, reddere causas. Cur ergo reddit huius, quod facilè expuatur? sanè in claris nugatur, ad tœdium difficilia quæque prætererit. Neque enim quæ in sequēti Commento affert,

affert, satis faciunt. Etenim prima fronte sputum permistum valde malum videri deberet: quòd permistio magna, vt superiùs (Tex. 52.) declaratum est, vel ab agitatione, vel à calore fit vehementi. Occasionem ille etiam superiùs vitauit, dum exponeret prima verba de vomitione, causas docuit spumæ, in quo inferior est permistio, vt de illa sermonem habere non dignetur, sed neque mora, nec similitudo substantiæ in causa esse possunt: dictum est enim de his aliâs. Vna quidem non conuenit: quæ enim similitudo sputo, seu pituitæ cum flauo? Alterum vtile esse non potest, mora. Quid etiam dicemus, cum natura separet, non misceat, morbo ad salutem tendente, vt commodè expellere possit: quarta Aphorismorum (com. 22.)

DIGRESSIO.

IAm ergo clarum est, quòd oportet materiæ morbi indicia esse permista, & non parti vtili: igitur excrementis, & quantò magis permista fuerint, tantò id esse melius. Verùm primi causa manifesta est, alterius non ita. Galenus secundo Prorrhiticorum (Com. 15.) deiectiones synceras per crisim factas haud vituperat: sed ante illam morbum exacerbandum dicit eas significare: non tamen aperit, non contendam cum illo: quanquam Hippocrates syncera vbique damnet, etiam in exemplis, cum dicat in his, qui seruati sunt (biliosa multa euomuit) non bilem: (pituitosa) non pituitam. Sed non sunt vbique omnia miscenda: satis sit, eandem esse rationem sputi, vomitus, & deiectionis, vt syncerum semper sit formidabile, mistum excrementis laudabilius, & vbi opposita sic distinguuntur, quod maximè ab altero extremo remouetur, optimum est: velut syncerum malum, mistum laudabile, valde mistum erit admodum etiam laudabile. Itidem inuenta ratione, qua syncerum malum dicitur, seu per viam causæ, seu signi perspicuum erit, cur mistum sit laudabile, eadem enim est ratio oppositorum.

Quod habetur septima Aphorismorum (Tex. 6. com. eodem) dicam. Inquit enim super verbis illis: In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones synceræ, malum. Nam deiectiones huiusmodi, exustum esse omne humidum innatum à calore febrili demonstrant. At hoc, quòd valde mista sit, eò non videtur pertinere: nam secretos humores nonnunquam, & tamen plures, videmus excerni. Aliam ergo quærere causam oportet huius dicti. Causa mistionis bonæ est, quod sensim instilletur, nam & in his, quæ manibus miscemus: si sensim farinæ aqua super fundatur, missio bona fit: si confertim, nequaquam. Cum ergo in peripneumonia bene permisceatur humor sputo, necesse est, vt sensim transfundatur pus, aut humor in excrementum: quod & indicium est paucitatis materiæ, & naturæ, non coactæ operantis, sed ratione, & si etiam ad causam referre velis, vt non timendum sit ab huiusmodi materia, quæ destillauit in locum ob paucitatem eius: & quia mista, ob coniunctam sibi pituitam. Eadem tenuis necessariò erit, nam crassum non potest valde permisceri: tenuis autem materia faciliùs superatur, & indicat naturam prædominari, ergo sputum bene permistum, est salubertimum.

PROGNOSTICON XLV. & XLVI.

SI enim longè postea post principium doloris expuerit, quod flauum est, aut fuluum, aut quod multam tussim inducit, & non valde permistum est, deterius est, nam & flauum, & meracum periculosum est: & album ac tenax, rotundúmque inutile est.

COMMENTARIVS.

INsinuat, quòd in specialibus tradendis debemus esse longiores & diligentiores: neque enim obscurum est, quòd hoc ex contrario manifestum est. Post principium longè opponitur ei, quod citò: & quod multam tussim inducit ei, quod facilè, & non valde permistum ei, quod valde permistum. Et quoniam opposita versantur circa idem, ideo adiicit flauum, vt intelligeremus parum interesse inter hos duos colores, flauum, seu fuluum. Deinde subiicit causam vtrorumque posteriorum, cum primùm per se notum, scilicet quòd tandem expuere est malum: longiorem enim morbum significat, quo circa sicut suffocari diutius in aquis, periculosum est magis, quàm breui tempore: ita & diutius extendi morbum lateralem, aut pulmoniam, periculosum est, & tantò deterius in pulmonia, quàm laterali morbo, quantò magis homo præfocatur in pulmonia, quàm morbo laterali. Ei ergo, quod est valde permistum, opponuntur duo, meracum scilicet flauum, & album, at flauum meracum periculosum, inquit, est, album autem inutile: in quo scilicet nihil de materia peccante expuitur, de meraco autem dictum est suprà. Sed antea, quàm expositionem Galeni prosequamur, explicandum erit, quid intelligat per commentationes de Iudicationibus, id est Crisibus, & in libro sententiarum, id est Aphorismorum, parte scilicet sexta, & septima: nam hunc vnum esse librum, non septem, voluerunt. Et cur dixerit, rotunda: nam glutinosa cum fuerit vehementer talis, in rotundam transit formam, quoniam vndique latera à calore febrili æqualiter torrentur, vt quicquid promineat, consumatur, at cum valde glutinosa fuerit, vbi semel rotundam formam acceperit, eam retinet: at vbi non talis est, etiam quòd consumptis partibus extremis in rotundam figuram transeat, in ea consistere nequit, quòd autem omne, quod sensim circumcirca consumitur, rotundum euadat, non solùm ab aëre, & ab arte, sed etiam ab aquis, docuit. Aristoteles in Mechanicis de Crocis (Quæst. 15.) loquens: Rotunda autem sputa peculiariter delirium portendunt teste Hippocrate sexto

Epidemiorum (part. 3.) causam ibidem explicuimus, omnibus aliis expositoribus ignotam.

DIGRESSIO.

Galenus igitur partem hanc de syncerris sputis sic in commento interpretatur, vt syncera alba minùs mala sit, flaua tantò deterior, quantò bilis pituita deterior est. Est autem, scilicet longè: quoniam flaua bilis acutas accendat febres, atra solum difficiles: sanguis & pituita sint humores moderati, ac benigni: idque totum verum est, sed non docet quomodo sputum permistum fit bonum, aut malum. Verùm hoc facile est, si quis mentem adhibeat, scilicet quod debet esse materia coniuncta, cum debet expelli, prorsus separata ab vtili: nam vtile natura cupit retinere, ideo non expellit, donec fuerit, quod vitiosum est, ab vtili, separatum, contrà debet esse excrementis naturalibus bene permistum, quod vitiosum est: tunc enim commodissimè expellitur, tum ob naturæ consuetudinem, tum quia membra, super quæ transit materia, quæ expellitur, prorsus non læduntur. Si acris sit materia mista fæcibus, non parit difficultates intestinorum, at materias noxias esse, vnam, aut plures, multum refert. Galenus (comment. 23. & 40.) multitudinem earum reformidat, quoniam plures difficilius superantur, quam ego opinionem non animaduertens, errorem frustrà secutus sum, nam plures si singulæ sint æqualis molis, ac ponderis, certè maius facessunt negotium, quàm vna, quæ vni earum multitudine, ac pondere tamen æqualis sit, sed si tanta sit moles, ac pondus vnius, quanta omnium illarum simul acceptarum. Tametsi ergo plerunque accidat, vt maior sit quantitas humorum diuersorum quàm vnius solius, nihilominus etiamsi æqualis sit, deterius est, vt materia sit variarum partium, quàm vnius naturæ, nam si varij sint colores, variæ etiam erunt substantiæ: & ideo etiam diuersis in temporibus concoquentur, quæ ergo celerius concocta fuerit, non poterit expelli, cum cruda coniuncta sit: nam cruda expelli non potest, nondum calefacta, & emollita: necesse est igitur retineri, quod autem concoctum, retinetur, non solum à febrili calore, cuius proprium est, omnia corrumpere, & deteriora facere, sed etiam à naturali ipso superassabitur: quamobrem cum reliquus humor concoctus fuerit, non poterit huic coniunctus, quoniam hic ipse non amplius concoctus est, expelli: igitur & ipse denuò corrumpetur, vt ipsemet Galenus in tertio huius (com. 27.) fatetur. Vnicum ergo præsidium est, vt separetur: quamobrem febres duplices tertianæ facilè curantur, quia singulorum humorum sunt loci distincti. Et etiam in Hemitritæo idem fatetur Galenus, dum illius solutionem narrauit in secundo de Differentiis febrium (cap. 7. in fine,) cum dixit in enarratione vndecimæ diei: Deinde sexta noctis hora aluus biliosum excreuit, ac quidem per vniuersum corpus, veluti sudores, exhalarant: post quos tota declinatio ferè ad infebricitationem peruenit: neque iam in ambiguo erat, quia tota febris tertiam omnino desiisset. At cum mistæ fuerint materiæ valde, aut non separabuntur, aut difficillimè: quocirca febris ex huiusmodi materiebus, commistis semper difficilis redditur, & quicunque alius morbus, seu fuerit tumor, vel abscessus, vel diarrhœa, aut tale aliquid. Confudit ergo Galenus tria mistionum genera: materiæ vitiosæ cum vtili, quod semper malum est: cum excrementis, quod bonum: earum inter se, vt cùm rubræ, & fuscæ simul miscentur: & hoc longitudinem, & difficultatem morbi significat. Est & quartus quidam modus (ne quid intentatum relinquamus) quem Galenus tangit, scilicet mistio materiæ prauæ cum quodam humido natiuo: quòd si vult expelli, quomodo vult, vt separet, quare? sed hæc relinquamus, aperta enim sunt, & clara in excrementis alui & sputis. Solùm restat difficultas de vomitibus: nam ibi videtur etiam humidum admistum materiæ noxiæ, & tamen non est excrementum naturale. Et mihi videtur illud compositum ex ichore proprio humoris, & crudis excrementis, quæ nondum à natura euicta sunt: separatio autem sit ab vtili. Quocirca si per merum intelligamus etiam quod propriis ichoribus spoliatum est, etiam illud deterius erit. Sed Hippocrates ad excrementa respexit: in vomitu autem, quia deerat, pituitam excrementi loco subiecit: quæ certè & ipsa excrementi rationem habet. In sputo ergo pituita muccilaginosa: in vomitu cruda: in deiectione excrementa sunt illa, cum quibus misceri debent, quæ eiiciuntur, materiæ morbificæ.

PROGNOSTICON XLVII.

Malum est, & quod viride est valde, & quod spumosum.

COMMENTARIVS.

Qvamuis similis locutio duplicem semper recipiat sensum, scilicet gratia exempli, viridem, malum est, & spumosum, & viridem spumosum nihilominus relatiuum, quod efficit, vt in primo sensu intelligenda litera sit. Sed græca lectio non habet, nisi κακὸν δὲ καὶ χλωρὸν ἐὸν κάρτα καὶ ἀφρῶδες, Idest malum est, etiam viride, si valde sit, & spumosum. At Laurentianus tertium addit sensum, sic interpretatus: Si viridis admodum, & spumans est, mala est: vt scilicet vna tantum sit, sed coniuncta ex duobus screatio mala.

Sed omissa varietate lectionum, quando codices ambo Græci idem habeant, ad expositionem eius, quod in re est, accedamus. Quandoquidem non dixit, nisi, malum esse sputum, non valde, possumus singillatim exponere, viride malum, & spumosum, nec relinquitur vlla difficultas, nisi in aduerbio valde, seu κάρτα: reliqua enim nota sunt.

Omissa ambiguitate, quam Cornarius inuexit, & Laurentiani sensu incondito, esset enim piscari (vt aiunt) aureo hamo, vt malum esset sputum, quod viride esset, & valde, & cum hoc etiam spumans. Propterea dicamus, quod & sputum valde viride, seu, vt Galenus ait, rubiginosum, malum est, parùm interesse putat Galenus, qualiscunque sit coloris, modò syncerum sit: semper enim malum est: quamuis non dicat Hippocrates, meracum esse, sed valde tinctum, constituit autem eiusmodi ordinem Galenus: serosum humorem, quem constat pallidum esse: qui cum assatur, flauus fit, cum permiscetur (sed cui, non dicit) euadit croceus: is rursum superassatus, euadit niger.

Quis non videt, quàm incompositè hæc dixerit, primùm neque explicat, cuius coloris sit serosus humor: neque quomodo possit assari (vix enim fieri potest) deinde cui admisceri debeat: croceus etiam assatus fit primùm fuscus, aut cœruleus, si lucem habeat admistam, inde niger, nonnunquam etiam viridis, antequam niger. Hæc est doctrina illius viri, quam tanti faciunt, qui admirantur ea, quæ non intelligunt confusa, incerta, sine ratione, falsa. Verùm ne longior sim, explicabo Hippocratis sententiam dilucidam, quæ est: Malum esse sputum, quod valde citrinum est, id est ex viridi, & ferrugineo mistum, nam cum Græci viride simpliciter intelligi volunt, pràssinum vocant, πράσινος viridis, & ἰώδεες, ab ἰώδης eruginosus lib. de Veteri medicina, (pa. 6.) cum ergo mistum colorem laudasset, & hic eiusmodi esset, ostendit, si valde talis sit, attamen malus erit id est quod sæpe vidimus, quanquam plures sint, si tamen splendeant, & viuaces sint, praui sunt: sin ita misti, vt alter alterum obtundat, meliores.

Quis non videt Galenum nugas agere: nam norunt omnes, me non deceptum in iudicando ob hæc huiusmodi: non ergo de synceris, sed viridis coloribus sermonem habet, χλωρὸν præterea à Galeno viride exponitur: sed difficultatem non facio, quandoquidē, & flammeus in hoc ordine sit, & quilibet color syncerus, dico syncerum non immistum hic, sed, vt color purus sit, viridis, cœruleus, croceus, ruber, flammeus, veniamus ad spumosum.

Bullas gigni, & ob calorem, & ob agitationem, docet exemplo, ducto à spuma, quæ in mari, & in lebetibus gignitur. Seruantur, & manent, vel ob aëris contenti crassitiem, qui non superiùs fertur, & erumpit, & lentorem humoris, qui vi continet spiritum. Si alterum horum desit, non diu perseuerat: si perseuerat, vtrumque adesse necesse est. In humano corpore hoc ipsum accidere ob vehementem adeò agitationem, cum haud sit verisimile, relinquitur vt spuma, seu fit in sputo, seu vrinis seu fæcibus: hæc tria ipsa indicent calorem feruentem, acrem, humidum, ac crassum, humorem lentum. Et quanquam de his superiùs (lib. 2. com. 37.) actum sit, nihilominus duo hæc adiicere decreui. Primum, quòd spuma fit in ore: vnde homines sani sine incommodo sputum emittunt spumosum, non tamen in pectore fit absque magna vi, & causa præter naturam: ideo ne te fallat sputum spumosum, quod ex oris causa non pectoris, prouenit, alterum est, quòd prudenter Galenus omisit vomitum spumosum, dum enumerat, quæ cum spuma eueniunt: nam nisi saliua misceatur, tantus calor in vētriculo ob magnitudinem adesse non potest, vt in eo spuma creetur, præterea spuma fit, vel ob vehementiam agitationis, aut caloris aut loci angustiam, vt in mucco: vt veriùs dici possint tres causæ, quàm duæ. Nam quæ spuma strangulatis ad os venit, & ob calorem, & ob loci angustiam generatur. Hic rursus animaduertere decet Hippocratis excellentem artem, & ingenij acrē vim: nam non per malum malum simpliciter significat, sed vehementer malum, cum enim coniungit malum periculoso, & lethali, vt cum dixit, deterius est, quàm illa, tum ex ordine, tum ex coniunctis, intelligere oportet, pessimum esse, adeò vt hæc verba (bonum, malum) iuxta ea quæ coniunguntur, sint intelligenda, velut si dicat: Lethale est, torqueri oculum, malum est, etiam si promineat sensus est, oculū prominere, est etiam malum ex eo genere mali, quod dictum est, id est lethale. Sed tamen, cum dicit (malum est) non est perinde, ac si dixisset, lethale est: sed ac si diceret, lethale est hoc, sed non adeò, vt primum, hoc ex coniunctis. Ex ordine cum malum ponitur, gratia exempli, inter valde malum, & lethale, intelligendum est malum, id est deterius, & lethali proximum, hæcque diligenter sunt obseruanda, quæ ad rerum faciunt scientiam, non quæ discrimen non in sententiis, sed verbis tantum afferunt.

PROGNOSTICON XLVIII.

SI verò ita fuerit meracum, & etiam nigrum appareat, hoc ipsum deterius est, quàm illa.

COMMENTARIVS.

POterat videri ob formam sermonis locutus esse de syncero sputo in priore parte, non autem de de permisto. Verum supponit, sputum esse malum, aut quia syncerum, aut quia praui coloris, cum ergo priorem damnasset ob naturam coloris, hunc damnat ob vtrumque, adeò vt optimum statuat bene permistum, & ex bonis, ac laudabilibus coloribus in extremo nil spuere, vt in sequenti textu docebit: proximum optimo tenax album, ac rotundum, quod tamen inutile est, & syncerum longè peius: sed proximum pessimæ conditioni nigrum, syncerum, in medio mistum sed cum coloribus valde saturis, vt in hoc ordine apparet

Citò, facilè, benemistum, remissum. Hic est
ordo Album, glutinosū, rotundum. Hippoc.
Viridem, valde saturum, mistum nec non &
rei Fuluum, seu flauum, saturum, syncerum.
ipsius. Noluit Nigrum, syncerum.
absolutè pro-Nihil expuere.
nunciari Hippocrates de sputis, quod significarent mortem, sicut in vomitibus, &

vrinis

vrinis, atque aliis excrementis, ob tres causas, quas Galenus animaduertit, cum ex sputis etiam valde nigris multi euadant, vt his diebus senex septuaginta quatuor annorum, & iuuenis triginta annorum, qui ambo sputum nigrum habebant. Sed seni ab initio vsque in finem perseuerauit cum vrinis turbulentis, pulsuque valde inæquali: sed neque dolor in pectore aderat, nec febris acuta, in iuuene vtrumque horum cum adesset, eratque dolor in sinistro latere, & in eo etiam vrinæ conturbatæ: sed sputum desiit esse nigrum circa septimam, in sene non fuit mistus sanguis: in iuuene fuit, curati ambo cum socio Laurentia Melara. Si adfuisset inclytus aliquis Galenicus parum bene animaduertens Hippocratis dicta, interitum vtriusque pronunciasset. Ergo primùm contingit, sputum malum non significare mortem, quoniã significat solùm supra vnum membrum, & non principale: igitur, nisi intercipiatur non poterit per se significare mortẽ, secundò, quia potest esse vel à fumo, & maximè lucernæ, & præcipuè olei à semine lini, vel defluxione à capite: & sic non significabit mortem, imò forsan neque aliquid penitus maioris mali, tertiò, quia tale sputum sæpe fit ex humore melancholico in corde, cuius fumi denigrant sputum, & tamen, si non sit ab incendio, non significat mortem. Quomodo non pituita potest in pectore denigrari ob abscessum? hoc arbitrari stultitia est.

ad præcedens.

MAlum etiam est, si nihil repurgetur, neque emittat pulmo, sed plenus ferueat in gutture.

COMMENTARIVS.

HÆc pars à Galeno, nescio qua ratione, omissa est, cum tamen esset in textu: qui vertit, maiorem admisit errorem, cum in vtroque textu esset: Cornarius rectè adiecit. Hic malum, vt sæpe dixi, dictum puta, non quòd pessimum non sit, cum in statu fuerit, sed quoniam sputum viride, nigrum, syncerum, liuidum, rotundum, quocunque tempore fuerit, semper malum est, si vitio affectionis in pectore fiat: at retineri sputum non ita, sed ab initio est, quasi pathognomicum, ideo Hippocrates voluit, cum in extremo collocarit, nos intelligere pessimum esse, si in statu accidat, sed in principio non esse absurdum, neque verendum, licet malum semper, diximus su prà (com. p). causã huius; perueniunt enim facilè ad strangulationem, maximè si frigiditas extremitatum adsit: soletque præcedere animi deliquium, vt in septima Aphorismorum à Galeno (com. 8,) habetur: tumque mors propinqua est, quod etiam in magnis hæmorrhoragiis pulmonis accidere solet.

PROGNOSTICON XLIX.

GRauedines, & sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis, & antecessisse, & succedere, malum est: at in aliis morbis lethalissimis sternutationes vtiles sunt.

COMMENTARIVS.

DVobus modis largiter, & commodè cerebrum exonerari solet per nares: vel cum impetu, vocaturque sternutatio vel sine impetu, vocaturque grauedo. Græci clariùs κορύζαν appellant, nomen narium in eo includentes. Quo fit, vt detestabilis Galeni in sectio, qua Hippocratem subsannat, quòd defluxionis non meminerit, cesset: nam defluxio, quæ per palatum fit, non est signum, sed morbus.

Quærendum est ergo, cur, cũ sternutatio, & grauedo per se bona sint trifariam, tum quia materiã cococtã esse ostendũt, ti quia vi cerebri declarant expultricem esse validam, tum quia cerebrũ absque incõmodo exoneratur, ob eáque omnia hæc subiunxerit, in lethalissimis morbis vtilẽ esse, præsertim sternutationem, in morbis, qui attinent ad pulmonem, velit esse malum? Hic sanè mihi videtur modus esse doctrinæ veræ, vt clara ordinatè explicemus, quæ supersunt dubia, breuiter proponamus.

Ita Galenus difficultatem non aperit, totam expositionem obscuram facit, & Hippocratem accusando illũ non intellexisse apertè testatur, & de his, quæ succedunt, satis probabilem reddit rationem, cum significent cerebrum ex affectu pulmonis excalefactum talia progignere symptomata: hoc autẽ malum dubio procul. At si hæc ipsa antecedãt pulmonis, aut pectoris inflammationem, repletum esse caput ostendunt, vnde succedẽte inflammatione partium pectoris, quæ illi directè supponuntur, periculum est, ne materia ad locum iam laborantem descendat, & suffocet, neque enim correpto ab inflammatione pulmone spes est, eam amplius concoqui posse. Nocet præterea sternutatio, cũ, vt aliàs docui, vbi de cerebri actum est respiratione, motu violento pulmonis, vt mẽbrum inflammatione laborans, magno & violento motu distendi, magnã ostendat necessitatem, quæ cogit magnum in actione detrimentũ, ingensque periculum, ne ad ipsum pulmonẽ materia multa confluat.

Quod verò adiicit, in aliis mortis sternutamentum antecedere non posse, ostendere debuit: sed quomodo ostensurus erat, quod verum non est? si ergo antecedat alios morbos ex defluxione ortos, verisimile est: at alio, si defluxerit materia, cum cerebrum ex sternutamento validum esse intelligamus, metuendum non est, membrum enim verè robustũ

non

non ad periculosa loca transmittit, sed cum caliditate sola facultas ex pultrix alioqui debilis adiuuatur. Ob hoc non grauediné etiã adiunxit, sed de sola sternutatione locutus est, vide, quæ scripsimus in Primo (Com. 24.)

PROGNOSTICON L.

Sputum autem flauum sanguine permistum non multo, si in pulmonis inflammatione, in morbi pricipio reiiciatur, salutare est, & valde prodest: si verò septimo die, aut posterius minus securum est.

COMMENTARIVS.

PRæstat prius rei veritatem, & quod experimento quotidiano deprehensum est, simulque ab Hippocrate declaratum, edocere: inde rationem eorum, quæ dicuntur afferre: demum, quæ falsa sunt, reiicere: imò ipso facto reiecta intelliguntur. Ergo tria sunt sputorum genera, quod ad colorem attinet (Com. p. & 2.) syncerum, de quo suprà actum est, & est semper malum, seu album, seu rubrum, seu flauum: multò deterius viride, liuidum, nigrum, permistum ex multis coloribus humorum, vt flauum, & cœruleum flauum, & liuidum, quod etiam pessimum est exemplo vomitus, quod etiam declaratum est in superiore libro (com. 54.) permistum cum excrementis, seu sanguine, quod optimum est, at horum rationem ostendere omnium, frustrà fuerit. De permisto cum sanguine solum sermo habendus est. Inflammationes omnes ex sanguine fiunt, vt ipse Galenus in libro de Inæquali intemperie (cap. 3.) testatur: In sanguine sani humores quatuor cõtinẽtur, pote state, non actu: hoc enim declaratum est à nobis (7. contra. 6. & 12. eiusdem 17.) Dum sanguis in abscessu est, putrescit, cuius quod tenue est in flauam, quod crassum in nigram bilem, vertitur, vt secundo de Febrium differentiis (capite nono.) Galenus dicit, igitur necesse est, vt si sanguis sit putrescens ab initio in bilem transeat: si ergo transeat in flauam, optimum est, exibitque sputum flauum modico sanguini permistum. Nam si ab initio flauum cum pituita solum exeat, non sanguine, necesse est calorem putridum totum sanguinem statim transmutasse, & corrupisse, quod adeò malum est, vt nil peius: sin autem solus sanguis, inditium est, retineri quod corruptum est, atque crassum, aut factam anastomosin quandam, aut non fieri permutationem à calore præter naturam ob loci frigiditatem, quodcunque horum in causa sit, valde malum signum oportet esse. Ex hoc patet, longè melius esse sputum mistum hoc modo, quàm purum sanguineum: adeò vt Hippocrates nolit etiam esse multum sanguinis mistũ, at Galenus è regione pugnat: vult enim sanguineum esse optimum, quod euenit, quia artem non exercuit. Quid enim verba illa: Sãguine permistum non multo? cum non solum purum, sed etiam multum permistum sanguinem reformidet.

In vniuersum duæ sunt materiæ benignæ in humoribus, teste Galeno, scilicet humidæ ambæ pituita & sanguis: duæ malignæ ambæ siccæ, flaua & nigra bilis, sputorum color attestatur supra humorum qualitatem. Tertio in primum Epidemiorum (com. 42.) ac raro fit phlegmon in partibus pectoris ex pituita, minùs autem mala est bilis flaua, quàm nigra, & melior est sanguis, quàm pituita: igitur ex omnibus his colligitur quod sputum flauum sanguini permistum optimum est in pulmonia. Quod verò ita dixerit Galenus, ad rupturam vasis refert, tanquam Hippocrates de hac intelligat, sed frustra, nam plurimus sanguis si extat, caloris copiam febrilis ostẽdit: neque visum est in peripneumonia, aut laterali morbo contingere has venarum rupturas.

Causa ergo talis sputi est multiplex (neque enim vna est) primum sanguinis tenuitas, & in ipso tenui quod viscosum est, id efficit. Secunda est calor vehemens, qui attenuat, & impellit. Tertia est multitudo, quæ exprimit, vt cum per linteũ mel colatur. Quarta est raritas membranæ, quæ tegit costas interiùs, aut pulmones cum ipsa carnis pulmonis substantia. Quinta demum est motus, qui fit per tussim excitatam. Atque ob harum præcipuas, aut plurimas, talia celeriter, aut tardiùs excernuntur. Ob quæ adiicit (in morbi principio salutare est) id est signum sanationis: & valde prodest, vt causa eiusdem. Vt contrà cum ait: Si verò septimo die, aut posterius, minus securum est. Signa bona cum defecerint in aliquo, minus bona fiunt, non prorsus mala, hæc autem declarata sunt prima Aphorismorum (12.) & vt, dixi aliàs indicatiua signa significant dimidiam coctionem, & conduplicare solẽt tempus, vt in illo Aphorismo quartæ particulæ (71.) Quibus septima iudicatur, cum verò hi morbi suffocent, non tam ex virium imbecillitate, quod virium est morbis omnibus longis, quam ne strangulentur, peculiare periculum est. Diffinit autem Hippocrates septimam diẽ, quia si antè, vt in sanandis signa decretoria decretoriis diebus, ita indicantia indicatiuis apparent: quare in quarta, & ex consequenti, in septima morbus terminabitur. Sed si indicatiuum signum in septima apparuerit, non, nisi in quartadecima finietur, at morbum acutum protendi septem diebus non est res contemnenda propterea dixit non adeo esse securum ob tarditatem signum, quod per se optimum est. Admonet autem nos Galenus de periculo etiam in huiusmodi morbis fortuito, quod vtinam non frequentissimè accideret, quod verissimum est: scilicet, vt vel ægri culpa, vel astantium, vel casu aliquo, vel etiam medici culpa id contingat, in quo illud est præcipuũ, & maximum, ac periculosissimum, quòd tum astantes insurgunt quærentes de nimia inedia ægri, medicusque timore infamiæ tum auget alimentum, cum maximè tempus sit subtrahẽdi: vnde æger periclitatur: casus autem sunt innumerabiles: sed præcipui, ira, timor,

mor,& tristitia,incommodus motus,somnus interruptus,aër malus,atque ob hanc causã præcipue danda est opera,vt quam celerrimè æger sanetur.

PROGNOSTICON LI.

OMnia sputa mala sunt,quæ dolorem non sedãt:pessima verò sunt nigra, velut descriptum est quæ verò dolorem sedant,omnium optima existunt.

COMMENTARIVS.

QVæ excernuntur,si ritè excernantur,cõferre sæpe nos,vt in prima, & quarta Aphorismorum(25.& 3.) vt nil tritius. At hic meminit de dolore:sed non simpliciter, vt Galenus, interpretanda est vox ὀδύνην, sed est, λύπη,ϰ̀ πόν☉, labor etiam & tristitia, atque anxietas, estque ac si diceret: Principale signum in sputo est,quod alleuet, aut non alleuet,quæ contristant, cuiusmodi sunt in laterali morbo,dolor difficultas spirandi,& spuendi,vigilia, & febris:hæc omnia nomine ὀδύνης, intelligenda erunt. Hoc discrimen non animaduertit Galenus,quod in morbis propriis, vni parti non oportet confidere magis in signis communibus, quã propriis, sed propria symptomata sunt præferenda.Et causa est, quoniam in illis est quod sentit,& sentitur,quod sentit,est æger, quod sentitur,est morbus,quod sentit,est totum:quod sentitur,est noxa in illa parte, ideo in talibus possumus habere iudicium, imò debemus sumere à sensu ægri magis,quàm à qualitate excrementorum. At non ita in febribus,quia idem est,quod laborat,& quod laborem percipere debet: ideoque æger ad mortem tendit,& ipse moderatè se habere existimat.Idemque contingit, vbi princeps particula afficitur,vt cor aut cerebrum: nam in huiusmodi non ab ægrotãte discere oportet,quomodo se habeat,sed faciem inspicere oportet,& vrinas:similiter & in iecoris morbo,atque id est principale,quod docuit. Vbi hoc inspexeris,admonet,vt ad causam respicias,lethale est, si sputum non modò hæc alleuat,sed grauiora facit:nam si,valde alleuari debeat,non alleuatur,ex quo spem sumere possumus tũc ergo iubet,vt ad causã respiciamus,quæsi sit atrabilis,tum dicit,perniciosũ maximè erit:quia etiam niger color inter colores pessimus est.Vnde liquet,quòd si ex nigro sputo æger alleuetur, tum signum non erit malum sed solum simpliciter malum,seu ex se,talia Galenus non vidit,quæ tamen lucidissima sunt. sicut neque hoc secundũ, quod etsi sputum,quod non alleuat,tametsi omnibus in aliis conditionibus sit salutare, malum sit: non tamen confestim sequitur, quòd id,quod alleuat,sit bonum sicut non sequitur,quod non est biles, non est rationis compos:igitur quod bipes est, etiam rationis particeps,sic enim omnes aues,& ranarum plurimæ,antequam perficiantur, rationem haberent. Voluit etiam vt aliud per hoc intelligeremus,scilicet,quod melius est longè sputum,quo symptomata alleuiantur,quã malum id,quod non alleuiat,fieri enim potest,vt æger non alleuietur,quia morbus sit in incremento,ideo tunc colorem & reliqua inspicere debemus:& ita posuit colorem inter causas pro exemplo:& nigrum inter cæteros pro exemplo inter colores:nec sine illo adiecit pessimum,sed solum malum, at cum dixit(quod alleuiet)adiecit(optimum) quia vtilissimum causæ instar, & commodissimũ vice signi quocunque appareat modo, & quouis cum colore.Ideo coloris speciem nõ adiecit,nisi quis ad flauum sanguini mistum ipsum referat:quam expositionem non vitupero, sed prior melior videtur forsan, non mihi.Hoc autem in loco demirari non mihi Hippocratis artẽ non licet,qui duo extrema, bonum & malum,inuicem comparans facilitate,cum nigritiæ primas partes tolerantiæ tribuit,vt intelligamus idem in aliis statuendum esse.

PROGNOSTICON LI.

QVicunque dolores ex his locis non sedantur, neque ad sputorũ purgationes, neque ad stercorum alui subductionem, neque aduenæ sectiones,& victus rationem,ac medicamenta,eos ad suppurationem verti scire conuenit.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset doloris solutionem, etiam morbi exitum bonum significare, incipit declarare,quid significet dolor contumax:ex quo duo statim emergunt animaduersione circa prioris textus expositionem, cum dixit signum esse malum,non solui dolorem ex sputo,non autem pessimum,primũ quia posset contingere,vt dolor ex sputo nõ solueretur,sed alia via, & ita æger perfectè sanaretur,licet non adeò commodè:alterum vt non tollatur dolor, nec tamen moriatur æger,sed morbus ad suppurationem transeat. Vnde manifestum est,cur non dixerit illud sputum esse pessimum si æger non alleuietur, sicut dixit optimum,si alleuietur,ostendit autẽ modos plures,quibus æger possit alleuiari in his morbis,etiã quòd à sputo non alleuietur.Et primũ inquit:Neque ad stercorũ alui subductionem.In hoc videtur dubitatio,quomodo ea,quæ in pectore continentur,per aluum purgari possint?Diximus autem de hoc in Decimo contradicentium(Contrad. 54.) Videtur autem alludere ad ea,quæ scripsit in secundo de Victu in acutis(Tex. 10. & 11.) cum in morbo laterali,sed tamen inferiorũ partium,purgat patientem peplio,vel veratro nigro.An verò censuerit, conferre purgationes tales in doloribus ex inflammatione, ibi docuimus.

Neque

..Neque aduenæ sectiones) quemadmodum in Anax. tertio in tertium Epid (Tex. 79.) Octauo cubitum secui, multum, vt debeat, effluebat: leniores ibi euaserunt dolores. In eodem genere sunt cucurbitulæ incisæ, quartũ meminit Celsus (li. 2. cap. 7.) dum hunc locũ citat. In eodem genere sunt fomenta, quæ hic medicamenta appellat, adeò laudat primo & secundo de Victus ratione in acutis (Tex. com. 33. & d. à Tex. ad 7.) vt etiam præferat illa sectione venæ. Quintum est ratio victus, seu inedia, de qua Primo de ratione victus. Terminus autem huiusmodi mutationis est dies quartus decimus, vt quinta Aphorismorum dixit. Verùm destillationes ardius maturantur abscessibus: septima eiusdem. Præsupponit hic, alia signa esse salutaria, & vires robustas. Vnde sensus est, si dolor non leuatur sputo, nec aliter, adhuc spes est in quibusdam, vt ad suppurationem peruenirant: nam hic modus est medius inter sanationem integram, & mortẽ. Ex hoc patet quinque modis abscessus pectoris posse discuti: quorum quatuor sunt generales abscessibus omnibus cuiuscunque partis, scilicet omnes, præter sputum

PROGNOSTICON LII. LIII. LIV. LV.

EX suppurationibus, quæ pus effundunt, dum adhuc biliosum existit, valde lethales sunt, seu vicissim, seu simul pus & bilis eiiciatur. Et hoc potissimum, si morbo ad septimum vsque diem progresso suppuratio ab huiusmodi sputo incipiat. Metuendum enim est, ne is, qui talia expuit, quartadecima die intereat, si bonum aliquod ei signum non superuenit.

COMMENTARIVS.

OStendit Galenus infrà, Hippocratem non de sputo quocunque saniei, sed vbi ruptus sit abscessus, loqui: nam & hoc ipsum experimentum docet, quanquam Celsus generaliter exposuerit. Triaque primo aspectu se offerunt explicanda: Primum, quòd cũ sputum edocet ruptam esse suppurationem, estque cum hoc biliosum: id autem fit, quoties suffocatur æger, & parum spuit, sentiens occupatum pectus, id autem peius: aut cum à principio plurimum expuit, quod minus malum est, quanquam exhaustis viribus, simul & sputum retineri incipit, & vires deficiunt, id lethale esse. Secũdum, cur lethale sit, quoniam indicat vires non suffecisse ad concoquendum materiam, quod contumax sit, ideoque nec poterunt eam expellere: quia nihil crudum vinci potest à natura, nisi concoquatur. Est autem prima operatio, conuersio, vt dixi, sanguinis in humorem, secunda concoctio eiusdem, prima est opus caloris præter naturam, secunda autẽ vtriusque, ideo prima nunquam frustratur, hæc semper, vbi periturus sit æger: & sæpe etiam in his, qui difficulter sunt euasuri. Tertium est, cur, cum materia non plenè concocta sit, erumpat tamen abscessus? hoc Galenus non docuit, quod maximè scitu necessarium est, nam vbi hoc sciuerimus, sciamus etiã cur lethalis sit morbus. Dico ergo in huiusmodi ab initio apparere sputum flauum, syncerum, esseque bilem non permistum sanguini, ideoque non concoqui: concoctio enim mistione fit, rumpitur ergo vel propter bilis acumen, vel ob suppuratæ materiei multitudinem, quodcumque horum accidat, lethale est signum: sed plerũque ob vtramque causam, quod etiam est lethalius. Galenus autem hoc periculum ad vlceris difficultatẽ traduxit, quæ non lenis est: sed tamen longè maior, quæ accidit ob materiam effusam: ideo vtrãque causam vigere simul decet, scilicet materiæ prauitatem, ac multitudinem, & vlcus fistulosum. Sed quòd hoc principale non sit, ostendunt tabifici reliqui ex pectoris vlceribus multis annis superstites, cũ hi, de quibus hîc loquitur Hippocrates, intereant in quartadecima die, aut ait vel saltem ante paucos menses, multi etiã paucos post dies. Verũ omnino extra, inquit Hippocrates sexto Epidemiorũ (Par. p.) Phymata non æqualiter maturescentia mala. Et hoc pessimum, ostendit quoddam deterius circa prædicta signum, scilicet vt à septima die initium huc sputum ducat. Firmiora enim quæ apparent in diebus iudicatoriis seu ad malum decernant, ac quasi finem imponant, quod infrà (lib. 4. Tex. p. ex nostra diuis.) apertè docet. Est autem dubium, an si tardiùs incipiat, deterius sit, an si citùs videtur, aut quod tardiùs incipiendo, id est post septimã, quòd melius sit, vt infrà (Tex. 57.) docet: tum etiam quia causas eruptionis leuiores ostendit. At è diuerso æger magis fatigatus est, cruditasque maior & Hippocratis modus loquendi est. Multum autẽ tribuisse diebus decretoriis Hippocratem, etiã infrà docuimus (lib. 3. Tex. 22.)

Metuendum enim est) Præfinit tempus morbis quartumdecimũ diem, ea scilicet ratio, qua dixi, quòd tempus indicij conduplicatum sit tempori iudicij. Galenus autem docet, quòd hoc intelligendũ, vbi reliqua omnia sint mediocria, scilicet color sputi, quantitas, ætas, vires, temperamẽtum, tẽpus anni, regio: si verò hæc in vnam partem declinauerint bonam multò tardiùs interibit, sin malam, multò celerius, fit autẽ mediocre ex mediocribus, aut æqualiter ad opposita à medio declinantibus: velut in regione calida, in hyeme in iuuentute imbecillibus cum viribus, in corpore multis malis, atque bonis simul humoribus referto, aut ab vtrisque vacuo. Perinde verò metieris magnitudinem horum signorum ad mediocritatem facientium, velut etiam bonorum. Vnde dicit:

Si bonum ei aliquod signum non superuenerit.) Dignoscuntur autem signa bona à cõrrariis, in quibus ordo est manifestior. Cũ enim malum maius sit bono, erit & spacium, quo malum à pessimo distinguitur longè maius,

ius,quàm id,quo bonum ab optimo.Ideo recenſere oportet ſigna peſſima per ordinem, quæ à nobis in margine, velut in tabella aliqua,deſcribetur.

Securitas.& breuitas.	Mors proxima:
Securitas ,	exitioſiſſimum,
Salutare admodum,	exitioſum admodum,
Salutare,	exitioſum.
Bonum valde,	malum valde.
Bonum,	malum.
Non bonum,	
Melius,cum ſimpliciter profertur.	

In pleriſque autem horum comparatione etiam vtitur, vt magis,aut minus,adeò vt deterius,cum ad lethale refertur, quaſi admodum ſignificat,non tamen perfectè habemus ergo quatuordecim hæc ſignorum genera , neque poſſunt,quæ ex oppoſito pugnant,& plurimum à medio diſtant,ſimul apparere , velut ſecuritatis cum exitioſiſſimo:ſunt enim penè contraria , ita quæ quaſi ſubcontraria ſunt,ſimul apparere,nac raiò,ſed frequentiſſimè,ſolent.Medio modo ſe habet,quæ quaſi oppoſita ſunt tranſuerſim,vt bona cum exitioſiſſimis,mala cum ſecuritatis,plura autem ex inferioribus vix vni ex ſuperioribus aduerſari poſſũt:velut vigiliæ,dolores,inquies, inappetentia cum concoctionis ſigno.At ſuperiora ſibi ſolent inferiora adiũgere aliqua, aut plura,quæ ſi non adſint,periculũ eſt, ne fallatis,quamobrem ſuſpendere prædictionẽ oportet.

Cæterùm neque ob hoc ſoluit Galenus dubitationem,cum dicat Hippocrates:Si nõ aliquod bonum,etenim poteſt referri ad totum,& ad partem,ad totum,inquam, ſcilicet ad id(valde lethales ſunt)cui rei indicio eſt,quod ſi nemo ex his ſeruari poſſet, non iam ὀλέθεια κάρτα , ſed θανατώδης , nam ὀλέθει⊙,non propriè lethale eſt,ſed quod perniciosum dicimus:vt etiam ciuem. Non habent propriè Græci lethaliſſimum,vt neque Latini mortaliſſimum.Qui ergo ſeruantur , ob hoc ſeruari contingit,quod bona habeãt ſigna quædam.Vnde ab optimis ſignis ſeruari poſſe confidimus: quæ licet non cum valde exitialibus,ſeu lethalibus ſimul eſſe poſſint, cum valde tamen pernicioſis quandoque cõueniunt.Intereſt ergo hoc,vt cum dico pernicioſum,intelligo , quod ſui natura inferre mortem poteſt:at lethale valde cauſam mortis includit,ſiquidem cum morbi magnitudine virium imbecillitatem , at ſi ſolum bona ſigna cum pernicioſis adſint , non differetur mors,necauferetur,cum omnia ſigna comprehendet , dicit quòd tunc ſerua buntur.

PROGNOSTICON LVI.

SVnt autem bona hæc, facilè ferre morbum.

COMMENTARIVS.

ENumerat Hippocrates bona ſigna,quæ ſi ſuperuenerint omnia æger ſeruabitur , quanquam cum illo ſputo tam abſurdo : ſi plurima,poterit differri:ſi quædam ſic,quædam non,quartodecimo die peribit : ſi contraria his,celeriùs etiam quàm in quartodecimo die.Sunt autem ex ſex rebus, quanquã Galenus,vt cætera,non animaduertat:ex virium robore:ex materiæ benignitate : ex eſſentiæ morborum propriis, & communibus ſignis:ex functionibus vitæ neceſſariis,& ex excrementis communibus:vt cum ſignis excrementorum propriorum ſint ſeptem , hoc autem vltimum genus eſt potens valde , & quod oppoſuit omnibus aliis, ſcilicet ſputũ flauum cum ſuppuratione,ſeu ſanie,ſed non miſtum.In primo ſigno duo comprehenduntur:robur viriũ,& benignitas materiæ. Dicebat enim Gal.(10.Ar.Cur.c.4.)Virtus valida omnia contẽnit,& ſuſtinet,imbecillis ab omnibus offenditur. Similiter materia praua difficile eſt vt feratur:vt in li.de Conſtitutione artis medicæ*(cap.16.)* Omniſque huiuſmodi materia fermè ad atræ bilis genus refertur.Cum ergo aliquis facilè morbum fert, indicium eſt roboris totius,ac etiam partis affectæ:ſimiliter & benignitatis materiæ,& eius,quæ in ambitu ob febrem peccat, & in proprio loco,ſcilicet pectoris partibus.Videtur autem materia prauior , aut benignior præcipuè quinque ob cauſas,vnde etiam poſtmodum,vt dixi , morbus mali moris , aut mitis,excepta tamen multitudine, aut loco, habetur.Prima eſt genere quidem qualitatis, vt ibidem dicebat Galenus,nam ſanguis optimus eſt,& calidus,& humidus, & melancholia mala frigida,& ſicca:qualitates enim hæ vitæ animantium aduerſantur. Secunda eſt ex earum magnitudine.Tertia eſt ex proprietate acquiſita:velut enim ferrum , quod diutiùs in igne fuit,calidius eſt,& diutiùs calidum manet,quàm ſi paruo tempore in illo fuerit,ita etiam materia iam diu exuſta,inde excalefacta,& ſi ſub eodem ordine ſit caliditatis,attamen plus exurit , corrumpitque vicinas partes. Sed & maiorem moleſtiam affert.Quarta,quoniam craſſa deterior eſt : inde accidit,vt ſæui morbi nonnunquam citò euaneſcant,qui mites habebantur , occidant.Quinta ex proprietate miſtionis.Cunei enim accutiſſimi in acie,atque duriſſimi, iidemque in imo valde lati,corrumpunt ligna illa ſtatim diuidentes , ita materiæ quædam denſæ,ac tenues , & acres acribus aliis iunctæ craſſis & denſis, penetrant etiam oſſa. Vnde duas mulieres vidi,quæ obierunt ex dolore oſſis mandibulæ,admirabili exemplo, cum ego etiam ad curam aduocatus fuiſſem. Contraria ergo his faciunt, vt facilè ferant morbum ægri.

PROGNOSTICON

ad præcedens.

BEne reſpirare , vacare dolore , & ſputum facilè ſcreare.

COMMENTARIVS.

HOc est tertium signum, quod à symptomatibus propriæ particulę sumitur. Declarataque sunt omnia in superioribus. Sed non leuis relinquitur dubitatio, quomodo stante obsessa in pectore possit esse bona respiratio, similiter quomodo possit vacare dolore: illud etiam videtur deterius signum, cum sit proprium peripneumoniæ, quæ est deterior morbo laterali. Sed ad hoc tertium dubium facile est respondere: nam præsupponit Hippocrates, quòd ab initio fuit dolor: inde cessauerit, seu mitior factus sit. Verùm ad hoc dubium est, quia tunc posset esse trāsmutatus morbus lateralis in peripneumoniā, & ita in deteriorem morbum, vt libro de subfiguratione Empirica (cap.6.) docetur, quia peripneumonici semper strangulantur & coguntur erecti spirare: & etiam in Quarto de causis Pulsuum (cap.8.) vbi inquit: Cum pulsus morbum lateralem patientis fit crebrior, aut syncopam, aut peripneumoniam nunciat: & paulò pòst (cap.12.) Pulsus peripneumonicorum sunt magni, & languidi, cuius causam docet vicinitatem cordis. Sed ad hæc dico, quod tunc non aderunt alia bona signa. Vnde doloris cessatio non est bonum signum per se, sed cum aliis coniunctum. At dicetis. Lateris dolor non in peripneumoniā transit, sed in phrenitidem, vt febris ardens in Peripneumoniam, primo de Morbis (Pag. 2.) Respondeo, quòd hoc non pertinet ad hūc locum: neque enim dicit id Hippocrates, sed quod morbus mitiget recta ratione, scilicet lenito dolore. Dico tamen, quòd authoritas illa Hippocratis intelligitur de his, quæ frequenter accidunt: nam transmutatur, vt in libro de Affectionibus (Pag.3.) Ad secundum dico, quod potest à dolore liberari duabus causis coniunctis simul, scilicet concoctione (2.Aphor.47.) nam dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis, quàm iam confecto, & eiecto etiam sputo, vt primo de Victu in Acutis (Tex.27.) Dolores quidē pleuriticorum confestim sponte desinunt, vbi aliquid effatu dignum, tum exputum expurgari cœpeit. Causa autem est, quoniam locus ille parum neruosus est, & valde calidus: ideo faclè, & leui ex causa dolor soluitur. Sed neque ἀπηλλάχθαι in hoc significato accipi debet, vt vacare, vel liberum esse significet.

De bona autem spiratione, vbi dolor non adsit, vel admodum exiguus, densam non efficiet respirationem, sed ob materiam fieri impeditam, aliquantulum est necessarium, vt comparatiuè intelligendum sit. Videtur autē intellexisse Hippocrates, cum dixit de Anaxione, quòd dolores leniores euaserunt: nec de difficultate spirādi locutus est, (3.in Epid. 779.) quòd pariter fuerit imminuta. Sed rursus est dubitatio, quia si est, facta eruptio abscessus, quomodo poterit esse spiratio facilis? Propterea dico, quòd intelligit non absolutè in his: hæc autem signa non sunt empirorum, sed simpliciter laborantium pectoris morbis.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

COrpus æqualiter calidum ac molle apparere, non sitire.

COMMENTARIVS.

HOc est quartum signum ex communibus morbi essentia. Siquidem superiùs (lib.2.Tex.29.) hoc visum est verbis penè iisdem, & expositum. Optimum est corpus totum æqualiter calidum esse, ac molle. Addit hic (non sitire.) Hoc etiam pertinet ad rationem febris. Siquidem sitis præcipuè fit ob tres causas: corruptum, humidum & putrescens, velut etiam in hydropicis, vt habetur de febribus dum loquitur tertio in tertium Epidemiorum (com.14.) vel ob salsum humorem, vt his, qui salsa ederunt, meminit Primo de symptomatum causis (cap.7.) vbi etiā de carnibus Viperarum, quæ intolerabilem excitant sitim, dicit de humore salso in venis ventriculi contento. Et in primo de simplicibus medicamentis (cap.30.) vult, quòd sitis fiat vel ab humoris inopia, vel caloris copia: sed & ibi videtur alia genera commemorare, quæ sitim non naturalem generant, vt salsa, & aqua in Ascite. Idem in sexto de Locis affecti (cap.3. in fine) reducit hoc symptoma in caliditatem, aut siccitatem ventriculi, aut vtrumque: post ponit iecur, post intestina proqinqua ventriculo, & mesaræū: inde pulmones quarto loco, & ex ventriculo os eius: ex iecore imam partem. Non abs re dictum fuerit sitim, quæ modò ingens est, modò nulla, in morbis malignis delyrium significare: secundo prorrhitici (com.8.) iuxta illud, Qui plurimū dolorē non sentiūt, his mens ægrotat, neque enim breui magna sitis abscedere iure naturæ potest. Sed si accidat, vt nō sētiatur, ob sensus defectū accidit ergo intēperiē calidam & siccam generat, cū materia propriè bilis in ventriculo, sed alia symptomata secum accersit, vt vomitum, deiectionem, appetitus: quarta Aphorismorum Galenus. (com.2.)

Est etiam sitis superficialis ex labore ventriculi, in concoquendo: sexto Epidemiorum (Par.4.com.23.) & dicitur talis, quia leuis dicit Galenus de qua in Aphorismis (li.5. com.23.) à nobis actum est. Sed non est leuis verùm potius causam firmam non habet. Ibi autem docuimus causas sitis. Non sitire autē, vt ostensum est in Epidemiis (li.3.sect.3.cō. 14) cum sit signum neutrum, quod quandoque significat nullam adesse causā sitis malam: quandoque facultatem, aut functionem gustus, seu appetitus abolitam, ideo hic bonū est, cum vix veri simile sit, ob extinctam vim appetendi id accidere posse. Vt ergo videamus, cuius rei causa bonum signum sit non sitire, denuo videamus veras, & exactas sitis causas alia via, quam Galenus inuenire adortus sit. Dico ergo (quod experiētia docet) nos sitire secundum naturam, præter naturam, & contra naturam. Cōtra naturam ex febribus

venenis:

venenis: præter naturam ex ſalſis acribus, etiam exercitatione: ſecundum naturam à cibo propriè. Ergo cibus ſitim generat, quòd cum ſiccus ſit, exſiccat: generaliter autem detergit, & tempore ipſo humidum abſumitur, vt etiam reliqua. Eſt autem cauſa propria ſitis non cibus, aut ſalſum, ſed corruptio humidi, & frigidi, quod eſt in partibus ſenſui propinquis, cumque, vt dicebat Philoſophus ſecundo de Anima (Tex.28.) ſitis ſit appetitus frigidi & humidi, ideo talis appetitus non eſt corruptio, ſed ſenſus, & materia caret, indigentia autem eſt corruptio, & dolor: ergo in fame & ſiti eſt ſenſus, qui eſt cum voluptate, & indigentia, quæ eſt cum dolore: & ita ſimul in ſenſu eſt dolor, ac voluptas, actio propria, & corruptio, operatio abſque materia, quæ eſt perfectio animæ, & operatio cum materia, & eſt corruptio ſenſus, & cum quis bibit, ſentitur voluptas ex præſentia ſenſilis, vt opponitur indigentiæ, & ceſſat voluptas, quæ cõſequitur ſitim: ideo eſt operatio miſta, cumque ſenſus ſit indiuiduus, quia anima eſt incorporea, ideo homo non poteſt ſentire famem, & ſitim ſimul: ſed quia poteſt indigere cibo, & potu ſimul, ideo poteſt ſentire indigentiam famis, ideſt cibi, & ſitis, id eſt potus ſimul, & eſt appetitus naturalis, vnde aſſumpto cibo, vt ſtatim paulisper inquieſcit ſenſus famis, ſtatim exurgit ſenſus ſitis: quoniam iam manet fundamentum, ideſt naturalis appetitus vtriuſque cõſequens ad indigentiam, non oportet ergo confundere vnum appetitum cum alio, naturalem ſcilicet, cum animali. Sed Galen. quãuis diſtinxerit in primo de Symptomatum cauſis, hos duos appetitus, non tamen animaduertit, quòd vt ſunt in ſenſu, ſunt cõtrarij, fames, & ſitis. Et ſimiliter non animaduertit, quod ſitis ſit per corruptionem quancunque humidi roridi in ventriculo factam, ad quam ſequitur appetitus naturalis in vẽtriculo, & ſenſus in neruis, qui ſunt detecti in ore eius, iſta autem corruptio fit trifariã: reſoluendo, detrahendo, & corrumpendo, reſoluendo à ſicco, tanquam ſuo contrario: à calido quadrifariam humidum frigidum attrahendo ex imo: reſoluendo illud corrumpendo, & inducendo calorem in particula, vt cogatur deſiderare frigus, & ita habes duos modos in hac cauſa, excepto modo coniuncto, ex ambobus, qui eſt per ſe manifeſtus. At ex euacuatione, vel à medicamento. Vnde illud (4. Aphor. 19.) Qui in medicamentis purgati non ſitiunt, non quieſcant, donec ſitiant. Alter modus eſt à cibo, qui detergit humidum: & ita poſt comeſtionem ſitimus. Tertius modus fit à ſalſis ab aqua hydropicorum, & à carnibus ſerpentum: & eſt, quoniam ſalſum eſt aqueum, vt habetur à Galeno Quarto de Simplicibus medicamentis (c.20. & 21.) terreo immixtum: & in hoc differt ab amaro, ſic etiam amarum eſt magis terreum aëri, vt ibidem habetur. Vna ergo ratione ſal mouet ſitim: quod cum aqueum ſit, trahitur à ventriculo, & quia eſt ſiccius aëre, vt docet Galenus. Quarto de Victu in acutis (com.8.) licet minùs calida: ideo multum irritant ſitim. Amara non ita, quia cum careant humido coniuncto, ideo non trahuntur: tum etiam quia horribilia, ideo non poſſunt, etiamſi aquæ miſceantur, adeò generare ſitim, & minùs, quàm aëria, vt dixi: tũ quia nihil habeant aquei humoris, tum quia craſſior: tum quia horribiliora. Diſtinguuntur autem quatuor generibus ſalis ſubſtantiæ: ſal inde nitrũ, poſt aphrolitrum, inde aphronitrũ, id eſt flos nitri, quod tenuiſſimæ eſt ſubſtantiæ, minùs tamen ſalſum cæteris. Species innumeræ: ſicut ſal Hiſpanum, quod loco nitri rubri, aut aphronitri ponitur, vt ſexto de Medicamentis (c.14.) ſecundum genera ſub hoc genere continetur ſuis hydropicorũ: ideo quantò magis bibunt, tantò magis ſitiunt, quia augetur humidum corruptũ, ideo ab aceto mitigatur ſitis, vt dictum eſt à Galeno primo de Simplicibus medicamentis, licet ille aſſignet cauſam abſurdam. Ideò admiſtum aqua tollit corruptionem humidi hydropicorum, & reſtaurat bonum humidũ. Sed mirum eſt, quod dicat vinum ſemper augere ſitim, quod etiam dicit Hippocrates in tertio de Victu in acutis (c.29.) de dulci tamen in pichrocolis febrientibus, (Tex.2.) Sed non eſt mirum, quoniam corrumpitur illud humidum. Cum ergo ſiti vacet æger, ſignum eſt, non corrumpi humidum ventriculi nec à putredine, nec à nimio calore, nec à ſiccitate: ideoque ſalutare ſignum.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

VRinas, deiectiones, ſudores, ſomnos ſingula intelligere bona ſuperuenire: ſic enim omnibus ſuperuenientibus non vtique peribit homo. Quòd ſi quædam ex his ſuperueniant quædam verò non, morietur vtique homo, non pertranſiens quartumdecimum diem.

COMMENTARIVS.

HOc eſt quintum, & ſextum ſignorum genus, ab excrementis egeſtiones, vrinæ, & ſudores: de his tribus abundè dictum eſt in ſecundo libro. Per hæc intelligitur idẽ de vomitu: ſed appoſuit, quia vomitus non ſolet accidere in affectionibus pectoris. Quod verò dicit de ſomno, habetur ſecunda Aphoriſmorum: In quo morbo ſomnus laborẽ facit mortale: ſi verò inuertit, non mortale. Et ita intelligendum eſt de aliis actionibus neceſſariis vitæ: velut appetentia. Et circa ſomnos requiritur debitum tempus, vt ſuprà viſum eſt: & quòd ſit tranquillus, & abſque imaginibus: demũ, quòd iuuet. Si enim omnia iſta concurrant, ſeruabitur æger. Vnde notandum, quòd, vt habetur in libro de Medico (c.8.) συνδρομὴ eſt concurſus ſymptomatum in vnam affectionem, & faciendam, & declarandam: & pariter inuenitur hæc in ſignificando ſalutem, & mortem. Et cum medicus hanc inuenerit, tutò poterit pronũciare de ſalute, aut morte. Et in declarãdis morbis abſque nomine Galenus hoc modo vtitur, primo de Febrium differentiis (c.7.) dum docet cognoſcere ephemeram, & putridam.

Quòd si quædam ex his. Dicebat Galenus in primo de Crisi (c.13. non oportet in his numerum signorum obseruare, sed robur, quandoque enim vnum signum bonum præualet multis malis: & quandoque vnum malum pluribus bonis, & ideo Hippocrates intelligit, quòd si sint totidem signa bona, quot mala, non numero, sed robore, tunc non pertransibit diem quartum decimum. Ideo dico, quod innuit quòd poterit morbus perdurare minùs aut plùs. Et circa hoc notandum, quòd Hippocrates vult, omnia signa esse necessaria ad salutem, & solum quædam ad mortem, cum morbus est magnus. Et hoc, quia cum fuerit magnus excessus facultatis vitalis supra morbum & causam morbi, omnia signa erunt bona: sed cum aliqua signa non sunt bona, excessus non est magnus, ideo quædam functiones vitiantur: & cum morbus sit magnus, æger morietur, & si quis dicat, nonne poterit facultas vitalis esse multum valida aliqua imbecilli, & ita morietur æger? dico, quòd non. Neque enim poterit deficere vna trium facultatum, &, vt aliæ validæ sint, aut vna saltem: neque vna validissima, & aliæ, vel vna imbecillis. Et ob hoc verum est, quod dicit Hippocrates, & qui non intelligit hoc, non potest reddere rationem, cur sit necessarium, omnia signa in talibus ægris bona esse, si euadere debeant.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

PEr contraria tamen horum: difficilè ferre morbum, spiratio magna & frequens, dolorem non cessare, vix spuere, valde sitire, corpus à febre inæqualiter affici, ventremque ac costas vehementer incalescere: fronte, manibus, ac pedibus frigidis: vrinæ verò, & deiectiones, & somnos, & sudores, mala singula intelligere, vt descripta sunt.

COMMENTARIVS.

NIsi Hippocrates, quod ex contrario notum esse poterat, adeò diffusè explicasset, mihi sufficeret generaliter hæc verba exposuisse: sed postquam non visum est ei silentio hæc præterire, decreui breuiter singula declarare. Igitur malum primum signũ declarat, aut vires esse imbecilles, aut materiam malam, aut vtrumque: ideo in hoc non, vt in suo contrario, qui ambas conditiones complectitur, distinguere oportet, cum igitur differant, necesse est rationem discriminis explicare. Qui enim ob morbi magnitudinem difficulter ferunt, magno sunt in periculo, inquieti perpetuò, se iactant, dolent, voce aperta queruntur, irascuntur astãtibus. Qui verò ob virium imbecillitatem iacent languidi, caput attollere non possunt: lamẽtantur, sed voce submissa: cum cibare oportet queruntur: non edunt: cum surgunt, vt deiiciant, capùt reclinant, brachia proiiciunt, tanquam sua non sint: cum etiam quidã animo linquantur, atq; maiore in periculo sunt constituti. At qui vtroque modo morbum difficulter ferunt: hi neq; se iactant, vt primi, nec quiescunt, vt secundi, sed in perpetua sunt reuolutione: & propterea ad pedes caput reclinãt: sæpe spumi iacent: & semper incõposito sũt corpore, hi pessimè habẽt, nec procul est mors, sed à spe vitę tantundẽ sũt alieni.

Spiratio magna & frequens) Galen. vix habet, quod dicat, nam densa fit à dolore: ille autem paruam facit. Magna sanè delirium ostendit, si fit ex longis interuallis: magna ergo, & frequens, dicebat Galen. in primo de Difficultate respirationis (c.22. & 23.) indicat vtilitatis necessitatem, quæ est vtilitas? nempe refrigeratio: sed hic ob calorem præter naturam. Sed cum dicit dolorem non cessare, vix expuere: hoc, inquam, secundum Galenum (c.11.) non magnam, sed paruam necessariò facit respirationem. Ipse enim declarat, quòd seu occupentur loca spiritus, vt in hoc casu, seu aliunde coarctetur, vt in hydropis ambabus speciebus, in quibus tenditur venter, aut duris abscessibus, vel etiam calidis iecoris, lienis, ac septi transuersi: cum comprimitur septum, aut inferiùs trahitur, & in pectoris doloribus, in omnibus his tribus casibus dicit, parua fit spiratio, creber, & crebra, quomodo ergo poterit esse magna? Istud fatigat Galenum, qui vult, vt superiùs dixi, spirationem magnam solam esse, in qua spiritus multus attrahitur. Hippocrates autẽ (com.2 31.lib.) magnam appellat omnẽ spirationem, in qua pectus plurimum attollitur. Eius autem duæ species sunt, vt à Galeno (1. de Diff. spir. c.13.) declaratur, vna, in qua in dilatatione multus attrahitur aër, quam, vt dixi, solam magnam Galen. appellat: alia, in qua parum aëris attrahitur: quam si cognoscere docuisset, forsan excusatione, aut etiam laude dignus foret, certè respirationem magnam Hippocratis omnes norunt, cum sufficiat pectus inspicere, an plurimùm attollatur: & maximè omoplatæ.

Quòd si quis Galenum excusare nitatur, quòd magnam respirationem ab aëris quantitate definiat, quoniam illam, in qua parũ aëris attrahitur, necessariò ob id postmodũ consequitur frequentia (frequẽtiæ enim nomine celeritatem & crebritatem intelligo) is siccat omnem: similiter quæ magna sit, ob causam externam consequi naturaliter frequentiam, nisi à delirio impediatur, nam & si dolor faciat respirationem paruam, illa sanè est verè parua, cum pectus non attollatur: quare nil mirum est, consequi celeritatẽ. Quòd si aliquam vult esse magnã spirationẽ ratione pectoris: angustam autem ratione viarũ, vt in peripneumoniis, cum adhuc vires validæ sunt, nihilominus crebra erit: affectus enim calidos præter naturam, nisi quid impediat, frequentia spiritus comitatur. Melius igitur erat voces, vt ab Hippocrate accipiuntur, interpretari, & res ipsas diuidere. Velut, si dicamus, spiritum paruum in febribus frequentia semper comitatur, & magnũ etiam, in quo via spiritus tamen præclusa est, atque hos delirium non peruertere potest ad raritatem (siquidem ita existimauit esse, quod nihil dubium est valde) spiritum autem magnum, in quo multus attrahitur

aër, delirium efficere potest rarum, cum natura febrilis spiritus frequens esse debeat, similiter & in compressione, dicebat Galenus, illa quandoque fit, sine vllis, scilicet musculis, cum neque necessitas vrget, nec instrumentum est impeditum: & hæc est naturalis, sed cum duorum alterum defuerit, aut ambo, necessarius est vsus musculorum intercostalium, qui pectus inferiùs trahant: quam etiã Hippoc. magnam appellat respirationem. De dolore cum non cessat, nec ob sputum, cum vix expuat, nec ob coctionẽ, causa aperta est.

Quæ verò ad sitim, & corpus inæqualiter calidum dicuntur, superiùs, & in primo libro, (com. 15.) sunt explicata. De excrementis etiam suo loco actum est, per totum secundum librum. Reliquum est, vt agamus de somno scilicet, quoniam dupliciter aliquis malè affectus dici potest circa illum: aut quia vigilet nimis: aut quia malè se habeat dormiens. Quòd etsi hoc accidat, bifariam contingere poterit: vel quia in ipso somno per visa affligatur: vel quoniam à somno deterius se habeat. Primùm ergo de his, qui deteriùs se habent, sermonem faciamus: hi à somno lassi, sitibundi, delirantes, dolentes, suffocatique tum maiore cum febre, cum capitis grauitate, cum cordis palpitatione: &, quod magnum est, stupidi expergiscuntur. At verò, quod ad somnum attinet, suspirant, iactant se, somnus est interruptus, oculorum alba apparent, clamant, exurgunt, somnia terribilia vident. Vigiliæ verò significant & generant mala. Generant enim desipientiã & conuulsionem: septima Aphorism. (18.) Febres quoque accendunt: vt in primo de Tuenda sanitate (c. 8.) vbi adiicit, quòd grauissimis morbis initia præbent, efficiunt etiã corpus biliosum: vt primo in sextũ de Morbis vulgaribus (com. 10. & fluxiones augent (c. 2.) quod mirum est. Dixit tamen hoc Galenus septimo de Compositione medicamẽtorum (c. 2.) secundum locos, in descriptione confectionis ex capitibus Papaueris Democratis, vires quoque resoluunt: vt duodecimo Artis curandi (c. 5.) & generaliter impediunt coctionem morbi: secundo de Victu in Acutis (c. 6. pag. 5.) & contabefaciunt corpus illud exiccando: septimo Methodi (com. 44.) Galenus. Signi autem rationem habent, quia siccitatem declarant in cerebro: vt quarto de Victu in Acutis (com. 4.) & dicebat quarto de Præsagio: Ex pulsibus vigiliæ sunt proprium symptoma siccitatis cerebri. Ita sunt comparatæ ad siccitatem causa simul & signum seu effectus, ergo vigilia præter reliqua mala, quæ affert, hoc habet præcipuum, quòd semetipsam augeat: ideoque prauus morbus, ac difficulter sanabilis, iuxta sententiam Hippocratis.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

SIc certè, si sputo quippiam horum accesserit, morietur homo, antequam ad quartumdecimum diem perueniat, aut nonum, aut vndecimum. Sic igitur coniectari oportet hoc, tanquam lethale sputum, & non perducens vsque ad quartumdecimum diem.

COMMENTARIVS.

SEntentia Hippocratis est, non vt Galenus interpretatur, scilicet vt possit ob bonum sputum ita diutiùs trahi, sicut per malum mors accelerari: & hoc est, quod ostendit experimentum, nam in constitutionibus videmus præfinitum tempus, in quo moriuntur, etiam si sint robustissimi: & si euaserint, euadunt etiam à morbo, nisi aberrauerint, & hoc nouit vulgus, & animaduertit, & Galenus non nouit, sed putat tantundem produci, quantum etiam potest fieri breuior morbus, & mors accelerari. Et hoc est, quia iudicij tempus apud Hippocratem est duplum indicatiuo: vt quatuordecim dierum pro septima, & viginti, vel viginti vnius, pro vndecima, & septem pro quarta, & nouem pro quinta. Et est arcanum ab Hippocrate inuentum: primò longa experientia, inde ratione, quid enim vetuisset, ne, vt dedit exemplum de nono, vel vndecimo, ita dixisset de decimo, septimo, & vigesimo. Et ratio etiam astipulatur: quoniam abscessus, & febres, iuxta Galenum secundo de Differentiis febrium (capite vndecimo) fiunt per circuitus, ergo vbi æger superauerit diem circuitus, incidit in tempus declinationis vniuersalis, in quo non contingit ægrum mori: vt per eundemmet habetur in tertio de Crisi (capite 9.) igitur non potest produci morbus, & æger mori. Sed caue circa hoc, ne breuiorem constituas morbi circuitum, quàm oportet, vt tunc videatur post illud tempus æger mori. Quòd si dicas, igitur nemo ratione contraria posset sanari ante eam diem quia non posset perfici circuitus? ad hoc dico, quòd circuitus non potest produci, quoniam intemperies non est fixa in membro: nam si esset vt in hectica, semper maneret, quid ergo prohibet, ne intemperies aboleatur ante illud tempus? & ita finietur morbus. Quòd si nolis assentiri Galeno volenti, vt materia illa in dies generetur, sed tota ab initio sit genita, adhuc manifesta est causa, quomodo minor quantitas possit generari, & ita finiri morbus. Et non potest produci vltra terminum, nisi fiat error, vt materia noua generetur: & tunc morbus videbitur habere recidiuam, & poterit videri, in eo casu excessisse circuitum, & tamen sanatus esse. Nam secus etiam, quòd maior quantitas materiæ generetur, non tamen ob qualitates, quibus putredo differtur, potest vlteriùs protrahi tempus putredinis, ita, vt postmodum æger moriatur.

Sic igitur coniectari oportet.) Non est, vt colligat priorem sententiam (neque enim conueniret suæ breuitati) sed vt exponat lethale sputum quale sit: non quòd perimat in quartadecima die, sed in ea, vel ante eam. Et quia aliquis posset obiicere, Igitur, si adsint signa mala, non oportet meminisse quartæde

quartædecimæ diei, postquam nullus æger in illa moriturus est, sed omnes ante illam? respondeo, quòd meminimus quartædecimæ diei: quia omnes ante illam perituri sunt, licet nullus ad eam peruenire queat, quandoquidem non possimus dicere de vndecima idem, vel de nona: quia aliqui, qui carent signis malis, poterunt peruenire ad quartamdecimam diem, quod ergo sit lethale sputum, hoc habet ex causa, quòd sit flauum, & suppuratum, atque diuisum: & hoc idem est causa, vt pereat intra quartumdecimum diem, scilicet in ea, vel antè, quòd autem antè pereat, non habet certam legem, sed ex diuersis causis prouenire potest. Atque hic rursus nos admonet, non leuis rei, sed obscuræ, & magni momenti: & est, vt non debeamus præfinire diem in morbis, in qua plurimi moriuntur, sed in qua paucissimi: & qui illam euadunt, sanantur pro die circuitus illius morbi. Exempli gratia: Ex fluxu ventris innumeri pereunt in decimaseptima: in quartadecima etiam multi: nonnulli etiam in vndecima: pauci quidam in vigesima: vltra autem nullus, dicit Hippocrates, non statuemus diem circuitus illius constitutionis, fluxus ventris pestilentis decimamseptimam diem, in qua tot mortui sunt, sed vigesimam: quia omnes illi, qui mortui sunt, ad hoc erant inclinati ex natura morbi, vt perirent in vigesima die, sed mortui sunt antè ob alias causas, quæ non erant ex proprietate morbi, sed temperie, vel habitu, aut ætate, vel viribus, vel mala cura.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

EVm verò, qui de bonis signis, aut malis superuenientibus ratiocinatur, ex his decet prædictiones præmittere: sic enim maximè vera dicet.

COMMENTARIVS.

DOcet, quòd debemus pronunciare hoc modo: si omnia bona signa adfuerint, liberabitur, sed non ante quartumdecimum diem: si nullum signum malum, sed nec omnia bona, quòd morietur in quartadecima: si aliquod malum signum, non debet dicere definitè, morietur in nona, vel vndecima, sicut de quartadecima definita die, sed sufficit dicere, morietur ante quartamdecimam diem: & ita rectè prædicet. Iuxta illud Eiusdem in secundo prædictionum (pag. 2.) Melius est non prædicere aliquid, quàm prædicendo modò veritatem dicere, modò vero aberrare, cum non sit par ratio gloriæ in rectè prædicendo infamiæ, quam consequitur medicus aberrando.

PROGNOSTICON
LVII.

ALiæ verò puris eruptiones fiunt, plurimæ quidem vigesima die, quædam verò trigesima, quædam quadragesima, quædam autem ad sexagesimum vsque perveniunt.

COMMENTARIVS.

MAnifestum est, quòd de eisdem pectoris suppurationibus loquitur: quas distinguit à prioribus, tum temporis discrimine, tum sputi etiam natura, cum hic non supponat, ipsum esse simul flauum, & cum pure: ita vt sint partes istæ in sputo separatæ, quemadmodum supposuit in enarratione priore de his, in quibus suppuratio in septima die rumpitur. Ergo iuxta Galeni sententiam differentia temporis in suppurationibus habetur ex natura loci, & humoris, & accedentibus loci quidem, & humoris: & accedentium vnum commune est, calor & humidum: hæc enim in omnibus faciunt ad celerem suppurationem, peculiariter autem de loco, vt sit tenuis, & mollis tunica abscessus: ita in accedentibus cum in infantibus præter caloris & humidi copiam adsit etiam mollities, ac tenuitas membranarum, nil mirum est, si in eis celerrimè suppuratio fiat ac disrumpatur: vt contrà in senibus serò fit suppuratio, seriùs etiam disrumpitur. Porrò de causa horum dierum illam licet huc adducere ex quarto Contradicentium (4.) Solum ergo dicemus de modo, quo suppurationes disrumpuntur, siquidem ob distentionem franguntur tunicæ, & eroduntur à pure, nam pus est putridum: & omne putridum, acre: demum quia pars, quæ superstat, puri emoritur ob calorem putridum, quod autem mortuum est, decidit, vt visum est in priore libro (Tex. 31.) ob hæc igitur disrumpuntur. Galenus nos admonet secundo de diebus Iudicatoriis (cap. 12.) Hippocratem meminisse hic sexagesimæ diei, vt termini cuiusdam morbi acuti in diuturnum transmutati.

PROGNOSTICON
LVIII.

COnsiderare autem oportet, principium suppurationis fore ex ratiocinatione à prima die qua homo febricitauit, si quando primùm rigor ipsum prehendit: & si dixerit in parte, quæ dolore vexabatur, pro dolore ipsum pondere grauari, hæc enim in principiis fiunt suppurationum. Ex his igitur temporibus eruptionem suppurationum fore, sperandum est prædictis temporibus.

COMMENTARIVS.

HIc textus ostendit duo, vnum, principium suppurationis habere tria indicia:febrem rigorem, & pondus, alterum, suppurationis rupturam accidere in tempore, cuius dies numerati eis numeris propositis ab initio suppurationis, non morbi ipsius, computantur. Et primùm de febre dicit Galenus, quòd fit multò maior solita, tum enim incipit crescere,cum suppurat materia: secunda Aphorismorum (47.) ideo non iam status est febris, sed initium incrementi, vt sint tria tempora in his, initiumque vniuscuiusque ex illis, scilicet febris, abscessus, & suppurationis. Sed febris & abscessus quandoque tempora coincidunt: persæpe tamen alterutrum præit.

Circa has febres illud est animaduertendum, quod scribitur quarta Aphorismorum (55.) febres eiusmodi solere esse diarias, quod intelligendum est generaliter de febribus omnium abscessuum:sed non ita, vt sint puræ ephemeræ. Nam illæ, quæ accenduntur ex conuersione abscessus in suppurationem, videntur esse ex ephemerarum potiùs natura,cum symptomatis locum obtineant, sicut & dolor: cessant etiam, conuersa materia in pus,vt dictum est. Præterea si continuæ, quomodo rigor associatur, vt hic dicit Hippocrates?si intermittētes,quomodo semper affligunt? Nihilominus Galenus primo de Differentiis febrium (cap.3.in fine) censet febres, quæ ex inflammatione fiunt, ob putredinem in humore in eis contento accensam euenire. Vbi & inflammationis febrem, & suppurationis præcipuè considerare videtur. Idem in secundo libro (cap.11.pag.3.)hæc habet verba,dum de inflammationibus, ac febribus,quæ eas comitantur,agit:Statim inflammationes partium, aut magnæ, aut cordi vicinæ febres accendunt, cum calor earum ad cor peruenerit, cumque pruruerint, quæ in inflammatione continentur, calor præter naturam inflammatione patientem occupat partem:tumque ab eadem caliditate præter naturam corripiuntur quæcunque proximæ partes, atque hæ rursus vicinitatis causa coniunctas sibi calefaciunt,illæque rursus alias, donec tandem ad cor calor ille perueniat. Clarissimè verò secundo de Crisi(cap.7.)de putridarum febrium varietate loquens, ait: Alia est forma febris ex inflammatione membranæ cerebri,& lateris, & pulmonis, atque iecoris ortæ:sicut & aliæ omnes febres, quæ ex inflammatione partium nascuntur, diuersæ sunt fermè earum, quæ ex erysipelate accidunt. Et febris ardens maligna, vel pulmonis,vel epatis, aut ventriculi erysipelatibus aduenit. Hic clarè videtur exposuisse sententiam suam de febribus abscessuum, quòd putridæ sint, saltem proximorum cordi, seu interiorum. Illud idem dicit decimo Artis curandi (cap.6.) cum dico febres putridas, etiam illas intelligo, quæ ex inflammatione phlegmonum accenduntur. Quòd si ita est, quasnam alias dicemus febres, quæ ex phlegmonibus accenduntur, quæ dum ad suppurationem tendunt, exacerbantur?Non tamen hoc ostendit, eas febres esse vocatas putridas,vt dixi,quæ quotidie rigorem coniunctum habent. Cum enim incipiunt ad suppurationem peruenire, rigorem efficiunt & eò magis, cum concoctio abscessus processerit:velut in libro de Rigore & horrore (capite 7.) & sexto Epidemiorum (par.3. com.19.) ait. Verùm, vt dixi,iam exteriorum abscessuum constat febres proprias esse ephemeras: sed interiorum nomine quidem putridas:re autem modò accidens, modò casum, modò symptoma, vt omnino noluerit verè esse morbum,quanquam in lib.de Differentiis morborum(8. Ar.cur. cap.6.) solito more confutet verbis ac nugis opinionem antiquorum de hoc, quam postmodum admittit, sed de hoc in quarto Contradicentium (cap.6.) Nunc satis sit, admonuisse (nam de febre, quæ suppuratos iam consequitur, cuius sit generis,suo loco,id est,paulo pòst, vbi de suppuratorum signis agitur, dicemus) febres aliquas antecedere inflammationes, quas earum etiam causas appellare solemus:nonnunquam in abscessus febres desinunt, præsertim molliores: primo ad Glauconem(cap.15.) De quo habentur innumeræ authoritates, præsertim in tertio huius (Tex.25. 27.28. 29.) & in quarta Aphorism.(Tex.31.44.74.) Alij antecedunt febres etiam magno interuallo, vt in inguinibus: alij exiguo, vt abscessus pectoris, & maiore, ventris: quidam autem simul incipiunt. Vult igitur Hippocrates, numerum hunc dierum rupturæ abscessus habere sumi ab initio suppurationis. Si ergo abscessus sequatur febrem, quomodo vis, erit hoc tertium initium:scilicet primum febris, secundum abscessus,& tertium suppurationis, atque hæc est clara huius partis sententia. Reliquum est, vt tangamus difficultates, quæ sunt circa Textum. Prima est, cur in suppuratione calida sit?Secūda,an in huiusmodi febribus(nam hic est locus) contingat rigor quotidie, an solum ab initio? Tertia, cur dicat, pro dolore grauari illos pondere, quasi dolor cesset, qui tamen iuxta Aphorismi secundæ particulæ adducti sententiam, non solum debet permanere, sed augeri? Quarta (& hæ duæ tanguntur à C. Vega Hispano) est circa literam Galeni dicentis, quòd sentiunt pondus,quia pus, quod,antequam mutatum esset,erat sparsum, colligitur in aliquam partem, in quo dupliciter errat:primum, quia non solum in initio suppurationis, sed multo antè, cum iam est phlegmon,est materia collecta in particula, iuxta eundem ipsum in lib. de Inæquali intemperie,secundum, quòd istud pertinet ad finem inflammationis, cum Hippocrates de illius loquatur initio(cap.3.)

Dico ergo ad primam, quòd Galenus locis prædictis suas causas adduxit:ego autem facillimè, nam omne acre cogit contrahi, quia lædit: & ideo in repentina contractione fit rigor,lædit autem acre,quia nimis calidum:& quod pungit,vt acus: & quod frigidum est:& quod putridum naturæ antipathia,aut salsugine quadam,rigor autem constat ex repentina contractione, & frigore,

vapor ergo contentus in suppuratione ob calorem & putredinem, dum spargitur super musculos motum repentinum excitat: ex quo oritur frigus, quia occursat corpus nouo aëri, omnis autem est frigidus: vt declaratum est à nobis in secundo libro de Subtilitate. Ideo Aristoteles non habet, quo soluat quæsitum illud, cur expiratio velox semper sit frigida, & tarda calida? nam expiratione veloci aër solus absque vaporibus exit: & cum aër sit frigidus, ideo refrigerat, aër ergo nouus ob motum tam velocem occursans corpori, refrigerat: ideoque fit rigor.

Secundo in quæsito respondeo, perpetuò vigere rigorem, quoniam talis suppuratio quotidie renouatur: ideóque quotidie etiam, aut alternis diebus redit rigor, & hoc contingit, quoniam calor maior facit, vt non adeò sentiatur punctio illa. Aliqui autem sunt, qui perpetuò quasi rigent, iuxta materiam bonam, aut malam: cacochyma enim corpora fermè interim semper rigent, & maximè in hora motus bilis. Hippocrates autem vult nos obseruare initium suppurationis. Ex hoc patet, quòd suppuratio, cum perficiatur in quatuor diebus, tamen extenditur ad multos dies, puta decem, aut viginti, ob diuersitatem partium, qui habent diuersa initia suppurationis, primum enim ichores suppurant: inde sanguis tenuis biliosus: pòst verus sanguis: pòst sanguis pituitosus: pòst melancholicus: demum partes quædam crassæ terreæ in modum frustulorum, & luti: inde caro circundata à materia abscessus: & pòst nerui, & ligamenta, si qua sunt in ea, & venæ & arteriæ. Et hæc omnia ostẽdit experimentum, quòd dissecto abscessus parùm maturo, apparent soli ichores corrupti, pòst, licet seriùs, ob abscessus scissuram fluit sanies admodum tenuis: pòst mediocris: pòst etiam crassa, & crassior, donec effluant etiam frusta carnis, & neruorum, & venarum, & membranarum: demum etiam ossa putrent: quæ tamen non suppurant, vt neque ligamenta, nec nerui duri, & partes etiam carnis, & huiusmodi. Et cum his fluit sanguis, vel niger, qui nondum potuit suppurari, vel ex sanis partibus, qui eò transmissus erat, gratia alendi partem. Et ita suppuratio, quæ semper ab initio computando perficitur in sanguine in quatuor diebus, producitur ad viginti, vel quadraginta dies. Secundò patet, quòd non eodem tempore, quo suppuratio perficitur, rumpitur, sed aliud est tempus eruptionis, aliud suppurationis: quæ diuersitas tantò est maior, quantò pus est paucum, crassum, & profundum. Vnde sexta Aphorismorum (39.) Quibuscunque suppuratio, quæ in corpore est, non innotescit, iis ob crassitudinem puris, aut loci, non innotescit. Quanquam hoc est aliud. Sed contingit, vt multò seriùs etiam ob id erumpat, quàm innotescat: tamen verò magis, vbi in corpore duro fit, & frigido, & sicco, vt suprà (com. 18.) diximus. Ad tertiam dico, esse tria in quolibet tumore, qui suppurat. Primum, cum materia colligitur in musculis, & cauis partibus, & tunc vocatur œdema, scirrhus, vel erysipelas, aut phlegmon, & communi nomine tumor, tunc verò portio est in venis maior in initio, quã musculorum substantia, vel cauitate in incremento, pari fermè modo in venis, & in cauitatibus, in statu tota iam fluxit, & est extra venas: quamuis etiam in venis circumcirca sit materia, quæ fluxura esset, si locum haberet, tunc dolor est ingens: & febris illa, quæ coniuncta est, est ex genere ephemerarum, patet cum nullus ibi sit humor putridus, quantum pertinet ad rationem phlegmonis, aut erysipelatis, aut erysipelatis phlegmonides, aut phlegmonis erysipelatides, aut talium: & tunc retinet nomen proprium. Succedit secundum tempus, in quo materia colligitur in vnum, exprimentibus eam partibus sanis, vt minorem occupet locum: sed interim quandoque digeritur, & exhalat, quod optimum est, dicebat Galen. in lib. de Inæquali intemperie (capite 3.) Sed si non digeratur, colligitur, & abscedit à partibus cæteris: & tunc propriè vocatur abscessus Latinè, Græcè ἀπόστασις, ἢ ἀπόστημα, ἀπὸ τῶν ἀφίστασθαι, quod abscedere significat, vt ipsemet Galen. dicit in secundo ad Glauconem: partes enim quæ humorem in se præter naturam receperunt, à se inuicem separantur, exiguo hoc ergo medio in tempore, quo abscessus nomen sortitum est, cessat ephemera non prorsus, si sit interior abscessus, & dolor mutatur in grauitatem, & rigor superuenit: & tunc suppuratio incipit, & dolor augetur, & febris ephemera ob dolorem (quanquam & id mirum sit, quòd inter tot causas ephemeræ Galenus doloris non meminerit) & alia putrida secum, quæ simul augentur, donec ad suppurationem abscessus maiore ex parte peruenerit. Et hoc est, quod tum dixit Hippocrates: Dum pus conficitur, & reliqua, succedit post hoc iterum doloris alleuatio, & redit pondus, & febres cessant: non tamen, vt dixi, disrumpitur abscessus, & cum rumpitur, est quartum initium, de quo Hippocrates quinta Aphorism. (15.) Quicunque ex morbo latherali ad suppurationem perueniunt, si in quadraginta diebus repurgantur, à die, à qua fit ruptio, liberantur: si vero non, ad tabem transeunt. Igitur iam vides, cur dixerit Hippocrates, quòd doloris loco grauitas sentitur: sed est exiguum illud tempus, & etiam, cur Galenus dixerit, colligi materiam non suppuratam, sed ad suppurationem, quam natura intendit, at pro μετὰ πρὸ legas. Neque enim fieri potest, vt Hippocrates de absoluta suppuratione intelligat: tum quia nimis longum esset tempus, in quo suppuratio maneret ad rupturam vsque: tum quia illud fortuitum est: deinde, quia repetit verba illa, Hæc enim fiunt in suppurationum principiis. Vnde non obscura est solutio vltimæ difficultatis, scilicet quod Galenus de initio interpretatur, & non fine suppurationis. Signum ergo initij morbi, est febris: signum initij tumoris latentis, dolor: signum initij suppurationis, rigor, incrementum febris, & pro dolore grauitas, signa autem eruptionis puris: ergo dicenda restant.

DIGRES

DIGRESSIO.

VT ergo aliquid dicam de tumorum generatione, dico, quòd vna est causa, & non tot causæ: & est fluxio humoris qualiscunque, aut flatus. Causæ autem fluxionis sunt quatuor, iuxta tria genera causarum, & quartum, quod vocatur, sine qua non. Prima est à materia: & ideo fit ob multitudinem eius propriè, quatenus enim multa, retineri non potest. Secunda à latitudine viarum, vt in solitis pati podagram, & præcipuè secundum directum, & hæc latitudo, ac dilatatio fit à flatu, vt dicebat Hippocr. in lib. de Flat. (pag. 5.) Tertia est causa agens, vt frigus externum, calor internus, ob iram, motum, febrem, quam rursus prætermisit Galenus, & vinum potens, acria, & similia. Quarta à fine. Natura enim causam doloris, imò dolorem ipsum pellere volens, qui secus particulam corrupturus esset, vt inquit Galen. quinta Aphor. (com. 53.) illuc transmittit sanguinem, & spiritum, instrumenta propria, quæ confertim in locum intrusa corrumpunt particulam, tumoremque generant, phlegmonem vocatum, aut phlegmonem mistum, velut erysipelatodem. At verò, cum Hippocrates hic de incipiente tumore calido loquatur, ob id adiecit illa verba (à prima die, qua homo febricitauit) quanquam ad omnes tumores calidos referri possit, qui ab initio febris fiunt, & etiam, qui post aduentum febris generantur, qui longè peiores sunt primis tum quia vires iam debiles inueniunt: tum quia ex corruptione humorum geniti sunt, proponit hunc modum, sed non ad vnguem, nono de Vsu partium (capite primo (vbi dicit, quod excrementa, & humores praui collecta computrescunt, & generant phlegmones, & erysipelas, aliáque eiuscemodi. Vnum satis clarum est, quòd copia, vel impulsu generant tumores. Tertia causa est temporum varietas: nam febris prima, quæ declinat, dum cibum exposcit, prohibet tumoris initium, aut incrementum. Et ideo ex abscessibus calidis post febrem in pectore ortis neminem seruatum vidi.

PROGNOSTICON LIX.

SI verò empyema in altera tantum parte existet, hos conuertere, ac discere oportet, doleantne in altero latere, & an alterum altero calidius sit? Atque cubantem super sanum latus interrogare, an videatur sibi onus aliquod desuper suspendi. Si enim ita est, in quodcunque latus pondus insit, in altero suppuratio existit.

COMMENTARIVS.

HAbent singulæ ætates in hominibus, atque in mundo. Infantia fœda impotens, plena dolorum, serua eadem sine laboribus, atque curis, procul à morte, & à periculis. Pueritia robustior, hilarior, cum expectatione meliorum, sed discendi necessitate oppressa, & verberibus obnoxia. Adolescentia liberior, & iucundior: sed tamen cogitationibus vitæ, & curæ comparandæ rei, aut tuendi patrimonij mancipatur. Tum subit florida iuuentus, sed plena periculis, & vxorum morosarum tædiis subiecta, vel etiam dolis subiecta. Hinc peruenitur in ætatem illam imbecillem, morbosam, & odiosam: sed tamen primùm securam, sapientem, constitutam, ac opulentam. Quid est, quod mortalibus eandem fortunam non subeat? Ætas nostra omnium orbis partium notitia insignis, abundans librorum copia: sed tot præclaris rebus nuper inuentis corrupta mulierum consuetudo, plurimúmque procreatio sobolis summum mortalitatis bonum induta illa lue, qua totus orbis plenus est: vt modò verè dici possit illud, Neque commodè absque fœmineo sexu, nec cum illo tutò viuere possumus. Ita etiam amissa plura antiquorum ætate nobilitata longè plus aucta mortalium cupiditas, quàm terrarum nouarum adiectione amplificatus orbis, vt modo angustius, quàm priùs habitare videamur. Inde ortæ auarissimæ tyrannides, vt in copia laboremus inopia. Ipsa librorum multitudo, dum quisque sibi sapere videtur, obruit ineptiis optimos quosque libros. Ita cum nunc inuecta sit anatomia corporum humanorum ignota Galeno, atque Hippocratis ætate sic amissa, quæ tum nota erat ars curandi empycos, pectus secando ægrorum nunc est. Ergo cum tria sint genera signorum. Pathognomicon quod in pretio non est, quoniam de his non est, quæ sensu vulgaribus possint ostendi: velut si quis dicat, hic homo laborat obstructione, aut ardente febre, dicunt plebei homines, & imperiti, qui scit? ita dicit, quia coargui de hoc non potest: Deus nouit: forsan ita est, forsan non: si perit æger, ignorauit dicunt morbum, atque illum peremit: si seruatur casu, inquiunt, seruatus est, aut Deorum benignitate certè, quod hoc morbo laboret, ostendere non potest: maximè altero contradicente medico, vt plerunque contingit. Alterum est prognosticum celebre quidem, & in quo ars medici illustratur, sed parum tamen ad authoritatem medici vtilis est ob duas causas. Vna quidem, quòd huiusmodi diuinatio medicinæ à pluribus esse non creditur: vt etiam Galenus in principio horum commentariorum (com. p.) recitat, dicens: Methodicos dicere solitos, prædicendi artem ad diuinationem potius spectare, quàm medicinam. Altera causa potentior est: quoniam hæc prædictio ad salutem infirmi tametsi vtilis sit, non tamen quantum satis esset, quod vtilis adeò sit, imò ne gry quidem, vt Græci dicere solent, conferre videtur. Imperiti autem ad solam vtilitatem in vna quaque arte, atque negocio respiciunt. Vnde emersit tertium genus signorum nobilissimum, in quo ego fortunatissimus fui, atque primus, qui id ætate mea, & forsan primus omnium etiam ante nos, qui id introduxerim, aususque fuerim in medium præponere, atque tentare: scilicet vt dicerem, quo morbo, & in qua parte corporis,

ris, quove in membro laboraret æger, quòd si quispiam aliorum medicorum curationi nostræ obniteretur, vt ostenderem, vbi ille periisset, dissecto cadauere, me vera docuisse, culpa alterius illum mortuum esse, quod cum sæpe ac sæpe vt dixi fecisse, eo redacta est, vt summa felicitate, cum omnes, qui sanari possent, sanarentur, & maxima cum authoritate curarem inposterum ægros, contradicente nemine. Hoc genus signorum percelebre est, cui ego euidentium nomen imposui: cuius copia non erat tempore Hippocratis, neque Galeni, cum, vt dixi, mos non esset dissecare cadauera. Ætate autem hac adeo ea mire fortunatus fui, vt non solum id facilè obtinerem, sed necessarij vel vltrò offerrent, vel etiam rogarent. Nec vilis personæ, ob tonsoris prœmium, sed nobilium omnia fuere cadauera. Quin etiam principum, vt scitis, mos est, vt seruare corpus possint, secare illa, & eximere viscera, & cerebrum, vt in arena seruentur interim, si opus est, donec parentur ἀσήπτικα, quibus implicantur. Id verò sæpius ab initio contingebat, cum medici, vt me coarguerent, qui contradixerant, quanquam multa suasu eorum facta essent: sed multitudini, & authoritati confidebant, vt id facerent, necessarios hortarentur. At postquam, vt prædixeram, duobus, ac tribus experimentis esse deprehensum est, apertè amplius non sunt contradicere ausi. Sed tamen & coniunctos ægrorum, cum tacitè aliud sentire viderentur, ad hoc hortabantur, sperantes, aliquando me deceptum iri. Vt si inuenissent (puto) quæ prædixeram, voluisse videre experimentum (quod etiam prædicabant dicerent: si secus damnarent, nec faterentur consensisse, nisi ob authoritatem: reuocantes illis in memoriam, quæ clam me contra meā sententiam illis facienda persuasissent, tanquam aliud ipsi de morbi causa iudicium habuissent. Sed postquam adeò clare omnia inspexerunt, etiam contra Galeni præcepta & vt dicebant, Medicinæ axiomata, velut in Patricio fratre Hectoris Ghislerij (quem honoris causa nomino) quem ego leuitate intestinorum laborantem, & ventriculi symptomate, cum optimis vrinis morientem, bis, aut ter iam inspectum, pronunciassem, ventriculum habere illæsum, iecur autem exustum, atque putrefactum totum, ac nigrum, cum etiam modica siti laboraret, atque ita inuentum esset, dissecto cadauere in æde B.Franc. astantibus medicis Antonio Gandulfo, Camillo Montagnana, & Cæsare Arantio præclaro anatomico admirantes, solùm id quærebant, qua ratione id scire potuerim, quod Medicinæ præceptis (& vt aiebant etiam Hippocratis ipsius: nam sciebant Galeni authoritatem in huiusmodi apudine paruifieri) aduersabatur. Ita constat, quòd hoc genere signorum si quis profecerit, dicta illius in arte pro oraculis accipienda esse, etiam ab æmulis: neque enim aliorum ad euidentium genus est nulla comparatio. Hippocrates ergo, cum talis occasio non daretur in mortuis, oblatam in viuis non prætermisit ostendēdi, quantum ars ipsa posset: simul & vt nobis viam præmonstraret amplificandi signorum hoc genus, si quando vel ob ritum regionis, vel ætatis succedentis mutationem paterentur, necessarij copora mortuorum ægrorum dissecare, vt viam aperiret studioso medico vnicam ad meritam gloriam inter homines capessendam. Id autem hoc modo docere instituit, si rupto abscessu, & congregata materia in cauo pectoris super septum transuersum, & inter pleuram, & membranam, seu septum pectoris, ei proximum. Diuiditur enim pectus ab inferiore parte, musculo, seu membrana vocata septum transuersum, quòd transuersum diuidat totum humanum corpus, secet à membris naturalibus, ac inferiore ventre, quod tamen gula pertransit, & iecur ei annexum penetrat gibba sui parte: intùs ambit illud alia membrana tenuior, ac quasi nuda vocata pleura: distinguunt in tres partes duæ membranæ à superiore parte ad septum transuersum, quæ posteriùs adeò parum inter se distant, vt ferme in vnum coeant, anteriùs toto sterno distant: inter harum singulas, & membranam pectoris dimidium pulmonis interiacet cor pericardium, os ventriculi posteriore scilicet parte, & vena caua ascendens ex septo transuerso ad ipsum cor, tum his quatuor annexa coniunctáque. Vnde abscessus membranæ, lateris, & peripneumoniæ, in alteram harum cauitatum, dextráque sinistra erumpunt: nonnunquam in ambas, quanquam id raro, non enim nisi in ambabus partibus, phlegmones extiterint: rariùs adhuc in spatio medio, nam vel pericardium, vel os ventriculi abscessu laborasse, necessarium fuit: aut tunicarum vnam intersepientium, ruptamque interiùs, quod quidam Hispano contigisse olim reor, qui mortuus est. Vegam (com.59.) autem decepit, quòd tenuem membranam vestientem pulmones putauit esse intersepientem pectus, cum illud vix tangat: est quasi recta crassior multo vtraque, sed aliud intentus agebat: nec Galenus quinto Anatomicarum aggressionum (c.8. aliud intendit, quanquam obscura illa verba videantur. Vbi verò rectè ad iugulum vsque perferuntur, intercipientes Græcè διαφράττοντες, vbi pulmoni circumhæréscunt, huius operimentum existunt. Aliud ergo sunt à pericardio, & septo transuerso, quod est διάφραγμα: cum etiam nisi quis rectè animaduertat, setimo Anatomicarum aggressionum (cap.13.) referens de puero illo, cui os recisum fuit, ab eo videatur pericardium pro intersepiente membrana accipere. Inquit enim, putrefacto pericardio, nudum cor apparuit. Sed id contingit: quoniam os præcisum fuit medium, sternon vocatum, non costa vlla, ideo membranæ illæsæ manserunt, quæ pectus diuidebant. Meminit ergo signorum declarantium, qua parte subsit pus, & hoc ex tribus: dolore, calore, ac pondere. Dolent enim in id latus decumbentes, grauitatem sentiunt, in altero si decumbant, vtrouis modo calorem. Vega putat, non esse necessarium hoc signum, vbi paucum sit pus: sed animaduertat, quæ dicat Hippocrates tertio de Morbis (pag.10.) Proinde terra Eretriade liquida, & valde trita, ac tepida, linteum

tenue

tenue tingito, eóque thoracem circumcirca integito, & qua parte primùm resiccatum fuerit, ea secato, & vrito, vult ergo, esse calidiorem partem illam. Admonet autem, dextram partem periculosiorem, dicens: Dextra secare, aut vrere, lethalius est. Dico causam huius esse: quoniam, vt dixi, ea parte iecur, & vena caua extra septum transuersum prominent, tangantúrque à pure. Addit ibi etiam signum à concussione lateris strepitum facientis: quod etiam ponit in secundo libro, (Pag. 16.) Sed dicit, non est generale, quoniam si pus fuerit crassum, non edet strepitum, & quod antequam secetur, oportet sine re per quindecim dies, vt coquatur quia ex eruptione refrigeratur. Sed modum secandi docet in secundo. Hæc peritia, vt dixi, nostra ætate euanuit: & etiam curandi capitis vulnera valde imminuta. Quod ad pondus, cum suspendatur membrum, necesse est, vt graue appareat. Si in sinistra decumbat, pus contentum in dextra, & versa vice. At de dolore forsan meliùs erit sentire cum Galeno, vt nullus sit alius dolor, quàm grauitatis: ex eo enim interseptiens membrana pectus distrahitur. Meminerunt horum signorum etiam Galenus quarto de Locis affectis (cap. 9.) & Ætius libro octauo (cap. 65.) Illud non prætercam, pulmonis abscessus persæpe in vtranque cauitatem rumpi, quod ipsum continuum cum sit, in vtranque partem ingrediatur: id ipsumque Galenus ait, quod tamen nescio, quomodo ostendere possit: non ignoro tamen, hoc faciliùs contingere posse, quàm ex morbis membranæ succingentis costas. Et etiam illud de signis euidentibus reduci posse ad signa pathognomica: sed in hoc differunt à cæteris, vt certiora sint: & possint ostendi, vel quo materiam contineant: vel quia sint è genere compositionis manifestè vitiosæ, aut diuisæ partis, non obstructio, aut intemperies: & vt signis propriis sint circumscripta: quod paucis pathognomicis conuenit. Vnde continui solutio semper temperies, nunquam parit signum euidens: compositio mala in numero, magnitudine etiam, at in forma, non nisi in figura: in cæteris, nisi fuerit magna. Constat autem ordo manifestus: in primis docuit tempus eruptionis: pòst vnde enumerandi essent dies: tertiò pars, in qua sanies colligitur. Verba illa in quodcunque latus, idest decumbenti, si addas, clara sunt.

Febris phlegmonis an putrida? & an casus alterius morbi, non morbus? Vide quarto contradicentium (68.)

PROGNOSTICON LX.

HViusmodi signis omnes suppuratos dignoscere conuenit. Primum equidem, si febris non dimiserit, sed interdiu tenuiter afficiat, noctu verò plus.

COMMENTARIVS.

INcipit enarrare signa iam diu suppuratorum, quod apparet ex sequenti textu: & hoc, quoniam antiquum empyema maiora mala affert, & ideo notius est: & è notioribus incipere decet in doctrinis, vt Aristoteles docuit (p. Phys. Tex. 2.) est autem primum signum à febre continua, quæ noctu plurimùm augetur, & inualescit, interdiu leuis est: ideo conantur ostendere, quòd sit mista ex hectica, & putrida, & hoc est primum. Secundum, quod non ratione hæcticæ simpliciter, sed ratione cibi, qui vespertina hora antiquorum more exhibebatur, teste Galeno primo de ratione Victus in acutis (com. 18. in fine) & lib. de Dissolutione continua. Tertium est, quòd hectica incalescit ob contrarium cibum: de quo in Contradictionibus dictum est (ca. p.) ob Auerroem. Ideo dico, ergo quòd illud de cibo est simpliciter falsum. Primùm, quia Hippocrates secundo de Victu in Acutis (Tex. 22.) docet, quòd antiquorum quidam cœnabant solum quidam etiam prandebant: igitur in his non fuisset hoc signum verum, sed contrarium. Tertiò, quoniam hoc non esset verum de tota nocte, sed prima tantum noctis parte. Inquit enim Galenus primo de Differentiis Febrium (cap. 9.) de hectica loquens: Maximum verò tibi, atque indubitatum hoc erit, eius naturæ indicium, si cibum homini obtuleris eo tempore, quo maximè omnes horas suspectas subterfugisse videtur. Statim enim hora vna, aut duabus post acceptum cibum, quicunque ægrotantem tetigerit, alterã febris accessionem adesse opinabuntur. Nec deerunt, qui eos, qui cibum obtulerint, increpent quòd haud in tempore dederint: sed tunc, cum futura accessio erat: & quòd oportebat cibum in longius tempus differre: & quòd annotatio tardiùs sit subsecuta. Res autem non ita se habet, omnibus siquidem hecticis febribus hoc proprium & inseparabile adest indicium, allato cibo quidem caliditatem accendi: ac pulsum ad magnitudinem ac velocitatem augeri, ita vt incompressa annotatio facta videatur. Voco autem annotationem incompressam, in qua neque horror aliquis, neque extremarum partium frigefactio facta est: neque veluti quædam dormitatio: neque aliqua insignis pigritia, aut omnino inæqualitas aliqua, vel in caliditate, vel in pulsu: adhuc autem magis, neque paruitas, neque debilitas, neque horum aliquid aliud: sed quemadmodum & cuicunque alteri ex cibo maior statim, ac velocior pulsus afficitur. Hic manifestum est, quamuis in aliis obscuritatem breuitas pariat, in Galeno prolixitas, velle eum, vt statim assumpto cibo, incalescat, & pulsus maior fiat, atque celerior, adeò vt post duas horas ad statum febris peruenisse videatur: vt non sit verisimile tota nocte permansuram. Sed mittamus hæc nam dubium etiam est de febre putrida, cum illa fiat, dum putredo fit: materia autem concocta, putredo finem accepit: vt in septimo Contradicentium (14.) docuimus.

Dico

Dico ergo suppuratorum vnam esse febrem, neque hecticam, neque putridam, nisi de deploratis iam loquamur, quibus propriæ febri hectica superuenit, dico autem nomine potius subputrida, quam hectica contineri. Confugit ad mistam febrem: at si contingat expui vniuersam saniem, prorsus liberantur, quod esse non posset, si hectica superuenisset putridæ: cum autem superuenit, pereunt.

Primùm ergo videamus, in quo differat ab hectica hæc febris. Constat sanè, quòd horrorem quendam sentiunt: neque enim Hippocrates eius meminit, quoniam superiùs (Tex. 19.) id dictum est ab eo, sed à sequentibus non intellectum. Vbi enim Galenus errauit: aut per incuriam aliquid omisit, omnes errant, nec tamen, vbi bene dixit, bene illi dicunt, nec sentitur horror, nisi in his, qui aliam habent febrem putridam coniunctam: aut antequam vomica disrumpatur: aut cum æger ad magnam imbecillitatem peruenerit: aut cum deteguntur. Et causa est nota omnium. Sed neque putrida propriè dici potest, cum omnis putrida ad certum humorem reducatur sui generis: hæc autem non, nam non plus est bilis, quàm pituita. Præterea, vt dixi, putrida fit ab humore putrescente: hic autem pus est, & non putrescit denuò. Cum enim erumpit, iam transiuit totum in pus secundum Hippocratem, qui in locis superioribus admonuit nos, quòd post initium putredinis rumpuntur abscessus in viginti diebus, quando celerrimè, & in sexaginta, quod tardissimè. Præterea omni febri putridæ debetur cruditas in vrinis in initio, & in seruandis coctio in fine: sed huic non ita, sed perseuerant, & si esset nocturna, quod verum non est: nam illa opponitur diurnæ, hæc autem nulli. Proponere autem duas febres, cum sit vna, vt euadas ab argumentis, est res imperiti non medici, neque etiã potest dici hectica simpliciter, nam verum non est, quod huiusmodi, qui ad sanitatem tendunt, id est, qui liberaliter excernunt pus per sputum, post cibũ iacalescant, imò meliùs se habent, nisi quòd laborant in concoquendo, vt omnes ægrotantes, præcipuè diuturno morbo, & etiam sanorum multi. Et si vidissent suo tempore quinquaginta, aut etiam plures empycos, vt ego vidi, aut qui viderunt, animaduertissent non scripsissent similes nugas. Vnde causa errorum in medicina est, quoniam qui contemplantur, non medentur, velut Galenus, Paulus, & Princeps, & hodie omnes medicinæ & hodie omnes medicinæ professores: ideo loco regularum, & dogmatum scribunt somnia. Et qui medentur, non contemplantur, nec sunt exercitati in Philosop. nec dialectia nec: animaduertunt in tanta multitudine ægrorum adeò occupati, communia pluribus similia, ac dissimilia. Vnde Hippocrates prœmium constituendæ Artis sumpsit Tertio Epidemiorum (Tex. p.) Et in hoc ordine fuerunt Alexander, Trallianus, Aetius, & Rasis: sicut medij quodammodo fuerunt Oribasius aliquanto similior Hippocrati: nam ipse solus multum artem exercuit, & etiam disciplinis operam dedit, quanquã plus fuerit exercitationi addictus, sicut Auenzoar parùm vtrumque: & ideò pauca tradidit, & imperfectè satis, tamen rectè: quia non fuit in medendo occupatus. Sub secundo igitur genere sunt nunc isti, qui suæ artis præcepta scribunt nostris temporibus musis & Apolline nullo, Placentinus Guainerius, Tarantula, atque alij innumeri, idque incōmodum accedit arti, etiam præter errata Galeni: Et ideo ex recentioribus non inueni meliorem L. Iachimi, qui fuit, vt ego, professor post longam artis iam exercitationem, amator virtutis, & vixit satis senex: quæ contigerunt Hippocrati etiam, ideo ego illam suscepi in manibus emendandam: nam plura in ea desiderantur, nostræ autem medendi artes traditæ tum in libro huic nomini dicato, & in duobus libris de Dentibus: sunt nimis breues, & ideo non satisfacient, nisi peritis, sunt enim infinitæ potestate, & omnium absolutissimæ: sed non, nisi iam peritis, & ingeniosis, & exercitatis in nostra Dialecta canueniunt, quoniam velut Galenus breuiter scribere non nouerat, ita nos nihil diffusè.

Sed iam redeo ad propositum, & dico, quòd febris empycorum in termino ante vlcus in pulmone, non est composita, nec hectica, nec putrida, sed est febris sui generis, & media. Et declarabo hoc primùm ratione, & experimento: deinde docebo causam, cur præcipuè hæc febris in nocte exacerbetur cum tamen aliæ fermè omnes putridæ (dico) & hecticæ, & cuiuscunque generis, sed non adeo, idem patiantur. Hippocrates igitur in Coacis Prædictionibus (Pag. 18.) hæc habet: Febres intermittentes ob suppurationem, plerunque sudorificæ sunt. De antecedenti autem inquit: Horrore affecti frequenter ad suppurationem deueniunt. Sed & febris tales ad suppurationem perducit: vt non de pure contento in abscessu loquatur, sed iam rupto, in prioribus verbis, non enim vult esse hecticas, neque continuas, sed aliud genus febrium continuatarum per horrorem, aut rigorem: quod & verum. Adest & ratio: si febris putrida est, vel est continua: & ideo in venis, aut saltè in abscessu hæc materia continebitur, at in neutro horum est, sed in spatio, & cauitate si intermittens, expellitur ex venis, extra venas super membra sensu prædita, scilicet musculos: at neutrum horum cum fiat, neque enim est in venis, neque expellitur: non est igitur è genere intermittentium. Omni etiam materiæ febris putridæ sunt sua medicamenta purgãtia propria: vt quartanæ, continuæ, & intermittendi helleborus, vel epithymum tertianæ, & ardenti febri scamonium Rhabarbarum amphimerinæ, & continuæ ex pituita turpetum agaricusue, at huic nullum est medicamentũ, nulla certa via præter sputum: igitur non est hæc febris è genere putridarum Febres etiam, quæ fiunt ex materia contenta in cauitatibus, velut ventriculi vteri, sunt ex ephemerarum potius genere, quàm putridarum vel hecticarum: ideo si hæc febris esset certi generis, etiam magis ad ephemeram, quàm putridam, aut hecticam, reduci deberet. Præterea quæ continentur in generibus, aut sunt

ex vno genere, vt ardens ex putridarum, tabes ex hecticarum: aut communes omnibus, vt pestilens, nam illa diuiditur in ephemerã, putridam, & hecticam: hanc verò, cum sit vna tantum, non licet esse communem omnibus generibus: neque propriam, nam daretur quintus humor: aut hectica cum horrore, aut ephemera continuata cum circuitu: quare non est ex vllo genere illarum. Quòd si esse deberet, ob id esse deberet, vt numerus generis febrium seruaretur, vt sint, scilicet tria, sed iam non potest, quia datur febris ex sanguine nondum putrefacto. Nono Methodi (ca. 3. & 4.) igitur possunt esse quinque, quàm quatuor. Et si dicas, quòd illud non est generis, quia speciem non continet sub se, idem dicendum erit de hac. Et si dicas, vt quidam, quòd illa diu non durat: dico, quòd & hæc certum habet tempus, scilicet quadraginta dierum, vt quinta Aphorismorũ m (Tex. 15.) quod licet sit longius, maius tamẽ, & minus non mutant speciem. Videtur autẽ hoc etiam insinuasse Hippocrates secundo de Natura humana (Tex. vult.) cum dixit: Febrium quatuor sunt genera, præter eas, quæ ex occultis doloribus fiunt. Sed confestim negabis esse Hippocratis, vt Galenus docet: & ego non contendo, nihilominus & hoc verum est, quod dicitur, & huius dicti pars ea, quam probare nitimur. Sed negabit, ne quis hæc ex primo Epidemiorum (sec. 2. Tex. 44.) in semitertiana appellata contingit quidem & acutos morbos fieri: & est hæc præ cæteris (scilicet tertiana, quartana, quintana, septimana, nonana, continua, diurna, atque nocturna) maximè lethalis. Sed & tabidi, & quicũque alij, ex lõgis morbis ægrotant, ex hac maximè ægrotant. Si ergo tabidi ex hac ægrotant, præter id, quod hectica laborent, antequàm hectica laborent, haud hac ipsa sola, & propria febri tenentur. Concordat & id cum his, quæ in libro de Flatibus (Pag. 4.) scripta sunt, si rectè intelligantur. Horror (inquit) fit sanguine perfrigerato, quacunque ex causa. Contingit enim collecta sanie, absque dubio calorem naturalem refrigerari: atque ideo horrorem inuadere, neque enim etiam si corpus mortui igni exponas, vnquam in calescet vndequaque, nisi illud assaueris, aut elixaueris, neque enim vllus est calor non magnus, qui possit vndique calefacere totum corpus, præter naturalem: ideoque huiusmodi purulentis & si manus, & pedes caleant, crura tamen frigent, & horror circa spinam versatur, ob id, quòd locus ille confertus est exanguibus particulis, similaribus, neruis, ossibus, cartilaginibus. In vniuersum fieri suppurationem absque rigore in quauis corporis parte, admirabile censetur apud Hippocratem: vt de Zoilo secundo Epidemiorum (par. 2.) cui facta est suppuratio post aurem. Nonnunquam suppuratio ex pituita fit, & febris acuta succedit: vt septimo Epidemiorũ de Charite (pag. 14.) sed non est sermo de hac est enim febris vel ephemera: & si putrida sit, non est accidens, sed coniuncta, liquet enim esse tria genera putridarum: simplex ex humore: pendẽs ex abscessu, vel tumore calido, & est accidẽs illius: & coniũct a: & hæc est duplex, quæ omnino fortuitò ei iungitur: & quæ ob magnitudinem morbi accidit, Natura deserente munus suum conseruandi humores, & concoquendi cibos. Idem tacitè innuit de rigore in quarto de Victu in acutis (Tex. 49.) dum in anxiosa febre, in qua præcordia intẽduntur, iubet imponi lini semen incoctum oleo, & aquæ, vt æger non horrescat. Et in Coacis Prædictionibus (Pag. 12.) Durities circa ventrem cum dolore in febrientibus, cum horrore cibum auersantibus, si aluo insu per humectata purgationem non faciant, ad suppurationem peruenient.

Sed iam, his omissis, doceamus, cur febres maximè noctu affligant, cum constet iam non ob cibum id accidere: nam generaliter istud contingit ob quinque causas, vt in omnibus febribus magis affligũtur ægri noctu, quàm interdiu: & si aliter accidat, præter naturam est. Prima ob frigus: nam cutis densatur, & retinentur fuliginosa excremẽta non solũ in toto corpore, sed, quod magis refert, in arteriis ipsis: vnde cor suffocatur, adeò vt etiam in multis sanis ob hanc, & frequentes causas sentiant maiorem æstum noctu, quã interdiu, cum tamen aër in die sit calidior, quia magis repletus vaporibus. Secunda, est somnus, qui omnia reuocat ex externis ad interna, & cum calore naturali præter naturalem, qui est vnus subiecto: vnde cor maximè suffocatur. Tertia, quoniam mens ægri cum vacet à colloquio necessariorum, & timidior reddatur ob tenebras, magis sentit noxam, & dolorem, & omnia morbi detrimenta in nocte, quàm in die, vt huic rei solùm intenta. Quarta, cum solis vigor minuatur, viget magis lunæ, ac Saturni vis, quorum vnus agitat humores maiore impetu, scilicet luna: alter est naturæ humanæ prorsus inimicus, ideo magis affligit lãguẽtẽ. Quinta est, quoniam sol surgens mitigat omnia, & adiuuat languẽtes, & augetur vis eius vsque ad cœli fermè cuspidem, maximè in hyeme: igitur reliqua medietas diei consumetur in remissione bonorum præstitorum, quare occidente sole, necesse est, vt ruant vires humanæ: & ruina hæc ex ratione oppositorum augeatur vsque ad mediam noctem, & reliqua medietas, quoniam tum sol incipit ascendere comparatione situs nostri, consumitur in remittendo iacturam descensus: ergo nox tota mala, & dies tota bona. Sufficit ergo ostẽdere, quod ortus solis semper iuuet. Istud declaratur ratione, quia color innatus est ille, qui omnia nobis præbet: sed ille retinetur in actu à colore solis, constat enim quòd si sol tolleretur é mundo, statim interirent omnia viuentia: nisi fortè scorpij, & vermes, qui sub terra latitant, & forsan etiam talpæ, quæ sunt in hoc singulari natura præditæ. Ergo si priuatio tollit recessus, vitiat, & aduentus iuuat, & etiã experientia, quia si in motu proprio videmus per accessum cuncta in Vere generari, languere per recessum in Autũno: igitur etiam in motu diurno, iuxta eandem rationem. Sed hæc concludunt generaliter: specialiter autem dico, quod materia illa puris est mitissima, vt colligitur ex Aphorismo (47. par. 2.) plurima, & proxima cordi, dũ ergo dies est, minimè vrgetur æger, quoniam vapo-

vapores ex halant, & cum materia benigna sit, non nocet nisi ob copiam, & propinquitatem, si in nocte retinentur ob duas primas causas: ideoque plurimum febris augetur ob multitudinem, & propinquitatem. Ergo magnum incrementum febris est peculiare huic morbo, & non nugæ illæ Galeni.

PROGNOSTICON *ad præcedens.*

Et plurimi superueniunt sudores.

COMMENTARIVS.

Galenus explicat se, de hoc breuiter dicens, quòd ob virium debilitatem alimentum discutitur. Sed si hectici iam sunt, cur etiam non siccatur prorsus, vt non concoquitur? Deinde, cur non sudant omnes ægri prope mortem? etiam cursu dor est quasi peculiaris huic morbo? & non quacunque hora, sed per noctem? Et si quis colligat sudorem singulis diebus, inueniet esse multo plus alimento, & vrinæ fiant pauciores, quod non eueniret, si sudoris materia esset solùm ex diurno alimento, ideo adduxit rationem generalem suo more, authoritati propriæ confisus, pro propria: & ideo multis modis peccat. Causæ ergo huius sudoris altiùs sunt repetendæ, neque enim vidit, vt puto, ægros huiusmodi sudantes: aut si vidit, non cum scribebat, nec recordabatur eorum, quæ viderat in illis: &, vt veriùs dicam, ab aliis scriptum non inuenit, fuerunt enim libri sui, vt cuilibet perspicuum esse potest, nil aliud, quàm farrago collecta, aliorum recitata, vt erat, tanquam ipse vidisset, dispuncta, declarata, confutata, provt illi veniebat in mentem. Vnde dico, quod cum volumus scire, vnde symptoma aliquod proueniat, debemus primùm aduertere, cuius facultatis illa operatio fit, seu integra, seu ratione rei corrupta, seu vitiata, velut egestio debito tempore. Sed sanguinis non est operatio vitiata, nisi ratione rei, quæ non eiicitur secundum naturam: quod vitium non est expultricis, sed retentricis, aut alterius saltem, non intestinorum. Nam proprium facultatis expultricis intestinorum, est solùm id, quod intestinis non conuenit expellere. Sanguis autem non conuenit intestinis: ideo nec vitiosa est operatio, per quam sanguis deiicitur. Vt autem cognoscas operationem, cuius facultatis sit, videas: quibus rebus insit. Gratia exempli: Putrescere conuenit non solum plantis, sed & luto: igitur non est operatio facultatis naturalis, sed elementi, aut misti, velut etiam descendere, & flatum gignere: nam & in aquis per motum gignitur, at nutriri, augeri, & expellere, propria sunt naturali facultati: nam plantæ omnes hoc habent: sentire autem, & moueri, non, nisi animalibus, conueniunt, & cogitare, ac intelligere soli homini inest, igitur iam habes secundum. Rursus tertium vt scias in homine, quæ functio cuique membro tribuatur, considerare debes: in quo homo differat, & conueniat ab aliis rebus. Et differt à luto, ac lapidibus per iecur: illa enim non nutriuntur, id est, lapides concretione non sensim geniti. Et differt corde à plantis: plãtarum enim nulla pars motu circulari mouetur. Cum ergo nulla planta sudet, quoniam nulla planta est actu calida: igitur sudor est opus facultatis vitalis, quæ est in corde, licet enim expellere excrementa, sit opus facultatis naturalis: nam & plantæ emittunt excrementa, velut arbores lachrymas, ita tamen, vt sub forma concreta, non sudoris, igitur sudor est operatio facultatis cordis, non sine etiam aliquando facultate iecoris, vt in Crisi. Et indicium huius est, quòd in syncopi propriè apparet sudor: at in hoc differt à deliquio animi, vt superiùs (lib. 2. com. 5.) visum est, & quod in timoribus, & magno animi æstu, homo sudat, & quòd in dolore, & cum cor salit, homo vehementer sudat, & in morte, id est paulò antè, multi sudant: vt etiam quinta Aphorismorum (68.) Liquet ergo, quòd in huiusmodi febre cor est calefactum calore quodam tepido, & circumfusum multa materia humida: & ideo tales plurimùm sudant, quòd verò malè nutriantur, & id adiuuat; sed non est causa principalis, inde ponit tertium signum.

PROGNOSTICON *ad præcedens.*

Atque tussiendi cupiditas eis inest: & nihil screant effatu dignum.

COMMENTARIVS.

Galenus duo adducit (rationem, & causam) & in neutro satisfacit. Ratio eiusmodi est: Necesse est, vt non spuant: nam si spuerent, non euasissent putulenti: hoc non dicit Hippocrates, quinimo quinta Aphorismorum vult, quòd spuant, sed quòd adeò parum, vt in quatuordecim diebus non repurgentur. Verùm pro causis proponit virium imbecillitatem, densitatem membranæ, quæ circumambit pulmones, & puris crassitiem. Quæ causæ sunt eorum, qui morituri sunt: non communes etiam his, quibus etiam sanitas succedere potest. Nam si non spuit æger, ob vnam harum causarum, aut plures, morietur. At hoc non dicit Hippocrates: neque de morituris suppuratis tantùm sermonem habet, sed quibuscunque, neque enim necessaria illa ratio, etiam si Hippocratem in Aphorismo exponamus, non repurgetur, id est, nihil expurget, vt si nil expurgat, dũ materia in abscessu continetur, quòd rupto abscessu id faciat, fieri enim potest, vt tunica costas subcingens crassa admodum sit, nec admittat pus resudans: rupto tamen abscessu cocto expuatur. Ideo dico, quòd ista signa sũt generalia omnibus suppurationibus in partibus pectoris ruptis: & quòd voluntas tussiendi est ob læsionem in pulmone factam à sanie, quæ cum perpetuò adsit, adest etiam perpetuò voluntas tussiendi. Cur autem nihil expuatur, docebat in tertio de Morbis (pagina nona) his verbis:

p. n.

Poſt ruptum abſceſſum ſanus ſibi eſſe videtur quoniam ex anguſtia ad amplam capacitatem pus peruenit:& ſpiritus, quē reſpirando attrahimus, in pulmone locum habet. Verùm progrediente tempore, pectus pure impletur, & tuſſes, ac febres, aliique dolores omnes magis ipſum premunt, & morbus euidens fit, hunc poſt eruptionem per quindecim dies ſinere oportet quo pus rurſus matureſcet. Nam ex eo, quòd pus ad ampliorem capacitatem peruenit, perfrigeratum eſt:& id quod in thorace erat humidi ad ſe ipſum traxit,ita vt ipſum ſit ſemiputrefactum.Siquidem igitur ſua ſponte in hoc tempore expui incipiat,bene eſt:ſin minus, medicamentis aut potionibus opem ferre oportet, in vltimis ex illis quindecim diebus. Vt luce clarior ſit contemplanti hæc verba illius ſententia. Siquidem ab initio rupturæ abſceſſus omnibus commune eſt,nihil expuere: poſt etiam multis id conuenit, vt non, niſi auxilio medici quicquam effatu dignum expuant:multi etiam adiuti, vt qui in tabem tranſituri ſint, omnino nihil expuunt.Quorum cauſa eſt cruditas ſaniei, atque loci ſiccitas:adiuuant etiam,quæ à Galeno ponuntur, cauſæ, ſed de illis propriè non intendit. Cum enim principium eruptionis puris reliqua omnia tempora antecedat, dico quidem medico, ſi aduocatus fuerit in initio illius,neceſſe eſſe,vt hæc ſigna adſint præſentia:ſin autem poſterius,vt etiam dum perſeuerent, ſi æger tendat ad tabem, aut iam tabidus factus ſit,aut ſi contrà ad ſalutem flexerit,huiuſmodi ſigna, quæ hic narrat Hippocrates,præceſſiſſe tum autem paulatim remitti.Reliquum modò eſt,vt videamus,cuius membri tuſſis ſit affectus,& qualibet fiat & quibus ex cauſis.Galenus ſecundo de ſymptomatum cauſis(c.3.)vult,tuſſim fieri ex compreſſione pulmonis, expellentis aërem,qui intra aſperas arterias continetur, nam per aërem illum expurgantur aſperæ arteriæ,quæ contrahi non poſſunt: ideo impetu illo aëris opus habent. Eſt ergo tuſſis motus à naturali facultate, quoniam etiam non volentibus nobis fit:& nemo motum hunc didicit:& eſt ad finem expurgandi ea, quæ in aſperæ arteriæ cauitatibus continentur:& fit per aërem velociter,& cum impetu eiectum, & eſt opus pulmonis. Dicebat (cap.4.) poſt hæc, velut vomitum nauſea præcedit, nec ſemper nauſeam vomitus ſequitur:ita tuſſim præcedit cerchnos, nec tamen cerchnon ſemper tuſſis ſequitur.Eſt autem cerchnos non tuſſis,ſed ad tuſſiendum leuis quidam impetus. Sic vt tuſſis diffinitio ſit vehementiſſima quædam efflatio, qua pluribus aër, & celerrimè emittitur. Patet autem, inquit ille, quòd eodem modo fit, quo cæteræ vehementes efflationes: ſcilicet (audi)per muſculos etiam intercoſtales. At quarto de Locis(cap.8.)id comprobat:quandoquidem,vt dicit,homo non tuſſit, niſi validè contracto pectore. Ergo cum talis contractio fiat per muſculos, liquet, tuſſim fieri per contractionem muſculorum intercoſtalium validam. Quæcunque igitur lædunt aſperam arteriam,& mica panis,vapor malus,frigus,gutta potus, aut olei in locum ingreſſa,pituita aceruatim deſcendens,aut ſalſa omnia tuſſim mouere poſſunt. Dicit etiā ibi, quod bifariā contingit,tuſſim eſſe validam,& parum externi: vel cum humor fuerit nimis lentus, & craſſus, vt non poſſit auelli, aut auulſus propelli:aut cum non potuerit ob tenuitatem nimiam colligi.Sed demiror de Galeno, qui duas adduxerit cauſas, cum ſint quatuor,prima eſt ergo earum,quæ addenda ſunt, cum materia nulla fuerit ibi, in pectore,quæ poſſit expelli: vt ſi tuſſis ſit ex ſola intemperie, vel vapore, aut vlcere paruo,& huiuſmodi. Secunda,cum materia non eſt in loco apto,ſed ab aliqua membrana prohibetur educi, vt in morbi lateralis, & peripneumoniæ initio, & in rupta ſuppuratione:& hoc eſt in caſu præſenti, materia enim refrigerata eſt extra pulmones. Ideo dicebat Galenus quinto de Locis (cap.3.) quòd vbi materia continetur in cauitatibus pectoris,opus eſt vehementi tuſſi, vt extrà propellatur,nam neceſſe eſt,vt ex ea cauitate quaſi collimando per ſpiritum intrò pellatur in bronchias,in ſpiritus in ipſis arteriis cōtenti dilatatas:nam ſecùs ſtatim ſubſidunt & clauduntur, in tuſſi ergo pulmonem dilatari neceſſe eſt,antè attracto aëre,& antequam concludatur, expelli ipſum pus in aſperæ arteriæ ramos.Et ideo in talibus motus tuſſis, perquam pus expuitur plerunque componitur ex quatuor motibus. Primus eſt attractionis aëris ad pulmones, & vſque ad pectus. Secundus compreſſionis repentinæ pectoris, per quam pus intruditur in aſperæ arteriæ ramos per bronchias. Tertius eſt repetita expulſio ex ramis aſperæ arteriæ vſque ad aſperæ arteriæ truncum. Quartus eſt per excreationem ex aſpera arteria in os. In valde autem robuſtis aliquando ſecundus motus, & tertius ſimul coniunguntur, & quandoque quartus: ſicut conuerſa ratione in debilibus,dū dilatatur pulmo, vt excipiat aërem, pro ſecundo motu relabitur apertis bronchiis denuo pus in cauitatem pectoris, & ita fruſtrantur ſputo:& ideo ſuppurari indigent magno robore facultatis animalis ad hoc,vt euadant.Duo ergo,mira in hoc obſeruanda ſunt.Primum, quòd cum pulmo concludatur,& bronchiæ concluſo pectore ſubito in illo,tamen momentaneo temporis ſpatio medio, quod eſt inter pectoris contractionem,& pulmonis,pulmo excipiat pus:& ideo opus eſt maxima celeritate in contractione. Secundum, quòd dum pulmo dilatatur,non relabatur materia attracta denuo in pectus per bronchias, maximè aëre attracto impellente:quo fit, vt nō poſſimus ſuſpicari, dū pulmo dilatatur,quòd materia attrahatur in pulmonē, more ſiphonum. Obſtant enim duo,primū,quia eſt apertè via ſuperior,vt nō poſſit attrahi materia vacui ratione, ſecundum, quia aër ſurſum attractus impellit pus infrà,quanto magis prohibebit,ne aſcendat.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

OCuli fiunt caui.

COMMENTARIVS.

HOc est vnum ex signis, quod peruasis legentibus, Hippocratem loqui de hecticis: dictum est autem in primo lib. (com. 6.) Nunc autem diffusiùs: quoniam Galenus docuit in libro de Dissectione musculorum (c. 5.) vnicuique oculo esse sex musculos ad mouendum, vnum autem dicit, siue dicas duos, aut tres in vnum coactos, seu vnum in duos, aut tres diuisum, nil refert, qui contineat oculum in sua sede. De hoc igitur primùm loqui oportet, nam hi sunt seu his, qui in basi oculi est, continetque oculum firmum, cum rem aliquam præsertim exiguam inspicere vult: nam qui mouent à lateribus, potius oculi positi sunt, vnus enim ad dextram, alter ad sinistram, tertius sursum, quartus deorsum oculum rectà, & per diametrum quasi inflectit, quintus per circulum rotat oculum ab angulo interiore ad exteriorem per superiorem partem: alter autem eodem modo, sed per inferiorem motu contrario, quanquam ambo hi sedem habeant in magno angulo interiore scilicet: & ad angulum, quem hypopion vocare solemus, id est, exteriorem, ac exiguum extendatur. Hoc verò declarauit apertiùs decimo de Vsu partium (capite 8.) dicens, quòd singuli horum in singulis palpebris positi sunt superiore atq; inferiore, terminanturque ad angulum minorem oculi, & circumuertunt ipsum. Sunt autem omnes præsertim ob hoc, vt etiam immoto capite circumspicere liceat, quò velimus: atque id præsertim necessarium est omnino, cum casu aliquo alterius oculi beneficio animal, seu homo priuatus est, tunc enim maximè opus est motu istorum musculorum: in vtentibus autem amborum oculorum lumine plurimùm commodi sunt hi motus. Vesalius libro secundo (cap. 11. fig. 2. litera N.) hos depingit. At verò discors est à Galeno in duobus: in quorum altero Galenum accusare licet, scilicet quòd musculos hos rotantes oculum in palpebris nasci velit, cum primùm ibi sint, qui palpebram superiorem mouet: tum quia non commodè id agerent, sed circumuertendo à sede propria auellerent, verùm à membrana duriore neruum visorium circumambiente, alter iuxta interiorem angulum, alter iuxta exteriorem exoritur. Atque inter hos (nunc redeo ad propositum) plurimus admodum adeps iacet, qui musculum illum, natum etiam ex membrana dura neruum visorium ambiente, magnúmque, adeò vt sex reliquos fermè solus corpore exæquet, circumambit. Hunc ergo implantatum toti parti fermè posteriori oculi, non solum continere, sed mouere contra Galeni sententiam oculum, contendit, de quo non habeo nunc, quod dicam. Sed sufficiat intellexisse, consumpto hoc adipe, contrahi musculos, primùm ambos circumagentes oculum, tum etiam continentem illum magnum, ob idque oculum ad sedem retrahi: inde verò oculum cauum reddi, neque enim natura frustrata multo adipe eas partes fulsit, nisi vt extensæ manerent: ergo eo consumpto, contrahi easdem necesse est. Quòd si etiam, vt decimo artis curandi (capite vlt.) habetur, caro musculi siccetur, humido in cauis partibus contento, magis etiam contrahetur: sed iam tum hectica aderit. Vltimum est, cum carne ipsa musculi consumpta etiam humidum, quo neruea pars musculi continetur, simul absumitur. In hoc ergo casu non de his duobus vltimis, sed de primo tantum, cum pinguedo scilicet sola periit, sermo habetur.

Reliquum est, vt videamus, cur ob ruptam suppurationem pinguedo illa celerrimè absumatur? Dico ergo, quòd oculi partes hoc modo conueniunt cum suppuratione, quoniam, vt habetur in septimo (cap. 4.) de Dogmate Platonis & Hippocratis, ventriculi cerebri inferiùs ad seipsos contorquentur: quod etiam superiùs declarauimus, ex quorum fine oriuntur nerui visi vi: & cauitas illorum in ipsos finiatur, quod dicit Galenus (lib. p. com. 24.) conspicuum est: si animal magnum statim, vt occidisti, dissecueris, & in clara luce conspexeris, apparebit foramen foramini commissum: vnde accidit, vt compresso vno oculo, alterius pupilla dilatetur, & statim dicit, quia spiritus redit ad ventriculos, atque ita in alterum neruum ingreditur, vnde constat, perpetuò neruos visiuos esse plenos spiritu illo. Cum ergo vapor saniosus deferatur per respirationem ad caput (vt secundo de Symptomatum causis (cap. 4.) & vt ego superiùs declaraui, vbi de cerebri motu locutus sum) cum ergo perpetuò feratur spiritus vitiosus ex pulmone, qui, dum dilatatur, trahit vapores ex pure, dum constringitur, transmittit ad ventriculos cerebri, necesse est impleri neruos visiuos illo putrido halitu: & ita bifariam oculos fieri concauos, scilicet siccato humore cristalloide, seu vitreo, & liquefacta pinguedine musculorum prædictorum. Ex quo patet, in his & visum affici, & mentem, sed non multùm, nisi cum rursus putruerit, vt postea dicam, & tertia consumptio in ambitu oculi, & ideo cauitas oculorum præter solitum etiam in sanis est valde malum signum: & contrà in senibus acutè cernere, bonum signum admodum, & longeuæ vitæ.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

MAlæ verò rubent.

COMMENTARIVS.

DIcit Galenus, quòd hoc accidit ob calorem & tussim: nam sursum vapores feruntur, & certè rubræ genæ in omnibus affectibus calidis pulmonis apparent: sed in peripneumonia tota gena, seu mala, aut maior pars, in phthisicis autem, & suppuratis solùm pars illa, quæ solet dici pomum, & est acumen malæ cum parte exigua iuxta nasum, rubet non nitido colore, sed flauo, qui color etiam vndique circumstat illud spatium, quod rubet. Dico, quòd tota facies

chlora est, id est flaua, subuiridis, & obscura: & si hoc est ob vapores, & tussim, cur ergo non est talis in morbo laterali, & destillationibus cum febre, in quibus adest tussis, & vapores? deinde, cur illa pars tantum exigua? Et constat, quòd Galenus hæc non vidit, neque etiam multominus intellexit, nam huiusmodi si non videas, non intelliges: & etiam quod videas, non est necesse, vt intelligas, imo contingit, vt aberres: quanto ergo minùs, cum non videris. Rationem inuenire oportet, cur pulmone affecto, rubeant genæ: & si corruptio tabida sit, solum malæ (Malas à malo deduco, seu pomo, & est apex genarum, & pars rotunda: non aliter, quàm cur affectis membris generationis, afficiatur pectus, atque vicissim, nam huiusmodi rationes ad scientiam sunt necessariæ. Et ego solitus sum phthisicum, & suppuratum, quamprocul agnoscere ex solo aspectu, nam si rubent paululum malæ, totus faciei color luridus est, caui oculi, pupilla obscura, iam scio esse, qualem diximus, quòd si cum hoc macilentus est, collo gracili, ambulat lentè, tristis est vultu, iam confirmatus sum, sed si cum hoc tussicula per interualla laborat, nec quicquam spuit, aut liquidum valde, & sitit, iam dubius non sum amplius, vsque adeò vt pronunciare audeam, hominem phthisi laborare, aut confirmata suppuratio est.

Vanum est, imprimis cogitare, sine venis ruborem adesse, nisi ex ictu, vel erysipelate. Nam rubri sunt duo humores: bilis in sanguine, & sanguis. Ictus autem violenter sanguinem trahit: malarum etiam cutis tenuissima est, cur ergo ibi solum rubor? nam sanguinem statim corrumpi, circumuallatô corde à pure, haud dubium est: ideo in pulmonia nondum flauescit vultus, quoniam nondum corruptus est sanguis, sed corrumpitur, necesse est igitur vultus colorem in phthisi, & supporatis, esse luridum: in morbo laterali non ita, neque enim pectus tantum vel venis, vel propinquitate, vel actione cum corde consentit, quantum pulmo. Pulmo cingit cor, & maximè sui parte media: eius motu spiritū in illud immittit ad eius nutritionem, atq; refrigeratione. Et duo vasa ab illo excipit: arteriā venalē, & venam arterialē.

Quocirca, vt dixi, quæstio sola superest, cur non totus vultus hoc rubore laboret? & cur in pulmonis affectibus? quæ enim de his demonstrauimus, huc solum spectant, vt doceamus, cur non ex aliis morbis hoc contingat, qui aut vehementiores sunt pulmonis morbis, aut illis affines. Causa ergo est, quod dicebat Galenus, vndecimo de Vsu partium (cap. 14.) cum pili sint ad ornamentum, & ad tutelam partis à frigore, ideo Natura mentum in viris, & genas illis ornauit, at in naso, & malis non erat hoc decens, quoniam ferina facies fuisset, non humana: propterea nasum spiritus calore muniuit ob frigus, & malas ossis magnitudine. Cum ergo ibi cutis ob id sit tenuissima, propterea sanguis ille ibi efflorescit, non in alia parte vultus. Conuenit autem in huiusmodi morbis, vt vapor, qui forás effertur, sit non solùm calidus, sed corruptus: vnde etiam his accidunt aphtæ in ore. Hippocrates illud innuit sexta Aphorismorum (19.) cum dixit Genæ particula tenuis non coalescit) intellexit genæ cutim tenuem, cui subsidet membrana tenuis, est autem iugalis ossis extremum: vt Vesalius docet libro primo (c. 7.) atque secundo (c. 13. & 14.) Et Valuerda in sexto libro (Fig. 2. lit. Z.) declarat venam iugularem in malo (sic enim à rotunditate ea pars faciei nominatur) diuidi, vt pars ad interiorem angulum nasi procedat, alia tendat ad tempus ipsum. Vnde fit, vt cum maximus ramus ad exteriorem nasi partem procedat, iuxta angulum lachrymalem, vt huiusmodi empycis tumeant non minùs venæ iuxta nasum, quàm malæ rubeant. Pars enim sanguinis calidior iugularis exterior ad faciem effertur ob leuitatem: & cum magnus sit ille ramus, ac manifestus, vt implet venam nasi, ita colorat malum tenui tantum obductum cute. Vbi enim diuitur vena, semper est latior, vt etiam flumina, consilio id natura fecit vt hominem exornaret, super malum autem exigua solum pinguedo cum perioso & membrana pingui superest: inde, vt dixi, tenuis ipsa cutis efficit, vt vena in cute locum habeat: & cum sit ampla, rubescant genæ: pulchrior pars faciei.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

VNgues manuum incuruantur: digiti incalescunt, & potissimùm somni.

COMMENTARIVS.

HOc est sextum signum, propter quod præcipuè credidêre Hippocratem loqui de tabidis iam factis, seu phthisicis. Vnde Galenus ait, digitos non exterius in phthisicis calere, sed intus in carnosa parte: quia humidior est, & vt per cibum accenditur calor, velut in calce, superfusa aqua: ita in phthisicis. Dum verò calor perpetuò viget in parte interiore, dubium non est contrahi in eandem partem digitorum summam partem (quod haud dubium est) & exinde vngues incuruari. Hic Galenus proponit quatuor, è quibus vnum tantum est perspicuum, reliqua tria plus habent difficultatis, quàm vellem. Primum, scilicet quare summæ digitorum partes magis, quàm reliqua incalescant? Deinde, quare magis carnosa pars, quia humidior? nihil enim humido mēbri antiquo cum aqua, quæ nuper calci superfusa est. Tertium etiam est obscurissimum cum absumpta carne musculi, in summo digiti nodus incuruetur, non vnguis? sicut in me apertè est manifestum: qui cum exilierim è Carpento currente, læsus in musculo interiore digiti medij manus dextræ incuruata vltima parte secundum articulum vnguis nulla ex parte tamen contractus est, sed rectus manet iam plus sedecim mensibus. Propterea nollem, vt Galenus multa simul congerendo, vt aliquid videretur, diceret, palpum, vt dici solet, nobis obtruderet, nam nihil horum, meo iudicio, docere videtur, etsi videantur omnia plana, & manifesta. Quapropter aliam nobis, vt video,

video, causam inuenire oportet, etiamsi quod propositum est, plenè admitteretur, scilicet quòd hectici essent empyci: quòd tamen falsum est, & quòd in hecticis calor à cibo augeretur, quasi superfusa calci aqua de quo in quarto Contradicentium (69.) ex hoc loco disputatum est.

Iam verò hic vir non vidit, quod accidit Augusto Iacobo medico Papiensi, siue malis, Ticinensi, amico meo, is enim factus empyeus, & ab omnibus tabificus creditus, tandem conualuit, superuixitque annis permultis supra duodecim sanè, quo tempore etiam filios non paucos suscepit, sine tussi, perpetuò lætus admodum, & boni coloris, atque habitus: præter id, quod vngues omnes ei remanserunt incurui, velut auium rapacium, nec tamen æqualiter, caro verò digitorum interior summa tantum aberat, vt consumpta videretur, vt etiam malleorum instar, aut clauorum haberetur, rotunda scilicet, & multò crassior, quàm cæteris, hominibus, & quàm antea foret, cum nondum empyemate laborasset, tales ergo fuerant, dum morbo correptus esset, & postquam morbo liber euasit, in nullo inuicem differentes, nisi quòd morbi tempore calescebant valde: vbi à morbo euasit, erant, vt reliquorum hominum, quod ad calorem attinebat. Ergo dubium non est, inflecti vngues empycorum, non quia tabidi, nec eo modo crescente calore, velut in calce superfusa aqua, nec quòd, vt Ille inquit, caro eos firmans, consumatur: neque enim vt dixi, ob siccitatem accidit, sed quòd omnis vaporosi caloris extrema pars est summa, cum in illa colligatur, & quantò carnosior, eò calidior, quoniam & sanitatis tempore talis est. Vngues igitur non ob siccitatem, sed caliditatem flectuntur, vt cornua & coria: nam coria & ligna viridia prope ignem, antequàm siccentur, flectuntur. Obscurum autem non est, trifariam in hoc aberrare.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

In pedibus fiunt œdemata.

COMMENTARIVS.

Calor naturalis corruptus alimentum corrumpit, vt alendis membris idoneum non sit: ideo cur œdemata fiant perspicuum est, cur in pedibus? dicunt, quia ibi calor est debilis, at non omnibus debilis est imò calent pedes: deinde non ob debilitatem, sed ob corruptionem tument pedes. Dicit Hippocrates, fiunt œdemata non ob leucophlegmatiam, seu albam pituitam. Error hic magnus est, & causa obscura, sed de parua re, nam parùm refert scire, cur ita sit, modò sciamus, quòd ita sit. Cur tamen ita sit, scire non parui est negocij, vt Galenus existimat, igitur non ob id ibi œdemata fiunt: sed quoniam natura quodcunque inuenit crassum, alimentum, atque corruptum, id totum protrudit ad longinquissimas partes, quales sunt pedes, atque inferiùs, non ergo gignuntur œdemata ibi, sed colliguntur. Indicio est, quòd non alio in membro, nec ipsi macilentiores cæteris partibus euadant? Dicit Hippocrates in secundo de Morbis (pagina 16.) quòd pedes & oculorum cauitates intumescunt ante quintumdecimum diem: sicut & quòd tussis, & febris augeatur. Vnde clarum est, quod hic non loquitur de tabidis. Est autem maximè ad propositum, vt ea hîc subiiciam, quæ contigisse refert Harpallidæ sorori Hippocrates, septimo Epidemiorum (pagin. 4.) his verbis: Harpallidæ sorori prægnanti circa quartum, aut quintum mensem, tumores circa pedes aquosi fiebant, & oculorum cauæ partes intumescebant, & totum corpus in tumorem eleuatum erat, velut in pituita alba affectis, tussis sicca, rectæ ceruicis spiratio, & eiusmodi anhelatio, & quandoque strangulationes à spiritu, vt sedens in lecto perseueraret: decumbere autem non poterat, sed etiamsi qua somni expectatio esset desidebat. Sine febre erat leniter, & fœtus ad plurimum tempus immobilis erat, veluti corruptus, & translabebatur, comitabatur autem anhelatio ferè ad duos menses. At cum fabis melle admisto, & ecligmate mellis vsa esset, & Æthiopicum cuminum in vino bibisset, meliùs habuit. Postea tussiendo eduxit multa matura pituitosa alba, & spiratio illa cessauit: peperit autem fœmellam.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

Cibos non appetunt.

COMMENTARIVS.

Non appetere cibos ob defectum facultatis naturalis in his contingit, in quibus mors est proxima. Quî enim fieri potest, vt cum hanc facultatem, si viuere debemus, conseruari oporteat, nulla esse possit, dum vita superstes est? Plantæ, cum non nutriuntur, per se adeò proximæ morti sunt, vt iam mortuæ dici possint. Deinde, quomodo, & à qua facultate restituentur? At functionem multipliciter impediri, haud absurdum est. Refert Gellius (libro 16. capite 3.) illud celebratum Erasistrati, triduana inedia corrumpi appetitum, cum priùs appetant: quod ob id contingit, quoniam prauus succus ad ventriculum trahitur. Est ἀσιτία inappetentia: ἀποσιτία autem cibi fastidium, cum oblatis cibis vti non possunt, primo in primum de Morbis vulgaribus (com. 29.) vbi docet tabidos factos ἀπόσιτους ob portionem materiæ, quæ ad pectus cum maiore ex parte deflueret, in ventriculum per gulam diuerteret. Est autem vis illa ex epate, vt Galenus in libro de Facultatibus nostrum corpus dispensantibus, quem iniustè inter spurios reposuerunt cum aliis quibusdam. Sed & in primo super tertium Epidemiorum (com. 13. ante diuisionem,) id docet, quod facilè demonstrari potest. Nam omnis actio

vel est generalis vnicuique parti, vt viuere, nutriri: vel est propria, vt oculo videre: vel est à membro principali, vt pulsare, sentire, vnum à corde, aliud à cerebro, at appetere cibum, ac id cognoscere, omnino est à neruis sextiparis in ventriculo: appetere autem, id est attrahere, non est facultatis vitalis, quoniam non est per motum arteriarum, nec per virtutem cerebri, quia non est cum cognitione: nec vniuersalis actio toti corpori, prout appetit, in aliorum commodum relinquitur: ergo vt sit propria ventriculo, aut iecori, sed non potest esse propria ventriculo, quia vel non esset in iecore: hoc autem falsum est, vel ventriculus esset principale, & iecur inseruiens: quod est absurdum: Hoc cogimur dicere propter Galenum, qui posuit in vnaquaque particula suum regimen, & vt à se ipsis gubernentur Os, cartilago, copula, membrana, glanda, adeps, & caro. (In arte medica cap. 9.) & expressè primo de locis (cap. 7.) vult, quòd venæ & arteriæ sint solum seruandæ, non influendæ facultatis causa: quia dicit, omnia membra habent suam propriam vim seruandi sese absque alterius virtute, sed indigent aliis membris, vt corde & iecore, ad conseruationem: sensum autem dicit, habent à cerebro, & mutuò, non ex se, ideo sensus sicut lumen aduenit, & diffunditur: reliqua autem per spiritum, & sanguinem. Hic quis non videt, quod errores sint, & totidem fermè, quot verba istius noui philosophi, voluit tamen aliud dicere, de quo aliâs agam. (In 2. floridorum.) Sed redeundo ad rem, clarum est, quòd in his functio solùm deprauatur, & deperditur ob viciniam malorum vaporum, nam si aliquis amittit appetitum cibi ob præsentiam rei fœdæ, sicut mihi quandoque contingit, vt lumbricũ in acetario viderim, qui vt credo, latuerat in lactuca: aliâs inueni in stipite cardui: Amicus noster dentem hominis in pane cocto. Ita in his fit, vt per præsentiam puris in pectore, cum prope os ventriculi ipsum sit, corrumpitur facultas illa, tales etiam, ob vapores malos distillationem patiantur, quæ in ventriculum fertur, commune est etiam omnium febrium ex materia id facere.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

ET phlyctenæ per corpus erumpunt. Quæcunque igitur ex suppurationibus prorogantur talia signa habent: & eis credere oportet.

COMMENTARIVS.

HOc est nouum, & vltimum signum: & videtur morbus quidam in palpebris, vt dicit Galenus, quarto de Victu in acutis (com. 63.) Galenus in introductorio, seu quiuis alius fuerit (cap. 15.) inquit: Phlyctenam vocant, vbi per exulcerationem, vel etiam sine hac exterior ceratoidis tunicæ membrana tenuissima, & sublimis elata intra se humorem collegerit, aut sub tunicæ spatio crassior humor currens phlyctenam pariat. Græcè certè φλυκταιναι ανὰ τὸ σῶμα. In alio ergo sensu excipit Hippocrat. Cornelius Celsus (lib. 5. de Pustularum generibus,) hæc habet: Nonnunquam plures similes variis oriuntur, nonnunquam maiores pustulæ liuidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato, subestque his humor. Vbi hæ ruptæ sint, infrà quasi vlcerata caro apparet φλυκταιναι Græcè nominatur) fiunt vel ex frigore, vel ex igne, vel ex medicamentis. Paulus (lib. 3. cap. 22.) eas numerat inter tumores, seu pustulas corneæ membranæ, vbi agit de oculis purulentis. Idem pòst de eisdem agit, tanquam pustulis in corpore natis, non oculo propriis, curans eas emplastris calidis actu, quæ oculo minimè conuenirent. In eadem sententia est Galenus (in quarto lib. capite 10.) ex sententia Hippocratis declarans, per phlyctenas quid debeat intelligi: sunt autem in secundo Epidemiorum (sect. prim. in princ.) Subnascebantur quidem in cute sanies: dum autem intero concipiebantur, calescebant, & pruritum inducebant: deinde pustulæ, velut ab igne inustæ excitabantur: & sub cutem, vti sibi videbantur, superest, vt dicamus, qua de causa pustulæ istæ in empycis generentur? est autem communis generatio pustularum ex tribus, vt materia colligatur, & non in vnum multa, & vt ad cutem protrudatur. Pustulas pruriginosas fieri plurimas in Vere iam docuit tertia Aphorismorum (20.) Dicebat ibi Galenus, quòd calor aëris fungitur in Vere vice exercitationis, auocans à profundo corporis humores, & educens ad cutim, efficitque scabiem, & pustulas: exemplum huius ascripsit septimo Epidemiorum (pag. 11.) de Andrea laborante tertiana, cui circa vigesimam quintam diem apparuerunt per totum corpus pustulæ pruriginosæ, calidæ, fiunt etiam ex lassitudinibus: quæ si non vehementes fuerint, ad septimam perueniunt liuidæ. Fiunt & lethales: quarum exemplum habetur septimo Epidemiorum (4. Epid. pagin. 5.) vt in Timonactis filio, qui passus est pustulas in ventre, lumbis, & cruribus cum tumoribus rubris, & ita, cum dispauissent, incidit in conuulsiones absque febre, & mortuus est: erat autem bimestris. Ad hoc etiam propositum facit, quod dicitur in Coacis prædictionibus, pustularum eruptiones velut ferro lancinnatæ habitus tabem significant. Et ibidem (pag. 19.) Quibus in febribus continuis pustulæ pruriginosæ erũpunt, lethale est, nisi ad aures abscessus eruptio fiat, cuius causam inuenire oportet tametsi suo loco diffusè enarranda sit, sed & in capitis vulneribus, sunt autem lethales maximè. Apparent autem, cum os capitis putrefactum fuerit, & suppuratum ex vulnere, vel contusione, vt apparent in lingua. Ideo videndum est de illarũ causis. Cum materia est mediocris crassitudinis, & calor mediocris, aut calor magnus, & materia crassa, tunc emittuntur pustulæ ex profundo, natura se expurgante, & sunt signum salutis, indicium est alleuiatio morbi, & symptomatum. Sed si materia illa non sit diuisa à ca-

lore naturali, vt quia lenta sit, aut expulsio præueniat actionem caloris, loco pustularum eiicitur tumor, & fit phlegmon, aut aliquid simile: materia enim serosa maximè causa est diuisionis, & exitus ad cutem. Est alius modus pustularum, cum nil eiicitur, sed ex immodico feruore aduritur cutis, sicut ab igne: & tunc æger non alleuatur, & est signum maximi incendij, & perniciosum. Quæ autem ad linguam ex capitis vulneribus fiunt, cum putrescunt ob destillationem, accidunt iam corrupto cerebro, ideoque mors propè est, aliæ autem fiunt in lingua ob ventriculi materiam corruptam in eo contentam, cum sit vnica tunica, nec habent insignem significationem, si tamen totum os & gula occupata sint, vt non possit potum deglutire, indicium hoc est argenti viui destillati assumpti, aut auri pygmenti albi, in magna quantitate sumpti: vt in patre meo, & si euadant, dentes cadere solent: vt in eo contigit. In his autem, in quibus veneni suspicio abest, tria præcipuè considerare oportet. Colorem: nam albæ à pituita salsa, vel acri fiunt: nam à simplici non possunt fieri: rubræ à bile, si splendidæ fuerint, aliæ è iecore, sanguineæque sunt, nigræ verò lethales, quoniam ab atra bile fiunt, seu quæ iecori dominetur, seu quæ in ventriculo similem noxam pepererit, vna enim tunica est vtriusque, vnde puer ille septenis, de quo mentionem feci in nostris Epidemiis, breui interiit. Secundum est, quòd tales nutrire non oportet; cùm enim dictum sit ab Hippocrate (2. Aphor. 10.) Non pura corpora, quantò magis nutries, tantò magis lædes: docui in Commentariis de his præcipuè esse intelligendum, aliter oporteret tollere curam omnem Epicrasticam. Tertium est, quòd huiusmodi quam celerrimè cassia nigra, & speciebus hiere præsertim euacuare expedit. Cæterùm, vt ad rem redeam, eadem est causa in suppuratis sudoris, & pustularum, corruptio sanguinis ob coctionis impedimentum: feruor circa cor, dixi enim superiùs, cor esse causam sudoris: cum ergo materia non fuerit adeò tenuis, vt possit per meatus cutis exire, sed impegerit in cutim, si tenuissima fuerit, solet eleuare solam epidermidem: sin autem fuerit crassior, fit vera pustula crassior, & rubicundior, nam prior vocatur sudamen, vt aliàs declaraui in tertia Aphorismorum (21.) Et de his in libro de Aëre, Aquis, & locis (pagina tertia) vbi inquit, quòd in locis, vbi sunt expositi ventis calidis, & meridiei, atque occidenti, quique bibunt aquas palustres, aut lacustres hyeme, quibus capita sunt imbecillia, apparent pustulæ nocturnæ, & hoc loco peripneumoniarum, & morborum lateralium, & febrium ardentium, ac reliquorum acutorum morborum, non fiunt habentibus aluos liquidas, vt isti habent. Quæcunque igitur.) Docet hæc intelligenda esse de iamdiu suppuratis: id tempus non definiuit, quia post quadragesimum diem semper intelligi debet, quinta Aphorismorum (15.) sed & persæpe, cum morbus prauus est, & pus retinetur, nam breui etiam hæc apparent: ab initio autem statim, & vsque ad quintamdecimam diem ex tertio morbis nunquam imò dicit alleuiantur. Aggrauantur ergo, cum parum expuunt: alij quidem statim, qui valde parum expuunt: alij seriùs, cum ab initio multum expuerint: omnes autem post quadragesimam diem, cum non fuerint expurgati. Vnde intelligendum est pus ipsum, postquam eruperit in cauum pectoris, denuo aliud putredinis genus acquirere, ac repu-trescere, quod aliquando in melius vertit, cum materia illa non fuerit concocta ob multitudinem & crassitiem tunicæ pectoris: fuerit tamen fermè tota sanguinea, & pituitosa, atque humida. Sed plerunque in deterius vergit, atque corrumpitur, cum fuerit biliosa, aut melancholica, & virulenta, etiam quòd ab initio maiorem salutis spem dederit: & ideo tales erumpere celeriùs solent. Ob hæc igitur manifestum est, cur Hippocrates celeres suppurationes ruptas magis damnat, quàm tardas, adeò vt illas, quæ ante quartum decimum diem rumpuntur, aut in ipsa die quartadecima reformidet, & lethales esse pronunciet, vt vix cum omnibus etiam bonis signis aliquis seruari possit. Constat etiam ex his, esse tria genera purulenti sputi.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

QVæcunque verò recentes sunt per hæc innotescent, si quid apparuerit eorum, quæ in principio fiunt simul autem & si difficilius spirauerit homo.

COMMENTARIVS.

REm abundè claram, & facillimam adeò inuoluit Galenus, vt qui etiam hunc textum præcedenti copulauerit, vt Vega, diu, & meritò torqueatur, vt se ab hac difficultate explicet. Clara admodum est Galeni oscitantia: nec meum est toties refellere eum, qui semetipsum conuincit, cum enim Hippocrates signa suppurationis superiùs tradiderit, ipse ad eruptionem suppurationis illa signa refert: cum alia signa sint, & eruptio posterior sit multò suppuratione viginti, aut vsque ad sexaginta dies, quemadmodum ibi, & paulo antè (Tex. 18.) dictum est. Sed iam sensum explicemus. Vult ergo, vt calor, & pondus exploretur, provt suprà (Tex. 20.) visum est. Hæc enim signa principio apparent. Addit, quòd homo difficiliùs spiret, non inquam, quàm antea, sed plus, quàm dum sanus esset, cum conualescere debeat, nam præterito tempore lateralis morbi, aut peripneumoniæ non tam necesse est, finiri febrem, quàm difficilem spirationem, si non ad suppurationem morbus transierit. At obiicies meritò, cum quartusdecimus dies sit terminus lateralis morbi, quem si pertransierit, ad suppurationem vertitur (quinta, Aphorismorum) quomodo eruptio necessaria est?

est? Pro quo diximus in quarto Contradicentium. (70.)

PROGNOSTICON LXII.

QVæ verò ex eis celeriùs, aut tardiùs rumpuntur, his signis cognoscere oportet. Si dolor ab initio fiat, & difficultas respirandi, & tussis, & excreatio perseueret, eruptionem sperare oportet vigesimo die, & adhuc antè: si verò dolor mitior fuerit, & reliqua omnia secundum rationem, in his posteriùs eruptio speranda est. Præcedere autem necesse est ante puris eruptionem dolorem, difficultatem respirandi, & screationem.

COMMENTARIVS.

QVatuor signa enumerat celeris eruptionis, dolorem, tussim, spirandi difficultatem, & screatum: quæ omnia habent euidentem rationem. Nam magnitudo doloris accidit ob inflammationis magnitudinem, aut humorem erodentem aut materiæ multitudinem, quæcunque fuerit ex his causis, dubium non est, futuram celeriorem eruptionem, quàm si adessent contraria. Spirandi quoque difficultas adest, vel cum inflammatio fuerit in pulmonibus, aut magna inflammatio, aut materia multa, quodcunque rursus horum fuerit, celerem significat futuram suppurationem, rursus tussis valida significat celerem eruptionem, quia frangit membranam vehementi motu: & hoc est ratione causæ, & etiam, quia significat causam molestiæ, id est putredinem, & materiam. Circa quod animaduertendum, quòd tussis valida, & vehemens in omnibus passionibus pectoris est signum salutis valde potens: & vidi omnes euasisse: non enim recordor de aliquo, qui obierit, & habet causam satis manifestam, nam robustam facultatem pulmonis hæc ostendunt: etiam cum tussis sit propria passio pulmonis, & proprius modus purgandi materiam contentam in pectore. Ideo nullum est certius signum salutis in huiusmodi valida tussi: in qua oculi videntur quasi eiici: caput dolet: totum pectus valido motu concutitur. Contrà perniciosissima est tussis, in qua interiora pectoris, velut saccus vitri fracti strident, & tamen pectus parum attollitur, hi enim non procul à morte sunt. Quartum signum est screatus, qui copiosus cum sit, superari materiam à calore ostendit, & tunicam esse tenuem, nam secùs non posset adeò multus resudare: quare talibus spes est, celeriter abrumpi abscessum.

PROGNOSTICON LXIII.

EX his autem maximè superstites manent hi, quos febris eodem post eruptionem die dimiserit, & qui cibos citò appetiuerint, & à siti liberati fuerint: & si venter parua & compacta egesserit: & pus album, & leue, & eiusdem coloris fuerit, & à pituita liberum, & citra dolorem, ac tussim fortem repurgetur. Ac optimè quidem sit, ac celerrimè liberantur, sin minùs hi quibus proxima his contigerint. At verò intereunt hi, quos febris non dimiserit, aut vbi ipsos dimisisse putata fuit, rursus recalescens apparuerit, & qui sitim quidem habuerint, cibos autem non appetiuerint, & si venter liquidus fuerit, & pus pallidum, siue viride, & liuidum expuerint, aut pituitosum, & spumosum: si hæc omnia contigerint, pereunt, quibus verò ex his quædam accesserint, quædam non, horum aliqui intereunt, aliqui in multo tempore superstites euadunt. Verùm ex omnibus signis, quæ adsunt, tum in his, tum in aliis omnibus, coniecturam facere oportet.

COMMENTARIVS.

MOs est expositorum quidam absurdus, vt meliores videantur interpretes, quem præcipuè & Galenus, & Auerroes secuti sunt, vt vbi breuissimè aliquid ab authore describitur, ipsi immensa faciant commentaria: vbi vero res quasi ex intento, & diligenter tractatur, ac satis diffusè, ipsi, vt videantur industri, & perbreues, nihil dicunt, atque id multis de causis longè aliis, quam his, quas præferunt, faciunt, & prima quidem est, vt videantur eruditissimi: alia, vt quoniam impetu quodam animi, non recta ratione, feruntur: tertia, quod multa, quæ non intelligunt, hoc prætextu velant: quarta, vt laborem fugiant: quinta, quod ordinem non assequuntur, qui certè, vt in proxeneta dixi, vt est res vtilissima, & ad intelligentiam difficiliorum rerum maximè accommodata, ita etiam difficillima, vt nulla sit difficilior. At mihi longè aliter faciendum esse videtur, cum in authoribus exponendis, qui rectam rationem scribendi secuti sunt, quales fuere Ptolomeus, Aristoteles & Hippocrates, quòd non ob aliam causam longiores sint, quàm vel ob obscuritatem, vel ob vtilitatem, vel ob modum docendi rei: siquidem dubium non est, necesse fore in obscuris vt longiores simus, aut cum res valde vtilis est: id enim commodum, aut cum docere volumus modum quempiam

quempiam peragendæ rei:id enim præstiterit vtilitatis causa. Quòd si ita est, cur nos non eandem rationem sequimur? Neque enim fieri potest, vt in multis obscuris explicandis multa obscura non supersint,& in multis,quæ ad vtilitatem pertinent magnam multa vtilia non desiderentur, cum non doceat imitari quosdã, qui neglectis vtilibus, nescio ratione,ad res exiguas,ad quæstiones ancipites, ad spinosas controuersias se transferunt. Vita breuis est, vt benè dicebat Hippocrates, disciplinæ plures, atque longæ. Tamdiu immorandum in inutilibus censeo, quantum superest temporis à cognitione necessariorum, & vtilium: quod si quis rectè pensitarit, nullum futurum existimo. At si modò tantum nos contemplatio delectat, videtur etiam vtilium esse,veluti diuinorum per quæ diuini & nos simus: similiter & in tradendis modis, quis potest nimis esse prolixus, cum vel sic sæpius aberrent homines, quàm rectè agant, neque confidant, quod Prætori non subiiciantur cædes ægrorum, aut beneficium,id potius cogitent,se hominem occidere pro quo velint nolintve (ac nugis quantiscunque agant) supplicio capitali(etsi carnifex desit)se dignos intelligunt, quid postmodum, quòd fidei suæ creditum hominem,quòd amicũ, persæpe etiam suos, tam dominos, quàm necessarios occidunt, quid verò crudelius excogitari potest,quàm ob contentionem patres filiis,& fratres fratribus spoliare? At nonne incredibili flagitio flagrant, qui non solum in his peccant, sed ob ambitionem peccare docent falsas opiniones defendendo. Quamobrem ignoscat mihi benignus lector, si longiorem me præstitero hac in parte, quam Galenus claram esse dicit (mihi sanè est obscurissima) prolixus fuero, nam adeò grauem esse sententiam Hippocratis arbitror, vt vix quicquam obscurius in toto Opere illius esse putem. Sed iam rem aggrediamur.

Proponit Hippocrates sex signa eorum suppuratorum, qui superesse debent, quibus totidem describit illorum,qui interituri sunt opposita prioribus, quod sanè ratione euidenti non caret: sicut neque illud, quod ex mistione bonorum prauorumque signorum morbos difficillimos, si tamen bonum habituri sint finem,ab his,qui malum, secernere liceat, hoc totum perspicuum est, si id ego addidero, duplicem esse adhibendam curationem in huiusmodi, quemadmodum & aliàs dixi, vt non numero signa sint pensanda, sed magnitudine, ac robore, cum quibus maximè conuenit proprietas signi seu symptomatis, velut in huiusmodi: prout etiam in Commentario antecedente dixi,maius est longè iudicium ex firmitate pectoris, quàm ex magnitudine,vel paruitate febris,vel difficultatis spirandi,ac multò magis appetentiæ ciborum,aut paruitatis sitis,vel eiusdem magnitudinis. Alterum, de quo commonefacere lectorem oportet,est,vt animaduertat signa lethalia pari ratione, ac mensura data validiora esse longè signis salutis, hoc enim generale est in omnibus morbis maximis: sicut contrarium in minimis. Illud quoque obseruandum est, Hippocratem hunc morbum statuere inter illos, qui ad vnguem in medio sunt constitui,inter mortem,atque salutem. Præterea & illud non omittemus, quòd in signis naturalibus id semper verum est,atque in eis maximè confidit Hippocrates: vt etiam in secundo de Prædictione clarum est,exemplo sumpto ab aqua intercute, & à tabidis, tum verò quibuscunque aliis morbis, quod etiam visum est suprà in primo libro, morbos quosuis tantò securiores, & faciliores esse quantò status totius corporis, singulorúmque membrorum, maximeque necessariorum ad vitam, aut affectui propriorum, vt in suppuratis pulmo,& pectus, simillimus fuerit sano homini: & non solùm sano homini,sed sano illi homini contrà periculosissimus,aut difficillimus, quantò magis recesserit à naturali,ac proprio statu,atque habitu. Vnde illud etiam coniicere licet, quod superiùs dixi, homines sanos debere habere duram aluum, & non liquidam secundum naturam,vt isti nugantur:impossibile est enim habere fæces liquidas, vt mẽbra naturalia valida atque robusta sint, aut ille non pluri,vel incongruo cibo vtatur, ex quorum alterutro quid boni sperari potest ad vitæ integram firmitatem, atque longitudinem? sed cum vniuersalis doctrina speciali præponenda sit, neque illud omittere volo, quod ad amplificandam Hippocratis doctrinam,atque præcepta hic congruit,scilicet hoc ipsum: tres omnino esse morbos adeo similes in hoc casu, vt vix discerni queant,ob idq; quæ laudantur in vno,etiam probanda sunt in aliis, atque vice versa, hi sunt,vt planè rem distinguam (neque enim tam clare loqui posse speto, vt exactè satisfaciam) certè vt planius locutum me non esse velim:scilicet suppuratio ex abscessu in membrana subcingente costas, quam pleuram vocant, & in peripneumonia (abscessu scilicet pulmonis)& in abscessu diaphratandes,& septi transuersi,& pericardij,totidem enim modis (quos tamen sub vno comprehendo) fiunt inflammationes pectoris interiores, & quæ tandem solent suppurare, inde rumpi: secundus autem est tabidorum: nam & hi pus spuunt, & copiosum, tertius autem est,quoties fluxio è capite magna pituitæ descendit ad eas regiones pectoris, & putrescit.

Quibus visis, deuenio ad declarationem textus per singulas partes,ac generaliter. Generaliter intendit docere quadruplicem exitum,atque conditionem suppuratorũ. Vnus est eorum,qui facilè,& breui seruantur:alius eorum, qui tardè, & cum difficultate euadunt: tertius illorum, qui diu superuiuunt, moriuntur tamen tandem: quartus illorum, qui breui pereunt. Cum omnibus enim sex signis bonis breui liberantur: cum maiori parte bonorum signorum ac validioribus seruantur,sed ægrè: sed si superauerint mala,morientur,licet non tam citò:& cum omnibus malis signis morientur breui. Et iuxta hæc genera, & varietatem temperaturæ sexus magnitudinis morbi, obedientiam ægri, vires, consuetudinem anni, tempus & constitutionem, & sexcenta alia, licebit innumeras differentias constituere temporum

decem,

decem, viginti, quadraginta, & vsque ad centum: triginta dies mortis aut salutis.

Enumerat ergo illa: & quædam, quæ data, sunt manifesta, & quædam obscura, declarabo primum manifesta, deinde obscura. Qui ergo cibos citiùs appetunt in longo morbo, meritò, cum id eis contingat, sperare salutem debent, dicente Hippocrate, septima Aphorismorum (7.) In morbis diuturnis fastidium cibi malum. Quo enim tempore & magis sentire inanitionis stimulum, & illius damna reficere oportet, nec sentire, nec reficere posse, malum est signum, & malus effectus, seu causa, contrà sentire, & occurrere, bonum. Sitis quoque inexhausta, mala: non sitire, significat nec humidum deesse, nec, qui superest, esse corruptum.

Et venter pauca, & constantia dimittit.) Facta enim conuenienti distributione, exinanitur venter, atque siccatur: ob idque pauca, & constantia dimittit, quoniam idem consuetum est sanis.

Et pus album leue vniusque coloris) Hoc est, quòd sit æquale: idemque fœtidum non erit, hoc enim salutare est, cum prædominari naturam indicet, vt in secundo libro diximus: facilémque morbum fore indicat, ac breuem. Validissimas enim vires facultatis naturalis ostendit: quocirca & animalis, & vitalis, vnde expulsio fit: nam tussis, quatenus est motus ex pulmone, est opus facultatis vitalis: quatenus perficitur per musculos pectoris, animalis: quatenus noxij expultrix, naturalis.

Sine dolore) Nullus propemodum est dolor, quin pulmo paruo sensu præditus est, subiacet septum transuersum parte, qua carneum maximè est, vbi etiam paruus sensus est, & pus iam excoctum est: locus pleuræ, per quem exiuit, cum iam mortuus sit ob putredinem, habet labia sensu carentia. Si ergo dolor adesset magnus necesse esset, vel ob nouam fluxionem accidere, vel ob retentam partem in loco, vel erosionem partis sanæ, aut demum ob nimiam concussionem, hæc omnia adeò mala sunt, vt si superueniant, vix euadere possit.

An verò id verum sit, quòd in iisdem diebus seruabuntur, qui optimè se habent, in quibus morientur, qui pessimè, vt videtur velle Hippocrates infrà (lib. 3. Tex. p. ex diuis. Gal.) Respondeo quod non: quia dictum illud Hippocratis intelligitur de morbis, qui vno cursu tendunt ad crisim. Nam in aliis vellem intelligere ab his egregiis expositoribus in eruptione praua, an æger possit seruari, & liberari eadem die? si sic, rectè auspicatos Medicinam dicam: & statim de hoc agetur: si non, an mori eadem die possit? si non, dicam curasse illic multos ægros, sed in paucis animaduertisse, quid accidat, si non? igitur celeriùs possunt seruari, quàm mori. Et, vt vno verbo dicam, cum sanatio fiat expuendo mors per suffocationem, aut transmutationem: vna quidem celeriùs occidere potest, altera multò seriùs. Præterea qui sanantur, sanantur omnes intra quadraginta dies: qui moriuntur ex tabe, plerunque æstatis fine, aut in autumno sequente: hic autem plus multò abesse potest, & ideo falsa est illius expositio. Sed ad genera solum referenda sunt verba Hippocratis (citò seruari) quod tamen est tardius, quam citò mori: & serò sanari, quod tamen sit multò antè quàm mors tarda eueniat.

Nunc accedamus ad illa, quæ nescio, an cæcutientes non viderint, aut videntes præterierint. Et primum est illud, quòd febris eodem die post eruptionem dimittat, idque esset in die minime iudicatoria. Sed facessant hæ Galeni nugæ loco tantorum vtilium, cur febris non dimittat eadem die, in qua fit eruptio? an forsan intelligendus sit, vt dimittat eandem die, in qua fit eruptio post eruptionem, quæ interpretatio, vt est verisimilior, ita etiam non magna fiet iactura ex hoc errore. Videamus, quare febris abscedat & quæ febris, & an plenè abscedat? De febris igitur genere, quæ abscessus iam suppuratos comitatur, aliàs ostendimus (4. Contr. 68.) esse putridam, & cuiusmodi putrida sit, cum ergo fundamentum illius sit in putredine, quæ fit & in materia conclusa, & continuata ad cor vsque, vt ibi declaraui, per venas & arterias: ibi verò non amplius putrescet, sed iam putruerit, nec fit continua per venas, & arterias cordi, ideo vbi primùm effusa fuerit materia in concauitate pectoris, cessat febris intra viginti quatuor horas si nil fit, quod prauum sit. An verò plenè debeat esse liber? dico, quòd sic ratione materiæ contentæ, ratione autem effusæ in pectus, non prorsus, ob hæc, quæ dicit Hippocrates secundo de Morbis (pag. 15.) Quum ex peripneumonia suppuratus factus fuerit, febris detinet, & tussis sicca, & difficultas spirandi, & pedes intumescunt, & manuum, ac pedum vngues digitorum contrahuntur. Et etiam in tertio eiusdem (pag. 9.) dicit, quòd videntur symptomata hæc quiescere: non tamen prorsus quiescunt, sed à die quintadecima maximè augentur. Quid fidas his medicis, qui tanquam de rebus Æthiopicis, ac sub montibus latitantibus, imò de his, quæ sub terra per millia passum bis mille sunt, loquuntur? Dico de Galeno ipso, quem constat, cum hæc scriberet (5. de Locis c. 3.) nondum vidisse illos suos empycos, de quibus refert, quòd spuebant puris sex heminas, id est, saltem libras quatuor cum dimidia, & vsque ad decem, scilicet prope octo: & plus etiam dicit, Sed alia sub mensura, decem heminæ sunt libræ plus quàm vndecim puris. At credo potius hæc audisse, quàm vidisse: nam reliqua non consentiunt, sed bonum fuit & hoc adiecisse, de quo non leuis est habenda ratio. Intelligere igitur oportet, in sanandis breui non hanc tantam saniei effusionem fieri, sed absque febre liberari ægrum Hippocratem autem in libris de Morbis, sermonem habere de periclitantibus, qui ad summum vitæ discrimen veniunt.

In his igitur, postquam in hunc sermonem incidimus, videre oportet, in quanto tempore sanies primùm effundatur, neque enim sibi contradicit Hippocrates, cum dixit hic, quòd prima die cessat febris, si morbus sit facilis: & cum dixit tertio de Morbis (Pag. 9.) quod excrescit suppuratio, & augetur ad quintam decimam diem vsque, & ibidem

ibidem videtur ad diem decimam, etiam dico, quòd aliud est, cessare febrem: & hoc fit à prima eruptione puris, aliud est, expurgari vlcus: & hoc fit in quindecim diebus, id est, quatuordecim expurgatur, quintadecima desinit, quo tempore curari debet. Et hoc videmus manifestè in exterioribus etiam abscessibus: quoniam nullus illorum expurgatur totus prima die, seu rumpatur per se, seu medicamento, incidatur. Non enim potest cessare emissio puris in pectus, nisi cesset expurgatio vlceris, nec vlceris expurgatio, nisi consolidatū sit vlcus: neque enim potest particula esse sine alimento, igitur per quatuordecim dies saltem manet emissio puris, & pòst, si homo bene expurgatur, per sputum sanescit vlcus, & minuitur sputum: sin autem malè cedat, non solùm pectus remanet pure plenum, & pulmo eo infartus, sed vlcus pectoris fit sordidum, fistulosum, & profundū: ideo laborant duplici morbo hi. In sanandis ergo si benè regantur, in quatuordecim diebus effunditur pus: si malè, ità tamen, vt possint sanari intra quadraginta dies: in morituris nunquam cessat effusio.

Febris autem facta eruptione putrida, quæ priùs erat, cessat, quoniam non tantum vaporis permeat per venas, & arterias, vt febris possit accendi: sed neque ex pure effuso adhuc frigido, nam pòst accenditur illa, quæ est, vt dixi, sui generis. Verùm si non cessat febris per aliquod tempus, indicio est, non esse perpurgatam saniem fermè totam, sed adhuc cum vlcere esse tumorem, & suppurari in dies. Necesse est autem, reuerti modicum febris similis ephimeræ post paucos dies. Nā de illa non intelligit Hippocrates, cum dixit (Et rursus recalescens apparuerit) intelligit enim de febre Priori simili, scilicet verè putrida: quæ consequitur alterō duorum modorum: vel quia multa materia remansit in abscessu cruda, puæ adhuc suppuratur: vel quoniam quæ exiuit in concauitatem prauam putredinem adepta est, vnde vtroque modo vix euadere poterit.

Et à pituita liberum superiùs dixit sputum debere esse permistū, hic sine pituita exponi solet, ne sit materia cruda admista. Dignū est hoc obseruatione, quòd tales pereunt: quoniā pituita hærēs impedit, ne liberè possit expurgari pus, præterea pituita refrigerat locum: eiectio autē sputi calore indiget. Demū pituita trahitur ob laborem loci. Et licet in aliis morbis syncera excrementa damnentur, in hoc vno tamen sunt laudabilia: quia sunt omninò præter naturam, vt lapis, & vermes, ac eiusmodi.

Tertia difficultas maior est cæteris: quomodo sine tussi valida possit sputum empy-corum eiici, nam vt suprà dixi (5. de Locis cap. 3.) necesse est, vt natura collimet in arteriarum ramos, & bronchia emittendo sputum. Propterea & hic non leuiter cæspitat noster Galenus, existimans hoc modo expelli debere materiam empyematis: & ideo quanquam superiùs (com. 23. huius) de hoc verba fecerimus, scilicet quomodo tussis fiat, non tamen hoc ipsum plenè docuimus, sed iuxta Galeni sententiam, qui nunquam aliquid perfectè docet, sed quæ sunt manifesta (cui tamen in hoc gratiæ non paræu habendæ sunt, quòd vera tradiderit) dico, quòd tussis fit, cum pulmo sentit detrimentum, maximè in aspera arteria, & dilatatur, vt trahat aërē: & hoc fit, cerebro illi consentiente, imò ad salutem animalis famulante (vnde comprehenditur vnam esse animam (nec in corpore ipse) à qua totum regitur, nam & cor famulatur, vt in doloribus transmittendo vitalem spiritum) eodem vt si parua sit necessitas, septum transuersum distēdatur, & ob id pectus, ab inferiore parte, vnde pòst contracto eodem septo, constringitur pectus celeriter, & eēr excutitur magno cum impetu, & cum eo materia, in via contenta, quòd si maior sit necessitas, non solùm septum transuersum, sed etiam musculi superiores dilatant pectus: atque inde constringunt, & quoniam istud de constrictione causam habet manifestam, etiamsi à sola fieret grauitate, & etiam, quia clarum est, quòd musculis contractis, contrahitur pectus, quoniam mitium musculorum est intrà, & non relinquitur difficultas, nisi de modo constrictionis: & cum hoc sit propositum nostrum, hic ideò de illo primo tractabimus, vnde dico, quòd constringitur in tussi pectus velociter, & valde, & septum transuersum, repetiturque alternatim constrictio, ac dilatatio, & dilatatio est maior, ita vt sub vna dilatatione magna, intercedentibus pluribus exiguis, fiunt multæ euidentes constrictiones, ac concussiones, & tusses: & hoc est, quia pectus impletur multo aëre, nec est necessaria illa dilatatio ob aërem: sed quia pectus non potest constringi, nisi dilatetur, cum iam sit nimis depressum. Cum ergo septum transuersum conuitiatur totum, & pulmonis bronchi sint aperti, transmittitur per multas fistulas, & bronchia pus in pulmonē: & ideo si materia non sit nec tenax valde, nec crassa, nec aquea, colligitur in pulmone, & ex multis ramis coit in truncum, & simul expellitur, adeò vt in tussi fiant tres motus principalis pulmonis: secūdò septi transuersi, superiùs trahentis: tertiò pectoris in inferiori parte, se intùs contrahentis. Secundus modus est melior: & est quòd dum dilatatur pulmo, trahit ab vtraque parte: quod ex instrumento cingulo militari vocato discerelicet, ideo ab inferiori parte pars trahitur, quæ succedente tussi magno cum impetu protruditur. Tertius modus est, quòd respirando pulmo trahit, quia calidus, materiam sensim, quæ postmodum collecta eiicitur tussi: & ideo si sit tenuis plurima ascendit in vapores conuersa, & facilè extruditur, & ita cum sint tres modi, & primus solùm exigat grauē tussim, Galenus illius tantum meminit. Vnde in proposito dico, quòd materia benigna exugitur à pulmone facilè, & etiam in vapores transit: & ita tum calore, tum continuitate trahitur ex pectoris concauo ad pulmones. Quod verò fefellit Galenum, fuit sanguis è pectore, qui nunquam exit sine violenta tussi, & in hoc distinguitur à sanguine, qui exit à pulmone, qui exigua tussi protruditur, nam cum vas sanguinis rumpitur in pectore, primò exiguum est plerunque, & sanguis sēper exit à lateribus, & bronchia sunt in imo pulmonis: ideo non possunt suscipere sanguinem

nem à pectore, cum ſit à lateribus effuſum, niſi rarò, & non totum, ſed concreſcit ſuper ſeptum tranſuerſum, & tunc eiicitur, & quãdoque oportet, vt priùs frangatur, aut putreſcat: ideo ſanguis ex pectore manans plerunque concretus eiicitur, pulmonis ſemper liquidus. Reliquum eſt, vt videamus, quomodo pectus dilatetur, & conſtringatur, cum ſit oſſeum & ſterno ante ſpina poſt munitum, neque eadem eſt ratio quinque coſtarum inferiorum, quæ interiùs non iunctæ facilè dilatantur, ac magis ea in parte reſpiratio ob id manifeſta eſt: ſuperiores autem, quæ ſterno per cartilagines, vt Veſalius libro primo (cap. 19.) docet, inarticulantur non ſolùm, ſed coaleſcunt, non niſi per cartilagineam partem dilatari poſſunt. Vnde cum in ſenibus cartilagines quandoque in oſſa degenerent, non adeò facilè extenduntur. Id autem in bobus & capris conſpicuum eſt, extrema oſſea eſſe, quamuis cartilagine obducta: in hominibus autem ſuperiorem coſtarum tantum. Poſteriore verò parte cum non adeò firmiter inarticulentur (tametſi duobus modis) motus relinquitur liberior, quantum per cartilagines, & vincula licet. Cum ergo arctiùs ſuperiores coſtæ inſerantur, meritò in ſuperiore parte hominis coſtæ minùs dilatantur, quàm à quarta ad ſeptimam, vt in inferiore, quemadmodum dictum eſt liberiùs: non tamen adeò liberè, nec ibi, quin ventrem valde mouere videas, coſtas ſpurias vix: Et quidem poſteriùs ligamentis coſtæ vertebris connexæ ſunt, antea nequaquam: vnde etiam ea parte melius dilatari poſſunt. Sed cur antea tamen potius pectus in inſpiratione creſcit? an quòd non ibi fit motus conſpicuus, vbi extenditur, ſed à qua parte. Demiror autem, quòd Galenus cenſeat moueri pectus ob aëris attractionem, cum voluntariè plurimùm extendatur pectus abſque vlla attractione aeris, atque multò magis, quàm in violenta, & maxima inſpiratione. Quòd ſi quis tentet, ſentiet expreſſè cartilagines ſterno inſertas flecti: atque eo fit, vt pectus dilatetur, ſed & in medio coſtæ tument, non muſculi ſoli intermedij, & caro, & quæcunque mollia ſunt: aut ergo oſſa inflectuntur, quod veriſimilius eſt, cum tumeant partes, aut cartilagines extenduntur: quod eſt neceſſe, ideo vides in tãta re, & adeò ſenſibus conſpicua, quàm oſcitanter illam tractarint: ſed ad aliam difficiliorem quæſtionem tranſeamus, hoc vno contenti, quòd huiuſmodi dilatatio in partibus, vbi coſtæ ſunt coniunctæ, per exigua eſt.

Altera ergo dubitatio eſt, à quo inſtrumẽto pectus dilatetur, & dicit Galenus, quòd à ſepto tranſuerſo, dum homo nulla neceſſitate ad anhelandum vrgetur, hic duo ſunt abſurda. Cum enim ſeptum tranſuerſum totum intùs, omniſque muſculus ad originem ſuã trahat, manifeſtum eſt, quòd non poterit ſeptum mouere pectus, niſi conſtringendo, non dilatando. Vnde in libro de Cauſis reſpirationis: Nõ violentæ inſpirationis cauſa eſt ſeptum tranſuerſum: violentè verò muſculus in ſimis ſcapularum, tum intercoſtalium pars. Vnde ſequitur alterum abſurdum, quòd cum ſeptum ſit totum molle, carneum, aut membraneum, etiam ſi poſſet extendi, quomodo poterit dilatare pectus. Veſalius (libro tertio, capite trigeſimoquinto) conatur docere, dilatationem pectoris fieri per ſeptum tranſuerſum, & quatuor paria muſculorum, & quadra, conſtrictionem, adeò vt ponat in homine muſculos octuagintanouem mouententes pectus, in canibus, & ſimiis nonaginta tres. Obſtant huic duo. Primum quia cæteri omnes ſecundum Galenum, vno duntaxat ſepto tranſuerſo excepto, mouent, cum opus eſt reſpiratione violentiore: nos autem quærimus de naturali, quæ eſt adeò generalis, ideo debuit docere modum, quo dilatatio pectoris poſſit fieri à ſolo ſepto tranſuerſo. Alterum, quòd muſculi illi cum trahant verſus principium ſemper, & nullum principium ſit extra pectus: igitur nullus muſculus poterit dilatare pectus, & quod verum ſit, apparet. Capiamus quartum in ordine, quem multùm poſſe affirmat in hoc munere, hunc vult oriri ex vltimis tribus, & prima thoracis vertebra: hic quidem ſurſum trahet pectus quis dubitat? an non ob id dilatabit? ſed potius conſtringet. Aliud enim eſt ſurſum, id eſt, altiore parte: aliud ſurſum, id eſt, magis diſtans à centro in priore ſenſu muſculi clauiculæ velut primum paret colli ſurſum trahent pectus, ſed non dilatabunt, verùm conſtrigent, quia ſolidum quoduis, quod ad vnam partem trahitur, minùs efficitur comparatione aliarum partium, quæ enim dilatantur, fiunt breuiora: & contrà, quæ fiunt longiora, conſtringuntur. Hoc etiam quomodo animaduertit Veſalius, dum Galenum redarguit de muſculis intercoſtalibus, quos pectus dilatare affirmat: ſed modò exteriores huius functionis authores facit interiores conſtructionis, modò contraria ratione hoc diſtribuit, vt iuxta Galenum, muſculorum paria pectus dilatantia ſint longè plura, quàm quæ diximus. At non animaduertit Veſalius eandem eſſe rationem, vt nullus muſculus poſſit extendere pectus: qua etiam demonſtrauerat, nullum muſculum intercoſtalem: id efficere poſſe. Propterea dicunt, quòd muſculi primiparis, quorum ortus eſt ſub clauicula inferiùs, & muſculi ſecundiparis craſſi, magni, orti è ſcapulæ baſi interiore parte (eſt autem ſcapulæ os omoplata, etiam dicta triangulare fermè cui humerus innectitur, poſterius poſitum, & clauiculæ coniunctum) & octo coſtis ſuperioribus implantanti eleuant pectus, tertiò, quòd muſculi intercoſtales. Sed, vt dixi, muſculi intercoſtales id efficere non poſſunt, quoniam neceſſe primùm foret, vt eſſent elatiores coſtis, & etiam, quia idem moueret ſeipſum, quod eſſe non poteſt, neque per ſe, neque per accidens. Ideo, vt paucis rem abſoluam, omiſſis multis, quæ conſequuntur ad hæc abſurdis ſupponere oportet tria. Primum, quòd omnis muſculus, dum agit, contrahit ſe verſus primum ortum ſuum. Secundum, quòd ſi debet eleuare pectus, oportet, vt ortus eius ſit in elatiore parte, quàm pectus: quod patet ex primo ſuppoſito. Tertium, quòd

quòd pectus naturaliter dilatatur, & redit ad suum situm, & contrahitur à motu musculorum: quod est contrarium ad vnguem his, quæ dixit Galenus secundo de Motu musculorum (capite nono) hoc oportet demonstrare, quia reliqua clara sunt, & admitterentur à Galeno, partim admissa sunt. Quoniam enim, vt diximus, in naturali, & simplici respiratione non violenta, nec aucta, inspiratio fit per septum transuersum solum: igitur cum septum sit molle, carneum, & membraneum: igitur non potest vllo modo adeò tendi, vt pectus, quòd, vt dictum est, adeò durum, & osseum, ac cartilagineum, possit extendi. Præterea pectus per se dilatatur, & ille est situs naturalis, non constrictio: igitur non indiget musculo dilatante. In cursibus etiam, & exclamationibus indiget musculis illis ad vlteriorem dilatationem: igitur non antea pro naturali dispositione. Præterea verè natura non fecit, nisi quatuor paria ad summum musculorum ad dilatandum pectus, reliqua penè ad quadraginta ad constringendum: igitur dilatatio est naturalis, constrictio violenta. In quo illud mirum est, & stuporis inauditi de Galeno, qui dicat, pectus in constrictione considere propria grauitate, immemor, quòd grauitas illa est insensilis in comparatione ad vim, quam habet ex figura, saltem ergo dixisset, quia costæ sunt natura curuæ, cum dilatatur pectus, distenduntur violenter: ideo naturaliter cupiunt redire ad locum suum, & figuram obliquam, hoc enim procul dubio verum est, vel ob contractionem præter naturam, vt nos asserimus: vel ob extensionem, & directionem naturalem, vt putat Galenus: vel præter naturam, in quo sumus concordes.

Ad principale redeo Inspiratio cum sit naturalis, tardè & sensim fit, vt demonstratum est in primo (25.) horum commentariorum, quod autem fit ordinatè, est naturale: ideo dilatatio & inspiratio est naturalis. Et quanquam Galenus dicat in lib. de prædictione ad Posthumum (capite 5.) inspirationem non fieri pectore dilatato, nec expirationem constricto, cum de his actum sit quarto Contradicentium (71.) ideo de hoc loqui hic supersedebo, nam ipsa res per se satis difficultatis, atque prolixitatis habet, etiam si nihil accedat aliud.

Cum ergo sint tria genera extensionis & contradictionis pectoris, naturalis, intenta, & præter naturam, quæ duplex est, alia à causa præter naturam, alia à causa contra naturam, quas ambas tamen, quod ad hæc attinet, sub vna iungemus: & vna quæque constet extribus partibus, extensione in longitudinem quæ dubio procul in singulis generibus fit per musculos maximè ventris obliquos & rectos qui inferiùs trahunt, & superiores, qui superiùs, & intercostales, qui premunt pectus, costas iungunt, similiter etiam dicemus de musculis distendentibus pectus in tribus generibus extensionum. quia quod ad hæc attinet, commune est. Ergo cum in inspiratione pectus dilatetur, & extendatur in longitudinem, latitudinem, atque altitudinem, pectus quidem extendi potest in longitudinem à musculis ventris, præcipuè longis, ac rectis, dum contrahuntur, diuulsis inter se costis, atque etiam extensis musculis ac membrana, quæ eas subcingit, idem etiam à septo transuerso continget. Illius namque origo est à medio ipsius, vbi etiam crassius est: & ob id propria illius functio est, costas, præcipuè mendosas anteriùs, quia ibi flecti commodiùs possunt, contrahere. Ideo cum conuellitur septum, extrema notarum costarum intùs retrahuntur, & ex dorso dilatantur, non solùm inter se, sed etiam incuruantur, quod spiritum emittenti, duabusque manibus, vna ante ad fines costarum notarum, altera post dorso applicita, perspicuum erit. Iam ergo habes duos modos extensionis pectoris, vnum in longitudinem diuellendo costas, vel per musculos ventris, vel per septum transuersum: alterum incuruationis, ac dilatationis in latera, constrictis capitibus, costarum per septi transuersi contractionem, quod experimentum manifestum est in duobus lignis extrorsum in curuis, quæ si contrahas, sinuabuntur exteriùs, & maius spacium occupabunt. Sed hic non iacet difficultas: verùm vt intelligamus, quonam pacto (quod frequenter videmus in ægris, & morti proximis accidere) pectus in altum attollatur, adeò vt omoplatæ manifestè moueantur: quod etiam in quibusdam generibus difficultatis spirandi citra febrem accidit: & horum quidam non solùm sæpius passi sunt, sed etiam quidam eorum seruati sunt, atque sanitati restituti. Certum non esse musculos, quòd illorum vis deficiat, deficientibus viribus: hæc verò respiratio fit, iam in proximis morti, qui se mouere non possunt, quòd si dicas, vt in morbo attonito seruari vires ibi solùm ob necessitatem: dico, quòd in attonito morbo possunt seruari, sed nunquam augeri, at hic oportet esse vires multò maiores. Experimentum tamen docet nos, efficere magnam respirationem, & laboriosam, vt pectus vndequaque extendatur, non tamen adeò, vt in illa laborantium astmate, aut ad mortem properantium.

Dicendo ergo, quòd extensio pectoris violenta fit ex tribus. Primùm motu naturali, vt dictum est, ob figuram: ideo in talibus est celerrima. Secundò ob musculos vsque ad metam naturalem, violentam tamen. Tertia est, obsequente pectore pulmoni ministro cordis naturali vi (non animali) quia omnia parent suo principio, etiam absque instrumentis: ad hoc iuuat initium motus, vt dixi in libro de Proportionibus, exemplo nauium, & curruum. Et ideo talis necessitas ob tertiam causam dictam maximè euertit vires, vt ego expertus sum, dum cogerer ascendere montem ob frigus: deueni enim ad hoc, vt pectus attolleretur, & cor adeò palpitabat, vt si coactus fuissem perseuerare per octauam partem horæ, interiissem, ideo ille motus fit à maximo incendio, & calore.

Itaque

Itaque concludo, quòd dilatio pectoris illa adeò magna, quæ fit ad tantam altitudinem, non fit à causa nobis nota, nec citra maximam vitalis facultatis iacturam. Duo supersunt consideranda, in quibus plurimi decepti, existimarent ob id nos errare. Verùm quod eleuando spinam pectus attollitur, quia costæ spinæ implantatæ necessariò illa eleuata à parte posteriore, ab anteriore etiam tantundem eleuantur, quantum spina introrsum intruditur, & ita in modum repandi videntur habere pectus dilatatum: sed non est dilatatum, sed incuruatum in anteriorem partem. Alterum est hoc difficilius: & est, quòd in inspiratione septum transuersum non deorsum pellitur, cum volentibus nobis fæces pellere septo infrà depresso, non inspiramus aërem, sed continemus illum, & impellimus, sed neque dum expiramus, impellitur deorsum: igitur impulsio deorsum est tertius motus.

Aliud admirabile est, quòd in suffocatis, qui vltimum trahunt spiritum, nec possunt expellere, septum transuersum ad superiora contrahitur, non ad inferiora: & ideo costæ nothæ in inspiratione antè intus contrahuntur, posteriùs dilatantur, & sinuantur, apparet enim manifestè costas mendosas sursum in inspiratione trahi, & cum eius septum transuersum necessariò, & ob id pectore breuiore facto, crescere secundum altitudinem: in contractione verò redit ad pristinum statum septum transuersum, sed descendit, & elongatur pectus. Ideo oportet cauere, ne fallaris in cognoscendo terminos harum actionum, & etiam quietum intermediarum.

Sequitur alia difficultas de ventre, qui cum dilatetur, ac constringatur in singulis respirationibus, & etiam magis, ac manifestius, quàm pectus, licet causa talis motus sit manifesta, scilicet septum transuersum, de quo non est dubium: vnde tamen veniat aër, incertum est, cum claudatur totus supra à septo transuerso in pulmone, & concauitatibus pectoris, in quibus est pulmo.

Et si quis dicat consequi, quod verum est, ad attractionem ad pulmonem, ingressum aëris in ventriculo, fateor: & ideo magnæ inspirationes debilitant ventriculum, vt in cantu, & sono, & cornuum, & elymarum clamoribus, ille tamen non potest circumfundi intestinis, & ingredi cauitatem ventris, & ideo non poterit tendere ipsum ventrem. Accedit, quòd cum volumus tendere ventrem, tendimus in immensum, & tamen non trahitur aër. Quomodo ergò trahitur aër in pulmones ex dilatatione pectoris? maximè quod etiam pectus dilatatum extenderet per consequentiam carnem pulmonis, non tamen illa extensio pulmonis traheret aërem, sed potius caro ipsa pulmonis diuelleretur, & offenderet non parum pulmonem, ideo procul dubio hæc commenta Galeni sunt absurda: quod etiam vidit Auerroes, & testatus est, & melius est, si alter non possumus testari magnitudinem sapientiæ DEI, & rem ipsam fateri, scilicet quòd pulmo sua naturali facultate trahit aërem, & ad illius dilatationem, quantacunque sit, dilatatur etiam pectus naturali obsequio: & non turpe ducere, nos fateri aliqua nescire, nec esse pares DEO, qui omnia ignoremus. Et commentari ob id rationes absurdas, cum longè meliores illo, & exercitati in disciplinis veritatis, hoc fateri non erubescant, hoc enim proprium est imperitorum existimare se omnia scire, impudentium autem, & prorsus nihil scientium: quales sunt adeò addicti Galeno (vel etiam ipsomet teste, qui toties dixit addictos sectis esse prorsus asinos) erubescere fateri, se aliquid nescire. Sed ad rem redeo. Si quis dicat, quòd solum dici potest, aërem rarescere, patitur non leuem difficultatem, quia aër non videt tantum posse rarescere, sed si quis capiat vesicam inanem, ligatam in collo, extendetque eam, decuplo maius spacium concipiet, quàm antea. Ideo dico, quòd vel aër trahitur, vt in vesica permeatus angustos: vel rarescit ad multiplicem rationem: vel quia sit humidus, & vaporosus. At ingredi adeò celeriter aërem, & sine sensu frigoris, omnino incredibile est nec patet locus, vnde trahatur: nec etiam, dum venter extenditur, homo inspirationem appetere videtur. Esset etiam hoc valde inutile membris naturalibus, & coctioni relinquitur, vt hoc fiat condensando & rarefaciendo aërem. Animaduertendum denique, quòd Hippocrates hic meminit cuiusdam generis signorum, quod vocatur *

Id est, in alteram partem. Nam cum posuisset cessationem doloris, & facilitatem sputi inter signa salutis, non tamen posuit difficultatem sputi, & dolorem inter signa mala: cum his enim solis poterit æger bellè seruari, ideo non sunt signa communia, quæ ostendunt à contrario, sicut coctio, & crisis in die iudicatoria & robur virium: ita significant salutem, quod contraria significant mortem.

PROGNOSTICON LXIV.

QVibuscunque ex pulmonia abscessus circa aures fiunt, & suppurant, vel ad infernas sedes, & in fistulam deuenient, ij liberantur.

COMMENTARIVS.

DVos modos proponit eorum, qui liberantur ex pulmonia citra maturationem, quæ optima est, & suppurationem, ad quam sequitur empyema, quorum vnus est abscessus post aures, qui suppurant: vel abscessus in infernis partibus, qui ad fistulam deueniunt. Galenum namque hic nugari, & maledicere de Hippocrate, manifestum est: sed dimittamus hominem, non solum fistulæ sunt

ſunt medela peripneumoniæ, ſed etiam quorumcunque morborum grauiorum: vt habetur ſexto Epidemiorum (Par.3. Tex. 39.) vbi Hippocrates docet quatuor modos, quibus natura ſe exonerat à maximis morbis, quos ibi enumerat, qui ſunt ſex præcipuè: lateralis, peripneumonia, phagedenis, id eſt, ex edentibus Thereminthis abſceſſibus ſimilibus ciceribus, Diothenis paruis inflammationibus, & lepris, quorum primus eſt per ſanguifluas venas, ſeu hæmorrhoidas, ex quibus ſanguis euacuatur: ſecundus per fiſtulas, cum ſanies effluit: tertius per decubitum, qui eſt duplex, aut collecta materia, & fit abſceſſus, aut ſparſa, & fit tumor, aut cum dolor ſolus, aut grauitas vexat: ideo dicit, talia non ſunt curanda importunè, quoniam ſi præueniant, prohibent morbi aduentum, ſi ſequantur, curant iam factum. Et ex hoc ſumptus eſt modus fontium, quibus vtimur ſub genu intùs vel extra pro podagra, & morbis, qui ſunt à collo inferius, & in adiutoriis, vt vocant, in parte ſuperiore, & quaſi interiore, vbi inter muſculos oblonga quædam cauitas relicta eſt à natura, pro capitis morbis.

Rinaldus de Villanoua in quinta doctrina meditationum (capite 4.) attigit hanc materiam diffuſiùs, quàm alius, quæ conſtat in ſex præceptis. Primum, quòd fiſtulam antequam non debemus concludere, niſi deriuemus ad proxima: hoc eſt, quod faciendo aliter vocat Hippocrates importunè concludere. Demonſtratio huius propoſitionis eſt: Si fiſtula eſt antiqua, exoneratur mala materia iamdiu per illam, ergo vel generabitur, vel non generabitur, ſi generabitur, vel deueniet ad idem membrum, & ita corrumpet illud, vel procedet ad aliud, & idipſum etiam corrumpet, & ſi erit neceſſarium vitæ, occidet hominem: & ſi non generabitur, igitur mutabitur temperamentum: igitur morietur, aut grauiter infirmabitur, prima primi (Doct. 3. cap. 1.) Secundum præceptum: Omnem fiſtulam, ſeu antiquam, ſeu nouam debemus deducere, ſi poſſumus, ad locum propinquum naturalem: & dat exemplum de his, qui diſſecti ob lapidem, per foramen aliud à virga meiunt, ſi poſſumus, debemus deducere ad virgam, vt vrina per ipſam euacuetur: dicit in hoc non eſt periculum aliquod. Tertium: Fiſtula, quæ eſt in membro, quod non eſt propinquum meatui naturali, debet transmutari in fontem, non in loco, ſed propinquo. Quartum: Poſtquàm fons non debet fieri in loco fiſtulæ, docet locum conuenientem, vbi ſit ſecurior, & vtilior: & dicit, quòd debet eſſe, vbi muſculus à muſculo ſeparatur, nam cum incerta ſit profunditas fiſtulæ, poterit aliquando lædere muſculum, & ita etiam operationem illius, & dolores graues efficere. Et ex hoc, & præcedenti præcepto apparet, quòd qui expoſuit librum illum, cum non intellexit, cum expreſſè loquatur ibi (6.) de fonte, & interpres exponat de cauterio. Differt autem fons à cauterio, quòd non emendet intemperiem, & diu permaneat, & euacuet materiam, & ſolet fieri cum medicamento. Differt à fiſtula in tribus aliis, quòd non emittit materiam aqueam, ſed pus, quòd non eſt ſinuoſus, quòd non eſt profundus, vt fiſtula. Quintum: Talis fons debet fieri iuxta venam magnam, ratio eſt, quia commodius euacuat materiam, quæ influit membro, nam per neruos raiò permeat: & ſi permeet, parùm proſunt fontes, arteriæ autem cum neruis habent conſenſum, & anaſtomoſin. Sextum: Fiſtula, quæ emittit virus, non eſt laudanda, ſed permutanda: patet, quia tandem poſſet corrumpere membrum, hæc ab aliis: nunc noſtra adiiciamus. Fontes non conueniunt in creſcentibus, velut pueris, quoniam corpora ſunt mollia nimis, & etiam, quia creſcunt, nec conueniunt ſanis eadem ratione, & multò minus, quàm homorrhoidas: quarta Aphoriſmorum (comment. vigeſimo quinto) nec conueniunt viris imbecillis naturæ, vnde nec in ſenibus valde, ſed neque ſtudioſis, quoniam exinaniunt vires: vt etiam colligitur ex ſexta Aphoriſmorum (vigeſimo ſexto) nec conueniunt his, qui magnis laboribus defatigantur: vt nec illis, qui Veneri operam dant, nam ab vtroque exhauritur corpus: vt etiam ſecunda Aphoriſmorum (decimo ſexto) nec illis, qui non ægrotant ad conſeruandam bonam valetudinem: patet, quia tutiùs, & minore incommodo cum ſola abſtinentia ſe conſeruabunt, nec etiam in his, qui laborant imbecillitate, aut morbo membrorum naturalium: tum quia non emendant vitium illorum membrorum: tum quia meliùs euacuantur per ſectionem venæ, aut purgationem, nec etiam conueniunt habentibus humores craſſos, aut in melancholia, nec habentibus nimis tenues: quoniam cum euacuent ſolam tenuem partem, & pinguem, relinquunt craſſitiem maiorem, & augebunt atrum humorem, illos autem nimis debilitabunt, ideo nec in elephantiaſi vtiles erunt. In malo autem aëre plurimum abbreuiant vitam: nam difficilius eſt pugnare cum duobus, quàm cum vno: ad aliquod tempus iuuant. Relinquuntur quatuor caſus, ex quibus in tribus conueniunt, de tertio dubium eſt.

Primus eſt, cum corpus bene valet, ſed membrum aliquod magnam contraxit imbecillitatem, vt per quantamcunque abſtinentiam patiatur, illud membrum non poteſt ſiccari, vt in podagra, oculorum defluxionibus.

Secundus eſt, cum aliquis cogitur laborare aſſiduè, ita vt non poſſit commodè perferre abſtinentiam, & tamen labor non eſt grauis, vt medici, ſcriptores, nuncij: & idem eſt in his, qui nolunt perferre abſtinentiam, in huiuſmodi enim hominibus neceſſe eſt vt ſi ſint ſubiecti alicui incommodo, vt vtantur huiuſmodi fontibus, aut aſſiduis purgationibus.

Tertium eſt in fontibus à natura factis, qui ſponte reſerantur, & clauduntur: & ſolent accidere poſt graues morbos, nam neque exhauriunt vires, & curant morbos iam factos, prohibentque venturos, & longam vitam efficiunt.

Quartus caſus eſt, an in aëre peſtilenti conueniant? Hieronymus Appianus Medicus Mediolanenſis exiſtimauit ſe tutum ab

hoc:

hoc: & certè effugit morbum illum, nescio modò, an ob id. Artificiosorum autem proprium est exiccare corpus, vt etiam Venus debilitare ipsum etiam, & inæquale reddere, scilicet debiliorem in parte, in qua est assuefacere naturam, vt indigeat eo auxilio, & vt transmittat ad illud membrum præter incommoda, quæ adueniunt, si membrum exerceatur, & pars inflammetur, atque huiusmodi.

De fistulis præterea notandum, quòd sunt duo genera, aliæ enim sunt callosæ, aliæ non: de quibus in contradictionibus (quarto lib. septuagef. secund.) & rursus aliæ, quæ mittunt pus, aut saniem bonam, aliæ ichorem: & eum aliquæ crudum solum, aliquæ & corruptum, & malum, aliæ etiam sunt cæcæ, aliæ occultæ, id est, quæ non expurgantur exteriùs, aliæ rursus, quæ sensu carent, quæ omnium sunt deterrimæ, dicebat Princeps quarta quarti (Tract. tertio, capite primo) omnes fistulæ eò sunt deteriores, quò magis sensu priuatæ, & rursus aliæ sunt rectæ, & sunt facilioris curationis, aliæ obliquæ. Demum aliæ finiuntur ad neruum, quæ sunt dolorosæ valde, aliæ ad os sine dolore, aliæ ad ligamentum, quæ sunt mediæ, aliæ ad venas, & arterias, quæ sunt sordidæ: & si magnæ sint, periculosæ, aliæ ad carnem, & sunt minùs malæ.

Videndum modò est, quomodo tam procul possit natura propellere materiam peripneumoniæ: & est commune etiam parotidibus, & dico primùm, quòd posset dici illud Hippocratis in libro de Alimento (pag. 2.) confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia. Idem in libro de Locis (pag. p.) in homine: Sed hoc est nimis generale, essetque verum in laterali etiam morbo, at hoc non contingit. Dico ergo pulmones non recipere venas, nisi à corde. Cum ergo natura robusta fuerit, repellit materiam ad cor: cor autem cum sit robustissimum, non inuitè recipit, sed transmittit eam per venam cauam superiùs vel inferiùs. Si superiùs, propellit ad aures, quoniam eò venæ & arteriæ perueniunt, & antequam ingrediantur cerebrum: ingrediuntur enim non ab inferiore, sed à superiore, cum aures superauerint. Quòd si materia deorsum propellatur, peruenit vena illa ad crura, nam partes interiores nutriuntur à vena pori: & cor cum sit membrum validum, propellit longiùs, ideoque caput vsque, ex superiore parte: ad crura, ex inferiore.

Quod demum subiicit (& suppurent) additum est, quoniam posset transmitti materia eò, & ob imbecillitatem caloris non suppurata cum sit, iam semiputrida redire interiùs, & facere abscessum in cerebro, aut anginam, aut ægrum interficere: quod paulò post hic subiicitur (Tex. 37.) Propterea scriptum in secundo Epidemiorum (Sec. 3.) de Zoilo quonam pacto liberatus sit ex morbo pulmonis, & parotide, & rursus ibidem (In vltimis verbis) Tubercula maligniosa sunt, quæ repente disparent. Vnde etiam illud in Primo de Prædictione (In vltimis verbis) dolorosi aurium abscessus citra iudicationem dissipati, mali sunt, scripsit etiam de hoc sexto Epidemiorum (par. 4. in princ.) sed non sunt omnia huc reducenda, cum sermo sit manifestus, & commentarius longus. Refertur hic textus à Galeno Tertio de Crisi (cap. 11

PROGNOSTICON LXV.

Considerare autem oportet talia hunc in in modum. Si febris detinet, & dolor non cessauerit, & sputum non excernatur secundum rationem, neque biliosæ fuerint alui deiectiones, neque dissolutæ, atque syncerae, nec vrina valde multa, ac plurimùm continens sedimentum, paratur autem salubris ab omnibus aliis salutiferis signis, in his oportet huiusmodi abscessus futuros sperare.

COMMENTARIVS

Debeóne perpetuò litigare cum Galenò de erroribus suis, & difficilem, atque longam, quæ satis per se sit longa, atque difficilis in immensum augendo, reddere explanationem? Aut contendere tanquam ociosus, an παχὺ addi debeat, id est, crassa, vt diligens interpres videar, an potius cùm Satyrico dicere.

Semper ego auditor nunquam tantum ne reponam:

Perpetuus promissor, nec vnquam, quæ pollicitus sum, præstare. Valeant tandem in posterum malè cultæ Galeni interpretationes, vt operi me accingam. Et qui volet causam intelligere, librum vigesimum septimum euoluat: aut si illa non satisfaciunt, nec nostra dignatur legere, forsan multò minùs leget tam confusa. Video enim postquã totiens deprehensus est in errore Galenus ei, cui non ex hoc constare potest, nec ex illa enarratione, Galenum fuisse inutilem in arte, tum maximè in Hippocrate explicando plus ob futuram prolixitatem, & difficultatem, quæ ex reprehensione commentariis adiicitur, quàm fidem, quæ ex demonstratione errorum, quos ille explicando admisit, profuturam. Quòd si quis modò eos intelligere dissimulat, nec nostra vult legere, melius est, vel sic bonorum commodo consulere, quàm inuitum velle trahere ad legẽdum. Itaque abstineat, quisquis est, modò intelligat, non modò tam mihi esse inimicum, quam veritatis hostem, salutis amicorum, & propriæ fidei hostem. Nam vertentibus seculis non defuturos tandem spero, quibus amica veritas faciat, vt veræ expositiones falsis, solidæ vanis, syncerae insidiosis, vtiles inutilibus præponantur. Quòd si nec hoc succedat, melius est partem amittere, quàm totum, & partem damni ferre, quàm vniuersi temporis iacturam: vt cum Poëta dicamus:

Quicquid, erit superanda omnis fortuna ferenda est.

Quanquam haud tam iniquos mihi Deos futuros spero: itaque rem illis volentibus aggrediar. Proponit quinque modos exitus pulmonis affectuum Hippocratis: quorum vnus qui est ad mortem relinquitur indiuisus, sufficit enim hoc vnum in talibus prædicere quod morietur, seruandorum autem quatuor illorum qui per maturationem liberantur, qui optimus est facillimus, scilicet breuissimus, perfectus, atque tutissimus. Secundus ex aduerso difficillimus, longissimus, imperfectus, nec magno periculo vacans, cum ad suppurationem, inde eruptionem abscessus deuenerit: deinde ad excreationem. Inter hos duos modos duo alij modi constituuntur, per effluxionem, & per abscessum. Dicit ergo Hippocrates, Si morbus signa omnia præter hæc ad salutem habuerit, vt excludatur primus modus, scilicet ad mortem. Deinde dicit, Si febris detinet, nec dolor cessat, & excludit secundum modum, scilicet maturationem. Inde additur tertia conditio, Nec per sputum excernatur, vt excludat empycos, in illis enim etiam quòd sint morituri, sputi aliquid excernituri & etiam quia hi, qui sunt morituri, non habent reliqua signa omnia ad salutem, sin autem sanandi sint, tantò magis per sputum excernuntur: si ergo non excernunt, empyci non sunt, excipit ergo etiam empycos. Deinde subiicit, Et neque per aluum, per vrinas soluatur morbus, excipitur quartus modus, qui fit per effluxiones: igitur relinquetur tantum quintus, qui est per abscessum necessariò. Ergo per illa quatuor signa sublata quintum concluditur. Nunc deuenio ad illum, quod relinquitur solum non expositum: & est de excrementis alui, & vrinis, nam reliqua omnia superiùs habita sunt. Litigant autem de fæcibus (nam de vrinis iam dictum est suprà) quomodo legi debeat. Constat autem, quòd biliosæ humores soluere morbum possunt: nam loco materiæ sunt facientis morbum. At dissolutæ, atque syncerae non admittunt bonos abscessus, genus enim vnum lethale est syncerarum: alterum earum, quæ coctionem non admittunt, oportet enim vt dixi, quòd abscessum facere debet esse in medio crudi, & cocti. An verò talem casum inueniamus, considerandum est. Constat enim in peripneumoniis diarrhetas ventris sociari, liquidorum biliosorum variorum, quidam sanantur, plures moriuntur, adeò verò stulti sunt quidam, vt non animaduertentes primam affectionem curare aggrediantur eos astringentibus, emplastrisque excalefacientibus, dantes vinum nigrum, oua, & carnes, de quibus non est mirum, quòd omnes ad vnum interierint. Et mirum est, nescio quorsum Galenus tot iusserit transcribi, tertio de Crisi (cap. 11.) quorum singula longa inquisitione indigerent: nec ibi, nec hic exposuerit: sed fugiens rem reliquit intactam. Forsan illud non abs re fuerit, quod scriptum est primo Epidemiorum (sec. 2. com. 25.) Tubercula iuxta aures, quæ nec sedantur, nec in suppurationem deueniunt, ex biliosis profluuiis, aut dysenteriis, aut crassarum vrinarum sedimento sanantur. Tota ergo quæstio ad hoc deducitur, an ex semicoctis deiectionibus biliosis pulmonis inflammatio sedari possit? Et videtur, quòd sic: vt in surditate quarta Aphorismorum (29.) & contrà in phrenitide egestiones albi albæ malæ sunt: in coacis Prædictionibus (pag. 3.) biliosæ ergo erunt vtiles. Et licet damnet in acutis circumbiliosas deiectiones, secundo de Prædictionibus (Tex. 11.) adiecit tamen albas. Et in secundo de Victu in acutis: Purgat peplio, helleboro in morbo laterali: ergo multò magis naturalis euacuatio vtilis erit. Dicendum ergo, quod euacuatio talium est vtilis ab initio phlegmonis, quia materia turget. Sed dices, Non nisi, cum dolor non est in pectore, sed sub costis mendosis, peripneumonia autem est morbus in pectore. Dico, quòd, vt antea narraui, vtilis est, quia pulmo communicat cordi, non autem pectori: ergo à quacunque euacuatione per secessum biliosa potest solui, aut magna ex parte mitigari morbus. Concludo ergo, quòd talis euacuatio est iuxta rationem, sed oportet solum distinguere, quod est generale præceptum, an sit conatus, an sit effectus? nam conatus per sæpe malè cedit, effectus semper bene, vexatio semper mala, conatus enim est medius. Et hoc est, quod deduxit Galenum in maximos errores: & effecit, vt falsus haberetur: duo enim membra cõatum & vexationẽ in vnum coegi, vnde accidit vt homines erubescerent, nam cum scripsisset toties, & maximè quarta Aphorismorum (com. 22.) quòd impossibile est, aliquid vtiliter excerni, non concocta materia (Quid attinet dicere non memor deturgente materia, aut cruda, nondum putrida) cum toties videamus, hominem statim liberari, quid habet excusationis miser medicus? nisi vt cum suo Galeno à vulgaribus irrideatur. Interest autem inter hæc tria conatum, vexationem, & purgationem: nam purgatio est, quoties natura sponte operatur, & potest: vexatio, cum nec potest, nec iure merito expurgat: conatus, cum iure merito, sed non potest. Rursus dices, Non intelligo, quid sit hoc tuum iure merito expurgare? nam vtile nunquam iure meritò, in vtile semper debet expurgari: at inter vtile & inutile medium non est. Dico inutile, non vitiosum, debet meritò expurgari, vitiosum nequaquam: nam vel repugnat, adeò vt nec totum, nec pars possit expurgari: vel expurgatum plus lædit facultatem, & membrum, quàm iuuet, quod non fit.

De vrinis oportet intelligere dictum, quemadmodum quarta Aphorismorum (74.) Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba facta, qualis in lassitudinariis febribus quarto die quibusdam incipit fieri, sed in his non debet medicus expectare vrinam albam. De sedimento dico, quòd vel accipitur pro vero sedimento, & ita rectè adiicitur crassa, quia multitudo sedimenti propriè dicti non efficit vrinam crassam: aut pro eo, quod est retrimentum quoddam, quod in fundo iacet, hocque modo omnis vrina cum plurimo sedimento crassa est,

est, scribique debet sine dictione crassa. Aduertendum etiam aliud, quòd duplex est peripneumonia, pituitosa, & phlegmon: biliosus pulmonis, de quibus agit Princeps decima tertij (Tract. 4. cap. 10. & 11.) & nos egimus Vndecimo contradicentium (7.)

Et similiter in hoc nomine abscessus, qui est ἀπόστημα, seu ἀπόστασις, est magnum discrimen à loco, & in loco, & vtroque modo habet vnum significatum, apud Galenum in loco dicitur, idest, qui facit, vt partes inter se abscedant, & hoc modo est tumor, quem Latini à barbaris voce græca mutuata, appellant apostema: ab Hippocrate autem à loco sumitur, id est, quia materia à loco, in quo prius erat, abscedit: & ita est vna res, & significatum in quatuor membra distinguitur: nam aut materia illa colligitur in loco, ad quem vadit: aut etiam effluit, vt secunda in parte primi Epidemiorum (Tex. 35. & 38. quod Galenus verborum diligens obseruator notat: tertius est transmutationis modus in alium morbum, vt ibidem (Tex. 21.) Quibusdam nec iis paucis ex aliis febribus, & morbis in quartanas abscessus fiebant: pariter vt suprà de hydrope dixerat. Quartum significatum est, cum fit deriuatio, quæ non colligitur: quam tamen sub generali nomine comprehendit.

PROGNOSTICON LXVI.

Fiunt autem hi quidem in partibus inferioribus, quibus circa hypochondria φλέγμα idest, inflammatio quæpiam innascitur: illi verò in superioribus, quibus hypochondrium flaccidum, ac sine dolore perseuerat. Si verò aliquando difficulter respirauerit, sine alia manifesta occasione cessabit.

COMMENTARIVS.

Postquam docuit modum liberationis peripneumoniæ esse duplicem per abscessum, & eum esse duplicem: deinde, quando expectandus sit abscessus tertium erat, vt doceret, quando per superiora, & quando per inferiora terminum esset habiturus, multum enim interest hoc scire, quod ad prognosticum attinet mortis, aut salutis, atque etiam per se medico gloriosum est, huiusmodi posse prædicere: vtile quoque est ad curationem nam eos, qui fiunt declinare, & facere, si non fiant: & excipere, si prodierint iam, & quales, & qua parte oportet: & qui non valde eos coadiuuare, & qui incommodi fuerint, antequam venerint: aut saltem, postquam incæperint, auertere. Nunc docet ergo, quando per superiora, & quando per inferiora erupturus sit: hoc verò ex via, nam à pulmone ad inferiores partes transitus est per præcordia: si ergo præcordia inflammationem patiantur non veram, aut partes illis proximæ, tūc deriuatio est ad partes illasmet & nota bene, quia more solito non intelligunt Hippocratem. Proponit enim duo: inflammationem, quæ significat deriuationem ad locum illum (est autem in huiusmodi deriuatione tumor durities, & calor, tunc ibi est abscessus: sed si adsit solum tumor cum dolore, signum est quòd abscessus fiet in partibus inferioribus quidem, sed valde procul à pectore, velut in cruribus & in ano) & ideo cum proposuit contrarium, & negantem, scilicet si præcordia flaccida sint, & sine dolore, tunc fiet in superioribus: non fuit necesse dicere, quòd sint sine inflammatione, quia si adest inflammatio, adest etiam necessariò dolor, & tumor. Ergo cum præsupponit, non adesse tumorem, nec dolorem, liquet, non posse inflammationem. Similiter cum concluditur, abscessum futurum in superioribus partibus, quia præcordium sit flaccidum, ac sine dolore, nam in erysipelate non est necesse, vt adsit tumor, sed necessariò adest: tum dolor, vt in œdemate tumor, non tamen dolor. Non ex hoc solo concluditur futurum abscessum in superiore parte verum ex præcedenti textu, atque signis ibi narratis: quasi legas hoc modo, Si febris detinet, & dolor non cessauerit, & sputum non excernatur secundum rationem, & reliqua: inde addas, etiam præcordia flaccida, ac sine dolore, tunc abscessum in superioribus partibus expectare oportet. Hic expositores, duce Galeno, nugantur circa verbum, Phlegma cum tamen illud potius quærendum esset, quod dicam nunc.

Præcordia vult esse inflammata, scilicet altero modo, cum dolore tantum, vt in erysipelate, aut cum tumore tantùm sine dolore, vt in œdemate: aut vt cum tumore, & dolore, vt in phlegmone: & tunc significatur deriuatio ad locum illum: aut cum tumore, dolore, sed sine inflammatione, quamuis dolor possit esse magnus & exiguus: & tunc significatur deriuatio ad partes inferiores. Quærendum est igitur, quonam pacto fiat hic transitus? & respondeo, quòd nisi experimentum id doceret, & Hippocratis authoritas, videretur hoc impossibile, & non animaduerterunt expositores hunc locum adeò notatu dignum, quem Hippocrates docuit: tum quia non intellexerunt, quantum referret hoc, & quanti esset ista difficultas: tum quia non videbant modum, quo dissoluerent illam: & ideò dico, quòd istud docuit Hippocrates de peripneumonia: quia peculiare est huic morbo, & neque conuenit peripneumoniæ, neque anginæ, licet sit violentior morbus. Et hoc est quia, vt dixi, pulmo transmittit ad cor propter quatuor causas, prima est, quia pulmo semper mouetur, & est valde calidus, & motu suo, quo trahit ad se, & viæ sunt amplæ, arteria venalis, & vena arterialis: quibus si accedat quod plerunque contingit, vt materia sit tenuis (nam ex eiusmodi sanguine nutriri solet: quarto de Vsu par. cap. 15.) tunc omnes causæ aderunt. At postquam est in corde, cum sit membrum robustissimum, sexto de Vsu partium (cap. 8. & 55.) tunc omittit materiam non per venam magnam, vt isti putant, quia fieret cum difficultate magna: tum quia non habet motum

tum euidentem: tum quia clauditur ab intus ad extra: ideo transmittitur per arterias, seu arteriam magnam, quare necesse est fermè, vt ingrediatur per arteriam venalem in ipsum cor: quia per sinistrum ventriculum cordis, atque ita vehementi motu transmittitur per ramum inferiorem: & inde transit ad præcordia. Sed meo iudicio existimo potius, vt plerunque, transmitti ex vena arteriali in dextrum ventriculum cordis, inde ad venam cauam, & ad venam portæ, inde ad præcordia, tandem fieri abscessum ibi, aut in cruribus, vtcunque sit, causa est, robur, cordis motus, & latitudo venarum.

Si verò aliquando) Intendit, quòd indicium transmutationis est, quòd si spirauerit difficulter, & materia superiùs tendat sine manifesta occasione cessabit, non enim connumerauit hoc signum inter signa communia transmutationis ad abscessum: quoniam si materia crassa sit, non cessat difficultas respirationis per transmutationem ad partes inferiores: sed voluit esse signum peculiare transmutationis ad partes superiores: & est etiam signum consequens, & non antecedens, non enim quia cessat difficultas spirandi, materia tendit sursum, sed quia tendit sursum, ideo cessat difficultas spirandi, tertiò dixit, hoc non omnino esse semper malum quòd iure merito timeri posset: vt quia disparet, sine causa mors adsit, nam dicit non verum significat motum materiæ ad superiores partes. Quod verò dixit de symptomatibus malis, cum tamen morbus bonum habet exitum, ostendit vnum aliud è regione huic oppositum: quódque fermè in omnibus morbis lethalibus accidit, & decipit medicos, vt vix vllus sit, qui non fallatur in huiusmodi casibus, existimantes in tempore transmutationis, tamen nondum materia est in loco, ad quem tendit, & tamen discessit è priore: quod temporis est plerunque vnius diei, aut paulò plus, aut minùs, ægrum bene se habere, quoniam cessant symptomata prioris morbi, & subsequentis nondum aduenere: & tamen postmodum decumbit in membrum principale, & æger statim moritur, & medici remanent delusi. Et hoc, vt dixi, est à Deo frequens, vt nil frequentius. Tamen dignoscuntur, quòd hæc alleuatio est citra coctionem materiæ, citra expulsionem, & pulsus non est bonus, & somnus non est quietus, nec anhelitus purus. Et sæpius adest etiam vigilia, & quædam inquies, aut non naturalis actio. Et symptomatum vestigia per interualla, licet vel momento durare videantur, & grauitas in motu.

PROGNOSTICON LXVII.

OMnes autem abscessus, qui fiunt in cruribus, in pulmoniis vehementibus, ac periculosis, vtiles sunt: optimi verò, qui fiunt, sputo iam in pus mutato. Si namque tumor, ac dolor fiant, sputo facto purulento ex flauo, & foras procedente, securissimè cessabit sine dolore: si tamen sputum non bene processerit, nec vrina cum bono sedimine apparuerit, periclitatur articulus claudicare, aut multum negocium præbere.

COMMENTARIVS.

MIsereor horum, qui se Galenicos profitentur: neque enim nunc sermo de Galeno habetur, sed de his, qui infeliciter adeò illius sectam profitentur, nam vbi Galenus aberrat, non habent, quo se redimant, vbi etiam rectè dicit, circa verbula quædam tam tenuiter versantur, vt grammaticuli potius, quam medici videantur: causa est, quoniam non habent, qui doceat, hortor autem quemcunque vt primum ex rebus ipsis discant, illæ docent, illæ veritatem habent, in his lumen diuinum continetur: post hæc Aristotelem legant, perlegant, scrutentur, discant vt omnino eius phrasim, ac neruos adipiscantur: post veniant ad Hippocratem, idemque in illo experiantur, quod maximè consequuturos laboribus nostris spero, demum etiam Galenum aggrediantur, non vbi nugatur, aut vbi oscitanter res tractat, aut exponit Hippocratem, aut medicos antiquos absurda dicentes oppugnat, sed vbi authorem celebrem, artificiosum, & dignum, qui legatur, se præbet, hi autem sunt præcipui libri quatuordecim methodi: decem de Medicamentis secundum locos, septem de Medicamentis secundum genera: quinque de Simplicibus medicamentis priores, tresque postremi: decemseptem libri de Vsu partium: sunt, qui addant sex libros de Locis affectis & tres libros de Crisi: librum de sectione venæ, neque vitupero. Inter commentaria de Articulis: de Fracturis: de his, quæ in medicatrina, de fasciis, fuit enim optimus chirurgus, vt sæpe dixi. Legi etiam possunt libri de Constitutione artis medicæ: de Partibus artis medicæ: de Vsu respirationis: de Motibus manifestis, & obscuris: & de dissolutione continua: reliqua si non superessent, plus forsan vtilitatis, quàm iacturæ afferrent. homines placent sibiipsis, scribunt, plaudent, scriptis suis congaudent, ignorantibus, atque imperitis amicis laudantibus lactucas haud dissimiles labris suis. Ergo, vt ad rem veniam, explicabo primùm, quæ clara sunt: inde difficilia, & dubitatione digna adiiciam. Sensus igitur est: cum proposuisset, duo esse genera abscessuum, vnum ad partes superiores, alterum ad inferiores, modò comparat vnum alteri, dicens: Abscessus ad inferiores partes, est semper cum spe vitæ magna, ac pene cum securitate: quia si fit sputo iam purulento, & forâs procedente, securissimè liberabitur homo, & etiam abscessus discedet breui, & sine dolore: sin autem malè procedat sputum, nec sit concoctum, tamen liberabitur, quamuis difficulter, & cum labore, cur in parte inferiori sint longè securiores, ponitur ab Hippocrate, secundo Epidemiorum (Par. 2. Tex. 25.) his verbis: Abscessus boni sunt, qui infra morbũ fiunt, velut

velut varius lumborum, grauitates ex ſuperniis:optimi verò potiſſimum ſunt inferni, & longiſſimè infra ventrem, & remotiſſimi à morbo, at reliqua clara ſunt:quæ verò dubitationes emergunt, non paruæ. Et ſunt eiuſmodi. Prima eſt, quam proponit Galenus, ſed litera eius malè iacet, nec intelligitur ab expoſitoribus:quamuis ſit valde pulchra. Eſt autem eiuſmodi:Cur eſt, quod in ſputo, quod bene proceſſerit, addit, quòd ſit concoctum in ſputo:quod non bene proceſſerit, non addit, quòd ſit crudum, ſcilicet contrarium concocto, ſed quòd vrina ſit non bona, id eſt non cum bono ſedimine. Secunda dubitatio eſt, quare ſi vrina cruda fuerit in hoc caſu, homo periclitetur, ne claudicet? Tertia, quare ſit neceſſarium, vt ſecuriſſimè, accommodiſſimè liberetur æger, ſputum eſſe iam concoctum, ac perulentum? Ad hanc tertiam ſolet reſpondere ex primo de Morbis vulgaribus(Par.2. Tex.45.& 46. D.Galen.) quòd concoctio ſalutem ſignificat, & ſecuritatem: cruditas abſceſſus prauos, recurſiones, & mortem, & hoc modo intelligendum eſſe Galenum, cum dicit, hoc dictum eſſe primo Epidemiorum. Sed iſta reſponſio non videtur ſatisfacere, niſi his, quibus verba, & fuga ſatis ſunt loco rerum, & ſcientiæ, nam quid refert, poſtquam materia traduci debet ad alium locum, quod ſputum ſit concoctum, vel ne:quoniam materia, quæ deriuatur ad abſceſſum, proculdubio concocta non eſt, aliter reſudaret, & expueretur, nec indigeret tranſmutatione, & ideo ſi quis velit ouum non alio nomine nominare, quàm ouum, & gallinam, quàm gallinam, & non per ouum intelligere gallinam, & per gallinam intelligere ouum, cogetur dicere, iſtos Galenicos verè nihil ſcire, nam ſi ſcientia eſt deductio rei ad prima principia, & cognitio illorum, & per illa, vt rectè tradit Ariſtoteles:hi, qui ſciunt hoc modo res, quæ docentur ab Hippocrate, non plus eas ſciunt, quàm picæ, vel corui, quæ dicant.

Propterea neceſſarium eſt ſcire, quòd in talibus deriuationibus materia peripneumoniæ, non tota tranſmittitur, vt iſti credunt. Sed tenuis pars expuitur, craſſa tranſmittitur, quòd ſi tenuis fuerit, concocta, craſſa, eiuſmodi erit, vt non ſit concocta, ſed vt concoqui poſſit, in multo tamen longiore tempore: & ideo morbus erit facilior, & breuior, eſſet enim error magnus naturæ, quod mitteret materiam concoctam in alia membra ad putrefaciendum ipſa: ſed mitteret ad canales per aluum, vel per vrinam.

Secundæ dubitationis ſolutio eſt, quòd vrina cruda eſt cauſa claudicationis: quia licet materia cruda tranſmittatur ex pulmone ad articulos inferiores, non tamen poterit eſſe tanta, vt efficiat claudicationem. Sed ſi à toto deriuetur etiam præter illam, quæ eſt à peripneumonia, tunc fiat claudicatio propter multitudinem materiæ(4.Aph.74.) Nam abſceſſus in articulis fiunt decumbente humore crudo, & craſſo:ad illos claudicatio verò reſiccato.

Ad primam dico quod ſententia Hippocratis(De locis in hom. pag.4.) eſt eiuſmodi:Si materia peripneumoniæ facilè expuatur, neceſſe eſt etiam, vt ſit concocta, quia aliter illud ſputum non poterit perſeuerare:& ideo nec æger liberari, & hoc eſt verum: & vidi in patiente morbum lateralem, qui expuebat magnam quantitatem ſputi, & cum facilitate, crudi tamen: & tandem mortuus eſt, & ego mirabar, quomodo poſſit hoc facere natura, cum eſſet ſputum viride, & malum, & ipſe ſenex? & reſpondeo quòd cum pectus eſt amplum, & robuſtum, & loca illa humida, & febris non admodum vrget, & materia eſt compoſita ex contrariis partibus, tunc iſtud accidit:& ideo raro. Ergo neceſſarium fuit Hippocrati addere hoc, quòd ſputum ſit concoctum vltra id, quod bene procedat ad hoc, vt tam morbus, quàm abſceſſus ſit ſecurus, & facilis. At verò cum addidit prauitatem vrinæ, non poſuit tanquam contrarium in cruditate ſputi: ſed voluit declarare duo. Primum, quod eſt admirabile ſanè, ſcilicet tantam eſſe vim huius deriuationis, vt in morbo peſſimo cum malo ſputo, & mala vrina, homo poſſit euadere à morte, & eſt caſus rarus, & notatu dignus. Secundum eſt, vt doceret exitum totius rei perfectum, & eſt, vt medicus egregius poſſit prædicere claudicationem ex peripneumonia:quod eſt pene ſuper naturam, & admirabile valde.

Quæſtio autem illa, quam quidam proponunt, ſcilicet an deterius ſit, non poſſe ſpuere, & eſſe concoctum ſputum? an ſpuere, & eſſe crudum, malè ſoluitur? quia non poſſe ſpuere, affert mortem certam, quamuis ſputum ſit concoctum:ſpuere autem, licet ſputum ſit crudum, poteſt ſuccedere coctio, & ſeruari: & ideo eſt multum minus malum. Et ſolutio ſua eſt valde abſurda, cum cruditas non ponatur inter ſigna lethalia vllo modo. At retineri ſputum, non ſolum eſt lethale, ſed lethaliſſimum: & ideo hoc euenit, quia non exercuerunt artem medicinæ, niſi in paucis:quamuis etiam in Regibus. Talia enim non poſſunt ſciri, & bene iudicari, niſi à valde expertis, & longo tempore in arte. Et etiam iſte error aduenit, quia non intelligunt Hippocratem hic: putant enim velle, quòd fiat deriuatio, ceſſante ſputo: etiam quòd adſit tuſſis, & in hoc falluntur, quia Hippocrates vult, quòd vel ſputum procedat, cum concoctum eſt:vel quòd nullum ſit ſputum:neque tuſſis, neque voluntas ſpuendi. Et ſi bene animaduertis, error etiam accidit, quia putant, quòd materia concocta tranſmutetur propter verba Hippocratis in textu: ſed non eſt ſic; verùm ſpuitur concoctum, & tranſmutatur crudum ad abſceſſum: ſed crudum eiuſmodi, vt paratum ſit coctioni, verba enim illa (ἢν δὲ πτύελον μὴ ἐκχωρέῃ καλῶς) intelliguntur, vt dixi, de concoctione, & expuitione, & non de expuitione ſola: ideo ſententia Hippocratis eſt clara, & magis interne Cornarij nam pro ſputo iam in pus mutato, Cornarius habet, ſputum iam in mutatione, eſt: quod etiam græcè clarum eſt, τὸ πτύελον ἐν μεταβολῇ ἤδη ἐόντος. Ideo dum voluit ſequi elegantiam ſermonis, amiſit ſenſum, multum enim dicitur, mutari, & mutatū eſſe: conuerti in pus, & purulentum factum eſſe.

PROG

[P]ROGNOSTICON LXVIII.

[S]I verò abſceſſus ἀφανίζονται, id eſt repente occultantur, atque recurrunt, ſputo non procedente, ac febre non dimittente, malum eſt: periclitatur enim homo delirare, atque mori.

COMMENTARIVS.

CVm ſuperiùs docuiſſet, duo genera eſſe abſceſſus, per quos liberantur peripneumoniæ: & in præcedenti (Tex.35.) docuiſſet de abſceſſu facto in partibus inferioribus, quòd omnino liberat, etiam ſi appareat cum ſputo crudo & vrina cruda, quantò magis liberabit, etiamſi per fiſtulam deriuatio fiat, adeò vt cum ſputo crudo & vrina æger omnino euaſurus ſit, & etiam ſine claudicatione, & cum hoc ipſum ſit verum de abſceſſibus inferioribus, verum ſit de maturis ſputis, & non maturis ſputis, & de abſceſſibus, & fiſtulis, multò magis in ſuperioribus quoque verum erit: ſed non adeò certum, & longè minùs, cum vrina fuerit cum ſedimento crudo, aut ſine ſedimento. Hic contraria ratione docet, præcipuè de ſuperioribus abſceſſibus: ita tamen, vt ad inferiores etiam extendantur. Neque enim pariter de vtriſque intellexit, neque pari periculo in inferioribus, vt in ſuperioribus, nam etſi repente euaneſcant, non tam pronum eſt loquendo de his, qui fiunt in cruribus, vt recurrant in membrum principale, aut vitæ neceſſarium, velut parotides, & occidant, ſed minora mala facere ſolent. Parotides enim cum euaneſcunt, & febris manet anginam, aut alteram cataphorarum, efficere ſolent, vt vtraque via hominem interimant, aut ſtrangulando, aut abſceſſum in cerebro faciendo aut illud omnino corrumpendo. Quòd ſi dicas, me ex clara doctrina obſcuram facere, ex ordinata confuſam? non eſt verum aſſuetis noſtra legere: quinimo per hanc fiunt, poſtmodum prædictiones illæ admirabiles, per quas innotui tam Bononiæ, quam Mediolani, quæ non ſunt notæ cuiquam noſtra tempeſtate, imo aliqua parte Galenicis nobiliores, quanquam crediderim, & illum excelluiſſe plurimum in hoc genere, tametſi qui eum ſequuti ſunt, omnino hac in parte degenerauerint, vt etiam in pleriſque aliis.

At nunc præſtat vtramque comparare, Hippocraticam ſcilicet, & Galenicam prædictionem, iuuat autem plurimum, imò forſan neceſſe eſt, talia intelligere. Dico ergo, quod Hippocratica prædictio intellectu longè difficilior eſt Galenica, quoniam conſtat ex pluribus, & eſt varia, nec poteſt adeò in docendo ad pauca redigi. Verùm in exequendo, ac deducendo ad actum Hippocratica ſenſui propior eſt, & inde facilior, ac ſecurior. Exemplum dicamus, quòd pulſus tremulus ſignificat facultatem ſæpe proſtratam corporis, habitum gracilem, & arteriam mollem: hæc ita certè ſe habent. Sed tamen ſæpe contingit, vt cum tremulus ſit propinquus liberato, & etiam conuulſiuo, cum offertur pulſus (2. de Præſ. ex pulſ. c. 12.) Eiuſmodi aut omnino cogeris placere, atque ita prædictio redditur inutilis: aut aberrare toto cœlo, & pro gloria vituperationem conſequi, & ſtultitiæ opinionem adipiſci, quo nihil eſt deterius: aut prædicere hoc modo, vel hic conuelletur, vel deueniet in ſyncopim, aut breui morietur, aut modicam debilitationem, imò potius robur cum contentione quadam, ac quaſi conuulſionis principio (primo de Præſ. ex pulſ. cap. 4.) Forſan huiuſmodi prædictionem imperiti, & plebs ipſa admirabuntur, at ſanè, quis eſt cordatus vir, qui ridiculam eam non eſſe videat? & talem medicum omnino potius ex ſibilatione dignum, quàm admiratione. Optarent iſti, vt dixi, facilem, & exactam vtroque modo, ſcilicet intellectu, & opere notitiam: ſed impetrari nulla ratione poteſt.

Iam ergo ad rem veniamus. Dictum eſt, quòd Hippocrates præcipuè tradit doctrinam in præſenti textu abſceſſuum ſuperiorum, ſcilicet parotidarum: ex conſequenti autem omnium criticorum abſceſſuum, in peripneumonia: tertiò omnium criticorum abſceſſuũ in quouis morbo: vltimò quorumcunque abſceſſuum, etiam non criticorum. Et quia, vt dixi, principaliter loquitur de parotidibus in peripneumonia, ideo apponit quòd repente occultentur: quòd retrocedant: quòd ſputum non procedat: quodque febris permaneat, hæc omnia ſi adfuerint magnum vitæ periculum afferunt. Galenus ſuo more ad tria reducit, & qui eum ſecuti ſunt, cum veriùs ſint quinque quàm tria: ſcilicet vt occultentur: vt repentè: vt retrocedant: vt ſputum retineatur: & febris maneat, diſtinguitur ſecunda à prima, quoniam per reſolutionem poſſunt occultari, vt primo in primum Epidemiorum (Tex.10.) ſine malo, ſed ſenſim, non repente. Quòd verò retrocedant aliud eſt, quàm quòd occultentur, nam in profundum redit materia, & differt à reſolutione: tum quia ſentitur pondus in membro: tum quia ſtatim fit, vt deliteſcat: tum etiam ob moleſtiam, quæ ſentitur: demum quia dum retrocedit premendo apparet durities: non ita, dum reſoluitur.

De cauſis ergo horum dictum eſt in illo Aphoriſmo (62. par.5.) Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuellũtur valde, neque inſaniunt: verùm his euaneſcentibus derepente quibuſdam à tergo conuulſiones & diſtentiones fiunt: quibuſdam antè inſania, vel lateris dolor acutus, vel ſuppuratio, vel difficultas inteſtinorum, ſi tumores ſint rubicundi. Et rurſus ſexto Epidemiorum (par.4. Tex.p.) Quibus ſecundum aures iudicationis tempore genita non ſuppurauerint, hoc innanito reuerſio fit ſecundum rationem reuerſionum: reuerſione facta, iterum tolluntur, & permanent, quemadmodum febrium reuerſiones in ſimilem circuitum. In iſtis ſpes eſt in articulos abſcedere. Meliùs exiſtimarem, vt quæ ſcripſimus in vtroque horum Commentariorum ſupraſcriptorum, perlegas, ne vel neceſſario aliquo ad huius loci intellectum deſtituaris.

tuaris Si neque tu illa,quæ ibi ſcripta ſunt, legere velis,neque ego hic denuo hic aſcripſero,aut ſi ego denuò hic aſcripſero,præter id,quod non ex more meo repetam,longiſſimam hanc faciam expoſitionem.Et de eiuſmodi quidem homines Galeni ſententiam primo Prorrhiticorum (com. p. in fine) Talium enim ſignorum genus deterrimum eſſe conſtat. Nempe quæ vel tubercula, vel puſtulæ ex imo ad cutem enata recurrerint, grauiſſima omnium exiſtunt : ſudores quoque,qui cœperunt quidem,ſed protinus ceſſauerunt, praui ſunt : deiectiones item, & quæ per ſanguinis eruptiones vel in mulieribus per vterum vacuantur. Omnia ſiquidem hæc deteriora his ſunt, quæ nullo appacto,ſi vbi cœperint,ceſſent. Contingit enim interdum, coquentem adhuc contriſtantia naturam, nondum ad horum expulſionem excitari. In illis verò,quæ cœperunt quidem, ſed protinùs deſierunt, apparet veluti excitatio quædam, natura excernere, quæ moleſta ſunt, conante, atque ita ob imbecillitatem, quod propoſuerat perficere nequeunte,& rurſus in tertio eiuſdem(Tex.28. ideſt vltimo) vbi Hippocrates inquit (Dolores abſque iudicatione ſoluti inutiles)inquit Galenus : Iam ſæpius ſermo hic,tum particulariter,tum vniuerſaliter dictus,meliuſque oſtenditur, ſi adiiciatur, repente occultati.Nam καταμολυνθέντα ſolutionem,quæ ſenſim fit, ſignificat. Repentè verò occultari dolorificas affectiones abſque hoc,quod in alia quadam,quæ manifeſta ſit, parte abſceſſus fiat, tranſmigrationem contriſtantium ſuccorum ad viſcera ipſa factam oſtendit.

Iam ſcio te credere, intellexiſſe omnia (immemor cum ſcis eorum,quæ tibi dixi ſuprà(cum nihil intellexeris,hocque nunc fateberis. Sententia igitur eſt, cum abſceſſus maximè poſt aures in peripneumonia delituerit repentè, recurreritque ad interiores partes, ſputumque difficilè factum fuerit febriſque intendatur, magnum periculum eſt,ne æger ad delirium perueniat:quoniam non ea portio, quæ forâs exiit in abſceſſu, retroceſſit, ſed natura motum ad eam partem molita eſt,& conatu magno portionem quandam tenuem, ac vaporoſam extrudit, quæ vbi ſtatim reſoluitur, nulla alia ſuccedente imaginem præbet, quod euanuerit, ſeu retroceſſerit, cum tamen materia ſit in via,non quod verè retroceſſerit.indicat igitur, tria conatum naturæ volentis tranſmutare materiam ad alium locum,nec potentis concoquere in loco, ſeu maturare, ſecundò impotentiam etiam tranſmutationis ad ipſum locum,tertiò materiam eſſe motam extra locum in parte. Si ergo fuerit maior pars retenta in pulmone,cum ſputum ceſſet, & materia incocta ſit, & febris maneat,neceſſe eſt ſuffocari : primo de Victu in acutis (Tex. 34. & antè & pòſt) Vbi etiam docetur, quod aliqui læduntur mente : ſed Galenus refert ad vinum, hic non non eſt neceſſe, vbi iam materia multa prope aures venerit, corrumpit enim ſanguinem, qui ad cerebrum peruenit, atque ita interficit : & ideo iſtud habet locum maximè in parotidibus, remanet enim materia in corde, vt ſuperiùs demonſtratum eſt (com.33.) & in venis iugularibus.

PROGNOSTICON LXIX.

EX empycis,qui ex pulmonis morbis tales ſunt,ſeniores potius moriuntur : ex aliis verò ſuppurationibus iuniores potius intereunt.

COMMENTARIVS.

PRopoſitum eſt Hippocrati, vnum morbum non obſcurè pro omnium exemplo diſcutiendum proponere, cuius imitatione nos parulidem aſſumpſimus, ſuper quo libros illos incomparabiles conſcripſimus: neque enim tale quicquam ab alio ſcriptum inuenias:neque tanto labore, cum ſolum eſſet ſexaginta chartarum, dum in ordine redigere tentarem,primùm deſperatio & confuſio,deinde labor ingens acceſſit,ac tantus vt non alij, rei intentus per totos penetres menſes cum tribus amanuenſibus fuerim, tandem abſolutus, nunc me delectat, &, vt Narciſſus, me ipſum in mea imagine admiror:quod,quicunque legerit,facere cogetur, nam ab Hippocrate hic ſub ichnographia propoſitum:ego opere ipſo abſolui,vt vnius morbi perfecta tractatione omnes intelligi, cognoſcique poſſent, & de illis ſtatui, quid ſperandum,& quomodo eum amoliri oporteat. Et vt iuremerito ille peripneumoniam (quippe artis conditor) aſſumpſit difficillimum morbum, & in quo ſingulæ differentiæ,quantumuis minimæ, euidentiùs, & latiùs patent, quippe ob magnitudinem, tum propriam, tum cauſarum:ita ego contra parulidem propoſui minimum morbum,vt docerem,quàm ſubtiliter inueſtigare poſſimus, ac debeamus quaſcunque exiguas differentias, in quibuſcunque morbis aliis, quod tantò facilius factu,quanto more mathematicorum angulorum per quam paruum interſtitium docet ratione cognoſcere ſubiectarum in circulo periferiarum diſcrimen, ita vt Hippocrates cum eſſet inuentor, coactus ſit doctrinam, ac ſcientiam colligere à ſenſibus, ideoque maioribus & manifeſtis interuallis indiguit, vt ad minora deueniret : ergo contra iam cognita per Hippocratis ſcripta doctrina à cognitione intellectus ad eam, quæ per ſenſum fit,& praxim. per contemplationem docens(cum ille contemplationem ſeu theoricam ex praxi inuenerit,) oportunius minimarum differentiarum exemplum aſſumpſi, cum hæ non fatigent intellectum, ſed quaſi meliùs intelligantur, cumque doctrina noſtra à notioribus procedat, in ea per quam ab intellectu ad ſenſus procedimus, aut contraria ratione à ſenſu ad intellectum, ambo contraria, ſi licet, complecti oportet: & ita, vt vnum quodque notius ſit ſuæ vi animæ cognoſcentis : hoc autem proprium artibus ipſis tradendis.

Igitur

Igitur quibusdam visum est, quoniam infrà (Tex. 14. Tert. Prog. secundum Galen. Diuis.) dicit Hippocrates: Pereunt autem ex dolore auris acuto cum febre continua, atque vehementi, iuniores quidem die septima, & adhuc citiùs, seniores autem multo tardiùs, febres namque & deliria minùs eis superueniunt: & hanc ob causam febres suppurari præueniunt. Verum in his ætatibus morbi superuenientes plurimos interimunt. Iuniores tamen ante auris suppurationem moriuntur, si autem pus album ex aure defluat, spes habetur de salute iuuenis, si aliquod aliud bonum signum ei superueniat. Manifestum est liquidò Hippocratem ne hic quidem somniasse, quod senes plures euadant, quàm iuuenes, scilicet ex dolore auris acuto, maximè cum scripserit (4. Aphor. 34.) In morbis minùs periclitari ægrotantes, quorum ætati congruit morbus: acuta autem febris non conuenit seni, ideo nil amplius in Aphorismo (p. Aphor. 14.) voluit, quàm quod ex doloribus, qui fiunt per aurium abscessus, iuniores plures celeriter, seniores autem plures tardè intereant. Vniuersim autem non definiuit. Hic ergo (3. Aphor. 31.) intellexit aliud, scilicet destillationes, quæ ad tabem ducunt, & difficultates spirandi, nam hæ sunt familiares ætati: & ideo minùs periculosæ in illis, cum humores minùs acuti sint in senibus, minùs ferueant, & membra sint sicciora, minùs erodit viscus: ideoque minùs contabescunt: Cum autem dixit (iuniores) comparatiuum dixit, quod minùs refert positiuo: velut etiam, cum dixit (seniores) hoc autem habet comparatiuum, quod etiam in eadem ætate eundem seruat ordinem: vt potè quadragenarij comparantur ad quinquagenarios, & hi sexagenariis: rursus hi septuagenariis, & hi octuagenariis. Semper enim cum sit morbus calidus, & à multo sanguine, quantò ætas magis processerit, tantò morbus est naturæ contrarius: ideo etiam magis perniciosus. Est etiam impedimentum in respiratione, quæ cum sit multò imbecillior in sene, celeriùs & faciliùs senex peruenit ad suffocationem. Tertia est, quòd in his ob abscessum interiorem faciliùs cogitur calor intùs, & refrigerantur extrema, & sudant sudore frigido, & moriuntur. Quarta, quòd tardius suppurant: & vbi suppurauerint, minor est spes, vt eiiciatur humor purulentus: & ob id intereunt.

Circa ætates, quanquam aliàs diuiserim eas, non tamen subtili methodo eas sum prosequutus, vt decebat, maxima enim est varietas in eis enumerandis: vnde non leues errores contingunt. Quidam enim negant, posse definiri per annos: quænam ergo earum notitia? alij volunt definiri per eosdem numeros, quod experimento contradicit: nec vlla inuenitur media via. At si aduerteris, dicam, quomodo ætates annorum numero sint definiendæ. Certum est, quòd vsque ad quadraginta dies infantes, vel minima causa periclitantur, maximè prima die: pòst vsque ad tertium annum sunt valde imbecilles, & est tēpus lactationis: ab eo ad septimum annum vsque, dum fit mutatio dentium, & hoc est quartum tempus comprehensorum. In prima ætate cum ætas dicat mutationem iuxta cursum naturalem: iuxta quartum decimum annum fiunt potentes ad venerea: in vigesimoprimo est finis incrementi euidentis in longitudine: ad trigesimum quintum annum vsque crescunt vires, cum circa vigesimumoctauum corpus desinat in latum se extendere, consistit à trigesimoquinto ad quadragesimum secūdum: hoc autem rectè, & ex ratione viuentibus. Hic ergo oportet attendere hominis statum, nam qui robustissimi sunt natura, in his declinatio nulla euidens fit, nisi ad quinquagesimum annum. Cum enim consuetos labores non omnino illæsi ferunt, iam tum incipit cruda senectus, quæ cum primum secundum naturam à quadragesimo tertio: antea vel ex regione, vel ex imbecillitate naturæ, vel ex errore, id contingit contra naturam, finem habet ad sexagesimum tertium: si verò à quadragesimonono incipiat, extenditur ad nonagesimum primum: at si à quinquagesimosexto, tum ad centesimum decimumnonum seu vigesimum. Hic est terminus senectæ crudæ, ac primæ, in qua sunt robusti adhuc, tum graues difficulter, mediocres autem placidè, quales sunt per vrbem discursationes, ferunt labores.

Secunda verò, quæ propriè senectus est, in primis cum sit necessariò maior prima pertingit ad nonagesimumprimum annum: in validioribus ad centesimum quadragesimum septimum: in robustissimis ad annos ducentos triginta vnum. Hæcque ætas est, in qua sunt sapientissimi. Vltima verò, quæ ducit ad mortem, est à nonagesimo primo ad centesimum vigesimumsextum, meliorum autem annorum propè trecentorum & sexaginta: optimorum verò ad annos propè quingentos. Totius autem vitæ secundum naturam actæ tertia pars inutilis omnino redditur: vt centum septuaginta postremi, in optimè constitutis: in bene autem centum quadraginta: in mediis autem anni plusquam centum, quod non accidit in præcocibus. Horum si status à trigesimo ad trigesimumquintum annum finiatur, secundi senij pars vltima est septuagesimus annus, primi autem quadragesimusnonus, & antea secundum eandem rationem: trigesimitertij sexagesimustertius: quadragesimus quartus initium secundi senij: si verò quadragesimus consistendi sit finis, secundi senij octuagesimusquartus, quinquagesimusquintus autem, aut sextus, finis primi.

Poterant forsan, quæ hic adducta sunt de ætatibus absurda videri, quæ nec demonstrantur, nec authoritate confirmantur, cum vtrunque necessarium videretur in his, quæ aliena sunt adeò ab experimento, vt neque ab Hippocrate, nec Aristotele tale quippiam commemoratum sit, aut vnquam postea visum. Verùm & experimento ipso coarguitur: quamuis enim lucerna puri olei ac pari cum impuro ponderis duplum fermè temporis exigat, cum impuro nihil etiam per ignem secernatur aquei, sed totum colligatur, quomodo fieri potest, vt in homine quintupli discrimen sit, in quo fit separatio impuri

impuri à puro, quotidiéque per vrinas, & sudores illud segregetur? Nec minus importunè dictum hic, cum nulla mentio prorsus habeatur de ætatibus, vt quæsita occasio, & parum conuenienter hoc in loco huiusmodi tractandi non oblata, vt expoſcere, aut exigere res ipsa hanc disputationem videatur. Verùm non de ætatibus hic sermonem instituimus: sed aliorum sententiam expositorum secuti, quos seniores intelligat, edocuimus. Quod verò totannorum descriptio vana videatur, atque inutilis nemine ad eam ætatem accedente, non ob id dictum est, vt necessarium sit, sed vt ratio rei habeatur, namque dubium non est, quin nostra ætate magis indigeamus enumeratione, quæ fit iuxta ætates casu diuisas, scilicet ad quadragesimum vsque, vel ad quadragesimum secundum annum. Quod verò dicitur de lucerna, dico, quod exemplum non est ad propositum, quia in lucerna ignis non sustinetur ab ipso oleo, nisi quo ad alimentum, sed non quo ad motum: habet enim motum ab aëre, at in nobis calor naturalis habet alimentum, & motum ab humido proprio. Secundum discrimen est maioris momenti: & est, quòd calor naturalis in nobis restaurat humidum, quo debet vesci: sed calor ignis in lucerna neque restaurat vllum humidum, & vbi restauraretur, restauratur ab agente exteriore imponendo nouum oleum: & ita similitudo nullo modo congruit, neque enim dubium est, quin sola ratio motus in igne non faciat maiorem resolutionem, id est, semper æqualem, qualecunque sit humidum at verò in humido naturali non idem contingit, sed quantò humidum fit crassius, motus minuitur: & ideo ætas senectutis producitur, & similiter propter restitutionem humidi semper magis restauratur, & meliùs, atque perfectiùs, & ideo duplicando rationem, quæ pendet ex perfectione humidi, aliam habemus ex ratione motus velocioris, & tardioris: & tertiam, quæ est è ratione perfectionis humidi: ergo simul aggregatæ producent saltem duas duplas, id est, quadruplam proportionem, quadruplum autem centum viginti annorum est prope quingentos annos: ergo res redit ad idem. Causa verò, quare experimentum non succedat, est tam multiplex errandi ratio, nam primum in in lactatione lac non est perfectum, neque etiam dant debitam quantitatem, neque debitis horis: inde etiam in subsequentibus temporibus exhibetur malus cibus, & compositus, & pluribus vicibus, cum non oportet, & quando non oportet, & quia, vt dixi, non concoquitur à calore perfecto, sed iam priùs vitiato, etiam quod esset perfectus cibus, non exhiberet perfectum alimentum, quantum minus neque agens, quod mutat sit perfectum, neque ipse cibus, neque modus, aut quantitas: & ita corrumpitur multis modis, & fit lapsus magnus, vt non redeat ad quartam partem perfectionis, & ad hoc iuuant curæ, vigiliæ, labores importuni: & quod maximum est, quia sunt iam debilitati à generatione, & ideo non possunt habere vltimam perfectionem. Dato etiam, quòd viuerent secundum rationem omnem: & ideo non videatur mirum magis, quàm si videremus equum viuentem in nemoribus centum annis, multum enim differt vita hæc tot modis vitiata: & serua à vità libera, & secundum rationem, & de hoc locuti sumus alibi (In libro de Proportionibus)

Quod verò dicit Galenus, & reliqui, quòd senes vltimi senij nullo ex morbo magis conualescunt, quàm iuuenes, ostendit Galenum non curasse multos ægros, nam ego curaui senem ex Sormanis ex tertiana producta, qui conualuit, cum ageret nonagesimumtertium annum: alios similiter decrepitos senes; & hoc est, quia longè minor est morbus in comparatione ad morbos aliorum, quã vires ad vires: ideo illud debet intelligi de morbis, aut æqualibus, qui fiunt ab æquali causa, vt potè ab exercitatione, à pluuia, & similibus, & non spontaneis. Distinguere autem ætates per signa licebit satis vtiliter, sed non securè à canicie: primùm capitis, deinde barbæ: secundum à rugis faciei: tertium à potentia venereorum iuxta naturæ rationem: quartum à robore sensuum maximè visus, & auditus: quintum à memoria: sextum à splendore coloris: septimum ab vrina splendida: octauum ab excrementorum paucitate (nam proprium senum est abundare multis excrementis: iuuenes enim si multum edunt, multum etiam concoquunt: & si parum, pauca resecantur excrementa,) nonum à carnis multitudine: decimum à velocitate & frequentia, & ordine pulsus (& hoc plurimum refert, quia quamuis facultas naturalis senescat ante tempus, potest tamen homo diu viuere, sicut etiam in planta, quia facultas illa caret motu euidenti, sed vitalis, cum senescit, celeriter deducit ad mortem ob magnas mutationes) vndecimum à dentibus nitidis, & albis, & æqualibus: duodecimum à tolerantia laborum: tertiumdecimum à longitudine, & profunditate somni. Et scias, quòd est triplex senectus iuxta tria principalia membra, nam ratione testium homo celeriùs senescit semper: & ideo barba fit cana, ergo prima trium est, à facultate animali, & à cerebro: & secunda fit à iecore: & tertia fit à corde; & esse iuuenem secundum cerebrum, meliùs est, quàm secundum iecur: & secundum iecur, quàm secundum cor, sed esse senem, contrario modo se habet: plus enim refert, quòd aliquis sit senex secundum cor, & deteriùs est, quàm secundum iecur, & secundum iecur, quàm secundum cerebrum: & secundum cerebrum, quàm secundum testes. Et scias, quod mutatio ætatum senij multis fit in vno anno euidenter, & persæpe per morbum magnum, & aliquibus sensim, & per varias debilitationes.

PROGNOSTICON LXX.

Dolores verò cum febre facti circa lumbos, & inferas sedes, si septum transuersum attigerint inferas sedes

sedes relinquentes, valde lethale Aliis igitur signis mentem adhibere conuenit: quoniam si aliquod aliud signum malum apparuerit, desperatus homo est.

COMMENTARIVS.

IN græcis codicibus hic incipit tertius liber, qui nobis esset quartus, sed non recte, cum Hippocrates de eodem etiam morbo agat in comparatione ad motum, vt manifestius videbimus in sequenti textu: & propterea: qui putant ipsum mutare institutum, decipiuntur. Sententia ergo est: Si quis animaduertet diligenter ei ad vnguem contraria superiori, vbi dicit, omnes autem abscessus, qui fiunt in cruribus, vt ergo descendere morbum, & transferri in locum minùs periculosum, tutissimum est: ita contraria ratione, à partibus ignobilibus ad partes nobiles ascendere, periculosissimum est. Innuit ergo Hippocrat. tres modos. Vnum optimum, vt materia ex loco nobili ad ignobilem, & ad inferiorem transferatur, pessimum vt contrario modo ex ignobili ad nobilem, & ex inferiore ad superiorem locum transferatur: medius est, vt ibi generetur, & ibi finiatur, vnde liquet, quòd loquitur adhuc de peripneumonicis.

Hic animaduertere oportet, quòd præsupponit adesse febrem scilicet & acutam, quod omisit breuitatis causa, nam vbi non adesset, nullo modo esset signum lethale: quia in podagra, & arthritide hoc aliquando contingit citra vitæ periculum, quia materia extra fertur, nam cum intra fertur, & iam fecerit dolores circa lumbos, est semicorrupta: ideo necessariò facit febrem, cum ergo non facit, signum est, quòd non intus fertur, sed in superficie. Quomodo autem materia ascendat, neque Galenus, nec alius declarauit. Quid enim est, quòd cogat naturam contra naturam, & contra se ipsum agere, certum est enim quòd si motus à superiore parte ad inferiorem, & à nobili ad ignobilem, est naturalis, quòd contrarius illi est violentus. Et ideo dico, quòd oportet istud fieri ex tribus modis. Aut quia membra superiora sint debiliora inferioribus, & ita velut in republica malè ordinata, mali, & imperiti super ciues bonos & peritos: ita & in corpore malè affecto, sed difficilè est inuenire modum, quomodo possit esse robustior pars lumborum, quā partes prope cor, vbi tam vehemens est calor, tot spiritus, & tantus motus. Secundus modus est, vt hoc fiat vi astrorum: sed tamen cum illa vis vteretur medio facultatum inferiorum, adhuc hæremus in vado. Tertius modus est, vt materia ob leuitatem suam feratur sponte, sicut etiam in mundo ad partes superiores. Sed dubium est in hoc, quoniam etiam materiæ crassæ ascendunt, & melancholicæ maximè: ergo non est ex motu elementari. Aliquando imaginatus sum, quòd hoc contingeret, quia natura à principio transmiserit in longinquam partem: deinde ob imbecillitatem non possit transmittere: & ita fiat morbus in superiore parte, sed materia nondū transmissa, non quòd illa redierit ex inferiore parte ad superiorem. Sed hoc habet duas difficultates. Prima, quia morbus fieret in media via: & hoc non videmus. Secunda, quia nos videmus morbum, dolorem & tumorem recedere verè ex parte inferiore, propterea dicendum, quòd istud contingit ob calorem, qui agit in materias, vt in lebete: & ideo cum materia illa sit mobilis, & ab initio detrusa ad locum ignobilem, & remotum, debilitato calore naturali, & præter naturali aucto cum sit vndequaque conclusa: tum quia partes tenues ob calorem ascendunt, ideo tota sequitur motum illum: & si natura non priùs superasset eam pareem, omnino homo per incuriam moriturus esset: facta separatione, statim putrescit, & ita mouetur ab vtroque calore, primò quidem semper ad ignobiliorem partem: sed persæpe non potest perficere. Sequitur secunda dubitatio, quæ facit ad declarationem primæ: & est, quare necesse sit ad significandam mortem, oportere adesse aliud signum & quoniam hæc sententia scribitur à ibi, secundo enim Prorrhiticorum (35.) inquit: Ex lumborum recursione oculi peruersio mala, sed hic non se contrahit, vt morbus redeat ad præcordium, sed sufficit, vt petat membrum principale quomodocunque, ergo materia tendit ad membrum principale, si signum aliquod malum adfuerit, velut peruersio oculi: istud est lethale, & causa est manifesta, & sæpius declarata, & si fiat ab initio morbi, significat morbum breuiorem: sin autem pòst multò longiorem, sed omnino lethalem, quia quo tempore materia debuit esse magis obediens naturæ, eò magis sæuit morbus. Dicebat præterea sexto Epidemiorum (*par.* 7. Tex. 18.) Lumbis dolentibus, *si recursus* doloris ad latera fiat, & tuberculum, quod seps appellatur oriatur malum. Facilè incideremus in aliam difficultatem, est autem tuberculum (lib. 9.) seps à putredine dictum, cuius similitudine serpens etiam sit dictus:

> *Ossaque dissoluens cum corpore tabificus seps:*
> *Parua modò serpens.*

Ideò hic accipitur pro tuberculo putrefacto, & depascente partes vicinas: à Lucano pro serpente, qui eundem facit affectum recurrere: ergo dolorem ad latus per se malum est. Cur autem indigeat aliquo signo prauo, vt potè prauitate vrinarum tuberculo putrefacto, vt hic conuulsione, vel simili, ob id est, quia ab initio potest leuis materia hoc facere ob vehementem calorem, præter naturam: & ita poterit seruari.

PROGNOSTICON *ad præcedens.*

SI autem assurgente morbo versus septum transuersum alia signa superuenerint, non mala, ipsum empycum futurum valde speratur.

COM

COMMENTARIVS.

DOcet, quòd minus malum eſt in peſſimo caſu: & poteſt eſſe regula generalis de omnibus abſceſſibus, qui fiunt in locis nobilibus ex loco ignobili: ſcilicet quòd cum dolor hoc modo aſcenderit, nec apparuerint ſigna mala, tunc optimum, quod ſubſequi poſſit, eſt, vt deueniat ad ſuppurationem, & hoc contingit, quando reditus ille materiæ fit ſolum ob tenuitatem illius, aut vehementiam caloris præter naturam, & non ob aliquam cauſam malam, quæ ſunt: imbecillitas loci ſuperioris: imbecillitas caloris naturalis: multitudo humorum: prauitas materiæ, dolor autem antecedens in parte ſuperiore eſt cauſa, & ſignum quaſi indifferens, vt enim attrahit eſt ſignum nimis malum: vt verò ſignificat partem læſam imbecillem, eſt malum ſignum. Hoc autem præcipuè dictum eſt propter ea quæ ſcribuntur Primo Epidemiorum (lang. 13.) libet autem adiicere ſeriem verborum, quæ verè eſt admirabilis. Inquit enim: Mulierem, quæ decumbebat in Lictore trimeſtri, fœtu grauidam, Febris vehemens corripuit: ſtatimque lumbos dolere cœpit. Tertia dolor colli, capitis iuxta clauiculam, & manum dextram, ſtatim lingua voce deſtituta eſt, dextra manus reſoluta eſt cum conuulſione, velut his, qui aliqua ſyderantur parte, contingere ſolet. Delirabat penitus, noctem moleſtè tulit, non dormiuit, aluus turbata eſt ex bilioſis meris paucis. Quarta die lingua voce ſoluta eſt: conuulſiones eorundem: dolores omnium permanebant. Iuxta præcordia tumor cum dolore: non dormiebat: penitus delirabat: aluus turbata: vrinę tenues, non boni coloris. Tandem ſubiicit: Circa decimamquartam vomuit bilioſa flaua ſatis multa: ſudauit, à febre liberata eſt.

Hæc ſubieci non tam declarationis cauſa, quàm vt in Opere doceamur, nemo eſt, qui cum tria hæc, quorum vnum quodque ad ſignificandam mortem ſufficiebat, ſimul coniungantur, non debuiſſet de morte prædicere, primum quidem aſcenſu doloris ex lumbis ad caput, & collum, qui iuxta hanc ſententiam debuit eſſe lethalis, præſertim cum adfuerint alia ſigna lethalia, vt potè conuulſio, & quæ perſeuerauit, amiſſio vocis: aut ſaltem debuit peruenire ad aliquem abſceſſum, vel cerebri, vel faciem, vel poſt aures cum ſuppuratione. Secundum ſignum erat, quia vtero gerens correpta eſt febre acuta, quod lethale eſt, inquit enim Hippocrates (5. Aphor. 29.) Mulierem vtero gerentem capi aliquo morbo acuto, lethale eſt. Iſta verò non ſolum correpta eſt morbo acuto, ſed etiam cum vehementibus ſymptomatibus conuulſione, reſolutione, amiſſione vocis. Tertia fuit, quòd dolor aſcendit rurſus procedente morbo, ſcilicet in quarta die, ad præcordia, vt ibi eſſet tumor cum dolore: & tamen cum his omnibus ſanata eſt.

Hæc inquirere ſcioli iſti, ac Galenici, ſola opinione nominis gloriam captantes, neceſſarium non putant, imò extra propoſitum. At ego diuerſum prorſus ſentio, doctrinamque Hippocratis, non doctrinam eſſe, ſi non ita intelligatur, vt vſum rei doceat, ſed fabulam, & falſam opinionem, & peruerſam doctrinam cenſeo. An lego Hippocratem, vt dediſcam, an, vt docear? non ego demiror, quod in hos errores incidant, ſed quòd tam impudenter pertinacitérque iudicium ſuum, de non interpretandis, niſi verbis, re autem omittenda, tueantur. Dij boni, quæ mens, quis ſenſus, quæ humanitas, quæ iuſtitia? An ego te conduco, ô Medice, vt nugeris, vt Galenum adducas, vt verba Hippocratis explices? an vt ſcias, quinam morbus ſit hic, propter quem te vocaui: qualis futurus finis ſit, quomodo curandus? an non tu, ſi aliter cenſes, laqueo dignus es, qui me prodas de vita amicum, & mercede ad hoc conductus? ô tempora, ô mores, quod cogitare (horreo) iſti audent, tanquam æquum tueri? non quæro Hippocratem, non quæro Galenum: non quæro Græcos: non quæro Latinos, aut Arabes: quæro veritatem, qua poſſim tueri ægrum fidei meæ commiſſum, vbicumque eam inuenero, etiamſi in Burchielo inuenturus ſim: valeant Hippocrates, & Princeps, & omnes alij. Hippocratem ergo quæro, quoniam plurimum continet veritatis: oportet ergo veritatem intelligere, non verborum expoſitionem. Dicamus igitur, quòd mulier illa non paſſa eſt decubitum materiæ ad membrum nobile: nam neque mortua eſt neque ſuppurauit pars aliqua, neque perſeuerauit in doloribus partium, nec in ſymptomatibus, ſed materia illa turgens modò huc, modò illuc ferebatur magno impetu. Ergo Hippocrates intelligit hic de doloribus, qui aſcendunt ex partibus inferioribus ad ſeptum tranſuerſum, & qui ibi quieſcunt cum febre acuta, & cæteris ſignis inflammationem ſignificantibus, & non de materia: quæ licèt aſcenderit ex partibus inferioribus, tamen circumquaque fertur. Habet ergo textus iſte limitationem hanc, præterea amplificationem: & eſt, quòd non ſolùm intelligitur de materia aſcendente ad ſeptum tranſuerſum, ſed tendente ad quamcunque partem nobilem, ex parte ignobili. Habet & ſuam dubitationem: & eſt, vbi transferatur ex loco magis nobili, ſed inferiore, ad locum minus nobilem, ſed ſuperiorem, an ſit bonum, vel malum, vtpote à ſepto tranſuerſo ad caput: & ita contrario modo à minus nobili ad magis nobile, deſcendendo vtpote à cerebro ad ſeptum tranſuerſum. Et eſt quæſtio valde vtilis, & cuius experimentum, atque exemplum, habetur in exercẽdo artem, & poteſt variari quadrifariam: & eſt veluti an phrenitis per ſe orta, an peripneumonia per ſe orta, an phrenitis facta ex peripneumonia, an peripneumonia facta ex phrenitide, ſit lethalior? Et reſpondeo primò quòd phrenitis per ſe facta eſt lethalior peripneumonia per ſe facta: quia licet phrenitis ſit in membro minùs nobili, ſcilicet membranis cerebri, quàm peripneumonia, quæ fit in pulmone, quia tamen locus eſt calidior, & membrum mollius, & via eſt purgandi latior: ideo plures euadunt peripneumonici, quàm phrenitici. Secundò dico, quod vterque iſtorum morborum faciliùs ſanatur per ſe ortus, quàm ex commutatione, quia natura commutat

commutat ex membro principali, vel saltem nobili ad membrum principale, vel nobile: id verò deterius est, quàm si ex ignobili ad nobile commutatio fiat. Sed in cōmutatione ab ignobili ad nobile morbus, qui succedit, est deterior, quàm si per se oriatur: ergo multò magis morbus factus ex commutatione ex membro nobili ad membrum nobile, deterior est, quàm per se ortus. Ostendo modò, quòd ex permutatione membri nobilis ad membrum nobile fiat sæuior morbus, quàm ex mutatione ignobilis ad nobile: tum primùm, quia non tempore natura delassata est & afflicta, & deberet peruenire ad quietem, cogitur subire nouum certamen, & laboriosissimum: & ideo est longè periculosior, nam si quis ex lumborum dolore incidat in peripneumoniam, est ac si ex sano incideret in morbum, atque ita longè minùs malum est. Secunda ratio est, quia talis mutatio non fit à natura, quia non fieret ad membrum nobile, neque etiam à leuitate materiæ, aut calore simpliciter: quia iam materia continetur in loco, vbi est magnus calor naturalis, igitur oportet, vt fiat ab vna ex aliis causis, scilicet dolore partis, ad quem defertur: & hoc est minùs malum, quod esse possit, aut ex imbecillitate caloris naturalis, aut partis, aut multitudine humorum, aut prauitate: quodcunque horum fuerit, vitæ spes in angusto est. Tertiò dico, quòd transmutatio facta ex peripneumonia in phrenitide, est deterior, quàm ex phrenitide in peripneumoniam, quia semper in talibus commutationibus debemus cōsiderare illud, quod obstante morbo acuto, difficilius sanatur: sed peripneumonia faciliùs sanatur, quàm phrenitis, igitur commutatio ex phrenitide in peripneumonia minus mala est quàm ex peripneumonia in phrenitidem, quia cum procedente morbo magis indigeamus robore caloris naturalis permutati eo tempore ad locum, vbi calor naturalis sit imbecillior, res est valde mala, & indicium naturæ superatæ. Quoniam natura semper ex se facit, quod optimum est, sequitur etiam ex hoc præceptum vtile in arte operandi: & est, quòd materia confluēte ad membrum ignobile: & dabat exemplum Princeps de podagra (22. 3. cap. de cura podag.) quòd non debemus vti repellentibus in initio eius, ne materia compellatur ad membrum principale, & sequatur morbus periculosissimus. Circa quod notandum est, quòd aliqua sunt, quæ astringunt, & non repellunt: quia licet sint sicca, sunt etiam calida, sicut crocus, & etiam lignum aloes, & aloes ipsa, quædam repellunt, quæ sunt frigida vehementer: & hæc sunt periculosa, sicut succus aizoi, & plantaginis, quædam verò repellunt à proprietate: & hæc sunt periculosissima, velut oleum scarabeorum. Aliud dignum considerationе est, quòd licet prohibere transitum materiæ ad articulos citra periculum omne: & hoc quia materia, quæ facit talem morbum, quæ recipitur in articulis, & distrahit illos, est res pauca: & ideo magis offendit ob angustiam loci aut qualitatem prauam, vi ergo prohibetur, non est res effatu digna, humor ille, qui confluit: & tollitur dolor adeò acerbus: vigiliæ impedimentum ambulandi: & materia illa nihilominus spargitur circum loca vicina sine noxa, ergo talis operatio prohibendi est rationalis, & vtilis, si fiat eo modo, id est, non super locum læsum. Vtimur ergo emplastro illo vulgari sumpto ab Arabibus, ex aqua, aceto, & furfure: nam rarescit cutis, & materia trahitur ab intus ad extra, & cohibetur, & nihilominus redditur facilior ad exitum, quia propter furfur triticeum, quod est particeps farinæ, concoquitur, & propter acetum dissecatur in minima, & sunt, qui hac ratione imponunt emplastrum in crure ex arthemisia, & aceto, & dicunt, quòd locus vesicas contrahit, sicut à cantaridibus, & trahitur materia ex profundo ad cutim: & ita liberatur æger absque eo, quod perueniat ad dolores podagræ. Et si quis dicat, quo indicio deprehendis, quòd materia, quæ ingreditur ad articulos, sit valde pauca? respondeo, quòd ex loco qui angustus est: & etiam, quia maior pars materiæ spargitur circum locum patientem, & non ingreditur illum: deinde, quia videmus, quòd homo, cum est assuetus podagræ, multò minùs dolet propter latitudinem locorúmque prima vice, est etiam illud considerationе dignum, quòd in nullo casu tutiùs licet adhibere ad stringentia, vbi materia fluat, quàm in podagra, quia distantia à pedibus ad cor, & ad iecur, est maxima, & cor, & iecur, sunt membra calidissima: contraria ratione, periculosissimum est vti astringentibus, ne dum repellentibus in glandulis capitis, propter propinquitatem cerebri, & imbecillitatem caloris eius.

PROGNOSTICON
ad præcedens.

QVicunque verò ex empycis vruntur, quibus pus purum album, & sine prauo odore fuerit, seruantur: quibus verò subcruentum, & cænosum, moriuntur.

COMMENTARIVS.

MEmini me de his plura dixisse in Commentariis Aphorismorum: nec est, quod addam, nisi quòd locus hic sumptus est secundo de Morbis (7. par. com. 41.) Signum autem, an euasurus sit, habes (pag. 16.) Si pus album, ac purum fuerit, & fibræ sanguinis insint, plerunque sanus fit: si verò prima die profluat, lutei oui speciem habens, aut secunda die defluat crassum cum virore subpallidum, fœtens, moriuntur, vbi pus effuxit. Non mirum est, si paulò incomptior in libro de Morbis visus est, cum ex eis Aphorismos transcripserit, ex his locum hunc. Quòd ergo dicat Paulus, debere vri exterius, quòd periculosa sit eductio saniei per vulnus, fallitur, nam vbi conditiones hæ adfuerint, & sectio administrata, iuxta Hippocratis sententiam ibidem, quam etiam repetit paulò clariùs in tertio (pag. 10.) homo restituitur ad sanitatem, educto perfectè pure:

neque

neque periculum est de fistula, experimento enim cognoui in Francisco Bonafide Medico Patauino amico meo, qui sanatus est ex fistula pectoris facta ob malam curam: neque si bene curetur, in fistulam deuenturum vlcus ex tracto toto pure: neque si extractum sit totum pus, & in fistulam deuenerit æger, illam non posse sanari, vt verò vstio externa, vt reliqua inuenta ob artis veræ ignorantiam, & magno cruciatu fit, nihilominus & hominem deducit ad tabem, quo nihil est miseriùs: nam tabes huiusmodi quauis alia morte sæuior est, cum enim quindecim iam dies ab eruptione præterierint, antequam secetur, & vratur, quis nos tutos reddet, vt in viginti quinque diebus, qui reliqui sunt, iuxta sententiam Hippocratis, totum pus plenè expurgetur, cum nullibi liber pateat exitus? quamobrem & istud cum cæteris erroribus vt caueres, admonere operæprecium esse duxi. Attigit autem hæc duo tantum signa, cum essent plura, quoniam hæc duo tantum hoc in casu manifestè se offerunt: nam reliqua de qualitate leuitatéque dignosci non queunt propter vstionem. Cæterum quod ad odorem pertinet, ille melius dignoscitur exustione, quàm si aliter flueret: inde nata consuetudo imponendi pus super carbones ardentes, vt odor exploraretur. Manifestum est autem, quòd cum color albus indicet concoctionis, & actionis caloris naturalis, & membrorum solidorum perfectionem, non malè olere autem caloris præternaturalis opus, non magnum, neque prauum fuisse, signum hoc absolutum sanitatis ac certum meritò fore in quo nostri auxiliatores, quæ facienda sunt, abundè fecerint hostes quam leuissimè oppugnauerint. Atque ita finem imponit Hippocrates toti ei tractationi, quæ est de empycis. Nunc verò, vt reliquos morbos, quantum ab hoc distent, intelligamus, exemplum vnum aptè subiicit, hoc modo:

PROGNOSTICON LXXI.

Vesicæ duræ, ac dolorosæ, malæ omnino sunt, & exitiosæ.

COMMENTARIVS.

Opponit quàm diligentissimè dispositionem dispositioni, membrum naturale membro spirituali, vilissimum nobilissimo, dolorosissimum in dolenti penè remotissimum à corde propinquissimo opponere, atque connectere: nec talia animaduertunt expositores, quid mirum igitur est, si quasi somnia commentariorum loco scribunt? Sententia ergo est, quòd vesicæ duræ, & dolorosæ exitiales sunt: nam durities repentina non propriè fit, nisi ex retentione vrinæ: & retentio vrinæ exitialis est, quoniam homo absque exitu vrinæ viuere diu non potest: morbus etiam ipse ex sua natura semetipsum auget, quia quantò magis dolet, plus materiæ attrahitur, & etiam ad emittendum vrinam difficilior redditur, quia distenditur, & debilitatur: ideo difficiliùs comprimitur, & quantò diutiùs vrina retinetur, eo magis dolores crescunt: & ideo morbi se inuicem augent, vt modica sit spes salutis. Sanantur tamen aliqui: primum laxantibus medicamentis maximè, quando retentio est à lapide, vel à materia: sed tunc non sunt dolorosæ, & ideo malè intelligunt textum Hippocratis, quia illi, qui sanantur, habent duritiem vesicæ: sed non est tanta, vt dicantur dolorosæ, vel quia aliquid defluit, scilicet parum: vel quia non adeo distenta est, imò medici dubitant, an suppressio illa sit supra vesicam, vel infrà: quod dubium non accideret si vesica doloret, & ideò ex malo intellectu putant se sanare multos ex his, quos Hippocrates pronunciauit exitiales, cum vix aliqui sanentur, vel possint sanari, cum ad tantam duritiem vesica peruenerit, vt doleat grauiter, & quanquam per catheteram in aliquibus fluat vrina, nihilominus distenta vesica, & dolorifica etiam, tandem pereunt: & causa est, quia etiam quòd vrina fluat per aliquot dies auxilio catheteræ, nihilominus vesica debilitata semper in deterius ruit: & tãdem eo deuenit æger, vt mingere non possit & maximè, quòd ob vehementem constrictionem læditur collum vesicæ, & exulceratur: & illud adducit dolores vehementes (Paul. li. 3. cap. 45.) Et quia aliquis posset dubitare, an cathetera fuerit cognita Hippocrati? & respondeo, quòd fuit, quia ipse testatur (In Iuramento) se non execturum lapidem vesicæ à patientibus, verùm relicturum negotium peritis. Liquet, quòd eo tempore educebant lapidem ex vesica per sectionem, sed illud non potest fieri, nisi immissa cathetera: ergo vsus catheteræ vesicæ fuit notus Hippocrati, quòd verò vesica plurimum doleat, & grauissimis cruciatibus ægrum fatiget, apparet ex Epistola Epicuri apud Diogenem. Cum ageremus vitæ beatum, & eundem supremum diem, scribebamus hæc. Tanta autem vis morbi vrgebat vesicæ, & viscerum, vt nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Causa autem, cur vesicæ dolores acerbissimi sint, tum intestinorum, & similium, velut & auris, & ligamentorum, est vna, & eadem, scilicet, quòd sunt substantia neruea: sicut & membranæ omnes, & ideo participes magni sensus, vel etiam per se, vt credit Vesalius, vel quia recipiatur magis in his sensus, ob substantiæ similitudinem: quod dicendum est ab illis, qui Galeni viam sequuntur, omnia autem membra, quæ sunt prædita magno sensu, sunt etiam subiecta magnis doloribus. Sed tamen, vt dixi, rarò incurrunt ægri magnos dolores ex distentione vesicæ sine febre, & vlcere: & causa est, non quia vesica, si multùm distendatur, non maximos sentiat dolores (hoc enim iam demonstratum est, esse necessarium) sed quia non potest distendi multùm tota ratione contentorum ob membra vicina, à quibus comprimitur, & ideo partim ob hoc, partim ob dolorem natura potius retinet vrinam in vreteridibus, & in renibus, & in venis, quàm vt per vim vesica adeò vehementer indurescat, sed cum

vieteræ sint & ipsæ præditæ magno sensu, ideo tales sentiunt acerbissimos dolores, etiam in lumbis, adeò vt periculum sit, ne disrumpantur: & hoc secundum periculum est maius primo. Tertium verò, licet non sentiatur, est longè maius secundo: & est, vt venæ aqua impleantur, inde sanguis totus corrumpitur.

PROGNOSTICON *ad præcedens.*

EXitiosissima verò, quæcunque cum febre continua sunt. Dolores namque ab ipsis euenientes interimere valent, & ventres in talibus non deiiciunt, nisi dura, & ægrè.

COMMENTARIVS.

CVm ergo vesica dura, & dolores, per se exitialis sit morbus, nimirum, si cum febre acuta sit exitialissimus duobus maximè accidentibus symptomatibusve, scilicet febre acuta, quàm per continuam intelligit, & doloris acerbitate cum diuidatur ipsa vesicæ substantia, vtrum verò duas, an vnam tantùm præter peritoneum tunicas habeat, visum est sexto Contradicentium (21.) vnde autem recipiat neruos, docet Vesalius libro quinto (capite vndecimo) scilicet à neruis sextiparis cerebri, & ab infimis spinalis medulę partibus, quos & motus gratia suscipit, & sensus cuiusdam, sed maximè doloris vitandi causa, quantò enim dolorem magis sentiunt, tantò exactiore sensu sunt: vnde vel minimam noxam percipiunt. Liquet enim ex minima retentione vrinæ hominem aliquando incurrere dysuriam, aut stranguriam, & aliquando iscuriam: sequique mortem: persæpe generari carnem in collo vesicæ: sæpe lapidem in vesica, quo nihil atrocius: scabiem præterea, & vlcera insanabiles morbos: tum vriginem, vnde rectè in prouerbio apud Venenatos: Si vis viuere sanus, minge sæpe, vt canis. Sed omnia commoda mortalium aliquod incommodum sequi necesse est, vehementiam enim doloris in eo loco, qui vndique præmitur, & per quem transire tot excrementa necesse est, præsertim occluso meatu, quis dubitat periculosissimum non esse? Quod verò subiecit (Et ventres in talibus non deiiciunt, nisi dura, & ægrè) hoc fit bifariam ex eadem causa. Primùm pondere vesicæ, quæ recto intestino imminens, viam præcludit fæcibus. Secundò ob dolorem, natura timente locum adeò dolorosum vexare: aut ei obuiam quoquomodo ire. Gal. verò suo more ex exemplo in exemplum transiens ad libros de Difficultate spirandi, satis importunè, vel etiam ipsis Galenicis iudicibus, nos relegat, meliùs ille exposuit, quòd ob metum lædendi vesicam dolentem, adeò vehementer natura non audet comprimere musculos ventris, sine quorum auxilio rarò fæces educuntur. Verùm de fæcibus hoc ipsum intelligit, quod scribit de Ileo sexta Aphorismorum (41.) ex quo mors sequitur, non de duritie fæcum simplici.

PROGNOSTICON LXXII.

SOluit verò morbum vrina, quæ purulenta mingitur, album ac leue habens sedimentum.

COMMENTARIVS.

POstquam docuit rationem differentiæ duorum morborum, ostendit modò communia vtrisque, scilicet suppurationem, & eruptionem puris esse certa signa salutis, in vno enim robur naturæ, & materiæ benignitas dignoscitur: in altero exoneratio ægri, conuitium constantia, nempe trifariam, cum robore virium contingit ægro magnum periculum, aut mors, scilicet si vires sint robustæ, & materia contumax, vt non possit concoqui: secundò si concoquatur, nec tamen expellatur: tertiò si concoquatur, & expellatur, sed cum iactura magna virium, scilicet cum pus corruptum fuerit, velut si non album, neque æquale. Eiicitur autem cum vrina: nam si per se eiiciatur, pudendorum potius, quàm vesicæ abscessum significat: vt testatur Paulus libro tertio (cap.) & Galenus ipsa quarta Aphorismorum (Comment. 75.) quanquam videatur dicere sexto de Locis (cap. 4.) quòd pus) laborante vesica) plerunque sine vrina exit: sed tamen intelligendum est, vt non sine vesicæ & musculorum, ventris compressione exeat, nam Galenus (suprà Tex. 41. & in secundo libro) ibi distinguere voluit pus descendens à vesica, & à superioribus partibus, dicens: Si à vesica prodeat, adeò parùm permistus est vrinæ, vt etiam sine illa exire possit, & solum exire. Litigant autem, quare non adiecerit (minimè fœtidum) vt in peripneumonia: & dicunt, quòd vesica est frigida, ideo pus semper malè olet ex positione Anglicanę, & adducunt Hippocratem ex quarta Aphorismorum (81.) dicentem: Si sanguinem aut pus minxerit, & squamulas, & odor adsit grauis, vesicæ exulceratioñe significat. Vnde volūt, quo in quacunq; exulceratione vesicæ adsit fœtor: hæc sunt somnia mera, & nugæ, pus enim si erūpat statim, & mingatur, fœtorē nō habet, nisi vrinæ: sed si vlcus fiat sordidum, aut non statim mingatur pus (quod frequentissimè accidit, rarissimè contrarium) malè olet: ideo in hac ambiguitate non potuit esse signum proprium alicuius modi, cur verò sanies hæc per vesicam effundatur, contingit, quoniam nullus patet exitus ad partem exteriorem aliunde: contingit tamen frangi peritonum tunicam, & effundi in cauitatem ventris, & rectum intestinum, quod ego vidi in Nobili de Barbauara: & sanies prodibat per secessum, ex quo vlcere tandem mortuus est.

PROG

PROGNOSTICON LXXIII.

SI verò vrina nullatenus deſcendat, neque veſica molleſcat, & febris continua vexauerit in primis morbi circuitibus, exiſtimandum eſt dolentem moriturum.

COMMENTARIVS.

ΕΛπὶς nomine vtitur Hippocrates ſub alio ſignificato, quàm ſoleat exponi à quibuſdam, quid enim magis impropriè dici poſſit, quàm ſperandum de morte, cum æquè ſignificet metuendum, aut timendum. Quod autem dixit (in primis morbis circuitibus) declaratur infrà apertè. Inquit enim: primus inſultus febrium ad quartum diem terminat: ſecundus autem ad ſeptimum: tertius ad vndecimum: quartus ad quartum decimum: quintus ad decimumſeptimum: ſextùs ad vigeſimum, hi igitur ex acutiſſimis morbis facta per quatuor additione, ad vigeſimum finiuntur, vt duplicem hoc habeat ſenſum: vel vt velit terminari in primis circuitibus, id eſt, intra vigeſimam diem: aut primis circuitibus referendo ad morbos acutos, id eſt, primis duorum morborum acutorum, id eſt, intra ſeptimam diem, hoc enim plurimùm refert ſcire, & ad gloriam medici, quaſi neceſſarium. Galenus verò refugit ad difficultatem verbi, concedat, quæ nihil refert ad medicum, ab ἐνδίδωμι, aut ἐνδιδόω, quod eſt, conſentio, indulgeo, remitto, concedo, inclino, & ſimilia, quoniam referuntur ad animata ſolùm: hoc autem, cum transferatur ad vrinam, impropriè videtur Hippocrates vſus dictione. Habes inſectationem, leuitatem hominis vanam, vt puderet pædagogum infantilem, nedum grammaticum, quantò minùs medicum, & medicum grauem, & medicum exponentem Hippocratem. Dij boni quàm bona fortuna vſus eſt hic vir, qui cum tam manifeſtis ignorantiæ, & inſcitiæ teſtimoniis, tum abuſibus explanatoris tam acres inuenit defenſiones? omiſſa enim principali difficultate, quæ ad artem, quæ ad medicum, quæ ad ægri vtilitatem pertinet, de qua ne verbum quidem inſectatur vnius dictionis improprium ſenſum, quem vbi admiſeris, ſeu defenderis nihilo plus, vel tantillo. Sed neque Princeps (19. tertij) auſus eſt definire tempus hoc: neque Paulus (libro tertio capite quadrageſimoquinto) neque Græcorum alius, quod ſciam: quamuis nemo huiuſmodi curam prætermittat niſi Alexander (libro nono capite quinto) qui quaſi videtur eam ſub inflammatione renum comprehendiſſe, in ſynopſi enim Oribaſius curam tradit à prædictione: abſtinet neque Haliabbas in libro nono (capite trigeſimoquinto) hoc tempus determinat: neque ego tot vidi ægros, qui ex hoc morbo obierint, cum ne vnum quidem, quod meminerim, vt poſſim id teſtari. Cum verò incertum ſit, an Hippocrates ſub dubio id reliquerit vel ob negligentiam, vel quia neſciuerit? veriſimilius eſt neſciuiſſe, quàm conſultò peccaſſe, ergo ita eſt, quòd qui perierunt, omnes intra ſeptimam diem obiere: quia tamen non multi fuerunt, non auſus eſt determinatè id docere, ſcilicet quòd intra ſeptimum diem obeunt: ſed in primis circuitibus perituros dixit, quoniam ſi intra ſeptimum omnes obierint, iam id dixit: ſin autem aliqui ſeriùs, & intra vigeſimam, & id dixiſſe, ac intellexiſſe videri poteſt, rei veritas eſt ergo, quòd plerique, ſi ex vi morbi moriantur, intra ſeptimum intereunt: ſi verò omnino robuſtiſſimi ſint, aut morbus non remittatur, ſed quaſi transmutetur intra vigeſimam diem pereunt, &, vt generaliter dicam, & verè intra ſeptimam diem plerique pereunt: pauciores longè intra vigeſimam. Quod etiam in ſequenti Commento clariùs edocebo.

PROGNOSTICON LXXIV.

MOdus autem iſte potiſſimum tentat pueros, à ſeptimo in quartum decimum annum.

COMMENTARIVS.

CAuſa, quare pueri à ſeptimo ad quartumdecimum annum magis laborent ſupradictis morbis à Galeno malè proponitur, cum eam traducat ſolùm in ingluuiem, & immoderantiam ciborum: quia ſi ita foret, multò magis infantes huic morbo ſubiicerentur. Alij ex Ætio (libro vndecimo capite nono) conantur reddere cauſam dupliciter aberrantes. Primùm, quòd Ætius infantes non excipit: ſecundò, quia calculoſæ veſicæ cauſas reddit, non autem doloroſæ, cum ſuppreſſione vrinæ. At ſi quis putat Hippocratem loqui de ſuppreſſione vrinæ, quæ à lapide fit, toto cœlo aberrat, nam neminem in vita mea ex huiuſmodi ſuppreſſione perire, vidi, cum in lapide veſicæ vrina rarò ex toto ſupprimatur: ſed cum vrigine emittitur, & paulatim, & guttatim, & per internalla, quin etiam ſi lapis incidat in collum veſicæ, quamuis tota vrina ſupprimatur, aut eiicitur breui, aut frangitur, aut cathetere reiicitur in veſicam. Præterea quid lapidi in veſica cum ſuppuratione? clarum eſt enim ex ſuperioribus, quod vult huiuſmodi ægros liberari, pure emiſſo: at non fit pus in lithiaſi, ſed ramenta & ichores & ſedimina acria, itaque expoſitiones hæ neque veræ ſunt, neque veriſimiles, neque ad mentem Hippocratis (pag. 2.) ſed ſomnia eorum, qui in ſolis nugis verſantur, cauſa ergo eſt, quòd vt habetur in libro de Genitura, pueri habent venas plenas, & paruas, & accedente ætate ad pubertatem dilatantur, & implentur, & incaleſcunt, & nondum quicquam emittitur: & ideo facilè in illis locis materia colligitur, vnde fiunt durities, & abſceſſus:

ad hoc etiam iuuat, seu aget copia cibi, & malus ordo cum præpostera exercitatione, quibus fit, vt materia crassa, & bili mista (neque enim sine bile talia fieri possunt) descendat ad locum, & efficiat abscessum, & ideo in huiusmodi ætate talia contingunt magis, quàm tempore Hippocratis, quàm nostro: aut in regione illa, quàm nostra, nam, vt dixi, complures morbi nunc vigeant, qui ætate Hippocratis raro admodum visebantur, ita è diuerso quidam ei ætati, & regioni magis familiares erant, quàm nostro tempore in Italia: idque prouenit ex ratione regionum, vt Hippocrates docet in libro de Aëre, & Aquis, & Locis, & ratione victus, vt in libro de Veteri medicina, in hæc enim duo reducuntur omnes causæ morborum. Atque illud merito dixisse videor, quoniam vesicam contrahere abscessum, est res ratione difficilis, cum locus ille sit exanguis, & substantia vesicæ rara, & dura, & semper plena lotio, vt, nisi astipularetur Hippocratis authoritas, non arduum esset persuadere eiusmodi morbum non posse contingere. Quin etiam crediderim plerunque tales abscessus accidere primum in carne, quæ vesicam circundat, atque ex illa in tunicam vesicæ permeare. Plura de his scripsimus in quarto Aphorismorum (Comment. 75. 76. 77. 79. 80. 81. 82.) præcipuè autem obseruare oportet Aphorismum illum de ileo superueniente stillicidio vrinæ (septim. par. quatrages. secund.) namque ex illo patet expositio eius, quod dixi in præcedenti commento, scilicet quòd in septem diebus pereunt: expressè enim ibidem hoc declaratur. Sed de hoc satis.

Expedit autem scire, cur aliorum morborum historiam continuauerit, veluti auris, & anginæ? verum alia interponit. Et videtur, quòd de illis mentionem facere oporteret, tanquam morbis frequentibus, & lethalibus, qualis est angina: aut terribilibus, qualis est dolor auris, verù m huiusmodi morbi non erant è regione oppositi peripneumoniæ, quamobrem ad alteram tractationem pertinebant: idcircò relegati sunt ad locum, qui est post tractatum de febre. Et certè nihil est, quod magis facit ad intellectum alicuius authoris, quàm cognitio continuitatis sermonis: ipsáque cognitio continuatis sermonis ab intellectu eorum, quæ scribuntur maximè pendet. Neque ego explanatori fidem adhibebo, qui rationem continuitatis textus non docuerit: nam neque illū intellexisse verisimile est authoris sentẽtiam: neque sine illa intelligi posse sperabimus: aut si non est in sensibus continuitas, quid est, quòd teramus tempus in authore legendo, aut interpretando, qui à natura operibus alienissimus sit, cum illa nulli magis rei, quàm continuationi operum suorum studuisse videatur. Verùm his temporibus homines fucatæ disciplinæ operam dant, si vnquam alias: cuius rei ratio est, quòd solis medicis impunissimè liceat errando homines occidere: cumque ignorantiam atque stultitiam non solum plebis & populi, sed etiam eorum, qui plurimum possunt, animaduertant otio & delitiis assueti, postquam eadem esse præmia veræ difficilisque cognitionis, ac fucatæ, & falsæ quis est, qui nolit per compendiosam, & facilem potius transire viam, quàm longam, atque difficilem? quòd si ita architecti agerent, atque alij opifices factitarent, neque tam splendidè, neque tam commodè degeremus, id ergo est in causa Principum & Iudicum segnitia, qui dum obstare his malis posse diffidunt, licentiam hanc solis medicis relinquunt, at saltem si id cauerent, quod sæpe monui, vt non, nisi pro sanatis premia acciperent, vel vt non, nisi optimi mathematici ad medicinam admitterentur, vtrouis horum modorum satis bene prouisum esset incolumitati humani generis.

LIBRI

LIBRI TERTII IN HIPPOCRATIS PROGNOSTICA Commentarius quartus.

PROGNOSTICON PRIMVS.

Febres verò iudicantur in eisdem diebus, numero, ex quibus superſunt homines, & ex quibus moriuntur.

COMMENTARIVS.

QVATVOR cum eſſent à me pertractanda: primum, vt quid eſſet iudicatio edocerem, me excuſat Commentarius in primum Epidemiorum (lib. 3. Comm. 45.) ſecundum, refellerem nugas Galeni, & id ſatis actum eſt in quarto Contradicentium (Contrad. 4.) tertium, vt enarrarem dierum criticorum ordinem, & cauſam, quam breuiſſimè, quod quamuis ibidem id egerimus, nihilominus breuiter id percurrere decreui. Dico ergo, quòd dies critici intra menſem lunarem à Luna reguntur, quocirca cum Luna in viginti ſeptem diebus, & octo horis circuitum perficiat, diuiſo eo tempore in quatuor partes fient dies ſex, & horæ viginti. Itaque primus dies criticus in ſeptimum incidit: ſecundus in quartumdecimum, ſcilicet dies tredecim, horas ſexdecim: tertius in vigeſimam primam, ſcilicet dies viginti, horas duodecim: atque in his validiſſimus eſt quartuſdecimus, quoniam dimidio totius ambitus lunæ diffinitur. Sed quia morbi acutiſſimi velociter terminantur, ideo concurrentibus duabus cauſis ſimul in ſeptimum diem ſcilicet motu Lunæ, & motu morbi, robuſtiſſimus euadit ſeptimus dies, poſt quem quartus decimus, in quo langueſcit motus morbi, ſolus motus Lunæ vrget iudicationem, ita vigeſimus primus imbecilliſſimus eſt ob vtrãque cauſam. Medij autem inter horum indicatiui ſunt quartus vndecimus, & decimus ſeptimus, imò potius decimuſoctauus, ſed in decimooctauo duæ cauſæ obſtant, ne iudicatio fiat: quòd dies ſit par, & motus materiæ languidus, ideo propter hanc cauſam criſis, tum etiam ob illam, quam ſubiiciemus, ad decimam ſeptimam relegatur. Quartus verò ob vim motus materiæ in indicatoriam tranſit, magiſque euidenter id fieret, ſi par non eſſet: idcirco vndecima valde iudicatoria eſt, quia indicatiua, & impar: & quia ſatis virium habet materia motus, poſtmodum, vbi quinque dies iudicatorios à luna recepęris conſiderandus eſt circuitus Solis, qui fit in trecentis ſexaginta quinque diebus cum quadrante ferè, cuius tertia pars centum & viginti duo ſunt: verùm ad centum viginti ratio deducitur ob ſigniferi partes, quas peragrat (vna enim dies in ipſo circuitu abſumitur) deinde quadragenariis Hippocratis (Comment. decimoſeptimo) vim maximam tribuit: quorum cauſam habes explicatam in commentariis de Septimeſtri partu.

Erunt ergo ob duas ſimul cauſas coniunctas (quadrageſimus, octuageſimus, & centeſimus vigeſimus) iudicatorij perfecti: indicatiui autem horum, ac medij, abſque dubio ſexageſimus, atque centeſimus, ſed etiam & vigeſimus, qui medius eſt quadraginta, at cum vigeſimus primus etiam à Luna vim accipiat, erunt decem dies decretorij primi ordinis: quartus, ſeptimus, vndecimus, quartuſdecimus, decimus ſeptimus, quadrageſimus, ſexageſimus, octuageſimus, centeſimus, atque centeſimus vigeſimus vtriuſque dies anceps, ſcilicet vigeſimus, vel vigeſimus primus: inter quos vigeſimo palma relicta eſt ob cauſas, quas ibi retulimus, at quia, vt dixi, ſpatium, quod interiacet inter vigeſimam diem, atque quadrageſimam commune eſt Soli atque Lunæ.

Sol autem non diuidit in minores particulas, quàm in viginti: idcirco Luna rurſus à vigeſima ad quadrageſimam diem eundem ordinem ſeruat, atque numerum, quem ab initio morbi ad vigeſimum: fientque rurſus quinque dies ſecundi ordinis iudicatorij, qui morbis mediis inter acutos & diuturnos inſeruiunt: ſcilicet vigeſimus quartus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus, trigeſimus quartus, & trigeſimus ſeptimus, vt ſint omnes iam ſexdexim. Denique quia à prima die ad quartam decimam motus morbi vis magna eſt, & circuitus tertiani validi, ideo conſurgunt tres alij dies iudicatorij tertij ordinis, qui ſunt tertius, quintus, & nonus: collecti igitur omnes ſunt decem nouem, tertius decimus enim dies propter propinquitatem ſuccedẽtis iudicatorij primi ordinis, vt vigeſimus primus, propter vigeſimum excidunt è catalogo dierum iudicatoriorum: quia cum proximi fuerint adeò, natura mauult potentiorem ſequi.

Hæc igitur eſt ſumma dierum criticorum, numerus, ordo, explicatio, cauſa, iuxta veritatem, & Hippocratis ſententiam, quam Galenus tot nugis inuoluit falſè, confusè, inconſtanter, adeò vt qui eam ſecuti ſint, finem nullum inuenire potuerunt.

Quartum est, quomodo natura possit mouere materiam in iisdem diebus contra se? nihil enim agit contra seipsum, quæ enim verisimilitudo est, vt ipsa moueat materiam contra se, & vt seipsam perdere festinet? aut si dicas naturam propriam mouere materiam in morbo, in quo salus expectanda est, in lethali autem naturam communem elementorum, quæ rursus verisimilitudo, quod ab vtroque agente diuerso, imò contrario eadem fiat actio, & in iisdem temporibus, & maximè, quod si natura propria mouet, in eodem tempore mouet, quia tempus illud ei fauet: ergo non fauebit naturæ communi, & si fauet naturæ communi: ergo non fauebit naturæ propriæ. Et si dicas, quòd à neutra mouentur, sed à natura cœli, seu constitutione, tanquam tertia causa, & dominante: & hoc videtur voluisse Hippocrates, qui tantum tribuit numero dierum, & quadragenariis, & septenariis. Sed hoc habet magnam difficultatem, & non minorem, quàm habeant reliqui modi, quia crises fierent in diuersis materiis, in eodem numero dierum. Vt si (gratia exempli) tres ægrotarent in vna & eadem hora, vnus tertiana continua, alter febre pituitosa continua, alter melancholica similiter continua, oporteret, vt fierent crises in eadem die: quod est contra experimentum, & etiam contra rationem.

Est etiam alia difficultas, quia aliquis dicere posset, quomodo tu Hippocrates potuisti cognoscere, quòd crises fiant in iisdem diebus, & ad salutem, & ad mortem, cum nemini id accidat, neque accidere possit, vt ex eodem morbo simul sanetur, & pereat? & propterea hoc argumentum aperit mentem Hippocratis, & sensum eius declarat: neque enim Hippocrates dixisset, quod demonstrare non poterat. Ergo sensus Hippocratis est, quòd dies crisium in genere sunt iidem, tam in sanandis, quàm in morituris, quia experimentum docet, quòd multi sanantur in quarta, & multi pereunt in quarta, & multi sanantur in septima, & multi pereunt septima, & multi sanantur in aliis diebus, & alij moriuntur.

Heropythus (lang. non, tertij ordinis) sanatus est in centesima vigesima die: mortuus est Parius (lang. prim. tertij ordinis) in centesima vigesima solum: ergo vult Hippocrates, quòd crises fiant in iisdem diebus, seu bonæ, seu malæ, ita vt semper fiant in tertia, quarta, quinta, & septima, & similibus: non ad hunc sensum, quòd si aliquis iuuenis triginta annorum laborans febre ardente, ex qua debeat sanari in æstate media, crisim habeat in septima, quòd si idem laboraret eodem tempore, eadem ætate, morbo, temperatura, & esset moriturus, quòd deberet mori in septima, vel alius omnino ei similis? sed dico, quòd anticiparet, & moreretur in quinta: & ratio est, quia plus temporis exigitur ad coctionem, quàm ad corruptionem: materia verò mouetur à constitutione, cum fuerit perfectè concocta: vel propè, aut perfectè corrupta: & ad hoc facit natura materiæ calida, frigida, sicca, humida, crassa, tenuis, lenta, fricabilis, multa, pauca, & ratio circuitus eius, crises enim fiunt in accessionibus: ergo solùm sufficiet, vt fiat crisis in numero dierum criticorum, hucusque omnia clara sunt. Sed relinquuntur rursus duæ magnæ dubitationes, prima est, quare cœlum impellat illam materiam in exitium ægrotantis: secunda, quia sexta dies videtur esse iudicatoria ad mortem, sed non ad salutem: sicut dicit Galenus. Sed respondeo, quòd Galenus confudit omnia: neque intellexit Hippocratem, quia sexta dies non est vllo modo iudicatoria in morbis, qui imparibus diebus exacerbantur. nam Philiscus (primo Epidemior. lang. primo) non est mortuus propter crisim in sexta, sed in quinta: in quinta enim natura emisit sanguinem, sed paucum, & similiter sudorem, sed frigidum. Vnde nugatur Galenus primo de Diebus criticis (capite septimo) non enim idem est, mori ægrum, & crisim fieri, nam in quinta fit mala crisis, & non in sexta: affirmat autem fieri crisim in ea die, sed non dicit in quo, neque vbi viderit apud Hippocratem: sed solùm adducit ex primo Epidemiorum (capite secundo) in secundo de Crisi, diem septam numeratam ab Hippocrate in morbis, qui per pares exacerbantur, & ideo secundo super primum Epidemiorum (capite sexto) rectè dicit Galenus eos periisse in sexta, qui exacerbati sunt in quarta (Comment. 75.) Dicendum est ergo, sententiam Hippocratis eiusmodi esse, quòd in morbis, qui exacerbantur per dies impares, sexta dies non est critica, neque ad salutem, neque ad mortem, in quo fallitur Galenus: & ideo iidem sunt dies crisis ad salutem, & ad mortem: in morbis autem, qui exacerbantur per dies pares, sextus est criticus ad salutem, & ad mortem: vt in Metone, & Virgine, qui ambo seruati sunt: nec est tyrannus, vt nugatur Galenus. Sed ob hoc solùm plures moriuntur in sexta, quia Hippocrates dicit in primo Epidemiorum, quòd morbi, qui exacerbantur in diebus paribus lethaliores sunt his, qui circuitus habent per dies impares. Et circa hoc est notandum aliud, quod omnes crises fiunt in diebus imparibus, quia illæ, quæ fiunt in tertia, quinta, & septima, fiunt in die impari manifestè: quæ verò fiunt in quarta, & in sexta, fiunt similiter in die impari, quia talis morbus exacerbatur diebus paribus, & ita quartus est tertius à secundo, sicut sextus est quintus ab eodem, quia Hippocrates sumit initium numerationis non à die primo morbi (in acutis tamen solum) sed à die validioris inuasionis, seu sit prima, seu sit secunda: & hoc est, quod fefellit Galenum non animaduertentem hæc, & dixit mille nugas de sexta die, cum non minus verum sit de quarta apud Hippocratem, quàm de sexta, & licet meminerit de sexta, & non de quarta, quòd multi moriebantur, ratio tamen & mens eius docent, quòd idem est dicendum de quarta: & apparuerunt morbi nostris temporibus pestilentes, in quibus omnes in quarta moriebantur, quamobrem clara est sententia Hippocratis & dilucida.

Venio modò ad causam mortis in diebus iudicato

iudicatoriis: & dico breuiter, quòd putredo efficit, vt natura irritetur, quia motus putredinis est naturalis, cum fit exhalatio vaporis ex materia putrida, quæ putrescit incerto circuitu: & natura cogitur insurgere contra morbum vexata ab illo, & decernit coacta in die exacerbationis, & quia in septima die(exempli gratia) motus materiæ, vt rei liquidæ, adiuuatur à motu Lunæ, sicut videmus in aqua maris Oceani, & in sinu Hadriatico, ideo fit magna collisio: & maximè, si motus æqualis Lunæ, à quo excitatur natura, fuerit idem cum motu inæquali, seu vero: sin autem multùm differat: fit crisis imperfecta, & multo tempore protrahitur ille motus.

Si ergo natura victrix fuerit, materia expelletur meliori modo, quo poterit vel extra corpus, vel in abscessum partis ignobibis: sed si succumbat, vapores illi multiplicabuntur propter caliditatem, & motum, & magis trahentur ad cor, & corrumpent calorem naturalem, & vires ob pugnam resolutæ debiliores euadent, & ita æger morietur, vel tunc, vel paulò pòst.

Neque enim necesse est, quòd æger moriatur in die malæ crisis: vt dixi in Philisco crisis fuit in quinta, mortuus est in sexta: Sileni crisis fuit in octaua) Sudauit enim sudore frigido per totum, & papulas habuit rubras) & mortuus est in vndecima: Philini vxor non habuit crisim manifestam, sed in decima septima obmutuit, vigesima mortua est: Erasinus sine crisi mortuus est, sicut & Crito: Dromeadæ vxor in sexta habuit crisim, & in eadem die mortua est: Homo etiam ille(tertio Epidemiorum ordin. primo lāngu. secundo) qui calefactus cœnauit in septimæ fine, & octauæ, mortuus est in vndecima.

Mirum de Hermocrate, qui cum vigesima iudicatus sit, & à febre liber factus fuerit, absque alia crisi periit in vigesima septima. Parius autem, cum mortuus sit in centesima vigesima sensim obiit sine crisi: sicut in octuagesima, qui in Thaso decumbebat apud Frigidam.

Sed phreniticus, qui mortuus est in quarta, crisim habuit in secunda. Circa quod notandum, quòd vbi morbus valde superauerit naturam, homo moritur sine crisi manifesta, quia natura non audet pugnare cum morbo: & similiter, si fuerit morbus cum abscessu, nam natura non potest mouere materiam: & ideo dico de morbis longis, quòd iuuantur à Sole, quia, vt dixi, motus non fit, nisi à natura propria.

Sed illud est mirum, cur natura sequatur motum lunæ ad opposita loca, & quadrata, & omnino dissimilis naturæ: in Sole autem sequitur similitudinem cum principio morbi, & causa est in Luna, quia natura quærit oppositum temperamentum loci, vt sit ei adiutrix ad expellendum materiam: vt potè si Luna sit in Ariete, quod est signum calidum, & siccum in initio morbi, & aggressa fuerit materiam illius, dum Luna est in Libra, iuuabitur ab humido: & si in cācro, à frigido, & humido: atq; sic melius occurret materiæ, quoniam Luna mouet humores.

In Sole autem est diuersa ratio: quia Sol iuuat vires, & hoc fit magis in simili loco, quàm in contrario: quia natura in contrario situ Solis semper euertitur, ergo debet refugere talem causam, & situm.

Relinquitur solùm difficultas de materia turgente, à quo agente moueatur? & dico, quod à natura propria morbi., in quo est, protrudente quod est noxium ad membrum imbecillius, & illud rursus ad aliud, donec in membrum incidat, ex quo protrudi non possit: vel iam debilitata natura: vel quia nullum membrum aliud sit imbecillius eo: aut ob angustiam meatuum illius membri: vel quoniam natura sit impedita eo tempore, vel per perturbationem animi, velut in ira: vel ob cibum: vel ob motum: vel ob frigus: vel aliam causam potentem, velut medicamentum importunè datum: aut quod deterius est, sectionem venæ, & ideo in crisi etiam est maximum periculum, ne natura impediatur, si fiat in somno euigilando ægrum, vel per iram: vel per cibum: aut tristitiam: aut metum: aut medicamentum aut sectionem venæ: aut cucurbitulas: aut motum.

Liquet enim ex his, quòd omnis crisis fit cum maximo periculo vitæ: quia non fit, nisi coacta natura, & non per electionem, sicut quidam falsò credunt. Hæc igitur, ni fallor, meliora longè, atque vtiliora scitu nugis Galenicis.

PROGNOSTICON II. & III.

Simplicissimæ namque febres ac signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citiùs cessant: pessimæ verò, ac cùm signis grauissimis factæ, quarto die, aut citiùs interimunt.

COMMENTARIVS.

PVdet me Galeni, qui in tanta copia bonarum rerum versatur circa verbum, SIMPLICISSIMAS, adducens quicquid vidit apud comœdos, tragedosue: cum neque sic illud verbum, quid significet, hoc in loco doceat. Ego autem, verbis omissis, res ipsas amplectar. Simplicissimas vocat febres, quæ nullum habent symptoma secum, nisi pathognomicum. Sunt autem symptomata pathognomica(exempli gratia) ardentis febris calor magnus, & mordax, sitis, lingua arida, pulsus & respiratio magna, celer, crebra ad metam quandam vsque, nam vbi excesserint, deficiet aliud signum, quod subiicit signis firmatæ securissimis. Quæ autem alius expositor addit de febribus mali moris vera sunt, sed non hic prodenda: neque enim solum oportet simplicissimas febres carere signis illis occultis, per quæ febres mali moris esse intelligimus, sed quibuscunque signis, vt dixi, non pathognomicis malis, nam sudor calidus, & amarulentia oris, & capitis dolor, non sunt signa mali moris: & tamen huiusmodi etiam abesse oportet,

oportet, si febris simplicissima vocari iure debet.

Meliùs fecissent, si quod difficile est, explicassent, scilicet quæ sint ista signa securissima? deinde quare intra quartum diem magis hæ habeant, significare solutionem, quàm quæ habent signa timoris? nam symptomata grauia, & motus, qui fit à materia, solent cogere naturam ad citò pugnandum cum morbi causa. Sed iam prosequamur rem.

Signa securissima sunt constantia virium, & coctio materiæ. Tum constantia virium ex omnibus operationibus integris dignoscitur. Est & medium quoddam signum non immutatum esse forma à statu propriæ sanitatis.

Pessimæ verò) Et hic docet oppositum, nam, vt dixi, simplicissimæ febres sunt, quæ & secundum naturam tales sunt, & symptomatibus non pathognomicis carent, at quæ sunt pessimæ, non sunt secundum naturam, vt ardentes frigorificæ mistæ, quæ exacerbantur quotidie, non alternis diebus: tantum quorum exacerbatio perdurat vltra duodecim horas, hæ non sunt simplices, & rursus, si coniungantur cum excrementis fœtidis, cum collapsu virium in exacerbatione, cum dolore capitis, palpitatione cordis, deiectione appetitus, vigilia, hæc tametsi coniuncta sint febribus eiusmodi, non tamen sunt simplicissimæ, sed cum horrendis signis sunt: cum conuulsione, casu pulsus, & pulsu inordinato, sudore faciei, frigido liuore extremorum, amissione visus, talia sunt signa grauissima sicut & delirium, & mala respiratio.

Reliquum est, vt videamus, quare cum miti febre finis breuissimus debeat expectari? & respondeo, quòd vehementissima febris, & cum symptomatibus sæuissimis vrget facultatem vitalem, & extinguit vires: quæ verò mitissima est, eiusmodi ob materiæ paucitatem, benignitatem, & tenuitatem, natura autem agit semper non ex iudicio, sed secundum vltimum sui robur, ac quasi conaretur: quare breui superabit illam, quamuis parum irritata: & ob id citò sanabitur æger, nec dixit, quòd per crisim: sæpius enim absque ea in talibus morbis.

PROGNOSTICON IV.

PRimus itaque insultus ipsarum in hunc modum finitur: secundus autem ad septimum perducitur: tertius ad vndecimum: quartus ad quartumdecimum: quintus ad decimum septimum: sextus ad vigesimum: sic igitur ex acutissimis morbis facta per quatuor additione, ad vigesimum finiuntur.

COMMENTARIVS.

DIximus superiùs, quonam pacto dies numerentur per quaternos: istud autem in morbis duplicem habet significationem, prima ex comparatione ad eundem morbum idest, quòd in eodem morbo fiant incrementa, indicationes, & iudicationes per quaternos dies: & iste sensus est verus, sed non adeò, vt secundus, qui est comparatione diuersorum morborum, idest, quod morbi aliqui terminantur in quarta, alij in septima, alij in decima, & ita procedendo: & hic est verissimus.

Galenus nugatur circa verbum, nec demiror: sed de C. Vega, qui tantùm illum extollit, maledicens de Principe: & volunt has nugas conferre ad curam ægrotorum. O miseri homines, qui ob sectas, & ambitionem adeò insanitis, vt non pudeat talia in perniciem humani generis excogitare, inde proferre, non ne tandem pudet, quid misero illi ægro cum vestro aphodo? Nonne vester ille Galenus de hoc ipso toties redarguit priores expositores, vt potuerit vos, vt caueretis, admonere? quid turpius contingere potest homini, quam reprehendi ab eo, quem defendit, & cuius causa decertat, & periclitatur? sed aliâs erit locus: nunc ad vtiliora procedamus, ne, dum volumus reprehendere nugas, nugemur, & vitia aliorum perpetremus.

Doceamus ergo primùm, quonam pacto aliqui morbi non in his diebus, vt dixi, terminentur, sed in sexta, alij in decima: vt tertio Epidemiorum (lang. 3. secund. ord.) de Pythione: alij in quinta, vt primo Epidemiorum Methon: alij in nona perire, aut liberati sunt. Diximus causam esse exacerbationes in diebus paribus: vel quoniam crisis sæpe fit in die impari, sicut Mulier morosa tertio Epidemiorum (lang. vndecim. secund. ord.) quæ fuit iudicata in tertia: tertia causa est ex erroribus, vt qui debet iudicari malè, in quartadecima ob errorem mediocrem iudicetur in tertiadecima, vel ob magnum in duodecima.

Sed cur hunc terminum statuit Hippocrates acutorum, nemo dixit: quanquam viam hanc aperuerimus in libro de Septimestri partu (Comment. decimoseptimo) Dico ergo, quòd Luna in viginti septem diebus cum triente ambit totum signiferum: & cum in septem diebus cum triente moueatur per nonaginta partes ad vnguem, quando motus eius est tardissimus, velut ab vndecima die præsentis mensis, scilicet octobris M. D. LXVI. Luna est in septima parte, & dodrante Libræ decimaoctaua eiusdem est in parte tertia, & semisse Capricorni.

In triente igitur diei cum perageret quatuor partes ad vnguem, tunc sequitur, vt in septem diebus, & octo horis peragret partes nonaginta minus quadrante partis vnius. Igitur in reliquis viginti diebus superabit secundum quadrantem totius circuli, cum quadrante vnius partis: ergo iudicatio fiet in diebus decem, nouem horis, viginti tribus, & semisse.

semisse. Sed astra mouent secundum motum velocissimum, sicut dixi de Sole, qui mouet in triente, quod perficit in CXX. diebus, cum velocissime mouetur per motum appositi absidis ideo semper mouet in CXX. diebus, licet vero motu posset aliquando tardare vsque ad millesimum vigesimumquartum diem, & medio semper in millesimo vigesimosecundo: ita dico de Luna, quòd perficit vltimam crisim in vigesima die. Iunge igitur hæc simul morbum acutum, planetam velocissimi motus, & velocissimum motum ipsius planetæ, & omnia conueniunt in vigesima die: ergo vltimus terminus acutorum simpliciter est viginti dies, seu vigesima dies. Et iuxta hoc constituetur ratio quarti, & septimi, & vndecimi propter quartum decimum diem, qui necessariò debet esse in dimidio totius circuitus Lunæ: ergo decimusseptimus est solus medius inter quartumdecimum, & vigesimum, & ita solus iudicatorius: & similiter septimus, qui est quarta pars totius circuitus. Palàm autem est, quòd constituto septimo, constituitur quartus, & vndecimus: & ita habetur ratio clara dierum criticorum vsque ad vigesimam: & maximè, quia vigesima dies est dimidium quadragesimæ, quæ est vltima diuturnorum versus acutos, & tertia pars CXX. quæ regitur à motu Solis.

Reliquum igitur est, vt respondeam duabus dubitationibus, quæ circa dicta emergere possunt. Prima est, quia Hippocrates seruat eadem incrementa etiam post vigesimam, vsque ad quadragesimam, nam in Abderis liberati sunt, Nicodemus in vigesima quarta die, & Anaxion in trigesimaquarta: tertio Epidemiorum (lang. decim. & octau. secund. ordin.) Respondeo, quòd quantum ad numerationem post vigesimam diem, superiùs diximus causam: quòd verò hic non numeret, nisi vsque ad vigesimam, causa est, quoniam non intendit numerare, nisi dies morborum acutorum simplicium, memini etiam me dissoluisse contradictionem de morbis acutis (4. libr. 74.) terminantur in quartadecima die: ideo transeo ad secundam.

Quæret ergo forsan aliquis, cur non fiat crisis in vigesimaoctaua, in qua Luna perficit circuitum? & quamuis hoc declaratum sit etiam, vbi egimus de motu Solis, quia Sol mouet iudicationes in similibus, & Luna in contrariis, addo aliam causam, quia Luna exigit motum etiam robustissimum: & ideo non mouet in trientibus, sed in quadrantibus. Sed cum Luna reuertitur ad proprium locum, natura timet, quæ licet mentem non habeat, opera tamen sapientis exercet: sexto Epidemiorum (2.5. Tex. 2.) & de hoc disputauimus abundè in primo libro de Natura (Sec. 2.) Dico ergo, quòd cum redierit Luna ad locum proprium, primum est, apta mouere morbum, & augere, & aduersari naturæ: quia si in eo tempore, dum Luna esset in eo loco, fuit sufficiens ad irritandum morbum, quantò magis, cum redierit. Secunda causa est, quòd morbi fiunt maximè à Saturno, cum transeunt ordinem acutorum: sed Saturnus in viginti septem diebus non distat à loco proprio, nisi per vnum gradum, seu partem: ergo Luna redibit ad eundem situm cum causa irritante morbum, & deducente hominem ad perniciem. Tertia causa est, quia Luna distat circiter viginti quinque partibus in comparatione ad Solem respectu situs primi ad ipsum: ergo est imbecillis, & ita non potest mouere, in septem autem diebus mouet, quia cum superfint ad quadrantem horæ quatuor, non distabit, nisi per quinque partes à suo situ cum Sole: & quandoque cum velox fuerit, nihil distabit, & erit robusta in fauendo causæ contrariæ ipsius morbi, & hæc est etiam tertia causa, quòd oportet accipere vigesimam diem, & non vigesimam primam: quia cum in viginti diebus permeet Sol viginti partes ferè, & Luna decenta sexagintaquatuor partes, relinquitur detractis viginti partibus, quas Sol permeat, vt in viginti diebus Luna commutet situm, per partes ducentas quadraginta quatuor, detractis ergo horis octo, fiet, vt in decem nouem diebus Luna commutet se ad trientem secundum comparationem Solis igitur in decem nouem diebus, & sexdecim horis Luna perueniet ad locum conformem dispositioni, quam habuit ab initio morbi cum Sole, & ad contrarium situm in comparatione ad signiferum: & ideo natura mouebitur duplici ratione ad iudicationem. Et quamuis ista videantur remota, provt sunt in causis, & in astris, tamen provt principium est in materia, & est natura, est causa propinqua naturalis secundum rationem, & facilis.

PROGNOSTICON V.

Fieri verò non potest, vt aliquid horum integris diebus verè annumeretur: non enim annus, aut menses integris diebus annumerari solent.

COMMENTARIVS.

Qvod dicit, manifestum est per se: verùm dubitatio magna relinquitur, quia exemplum Hippocratis non videtur esse ad propositum, licet enim anni, & menses, de quibus dixit in libro de Septimestri partu (Tex. primo & secundo) declarans, quòd per annum intelligit dies trecentos sexaginta quinque cum quarta parte fermè, & per mensem, dies viginti nouem, & horas duodecim, licet sint verius quatuordecim, vt constet, neque annum, neque mensem constare diebus integris: nihilominus, vt demonstratum est, numerus hic dierum iudicatoriorum non deducitur ab anno, neque mensibus. Verum respondeo, quòd mens Hippocratis est, vt deducantur ab anno per quadragenariam, & à mense per quaternos, ita vt intelligat duo genera mensium, vt dixi vnum viginti septem dierum cum triente, iuxta quem computantur dies indicatorij, quem constat, non esse ex diebus integris: alterum, iuxta quem numerantur menses

prægnantium. Mens igitur Hippocratis est, quòd neque quartus dies, neque septimus, sint integri, nec alius quisquam. Sed diuidit viginti dies in sex partes, & exibunt dies tres, & octo horæ pro primo die critico: duplicatis his, fient dies sex, & hora sexdecim pro septima die, quibus duplicatis, fient dies tredecim, & horæ octo pro quarta decima die, quibus si addantur dies tres, & horæ octo, fient dies sexdecim, horæ sexdecim pro decima septima. Sed relinquitur dubium de vndecima die, quoniam si sex diebus, & horis sexdecim addantur dies tres, & horæ octo, fient dies decem ad vnguem: ergo non cadet in vndecimam, & hæc est maxima difficultas, quæ contingat in via Hippocratis circa rationem, & numerum dierum iudicatoriorum: & maximè, quia sicut quadragesimus est dimidium octuagesimi, & triens centesimi vigesimi, & vigesimus dimidium quadragesimi: ita decimus est dimidium vigesimi, & si voluerimus augere vel vnam horam, cadet duplum eius in vigesimam primam diem. Dico ergo, quòd nemo potest dissoluere hanc difficultatem, nisi quid calleat artem Hippocraticam Ptolomei, adeò vt sit mista ratio, quæ vocatur participatio: & est, vt dixi, quòd dies vigesimus & decem nouem dierum, & sexdecim horarum, & dimidium eius erit dierum nouem, & horarum viginti, & ita sexta pars, scilicet quarta dies, erit trium dierum, horarum sex cum besse: septima sex dierum, tredecim horarum cum triente, vndecima autem nouem dierum, vt dixi, & viginti horarum: quartadecima tredecim dierum, duarum horarum cum besse: decimaseptima sexdecim dierum, nouem horarum cum triente: & ita vigesima nouem dierum, & sexdecim horarum. Si ergo singulis horum addas sex horas propter motum naturæ in materia, quas vocauit Princeps almeliletu, erunt dies ad vnguem, quartus, septimus, vndecimus, quartus decimus, & decimus septimus, & vigesimus iudicatorij, sicut proposueramus.

Ex hoc sequitur, quod oportet dies iudicatorios terminari ad vnguem, non solùm vt seruetur numerus eorum, sed etiam horarum exquisitus: & si contingat error, erit propter casum, & non est, sicut in accessionibus, nam mutationes earum sunt propter motum materiæ: sed iudicationes fiunt à natura, quæ non errat, nisi coacta: materia autem mutationes facit varias per se, quoniam constat ex variis partibus. Veritas ergo est quòd dies iudicatorij incipiunt in supradictis diebus, & horis absque additione sex horarum: & tunc verè incipit iudicatio, & natura se præparat ad pugnam.

PROGNOSTICON VI.

POst hæc autem eo modo, & secundum eandem adiectionem, primus circuitus quatuor, & triginta dierum: secundus quadraginta dierum: tertius sexaginta dierum est.

COMMENTARIVS.

MAnifesta est mens Hippocratis, quòd vult morbos acutos simpliciter terminari vsque ad vigesimam: eos verò, qui sunt per conuersionem, duplum spatij, scilicet à vigesima ad sexagesimam: quod verò ad quadragesimam, diuturnos verò triplum scilicet sexaginta dies, idest, à sexagesima ad centesimam vigesimam, cur autem assumpserit trigesimumquartum, manifestum est ex Aphorismo (secunda par. vigesimatertia) Acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur. Plures autem factæ sunt iudicationes in ea die: vt in Abderis Anaxion sanatus est Apollonius mortuus, non est, vt reprehendam Galenum hac in parte, neque eos, qui eum sequuntur: neque enim quicquam de hoc intellexerunt, nam quod ad quadragesimum attinet, ille se habet ad vigesimum, vt vigesimus inter acutos, diximus enim contraditione quarti libri (74.) quonam pacto morbi, qui terminantur in quadragesima, sunt acuti non meri, neque proprij. Sed tamen seruant legem acutorum, quia augentur per quaternos dies, indicantur, & iudicantur & solum deficiunt à veris acutis, quia sunt misti, à quadragesimo autem ad sexagesimum sunt acuti misti, non tamen seruantes formam acutorum, vt sint quinque genera peracuti, qui cum maximo impetu intenduntur: & hi finiuntur intra septimam, per se intra quartam, ex adiectis conditionibus: acuti meri, qui perpetuò intenduntur, non tamen maximis incrementis, & seuissimis symptomatibus, quorum terminus est dies quartus decimus: acuti simpliciter, quorum terminus est vigesima dies intensio perpetuò. Sed inæquales acuti ex conuersione, quorum intensio non est perpetua, sed per quaternos dies, aut septenos, aut vndenos, & similes vsque ad vigesimam. Sed sunt remissiones interpositæ, & finiuntur intra quadragesimam diem: & hi etiam vocantur misti, sicut illi acuti misti simpliciter, quoniam proprium morborum acutorum est habere symptomata vehementia, & partes, quæ continuum incrementum, & euidens suscipiunt, atque ita habemus distinctionem morborum descriptorum ab Hippocrate.

PROGNOSTICON VII.

INter initia tamen horum difficilius est prænoscere ea, quæ multo temporis spatio iudicari debent: simillima enim horum initia sunt, sed à prima die animum adhibere opus est, ac per singulos quaternarios additos considerare: nec latebit, quo vertetur morbus.

COM

COMMENTARIVS.

DOcet difficilius esse ab initio morbi prænoscere futura, quàm in successu: & causam reddit dicens: Quoniam in initio similes sunt morbi, igitur dicit, non possunt dignosci. Sed si quis mentem adhibeat in mutationibus per quaternos intelliget scilicet post vnum, duos, aut plures quaternarios, qualis exitus futurus sit morbi. Quare temerè aliqui volunt ab initio prædicere, quod prædici non potest: & hic videtur Hippocrates fauere sententiæ illorum, qui dicunt, morborum acutorum certiores esse pronuntiationes salutis, aut mortis: cuius sententiæ fuit Rasis, in quarto Contradicentium (30.) Porrò quænam sunt, quæ præsagire oportet, docet Galenus quarto de Præsagio ex pulsibus (capite vndecim.) dicens, esse tria, primum, an morbus futurus sit lethalis, an ad salutem terminari debeat? secũdum, quomodo debeat terminari ad salutem, vel ad mortem cum crisi, vel sine crisi, cum quibus symptomatibus, & reliqua eiusdem, tertium, in quo tempore? & in quot diebus? Modum autem non est vt explicem, sed potius admonere oportet de eo, quod dicit Hippocrates, quod inspicienti per quaternarios, & dies iudicatorios, apparebunt signa omnium horum. Ex quo liquet, vt dixi suprà, quòd Hippocrates (Comment. tert.) non solum considerat hos dies in diuersis morbis, vt pote, qui fint iudicandi in quarta, vel septima, vel vndecima, sed in vno, & eodem morbo, quartum, septimum, & vndecimum, & ita vsque ad quadragesimum. Secundò sequitur, quòd in intercalaribus si signa appareant, vt octaua, nona, vel decima, non debemus multùm fidere in illis, quod etiam maximè docuit in primo Epidemiorum. Tertiò, quòd Hippocrates vult, non solùm hos dies iudicatorios esse considerandos ob iudicationem, sed etiam ob indicationem. Dies ergo critici possunt omnes esse indicatiui: & omnes indicatiui critici. Et non vult, quòd singuli dies critici necessariò indicent: sed quòd debeamus illos inspicere, vt sciamus, an aliquis eorum indicet? Galenus etiam ostendit ex hoc haberi morbos, qui citò finiuntur, & interimunt, maximè esse contrarios: qui in longius progrediuntur, minus inter se differre, quo fit, vt etiam differentiam illorum minùs perspicua sit: atque ita difficilius esse, & peritioris artificis diiudicare de longis morbis, quàm de acutis. Neque dictum illud Galeni est simpliciter intelligendum, illos morbos ad salutem debere terminari, in quibus facultas superat dispositionem morbi sicam: illos morituros, in quibus facultas ab eisdem superatur, nam multi morbi ad mortem perducunt, in quibus facultas naturalis, aut vitalis morbum superat, vel ob locum, vel ob aliam rationem. Sed de vitali omnino falsum est vtrumque, & de vita, & de morte: si autem intelligas in successu morbi, est idem per idem dicere. Et forsan est difficilius, scire primum, quàm secundum. Ideo, vt dixi, meliùs est stare in decretis ab Hippocrate. Frustra enim factus esset liber hic, si alio modo, & tam paucis, quod quæritur, dignosci posset.

DIGRESSIO.

DVbitabit forsan aliquis cur ego, qui tot, tantáque scribo, atque adeò diligenter, non tamen sanare possim omnes, & in prædicendo etiam euariem, vt perpetuò diuersa prædicam? quòd si mihi non est concessum diuinare constanter, quis non poterit sperare hoc assequi? si ego frigeo hac ætate, quis sperare potest ex doctrina obtinere posse primas partes, si tam pauci me audiunt, quid iuuat hæc sapientia? Denique videmus plures nihil scientes crassa minerua empiricos, qui maximo cum fastu viuunt, & magnum nomen sibi acquisiuerunt, tum etiam diuitias non contemnendas. Demum non videmus quenquam nostris temporibus qui cum his tot eo profecerit, vt modum mortis, aut salutis, ac diem prædicere possit. Ergo cum non deceat hominem bene exceptum maximè calamitatis tempore vt fortunam suam excuset, vel ciues, vel medicos alios criminari ab his sanè abstinebo: quæ tamen plurimum in rem ipsam facerent. Omnia enim, vt dixi, arbitrari, si non alia ratione, saltem ob hoc oportet Deum cuncta rectè fecisse, nec obruitur frumentum, nisi vt copiosus nascatur. Ve tamen illis, per quos frumentum hoc tam salutare obruetur: sed non longo tempore, neque nisi vbi expediet. Videmus (vt non longiùs progrediar ab instituto) Hippocratem, quod & aliàs dixi, curasse solum pauperes: conquestum sub Democriti persona, quod dij humanum genus odissent: tot tantáque aduersus medicos sui temporis ignaros questum: calamitosam eius fortunam: contra Thadeum Florentinum nec inter rudes satis peritum, & quod deterius est, Iacobum Gottierum empiricum popularem quanta fortuna claruerit non solum incredibilium opum, sed etiam gloriæ apud Reges, quid est ergo, quod miremur, aut maius, possimus expectare? vel vt ob hoc Hippocratem postponemus Thadeo aut Gottiero? Quid dicam de Themisone, & Menocrate Syracusio, viris stultis, & imperitissimis, quorum tamen fama insignis temporibus suis fuit? & Galenus sua ætate vix medicus habebatur.

Quanquam de illo nil mirum sit, cum fuerit chirurgus in iuuenta, & si omnino medicinam exercuit, ætate senili contingit. Verba enim illa ex secundo de Crisi (capite septimo) Ergo in tota æstate interim, quàm quadringentos acuto morbo laborantes vidi.

In alio rursus anno plurimos, atque in autumno omnes vndecimo iudicatos: vel cum Pelopem sequeretur, ad id tempus sunt referenda, aut aliquando dum senex esset, atque in patria id ei contigit, nam verba illa potius ad eum, qui in oppido exercuerit medicinam, aut parua vrbe, quàm in magna pertinere videntur, vtcunque sit, non laboro. Satis est, parum feliciter illum exercuisse medicinam, si ad gloriam, quæ post mortem consequuta est, referatur. Quid

prægnantium. Mens igitur Hippocratis eſt, quòd neque quartus dies, neque ſeptimus, ſint integri, nec alius quiſquam. Sed diuidit viginti dies in ſex partes, & exibunt dies tres, & octo horæ pro primo die critico: duplicatis his, fient dies ſex, & hora ſexdecim pro ſeptima die, quibus duplicatis, fient dies tredecim, & horæ octo pro quarta decima die, quibus ſi addantur dies tres, & horæ octo, fient dies ſexdecim, horæ ſexdecim pro decima ſeptima. Sed relinquitur dubium de vndecima die, quoniam ſi ſex diebus, & horis ſexdecim addantur dies tres, & horæ octo, fient dies decem ad vnguem: ergo non cadet in vndecimam, & hæc eſt maxima difficultas, quæ contingat in via Hippocratis circa rationem, & numerum dierum iudicatoriorum: & maximè, quia ſicut quadrageſimus eſt dimidium octuageſimi, & triens centeſimi vigeſimi, & vigeſimus dimidium quadrageſimi: ita decimus eſt dimidium vigeſimi, & ſi voluerimus augere vel vnam horam, cadet duplum eius in vigeſimam primam diem. Dico ergo, quòd nemo poteſt diſſoluere hanc difficultatem, niſi quid calleat artem Hippocraticam Ptolomei, adeò vt ſit miſta ratio, quæ vocatur participatio: & eſt, vt dixi, quòd dies vigeſimus & decem nouem dierum, & ſexdecim horarum, & dimidium eius erit dierum nouem, & horarum viginti, & ita ſexta pars, ſcilicet quarta dies, erit trium dierum, horarum ſex cum beſſe: ſeptima ſex dierum, tredecim horarum cum triente, vndecima autem nouem dierum, vt dixi, & viginti horarum: quartadecima tredecim dierum, duarum horarum cum beſſe: decimaſeptima ſexdecim dierum, nouem horarum cum triente: & ita vigeſima nouem dierum, & ſexdecim horarum. Si ergo ſingulis horum addas ſex horas propter motum naturæ in materia, quas vocauit Princeps almelileth, erunt dies ad vnguem, quartus, ſeptimus, vndecimus, quartus decimus, & decimus ſeptimus, & vigeſimus iudicatorij, ſicut propoſueramus.

Ex hoc ſequitur, quod oportet dies iudicatorios terminari ad vnguem, non ſolùm vt ſeruetur numerus eorum, ſed etiam horarum exquiſitus: & ſi contingat error, erit propter caſum, & non eſt, ſicut in acceſſionibus, nam mutationes earum ſunt propter motum materiæ: ſed iudicationes fiunt à natura, quæ non errat, niſi coacta: materia autem mutationes facit varias per ſe, quoniam conſtat ex variis partibus. Veritas ergo eſt quòd dies iudicatorij incipiunt in ſupradictis diebus, & horis abſque additione ſex horarum: & tunc verè incipit iudicatio, & natura ſe præparat ad pugnam.

PROGNOSTICON VI.

POſt hæc autem eo modo, & ſecundum eandem adiectionem, primus circuitus quatuor, & triginta dierum: ſecundus quadraginta dierum: tertius ſexaginta dierum eſt.

COMMENTARIVS.

MAnifeſta eſt mens Hippocratis, quòd vult morbos acutos ſimpliciter terminari vſque ad vigeſimam: eos verò, qui ſunt per conuerſionem, duplum ſpatij, ſcilicet à vigeſima ad ſexageſimam: quod verò ad quadrageſimam, diuturnos verò triplum ſcilicet ſexaginta dies, ideſt, à ſexageſima ad centeſimam vigeſimam, cur autem aſſumpſerit trigeſimumquartum, manifeſtum eſt ex Aphoriſmo (ſecunda par. vigeſimatertia) Acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur. Plures autem factæ ſunt iudicationes in ea die: vt in Abderis Anaxion ſanatus eſt Apollonius mortuus, non eſt, vt reprehendam Galenum hac in parte, neque eos, qui eum ſequuntur: neque enim quicquam de hoc intellexerunt, nam quod ad quadrageſimum attinet, ille ſe habet ad vigeſimum, vt vigeſimus inter acutos, diximus enim contraditione quarti libri (74.) quonam pacto morbi, qui terminantur in quadrageſima, ſunt acuti non meri, neque proprij. Sed tamen ſeruant legem acutorum, quia augentur per quaternos dies, indicantur, & iudicantur & ſolum deficiunt à veris acutis, quia ſunt miſti, à quadrageſimo autem ad ſexageſimum ſunt acuti miſti, non tamen ſeruantes formam acutorum, vt ſint quinque genera peracuti, qui cum maximo impetu intenduntur: & hi finiuntur intra ſeptimam, per ſe intra quartam, ex adiectis conditionibus: acuti meri, qui perpetuò intenduntur, non tamen maximis incrementis, & ſeuiſſimis ſymptomatibus, quorum terminus eſt dies quartus decimus: acuti ſimpliciter, quorum terminus eſt vigeſima dies intenſio perpetuò. Sed inæquales acuti ex conuerſione, quorum intenſio non eſt perpetua, ſed per quaternos dies, aut ſeptenos, aut vndenos, & ſimiles vſque ad vigeſimam. Sed ſunt remiſſiones interpoſitæ, & finiuntur intra quadrageſimam diem: & hi etiam vocantur miſti, ſicut illi acuti miſti ſimpliciter, quoniam proprium morborum acutorum eſt habere ſymptomata vehementia, & partes, quæ continuum incrementum, & euidens ſuſcipiunt, atque ita habemus diſtinctionem morborum deſcriptorum ab Hippocrate.

PROGNOSTICON VII.

INter initia tamen horum difficilius eſt prænoſcere ea, quæ multo temporis ſpatio iudicari debent: ſimillima enim horum initia ſunt, ſed à prima die animum adhibere opus eſt, ac per ſingulos quaternarios additos conſiderare: nec latebit, quo vertetur morbus.

COMMENTARIVS.

DOcet difficilius eſſe ab initio morbi prænoſcere futura, quàm in ſucceſſu: & cauſam reddit dicens: Quoniam in initio ſimiles ſunt morbi, igitur dicit, non poſſunt dignoſci. Sed ſi quis mentem adhibeat in mutationibus per quaternos intelliget ſcilicet poſt vnum, duos, aut plures quaternarios, qualis exitus futurus ſit morbi. Quare temerè aliqui volunt ab initio prædicere, quod prædici non poteſt: & hic videtur Hippocrates fauere ſententiæ illorum, qui dicunt, morborum acutorum certiores eſſe pronuntiationes ſalutis, aut mortis: cuius ſententiæ fuit Raſis, in quarto Contradicentium (30.) Porrò quænam ſunt, quæ præſagire oportet, docet Galenus quarto de Præſagio ex pulſibus (capite vndecim.) dicens, eſſe tria, primum, an morbus futurus ſit lethalis, an ad ſalutem terminari debeat? ſecũdum, quomodo debeat terminari ad ſalutem, vel ad mortem cum criſi, vel ſine criſi, cum quibus ſymtomatibus, & reliqua eiuſdem, tertium, in quo tempore? & in quot diebus? Modum autem non eſt vt explicem, ſed potius admonere oportet de eo, quod dicit Hippocrates, quod inſpicienti per quaternarios, & dies iudicatorios, apparebunt ſigna omnium horum. Ex quo liquet, vt dixi ſuprà, quòd Hippocrates (Comment. tert.) non ſolum conſiderat hos dies in diuerſis morbis, vt pote, qui ſint iudicandi in quarta, vel ſeptima, vel vndecima, ſed in vno, & eodem morbo, quartum, ſeptimum, & vndecimum, & ita vſque ad quadrageſimum. Secundò ſequitur, quòd in intercalaribus ſi ſigna appareant, vt octaua, nona, vel decima, non debemus multùm fidere in illis, quod etiam maximè docuit in primo Epidemiorum. Tertiò, quòd Hippocrates vult, non ſolùm hos dies iudicatorios eſſe conſiderandos ob iudicationem, ſed etiam ob indicationem. Dies ergo critici poſſunt omnes eſſe indicatiui: & omnes indicatiui critici. Et non vult, quòd ſinguli dies critici neceſſariò indicent: ſed quòd debeamus illos inſpicere, vt ſciamus, an aliquis eorum indicet? Galenus etiam oſtendit ex hoc haberi morbos, qui citò finiuntur, & interimunt, maximè eſſe contrarios: qui in longius progrediuntur, minus inter ſe differre, quo fit, vt etiam differentiam illorum minùs perſpicua ſit: atque ita difficilius eſſe, & peritioris artificis diiudicare de longis morbis, quàm de acutis. Neque dictum illud Galeni eſt ſimpliciter intelligendum, illos morbos ad ſalutem debere terminari, in quibus facultas ſuperat diſpoſitionem morbi ſicam: illos morituros, in quibus facultas ab eiſdem ſuperatur, nam multi morbi ad mortem perducunt, in quibus facultas naturalis, aut vitalis morbum ſuperat, vel ob locum, vel ob aliam rationem. Sed de vitali omnino falſum eſt vtrumque, & de vita, & de morte: ſi autem intelligas in ſucceſſu morbi, eſt idem per idem dicere. Et forſan eſt difficilius, ſcire primum, quàm ſecundum. Ideo, vt dixi, meliùs eſt ſtare in decretis ab Hippocrate. Fruſta enim factus eſſet liber hic, ſi alio modo, & tam paucis, quod quæritur, dignoſci poſſet.

DIGRESSIO.

DVbitabit forſan aliquis cur ego, qui tot, tantáque ſcribo, atque adeò diligenter, non tamen ſanare poſſim omnes, & in prædicendo etiam euariem, vt perpetuò diuerſa prædicam? quòd ſi mihi non eſt conceſſum diuinare conſtanter, quis non poterit ſperare hoc aſſequi? ſi ego frigeo hac ætate, quis ſperare poteſt ex doctrina obtinere poſſe primas partes, ſi tam pauci me audiunt, quid iuuat hæc ſapientia? Denique videmus plures nihil ſcientes craſſa mineruæ empiricos, qui maximo cum faſtu viuunt, & magnum nomen ſibi acquiſiuerunt, tum etiam diuitias non contemnendas. Demum non videmus quenquam noſtris temporibus qui cum his tot eo profecerit, vt modum mortis, aut ſalutis, ac diem prædicere poſſit. Ergo cum non deceat hominem bene exceptum maximè calamitatis tempore vt fortunam ſuam excuſet, vel ciues, vel medicos alios criminari ab his ſanè abſtinebo: quæ tamen plurimum in rem ipſam facerent. Omnia enim, vt dixi, arbitrari, ſi non alia ratione, ſaltem ob hoc oportet Deum cuncta rectè feciſſe, nec obruitur frumentum, niſi vt copioſus naſcatur. Ve tamen illis, per quos frumentum hoc tam ſalutare obruetur: ſed non longo tempore, neque niſi vbi expediet. Videmus (vt non longiùs progrediar ab inſtituto) Hippocratem, quod & aliâs dixi, curaſſe ſolum pauperes: conqueſtum ſub Democriti perſona, quod dij humanum genus odiſſent: tot tantáque aduerſus medicos ſui temporis ignaros queſtum: calamitoſam eius fortunam: contra Thadeum Florentinum nec inter rudes ſatis peritum, & quod deterius eſt, Iacobum Gottierum empiricum popularem quanta fortuna claruerit non ſolum incredibilium opum, ſed etiam gloriæ apud Reges, quid eſt ergo, quod miremur, aut maius, poſſimus expectare? vel vt ob hoc Hippocratem poſtponemus Thadeo aut Gottiero? Quid dicam de Themiſone, & Menocrate Syracuſio, viris ſtultis, & imperitiſſimis, quorum tamen fama inſignis temporibus ſuis fuit? & Galenus ſua ætate vix medicus habebatur.

Quanquam de illo nil mirum ſit, cum fuerit chirurgus in iuuenta, & ſi omnino medicinam exercuit, ætate ſenili contingit. Verba enim illa ex ſecundo de Criſi (capite ſeptimo) Ergo in tota æſtate interim, quàm quadringentos acuto morbo laborantes vidi.

In alio rurſus anno plurimos, atque in autumno omnes vndecimo indicatos: vel cum Pelopem ſequeretur, ad id tempus ſunt referenda, aut aliquando dum ſenex eſſet, atque in patria id ei contigit, nam verba illa potius ad eum, qui in oppido exercuerit medicinam, aut parua vrbe, quàm in magna pertinere videntur, vtcunque ſit, non laboro. Satis eſt, parum feliciter illum exercuiſſe medicinam, ſi ad gloriam, quæ poſt mortem conſequuta eſt, referatur. Quid

dicam de Oribasio, quàm infelix exilium inter accolos Ponti,& vt Ille dicebat,qui locum incoluerat:

Siue locum specto,locus est inamabilis, & quo
Esse nihil toto tristius orbe potest:
Siue homines,vix sunt homines hoc nomine digni.
Quanque lupi,sæpe plus feritatis habent.

Quam turbulenta,anxia,& inanis fuit Principis vita, nec is tamen multum exercuit artem?Iam verò neque beatos illos minùs ob id existimabimus? cum & scientia præstent, & successu, & conscientia innocentiæ. Sed mihi hæc non sunt necessaria, qui plus habui, quàm concupiui, plura licuerit habere, quàm voluerim, imò vnus solus, quam omnes totius vrbis, seu Mediolani, seu Bononiæ: at non sufficere poteram omnibus: nec genitus prorsus renunciare laboribus rerum perpetuarum. Quòd verò non possim sanare omnes,causam non refero: nam sanari plures nolunt, alij circumueniuntur.

Quid plura, non est mirum eos non sanari,qui sanari nolunt?Non est, cur querantur ostendere, cum non possint à me curatum ab initio,qui obierit?Cæterùm demiror crudelitatem, dementiam, & impietatem medicorum nostræ ætatis, quorum aliqui eò deueniunt, vt obliti omnis humanitatis, malint perdere homines, vt seruiant pertinaciæ,quàm reuocari,& eos seruare.

Quid quod adeò sectis addicti sunt,vt neque religionis,neque immortalitatis animorum, nec præceptorum Philosophiæ respectus vllus teneat.

At quid memorem amentiam, cum tam parui emolumenti gratiâ tot periculis se exponant?certè conscientiam malæ fidei vitare non possunt.

Ergo eorum opera fit, vt neque ipsi seruare possint quenquam ex magnis morbis ob imperitiam,aut pertinaciam, quæ ambitioni, aut auaritiæ seruit:neque alios sinant seruare imperitos illorum maleficis artibus, & suspiciosos, ac forsan deteriora metuentes, quàm etiam illi parare decreuerint, quæ omnes artes creuerunt desidia, & auaritia magistratuum:principuum verò ignorantia prorsus supina, qui tamen errorum, & in se ipsis,& in suis pignoribus pœnas dant: tum verò ambitione pessimorum doctorum,quibus non sufficit talia perpetrare, nisi etiam alios doceant discipulos facere, vt eos per hæc lenocinia alliciant.

Vtinam tam mihi auxilio essent, quàm sunt impedimento.

Mediolani licuit pugnando plures seruare,hic per inducias minimè licet:nisi si quis, vt Moses Hebræus, me ipso contentus esse velit,quem solus annuo morbo laborantem vix seruaui, certè nullo socio id facturus. Adeò deteriores etiam sunt fictæ induciæ aperto bello. Quid mireris,cum videas claros etiam medicos sublimia publicè differentes empiriam curando prouideri?semper id vsu euenit inter mortales, vt vnus aduersus infinitos pro veritate pugnaret. Cur expediat etiam eruditis mentiri,& fucum facere mortalibus, non video, cum hi non desperare possint de arte consequenda:nec adeò fortuna illius contemptibilis sit, vt illius sortem subire reformident. Cum ergo nullam rationem videam, cur malint malè, & infeliciter viuere, quàm bene, ac feliciter? certè cum ita sit, nullam causam video, nisi mollitiem, atque eam, quòd virtuti non debitus honos(dico)habeatur,ob adulationem: adulatio autem ex segnitia.

Igitur longiùs digredimur. Sed hæc vicissitudo semper fuit, sempérque erit locorum, & temporum,cum apud immortales amplus sit locus,& perpetuus veri cultus,atque veri cognitio, vt iam metuere plus debeamus,ne deficiat veritatis honos, ac studium, & cognitio,quàm quòd solis ortus.Iam dicitis,cur non audes cum tua illa præclara sapientia, seu arte prædicere? tria obstant, quæ non tam,vt me excusem, adduco, quàm vt vnusquisque intelligat, à quibus cauere in prædicendo debeat.

De sanandis, quanta in contrarium euenire possunt,culpa ægri stantium, pharmacopolarum, medicorum, sociorum, quòd etiam si tutus omnino sis,quomodo te tutum fore scire potes?In mortem prædicendo,cum tot errores admiserint, qui scire potes finē, nam maiore in periculo hac parte fui, quā si de salute in sanādis prædixissem. Sed postquā animaduerti magnitudinē multitudinemque errorum in totum,à prædicendo abstinui,donec intellexi vi morbi hæc, vel illa accidisse.In acuta febre,nulla præmissa sectione venæ carnibus,ouis,vino implentes, ac quater in die cibantes ægrum, calidisque emplastris ventrem fouentes, persæpe mecum cogitaui, an dormirem, an potius illi ad ægrum enecandum studiosè vocati essent. *Ita nunc generosè agitur à Galenicis istis:* sed sanè non (per Iouem) secundum Galenum. Deinde quærimus de prospera fortuna Turcarum,cum sic viuamus:& eandem normam, mores cæterorum, quorum vtimur opera sequantur: sed est alia maior causa, quæ vtrisque seruit,vt nemo sanæ mentis iudicium proferre audeat.Peruertunt enim dictum,si moriturum dixeris, moriaturque dicunt medici audisse ex te,quòd euasurum dixeris:si sanetur,& sanandum prædixeris,moriturum te pronunciasse affirmant:modestiæque esse dicunt, non contendere cum illo, quid dixerit, sed audisse ipsos coram multis testibus,hoc non faciunt tantum, vt infamia aspergant hominem,sed vt illum deterreant ne melior illis,qui nihil prorsus sciunt,videri velit. Quæritis ergo, quis sperare potest sciturum si ego ignoro, aut prædicere ausurum, si ego timeo? sanè frumenti granum multa grana parit:& multi homines superarunt feras, cum antea dilaniarentur ab illis: & Romani minima cum vrbe ab initio trecentis cum equitibus, & tribus millibus peditum, atque inde auctis viribus, orbem subegerunt. Et plures fuere Christiani facti ab Apostolis, quàm à Christo, & plures Philosophi à discipulis Socratis,quam à Socrate.

Pugnare munus est hominis, diffundi doctrinam, Dei.Non sumus nos authores, sed ministri.

Quòd

Quòd pauci audiant, quid mirum? nam pauci veritatem amant, cùm inimicos veritatis ament, ambitionem, auaritiam, dolos, immanitatem, deſidiam, ignorantiam, an non par eſt, plures habituras has omnes aſſeclas, quàm veritatem, quæ cum ſcientia, labore, ſimplicitate, ſapientia, humilitate, paupertateque coniuncta eſt: Quid verò miramini hos imperitos gaudere feliciore fortuna? Multa ac nimis in hoc genere diximus circa ementitam horum felicitatem: felicitas vlla, vbi neque ſcientia, neque recti conſcientia, nec deorum amor eſſe poteſt. Vincet tandem veritas, nec eorum, quæ ſuper erunt, quicquam ſtabile eſt. Amici falſa gloria, & eiuſmodi blandimenta fortunæ pereunt quã breui: filij non ex hoc pendent, ſed opes maius negocium faceſſunt, & ab alienis, qui à propriis; quid ergo eſt, quòd in tanto ſcelere, & latrocinio deteriore dulce eſſe poſſit? Sed iam extra cancellos. Reſpondet Hippocrates (lib. de Lege) breuiter, & more ſuo: Imperitia malus theſaurus eſt: & infelices opes his, qui eam repoſitam habent, & inſomnium, aut potius ſomnium diurnum & maximè, verùm alacritatis, fiduciæ, veræque exultationis expers, timiditatis verò, & audaciæ nutrix. Timiditas quidem impotentiam, audacia verò ignorantiam artis ſignificat. Duo enim ſunt, ſcientia, & opinio: quorum altera facit ſcire, altera ignorare. Nam timor hominem ſemper reddit infelicem, audacia autem periculis externis maximis illum exponit. Iubet autem Hippocrates, vt regiones ob id circuat, eo, vt reor, conſilio, vt vbi bene eſſe non poſſit, & vbi cum prauis medicis litigandum eſt, diſcedat, vt nec pugnet, nec fallatur, quid enim ſtultius, quàm imperitos velle docere, malos ad ſanam doctrinam reuocare velle, & vitam honeſtam? Sinamus impios cum impiis daturos pœnas meritas.

Quid enim infelicius improbis, quàm inter improbos eſſe? hoc eſt, quod non intellexerunt ex Hippocrate.

Vir iuſtus, & ſapiens, vagando in iuuenta dabit experimentum ſui, prudentior euadet, famam de ſe ſparget, & bonum nomen, nec depugnabit, ſed deploratas vrbes, & circumuentam ſapientiam, atque abſceſſam relinquet, nam & illa per ſe dilabetur, nec pugnare cogetur: adhærebit autem in ſenio ei populo, aut principi, vbi plus valere facta, quàm nugas videbit, & ſtudium veritatis in pretio, ac amorem ſui, ſuorumque pignorum maiorem eſſe, quàm diuitiarum, aut opum, & vbi vitia odio magno eſſe comperiet: hoc enim optimum eſt ſignum felicis habitationis, vbi homines diis ſimiles magna ex parte ſunt, nam prorſus eſſe non poſſunt: neque mortalis eſt morbus deorum, ſed vbi quaſi medij ſunt, ac propiores diis, quàm belluis.

Cæterùm quòd obiicis, me neque tempus præſtituere, neque modum ſalutis, aut mortis in ægris, ſed ſolùm mortis, aut ſalutis ſimpliciter prædictione contentum eſſe? Primùm ſcias, Galenum docere, quid eſſet faciendum, non quid ipſe fecerit: cuius ego neque apud Galenum vllum exemplum inuenio: neque Hippocrates hoc præcipit, imò contrarium, vt in ſecundo de prædictione, & in primo huius libri docet, vult enim prædictionem eſſe ad excuſationem, & certam: at ſola, quæ eſt mortis, aut ſalutis: ſufficit ad excuſandum medicum: aliæ conditiones ſunt iactantiæ, & inanis auræ potius, & cuiuſdam leuitatis argumentum, quàm grauis medici: imò ad ſuperſtitionem, & dæmonas hoc genus trahi ſolet.

Eſt etiam laborioſum admodum, &, vt dixi, incertum: nam fac, vt omnino ars certa ſit, tu peritiſſimus, vnde poteris tot caſus, qui interim accidere poſſunt, effugere: præſtat tamen præſcire ob tria commoda.

Primùm vt ſcias ordinare, atque præſcribere rationem victus, atque medicamenta ipſa, quibus opus eſt: & quando applicanda. Vnde non ſufficiunt, quæ dixit Galenus, ſed oportet addere quartum, ſcilicet præcognitionem inſultuum, exacerbationum ſcilicet acceſſionum, & ſymptomatum, quæ in his, qui ſanandi ſunt, ſi non ſint vtiliora, certè ſæpius in vſum veniunt, quàm cognitio temporis, aut modi ſolutionis morbi.

Secundum commodum eſt, vt intelligas ex hoc, te cognouiſſe perfectè morbum ipſum, nec errare in cura: talia enim ſunt, velut experimentum in regulis Geometricis, quas inuenit Archimedes, & hoc modo probauit, & in Arithmeticis inuentis à nobis.

Tertium eſt, vt poſſis occurrere erroribus aliorum, querelis aſtantium, & maledictis æmulorum: hoc enim modo illos omnes euidenter coargues.

Vt verò doceam, quid Hippocrates hic intendat, ac ſimul, quomodo inania illa à Galeno pro neceſſariis habita conſequaris: & qualiter tibi agendum ſit, vbi in patriam deueneris malorum medicorum (ſcilicet ex hoc ſigno condiſces, quòd opes omnibus præferunt non ſolum honeſto, ſed fidei amori, & coniunctioni ſanguinis) attende ſingula, nam ſimul & te inſtruam, & me, cur non alia agam, excuſabo: intelliges & ex hoc, me plura agere, quàm fronte ipſa præferam.

Eſt enim artis pars, ſimulare contemptum plurium: nam vbi quæ non potes habere contemnendo, partem eorum, quæ in tua ſunt poteſtate, ſpernere videaris, nemo tibi iure obiicere poterit, te non poſſe habere: tum verò contemptus mediocrium tacitum eſt argumentum poſſeſſionis meliorum, atque præſtantiorum. Cum autem ſcopi medici (dico medicum ſolum, qui ſapiens ſit, ac probus: nam improbum ſolo nomine, non re, medicum eſſe dices) ſint, Deo placere, ſeruare ægrum (hoc minus eſt: nam Deo, qui placet etiam cum iactura nominis ſui, ac rei ſeruabit, & quam ſecuriſſimè, celerrimè, & quam minori diſpendio, atque ſint obſeruatione cuiuſquam alterius rei, aut hominis) gloriam ſuam tueri, vt prodeſſe poſſis pluribus, ne deridendo ex exiſtimatione nemini ſis vtilis, &, vt etiam opes tibi compares, diligentia primum ſumma circa ægrum vteris non prædices quicquam temerè, maximè quod inuerti poſſit: obblandieris potentibus (non adeò honeſtum eſt hoc, ſed nil mali in ſe continet) exiſtimationem retinebis ſapientia,

pientia, decore, seruitiis, ornamentis, ac liberalitate: modicus eris in verbis: nil dices alienum: submissa voce loqueris: præcepta, vt breuiter dicam, Hippocratis in institutionibus seruabis: non pugnabis iniquo sub iudice, id est, his, qui non intelligunt, aut controuersariis addicti sunt contumaciter: denique obseruabis, quæ in Proxeneta (capite nonagesimo & nonagesimo primo) diximus. Non est enim præsentis loci tractatio hæc, sed quomodo te explices, aliquem vt tu solus curare possis: interim disputationibus accommodatis authoritatem tuam tueberis: suscitabis etiam factionem: nec illud tecum statue, in quo multi boni viri decepti sunt, melius enim est quouis modo opitulari, etiam si iniustum quid agere cogaris, quàm deterioribus te totum negocium integrum, & tibi intactum relinquere.

Melius est, sanare serò cum, qui citò sanari posset, quàm non sinere. Omnia sunt facienda, vt hominem serues. Pugna etiam acriter, vbi oporteat: nec tam humanum te præbeas, vt eos audaces iustò plus reddas, maiore enim negocio deiicitur è concepta spe, quàm non admittitur, eò vt spem concipere possit: ergo Hippocratis sententia est, vt singulos quaterniones inspicias: habes autem plura huius ex Epidemiis exempla, sed præcipua Cherionis, Anaxionis, Mulieris, quæ in Mendacium fore decubuit, & Dealcis vxorem, cuius historiam, quod ad præsentem attinet institutionem, breuiter explicabo.

Huic decimaquarta spiritus rarus, & magnus per tempus, quod in decimaseptima perturbationem sensus declarabat, & omnium operationum, quæ cum ratione fiunt, impedimentum: vt edere, bibere, aluum deiicere, mingere.

His aduenientibus in vigesima expectandum erat omnino delirium, atque impedimentum alicuius notabilis operationis, cum hæc aduenissent ea die, quid aliud sperari poterat, cum breui spira esset, quàm sequenti morituram? quòd si breui spira non fuisset, vigesima quarta conuulsa omnino periisset.

PROGNOSTICON VIII.

Est autem, & quartanæ constitutio ex tali connnitate.

COMMENTARIVS.

Dicunt Hippocratem posuisse exemplum: sed falsum est, nam cum de acutis agat, vt ab initio oriuntur quartana, si pendet ab acuto morbo, initium illius non facit si initium non faciat languoris, acutus morbus non est. Præterea ad quid opus esset, exemplo in re tam clara, & exemplo contrario deerant forsitan morbi magis accommodati empyema, aqua intercus? propterea dico, quòd est argumentum, vt dici solet, à maiori: quasi dicat non solùm acuti, longi difficilè iudicantur ab initio, quales faturi sint, sed etiam diuturni.

Exposuimus autem in nostra Dialectica, quomodo Hippocrates semper ex vna speciali propositione per vniuersalem rationem progreditur ad vniuersalem. Sed forsan dicet aliquis, Nonne istud perspicuum erat per se, quòd si ab initio acuti morbi ob longitudinem sunt incerti exitus, quantò magis diuturni? Respondeo, quòd non: quia acuti morbi magnas habent mutationes, & ideo sunt magis incerti, at de diuturnis, cum sint magis quieti, poterat ab initio forsitan dubitari, an essent certioris exitus? Sed iam transeamus ad reliquas dubitationes, omittendo illam de Cosmo, an significet ordinem? & dico, quòd sic: & quod ordo significat duo, scilicet dispositionem, quæ per taxim apud Græcos intelligitur, velut ordo Senatorius, & ordo graduum in Scala: alio modo ordo intelligitur, estque eius secundum significatum, vt diuisionem refert: & sic dicimus ordinem Senatorium, & equestrem, non vt referuntur, sed vt alter ad alterum, aut vterque ad plebem.

Et hoc refertur per cosmum græcè, & in hoc significato accipitur hic, quod eiusdem generis, seu difficultatis, seu morborum difficilium cognitione.

Quod ad exitum attinet, est quartana: & hæc sunt difficultates graues medicorum nostri temporis, pudet me, cum alioquin viri eruditi sint in tanta rerum necessariarum scientiæ inopia, vt velint sectari has nugas meras. Galenus non animaduertens ob nimiam φιλαυτίαν, dum vult maximus apparere vates, contradicit Hippocrati, & suspicionem præbet, ne etiam in aliis mendax fuerit: verba eius sunt in commenti initio. Id quoque plerisque incognitum est, & ob eam rem mirabundi sæpenumero vaticinium quoddam nostrum præsagium credunt, vt febre detentus quartana, vindicabitur post diem (si ita forstulerit) quintumdecimum. at qui per tertianam, non demirantur præsagium. Sed in vtrisque ratio communis est.

Primùm cum loquatur hic de initio, vt manifestum est, non animaduertit, vt dixi, Hippocratem velle, vt prædici non possit: ipse autem gloriatur, & falso sanè id fecisse, vt credamus falsò se iactare sæpius de aliis, quod tamen dicere non ausim, malo enim fateri, me non intelligere, quid sibi voluerit: at iuxta causam, quam assignat, duo dicit, quorum vnum est, verum, sed obscurum, alterum falsum, & obscurius, scilicet hoc falsum est, quòd eadem sit ratio iudicandi in tertiana, & quartana, cum tertiana in septem periodis iudicetur quartana: nullus præfixus est certus terminus. nam æstiua est breuis, autumnalis longa, hyemalis verò longior: quod non idem est in tertiana, nam æstate paucæ finiuntur (non nego, quin aliquæ) ante septimam accessionem inueniantur etiam quartanæ bienales, & trienales: quòd non adeò in tertianis simplicibus inuenitur, imò totum contrarium accidit, scilicet quòd duplex tertiana plerumque est longior simplici, & simplex quartana longior duplici, & triplici, licet si minùs periculosa, & vereor, ne

ne in hac cauſa fuerit egregius mendax: neque enim vnquam vidi medicum adeò præſtantem, qui auſus ſit prædicere, neque ab initio, neque procedente morbo exitum quartanæ,qua die futurus eſſet,niſi fortè iam inclinante morbo,cum etiam ruſtici,& plebs id præſagiunt, adeſt etiam ratio, quia vel vult præſagire per criſim:& hoc non, quia tot fiunt criſes in intermittentibus,quot ſunt acceſſiones, licet vſque ad certum tempus augeantur,& pòſt reddantur mitiores: quod quiſque videre poteſt vix initiatus medicinæ non ſolum in quartanis,ſed etiam in tertianis ipſis millies in vna æſtate:vel vult recognoſcere finem quartanæ per reſolutionem,& diminutionem ſenſim factam,& hoc quomodo poterit cognoſcere, niſi propè finem in inclinato iam morbo? & ideo iſta oſtendunt manifeſtè, quòd ſæpius aliâs dixi,eum non exercuiſſe medicinam morborum interiorum,ſed ſcripſiſſe, quæ imaginabatur eſſe vera,iuxta illam ſuam methodum, quæ non fuit contemnenda dum principia erant ex ſenſu accepta. Eſt etiam aliud in cauſa,quòd materia tertianæ eſt vnius modi, & ſibi ſimilis tota:quartanæ autem heterogenea plerunque.

Alterum eſt verum, ſcilicet quòd intermittentium dies numerantur per acceſſiones etenim quartana finitur in anno, id eſt, in centum viginti acceſſionibus, vt prima quarti (Tract. ſecundo capite ſexageſimo primo) Princeps docet: & tertiana in ſeptem acceſſionibus, ita vt numerando dies non ad quartamdecimam, ſed ad tertiamdecimam.

Dubitat Vega, quoniam in diebus quietis etiam perficitur coctio,ſicut in continuis: igitur tales dies eſſent numerandi. Sed circa ſolutionem multa dicit,quæ parùm conſtant, vt potè quòd in diebus quietis actio caloris circa humores morbum facientes ſuſpenditur,ac ferè ceſſat:quod prorſus falſum eſt.Similiter illud, quòd materia in febribus perſæpe reducitur ad benignum: iſtud demonſtratum eſt à nobis eſſe falſum:& cur in arte medica edita. Propterea inuenire oportet aliam viam:& eſt, quòd vnaquæque acceſſio habet ſua tempora omnia:& eſt quaſi vnus morbus integer, & proceditur ex vno in aliam, & ideo numerandæ ſunt acceſſiones, eò, quòd ex diſcretis non fit vnum continuum, ſed omnes acceſſiones ſunt diſcretæ: ergo non poſſunt numerari earum dies,quia dies numerantur incontinuis in comparatione ad iudicium, vel ad finem morbi. Sed in quauis acceſſione intermittentis finitur morbus:igitur patet cauſa.

PROGNOSTICON IX. & X.

QVi verò minimo temporis ſpatio iudicari debent, facillimi cognitu ſunt: maximè enim ab initio differunt, qui enim conualituri ſunt, facilè ſpirant, & ſine dolore agunt, noctu dormiunt ac reliqua ſecuriſſima habent, morituri tamen difficilè ſpirant delirantes, vigilantes, ac reliqua ſigna peſſima habentes.

COMMENTARIVS.

CVm dixiſſet in præcedentibus,morbos, qui breues ſunt, facilè dignoſci, quem finem habituri ſint,oſtendit modò, quomodo dignoſcantur morbi lethales ab his, qui ad ſalutem terminandi ſunt,proponit autem pro exemplo tria in vtroque pro ſeruandis, quòd facilè ſpirent hoc ſignum declarat robur omnium trium facultarum, & nullum adeſſe impedimentum in membris ſpiritualibus, neque læſionem in membris animalibus magnam: igitur iſtud eſt optimum ſignum.

Declaro autem vnumquodque. Primum quia ſi facilis eſt ſpiratio neceſſe eſt vt adſit robur virtutis animalis, nam cum duæ ſint facultates animales, quarum ambarum inſtrumentum eſt cerebrum, ſenſus, qui ſolo conſiſtit in temperamento, vt colligitur ſeptimo de Placitis Hippocratis & Platonis (capite tert.) & motus, qui non fit ſine ſpiritibus, oportet, ſi ſpiratio debet eſſe facilis, vt adſit multitudo ſpirituum, nam ad aſpirationem ſufficiunt ſpiritus, ſed ad facilem ſpirationem requiruntur non ſolùm ſpiritus,& multitudo eorum, ſed magna multitudo: neque enim fit facilis motus aliquis, niſi à maxima proportione,aut naturali obſequio.

Sed non poteſt eſſe animalis facultas cum maxima abundantia ſpirituum,niſi ſuppeditentur à corde: ergo neceſſe eſt facultatem vitalem eſſe validam. Sed non poteſt eſſe facultatis vitalis valida admodum, niſi ſuppeditetur multitudo boni ſanguinis à facultate naturali: igitur facultas naturalis neceſſariò valida eſt, & ideo extrema imbecillitas cuiuſcunque facultatis non poteſt eſſe,niſi cum imbecillitate reliquarum facultatum:veruntamen robur reliquarum facultatum poteſt eſſe etiam maximum ſine robore aliarum, præter quam in facultate animali, & ſimiliter facilitas ſpirandi oſtendit nullo modo eſſe læſum cerebrum:quia cum operatio reſpirationis fiat cum cognitione, vbi vel minimum deliret, læditur aliquantiſper reſpiratio (eſt enim motus voluntarius, vt voluit Galenus) ergo ſi reſpiratio non eſt læſa, neque mens delirio aperto, vel tacito, & ſimiliter de membris ſpiritualibus, vt dictum eſt, quia dolor, & anguſtia faciunt denſam caloris:magnitudo celerem: refrigeratio tardam. Cum verò hæc quatuor adfuerint, qui morbus poteſt eſſe in illis?

Sequitur ſecundum ſignum, Sine dolore agunt.Dolor dicebat Galenus (quarto Meth. capite ſexto maxim.) phlegmonas facit, & vigilias, & febrem, & deliria, & exinde conuulſionem: quæ quinque maximè inducunt mortem.

Intelligendum eſt autem de vehementi dolore: nam paruus dolor aliquando melius eſt ſignum, magnus verò nunquam bonus. Forſitan per ἀνώδυνοι intelligit non ſolùm ſine

sine dolore, sed etiam sine alia molestia graui: velut quod non sit anxius, neque inquietus.

Sequitur tertium signum, Dormiunt. Somnus quidem bonus est & ratione signi, & causæ.

Signi quidem, quoniam neque siccitatem immodicam, neque calorem, neque inquietem, neque materiam venenosam adesse significat: palàm est autem, quòd per) dormiunt) intelligit, sicut sani, aliter falsus esset Aphorismus, In quo morbo somnus laborem facit lethale (secund. par. prim.) Hoc enim est, ac si dicat, quòd dormiunt suauiter continuo somno per debitum tempus, horis consuetis, & quod iuuet. Et ratione causæ, quia humectat, & reficit vires, & coctionem iuuat.

Deinde proponit tria signa: difficilè spirare: & vigilantes esse, quæ sunt opposita duobus prædictis, scilicet primo & tertio: at verò loco doloris ponit delirium. Est autem breue verbum, sed magni momenti: namque deliriorum quinque sunt species principales, in quibus medicus maximè expertus esse debet, adeò vt viderim plerosque ex his, qui turgebant fastu maximè in huiusmodi deludi, quod non internoscerent species. Ego autem post primum ægrotantem, qui iam anno ab hinc vigesimooctauo me fefellit, & periit, nunquam delusus sum. Primum genus ergo, quod in febribus accidit (nam de his solum sermo est) & mitissimum est, cum per interualla homo delirat cum furore, & deinde redit, cum ergo sit cum furore, indicat esse materiam calidam: quia verò redit, significat nec cerebrum esse affectum, nec materiam esse in cerebro.

Cum ergo materia calida sit, & tenuis, tum propter caliditatem, tum quia intermitteret, aut valde parum, neque materia sit in cerebro, indicio est breuem futurum morbum, neque periculosum admodum, nam non dixerim, sine periculo: quia nullum delirium cum febre caret periculo.

Secundum est, cum delirium est tacitum vtpote obliuisci, non cognoscere, quamuis videat, & hoc per interualla, hoc est valde malum, & fit à materia melancholica, sed extra cerebrum, tu tamen scis, quòd omnis materia melancholica putrescens, & faciens febrem continuam, est ex genere lethalium. Deterius est, quòd fit cum furore maximo, & est continuum: est autem phrenitidis argumentum, & ideo valde lethale, nam pauci ex vera phrenitide euadunt, & non nisi iuuenes, ac robusti, minùs adolescentes, minùs etiam pueri. Ex senibus nemo seruatur: de iuuenibus, causa est morbus congruens ætati, robur virium, amplitudo meatuum, & causæ præcedentes externæ nam cum internæ non consenserint, homines semper fermè euadunt.

Hucusque medici intelligunt, quamuis in secundo, cum magnus sit metus, non tantum adhibeant diligentiæ, quantum opus esset. Quartum genus est disipientiæ studiosæ, cuius meminit Hippocrates sexta Aphorismorum (51.) & fit à melancholia: sed est manifestum, & periculosissimum, & accidit frequenter in falsa declinatione phrenitidis. Quintum genus est, in quo maximè fallantur, cum febre remissa valde, delirant ægri parùm & ratio, sed tamen manifestè, quasi somniantes, & statim cognoscunt errorem.

Et medici hoc paruipendunt, cum tamen neminem seruatum ex his viderim: neque enim potui persuadere medicos alios: nam mala fortuna non passa est, vt solus extiterim in cura alicuius horum vt vellent vt auxiliis validiis, & omnino abstinere à vino, & custodiam adhibere diligentissimam.

Dubitatur, quia istud videtur contradicere Aphorismo secundæ sectionis Acutorum morborum (19.) non omnino sunt certè pronunciationes salutis, aut mortis, aliàs superiùs etiam memini de hoc: &, vt breuiter dicam, non sunt adeò certæ, propterea si medicus posset esse certus de causa symptomatum, quod esset vitio materiæ, vt non metueret motum, non falleretur: sed de hoc non potest esse certus.

PROGNOSTICON XI.

His igitur ita euenientibus, coniectari oportet per tempus, ac per singulas additiones, morbis euntibus non in iudicationem.

COMMENTARIVS.

Indicat de longioribus morbis, quod per exemplum adhuc sit in breuissimis, scilicet vt contemplemur vnumquodque ex *illis* tribus signis bonis, aut malis, quod adueniat: & in quo tempore, nam ea die, si indicatoria sit, id est, ex illis quæ per quaternarium coagmentantur, seu in bonis ex reliquis securissimis supradictis, velut sunt interpræcipua coctio in vrinis, & magis etiam propriorum excrementorum & bene se habere ad oblationes, & facilè ferre morbum, & reliqua, quæ supra (Tex. quinquagesim. sex. in diuisione Gal.) dicta sunt, ab ea die incipiet morbus esse sæuissimus, aut mitissimus. Sed Galenus, & alij expositores non animaduertunt maximam difficultatem, quæ accidit ex diuersitate, quæ contingit in huiusmodi ægris, nam quidam incipiunt pati morbum sæuissimum: quibusdam incipit remitti ab ea die, & fieri mitis, quasi esset ab initio: & tales sanantur, aut moriuntur in sequenti die iudicatoria, at in quibusdam secùs contingit: ingrauescit enim morbus, & producitur fermè ad tantundem temporis, hos igitur oportet distinguere, quia si (gratia exempli) accidat hoc in quadragesima, seruabitur, aut morietur in sexagesima aut in octuagesima, vbi extremum fuerit malum, aut bonum, oportet solum distinguere robur virium: & hoc, quia in intermediis diebus necesse est, vt mitescant, velut Hippocrates inquit in eropytho tertij Epidemiorum (lang. 9. secund. ordin.) circa centesimam aluus multis biliosis turbata est, & tempore non modico multa talia prodibant,

&

& rurſus, dyſenteria cum dolore, reliquorum verò quies erat: in ſumma & febres defecerunt, & ſurditas ceſſauit in centeſima vigeſima: perfectè iudicatus eſt, ita à centeſima ad centeſimam vigeſimam. Et ſimiliter in ea, quæ in Thaſo decumbebat (lang. ſecund. eiuſdem ordin.) apud frigidam explicat, quid acciderit in quadrageſima, & ſexageſima, & quòd mortua fuit in octuageſima, & ſimiliter in primo Epidem. (lang. 5.) de Epicratis vxore. Quadrageſima die vomit pauca bilioſa, iudicata eſt perfectè, & à febre libera die octageſima, & Cleanactide (lang. ſext. ibidem) poſtquam dixit, quæ in quadrageſ. acciderunt, narrat quæ in 60. inde in 70. & quòd liberatus eſt in octuageſimo: in Pario autem declarat in tertio Epidemiorum (lang. prim. ſecund. ordin.) quæ acciderint in quadrageſima: deinde tranſcendit ſtatim poſt pauca ad centeſimam vigeſimam. Mens igitur Hippocratis eſt, quòd diebus inter mediis non poſſint, neque ſanari, ſed per eadem procedere non adeò bona, neque mala, niſi admiſſus ſit error, & ideo ſi contingat ſecùs, dicemus neceſſariò admiſſum fuiſſe errorem: ſed ante quadrageſimum diem ſi accidant ſigna vehementis prauitatis, aut ſecuritatis, debemus, prædicere iuxta robur virium in malo ad ſecundum quaternarium: ſi vires non ſint robuſtiſſimæ, in bono ad ſecundum quaternarium: & ſi robuſtiſſimæ in bono, ad primum quaternarium ſeu ſequentem decretorium, & ſi non fuerint robuſtiſſimæ, pariter in malo in ſequenti die iudicatoria, hæc autem differentia non adeò viget in primis diebus, quia etiam quòd vires ſint validiſſimæ, morbus interficit in primo quaternario, ſicut de Critone primo Epidemiorum (lang. non.) ſi ſit ſæuiſſimus, & hoc, quia materia adeſt tota, & natura magis teretur, quàm in morbo, qui iam proceſſerit per aliquot dies: ſunt etiam propiores exceſſibus factis, & cauſis externis, vt non potuerint ſe reficere, velut Veneri, vigiliæ, laboribus, ebrietati, & crapulæ.

PROGNOSTICON XII.

SEcundum eandem rationem & fœminis iudicationes fiunt ex partu.

COMMENTARIVS.

SEntentia eſt clara. Quòd ſi alicui parienti poſt aliquod dies contingat febris, vt pote die quartadecima, velut Philini vxor primo Epidemiorum (lang. quart.) præcipit numerandos dies ab ipſo partu, adeò vt cum illa obierit in vigeſima, obiiſſe dicatur in trigeſima quarta: atque ita de reliquis. De hoc ſcripſimus contradictionem: circa quod obſeruanda ſunt duo. Primum, quòd ſi dies incipiant à die iudicatoria, vt dixi in Philini vxore (primo libro 41.) tunc nihil refert, quomodo vis, numerentur, quoniam omnino in dies iudicatorios incidet finis morbi. Secundum eſt, quòd ſi morbus incidat non vi partus, tunc debent numerari dies ab initio febris, & non à partu: velut ſi ob iram, vel timorem. Dies autem partus in maſculo ſunt triginta, in fœmina quadraginta duo. Vnde Hippocrates in libro de Natura pueri (pag. quarta) fœmella quidem in quadraginta & duobus diebus, vt longiſſimè, primam coagmentationem, ac coarticulationem accipiens: maſculus verò vt longiſſimè in triginta diebus, vt plurimum enim hoc tempore, aut paulo breuiore, aut paulo longiore, articulatio ipſis contingit. Nam & purgatio fit à partu, vt plurimum in fœmellis quidem diebus quadraginta, & duobus (atque hæc tardiſſima eſt, & perfecta, vacauerit autem periculo, etiam ſi in viginti quinque diebus purgetur) In maſculo verò purgatio fit diebus triginta: atque hæc tardiſſima eſt, & perfecta. Citra tamen periculum fuerit, etiam ſi in viginti diebus mulier purgetur. Poſtremo autem tempore purgatio quàm pauciſſima procedit, & in iunioribus paucioribus diebus purgantur, in ſenioribus verò, pluribus. Si ergo in prædicto tempore contigerit corripi febre mulierem, numerandi erunt dies à partu, ſi non alia ex cauſa febris inuaſerit. Quoniam verò & in Philini, & in Epycratis, & in Dromeadæ vxoribus, numerat dies ab initio febris, & non à partu: ideo ſolent dari multæ reſponſiones. vna eſt Vegæ, cum qua ſe putat non ſolum euadere difficultatem, ſed etiam conformem eſſe Galeno: & eſt, quòd dies ſint à partu computandi ſemper, ſeu partus ſit naturalis, ſeu ſit abortus: videtur & velle, quòd ſi oriatur ex alia cauſa febris, vt computet à partu, ſed hoc eſt adeò abſurdum, vt non crediderim hoc velle, liquet enim quòd febris, quæ ſic incipit, nullam habeat cum partu affinitatem. At verò de magnitudine & longitudine ipſius febris vult, quòd indicia ſumamus ab initio ipſius febris, veruntamen nil reſpondet authoritatibus per nos adductis: ſed per mille ambages multa adducit, quaſi ſint expungenda verba Hippocratis, tanquam falsò aſcripta, cum tamen ſint genuinis libris, & tres, quæ in vnum conſentiunt.

Hæc quidem me deterrent, vt poſſim homines deinceps ad veritatis lumen reuocare, poſtquam video eos, quorum intereſſet eam ſyncerè tueri ob ſectas, & ambitionem paratos ad contradicendum veritati, conarique, vt euertant. Neque enim dubium eſt in partubus præternaturalibus, eam rationem ſequi oportere: atque ob hanc rationem Hippocrates neque in abortu eius, quæ apud Pantimedem (lang. decim. vndecim. & duodecim. prim. ordin.) neque multò clarius in ſequente, neque in alia, quamuis perfecto partu filium peperiſſet, ſed cum dolore inquit dierum numerum adiecit: ſed à partu computauit, quanquam in prima idem fuerit dies abortus, & febris.

Si enim in partu computandi ſunt dies ab illo ob vehementiam motus, & dolorum, tanto magis in abortu: Iam ergo de abortu res cõſtituta eſt. Similiter & de partu, cum à die

die partus febris initium habuerit in his, qui computantur per quaternarium.

Modò videamus, cum incœperit in die non computata per quaternarium:& de hoc habemus tria exempla apud Hippocratem (lang. quinto prim. Epidem.)Epicratis vxorem,Dromeadæ vxorem,& mulierem, quæ decumbebat apud Frigidam.

In prima ergo febris eam corripuit tertia die ante partum, acuta autem postridie à partu, inquit igitur Hippocrates, Sexta die, à quo febris eam corripuit, vt numeret à febre,non à partu, deinde inquit,circa vigesimam primam,& circa vigesimam septimam & circa vigesimam primam non more solito, quia non poterat computare à die febris: ergo vult, quod partim computentur à die febris, partim à die partus nam postmodum subiecit, quadragesima die,id est, ab initio febris liberata est.

Rursus in secunda cum dixisset: secunda die rigor corripuit febris acuta:cæpit autem prima die dolere circa præcordia.

Manifestum est, quòd per primam diem intelligit secundam à partu. Galenus nihil dicit in hoc semper fugiens difficillia. Ergo subiicit, quòd mortua est in sexta, quæ fuit septima à partu: igitur partim computat à partu,partim à die febris.

In tertia quoque Galenus nihil dicit suo more, tanquam nulla esset difficultas:inquit enim Hippocrates:Febris acuta, orta tertia die à partu corripuit:postquam riguisset, febres continuæ acutæ ortæ octaua multùm mente mota est; deinde connumerans symptomata grauia, scilicet quòd voce destituta sit,non audet adiicere diem, neque quando dolor coxæ inuaserit: sed numerans dies iudicatorios,eos facit leues,quasi essent connumerandi à partu, nihilominus tandem dicit, quod mortua est in octogesima, vt manifestum sit, vtrumque considerasse,& quoniam varietas diei febris à die partus non sufficiebat,adiicit, quòd ante partum fuerat multis diebus febriculosa. Et ideo noster Vega hac in parte videtur ob nimium studium Galeni id efficere,quod mali debitores, qui pro pecuniis,quas debent, verba creditoribus afferunt: ita vir alioquin doctus ob conteritionis studium labitur.

Galenus in hoc commento multa adducit, quæ nec ab ipso Vega possunt defendi & sanè omnino præter propositum cum tot verbis.

PROGNOSTICON XIII.

CApitis autem dolores vehementes, atque continui cum febre, siquidem aliquod ex signis lethalibus accesserit valde, exitiosum est. Si tamen absque talibus signis dolor viginti dies transcendat, & febris detineat, suspicari oportet sanguinis è naribus eruptionem, vel aliquem alium abscessum ad inferas sedes. Donec autem dolor recens fuerit, consimiliter sanguinis è naribus eruptionem, vel suppurationem spectare oportet, præsertim si dolor circa tempora,& frontem fuerit.

COMMENTARIVS.

CVm locutus esset de febribus, incipit loqui de symptomatibus principaliter consequentibus febrem:quorum primum est dolor capitis:neque inordinatus est,vt putat Galenus, & Vega,quoniam superiùs meminit,se dixisse in secundo libro.

Fit autem his sanguinis eruptio ex naribus in primo circuitu, & valde iuuat: veruntamen interrogare oportet,si dolet caput, vel hebetantur oculi: si namque quippiam tale fuerit,eò tendet. Ergo Hippocrates in tertia parte repetit solum dicta: nam quod dicit de suppuratione,antea prædixerat, si autem febris perseuerans vigesimum diem transgrediatur, vt œdema non subsistat, in suppurationem vertitur.

Sed ibi loquitur de suppuratione ventris, hic de suppuratione in cerebro: ergo cum hæc sit repetitio,dubium non est, quin in fine debuerit collocari.

Ex quo patet, Galenum, vt facere solet, non intellexisse Hippocratem. Sententia ergo est,quòd vbi dolores vehementes fuerint cum febre,scilicet acuta: neque enim oportuit hoc addere, quoniam symptomatis magnitudo declarat febrem esse acutam, & adfuerit aliquod signum lethale. Signum est valde exitiosum, quia istud significat abscessum biliosum in membranis cerebri,& phrenitidem veram: & ideo morbum lethalem valde,vt apud Hippocratem primo de Morbis)pag.secund.)Quod verò significet phrenitim,dicebat Paulus libro tertio (capite septimo) Cerebrum inflammatione laborans sæpe ita intumescit,vt capitis suturæ distendantur.

Dolor comitatur maximus, & diuturnus, multus angor, rubor in facie multus cum tumore molli, oculi fiunt emissicij, caput inturgescit.In quo plerique hallucinantur,existimantes non esse phrenitidem hunc morbum, neque phrenitidem esse ob id cum capitis dolore, imò neque ipse, neque Princeps inter phrenitidis signa dolorem connumerarunt,atque hic est morbus tamen,quem Hippocrates alio nomine descripsit, (secundo de Morbis pag.quint.)dicens: Dolor caput corripit,& si paululum moueatur, bilem vomit, quandoque etiam vrinam difficulter emittit,ac desipit,& septima die quandoque moritur,& nona quoque,ac vndecima. Septimam transgressus si sit non erumperit per aures aut nares:si verò erumperit,euadit,fluit autem aqua subbiliosa:deinde temporis progressu putrefacta, pus fit.

Manifestum est de vera phrenitide hic loqui,quandoquidem omnia conueniunt:ergo cum phrenitis inflammatio sit, dolorem ab initio vehementem efficit, licet postmodum breui ob vehementiam morbi in Principe

cipe particula dolor non percipiatur, seu corrupto membro, seu sensu.

Inde ortum est, vt describentes signa phrenitidis, omiserint dolorem, nam per phrenitidem tria intelliguntur, paraphrenesis, & phlegmon in membranis cerebri, seu cerebro ex bilioso sanguine, & collectio bilis in eisdem locis, in quo significato intelligitur à Græcis: sed tamen ita, vt vera phrenitis sit abscessus cerebri, vel membranarum ex sanguine bilioso: verùm celeriter transit in phrenitidem tertij significati, & vt breuiter dicam, vbi Galenus superiores medicos duces non habuit, nihil dixit: at posteriores, nemine excepto, vbi Galenum ducem non habuerunt, non solum nihil dixerunt, quod minus malum sanè fuisset, sed longè lateque aberrauerunt.

Itaque phrenitidis signum certum, & proprium, non tamen quarti generis, sed sine quo phrenitis esse non potest vera, est dolor capitis: & non solum dolor, sed dolor magnus. Id apparet ex Hippocrate in phreniti-co, quem describit tertio Epidemiorum (ordin.secund.lang.quart.) quem solum constat fuisse phreniticum: inquit autem, Capitis, & colli dolor grauis, at verò in aliis, vt potè in ea, quæ ex ab ortu septima die mortua est in eodem tertio (ordin.prim.lang.vndecim.) Galenus, & rectè, negat additam fuisse dictionem phrenitis, dicens: Phrenitis. Et hoc est de ascriptitiis, vt antè, febris ardens: quippe quod non habeatur in omnibus exemplaribus. Neque enim in alio ægro tale quid ascripsit: nec instituerat hic morborum tradere discrimina: sicut inuenias in libris conscriptis de morbis. Absurdum præterea est, cum nullam habeat consequentiam. Eadémque ratione de reliquis, quibus ascriptum est tamen phrenitidis: sed de hoc satis in quarta Contradicentium (80.)

Si tamen absque) Totum per se notum est, nisi quòd & Galenus longè latéque errat cum Vega, etiam & aliis expositoribus, existimantibus debere intelligi abscessum in infernis partibus, id est, vt sanies per aures, & nares excernatur, cum apertè intelligat de abscessibus, qui sunt sub septo transuerso, nam inquit (ad inferas sedes) & refert se ad dicta superiùs, vt sint hæc clarissima intelligentibus: appellauit autem superiùs inferiores partes circa hypocondria, dum dixit, Fiunt autem hi quidem in partibus inferioribus: vt in superiore libro demonstratum est.

PROGNOSTICON XIV.

MAgis autem oportet expectare sanguinis eruptionem in iunioribus trigesimum quintum annum agentibus: in senioribus verò suppurationem.

COMMENTARIVS.

VItalis facultas in his, qui crescunt, tum naturalis sunt robustissimæ, quoniam calor naturalis perpetuò augetur: sicut declaratum est in Aphor. illo (prim. par.) Qui crescunt, plurimum habent innati caloris: propterea plurimo indigent nutrimento, id verò etiam dixit superiùs: quamobrem Galenicis nihil superesse videretur, nisi quòd status incrementi ad trigesimum quintum annum in hominibus sua ætate finem haberet, quod cum etiam nostro tempore manifestum sit, dubium non est, naturam humanam, neque debiliorem, neque breuioris vitæ factam vsque ad hæc tempora: cum tamen ab Hippocrate vsque ad hanc diem paulo minus duobus millibus annorum intercesserit, nam ab ortu DOMINI ad hanc vsque diem numerantur M. D. LXVI. ab Alexandri regno ad ortum DOMINI anni CCCXI. vt sint iam collecti anni 1877. Hippocrates Artaxerxes (floruit enim eius ætate, qua Perdicas regnauit in Macedonia) ann. CXXXIV. præcessit Alexandri regnum. Igitur collectis omnibus ab Hippocrate florente ad hanc vsque diem anni MMXI. intercedunt, nec tamen mutata est hominum vitæ longitudo, nec robur naturæ, præsertim cum, vt illi, & rectè exponunt de statu hominis, annus trigesimus quintus non de incremento sic intelligendus, definiunt enim terminum incrementi ad vigesimumquintum annum quis non sit verus terminus, certè prope est, scilicet vigesimus octauus, vel circa vt manifestum sit, ne vel vngue quidem debilitata messe naturam humanam in tam longo tempore: quod etiam verisimile est, his rectè consideratis, quæ à nobis in libris de natura scripta sunt. Manifestum est enim tam cœlestia, quàm mortalia circulo agi, vt incorporea manent semper eadem, sed differunt cœlestia à mortalibus, quòd constantibus partibus circumaguntur elementaria: atque composita fluctuantibus diuusis, neque enim quicquam perit, vt aliàs demonstratum est (in Hyperchen) non vllus homo, neque animal, neque planta, fallimur solùm specie rei in circulo, ergo cum non sit antè, neque pòst tam magno interuallo, aut forsan maiore, nos antecedimus Hippocratem, quanto ille nos. Sed omittamus hæc, lubet, & iucundum est admodum, verè philosophari.

Nunc accedamus ad id, quod reliquum est, scilicet, vt ostendamus, quomodo fiat hic fluxus sanguinis è naribus à magnitudine caloris, quanquam & id meminerim superiùs (libr. secundo Comment. decim. septim.) esse demonstratum: sed non erat is locus præcipuus. Dico ergo, quòd iam dolente capite, necesse est vel vapores, vel sanguinem ad capud delatos esse. In ætate ergo seniore si ostenderimus, sanguinem non fuisse delatum, liquet vapores ipsos tantum eò peruenisse.

Igitur in iuuenibus hoc modo sanguis transfertur ex præcordiis ad caput (nam vbi translatus fuerit, haud dubiè manifestum est, quòd si signa sint salutaria, non illius fermè exitus patet, quàm vt per nares protrudatur, aut saltem parotidas efficiat, aut surditatem: de quibus omnibus & hic Hippocrates intelligit per abscessum, & aliàs locutus est)

turgentibus

turgentibus venis ob febrem, & vapore, quemadmodum in lebete feruente, sanguis cum illis sursum fertur.

Primum quidem in cauam refusus, inde per superiorem partem transmittitur, alluens cordis dextrum latus, in quod non tota ingreditur.

Verum maiore ex parte transgressa cor ipsum bifariam iuxta iugulum diuiditur in dextram, ac sinistram, vtraque verò in duas interiorem ac exteriorem iugularem: eoque modo ad caput ipsum ascendunt quo fit, vt maxima causa huius mali potius ex corde pendeat, quàm ex iecore.

Illud enim cum adiaceat longo spatio toti venæ, si ferueat, sanguinem immittit in caput ad dextram vel sinistram partem, vel vtramque: provt in secundo libro (Comment. decimotertio) declarauimus.

Sunt igitur tres causæ, quibus sanguis frequentiùs in iuuenibus, quàm in iam inclinata ætate fluit è naribus, scilicet calor vehementior cordis, & reliquorum membrorum proportione illi respondens, quo impellitur, & in flatum resoluitur, & attenuatur multitudo bilis, & persæpe exustæ maximè tempore febris, & copia sanguinis, quæ fit ob multitudinem generationis eius cum parua resolutione. Vnde cadit dubitatio, an hoc magis accidat in iuuenibus, an in adolescentibus, an in pueris? palàm enim est, quòd Hippocrates omnes has ætates comprehendit sub hoc nomine (iunioribus) trigesimo quinto anno: liquet etiam, quòd in infantibus plurimum fit incrementum corporis, & minor generatio sanguinis. Vnde de his non est dubitandum, sed potius de pueris: quanquam in libro de Genitura (pag. sec.) Hippocrates sentire videatur, quòd pueri habeant minus de sanguine: inquit enim, Pueris venæ tenues, & repletæ genituræ transitum impediunt. Et ideo plus refert dilatatio, quàm repletio venarum. Sed & Hippocrates tertia Aphorismorum (Tex. 27. & 29.) videtur idem sentire, cum enim venæ non sint adeò repletæ in adolescentibus vltimis accedentibus ad pubertatem, & in iuuenibus, tamen vult, quòd illis contingant profluuia sanguinis, non autem pueris: & hoc ob caliditatem, & copiam sanguinis. Vtcunque paruum est discrimen inter finem adolescentiæ, & iuuentutem: quod etiam innuere videtur quinta Aphorismorum (9.) Tabes fiunt maximè à decimo octauo anno ad trigesimum quintum.

PROGNOSTICON XV.

AVris verò dolor acutus cum febre continua, ac vehementi, malum, periculum enim est delirij atque abolitionis. Quoniam igitur fallax hic locus est, cito mentem adhibere conuenit & omnibus aliis signis à prima die.

COMMENTARIVS.

QVinta neruorum coniugatio ad aurem peruenit, cuius singuli diuiduntur bifariam: atque vna pars foramen cæcum ingreditur, altera in membranam ipsam inseritur: vt in libro de Dissectione neruorum, & nono de Vsu partium à Galeno scribitur: & diffusiùs à Vesalio libro primo & quarto (In capite decim. terti. fig.) Quòd tamen foramen non prorsus cæcum est, sed vt posteriores inuenerunt seta licet exigua transmitti potest, quocirca Aristoteles reprehenditur, qui primo libro de Historia animalium (capite octauo) dixit, ex auditus instrumento nullum patere aditum in cerebrum: quod in iuuentutibus verisimile videtur, vtrumque cerebrum maximè auditui compatitur, & à magnis sonis valde concutitur, ac læditur: neruus verò insertus membranæ, cum iam ipsa neruea sit, maximi sensus particeps est. Ideo à dolore auris, tum ob propinquitatem, tum ob substantiam nerueam, maximè cerebrum afficitur: vnde vigiliæ, & febres, & ex his tribus deliria maximè fiunt, maximi enim dolores efemeras primò excitant: deinde si humor aliquis adsit putredini paratus, quod vix secus contingere potest, corripitur putrida febre. At de vigiliis quis dubitat, quòd in vehementi dolore homo dormire non potest, iam ergo tria habes. Conuulsio autem, quæ in febribus subsequitur, proculdubio est à siccitate: quomodo ergo dolores exsiccent ostendere oportet, nam de febre, cum sit morbus calidus, & siccus, & de vigiliis, dubium non est, cum ipsæ foràs perpetuò diflent humidum ipsum, & partes etiam madefacientes ipsum cerebrum: sed de dolore dubium magis est quomodo possit exsiccare. Et dico, quòd dolor efficit motum spirituum validum, & motus crassa attenuat, & tenuia resoluit: & ideo ex omnibus his fiunt conuulsiones, & mors. Notandum tamen est, quòd sæpe aduenit dolor, qui non est cum febre: & quamuis sit acutus, nec adducit periculum mortis, quoniam non parit phlegmonem: ergo hic fit ex phlegmone.

Quærendum est igitur, in qua parte fiat phlegmon? Et videtur, quòd in membrana, quæ vocatur tympanum. Sed cum illa sit durior, videtur difficile, vt concipiat phlegmonem. Et si quis obiiciat, quòd in pleura fit phlegmon, quæ & ipsa dura est: respondeo, quòd in morbo laterali sunt musculi sub membrana, qui possunt inflammari, nam & carnei sunt, & inane adest, & venæ amplæ.

At sub auris membrana nihil tale est, sed ossi inhæret: ipsa verò non excipit venas conspicuas. Quomodo ergo ex venis tam exiguis in tam dura membrana excitari poterit phlegmon, dubium est: nam musculi ipsi, vbi motus non adest, non sunt necessarij, auris autem instrumentum prorsus immobile est, quamobrem duros musculos natura adhibuit huic instrumento, vel igitur necesse est, hunc phlegmonem excitari in carne propinqua: nam membranam illam carnes

carnes circumiacent vndique: vel in ipsa chartilagine, quæ autem ambit. Sed hoc vix esse potest, tum ob illius duritiem, tum quia non adeò acerbos dolores excitare posset, cum pène sit insensilis.

Vides lector, nisi omnino improbus es, & veritatis hostis, quantum intersit inter verum, & syncerum expositorem, & istos, qui pro rebus ipsis adeò impudenter nugantur. Huius enim loco quæstionis adeò necessariæ, & pulchræ, & seriæ noster Galenus aliam elegantem introducit, siquidem quòd auris duo significata habet, quod tam Latinè quam Græcè verum est, scilicet & pro prominula exterius carnea atque chartilaginea substantia, & pro instrumento ipso.

Hui nonne pulchra est hæc admonitio, & generosa inuentio, distinctioque subtilis? ô miseram immortalium conditionem, fœdamque insaniam, quam eruditi indignantur Vesalius, Matthiolus, & tamen nemo explodit, satis sit vt disputemus, otion, otos, quid significent, an sint diuersa, an idem? egregiam sanè & strenuam operam mihi ignoscant, hi iudicio carent, nam his subtilitatibus verborum certè opus est, vbi res ex illorum varia lectione pendet, velut apud F. Messarium super Plinij tractatum de piscibus, quem ego perlibenter cum fructu, atque voluptate persæpe in manibus habeo, an verò hic dubium sit, ne de auriculis intelligat Hippocrates, cuique, vel mediocriter initiato huic arti diiudicandum relinquo. Dico ergo, quòd cum sint tria officula in meatu auris, quorum duo immobilia habentur, malleus autem moueatur, Eustachius musculum à quo moueretur inuenit, C. Arantius alium, quod & si musculi non sint partes, tamen carneæ, & molles impleri poterunt, & abscessum pati, ex quo postmodum in consensum trahere poterunt etiam tympanum. Sed abscessus plerumque fiunt potius, vt idem C. asserebat sub membrana vniuersa ossa circumambiente intus ossa: quæ licet exiguas venas recipiat, tamen cum abscessus fiunt, inflantur, & mirum in modum crescunt, velut & venæ vteri, & vas vnum seminale, quod reliquo tempore angustum admodum est. Dum infans est in vtero, ad venæ cauæ magnitudinem augetur, quasi miraculi instar, cum etiam præter morem arteria in illud implantetur.

Meminit huius doloris sexto Epidemiorum particula quinta (Tex. 13.) vbi docet, quòd calida auxilia maximè prosunt, est enim exanguis locus forsan vtilius præsidium id, cuius meminit Auenzoar de oleo ex vitellis ouorũ certè singulari, tum in hoc dolore, tum in aliis. Sed hæc extra aleam: ad propositum redeamus.

PROGNOSTICON XVI.

PEreunt aut ex hoc morbo, iuniores quidem septimo die, & adhuc citius: seniores verò multò tardiùs, febres namque & deliria minùs eis superueniunt, & hanc ob causam aures suppurari præueniunt. Verùm in his ætatibus recidiuæ morbi superuenientes, plurimos interimunt. Iuniores tamen ante auris suppurationem moriuntur. Si autem pus album ex aure defluat, spes habetur de salute iuuenis, si aliquod aliud bonum signum ei superueniat,

COMMENTARIVS.

COnfusè scripta est hæc pars, seu ob breuitatem, seu vitio translationis alicuius verbi: sin autem legatur hoc modo, optime intelligi poterit. Pereunt autem ax hoc morbo iuniores septimo die, & adhuc citius, scilicet ante auris suppurationem. Nam vbi primùm pus album ex aure defluit, spes est de salute, si aliquod aliud signum bonum superueniat. Seniores autem multo tardiùs, quòd febres & deliria minùs eis accidant. Verùm ob recidiuas superuenientes plures ex eis, quanquam superati jam, moriuntur. Hoc est primum mendum, quod in Hippocrate ad hanc vsque diem inueni: si tamen mendum debet appellari, vbi sensus est verissimus, clarissimus, & perfectissimus, solum transpositis pauculis verbis. Cum homo quantumcunque sapiens, vel propter occupationes, vel curas, & aduersa sui dissimilis non mente, sed lingua, seu manu euadat, cum dixit, iuniores non à vigesimo quinto anno ad trigesimum quintum annum, sed omnino ante illud tempus notat, cum enim vnum alteri opponat, vniuersam ætatem hominis comprehendit, ac diuidit. Vides, quàm absurda dicant, qui verba sequuntur, ipsam rerum naturam non respiciunt. Per iuniores enim non solum iuuenes, & adolescentes, & pueros intelligit, ipsa docente experientia, & ratione, quæ eadem est in omnibus. Longa est historia, quæ multum huic loco confert, septimo Epidemiorum. (lang. 3.) de Cydi filio: sed ætatem non adiecit. In tertia Aphorismorum (21.) hunc morbum cum docuerit esse æstiuum, constat eundem etiam fieri à bile, id est, sanguine bilioso. Dicit ergo iuniores periclitari ob febrem, & delirium, & subticuit dolorem, cum ipsum præsupponat, dixit enim: Auris verò dolor acutus: cum docui, dolorem, febres, abscessus, vigilias, ac conuulsiones, excitare. Quid hoc est, quòd interficit conuulsio respirationem prohibendo, febris spiritum resoluendo. Id verò accidit antequam ad suppurationem perueniant, nam ea facta, dolores ac febres cessant, secunda Aphorismorũ (47.) itaque & periculum conuulsionis. At cum in septima debeant suppurari necessariò, vel in septima, vel antè moriuntur. In septima quidem, cum loco suppurationis currumpitur materia, & augentur symptomata: neque enim perirent, si suppurarent, est autem idem tempus suppurationis, ac corruptionis. Quia ergo cnrrumpi debet abscessus, ideo etiam mori: corrumpi autem debet abscessus, vel

vel ob materiæ prauitatem, vel ob cacochymiam, vel multitudinem, vel calorem naturalem vitiatum, aut decursum materiæ perpetuum, vel errores ægrotantis, vel malam curam, vel aëris constitutionem, aut casus. Sed cur adiecit (si aliud signum bonum superuenerit) cum signa coctionis sufficiant ad salutem, primo Epidemiorum (par. prim. Tex. quadragesim. tert.) Ad hoc Vega bene respondet, dicens, quòd febris poterit etiam suppurato abscessu interficere ægrum: & hoc, quia materia illius non erit concocta. Et licet febris illa ab initio sit ephimera, postea sit facta febris, quæ dicitur accidens, tum vbi sit putrida, fit febris per se, & licet plerumque finiatur in iudicatione simul cum abscessu, hoc tamen contingit plerumque ex industria naturæ, non per se neque semper, vt in Anaxione (ter. Epidem. par. tert.) qui liberatus est à morbo laterali per sputum, à febre per sudorem simul: sed in Zoilo auris nona die iudicata est, febris autem in quartadecima per sudorem, secundo Epidemiorum (Sec. tert. Text. vigesim.) In quibusdam etiam in exterioribus, scilicet parotidibus à suppuratione mors contigit, vt in Cratistonacti, & ancilla Scymni pictoris, Primo Epidemiorum (Sect. secund. Tex. trigesim. secund.) quantò magis in abscessu ipsius auris, quanquam illi abscessus non ab initio morbi facti essent, sed decretorio modo: nam hi sunt periculosiores. Sed de internis dubium non est, quin etiam suppuratione facta, non possit æger mori. At dicetis, quæ sunt hæc signa bona? non enim sunt, vt prima illa, bene spirare, doloremue cessare, aut aliquid simile: nam hoc esset falsum, sed intelligendum est, cum dicitur singulariter signum aliquod bonum de signo salutis proprio: cum autem numerantur signa multa bona simul, tunc non intelligitur de propriis solum, sed quibuscunque suprà commemoraris. Signa ergo bona propriè sunt duo, robur virium, & coctio materiæ. Si ergo horum alterum adfuerit, spes non leuis est ad ægrum seruandum: si ambo, certi esse possumus, quod seruabitur. Ita in morbis abscessuum interiorum, vt certi simus de salute, quatuor sunt necessaria signa: duo ex parte abscessus: & duo ex parte febris, quorum vnum est commune etiam abscessibus. Primum igitur ex abscessu, vt sit materia concocta, & exitus pateat illi: ratione febris, vt adsit robur virium quod, vt dixi, etiam est necessarium ipsi abscessui, proprium coctio materiæ ipsius febris. Sed pro ratione virium, quia multa essent dicenda, maximè conducit, quòd ferat facilè morbum, sed id cauendum, ne hoc accidat, quia illum non sentiat: esset enim duplicatum malum, & non bonum. Proprium autem febris est, vt materia illius concocta sit. Hoc autem habet gradus in huiusmodi febribus, quæ pendent ex abscessu, cum abscessus fuerit concoctus. Primus est, vt vrina sit bona in colore, substantia, & contentis. Secundus, vt sit bona in tribus ex his: sed non mala admodum in reliquo, sed solùm cruda, velut vrina cuius substantia sit bona, & boni coloris cum sedimento alba, sed tenui. Tertius est, vt duo ex his sint bona, reliqua duo mala. Quartus, vt solus color sit bonus ipsius vrinæ, reliqua tria non sint admodum mala. Quod apparuit in Herophonte, primo Epidemiorum (lang. 3.) & magis apertè in Cleanactide eiusdem, & in Melidia ibidem. Nec est, vt dicam de languentibus tertij libri eiusdem (lang. sext. Sed in Epicratis vxore non bonus color, verùm inquit (lang. decim. quart.) in vrinis subsidentia: non meminit quòd fuerint boni coloris. Atque ita modò intelligis, quid per vnum bonum signum, seu aliquod senserit Hippocrates in abscessibus, suppuratis interioribus, vbi febris partim est accidens, vt in initio: partim per se, scilicet cum fuerit confirmata. Cum verò fuerit febris per se, tunc per signum bonum intelliges, vel maximum robur virium, id est illæsum, vel perfectam coctionem, & optimas vrinas. Vnde circa vires debes scire, quòd vires validæ primo intui trifariam intelliguntur. Aut validę simpliciter in comparatione ad humanam naturam: vt cum dicimus in abscessibus iecoris, & ventriculi necesse esse vires validas, atque in illis esse vnicam spem: intelligitur enim simpliciter non in comparatione ad hominem illum.

Secundus modus, cum sunt propriæ integræ, & illæsæ: & hoc est satis bonum in mediocribus morbis, & vbi non vincantur. Tertius est, cum fuerint integræ, sed tamen facultates, aut operationes, à quibus pendent, læsæ; hoc non est adeò tutum, vt in secundo modo: non tamen dicuntur imbecilles.

Seniores autem multo tardius) Vides, quòd non ex ambitione, verùm coactus transposui literam Hippocratis, non tamen mutaui quicquam & si non transposuissem, quàm longa, aut difficilis futura esset expositio? quandoquidem vel sic non admodum breuis euaserit. Quod autem hic dicit, habetur prima Aphorismorum (14.) Propterea senibus non similiter febres acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. Quòd autem neque conuulsiones, cum sint senes, sicciores, ideo hoc dubium esse poterat. Sed istud à causa originem ducit: calor enim moderatus efficit minores abscessus, & minùs calidos, vnde minor diuulsio, & minor intemperies, ideoque minores dolores, & sensus hebetiores etiam sunt: à minoribus doloribus & febribus minores vigiliæ: à quibus omnibus minoribus tandem minores etiam conuulsiones. Sed & ratione siccitatis naturalis minus contrahuntur: vnde & hac causa conuulsiones minores excitantur.

Verum ob recidiuas) Docet hoc, quòd tametsi suppurent abscessus, tamen in recidiuas incidunt, scilicet quia locus cum sit exanguis penè, & calor senum imbecillis, incidunt in recidiuas duplici modo, sicut etiam in febribus: est enim eadem via. Primus, vt materia, quæ ibi est, recrudescat, destituta à naturali calore ante perfectam coctionem, & à præternaturali corrupta: & hic modus est deterior ad sanandi rationem comparatus, cum longius exigat tempus, sed non adeò est periculosus, vt æger breui pereat.

pereat. Secundus est, vt materia noua ad locum confluat: & hic est periculosior de vita. Sed celeriter etiam quandoque sanantur: aut saltem mitigatur morbus, rari tamen euadunt in vtroque casu: tum quia recidiua: tum ob ætatem. Sed emergunt duæ dubitationes. Prima, quomodo poterit concoqui materia abscessus in loco frigido, & collecta, & non febris, & sparsa, & iuxta cor: secunda, quomodo poterit concoqui, & non tamen perfectè, cum quantò magis concoquitur, tantò magis reliquum ad concoctionem præparetur? At hæc dico, quòd contingit materiam in venis esse deteriorem, aut maiorem, aut calorem naturalem totius esse imbecillem, partis autem validum: vt primo de Locis (capite vltimo) similiter contingit, partem tenuem concoqui, & humidam ante crassam, & siccam, hanc autem concoqui non posse: ideo morbi, in quibus fiunt recidiuæ spontaneæ, sunt ex materia.

PROGNOSTICON XVII.

FAuces exulcerari cum febre difficile: veruntamen si aliquod aliud signum superuenerit, eorum quæ malis adiudicata sunt, prædicendum hominem in periculo esse.

COMMENTARIVS.

QVàm tenuiter exposuerint hunc locum explanatores, clarum est: & dum laudatur homo, vtilitas hominum prætermittitur. Et postquam nugari concessum est, non demiror Heraclitum adeò defleuisse conditionem humanam: quæ, si nullam haberet aliam vitam, miserabilis esset. Quid enim miserius esse potest, summum malum esse in morte hominis, cum etiam ex morbis, si pereant, ducantur vt damnati, & quorum fidei vita commissa est, vt vincant in nugis, salutem ægri produnt? Heu mortalium sortem? & quot video in dies hac amentia perire? cum etiam sine illa tot absumantur imperitia, desidia, inopia, casu, aliisque variis modis, atque non paucis. Olim discrutiabar grauiter: sed postquam nostrorum animorum exitum intellexi, iam bono animo sum. Fidei enim ac religioni veritas, & naturale nomen suffragantur. Non aliter sentire poterit, qui nostra diligenter leget: præcipuè libros de Natura ac Theonoston: Sed redeamus ad rem.

Vlcera oris in pueris aphtæ vocantur. Paulus libro primo (capite decimo) rubra sunt obducta tunica tenui subalbida sæpe, non tamen semper. Et quamuis nomen proprium sit ætati, res tamen ipsa est communis omnibus. Est tamen discrimen, quoniam aphtæ sunt in ore, vlcera de quibus loquitur, in faucibus tantum. Sunt etiam aphthæ testiculorum non propriæ, sed similes: vt decimo de Compositione Medicamentorum (capite octauo) secundum locos. Sed non nascuntur talia, nisi in ore: forsan ab ἅπτομαι, quod est succendo, vel apprehendo (tert. Aphor. Com. 24.) & differunt etiam hæc ab illis, quòd non sunt profunda, sed in sola superficie facta à parte lactis serosa, quæ mollem tunicam oris infantium exedit: in febricitantibus autem & profundam, oriuntur ergo in febricitantibus, vel à vapore ventriculi, vel pulmonis, vel materia tenui, & aquosa à cerebro descendente: vt ob putredinem locus humectetur simul, atque vratur, vnde vesicas exiguas gignit: quibus ruptis, apparent vlcera. Sunt autem quatuor generum, vt à Galeno docetur sexto de Compositione medicamentorum (capite 4.) secundum locos: simplicia, putrida, seu nomæ, serpentia, atque maligna. Sola hæc periculum afferunt: omnia autem testantur non leue incendium. Maligna, dico nigra, liuida, nam hæc non oris vlcera, sed vt vlcera generaliter sunt exitialia: propterea non distinxit. Si ergo in infantibus sint, aut æstate fiant, minus periculosa sunt (tert. Aphor. vigesim. prim.) conueniunt enim ætati, & tempori, si autem serpant, propria sunt indico contagio, maximè quæ ad asperam arteriam pertingunt cum acutis aut febribus, quandoque pestilentem significant morbum (quinto Meth. med.) Cum verò media sunt, tum maximè signa perpendere oportet, nam vt lethalia sint, vel vt causa, vel vt signum eiusmodi sint, necesse est.

PROGNOSTICON XVIII.

ANginæ autem grauissimæ sunt, ac celerrimè interimunt, quæcunque nihil conspicuum faciunt infantibus, neque in ceruice, plurimum verò dolorem inferunt, atque orthopnœam: hæ enim eodem die strangulant, & secundo, & tertio, & quarto.

COMMENTARIVS.

REcta descendit ex capite ad aures, fauces, & anginam, quæ propriè fit in gutturis summa parte, quam laryngem vocamus namque in parte, quæ pluribus constat cartilaginibus, fiunt anginæ species: velut quarto de Locis (capite 5.) cynanche, cum musculi interiores: sicut cum musculi faucium interiores, synanche: cum exteriores, parasynanche. Non laboro tamen de nominibus. Sed, vt rem sequar, additur quinta species, quæ fit ex luxatione vertebrarum colli, quæ est deterior omnibus: idem quarta Aphorismorum (Comm. trigesim. septim.) sed κυνάγχη antiquo tempore appellabatur quæuis dispositio gutturis, quæ spirandi difficultatem inferret: cuius tres proponit species. Primam quæ in primo dierum quaternario occidit: incerto tamen euentu, quia strangulando perimit: strangulatio autem, licet ratione causæ, velut phlegmonis, certam rationem dierum criticorum, vt reliqui morbi, præcipuè phlegmo

phlegmones,& febres, sequatur tamen non ratione patientis. Vt si calidus,& humidus sit,& angusti pectoris, & infirmis viribus, prima die peribit: contra omnia si fuerint, quarta:mediis diebus,si vel hæc diuerso modo se habeant, vel non in extremo fuerint. Sed vt ad rem redeam,proponuntur tres conditiones primi modi. Vna, quòd adsit dolor magnus :namque magnitudo doloris ostendit phlegmonis etiam magnitudinem,& trahit materiam ad se,& debilitat vires,& prohibet respirationem. Dicebat Galenus libro de Symptomatum differentiis(capite tertio) Dolor potest accidere non solùm cuilibet instrumento sensus, sed etiam cuilibet sensui, etiam & in aure,& in oculo,si accidat dolor, ille non est dolor sensus, auditus, aut visus, sed tactus,& ideo potest esse vehemens. Solum enim in sensu tactus potest contingere dolor vehemens :nam in videndo lucem nimis amplam,& splendidam,& in audiendo sonum vehementem dolor percipitur,& noxa,sed non tanta,quanta in sensu tactus. Et rursus primo de Symptomatum causis (cap. sext. in princ.) Maximus dolor est in sensu tactus,pòst gustus,sicut minimus in sensu visus.In quo forsan non leuis relinquitur dubitatio,an minor sit dolor in sensu visus,an olfactus?Et rursus,an dolor,qui fit ex gustu euphorbij,quod ego hoc mane degustaui, debeat referri ad tactum,an ad gustum?sed transeamus ad magis necessaria, scilicet doloris magnitudinem,quæ, vt habetur duodecimo Methodi medendi(capite septimo)constat in tribus.

Primum, loco patiente valde sensili: eatenus enim eugetur, aut minuitur dolor, quatenus locus maiore, aut minore sensu præditus est,locus autem maximè sensilis est, primùm qui natura neruea constat, & exangui, vt auris, tunica, ventriculus, intestina : & ad quem plurimi nerui tenues ac molles confluunt : vt à Galeno dictum est, cum duriores sint ad motum apti.

Secundum,vt causa ipsa magna sit,quæ est vel permutatio in qualitate,vel diuisio continui:& ita hoc habet duplicem modū,ac differentiam:tertia,vt mutatio hæc subitò fiat,sed tamen non adeò celeriter,vt percipi nequeat. Aliàs enim dixi duo extrema, scilicet summā celeritatem,quia non percipiatur,& summā tarditatem,quia minima est mutatio,sensum non admittere,nec doloris,nec voluptatis,nec cognitionem vllā?Dico ergo,quòd magnitudo doloris hæc quatuor gignit incommoda:& quantò maior fuerit,à calido enim maior est, quàm à frigido:sed à frigido est insuppurabilis,& ideo difficiliùs sanatur, vt Galenus dicebat quinta Aphorismorum (Comment. vigesim.)acerbior autem, & grauior à continui separatione:acerbissimus ab vtroque id est,distensione,vel diuisione, & calore, vel frigore,sed à calore, & continui separatione fit in phlegmonibus:& ideo magnus ostendit phlegmonis magnitudinem, aut materiæ prauitatem.Dicebat Galenus primo de Symptomatum causis(capite sexto)Phlegmon & distendendo partes, & intemperiem procreando dolores gignit, & in primo de Difficultate spirandi(capite nono)In inflammationibus accidunt ob arteriarum pulsationē dolores vehementes.Adeò verò dolor proprius est inflammationi,vt in libro de Tumoribus dicat,pulsui inflammationis addi solere dolorē:vt dicamus,inflāmatio est tumor partis calidus,in quo apparet pulsatio dolorosa.Istud tamen est verum solùm in quibusdam inflammationibus,scilicet quæ sunt in loco sensili, & sunt magnæ.

Augetur autem dolor in inflammatione præcipuè duabus ex causis, secundo de Locis (capite tertio) motu scilicet, & compressione, harum duarum neutra deest in angina motus siquidem arteriarum, quæ est minor, ac minus efficax, & compressio ex spinali ossium congerie, tum articulatione. Quòd autem trahat materiam nouam dolor, cum aliàs dixerimus, sufficiat adduxisse Galeni authoritatem in arte Medica (capitè nonagesimoquinto) Dolor fluxiones mouet, & Hippocrates quarto de Victu in acutis (Tex. vigesim. septim.)Quinimo etiam secundo de Differentiis febrium (capite vndecim. pag. tert.) ostendens causas fluxionum, dixit eas esse duas, caliditatem, & dolorem: quod repetit tertio decimo Methodi (capite quinto) addens,id contingere,etiam si corpus mundum fuerit.

Eodem modo, sed versa vice,tamen fluxio ipsa decumbens dolorem excitat: quarta Aphorismorum (Comment. trigesim.secund. Facit etiam dolor inflammationes, & factas auget: quinto & tertiodecimo Methodi (capite quarto)Vbi etiam causam huius docet, quòd natura nititur rem noxiam semper propulsare: eóque mittit suum instrumentum,id est,calorem naturalem, sanguinem,&spiritum:quæ postea,cum extrudi non queunt, generant inflammationem. Idem tertio de Fracturis (capite tertio) & de Ratione curandi per sanguinis missionem (Comment. vigesim. prim.) Dolor quoque imbecilles reddit vires, resolutis spiritibus, adeò vt etiam syncopim pariat : primo ad Glauconem (cap. octauo)& secundo de symptomatum causis(capite decimo quarto)imo quandoque mortem,vt quinto de Locis. Sic etiam dicit(capite quinto)ex lætitia, timore graui. Sed & spirationem impedit dolor partium respirationi additarum, velut pectoris gutturisque. Accedit quintum,de quo decimo artis curandi (capite primo) agit, tametsi non adeò conspicua ratione, scilicet quòd dolor efficit succos, & halitus mordaces, adaugetque :id,qua causa accidat, considerandum.Constat enim quòd dolor motū cit: motus autem siccat,& resoluit cum humido vires vt quarta Aphorismorum(prim.de Diffic.spir.capite decimonono.) sic etiam per se dolor vires resoluit:ex motu autem fit calor, vt ibidem habetur(capite quarto)quibus omnibus vnà collectis,sequitur,vt dolor tam succos,quàm halitus mordaces procreet, & augeat.

Sequitur, vt ostendamus, quomodo spirandi difficultas mortem pariat? non enim omnis pari magnitudine pariter etiam interficit. Galenus ergo quarto de Locis (capit.

(capit.quint.)inquit: Cum aliquis reſpirando totum thoracem mouet antea ad iugulum, à lateribus ad ceruicem, dorſum autem verſus ſcapulas, id accidit vel ob inflammationem caloris circa cor, aut virium imbecillitatem, aut meatuum anguſtiam. Tot autem diſcrimen horum cognoſcatur: imbecillitas virium ex imbecillitate operationum omnium dignoſcitur, ex intemperie, & euacuationibus præcedentibus, & cauſis reſoluentibus: & differentia ipſius reſpirationis, quæ eſt frequentior, quàm celer, & celerior, quàm magna, imò neceſſariò parua eſt: caloris magnitudo ex tactu, ex aëris expirati qualitate, ex deſiderio aëris frigidioris, ex magnitudine, & frequentia reſpirationis, & pulſus: ex hoc, quòd ex ſufflando aëri emittitur, & cum impetu conſtricto pectore, atque gutture, vnde in attrahendo per anguſtos meatus inſpiratur: præterea ex æſtu, ardore, ſiti, rubore faciei, & oculorum, capitis dolore, linguæ ariditate, inquiete.

At meatuum anguſtia cum caloris magni ſigna non adſunt, & pectus multùm attollitur: declarant enim impeditas eſſe vias, præcipuè pulmonis, aut gutturis. Sed & pectus, ſi attolli non poſſit ob reſolutionem neruorum, aut conuulſionem, aut vulnus, homo læditur in reſpiratione, vt frequenter cogatur attrahere ſpiritum, atque emittere, citra caloris incrementum, imbecillitatem virium, & anguſtiam meatuum. Differunt tamen omnes hæ quatuor frequentes reſpirationes ex ipſa reſpirationis natura, alia cauſa, habentque diuerſum exitum. Hic verò videtur eſſe non ſimplex malæ reſpirationis modus, ſed compoſitus ex tribus ſemper differentiis: caloris magnitudine, meatuum anguſtia, impedimento inſtrumenti, perſæpe etiam virium imbecillitate. Quocirca cum reſpiratione magna indigeant, tum ob febrem acutam, quæ phlegmonem ipſum comitatur, tum ob phlegmonem: reſpiratio autem ſi ſit præpedita, breuiſſimè pereunt ex hac ipſa. Porrò reſpirationis frequentis differentiæ ex ſuis cauſis per ſe etiam dignoſcuntur, quæ enim fit ob vehementiam caloris, magna eſt: quæ ob anguſtiam meatuum, velox: quæ ob imbecillitatem, frequens, ideoque etiam hæc omnium ſimplicium lethaliſſima: ſicut ſecurior, quæ ob anguſtiam meatuum, niſi omnino præcludantur viæ, nam multi multis annis cum ea viuunt, velut Ar. B. Andreæ Britanniæ Ioan. Amulthon vir, & è regia ſtirpe, & virtute inſignis, ac eruditione præclarus, & multi alij: ſed & ex oppreſſione inſtrumentorum, at ex imbecillitate breui pereunt: ex caloris autem magnitudine, cum eò ventum fuerit, vt ad rectam ſpirationem deueniant, quam Hippocrates ſublimen vocare ſolet, vt in angino ſa apud Bitonem, tertio Epidemiorum (lang. ſeptim. ordin. prim.) ſeu quòd partes ſuperiores in hoc genere malæ reſpirationis attollantur, ſeu quòd æger erectus ſtare, ſeu ſedere cogatur: pauci admodum in acutis febribus ſeruantur: obiit ergo illa in quinta. Cornarius malè omiſit, quod & in codicibus omnibus Græcis habetur, & à Galeno legitur in quinta (ſecund. in Tert. Epidem. Comment. quart.) quaſi in die quarta obierit. Docétque ibidem, duplicem eſſe rectam ſpirandi difficultatem: vnam, quæ à pectoris partibus, & pulmone originem ducit, velut in peripneumonicis, & ſuppuratis, & tuberculis pulmonis, & catarrho vocato: aliam, cum gutturis ſumma pars ob muſculos inflammatos clauditur, & erecti ſtare ægrotantes coguntur diuerſis ex cauſis: ſicut etiam diuerſæ ſunt cauſæ, quæ reſpirationem cohibent, & locus itidem diuerſus, in quo ſpiritus cohibetur, nam ſi in pulmone fiat cohibitio, ob id iacentes prorſus ſpirare prohibentur, quod pulmo conſiderat: dictum eſt autem de hoc ſuperiùs (libro primo Comment. decimo octau.) at in ea, quæ fit in larynge obturatione, ſpina dorſi comprimit locum ipſum, dum decumbunt, dum ſunt erecti, minimè: ideo tum reſpirant per anguſtiſſimum meatum. Vnde etiam in laxatione vertebrarum colli idem accidit, vt paulò meliùs ferant ſitum rectum quàm cum decumbunt: quòd ſi erecti ſtare nequeant, tum iam cum nec iacentes reſpirare, nec erecti ſtare poſſint, planè neceſſe eſt, illos ſuffocari.

Quòd & ſi ſtare poſſint, aut ſaltem ab aſtantibus contineri, nihilominus debilitantur ſtando ſeu ſedendo, etiamſi contineantur ab aliis: & iacendo calor præter naturam non ſolùm augetur, ſed naturalis extinguitur deficiente materia alimenti, ideo experimento deprehenſum eſt, melius eſſe, tametſi auxilio alieno ſedeant, ſedere, quàm decumbere, cum in decubitu duplex, in erecto ſitu tantum ſimplex iactura ſit.

A quacunque cauſa accidat hæc neceſſitas erecti ſitus, vocatur orthopnœa. Vnde Galenus ſecundo prorrhitici (Comment. quinquageſim. quart.) vocat autem ipſe, ac reliqui omnes hanc ſpeciem difficultatis ſpirandi, per quam ſuffocantur iacentes, & vix ſufficiunt erecto thorace, & nihil dilatato dorſo reſpirare, orthopnœam.

Propterea videas in huiuſmodi attolli iugula, & totum pectus ſurſum, & tamen, ſi fiat ob anguſtiam meatuum, euadunt: quoniam cum validæ fuerint vires, attrahitur, licet ægrè, quantum neceſſe eſt ſpiritus ad calorem nutriendum, qui & ſi aliquo modo inflammetur, nihilominus interim diſſoluta pituita excernitur tam copioſè, vt dicas patientes euomere eam, reliquum concreſcit refrigerato pulmone, qui plus refrigeratur ab humore, quàm incaleſcat à corde: ita concocta paulo pòſt per tuſſim excernitur, atque ſic euadunt.

Quæcunque nihil conſpicuum faciunt in faucibus, neque in ceruice) Hæc eſt tertia conditio, vnde illa Bitonis, cum reliqua haberet, & præter hoc ſuppreſſam aluum, & vrinas, tamen non obiit in quarta die, neque antè, ſed in quinta: quia deficiebat conditio, quæ hic narratur, nam in illa inquit: Tumor ſubruber, durus, colli & pectoris ex vtraque parte. Vnde patet hanc fuiſſe collocandam ſub tertia ſpecie anginæ, & non prima, nec debuiſſe mori in quarta,

quarta, nec ante: imò etiam potuisse seruari, nisi affuisset vrinarum, & alui suppressio, & frigus extremitatum cum liuore: & quod maius est omnibus, & reliquorum causa, durities tumoris, quæ materiam admodum multam, & conculcatam, & melancholicam esse ostendebat.

Quæ cum loca spiritus opprimeret, mortem, & breui imminere declarabat: quandoquidem in quauis corporis parte etiam fuisset, penè insanabilem morbum procreasset.

Quod verò attinet ad huius loci declarationem, sufficiat adiecisse verba Galeni hac in parte, qui si sic omnia docuisset, & se liberum à reprehensione, & nos, qui toties illum reprehendere cogimur, à suspitione calumniæ præstitisset.

Ceruicem enim intelligit collum, fauces verò aperiendo os, ac linguam comprimendo deorsum euidentem amplitudinem, in qua gemina ostiola visuntur, tum gulæ, tum etiam gutturis.

Quoties igitur in neutro horum appareat aliquid præter naturam, existimandum est, intra gutturis substantiam vigere inflammationem, ex qua strangulantur: ita ergo causam, & loca tenes.

Hippocrates autem inchoatam illam anginam à lingua docet, & vocem priùs etiam non claram factam, vt intelligamus, non esse negligenda huiusmodi impedimenta: scilicet vocis raucedinem, cum lingua præter id rubra fit, & resiccatur: neque enim id ex fluxione pituitæ contingere poterat: quamobrem oportebat.

Mouet Vega dubitationem de prono decubitu, quia possent homines liberè respirare in hoc casu: respondetque pene, scilicet quòd rectus situs reddit liberiorem arteriam à spina dorsi, & eius vertebris.

Secundò, quòd in prono decubitu pectoris dilatatio magis prohibetur, adde, quòd pulmo, qui à parte posteriore connexus est dorso, totus suspenditur, vt non possit facilè dilatari: & quod magis refert, & experientia deprehenditur, vt superius etiam declarauimus, venter comprimitur, & dilatatio septi transuersi fit in ventre & ipsum magis quam pectus dilatat, demum os comprimitur vt homo etiam sine morbo videatur suffocari: maximè, si non fuerit consuetus cubare in ventrem.

Quæcunque verò dolorem alioqui alteri similiter inferunt, attollunt autem, ac in faucibus rubores efficiunt, valde quidem lethales, cæterùm præcedentibus diuturniores, si magnus fiat rubor.

Omittit vnum signum, aliud integrum seruat, tertium commutat.

Dolorem siquidem eundem facit, omittit spirandi difficultatem, quam præsupponit, tanto esse minorem, quantò tumor externus maior fuerit.

Galenus tamen in suo contextu habuit, vt reor, ὁ μὴν ὀρθο πνοιά τις αὐτοῖς ἐςὶν. Quia subiungit græcè hanc sententiam, id est, non spirant admodum difficulter. Disputant circa verbum (attollunt) suo more: nam genus speciem posuit, id est, tumorem faciunt. Igitur cum liberior sit spiratio, par est diutiùs viuere posse, sed liberata ex parte spiratione, cum etiam in peripneumonia sit spirandi difficultas non leuis, dubium est, cur velit hunc morbum esse lethaliorum peripneumonia? Vtinam ergo Galenus explicasset verbum illud (meritò cum inquit) igitur exitialem haberi dixit, cuius merito? an febris, an abscessus? talia deceret videre, considerare, atque exponere. Sed hoc non, nisi qui tales ægros viderit, poterit declarare. E quibus vnus & maximè fuit Hippocrates. Quinetiam suo tempore, vt aliàs, dixi, in febribus non solebant mittere sanguinem etiam ardentissimis: ipse senior factus, errore cognito, misit, & mitti iussit, quarto de Victu in acutis (Tex. decimo nono.) Sed neque anginosæ illi Bitonis missus fuit.

In his profundis ac necessariis difficultatibus, nec non vtilissimis versari explanatores, & medicos oporteret, si Devm verentur, si quid à morte superesse putant, si vitam hanc non solam esse credunt, si gloria operum, si conscientia facti eos mouet. O mores hominum: sed non hi maximè peccant, quos coarguimus, sed quos coarguere non audemus: quorum vita velo felicitatis fucatæ miserrima obumbratur, ego sanè non felix esse possum: ipsi infelices necessariò sunt. Ergo vt illorum dubitationi primùm satisfaciam, quibus rubent fauces intùs, & paululum intumescit ceruix, hi sunt de secundo genere: nam cum rubet ceruix, tunc sunt in minore periculo, materia iam tenuiore foràs protrusa. Hæc est singularis illa dubitatio.

Hic vult, rubere fauces, & tumere ceruicem: in sequenti rubere fauces, & ceruicem, ex quo sequitur, vt etiam tumeant. Sed causa mortis, vt dixi, est, quòd tales ægerrimè spirant, vt priores, & oculis intentis aspiciunt, nec deest orthopnœa, vt imaginatur Galenus: ideo moriuntur. Et primum genus nunquam vidi, secundum etiam raro apparet in regionibus nostris: accidit enim vini potentis potoribus robustis, mala victu vtentibus, mali habitus, & immodicè se exercentibus, habentibusque debilia capita. Et ideo tales nugantur de rebus, quas nunquam ne per somnum quidem viderunt. Accidit frequenter in pestilentia, præter eam audiui bis Mediolani, & in nobilibus accidisse, qui ambo post primam diem statim mortui sunt: ego tamen illos non vidi.

De angina autem secundi Epidemiorum, & sexti, sub qua harum specierum comprehendantur (quas tamen è genere morborum vagantium fuisse constat) dubium est, non quidem apud me, sed apud alios, cum dicat (par. secund. in fine) An verò aliquem periisse viderim, in memoriam reuocabo: quos autem nunc noui, superstites manserunt. Erant autem partim celerrimè alleuantia: plurima verò ad quadraginta dies deueniebant: & in hoc plerumque etiam sine febre. Neque ergo ad præsentem modum anginæ, neque vllum ex his tribus modis hæc, quæ ibi scribuntur, pertinent. De sexto autem Epidemiorum (par. septim.) videtur magis congruere, ibi: Celerrimè autem moriebantur,

bantur, vbi febrili rigore insuper riguissent. His ita pressis, nihil memorabile proderat, non ventris turbatio, non venæ sectio, neque quæcunque alia tentaui. Secui etiam venam sub lingua, quosdam sursum purgaui. Apparet igitur, vt perirent.

PROGNOSTICON XX.

QVibus verò fauces, & ceruix simul rubent, hæ sunt diuturniores, & maximè ex ipsis liberantur, quibus ceruix & pectus ruborem traxerint, nisi sacer ignis intro recurrat.

COMMENTARIVS.

TOtum sensum Hippocratis, & literam inuertit Galenus, putans se eximium quendam tradidisse ordinem, quem vtinam inuenisset, ac tradidisset, quid enim dulcius, quàm aliorum inuentis gaudere? iuuaret legere, explicare, augere, distinguere, locupletare, exornare, etiam dubitas deesse posse, quæ bene inuentis adiicias, & apponas clarè ornatè, distinctè, eleganter. Maligni & imperiti animi est melius tractare, quæ reprehendere cogaris, quam quæ laudare velis. Vides quantum fastidij sit in legendo Galenum, dum insectatur antiquos, imò & Aristotelem ipsum: vt primi libri Physicorum, & de Anima ab expositoribus parcè explicentur, à professoribus omittantur. Qui reprehendit malè scripta rescribere cogitur, non docet, & dubium animum relinquit, qui bene dicta exponit, rescribit vera, & vtilia docet, & animum quietum reddit. Insanientis est, desiderare, quæ respuas, aut refrices. Quid ergo est causæ, vt Galenum reprehendam? Ergo ordinem illum approbare non licet, cum Hippocrates & dolorem in omni genere constituat, & spirandi difficultatem: solum in hoc differunt, quòd in prima specie nullibi apparet rubor, in secunda in faucibus solum, in tertia, in ceruice, pectore.

Adeóne stupidus fuit Galenus, vt hæc illum subterfugerint? In omnibus dolor, orthopnœa, febris acuta, periculum mortis, sed maxima in prima specie, minora in secunda, sed paulò euidenter in tertia.

Hoc autem ostenditur necessitate ipsa rei, quandoquidem supposito abscessu in illa parte contingit dolor, cum materia conclusa sit in musculis, & difficultas spirandi: neque Hippocrates hoc negat. Quæ non negantur, cum proposita sunt, adesse intelligantur. Refugit ad adenes: illæ non efficiunt morbum acutum, sermo est de acutis morbis.

Hippocrates reliqua, quæ non ad acutos pertinent, prætermittit, neque loquitur de ea, quæ post morbum factum aduenit transmutatione: de qua sexta Aphorismorum (trigesim. quart. & trigesim. quint.) diximus, nisi in fine huius, quare neque de hac, neque de illa, quæ fit ex vertebrarum luxatione, secundo Epidemiorum: nec mista, de qua in sexto eiusdem sermonem sumus habituri, cum eò te relegemus. Nec etiam de illa febrili angina, quarta Aphorismorum (trigesim. quint.) ad hos enim quinque locos te relego.

De glandularum tamen abscessibus sermo habebitur in libro de Glandulis, vt gratias Deo habituri simus, qui voluerit proferre vitam, & mentem, ac commodum præstare. Diximus & reliqua in contradictionibus: est enim amplissima materia: & potest seorsum, imò expostulat, tradi. De sacro igne in sequenti Commento.

PROGNOSTICON XXI.

SI verò neque in diebus decretoriis ignis euanescat, neque tuberculum ad externam conuertatur regionem, neque pus screet, & facilè ac sine dolore agere videatur, mortem significat, vel conuersionem ruboris.

COMMENTARIVS.

ERysipelas dicitur, & ἐρυθροπέλας, ab ἐρυθρὸς, ruber seu rubicundus, puniceus siue coccineus, & πέλας moleſtus, deformis difficiliis. Sacrum ignem latini ob id vocauere, quòd veluti sacra à nemine tangatur. Lucretius (libro sexto.)

Et simul vlceribus quasi inustis omne rubere.

Corpus vt est per membra sacer, cum dicitur ignis.

Plinius (libro vigesimo sexto capite vndecimo) Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui soster appellatur, & enecat, si euixerit. Propterea quæ sint illius species, cum definire arduum esset, generaliter de illo tractandum est, neque enim obscurum est, Erisipelas esse cutis morbum inflammatum, & incensum. Tertiò de his, quæ in Medicatrina fiunt, quasi vicini traham inquit, aut vicini rubream (Comment. trigesim.) sic enim nomen illud interpretatur: quanquam secundo Methodi (capite secundo) non exponat nomen id (principaliter enim nomen à loco, vel à causa in morbis impositum dicit) nec vbi desumptum sit, ostendit. Est autem multo calidior inflammatione, & colorem magis refert flauum, qui cum exquisitus fuerit, solam cutem inuadit, sed cum profundior fuerit, & carnem vitiauerit, iam non erit, secundo ad Glauconem (capite prim.) Verùm exquisiti erysipelatis duplex est genus: quarto decimo Artis curandi (capite secundo) Vnum, quod est vlceratum, & summam cutim excoriat: aliud, quod prorsus excoriatione vacat, & licet obscura sint verba de cute, intelligit tamen de cute vera, quæ est communis toti corpori: nam & illam, & epidermida inuadit.

Differt autem non solum loco, sed humore

etiam,quia vt phlegmon fit ab humore sanguineo, dicit ibi Galenus, ita Erysipelas à flaua bile. Quomodo autem oriatur, Galenus docere velle visus sæpe, sed non docuit, solùm admonuit, quòd ex putredine,& malis cibis is humor generatur. Verùm modum haud expressit, qui eiusmodi est. Cum sanguis tenuis, calidúsque seu ex venis, seu arteriis protruditur ad cutim statim,corrumpitur ab aëre dulci, atque aquea parte resoluta, & in bilem vertitur: inditio sunt sudamina, quæ æstate prodeunt sine noxa, aut leui admodum. Paulo pòst:Cutis è rubra flaua euadit, & vrigo corripit hominem hunc tamen affectum, quòd à seroso humore sanguini misto fiat, & non à bile, sudaminum nomine, non erysipelatis, appellarunt.

At ergo erysipelas intelligat Hippocrates purum, an mistum, de hoc erit considerandum, magna enim res videtur, quòd ex tam tenui affectu, ac tam leui permutatione intereat æger, Galenus id animaduertit in quartodecimo Methodi (capite tertio) iubens, ne frigida admodum, & repellentia adhibeamus: maximè intelligendum est in membris magnis, & locis proximis principalibus membris, præcipuè cerebro, nam cerebrum, si erysipelas inuadat,longè etiam lethalius est, quàm si iecur, vel pulmones vel ventriculum: & ita, si proximus fuerit gutturi.

Vnde Hippocrates, dum nos admonet prædictionis, etiam docet, quid agendum, quidque vitandum. Vt in quodam nobili Bononiæ iuuene, cum frigida admihistrarent, vt aliquid facere viderentur, occasionem subitæ mortis dedere.

Ita decet imitari versa vice naturam bene operantem extrahendo cum cucurbitulis: si iam natura occeperit, ne pœniteat, ostendit autem periculum ingens cutis mutatà in nigrum, vel liuidum, non solum retrocessus materiæ, sed etiam corruptionis membri.

Aliud est considerandum, quod dicebat Galenus quarto de Victu in Acutis (Comment. trigesimo)cum inquit:Fluxiones, quæ à capite infra descendunt, quædam tenues substantiæ sunt,aliæ autem crassæ. Et tenues quidem,crassas per venas cum transierint,in angustis retinentur, tales autem sunt, quæ guttur ambiunt: crassæ autem, ac lentæ materiæ in latis venis retenta, in exiles non ingrediuntur: quo fit, vt vix periculum afferant.

Quibus intellectis,cum fluxio, quæ erysipelas generat, non solùm tenuis sit, sed etiam acris:ideo in tenuibus,& angustis venis retenta sua prauitate, aut corrumpit locum,aut retrocedit.

Sed, vt aliàs docui,non materia, quæ est in cute, retrocedit,nec periculum affert: sed ea, quæ adhuc est in venis exiguis, quæ retrocedere potest, & periculum afferre. Ideo Hippocrates non solùm de exquisito erysipelate, verùm quouis hæc intelligit: cum erysipelas phlegmonides sit periculosior ipso puro erysipelate, non solùm ob profunditatem,sed materiæ copiam.

Circa hoc cum tot essent dicenda, & expositores transeant sicco pede, tanquam nihil superesset, aduertendum est, quòd Hippocrates proponit quatuor conditiones,& ex his concludit vnam orationem alternantem, seu diuisiuam, vel vt dicunt, disiunctiuam: & est, quòd si erysipelas nec euanescat in diebus decretoriis, nec in tumorem extra exeat, neque pus excreet, & facilè, ac sine dolore æger videatur, mortem significat,aut conuersionem ruboris. Videas hic mirum stuporem, & audaciam Galenici, qui velit, non posse euanescere citra tumorem,etiamsi in die decretoria, vt æger liberetur, leguntque hanc sententiam contrario modo sic: si verò ἀφανίζηται, id est, repente occultetur in die iudicatorio,nec tumor appareat, neque pus screet, incondito more: & etiam quia si occultetur non in die iudicatoria, neque erit lethale, nec periculum imminebit recidiuæ: cuius tamen oppositum dixit Hippocrates: Quæ diebus non iudicatoriis ascendunt, recidiuam faciunt, tum in libro de Iudicationibus(Pag.4.)tum alibi.

Deinde non esset locus resolutioni,neque transmutationi ad venas: vt postmodum ad vrinam, ad aluumve materia decumberet. Cum ergo materia tenuis,& pauca fuerit, à natura resoluitur,atque id in die iudicatoria & si benigna sit, dirigitur ad loca parata expulsioni:& hoc in die iudicatoria, quoniam est opus naturæ.

De tumore,& suppuratione clara est causa, abscessus enim in his locis maturantur pro trusa ad cutim,materia praua, quæ suppurationem impediebat, & rumpitur in ore, vbi cutis est valde tenuis, & locus calidus. Quòd autem facilè ferre, & esse sine dolore videatur de pulmone, quo ad dolorem, excusare possunt, cum doloris præterquam in tunica expers sit pulmo, sed quòd facilè ferat æger, quomodo contingere potest?hæc dissimilant egregij expositores, ratio autem est, quòd ob spirandi difficultatem, quam iam passi sunt huiusmodi ægri,dum materia est in transitu,quod sæpe dixi, & ob caloris innati extinctionem,non sentit dolorem,nec spirandi difficultatem.

Conuersionem ruboris) Galenus, quæ sit, non exposuit, ita agit in omnibus difficilibus rebus, dicebat Vesalius, quod & aliàs adduxi. Sed tamen non tam consultò preteriisse, quàm inconsultè non animaduertisse crediderim. Vega putat recidiuam intelligi: cui assentior, ne litigem in incertis: forsan non malè significasse ad alium locum, velut parotidas. In hac igitur sacri ignis occultatione, si cutis ipsa nigra fiat, aut liuescat, considerandum an febris desierit, an sæuiat, quandoque quasi sine morbo obeunt, adeò maligna materia, vt vt pestilentibus accidit si verò febris omnino recedat, particulam corrumpi significat: sin autem febris mitigetur, valde suspendere iudicium oportet. Si parum maior, est salutis spes: si vires, & sensus constent.

PROG

PROGNOSTICON XXII.

SEcurus verò est tumorem atque ruborem quam maximè forâs vergere, si tamen in pulmonem vergat, præter solitum accidet:& ex ipsis magna ex parte fient empyci.

COMMENTARIVS.

AMbigua est lectio huius loci:nam quidam textus habent solum, eousque vergere:alij, vt hic:alij etiam præter scripta (In quibusdam verò hæc & alij vtrique abscessus) Quomodo autem ex angina fiat peripneumonia, dicebat Princeps nona tertij (capite octauo) Et quandoque permutatur angina ad peripneumoniam, quando materia expellitur ad pulmonem: & habetur quinta Aphorismorum (10.) Quicunque ab Angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur,& in septem diebus pereunt:si verò hos effugerint, ad suppurationem deueniunt. Vbi,quæ scripsimus,quilibet videre poterit. In libro autem de Pulsibus (capite vndecimo)ad tyrones, proponit duos fines: malæ anginæ conuulsionem, scilicet in peripneumonia: & docet dignoscere transmutationem ad illas, ex ipso pulsu (vt iam rem ipsam intelligamus) modum autem non docuit.

Dico ergo, quòd qui volet hanc rationem inire,discat à Vesalio (libro tertio capite decimoquinto in fig.) primùm ex cordis dextro sinu venam arteriali crassitie proficisci, quæ bifariam diuisa spargitur in vtranque partem pulmonis, vt ipsum nutriat: itidem ex sinistro arteriam venalem in eundem similiter bifariam diuisam.

Et rursus ex libro sexto(capite septimo & quarto) in pulmonem ex dorso proreptantem asperam arteriam, quæ duplici cingitur tunica intùs, & extrà. Laryngem quoque viginti musculis agi,quorum duodecim proprij sunt, octo communes, secundus liber edocet(capite vigesimo primo, nutriuntur autem musculi hi) tum tunicæ vtræque, ex ramis partis venæ cauæ, iugularis exterioris musculi propriè,ex interioris tenuissimis propaginibus, ac quasi capillaribus interioris iugularis, ergo per has tunicas materia ex musculis desdendit ad pulmones mirabili naturæ artificio, Sanies cum sanguine defertur dilatatis, adeò venulis capillaribus, vt dicas esse similes grandioribus illis, quæ per dorsum manus feruntur.

Possemus & imaginari translatum ex musculis laryngis in iugularem exteriorem, ex qua in aiugam, & ex illa in ramos eius costas nutrientes:ex costis autem in pulmonis vincula quibus pulmo pectori à lateribus nectitur, inde in illius substantiam, verùm hoc parum verisimile est. Id tamen liquet, plurimum facere ad huiusmodi transmutationes, corporum variam constructionem vt in quibusdam facilè ac frequenter talia eueniant, in quibus prorsus id contingere possit. Interim verò,dum transitus hic fit(vt aliâs docui)æger alleuiatus videtur, ac meliùs se habere, perdurat autem transmutatio hæc per diem vnum, aliquando vsque ad tres dies: attamen alleuiatio illa non potest durare per plus,quàm diem vnum,quia materiæ pars confluit iam in pulmones. Neque enim tunicæ illæ asperæ arteriæ ferunt tantum mollem materiæ,nec illam continere possunt,quin exprimant iam partem. Sequitur tertiò, vt si quis conetur retrahere illam, operam (vt dici solet) & oleum perdit, est enim materia prorsus contumax & inobediens, quæ non cederet alicui auxilio: & etiam si cessura esset,loci angustia,& venarum paruitas, & profunditas membri, quod iam fermè adhæret spinæ dorsi, hoc non paterentur, (libro de curis admirandis) Ideo ego dum iuuenis essem, potius genio, quam scientia in anginoso illo appositi emplastrum de ranis terrestribus,de coctis cum ficubus, & farina tritici, vt calore, actu, & potestate, & proprietate naturæ attraherent materiam ad collum, etenim emplastrum super ceruicem imposui, & ita euasit fortuna adiuuante bifariam:scilicet & vt rectè consulerem in tam præcipiti casu, & vt natura cum auxilio euincerent prorsus morbum, vt nullo pacto materia ad pulmones descenderet, nam nihilominus mortuus fuisset, quia debilis erat:debiles enim non euadunt vnquam in huiusmodi transmutationibus. Quod docuit Hippocrates libro de Affectionibus (pag.7.) Vbi intelligendum est dictum iuxta rationem,non simpliciter.Cum enim dicas: Morbus morbo succedens perimit: quia corpus iam priore debilitatum ipsum non fert, qui succedit: non simpliciter intelligendum est, sed de morbo, qui ægrum debilitauit: seu homo ob compositionem, vt qui tenue habent iecur, aut natura obstructum meatum fellis, seu ob intemperiem,seu ob morbum familiarem, vt qui lapidem habent in vesica,seu ob ætatem infantem,& senes:seu ob habitum, vt cacochyma corpora habentes:seu exhausti viribus, vt venere immodica, & remiges laboribus, vigiliis, sudoribus, victus tenuitate: omnes sub hoc genere comprehenduntur, etiam si morbus non talis fuerit vt posset per se ægrum debilem efficere. Dicit ergo præter solitum, quia magnum est, vt materia illa possit tam tenuem tunicam permeare.

Magna ex parte)Fieri enim vix potest,vt resoluatur, quoniam si pauca fuisset, & benigna, resoluta fuisset in loco illo, in quo erat aut suppurata, & non transmissa alio: ergo si transmissa aliò non poterit, nisi empyema facere, nisi in vno casu, scilicet vbi laryncis musculi essent adeò debiles, vt non possent resoluere,neque suppurare illam materiam, quamuis benignam, & paucam, & tunc posset eo casu resolui in pulmone absque empyemate:ideo cum hoc rarissimè accidit, necesse est, vt suppuratio & empyema,quæ opponuntur resolutioni, maiore ex parte contingant post hanc transmutationem.

nem. Ex quo patet, quòd membrorum vis ad resoluendum est minima in comparatione ad suppurationem: quia ad suppurationem solum requiritur mediocris attenuatio, ad resolutionem extrema. Minor est etiam vis concoquendi, quàm expellendi quia concoctio fit à solo calore, expulsio à calore auxiliantibus villis. Per villos intelligo præparationem in substantia membri, ad faciendum quemcunque motum, cuius consuetudine fiunt villi, vt in contradictionibus docuimus. Vnde etiam in propinquis morti apparet vis expultrix, potens; cum omnes aliæ extinctæ sint, idque ob duas causas alias: quorum prima est, quòd calor etiam præternaturalis, adiuuat ad expellendum, & non ad reliquas actiones naturæ: secunda, quoniam imbecillitas contentricis facultatis præbet imaginem expultricis, ideo non solùm in morientibus, dum moriuntur, sed etiam post mortem multi deiiciunt aluum: alij euomunt, & saniem, & sanguinem, disrupto abscessu, dum adhuc calent, calore præter naturam id agente. Demum collige, quòd sanies & ichores, modò non prorsus corrupti, in suppurationem verti possunt temporis beneficio, præsertim in alio membro: quia illud naturalem statum retinet.

PROGNOSTICON XXIII.

Gargareones secare, aut scarificare, periculosum est, quandiu rubri fuerint, & magni inflammationes etenim eis superueniunt, atque sanguinis eruptiones. Sed decet per id tempus huiuscemodi tentare, aliis machinamentis extenuare.

COMMENTARIVS.

Qvicunque ea, quæ inflammantur statim per initia morborum soluere conantur, ij non solum ab intensa, inflammataque parte nihil adimunt, cum non cædat, nec obsequatur, cruda est adhuc affectio, verùm etiam quæ morbo resistunt, & sana sunt, colliquant, & absumunt, ductóque ad imbecillitatem, corpore, morbus superior euadit. Vbi corpus vicerit, remedium non habet: quarto de Victu in acutis (Tex. vigesim. secund.) Cum ergo præceptum sit generale, non decuisset specialiter hic Hippocratem illius meminisse. Deinde quid ad hunc locum curæ meminisse, vbi de Prognostico meminit: tum maximè, quòd proprium omittit, scilicet lædi ex hoc vocem, si præscindatur, & meminit eorum, quæ ad institutum non pertinent. Præterea rarus est hic casus in acutis: talis enim defluxio solet esse pituitosa, pituita autem in acutis solet absumi, maximè in capite: quo circa interpositam hanc partem ab aliquo, existimo, qui credidit ob anginæ mentionem huic loco congruere, non tamen negligemus illius expositionem, cum dictum sit verum, & præclara quædã, ac noua in se contineat. Verùm non solùm hæc ipsa tractatio ostendit, non esse Hippocratis hanc sententiam, sed modus tractandi confusus, & planè alienus ab Hippocratis luce, & constantia.

Hic verò de columna, seu columnella, seu vua agit, γαργαρεῶνες enim ita interpretantur: & falsò certè, sed erroris causam præbuit Galenus, dicens, Gurgulionensi præcidas, hoc enim proprium est columnellæ: nam locum isthmi nemo sanæ mentis ægro præcidere tentauerit, incidere sit satis, aut scarificare. Sed quia dicit author (ἀποταμνέσθαι) venia Galeno danda est. Sed infrà cum dixit: Quando verò iam separatum fuerit totum, quod vuam appellant, & facta fuerit summa pars gargareonis maior, atque orbiculata: videtur per gargareonem aliud à columnella intelligere. Verùm melius est interpretari, imò necesse est, totum, quicquid pendet ex palato pro gargareone, vua autem pro rotundo illo acino, qui laryngi, tanquam casurus imminet.

Sed cur plurali numero, quod vnum est, vocat? An quoniam vtrinque pendent à medio, ob id dicti sunt gargareones, ab aliquibus vuea vocatur plectrum, ad vocem concinendam, quod etiam docet Galenus: libet eutem commemorare Galeni de hoc sententiam, is, inquam, vndecimo de Vsu partium hæc habet (capite vndecimo) Locuti sumus & de gurgulione in commentariis, quos de voce conscripsimus, quòd ipse voci ad magnitudinem, atque elegantiam conferat, vt aër ingrediens adeò priùs incidatur, impetusque ipsius violentia frangatur, ob idque ipsum & frigitatis: tum quòd nonnulli, quibus ille ad basim vsque esset amputatus, non modò deterius perspicuè sunt locuti, verùm etiam frigidiorem senserunt inspirationem.

Quin etiam ibidem admonuimus, quod plerique eiusmodi pulmone, ac thorace refrigerato perierunt: quodque gargulio non temerè est abscindendus, sed pars quædam basis est relinquenda.

Proinde ne de iis quidem plura hic commemorare est opus, sed capita rerum duntaxat recensere suffecerit. Inde paulo pòst: Liquet autem, quòd & columnella non mediocriter confert, ne puluis, aut eiusdem generis substantia quædam in laryngem incidat, quem tertium huius particulæ vsum præter duos antedictos numerabis, & rursus: Cæterùm nasi quidem fomina inspirationi, columnellæ verò magnitudo tribus vtilitatibus abundè sufficit. Ostendit ergo in libro de Voce Galenus (capite secund.) vocis primum instrumentum esse laryngam, quin que sanè rationibus, quarum quatuor sunt ex his, quæ affirmant in secunda figura, nec tamen ob id sunt improbandæ, vt in nostra Dialectica docuimus.

Prima igitur, quòd ad eam partem pertingunt musculi, & plurimi, quos non oportet ociosos esse: at gratia solius respirationis esse nequeunt, igitur cum neque respirationis causa facti sint, nec alterius functionis, ociosi etiam esse non possit, oportet, vt causa vocis: oportet autem multifariam

fariam claudi, aperiri, ideo tot muſculis indiguit.

Secunda ſumitur à neruis, qui delegantur ad voluntarium motum, igitur non niſi cauſa vocis.

Tertia à ſubſtantia, quæ eſt cartilaginea, & ideo reſonat.

Quarta, quia experimentum id docet, velut in tibicinum inſtrumentis iuxta latitudinem, & anguſtiam fiſtulæ vox variatur, ergo idem in humano ore: igitur vox fit in illa fiſtula.

Sed quinta ratio eſt euidentior: oſtendit enim, quòd non fit in lingua, nec in pectore, quia ſalua reſpiratione, & lingua fiunt homines ſine voce, igitur nec lingua, nec pectus ſunt inſtrumentum proprium vocis. Id verò crediderim, quia vt in elymis voces pro earum magnitudine, & in longitudine, & circuitu variantur foramine non mutato, præcipuum inſtrumentum vocis eſſe laryngam, proprium autem aſperam arteriam.

Dicit etiam neceſſe fuiſſe, vt eſſent tres cartilagines, quoniam inter illas duo motus conſtant.

Dilatationis, & conſtructionis inter primam, & ſecundam, clauſionis, & apertionis inter ſecundam, & tertiam.

Quæ tamen ratio plures ac plures habet difficultates. Vnum tamen eſt, quòd vox in exitu fit aëris ex hoc loco laryngis, modum recipit à foramine, à motu aëris, ab amplitudine aſperæ arteriæ.

Muſculi enim ab oſſe hyoeidis exorti aſperam arteriam ſurſum trahunt, & rectam figuram eius faciunt, vt etiam in anſeribus. Quapropter de vocis cauſis hæc tantum habemus, cum illius libri ſolum fragmentum ſuperſit, ad eum verò, vt vidiſtis, Galenus ſe referat. Tria igitur ſunt, vocem concidere, ſermonem manere, id fit, quoties nerui linguæ valent muſculorum laryngis, ſunt oblæſi: eloquuntur autem ſubmiſta voce, vt vix admota aure audire poſſis: cum verò contrà accidit, vt vox maneat, ſermo pereat, vt mens læſa eſt, aut neruus, qui eſt ſubradice linguæ.

Cum autem obmuteſcit, vtrumque perire neceſſe eſt: nam quoties lingua valet, ſi viuit reſpirat, & ſi mens, & lingua valet, & ſpirat, ſermonem poſſe formari neceſſe eſt. Ergo Galeni ſententia de columnella eſt, vt vocis augeat claritatem, vt temperet aëris frigiditatem ingredientis in pulmones: & vt puluerem prohibeat, & reliqua tenuia corpora, ne in aſperam arteriam ingrediantur: quas etiam vtilitates Hali tertio (capite decimoſeptimo) Theoricæ collegit, ſed de hoc in ſequentibus: nunc ſat dixiſſe ſufficiat, profluuium ſanguinis imminere non ob venarum magnitudinem, exiles enim ſunt, ſed ob frigoris defectum: à frigore enim aut medicamento ſanguis ſiſtitur, aut conſtricta vena, vel vſtione: horum nullum præter vltimum adminiſtrari poteſt idque ægrè, ob id etiam ex auulſione dentis in profluuium ſanguinis incidunt, aliqui etiam moriuntur, præſertim ſenes: os enim valde calidum eſt, & humidum, & locus pendulus, ideo profluuij manifeſtæ ſunt quatuor cauſæ, adde duas alias, cum omnes volueris: magnitudo vaſis, & quòd ſit arterialis ſanguis, calidior, tenuior, & qui aſſiduè mouetur.

Phlegmon autem fit ob dolorem, & violenter retento ſanguine.

Suppurato autem loco, aut ſaltem extenuato, non trahitur ſanguis: nam in extenuatis particula contrahitur, & iam ſiccata eſt: at in ſuppuratis pus lentum, & viſcidum, craſſumque: & ſanguis circumiacens concretus, & in grumos conuerſus, ſequentis fluidi tranſitum prohibet, nec dolor irritat. Propterea etiam in ſuppurationibus cauendum eſt, ne vniuerſum pus etiam hanc ob cauſam detrahas.

PROGNOSTICON *ad præcedens.*

QVando verò iam ſeparatum fuerit totum id, quod vuam appellant, & facta fuerit ſumma pars gargareonis maior, atque orbiculata, ſuperior verò tenuior: tunc temporis tutum eſt admouere manum. Sed melius eſt, euacuato ventre manus operatione vti, ſi tempus conceſſerit, & non ſuffocetur homo.

COMMENTARIVS.

QVod dixi de hac ſententia notha, magis confirmatur, dum meminit huius auxilij, vt euacuato ventre, præſcindatur: omittit autem præcipuam partem, cuius Paulus, & alij meminerunt, ſcilicet ne tota præſcinderetur, quod penè lethale eſt, ſed aluum euacuare in omnibus morbis partium ſuperiorum: & ad caput pertinentibus, præcipuè tamen etiam vterum, & coxendicem tam vtile eſt, vt ab Hippocrate dictum putetis. Sed quod non meminerit ſectionis venæ, neque illud dignum eſt admiratione, cum medici ante Hippocratem, & Hippocrates ipſe in febribus, & abſceſſibus etiam paruis hoc auxilio non vterentur.

In ſectute, quod & antea dixi, ſolùm meminit, huius auxilij.

Cum enim exquiſita inedia vterentur, putabant illam omnino ſufficere: nam antea bene valebat homo cum eo ſanguine, poſtea vitiatus eſt, non actus: itaque non putauit in gurgulionis inflammatione ſecandam eſſe venam, ſed ſolum meminit purgationis alui. Et reliquit noxam, quæ ex præciſione habetur, quòd præſcindere neceſſarium eſſet, nec in tanto periculo, niſi de vita conſiderauit, nam cum acutum præſupponat morbum, quid eſt, vt curet, niſi vt ſeruetur æger? Et abſcindere partem tantum facilius eſt dictu, quam factu: nec ſcio an his temporibus quiſquam id poſſit præſtare, vt nec vrere, quod ſecurius eſſe dicunt: quamobrem vtrunque tanquam ea ætate ignotum prætermiſit Hippocrates.

Sed

Sed quam alienum ab Hippocratis grauitate foret illud (si tempus concesserit, & non priùs suffocetur homo) quasi dubium sit mortuo iam non esse præscindendam columnellam. Itaque diligentibus difficilè est fucum facere.

Sed ad rei propositæ declarationem venio. Dictum fuit columnella præcisa vocem vitiari; id eo mirabilius est, quoniam non nisi ea in sublimi pendente vox sonora & clara euadit eadem si premat laryngam, vel dum tacemur vel eius si solum dum loquimur vix homo auditur: quid ergo tanti præstare potest vt vocem reddat sonoram & claram, cum pendeat & præcisa obscuret illam adeò vt viderim pueram cui cum præcisa penitus foret etiam penitus vocem amiserat: similiter quod habet, quòd sui præsentia aër pulmonem non vitiet, cum nullo modo illum prohibere possit quo minus liberè ad illum non ingrediatur? Propterea non simpliciter existimandum est corpus vueæ prodesse pulmoni, sed vt reor in simplici attractione aër obuiam id vueæ & frangitur vt recta trahi non possit: sed quia pars tamen sicut dilabitur operculum hoc quamuis procul calorem colligit pulmonis nec sinit ipsum refrigerari forsan & ex illa humor aliquis distillat in pulmonem nec permittit epiglottim siccari.

Est autem epiglottis cartilago imminens glottidi: glottis autem rima est in cartilagine ad instar rimæ tibiarum, non à substantia dicta, sed à forma seu operatione, sic appellata, nam ex lato tendit in acutum hoc modo vt primo libro (cap. 19. & 38.) Vesalius docet: sed in secundo (cap. 21.) dixit esse non rimam, sed corpus & laryngis sedem rimulæ tibiæ similem. Proh dij immortales quo nos deducit cæca ambitio, vir tam gloriosus qualis fuit Vesalius in hac certè, cuique arte plurimum debemus deprehensis in Galeni dissectione multis veris & notatu dignis erroribus, nũc vt controuersarent Mattheo Curtio professori parum iustè Galenum contra Vesalium in multis aliis defendenti eo prorupit furoris, vt sui nominis oblitus accusare nixus sit etiam Galenum in hoc & cum refragante experimento non posset in apertam, & manifestam cum seipso contradictionem lapsus.



Quamobrem cum sit Galeni inuentum & à Curtio declaratum doceamus quid sit glottis seu lingua, & epiglottis seu linguæ operculum, is igitur libro septimo, (cap. 16.) atque vndecim. De Vsu partium declarat epiglottim etsi cartilaginem quam foramen laryngis ad vnguem concludit in deglutiendo cibum sicut in vomitu cartilago illa quam vocant arytænoides.

Curtius ergo inquit: Mundini anatomiam declarans omnino neminem inuenio qui quid sit lingua fistulæ mihi exposuerit. Estque vnum ex membris quæ à nemine animaduersa ostendere sum pollicitus; vult ergo Galenus esse tres cartilagines quarum prima quę & maxima foris tangitur ac prominet. Et vocant nodum Adami seu malum, hæ oblongam concauitatem efficiunt in cuius medio est foramen, quod fistula appellatur: in cuius medio est corpus quoddam membranosum & pingue quod coarctat foramen illud: quemadmodum in musico instrumento ex amplo sensim in angustum ac rursus ex angusto in amplum tendens, vt, aër per illud foramen transiens vocem efformet. Sed quid plura? Galenus formam huius quam γλωττίδαν Græci vocant antea in septimo libro (cap. 13.) abundè depinxit ante epiglottidis historiam, vt vix quicquam desiderare possit. Vt prorsus illam esse velis vocis instrumentum. Ne autem vnum & idem glottidem & epiglottidem esse arbitremur, facit substantiæ diuersitas: γλωττὶς enim vt dixi membrana est pinguis: ἐπιγλωττὶς cartilago: locus, γλωττὶς linguláve (nam à lingua γλῶσσα dicitur) in larynge fistula est, & quasi pars arytænoidis ἐπιγλωττὶς supra. Vnde artium sequitur discrimen, quoniam quo magis impellitur lingula eo magis intumescit & obstruit fistulam vt aër contineatur, at epiglottis ex impetu aëris eleuatur nec etiam foramen perfectè concludit.

Sed iam videamus quod propositum est principaliter scilicet quomodo gargareon iuuet ad vocem. Galenus Quarto De locis (cap. 6.) inquit Quinque sunt quæ consequentiâ quadam conueniunt, expiratio, exsufflatio circa strepitum, exsufflatio cum strepitu, vox ac sermo. Quamuis earum autem ex prioribus læsa reliquas omnes consequentes lædi necesse est: at posteriore læsa antecedentes ostendi haud est necesse. Omitto hic ex sufflationem cum strepitu à voce distinctam, quam si docuisset, quomodo à voce, & ea quam sine strepitu fit distingueret non malè fecisset.

Sed postquam hic non est id necessarium scitu, quæramus solum quomodo fiat vox; nam sermo fit per verbum in lingua: nec lingua tota est necessaria, sed sufficit persæpè radix illius & maximè in Italico sermone, nam Angli lingua tota indigent, plurima enim verba proferunt lingua palato impacta: Græci vero proferunt lingua inter dentes insecta, at Itali sola fermè radice linguæ verba proferunt. Vnde pro miraculo haberi non debet, si cui præcisâ linguâ facultas loquendi relicta sit, præsertim cũ ea tenuis fuerit, & os paruum & reliquæ partes ad sermonem vtiles non defuerint, inter quas præcipui sunt dẽtes anteriores, labra, nares, palatum etiam, & reliqui dentes & vox ipsa quæ (vt dixi) ex ordine præsupponitur. Neque enim sine voce homo loqui potest. Indicium est autem labra, & dentes anteriores ad vocem plurimum conferre, quòd aperto ore vix homo loqui potest, licet clamare possit. Et qui dentes anteriores amiserunt vix loquentes intelliguntur, cum tamen caruerint dentibus omnibus compressis propius ginginis & consuetudine quadam melius quàm cum paucis dentibus sermo intelligitur: vt in patre meo felicis memoriæ vidi. Hæc igitur sunt perspicua & fuerunt notæ ante me. Sed sermo vocem præsupponit, vox enim est auditus

ditus

ditus obiectũ:nec poteſt dici ſermo niſi poſſit audiri: ideo non poteſt eſſe ſermo niſi cum voce, vox etiam præſupponit exſufflationem, quia niſi aër cum impetu feratur non poteſt diuidi à lingua, contingit enim idem quòd in his quæ ſcinduntur: nam neceſſe eſt vt cohæreant:aqua enim ſcindi non poteſt, quia non cohæret: ſicut neque lac: glacies vero & lac coagulatum diuiditur quia concreuit: impetus autem facit vt ea concreſcat, & ideò vt vox poſſit formari.

Exſufflactio ergo eſt neceſſaria voci, & ipſa fit per octuaginta octo muſculos pectus mouentes, & vnum qui ſolus naturalis inſpirationis & expirationis author eſt, vt Veſalius commemorat libro ſecundo (c.35.) Sic omnes muſculi exſufflationis, ſint octuaginta nouem non tamẽ neceſſe eſt vt omnes hi muſculi ad exſufflationem concurrant, ſed ſolum ad validam. Hæc igitur de reſpiratione, exſufflatione & ſermone dicta ſint, nunc de voce ipſa agamus. Galenus vt dixi eam fieri putat in larynga, atque præcipuè in lingula.

Dubium non eſt quin etiam concameratio palati & dentes non multum faciant ad eam augendã, minuendam variandámque. Demiror etiam de Galeno qui aſperam arteriam inter cauſas vocis non retulerit: quandoquidem tum natura tum in raucedinibus qui humidam illam habent raucam habent etiam vocem, qui puram & ſiccam leuéque claram & ſplendidam, vt ita dicam.

Præterea ſentimus vocem grauem formari in imo pectoris, tenuem in larynga vt animaduertere licet, contrahiturque arteria manifeſtè ad inferna nobis deprementibus vocem, igitur non tota formatur in larynga.

Et eſt ac ſi quis diceret quòd aqua oriretur in fonte, quia prodit ex fonte, & variatur iuxta os illius, vnde vox fit in arteria, indicio ſunt engaſtri mythi qui ex ventre, ſed verè ex pectore loquuntur, vox enim ex pectore exauditur: vt etiam in grauiſonas edentibus voces. Iam ergo habemus quòd vox fit in arteria, modulationem recipit in larynga, & à columnella tanquam plectro reſonans & modulata redditur. Duo ſolum dubia reſtant vnum cur non in omni exſufflatione fiat vox ſi in arteria fit, ſed à larynga videtur formari: alterum quomodo cum columnella multum diſtet à larynga, & ſit ex carne fungoſa poſſit iuuare vocem; nam ſtatim vt reciſa eſt læditur vox, nec manet in priſtino vigore nec adeò reſonat: ſuccedente autem tempore prorſus amittitur vt vix audiantur niſi admota aure propius, quod referri meritò poteſt ad refrigerationem pulmonis: ſed repentina læſio ad hoc referri minimè poteſt, vt ergo primum dubium excutiam manifeſtum eſt quòd aſpera arteria conuerſo modo ſe habet vt tibia: in tibiam enim ſonus ingreditur ex lingua, & exit ex foraminibus: nam his variè occluſis varia vox exit in aſperam arteriam vox ingreditur ex inferiore parte & prodit ex larynga: ſicut ergo non niſi amens diceret fieri vocem in lingula tibiæ, ſed in toto corpore tibiæ ita prorſus eſt abſonum dicere quòd vox fiat in homine in lingula & non in aſpera arteria. Verùm non in quauis exſufflatione fit vox, quoniam deorſum non conſtringitur pulmo & arteria ſecum aut dilatatur. Motus ergo pulmonis in voce eſt diuerſus & cum eo arteria aſpera etiam mouetur: non autem in ſimplici exſufflatione.

Ariſtoteles in libro περὶ ἀκουστῶν (pag.1.) inquit, vocem variari ob inſtrumenta, impetum aëris, & oris diductionem, quod ex hoc probat, quoniam homines imitantur luſcinias, & hinnitus equorum, & gruum voces, & ranarum ſtridores, cum tamen inſtrumenta habeant valde diuerſa.

Quòd ſi multitudinem aëris conceptam addere claritatis cauſa, non erit quicquam, quod ad rem faciam relictum, quanquam illam Ariſtoteles ſub inſtrumentorum natura comprehendat: ea enim magnitudine formaque conſtant. Et forma quidem recta, obliqua, leui, aſpera, & cauitate æquali, aut inæquali. Fit autem vox maior à velocitate, inquit, quoniam maiorem ictum edit, indicio eſt tum primum, quod cardines celeriter moti maiorem ſtrepitum edunt & quòd anguſto foramine vox magis ſtridula emittitur: at conſtat anguſto foramine maiore impetu aërem ferri, vt ex machinarum miſſilibus patet.

Vnde manifeſtum, vocem à grauiſona ad acumen intendi, non contrà. Ergo impetu aëris vox fit, hæc autem non eſt proprietas multitudinis muſculorum intercoſtalium, ſed horum eſt multum efflare aërem etiam ſine voce. Multi ergo muſculi intercoſtales mouent, aut multum pectus, ſi validæ ſint vires, & magnam efficiunt reſpirationem, aut mouent pectus, & mediocrem poſſunt, & paruam facere reſpirationem, & cum vires fuerint imbecilles. At celeritas motus muſculorum efficit vocem, & ſubmiſſam, ſi pauci ſint, & parum velociter moueantur: & magnam, ſi multi, vt magnam faciant reſpirationem.

Quocirca in errorem nos induxit Galenus inexplicabilem, vt ſolet facere ſæpe, dicens, ad vocem neceſſariam eſſe exſufflationem, ſi per exſufflationem intelligit auxilium muſculorum intercoſtalium, aut multi aëris emiſſionem, ſed ſolum ad magnam vocem neceſſaria eſt exſufflatio, inuectus eſt in errorem, quòd viderit, vocem neceſſariam ad ſermonem, & expirationem ad exſufflationem: & quòd magna exſufflatione indigemus ad magnam vocem: inde ſua peruerſa dialectica, & pulchritudine ordinis eius ductus, hunc tantum errorem admiſit, vt exiſtimant, vocem fieri ſolum cum exſufflatione, quod falſum eſt: cum ſubmiſſa vox fiat ſolum celeri motu ſeptitranſuerſi, cuius indicium eſt, quòd homo tota die loquitur ſubmiſſa voce, ſicut quædam mulieres, quæ tota die ſubmurmurant præces citra læſionem vllam: quod eſſe non poſſet, ſi vox omnis ex violente motu oriretur.

Vocis ergo fundamentum eſt in imo aſperæ arteriæ, ſicut apparet in linguis, quæ partem ſuorum verborum ex pectore promunt,

munt, vt Germanica, & magis Hebræa, cum profert suum Racha, & similia multa.

Igitur vox fit ex ictu aëris motu densati in corpus durum, & maximè benè: quale est aspera arteria cum sua tunica interiore, hæc enim est deffinitio soni: sonus autem non differt à voce, nisi genus à specie.

Differentia autē propria est, vt sit in animali per aërem percussum in pulmonis partibus: quo circa muscæ, & cicadæ, & pisces pulmonem carentes, sonum quidem edere possūt, velut branchias concutiendo, vocem autem edere non possunt.

Vox igitur fit à velocitate moti aëris, illius enim asperæ arteriæ aër vocem efficit: quæ cū aliquantisper duret, non est necesse, vt illisio hæc perpetua sit, sed solum, cū vox mutatur, imò etiam ex priore iam voce, paruo additamento facto, vox ipsa in aliam vertitur.

Intercostales autem musculi exsufflationē faciunt maiorem, aut minorem, prout fuerint plures, aut pauci, multum tensi, & velociter, aut parum.

Sed exsufflatio cum veloci motū aëris efficit non vocem: hoc enim propriū est velocitatis, vt dixi, neque simpliciter magnam expirationem (hæc enim propria est exsufflationi, & motui intercostalium musculorum) sed vocem magnam: si tamen velociter feratur, densari spiritum necesse est, vehementemque, & validam vocem, conformatur autē in gargareone, maximè parte, quæ, vt dixi, γλωτ7ὶς appellatur: fitque ibi angusta fistula, acuta, lata, & ampla grauis: atque ita primum patet.

Iam ergo constat, duas esse proprias vocū differentias, quæ ex principalibus instrumentis oriuntur: magnitudinem, & paruitatem, acumen, & grauitatem facit autem ad vocis magnitudinem etiam aëris impetus, & ex sufflatio.

Quòd si quis hæc velit, vt diceret, distinguere, iam propositum argumentum Hippocratis excederet.

Sanè id fit magnam exsufflationem ad magnitudinē vocis facere: siue auta sit, quòd per angustum locum delatus multus aër densior euadat, & maiore impetu prodeat, vnde vtraque causa vehementius illidit asperam arteriam, & gargareones, vt vehementior fiat vox.

At aliæ conditiones vocum ab his duabus, quas Aristoteles ibi enumerat, obscuræ, claræ, molles, duræ, asperæ, leues, æquales, inæquales, exiles, firmæ, densæ, quæ diu manent, & inanes, canoræ, stridulæ, cōtentæ, marcidæ, & fluxæ, quæ diuelluntur, cum manēt, aspiratæ, tenues, omnes partim à propio instrumento, scilicet, vt dixi, aspera arteria fiūt partim à cæteris membris vua dentibus palato, labiis, ac naribus, alia enim est vox clamātis diducto ore, alia concluso, alia medio modo se habente.

Sed ad columnellam deuenio, ea auulsa iam diu refrigerari pulmonem palam est: inde obrigere musculos faucium, atque ita deperire maximam vocis partem hausi mirum est, at repente ita res se habet, vox enim extrà fertur, & occurrens aër palato diuisus sonum refert consuetum: cum ergo aër sublata vuea ad palatum integer fertur, necesse est ob diuturnam consuetudinem, vt sonus alius videatur. Velut siquis tibiam pulsans obducat paulul um manum foramini, atque sic continuè pulset, idem ablato digito, eodem spiritu necessario inconcinnè pulsabit, quoniam fieri non potest, vtidem sonus, & ab integro, & diuiso aëre procedat, quare columnella præcisa, necesse est, statim vocem corrumpi, non desinere.

PROGNOSTICON XXIV.

QVibus febres desinunt, neque cum signis solutionis, neque in diebus decretoriis, recidiuam in eis exputare oporteat.

COMMENTARIVS.

PVdet transgressus canis rabidi, sed exemplum per se haud absurdum videtur, non tamen conuenit, neque est ad propositum. In cane enim rabido virus ascendi ex neruis ad cerebrum, vt aliàs demonstratum est: interquiescit medio tempore: virus perfectum est, at incidiuis materia nondum ad prauitatem vltimam peruenit, sed in dies fit magis putrida, reliqua, quæ prosequitur in declarando exemplum, non multum ad rem sunt: indulsit nimis calamo.

Nec damno hominem, sed doceo, quando, & in quibus vagari licet.

Igitur Aphorismus secundæ particulæ (vigesim. septim.) Iis qui non ex ratione leuius se habent non oportet fidere: non est ex ratione cum morbus cessat circa signa coctionis, & neque in die iudicatorio.

Diximus suprà (Comment. decim. non.) hoc esse adiectum ob erysipelata, & tumores: at si materia febris cocta non sit, potest tamen solui febris per huiusmodi, sed in die iudicatorio Sunt autem talia, quæ secùs aliquando horrenda sunt, distortio oculi, tremor, resolutio partis alicuius, arthricis, podagra, parotides, hæmorroides, abscessus vbicunque sint, & maximè in ventre, tum crurium vlcera, & dolores earundem, & pruritus totius corporis. Porrò sapientis est, non solum eligere necessaria, sed præscindere reliqua. Velut de reditu febrium tum per recidiuas, tum per accessiones: hoc enim in Epidemiis, & contradictionibus explicatum est, sicut & illud, an coniunctim, an disiunctim sit intelligendum? Constat enim, quòd oportet carere vtroque.

Galenus autem confundit rem, sed est error in litera, non authoris, ista hæc torquent miseros Galenicos, placet Galenus, nec vilipendo, nec negligo, sed rebus cohærens placet pictor, qui scitè vrbem, aut hominem pingat,

pingat, & historicus, qui bellum referat: sed non pictor, aut historicus.

Sed legi debet sic, vt intelligamus, quando omnino expectare conueniat recidiuam, cum neutrum horum adfuerit.

Si verò sine ratione alleuetur æger, etiam recidiuam facere consueuerunt.

Non autem ex ratione leuant, quæcunque neque cum signis solutionis, neque in diebus iudicatoriis abscedunt.

Videntur autem causæ recidiuæ præcipuè septem, prima, cum morbus repente desinit sine aliqua enacuatione, seu abscessu: tertio de Crisi (capite nono) & est certum signum. Secundum est eiusdem generis, sed imperfectum: vt secunda Aphorismorum (duodecim.) Quæ relinquuntur in morbis reuersiones facere consueuerant, tertia ex ratione morbi: febres enim non acutæ non solent perfectè iudicari, sed recidiuam facere consueuerunt: sexto Epidemiorum (Par. secund. Comment. vigesim. secund.) Quarta ratione dicta hic, cum materia concocta fuerit, nec opus naturæ secundum rationem, id est, non in die decretorio. Quinta ratione temporis tertia Aphorismorum (octau.) In inconstantibus autem inconstantes, & mali iudicij. Sexta, cum cruditas est in materia, vt primo Epidemiorum. Septima ob malam ratione victus. Ex his patet, quòd concocta materia citra diem iudicatoriam etiam potest fieri crisis perfecta.

Quantum verò referat & ad honorem medici, & ægri vtilitatem, dignoscere an recidiua futura sit, declarabat Galenus primo de Crisi (capite decimotertio) dicens: Nõnũquã existimans medicus ægrum esse liberatum à morbo, atque ei victus libertatem permittens, magni alicuius mali occasionem afferret. Sũt, qui legant loco non vbi alterum adsit, alterũ desit (in commento Galeni) & vbi alterum adsit, alterum desit: tolliturque prima contradictio in eius litera, sed non secunda, quæ est longè difficilior. Ideo debet legi, vt suprà.

PROGNOSTICON XXV.

QVæcunque febris prorogatur salubriter affecto homine, nec ob inflammationem, nec ob quamuis aliam causam manifestam, dolore detinente, huic expectandus est abscessus cum tumore, ac dolore ad aliquem articulorum, maximè eorum, qui sunt in parte inferiori.

COMMENTARIVS.

GAleni expositio hac in parte adeò præclara est, vt mereatur cum textu ipso declarari, inquit ergo: febres longè fiunt, vel ob prauam membri dispositionem, vel ob humores crassos, ac lentos: vel ob ea, quæ rationi victus bonæ aduersantur. Velut imperitus medicus, inobediens æger, astantes consulentes, timor, animi solicitudo, domicilium prauum, tempus anni, & constitutio, inopia, loci solitudo, labor, membri offẽsa maximè iecoris, pòst lienis, & mesaræi intemperies aliqua calida, vel sicca valde, corruptio tuberculũ, abscessusue, obstructio carnosa, aut lapidea, scirrhus: si ergo neutrũ horum adsit, necessariũ est adesse crassos humores, aut lentos, aut vtrumque, nondũ enim liquet, an omne lentum sit crassum: illud certè perspicuum est, non omne crassum esse lentũ.

Philosophus quarto Metheororum (Tex. quinquagesimo) docet quædã à concrescere à calido solum, vt sales, quædam à frigido solùm, vt glacies, quædam ab vtroque. Et horum quædam perfectè, vt electrum, quædam imperfectè dicit, vt gummi, & lacrymæ, constat ergo, intelligere Aristotelem viscida fieri ex concretione calidi, & frigidi, simul non exacta: vt viscum & resina, igitur talia omnia crassa sunt: præter id etiam videmus farinam cum aqua, & liquidum cum terreo, igne fieri lentum: vnde liquet, lenta esse omnia crassa, non tamen exactè, nam si ampliùs siccentur, fiunt crassiora. Non igitur omne crassum est lentum: omnia tamen lenta sunt crassa, sed non exactè crassa. Cum ergo causa longitudinis febris fuerit, humoris crassities, & lentor, nec potuerit natura concoquere, quia humor grauis est & articuli imbecilles, & caloris modicum habentes, cum membra valida soleant mittere excrementa ad mẽbra debilia, vt dicebat Princeps prima primi (Doc. sexta capite de Membris fine) & materia sit grauis: ideo fiunt abscessus in articulis partium inferiorum est & alia causa, quoniam articuli sunt latiores, ideo natura eò transmittit: & etiam, quia sunt debiliores ob caliditatem, & superfluam exercitationem, adeò vt materia soleat eò protrudi: inde ex consuetudine fit habitus. Habet, nescio quid simile cum illo Aphorismo quartæ particulæ (quadragesim. quart.)

Quibus febres longæ iis tubercula vel labores in articulis fiunt: cui adiunge sequentem (vigesim. quint.) Quibus tubercula, aut labores in articulis fiunt, ij pluribus vtuntur cibis. Quasi innuat, non fieri talem decubitum, nisi immodico vtantur cibo. Ideo inter causas huiusmodi decubitus Galenus in commento priore recenset multitudinem materiæ, & frigiditatem vltra lentorem, & crassitiem: sed frigiditas ad crassitiem, & lentorem reduci potest, multitudo autem non, non ergo semper accidit hæc permutatio, sed aliquando concoquitur materia, & euacuatur per aluum, aut vrinas, & hoc dicit frequentiùs, quia scilicet materia est vltra gibbam iecoris partem: vt in arte medica (capite nonagesimo quinto.)

Hic primùm considerandum, cur, & quomodo talis materia ad articulos excernatur? & dico, quòd quia est in venis, ideo protruditur ad articulos, quoniam foràs non potest extrudi: neque enim perfectè potuit concoqui ob crassitiem, & hoc est manifestum.

Sed lentor facit obstructiones, non tamen impedit per se coctionem, nisi vt materia est crassa? Dico, quòd etiam lentor est causa, vt non possit diuidi in minima, ideo neque concoqui: superueniente ergo die iudicatoria ante coctionem natura cogitur expellere

expellere materiam ad articulos, & ideo rectè dixit Hippocrates, quod hoc aduenit pluribus vtentibus cibis: nam etiam quod seruentur in hos morbos incidunt, sed si moderatè alantur, excernitur per vrinas, vt dixi, plerumque: quandoque etiam per aluum vides, in quanta pericula detrudunt miseros ægros ob cibi copiam. Sed iam ad textum.

Quæcunque febris prorogatur) Potest contingere hoc vel propter naturam temporis, vt secunda Aphorismorum (vigesim. quint.) Autumnales verò longæ, & maximè, quæ ad hyemem tendant, ibi, de quartanis. Sed est verum etiam in acutis: sed desinunt esse acutæ, cum producuntur, & licet natura in his fiet validior supra materiã, non tamen tantum, quantum oportet: aliter euacuaret materiam, & non faceret abscessum, contingit ergo vel casu, vel per se.

Salubiter affecto homine) Non satis propriè transtulit, sed significare voluit, in quo signa futuræ salutis appareant, nam vbi mors superuentura sit, non expectandus est adscessus: tametsi quandoque superuenire soleat, parte materiæ semicocta, prorsus cruda, est enim & heterogenea, seu diuersa natura, vt cùm tenuis expellitur, crassa manet, hi leuantur dolere, & meliùs se habere videntur: inde resiliente materia, pereunt.

Nec ob inflammationem) Præsupponit dolorem, & alludit ad illum quarta Aphorismorum (trigesim: secund.) Quibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit hic fiunt abscessus.

Si ergo inflammatio adesset, iam non alius esset tumor expectandus, sed suppuratio inflammationis, adeò vt si quis coniungat illa verba: Nec ob quamuis aliam causam manifestam, quæ habentur in textu hic præsenti, habeas ad vnguem sententiam Aphorismi recitati. Quamobrem quæ ibi diximus, videre potes.

Dubitare meritò licet in illis Galeni verbis: sæpe enim iam dictum est, vt humores corporis calidiores tenuioresque paratissimi sint ad excretionem, crudis verò, & crassis natura medeatur aut per abscessum, aut per concoctionem: nam videtur velle, quod humores tenues, & calidi etiam citra coctionem facilè excernantur, de quo aliâs dictum est. Et verè hæc difficultas est ardua, & veritas est, quòd Galenus hic miscet coctionem cum præparatione: nam tenues humores nulla indigent præparatione ex se, quia non sunt nec crassi, nec lenti, coctione autem tam tenues, quàm crassi indigent: sed tamen etiam illa celerius absoluitur in tenuibus.

Sed si volumus tueri etiam Galenum, hic erit illius sensus: humores calidi ac tenues prompti sunt ad euacuationem, scilicet cum nondum putredo eos inuaserit: crudi autem, id est, vt calidis opponuntur, non coctis, & crassi, non nisi per abscessum expelli possunt, aut post coctionem, ita quod innuit duos ordines: crassi humores expelluntur, vel extrà cocti; vel per abscessus semicocti: tenues crudi per abscessus, semicocti extra.

PROGNOSTICON XXVI.

HViusmodi abscessus magis, ac in minori tempore fiunt iunioribus natu trigesimum annum agẽtibus.

COMMENTARIVS.

EXistimant aliqui esse contradictionem, quòd hic dicat, fieri abscessus magis, ac celeriùs intra trigesimum annum: superius autem (libro secundo Tex. decimo septimo, & libro quarto Tex. duodecimo) dixit, quòd in senioribus magis fiunt abscessus, in iunioribus autem sanguinis eruptiones.

Sed non est contradictio vlla, cum hic loquatur de articulorum abscessibus, ibi autem ventris.

Vega, autem, vt licet animaduertere, hoc non videns, mirum in modum laborat, & incassum: sed vt dicebat Poëta,

Non omnia possumus omnes.

Dignus non est reprehensione, imo laude, quòd difficultatem cognouerit. Verùm solutio postulat declarationem, cur iuniores sint proniores ad abscessus articulorum, seniores ventris. Vtique iuniores sunt calidiores, venter iterum artuum comparatione calidus est, calidum calido iunctum, aut resoluit, aut concoquit, ideo iuuenes sunt proni, ad abscessum ventris, senes sunt frigidi, articuli frigidi sunt: ideo frigidum frigido iunctum, non sinit medio modo concoqui, ideo natura nõ potest gignere tam facilè abscessum in articulis, cum homo est senex, vt cũ est iuuenis. Et maximè, quòd viæ ad articulos in senibus iã sunt coarctatæ, & ipsi etiam articuli constricti. Atque hæc fermè fuit sententia Galeni hic explicãtis textum hoc ipso inferior, quòd, vt dixi, loco abscessuum generaliter, debuit explicare de abscessibus articulorum, hi enim fiunt semper semicoctis humoribus, crassis quidem, in validis viribus, & tenuibus in imbecillibus: vnde sequitur. vt in mediis medias esse oporteat vires. Quas cum ab ætate sumere debemus, validæ in iuuenibus, imbecilles in senibus, erũt. Et in habitu sanguineo senis oportebit expectare talia, sicut in semitabido iuuene, & reliqua iuxta proportionem eandem.

Ac minore tempore) Animaduertendũ est, hic magnam latere sententiam. Dictũ est, vim expultricẽ concoctrice esse in omnibus multò validiorẽ, maiorque est proportio inter expultricem iuuenis, ad expultricem senis cõparatam, quàm inter tenuitatẽ humoris in sene, ad crassitiem humoris in iuuene, adeò vt facta cõparatione humoris ad humorẽ, quo ad expultricem facultatem, plus potest expultricis robur, quàm materiæ qualitas, crassitie, & tenuitate: sed quo ad coctionẽ, contrarium est, ideo concludo, quòd iuuenis celeriùs expellet materiam crassam, quàm senex tenuem. De coctione est contrarium: nam senex celeriùs

conco

concoquet tenuem, quàm iuuenis crassam: & hoc est per se verum, nam casu aliquo potest accidere contrarium.

Hac igitur causa celeriter iuuenibus fiunt, id est, post paucos dies à febris initio abscessus in articulis: senioribus rariùs, ac tardiùs.

PROGNOSTICON XXVII. & XXVIII.

COnsiderare autem oportet statim abscessus signa, si viginti diebus transactis febris detineat. Senioribus vero minùs accidunt, vbi febris fuerit diuturnior.

COMMENTARIVS.

QVid dicant hi egregij expositores hic, non habent: nam Hippocratem prorsus non intelligunt, nec quomodo præcedentibus, aut sequentibus coniungatur, assequuntur.

Est enim hæc sententia, quia dixerat, quòd iunioribus in minori tempore, id est, celeriùs aduenìunt, poterat quis existimare, quod in septima, vel vndecima, vel alio die superuenturi essent? respondet non, sed videat medicus, an febris ad diem vigesimum extendatur, tunc spes futuri abscessus incipit, propterea subiicit:

Senioribus verò minus accidunt, vbi febris fuerit diuturnior.

Hic enim est vnus sensus ad vnguem vtrique parti respondens, & priori huius, & præcedenti; huic quidem, cum dixerit, quòd à vigesima die primùm scilicet in iuuenibus, si febris perseueret, expectandus est abscessus in senioribus autem raro, quia dixerat in præcedenti, quòd iunioribus magis, id est, frequenter igitur rariùs senioribus.

Sed dubium est, quia subiicit, vbi febris fiat diuturnior, quasi velit, quòd in vigesima, vel celeriùs, vel freqnenter sit expectandus. Propterea dico, quòd Galenus, vt solet, difficultatem dissimulat, alij viderunt, sed non se explicant, illud rectè, vt à notis incipiam, vt per seniones eos, qui trigesimum annum excesserint, intelligamus: nam iuniores ita accipit, id est, qui nondum eum annum attigerunt.

Habet ergo duplicem sensum, quorum vnus est: in vigesima die in senibus tales abscessus contingunt (idque ratione: nam si tum primùm iunioribus, ideo multò serius senioribus, quibus calor est imbecillior) sed rarò, quia sunt imbecilles, & artus sunt frigidi: atque hic sensus est planè verus, & accommodatus, alter est, vt intelligamus senioribus tum minùs accidere abscessus, cum febris fuerit longior, sed magis, vbi fuerit prope acutum: qui sensus non congruit, nam hoc dixit de iunioribus: igitur intelligendus est in primo sensu.

PROGNOSTICON XXIX.

OPortet autem huiusmodi abscessum sperare, vbi continua fuerit febris: in quartanam verò deducetur, si intermittat, & erratico modo apprehendat, & sic agens autumno appropinquat.

COMMENTARIVS.

DE intermittentibus est hic sermo, quæ post continuas subsequi febres solent hæ autem erraticæ sunt, quoniam quotidiana, atque tertiana acutæ minimè sunt, si ab initio inchoasse proponantur, non igitur de illis sermo est. Sed neque continuis tertianas simplices, aut quotidianas subsequi par est: atque hic iacet difficultas, quam, vt reliquas, prætereunt, idque accidit, quòd qui scribunt, partim medicinam non exercent, scribuntque nugas meras: alij artem solum exercuerunt dialecticam, philosophiam naturalem, & bonas artes ignorant: hique solam empyriam docent, nescio, qui peiores: alij vt fructus quidam egregij, sed immaturi, plus diuitias, & honores huius mundi, quam sapientiam existimantes, insinuant se aulis principum, quas ego, cum asciscerer, fugi, atque ita scribunt de se nimium polliciti, in quibus aliqua bona sunt, frugem tamen facere nequeunt, tot rebus impediti.

Curæ principis, studiis aulæ, cæremoniis, quæ sunt infinitæ, deliciis, societatibus, cruda edunt, cruda egerunt.

Sunt tamen in aliquibus multa satis bona, quæ, si illi, vt mihi mos est in meis, non ament, sed despiciant, ac librum nostrum de libris conscribendis legant, atque examinent, & ad trutinam expendant, ita nos omnia sæpius conscribendo in meliorem statum reduximus, non pigeat quenquam laboris, vt tot hominibus prosit, cum tam diuturni æui memoria celebri.

Ergo febres erraticæ sequuntur acutas, quoniam exusto ex humore sunt: ideoque omnes etherogeneæ, nam pars exusta est, pars non exusta.

Itémque quia partes sunt continuæ febris, ideo non ordinatæ, sicut caro à lanio dissecta fortuitam retinet formam: later autem quadratam oblongam, quoniam artificio constat. Tertia causa est, vt Galenus hic in commento ait, tales febres fiunt ex cinere humorum, adueniente cruda materia, quæ ei permiscetur: ideo febris hæc semper in his constat ex dispari materia, ideò erratica est. Si ergo vna sit causa tantùm, erratica fit, quantò magis, si plures ex his simul extiterunt.

Superest, vt videamus modò, cur proponat tres conditiones, quòd sit intermittens, erratica, & autumno proxima.

Quando enim continua acuta degenerauerit in continuam diuturnam, tunc materia remanet intra venas: & ideò est aptior ad abscessum.

abſceſſum. Ex quo patet ratio quarti; ſcilicet quare degeneret in abſceſſum, cùm enim materia nõ poteſt vnâ actione expelli, nec reſoluitur, neceſſe eſt, vt vel æger intereat, vel expellatur in pluribus actionib.: ergo vel ſub forma abſceſſus, vel febris intermittẽtis. Si ergo materia remanet intra venas paruas, & tũc eſt febris continua, generabitur abſceſſus, quaſi neceſſariò: oportet enim ad hoc, vt expellatur humor, vt delegetur primùm ad vas proprium bilis, ad ſuam veſicam, pituita ad ventriculum, melancholica ad lienem: inde ibi putrefacta cùm ſit admiſta humori ſanguineo, nec defecata, ſed ſupercalefacta efficit intermittentẽ. Dum verò venæ in vaſa euomunt, etiam ad muſculos aliquam partem mittunt: vnde in omnibus intermittentibus adeſt typus ille vel frigoris, vel horroris, vel rigoris.

Abſceſſus enim propriè, vt à Galeno docetur in libro de Inæquali intẽperie (capite tertio) fit ex venis. Appello nunc abſceſſum inflammationem: materia enim, quæ extra venas exiſtit. ſi tumorem faciat, non inflammationem, neque abſceſſum verũ facere poteſt. Ex intermittentibus autẽ inflantur pedes, & crura, & fit hydrops, & huiuſmodi inflammatio non fit.

Verùm erratica eſt huiuſmodi febris, quæ ſuccedit acutæ, quoniã, vt dixi ſi ſit ex aliquo genere intermittentium, non eſt, vt trãſmutetur in quartanam propter cauſam, quã ſubiiciemus.

Erraticæ enim febres fiunt, quoties materia eſt aut diuiſa locis, aut ſubſtantia diuerſa, licet in eodem loco, aut vtroque modo: fiunt & nonnunquam variata victus ratione. Eſt & quarta cauſa, cuius meminit ſecundo de differentiis febrium (In fine) ex commutatione vnius humoris in alium, præcipuè ſanguinis: quandoque enim putreſcendo in flauam commutatur bilem, nonnunquam in nigrũ. Porrò in ordinatæ hæ febres octo ſunt generum, ſex autem eorum comprehendit in libro de Typis (capite quart.) more conſueto ſemper aliquid omittens. Vnum eſt, cũ febris eſt è genere continuarum, ſed quæ abrupta inuadit modò tribus, modò quatuor, modò ſex diebus à recidiua differre, quod maius eſt ſpacium ceſſationis, quàm id, quod febre laborat.

Secundum eſt, cùm fuerit intermittens, ſed quæ horam non ſeruat, modò celeriùs, modò tardiùs inuadendo, nam ordinem ſeruare dicitur, quæ vel eadem hora inuadit, vel ordinatim anticipat æqualiter, vtpotè per duas horas ſemper, aut quæ ſpacia æqualiter auget, vt ſi duabus horis primùm anticipet, inde quinque, pòſt decem, pòſt viginti, hæcque inordinatæ ſpeciem refert, cum tamen non ſit.

Tertius modus eſt, cum intermittunt, & vario modo eueniunt: velut tertiana aliquot diebus: inde alia tertiana poſt aliquot dies, errans hæc eſt: & cum tertianæ quartana, inde duplex tertianæ immiſcetur.

Nonnullæ etiam harum cum iudicio ſunt, aliæ iudicio carent, omnes hi modi errantium ſunt febrium. Et erraticas quaſdam eſſe continuas hic ſubindicauit, cum dixit, & erratico modo apprehendit intermittens: nam ſi erratica ſolum eſt intermittens, fruſtra additum eſt.

Vltimò adiicitur, quòd ſuperueniat Autumnus.

Inquit Hippocrates tertia Aphoriſmorum (vigeſim. ſecund.) Autumno febres quartanæ, & erraticæ, & lienes. Dicit Galenus, erraticas febres fieri in Autumno ob temporis inæqualitatem, quartanis autem ob humorem melancholicum: ſed hunc dicit eſſe duplicem, vel ex ſanguine craſſo, vel ex bile flaua ſuperaſſata. Solet autem quartana generaliter ſubſequi erraticas febres, non ſolùm has, ſed omnes: primo ad Glauconem (capite quinto). Cauſa vna generalis eſt, quòd erraticæ febres fiunt, abſumpta humidi parte in humoribus: quartanæ autem explanè quaſi ſicco, atque arido humore.

Cæterum errantes febres, dico veras, quæ non ex compoſitione ordinatarum fiunt, quemadmobum ſecundo de Criſi (capite octauo) Sunt autem quæ poſtponunt, ſcilicet incrementi tempore: nam quæ anticipant duplices tertianæ ab imperitis appellabantur.

In temporibus ergo inæqualibus magis, ſi corpus cacochymum ſit, & imbecille, cuiuſmodi ſunt corpora conualeſcentium, non expurgatur, neque à natura, neque ab arte ſuperueniente frigore, ſtipataque cute collectus fumus excalefacit corpus, humoreſque in eo ſemicorruptos putrefacit: vt primo de differentiis febrium (capite tertio) facit autem quartanas abſumendo humidum humoris, erraticas obſtruendo, poros, & calorem naturalem diffiando.

Verùm quartana fit ex melancholia abſoluta, erratica, non exacta, & quanquam Galenus duo genera illius ponat, exponens Aphoriſmum, longè tamen in plura ſunt, quæ docere nunc oportunum eſt, vtile quidem ad prædictionem per ſe vtiliusautem ad curationem, ſed non per ſe.

Primum ergo genus eſt humor ille naturalis, de quo toties meminerunt medici, velut Galenus ſecundo de Facultatibus naturalibus (capite nono iuxta finem) vbi vult, eam eſſe ſanguinis fæcem, quæ cum ipſo ad venas defertur, cuius portio quandoque exuritur, & in cinerem quaſi conuertitur.

Tertia eſt, quæ non naturaliter exuritur, ſed præter naturam, cum ſanguis putreſcit: ſecundo de Differentiis febrium (capite non.)

At planum eſt in libro de Atra bile, eſſe quartum aliquod genus, quod fit ex flaua bile exuſta. An verò citra putredinem exuri poſſit, liquet in libro Artis Medicæ (capite quadrageſimoprimo) Quo circa cum iam ſint quinque ſpecies ex quarto genere, ſcilicet flauæ bilis putredine exuſtæ fiunt febres pleræque quæ ad tertianas, & ardentes productas, & Autumno maximè ſequuntur. Sed & bilis illa, quæ exuſtâ fæce fit ſanguinis citra putredinem, humor niger appellatur: ex putredine autem, atrabilis.

Quinque

Quinque igitur iam sunt genera nigræ bilis, primũ est fæx sanguinis non exusta: secundum exusta, sed non à calore putrido tertium à calore putrido (& hæc omnia dicuntur facta ex sanguine, quia ex fæce sanguinis) quartum est ex bile flaua exusta à calore, non putrido: quintum est ex eadem exusta à calore putrido.

Bilem naturalem nigrã videtur cognouisse Aristoteles, sed sub excrementi nomine, tertio de Historia animalium (capite secund.) dũ omnes humores, præter sanguinem appellat excrementa, vt etiam innuit secundo (capite tertio & quarto) de partibus animalium, & primo (capite decimooctauo) de Generatione animalium.

Atque id ratione: nã cum sanguis extra venas est, excrementum est, & non pars sanguinis, sed actu humor, adeò vt clarum sit, ipsum nutrire non posse, sed si humor potestate sit, in sanguine est, & nutrit: nec hoc negat Aristoteles.

Dictum est autem de hoc in Contradicentibus (libro septimo Contrad. sexto) Quod verò ex atra bile, & nigra quauis, fiat typus quartanus, nil mirum esse debet causam spectantibus, quæ aliàs (libro tertio Contrad. decimo) dicta est, nam cũ frigidus sit, & siccus, humor, qualiscunque sit, exigit ad putrediné tres dies (libro sexto Contrad. quadragesimo quarto) Primùm, vt humor est frigidus vnum, duos, vt siccus: tres igitur, vt frigidus, & siccus (libro quinto Contrad. trigesimo primo) Visũ est & de hoc in libro tertio Contradicentium (libro duodecimo Contrad. decim. septim.) quare cũ hæc causa sit indifferẽs omni generi nigræ bilis, palàm est, ex omni nigra bile quartanam oriri, atque ea ratione typũ seruari in humoribus præter naturam, qua in his, qui secundũ naturam sunt.

Par est autem, habere typum peculiarem, atram bilem, cũ nullus alius humor eo careat, neque singulis diebus, cũ sit pituitæ, neque alternis, cum sit flauæ bilis, neque excedere possit tertium diem (secundo de temperã. capite tert. quippe natura humana tantam frigiditatem non patitur in humoribus, vt quippiam durescat: necesse est igitur, humores nigros exactè siccos, ac moderatè frigidos eo circuitu putrescere, quo etiam in tempore pituita illa exusta intùs cinerei coloris, exteriùs fusca, vel nigra putrescit, nam & is humor quartanam parit eadem ratione: quoniam cũ febris erratica, quæ ex pituita esse potest, in autũnũ inciderit, in quartanã vertitur: quartana verò ex nigro humore, quouiscunque eadẽ ratione, qua ex bile nigra. Sed non est bilis nigra hic cũ niger humor cũ pituita sit: ergo quartanas gignet, non enim quintanæ, aut septimanæ ex hoc genere humores fiunt: sed cum humor crudus exustus frigiditatem retinuerit, qualis est vitreæ pituitæ, putat autem Princeps cogi frigore, sed non est ita, vt dictum est, raroque contingit.

At quartanæ ex pituita exusta frequenter: igitur pituita exusta quintanam non generat. Sunt igitur sex genera quartanarum diuersis ex causis, diuersaque curatione indigent, & diuersos exitus habent.

Quæcunque verò ex bile fiunt rigorẽ habent, sed ex bile, quæ per putredinem nigra facta est, frigus maius, & symptomata grauiora, & habitus corporis deterior: ex melancholia autem naturali quartana simplex, & mitis, quippe quæ solum ex ichoribus putridis genita est, ex pituita etiam exusta rigor nullus, frigus graue, & ventriculus maximè afficitur, neque appetunt, vt nec ex bile: ex melancholia autem immodicè appetunt, quippe quòd in nulla quartana seruetur modus cibi: sed alij modicè appetunt, alij odio habent, quæ verò ex melancholia iam putrefacta orietur, symptomata habet grauissima, & vix ferri potest: & nisi magno morbo successerit, periculosa est. Succedit autem solum morbis acutis deploratis, & in quibus multa signa lethalia apparuerunt. Alia verò minus vtrique commune est frigus, & horror, non rigor: curare autẽ oportet singulum genus iuxta qualitatem propriã. Abundat autem quartana Autumno, quia omnis morbus fit à simili tempore: quia humor eius in eo generatur, vt primo de natura humana soluit à contrario.

PROGNOSTICON XXX.

QVemadmodum vero iunioribus trigesimum annum non attingentibus abscessus fiunt: sic quartanæ magis his qui triginta annorum sunt, & senioribus.

COMMENTARIUS.

VIdetur in his iusto plus esse diligens Hippocrates, etiam vsque ad sequentẽ textum in edocendo, quando quartana, quando abscessus sint expectandi ob tres, vt existimo, causas. Prima, quòd omnes morbi acuti, qui ad Autumnum terminantur, vel in ipso fiunt, si quouis modo crisis non perfecta succedat in alterum, horum, duorum finiantur, ideo consilium hoc, atque doctrina pluribus vtilis est. Secunda, quoniam euidentissima est ista prædictio, & medicó admodum digna, & ob id etiam illi gloriosa. Tertia, quoniam non simplex est, sed ex pluribus composita, etenim ætatem, tempus anni, circuitum morbi succedentis considerare oportet: similiter symptomata, velut dolorem, lassitudinem, tẽperaturam, tum alia plurima: atque ex his omnibus facere coniecturam, ideoque exercet hæc res medicum, & illum reddit prouidum.

Dicit ergo, quartanam fieri post quadragesimum quintum In secundo de Humana natura (Tex. vlt.) dicit, A vigesimoquinto ad vigesimum quintum & quod in Autumno: vt videatur contradictio. Quartana quippe abundat, dum humor niger adest: vt etiam ibi testatur in Arte media (cap. 41.) dicit, quòd post ætatem consistendi & forsan etiam possemus dicere illa in corporibus, quorum iecur est calidum, & siccum. Cumque in omni ætate contingere quartanas videamus adeò quòd ego in infantia, ni fallor, annum, agens

sextum ea laboraui, alij in senectute, quorum plurimi pereunt: haud existimandum est, simpliciter debere intelligi, quòd homines hac, vel illa ætate quartanis corripiantur, sed solū ratione ortus eius sine causa. Veluti in præsēti textu non de omni quartana sed solùm de ea, quæ per adustionen fit, sermonem habet: nec de omni, facta per adustionem, sed solius bilis, hancque constat subsequi aliam febrem, & fieri ex adustione bilis, vt dixit: & ideo neque tam longas habere accessiones, neque tā diuturna, neque tam graue frigus habere solet. Quartana enim, quæ ex humore nigro nascitur longa est, & longas habet accessiones, & frigus graue. Ita quæ à crudo humore exusto fiunt adhuc longiores sunt, & ætatem senectutis vexare solent.

Mirum autem est, quòd Galenus hunc locū exponens ab initio ortus tem deducat, deinde ad frigiditatem rem deducat, cū ea ætas maximè calida sit: sed quasi pertœsus illius sētentiæ causam refert in humorem genitū tēpore iuuentutis, quem biliosū esse constat: hic non refrigeratus, sed pol exsiccatus, manifestè parit quartanam. Sed quid dico de ætatibus, cum, vt dixi, nō simpliciter hoc prolatū sit de omni quartana, sed ea tantū, quæ subsequitur febres acutas? Id verò mirū est, quòd in frigiditatē causam referat, & dicat non in extremis ætatibus, senectute inquam, & pueritia, sed in media tantū morbos melancholicos fieri, non solum quartanam, sed etiam insaniam, & carcinomata, & elephantiasim. Dicendum est ergo, quòd ob siccitatem talia contingunt, materia sicca est bilis, & bilis exusta, & febris, & tempus autumni, & ætas consistentiæ.

Quærendum potius est, cur ante trigesimum annum magis fiant abscessus, pòst autē quartanæ, & causa ipsa semet prodit, nam humor ante trigesimum annum est humidior, tenuior, & magis fluidus: indeque paratior ad abscessus, post trigesimum annum siccior, crassior, magisq; terrēs: ideo quartanę aptior.

PROGNOSTICON XXXI.

Scire autem oportet, abscessus hyemis magis fieri, tardiùs cessare, & minùs recurrere.

COMMENTARIVS.

Apertū est, quòd tria doceat, & quæ doceat, sed & cur non est difficilè intelligere, fiunt enim abscessus ex crudis humoribus, seu frigidis tardiùs cessant, quoniam tardiùs concoquuntur: licet enim calor naturalis in hyeme sit abundantior, tamen minùs concoquuntur humores, quoniam magis concreti sunt, oportet enim, quod concoqui debet, esse liquidum, ac non congelatum: quod ipse innuit secunda Aphorismorum (25.) dum dixit (Aestiuæ buartanæ) sed hyeme humores maximè concreti, atque gelidi sunt. Similiter, quòd non reuertātur, causa est non solū, quod minùs mobiles sint humores, sed quòd cū calor præualuerit absque auxilio aëris indicat, spiritum innatum esse patentem, adeò vt nō sit citra victus errorem expectanda reuersio morbi. Hucusque quia facilè bene se explicāt sed scrupū, qui in prima parte latet, haud eximūt. Est autē huiusmodi, quòd in hyeme, cū magis cōcoquantur humores, minùs deberet fieri abscessus. Ad hoc solēt respondere, quòd minus excernuntur, quia frigus aëris obstat, sed concocta materia non facit abscessum: cōcoctio autem à calore naturali, qui maior est in hyeme (p. Aphor. 15.) Si verò dicant, quòd minùs etiam concoquitur, quia calor ambientis aëris non auxiliatur: quæro ergo, cur magis cibos si deterius materiam peccantem? Dicēdum, quòd in materia peccante exigitur calor externus, & iuuat ad dissolutionem.

Est etiam illud consideratione dignū, quòd hic loquitur de abscessibus illis qui sūt suprà descripti, an verò intelligēdū sit etiā de abscessibus ventris? dico, quòd multo magis, quoniā excepisset illos, nā quod dixit de articulis, est ad declarationē, nō determinationē, quasi de solis illis sermonē habeat. Verùm dices cōtrà quia Hippocrates inquit (3. Apho. 20.) Articulorū morbi fiunt maximè in vere: & alibi (6 Aphor. 53.) adiungit Autumnum: igitur non hyeme maxime. At ibi, dices, Loquitur de sanis, hic de ægris: fit ita. Sed quænam est ratio diuersatis? Galenus proponit in Autumno errorem vitæ per æstatem, in vere fusionē crudorum humorum per hyemen congestorum: at hic iā satis fusi videtur ex diuturna febre.

PROGNOSTICON XXXII.

Qvicunque autem in febre non lethali dixerit, caput dolere: aut etiam tenebrosum aliquod ante oculos apparere, & oris ventriculi morsus huic accesserit, biliosus vomitus aderit. Si autem & rigor accesserit, & partes inferiores hypochondrij frigiditas habuerit, citius adhuc vomitus aderit. Si autem quid biberit aut ederit, per id tempus valde celeriter vomet.

COMMENTARIVS.

PRosequitur nō solū morborū præsagia sed etiā symptomatū, proponit autē quatuor cōditiones: vomitus, & duas instātis vomitus. Prima quidē, vt morbus nō sit lethalis, quorsū enim de vomitu prædicere, vbi moriendū sit? Et tamē aliquibus in morituris vomitus proximè antecedit in venenis, cū abscessus disrūpitur, in his, quorum morbus est vomitus, & cū cruditas multa affuerit, & accessiones habeat morbus: aliter morituris vomitus aduenire nequit, nisi in vulneribus, & capitis læsionibus, quod duo ostendat vomitus, scilicet robur naturæ vētriculi propellentis, & quòd alleuiet, secundū est dolor capitis, qui vna ex causa fit, altera adiecta conditione, causa quidem bilis præsens in ventriculo: cū dico bilē flauā, intelligo seu non assatā prorsus, seu assatam, nō tamen nigram adhuc, nā huiusmodi in morbis, si eiiciatur, mortē præsagit: nec est in morbo non lethali: quòd si fit in morbo non lethali, vomitū non excitat, conditiones verò sunt, quoniam aut per neruos sextiparis valde magnos, qui sunt in ore ventriculi, fit

mala

mala intemperies, in cerebro velut calefacto vna ex parte ferro altera manus aduritur: atque id valde malum: aut per vapores, qui aſcendunt per palati foramina, quæ plura ſunt: atque hic modus eſt familiaris, tertius autem modus eſt frequens, quem tamen medici ad hanc vſque diem ignorarunt: & eſt, quòd à bile præſente uentriculus, & illius venæ incaleſcunt, & ita per venas, quemamodum ex iecore, vapor aſcendit, & caput dolitat, Primus modus dicitur per conſenſum ſimplicem, ſeu verum: ſecundus autem dicitur morbus ſecundarius, ſed non propriè. Et ita iuuat hic diſtinguere morbos: & dico, quod (quanquam aliàs diſtinxerim morbos in tres tantum ſpecies, Galenum, & alios ſecutus, appellans morbum, per eſſentiam, per conſenſum ſimplicem, & ſecundarium, ſeu per conſenſum cum materia) quinque ſunt morborum ſpecies. Prima, quæ vocatur per eſſentiam, cum cauſa morbi eſt, & oritur in membro, in quo eſt morbus: velut dolor capitis ex inſolatione: Secunda, cum cauſa morbi in membro, quod laborat, ſed oritur ac alio membro, & ad ipſum tranſmittitur, vt imbecillitas ventriculi, ob pituitam à capite deſcendentem: & vocatur morbus ſecundarius, ſeu per conſenſum cum materia. Tertia, cum tranſmittitur aliunde ſolus vapor, vt cauſa etiam non oriatur in membro, & ſit in eo ſed non ſit materia, ſeu humor: & huiuſmodi eſt duplex etiam, vna, cum à vapore ſolo fit morbus, vt in vertigine vitio ventriculi, alia, cum vapor in humorem vertitur, vt in grauedine, quæ fit à vaporibus é ventriculo aſcendentibus, & in pituitam conuerſis. Et eſt tertius modus compoſitus ex vtroque vt in comitiali facto vitio vaporum aſcendentium, ſeu à toto corpore, ſeu ab vno membro ſpeciali, nam initium fit à vapore ſolo: & eſt ſpecies vertiginis, & finis à vapore conuerſo in materiam pituitoſam. Et vocatur hic morbus per conſenſum, non ſecundarius. Quarta eſt, cum communicatur ſola qualitas, velut in hectica membra laborant ob ſolam cordis intemperiem: & cum ob neruipunctionem, conuellitur homo, & multa huiuſmodi, velut etiam in læſione cerebri, ob offenſam neruorum ſextiparis, & vocatur morbus per conſenſum ſimplicem. Quinta eſt, cum nulla qualitas communicatur, ſed membrum indiget vt illa, quæ ſublata eſt, vel impedita, vt ſi conuulſus non reſpirat: aut ſi homo non ſentit, aut non mouet manum, propterea quòd ex caſu læſa eſt ſpina dorſi, & vocatur morbus per conſenſum, nec oportet aliud adiicere, quaſi dicas, qui ita eſt per conſenſum, vt cauſa morbi ſit in membro, in quo eſt morbus, cum in aliis omnibus quatuor ſpeciebus cauſa morbi ſemper ſit in membro, in quo eſt ipſe morbus (Vide p. de Locis, cap. 6.) Sed eſt & morbus ſecundarius, qui multiplex eſt, velut cum materia deſcẽdit à cerebro ad oculum, tranſmiſſa à iecore. Ergo eiuſmodi dolor diuerſis ſub ſpeciebus continetur, ſcilicet tertia, & quarta.

Aut etiam tenebroſum) Hæc eſt tertia conditio non coniunctim, ſed alternatim poſita, in dolore enim capitis vapores illi penetrant ad cerebri mẽbranas: ideo raró contingit, vt per neruos hoc fiat, ſed potius per palatum: & hoc eſt frequentius, aut per venas: & hoc eſt etiã frequens, non tamen adeò, vt per palatum, ſed in hoc caſu eſt per palatum cum res peruenit ad oculos: ſicut etiam, cum peruenit ad aures.

Sed dubitatur, quia hæc duo ſigna in primo libro poſita ſunt de fluxu ſanguinis narium, quomodo ergo conuenire poſſunt vomitui (Tex. 32. ex ſec. Gal.) Sed hic adiicitur morſus ventriculi: ideo ſine illo poteſt ſignificare vtrumque. Sed illi pro diſtinctione adiicitur tumor præcordij, vt ſignificet ſãguinis fluxum è naribus, hic morſũ ventriculi, vt vomitũ: ibi etiã dicit hebetudinẽ oculorum, hic tenebroſa apparere ante oculos. Sed quomodo tenebroſa fient à flaua bile? Reſpondeo, quòd non tenebram prorſus, ſed tenebricoſam nebulam offũdi oculis docet: quicquid enim viſum impedit, & ante ſpiritum animalem, qui eſt in oculo, obuerſatur, id totum tenebricoſum quiddam præ ſe fert, tametſi nigrum non ſit, fiunt autem huiuſmodi imagines à ventriculi vaporibus: & de hoc multa locutus eſt in primo de ſymptomatum cauſis declarantes, quòd humorum vapores etiam à cibo aſcendunt à ventriculo, vt ſuprà (c. 2.) docuimus, per foramina palati ad cerebri infundibulum: inde deferuntur per neruos latos, & concauos, oriuntur enim nerui illi iuxta glandem, quæ pituitam recipit in baſi fermè cerebri, vt non parum à ventriculis anterioribus, qui ſublimes ſunt, diſtet, prout Veſalius docet, tum in quarto (ca. 4.) tum in ſeptimo libro (Fig. 14. & 4.) vbi etiam hiſtoriam docet, quomodo peluis non ab anterioribus ventriculis, ſed à tertio pituitam recipit: vt vapores hi, qui ex ventriculo ad oculos aſcendant, potius poſteriores cerebri ventriculos, quàm anteriores veriſimili coniectura perturbare poſſint. Ergo ex hac parte, quamuis non caua interſtitio, quando ne nerui ipſi viſorij, ſeu primiparis (quamuis hoc credatur) manifeſtè caui ſint. Veriſimile eſt autem eos: qui huiuſmodi patiuntur, magno incommodo laborare, ſi per integram valetudinem huiuſmodi perpetiantur. Et ideo ex hoc colligitur, quòd dolor capitis, aut eſt in radice oculorum, originem habet à ventriculo.

Et oris ventriculi morſus) Hoc eſt firmum ſignum vomitus bilis, cum & cauſam prodat, ſcilicet bilem, quæ mordet, & affectã particulam, quæ ſola vomitum excitare poteſt. Quomodo autem, cum nerui ſextiparis, qui ad ventriculi os pertingant, inde deferuntur, declarat illorum hiſtoria in quarto libro (cap. 9.) deſcripta, cum ex ore ventriculi ad intum illius os perueniant multiplici ſobole. Sed cum reliqua pars recurrat verſus ſuperius os, non in fundum peruenire atque imum ventriculi videntur, vbi bilis reſidet. Propterea veriſimile eſt, conſenſu, propinquitate, vaporibus, & pauculis ramis, eò perductis, ac deſcendentibus, id contingere.

Sed in memoriam reuocat, quæ ab illo ſcri

scribantur, quarta Aphoris. (17.) si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum & tenebricosam vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione per superiora indigere significat. Non est discrimen, quòd non dicat de dolore capitis, vel quòd abstinere à cibo adiecerit, vel quod morsum cordis ibi, hic dicat, vel etiam, quòd adiecerit oris amaritudinem: nam hoc potius signum esse deberet vomitus, & tamen indigere auxilio ad vomendum testatur, cum hic vomitum expectandum doceat. Vnde ergo tantum discrimen? Hæc pertranseunt sicco pede etiā qui difficultatē mouerūt, seu dissimulātes, seu minimè animaduertētes. Dicimus ergo ibi nō loqui de febriētibus, hic supponit febrē habere, ex qua humor ille putrescit: & ideo à natura (modo valeat) ferri cū nō possit, eiicitur: si putridus non sit, auxilio indiget. Galenus quoque adiecit signum sumptum à labri inferioris tremore: cuius meminit Hippocrates secundo de Victu in acutis Tex. 44.) Vnde ex loco illo duæ dubitationes ortum habent. Vna, quia ibi dicunt quidam non proposuisse Hippocratem id signum, tanquam perpetuum, quod non, nisi in magnis affectibus id accidere soleat: hic tamen Galenus, vt generale, proponit. Altera est, quoniam hic dicit (tenebricosa (vt & iu Aphorismis, ibi dici (fulgores, seu resplendentia) quæ à directo pugnant.

Propterea dicendum est, quòd ibi præsupponit corruptam bilem ex intempestiua, pòst inediam cibatione velut etiam, ob febrem hic, at in Aphorismis ex sola humorum redundantia factam. Ibi etiam ex leui causa vomitum oriri vult, quippe, vt dixi, ex ptisanæ exhibitione: hic ex morbi materia flaua bile corrupta. Galenus quoque nos admonet, cur adiecerit ventriculi morsum, quia bilis in pulmone posset dolorem capitis excitare, & tenebricosa illa ante oculos: nec sequeretur vomitus bilis, quia pulmo non potest facere vomitum. Sed dicit tales non sentire possunt cordis morsum, quia pulmo parum aut nihil sentit: ergo dicit, cordis morsus est signum proprium vomitus.

Si autem etiam rigor) Hic proponit secundum Galenum vnum tantum signum instantis vomitus, est rigor: quanquam ex vi sermonis videantur esse duo. Sed, hoc omisso, rigor euenit in morbis quadrifariam. Vel ex magna læsione neruorum, velut in capitis lethalibus, præsertim vulneribus: quod tangitur ab Hippocrate in libro de Capitis vulneribus (Pag. 8. cum dixit: Febris corripit, palam est enim, quòd ea febris non sine rigore aduenit, qui etiam lethalis est semper, modò non ex redundantia prauorum succorum, non ex noxa neruorum adueniat. Idem in Phreniticis Primo Prorrhiticorum (13.) & eadem causa possimus: quem locum Galenus non satis commodè exponit ad iudicationem traducens: quia per phreniticos non capitis abscessum, de quo ibi intelligit autor, sed solum cum delirio quancunque febrem intelligit. In eodem genere est, de quo dicebatur in Coacis prædictionibus (Pag. p.) Rigor cum distentione neruorum in posteriora occidit, est enim, vt dixi, ex magna neruorum noxa. Et similiter in occulorum distortione eadem ratione, secundo Prorritici (Tex. 57.) Vbi rursus Galenus non verè Hippocratem intelligere se ostendit: rigor enim in omnibus grauibus neruorum affectibus lethalis, vt dixi, admodum est. Ita illud rursus in Coacis prædictionibus (pag. 1.) In capitis dolore rigores cum exolutione perniciosi: & illud (pag. 25.) Ante partum rigores, & partus sine dolore periculosi. Eius generis quoq; est illud Secundo de Morbis (p. 6.) Rigor dolor capitis, & febris: inde post pauca subiicit: Nisi aqua è naribus effluxerit, periculum est, ante septimum diem ne pereat: & merito, scilicet affecto neruorum principio grauiter. Rigor enim cum eiusmodi signis neruorum affectorum grauem illorum affectum nunciat, sine illis ob aliam causam aduenire potest. Sed etsi ab imbecillitate virium cum multitudine materiæ, vt in illo Aphorismo (4. part. 46.)

Si rigor incidat, febrem non deficiente, ægro iam debili, lethale est. Sed in his omnibus loquimur de lethali rigore: ideo cum hic sermo sit de morbo bonum exitum habituro, vt præfatur Hippocrates, palam est, non debere accipi causam rigoris huiusmodi, neque grauem noxam neruorum. Dico grauem, quia sine noxa neruorum rigor esse non potest, neque virium imbecillitate cum materiæ peccantis multitudine. Totidem autem sunt causæ rigorum in morbis ad salutem tendentibus in intermittentibus primùm febribus, in quibus rigor est familiarissimus, cum enim materia ex venis detrudatur ad membra sensu prædita, maior pars in ventriculum detrudi solet: vnde vomitus fit, adeò vt in quartanis etiam euenire soleat, vt vomant, quanquam rariùs, quòd ille humor haud ad vomitum pronus sit: vt quarta Aphorismorum (9.) Vbi etiam planum est, voluisse Hippocratem rigorem proprium esse intermittentiū febricū dicat (6 3 2. de diff. Feb. c. 3.) Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie rigores soluuntur. Et clarum est, quòd apud Galenum rigor consequitur tertianam, & similiter vomitus bilis. Si ergo intermittentibus familiaris est vomitus, & cum signis illis iam enarratis aduenire solet, sequitur, vt ambobus coniunctis simul, non solum certior vomitus expectatio futura sit, quod tanquam per se motum præteriit: sed quòd celeriùs sit expectandus. Quod etiam in hoc sensu præcipuè sit intelligendus infrà (Tex. 32.) se exponit. Secunda rigoris causa est indicatio in illo Aphorismo) 4. part. 58.) A febre ardente, habito rigore superueniente fit solutio. Sicut in Muliere, quæ decumbebat in Littore, Primo Epidemiorum (Langu. 13.) Sed dices. Licet illa liberata sit per vomitum in quartadecima, tamen fuit correpta rigore in vndecima, & non in quartadecima: non igitur citius vomitus adfuit, dico, quod sæpius testatus sum, si error non comittatur repetendum illud suprà, vt per dies criticos transeamus enumerando, ita vt citò dicatur esse, quod aduenit, aut in die ipsa, aut sequenti iudicatoria, non in diebus intermediis. Ergo cū illa signa enarrata indicent per se vomitum, & rigor hic crisim etiam per vomitum ambobus

bobus

bobus coniunctis expectandus eſt vomitus breui.

Et partes inferiores hypochondrij frigidas habuerit) Hoc eſt ſecundum ſignum celerioris vomitus, cuius non meminit Galenus (cap.11. pagina vltima) ſeu quòd ſub priore comprenſum exiſtimauerit: ſeu quod in ſuo exemplari non habuerit. Sed neque connumera illud tertio de Criſi, vbi omnia hæc collegit, ſed potius loco illius multitudinẽ ſpu ti tenuis, quæ eſt ſignũ potius vomitus futuri, ob cruditatem copiam, quàm ob bilem: licet quidam retrahant illud ad ſignum commune, & quod fiat ob compreſſionem ventriculi. Sed quæ compreſſio poterit emittere abundantiam ſaliuæ, ſi illa non adſit? mihi enim compertum eſt eſſe ſignum vomitus, ſed qui futurus ſit ob abundantiam multi humoris crudi. Adeo, vt apud Galenum ſigna vomitus celeriter ſuperuenturi ſint quinque: dolor capitis, tenebricoſæ imagines coram oculis obſeruantes, morſus ventriculi, labij præſertim inferioris tremor, & ſputi tenuis copia. Sed non meminit ibi rigoris, multò minùs frigoris hypochondrij: ſed, vt dixi, Hippocrates proponit ſigna vomitus ex materia febrili ortum habentis, ex quo ſolutio etiam febris ſperatur. Igitur Hippochondrij frigus primùm edocet recurſum flauæ bilis ad partes ſuperiores, atque ideo motum ad vomitum: atque hoc, inquam, apertum. Illud magis admiratione dignum, quod etiam cum bilis præualuerit in ventriculo, refrigerat partes inferiores, etiamſi calor ad ſuperiores non aſcẽdat, & calefacere ſuperiores refrigerationis cauſa eſt in inferioribus: an quia calor bilis trahat ad ſe ſanguinem, & cieat motum ſibi ſimilem, atque ideo ad ſuperiora vndentem, ex quo refrigerantur partes inferiores. Et ſi vomitum non ſignificaret frigus huiuſmodi frigus moleſtè hominem afficeret: vt in libro de Humidorũ vſu (pagina ſecũd.) docet Hippocrates, cum dixit, de aqua loquens: Præcordia magis frigida aggrauantur, calida gaudẽt. In vniuerſum, valde calida habere malum eſt: & frigida anxietatem declarat, cuiuſmodi eſt in vomituris. Ventriculus enim agitatus à bile contenta in eo, perſæpe refrigerat partes proximas: non tamen eſt ſignum proprium à vomitu perfrigerari, vt nec perfrigerari præcordia ante vomitũ, ſed tamẽ magis propriũ, quã illud, conuerſũ ſcilicet: attamẽ cum reliquis ſignis, vt apud medicos propriè, cum ſymdromen vocatam conſtituit, eſt ſignum proprium. Nam horum ſex ſignorum prædictorum cum nullum per ſe ſit proprium ſignum, ſimul tamen omnia proprium vnum cõſtituunt: ſicut in morbo laterali, & in multis aliis.

Si autem aliquid) Additur ſignum quoddam, quod etiam locum curationis, & auxilij obtinet: perſæpe æger à febre, & bile ſiccatur, potius patitur nauſeam, quàm vt ei liceat vomere: ex hoc vel ob imbecillitatem virium, vel quia materia eſt nimis ſparſa, vel quoniam nimis eſt affixa ventriculo, aut quoniam ventriculus, quaſi diſtenditur, cum in vomitu quoquomodo cogi ipſum neceſſe ſit, propterea vomere non tam facilè poſſunt, cibus autem maximè liquidus, & ſorbitiones, & potus (has enim quatuor differentias ſub duobus comprehendit) & ventriculum laxant, & materiam colligunt, in imumque ventriculi deducunt, & ſeparant humorem à ſubſtantia ipſa ventriculi, & robur addunt viribus, atque ita præparant patientem ad vomitum, & facilem illum efficiunt. Vnde Hippocrates & in Tertio de Diæta (pag.2. & in libro de Salubri diæta (pag.2.) iubet, vt repleantur ante vomitum pluribus cibis, ac potibus, atque diuerſis, vt ſcilicet facilius euomant, & humor immiſtus ſecum trahatur. Docet autem vomitorium ibidem ex aqua, hyſſopo, ſale, & aceto: & hoc eſt iucundius, ſed Galeni inuentum (7. Artis cur. cap.11. & p. de Alim. cap.12. in fine) probo, qui iubet ſumere ptiſanam, ſed hoc in ægris: Hippocrates in ſanis. Sed oleum maximè probat primo ad Glauconem (cap. 14:) cum humores corrupti ſyncopem excitarint, etiam ſi bilioſi ſint, illud non veretur, ergo cibus, aut priſana, aut quid ſimile, dandus eſt. Cum tria ſint, vomitus humoris, nauſea, quæ ſemper mala eſt, & vomitus irritus, qui maximè lædit ventriculum, etiam ſi quis nil humoris noxij euomat, aſſumpto cibo, attamen conato irrito ſaltem, non læditur, velut ſi nil aſſumpſerit. Vomunt autem omnino, ac ſtatim aſſumpto cibo, quod noxa illa ſepulto per cibum humore vexat longè magis ventriculum, & irritat: vnde ſtatim euomere coguntur. Huiuſmodi exemplum habes ſecundo de Placitis Hippocratis, & Platonis, ex Hippocrate (c.7.) Mulier cordis dolore vexabatur, nihilque comedebat, tantum farinam ſucco mali pum ci ſub egit, eâque ſemel in cibum ſumere ſatis habu t & euomuit quædam, vt cærion.

PROGNOSTICON XXXIII.

Ex his verò, quibus dolor fieri cœperit prima die, quarta premuntur maximè, vt quinta: ad ſeptimã verò liberantur. Plurimi autem ipſorum tertia dolere incipiunt, quinta verò maximè vexantur: liberantur verò nona, aut vndecima. Si tamen quinta dolere cœperint, & reliqua ſecundum rationem priorem ipſis eueniant, decimaquarta morbus iudicabitur.

COMMENTARIVS.

Qvi noſtris principiis non immittitur à quàm difficillimè in omnibus ſe explicare poteſt, atque adeò, vt miſerear ſortis illius. Nam huius textus, qui compoſuit libros de Criticis diebus, ne vmbram quidem aſſequitur: multoque minùs, qui illum ſecuti ſunt. Ipſa verò dilucida rei explicatio ſine obſcuritate vlla, vel ambiguitate rem edocebit. Eſt autem eiuſmodi. Proponit tres ordines Hippocrates ortus ſymptomatis cuiuſuis, ſed doloris capitis, vt manifeſtioris, de quo tam multa

multa egit pro exemplo. Primus est per dies decretorios, quoties symptomata cum ipso morbo, idest prima die, inchoauerit, nã exacerbatur per dies decretorios, & indicatiuos: igitur in quarta, & in septima, sed quia dolor capitis morbo acuto, & ab initio, significat morbum per acutum: igitur terminabitur in septima, & quoniam est peracutus, est à bile flaua, non exusta, aut exusta: igitur exacerbabitur per dies impares. Cum ergo sit superauctus in quarta, etiam in quinta grauiter vexabitur, nam quantum decedit recessu diei iudicatorij, tantundẽ augetur per circuitum, hoc enim ostensum est in initio huius libri (com. primo.) scilicet, quòd morbi partim iudicantur per dies decretorios, partim per exacerbationes, quæ plerunque fiunt per dies impares. Nam iudicationes semper in exacerbationibus fiunt, sed & plerunque in exacerbationibus, exacerbationes autem, à quauis die incipiant, circuitum in posterum seruant tertianum: quia febris exurendo mutat humores in naturam bilis.

Quibus autem dolor accidit tertia, his manifestum est ob exacerbationem aduenisse dolorẽ, seriùs quoque terminum habiturum. Signa enim assidentia, quæ superueniunt, tum symptomata tanto longiorem declarant morbum futurum, quanto seriùs aduenerint. Cum ergo non sequantur naturam morbi, neque etiam augebuntur per dies iudicatorios, sed per circuitus tertianos: & ita terminabitur dolor hic quouis die, modò impari, & non repugnante natura, cam septima nequit, vt qui morbus peracutus nõ sit: esset enim velocioris motus priore, non tamen symptoma aduenerit seriùs, neque in die decimatertia, cum in quartadecima crisis expectetur: ideò natura non solet mouere duobus continuis diebus, relinquuntur igitur nonus, & vndecimus, non vt septimus, à tertio: nam dies iudicatorij non numerãtur, nisi à prima die morbi, sed circuitus numerãtur à primo die circuitus semper, nõ autẽ morbi. Isti ergo duo modi sũt simplices, quorum vnus sumitur ab ordine dierum criticorum, alter à numero dierum circuitus, imparis. Vexãtur autẽ quinta maximè ratione circuitus, qui est propinquior initio, quã septimus, volens, vt ex hoc intelligamus, in huiusmodi nullã habere potestatẽ ordinẽ dierum iudicatoriorũ. Succedit ordo tertius mistus ex circuitu, & ordine dierum iudicatoriorũ. Siquidem quinta die cœperit, hoc erit post primum ordinem dierum iudicatoriorum, & si omnia ritè peragantur, vt scilicet in nullo aberret æger, duplicabitur numerus dierum non per se, sed quoniam assidens symptomata declarat naturam morbi longiorem: plures & à symptomate etiam septem illi dies iam exiguntur, plures autem ob naturam morbi lentiorem, ergo finietur in die iudicatoria, quæ post septimam à quinta die prima succedit: ideoque in quartadecima.

Sed cùm omnia sint perspicua, dubium solum relinquitur id, quod nõ per circuitus numerus hic transfigitur. Dico, quòd accedenti bus ad diem quartam decimam constantitor redditur ratio dierum criticorum, quæ secundum Hippocratem durat ad contesimam vigesimam: ratio autem circuituum debilitatur ob quartamdecimam, quæ est dies par. Quæ autẽ diximus de capitis dolore, feliciter prædicere licet, non autem tam securè in cæteris, vt in conuulsione, tremore, delirio, vomitu, dolore præcordij, aut aliarum partium.

PROGNOSTICON XXXIV.

Fiunt autem hæc mulieribus quidẽ, & viris, in tertianis maximè: iunioribus autem fiunt quidem & in ipsis, magis verò in febribus & in legitimis tertianis.

COMMENTARIVS.

INcipit prudentis viri more hæc ad sexus & ad morbus non-acutos comparando extendere, accingens se fini: vt paulò pòst ad ætates, ibi (pueris verò conuulsiones) & ad annorum constitutiones, ibi (decet autem morborum) & ad regiones, cùm dixit) quandoquidem & in Libya (Pauca autem continentur in hoc textu, quæ declarationem indigeant: nam sensus est clarus. In viris, & mulieribus, id est, ætate adultis, etiam in tertianis aduenit dolor capitis, quoniam flaua bilis adeò eã ætate abundat, vt ex quouis morbo in dolorem capitis deueniant: idque est manifestissimum, sed dicit, in iunioribus, id est pueris, atque adolescentibus, vt meritò etiam senes intelligas, non contingunt huiusmodi dolores semper, & adeò certè: contingunt tamen & magis etiam in continuis febribus, & in legitimis tertianis, scilicet ætate non suppeditante bilem, neque indicante eiusmodi symptoma. Occurrunt ergo duæ dubitationes. Prima, quænam sint legitimæ tertianæ, vocat puras: de quibus Galenus ait in secundo de Crisi (capite tertio) quòd incipit cum rigore vehementi, carnem pungente, vrina subruffa, aut subflaua, pulsus ab initio non multũ rari, multò minus tardi, sed solùm parui, & debiles: cùm verò ad statum peruenit, celerrimi, magni, crebri, atque validi, omnia enim sunt caloris inditia, vomitus in principio, & sudor in fine, quanquam Galenus, nescio qua ratione, ambo hæc ad finem referat, porrò ætas, temperaturæ, anni tempus, constitutio, ratio victus, accessio, quæ non excedit duodecim horas: cùm hæc quinque in vnum coierint, seu potiùs sex, erit exquisita, & simplex tertiana, quæ à pura bile oritur, huiusmodi ergo ob caliditatem humoris, ac leuitatem dolores capitis, quales Hippocrates antea proposuit, generare potest, ac solet. Secunda dubitatio est, an maior sit dolor capitis in tertianis, an ardentibus febribus, quæ à bile oriuntur, & continuæ sunt? Hîc videtur velle, quòd simplicium tertianarum, & continuarum maior sit dolor, quàm reliquarum: & de hoc dubium non est. Sed an simplicium tertianarum, an continuarum maior sit dolor capitis, de hoc dubitare licet: constat tamen in febre continua dolorem capitis fieri, vaporibus ascendentibus per venas, & arterias iugulares, sed tamen magis per arterias, tum etiam à calidi-

tate

tate ſanguinis, membranas cerebri lædentibus, pūgentibus, atque exurentibus illas. Vnde diuturniorem hūc dolorem magis eſſe neceſſe eſt, ac magis proprium, & periculoſum ad deliria, conuulſiones, & inflammationes, quàm in tertianis. Sed de hoc non eſt dubium, quiſnam ſit acerbior, & maior? Verùm Princeps Prima Quarti (Tract. ſecūdo capite 35.) poſtquam docuit, quòd in omnibus febribus biliofis fit magnus dolor capitis, in enumerando pòſt ſymptomata Tertianæ puræ (capite trigeſimoſexto) non meminit eius, ſed enumerat ſolùm ſitim, vigilias, & iram ac huiuſmodi quæ ad animum pertinent. Sed & poſt hæc dicit (capite trigeſimoſeptimo) quòd dolor in notha grauis adeſſe ſolet. Rei tamen veritas eſt, quòd in tertiana ſimplici adeſt magnus dolor capitis, qui prouenit ex aſcenſu vaporum, ex muſculis per venas, & arterias, & ſi materia contineatur in ventriculo, tunc dolor eſt magnus, quoniam vapores feruntur ad membranas cerebri: ergo dolor adeò magnus quando eſt in hoc caſu, vt viderim aliquos, qui delirarent. Et ita maior eſt, quàm in continua, duabus ex cauſis, prima, quia quandoque cōfertim aſcēdit ex multa materia, quæ cōtinetur in vētriculo: ideò vomitus copioſus alleuiat, ſi ab initio acceſſionis fiat, mirum in modum capitis dolorem, ac minuit, ſecunda cauſa eſt, quòd in cōtinua magnitudo morbi minuit ſenſum doloris. Sed quod ad reliqua attinet, dolor capitis in continua eſt prolixior, & magis proprius, & longè deterior, quia fit à vapore putrido, & intermittente ſolùm calido. Fit etiam à putrido in pura tertiana cùm abundauerit, dum pertranſit cor, & per arteriam magnam aſcendentem peruenit ad cerebrum. Et ideò tribus modis fit hic dolor in tertiana: ſed ſolùm tertius eſt periculoſus.

PROGNOSTICON XXXV.

QVibus autem per huiuſmodi febrem capite dolentibus, pro tenebroſitate ante oculos apparente, hebetudo fiat, vel ſplendores præſententur: pro morſu vero oris ventriculi in hypochondrio, vel in dextra, vel in ſiniſtra parte contendatur quippiam ſine dolore, aut phlegmone: pro vomitu, ſanguinem è naribus erupturum ſperandum eſt, inde autem in iuuenibus magis ſanguinis eruptionem expectare oportet: in iis verò, qui triginta annorum ſunt, & ſenioribus minùs, ſed in his vomitus ſperandi ſunt.

COMMENTARIVS.

CVm quatuor ſint præcipua, quæ docet Hippocrates, ſpecies, euentus, magnitudo, tempus: illud maximùm eſt, quod ad comparationem pertinet, ac difficillimum, diiudicare quid præualeat inter ſigna ſeu ſymptomata oppoſita, ſeu omnia præter naturam ſint, vt hebetudo, & tenebræ ante oculos, nam tenebra vomitum, hebetudo, & ſplendor fluxum ſanguinis narium portendit: ſeu res naturalis ei, quæ eſt præter naturam, contra indicet, velut tenebræ oculorum, iuuentus, aut ſplendoribus ætas ſenilis, aut puerilis, ob id Hippocrates circa difficillimam partem, & quæ etiā eſt finis, & iuxta quam formatur denique prædictio, diutius verſatur, & longiore ſermone, ac diligentiùs verſatur circa illam. Inquit ergo, ſi mutentur duo præter naturam, vt pro tenebra ſplendor oculis appareat, aut hebetudo viſus, pro morſu oris ventriculi tenſio præcordij ſine inflammatione, atque dolore ſanguis narium expectandus eſt pro vomitu bilis. Et ſimiliter cum dixit, ſi fuerint iuuenes, idem magis: ſi autem vltra quinquageſimum annum, vomitus bilis, opponit rem naturalē, ſcilicet ætatem rebus, ac ſignis, ſeu ſymptomatibus ſumptis ab his, quæ præter naturam ſunt, vult tamen, quòd ea, quæ ſunt præter naturam, vbi exquiſita ſint, plus poſſint, quàm quæ ſecundum naturam: vt in illis verbis: Inde autem in iuuenibus magis, cùm dixit (magis) coniecturam, non certum euentum docet. Ergo præſupponit hæc omnia, quæ dicta ſunt in anteriore textu, ſcilicet febrem, & minimè lethalem, & capitis dolorem: commutat, quod ad oculos attinet, tenebricoſū cum fulgido, vt in quarto Contradicentium (82.) videre licet, & ventriculi morſum, cum præcordiorum tenſione: reliqua duo ſigna rigoris & frigoris omittit. Addit Vega, & rectè (qui, ſi ſic nos cūcta expoſuiſſet, quod vtinā feciſſet, ab hoc labore graui in tāta multitudine corrigendarum noſtrarū lucubrationū, quæ plures iam ſunt, quàm vt queant ab vno homine in tota vita legi, liberaſſet) dolorem capitis loco, & natura diſtingui: nam grauis fluxum ſanguinis, & validus, ac circa tempora, & frontem, vt qui circa caput, & mordax vomitum potius, vt in tertio de Criſi (cap. 11.) cæterum & circa tenſionem hypochondriorum dubitatur, quia Galenus primo Epidemiorum (par 2. com. 55.) legit non, cum dolore, neque inflammatione. Capite legebat, ſine propoſitione, non, cum dolore, & inflammatione, & nos ei ſcribimus, quod hic manifeſtè dicitur: tamen & ſi non negem, cum dolore & inflammatione id contingere poſſe, ſed non eſt certum ſignum tunc fluxuri ſanguinis, ſed minùs inflammatio, quàm dolor, leuis enim dolor ſanguinis profluuij cauſa eſſe poteſt, atque phlegmon in viſceribus, & tunc modicus ſāguis ſtillat, neque purus morbuſque lethalis eſt. Quod verò dicit (iuniores) vt ſuprà, & in primo libro (Tex. 12.) oſtendit fieri comparationem ad annum vſque trigeſimum: ſed cum ſubiungat hic, non eſt, vt id quæramus aliunde. Ibidem tamen (Tex. 29.) Galenus intēperamenti, quod ex ætate prouenit, & melius ſanguinis ipſius bilioſi maximè, abundantiam referri debet. Quocirca etiam inter fluxuri ſāguinis ſigna Hippocrates primo Epidemiorū (vbi ſuprà) colli dolorem, & temporum grauitatem adnumerauit, velut & lacrymas;

mas: vnde ibidem (par. 2. Tex. 80.) Quibus in febribus, atque adeò ardentibus ſpontaneæ erumpunt lachrymæ, ſiquidem reliqua non ſunt exitialia, his eſt (ſanguinis) è naribus profluuium expectandum. Adduntur & alia tertio de Criſi (vbi ſuprà) velut oculorum narium, & maxillarum rubor, qui ſanguinis in illis partibus abundantiam ſignificat, & venarum plenitudinem. Sed vt ad lachrymas reuertar, prima particula ſexti Epidemiorum (Tex. 16.) inquit: Lachrymæ in acutis morbis malè habentibus ſi vltrò promanauerint, bonum: ſin autem inuitis, malum. Idem in octaua (Tex. 12.) An multæ, an paucæ, craſſæ vel tenues, calidæ, vel frigidæ. Ergo calidæ, & nolentibus, & paucæ, & craſſæ, ſi morbi lethalis ſigna non adſint, ſanguinis fluxum ſignificat. In vniuerſum ergo, cùm bilis magis abundet poſt trigeſimum annum vt antea, ſanguis à trigeſimo anno, vomitus antea, ſāguinis è naribus fluxus eſt expectandus. Præſertim, ſi pulſus fuerit in contractione primùm velox: inde remiſſa velocitate, atque in æqualitate, paulo celerior in contractione, & altus, & quantò altior, & plenus, & in temporibus maximè, ſed hæc duo non adiicit Galenus quarto de Præſagio ex pulſibus (cap. 12)

PROGNOSTICON XXXVI.

PVeris verò conuulſiones fiunt ſi febris acuta fuerit, & venter non excernat & vigilent ac perterreantur, & lugeant, & colorem mutent, & chlorus vel liuidus vel rubicundus emergat. Fiunt autem hæc promptiſſimè quidem pueris quam primum editis vſque ad ſeptimum annum. Adultiores tamen pueri & viri non amplius per febres conuelluntur, niſi aliquod ſignum acceſſerit vehementiſſimum ac peſſimum: qualia in phreniticis fiunt.

COMMENTARIVS.

POſtquam egit de communi & mediocri ſymptomate & omnino nō lethali, quatenus ſymptoma licet, non quatenus ſignum, hic agit de ſymptomate per ſe lethali, & vt cauſa eſt, & vt ſignū, idque eſt cōuulſio, & ipſum pendet ex cerebro vt etiam capitis dolor. Et differentiam diſtentionis à conuulſione in Aphoriſmis (6. par. 37.) didiciſti: proponit ergo ſex conditiones in pueris quod febris ſit acuta: vehemens enim motus materiæ, maximéque leuis & acris vrget naturam exiccando, calefaciendo, & fluxionem in neruos faciendo, & maximè tenera ætate ſcilicet ab ortu ad annum vſque ſeptimum. Et cauſa generalis eſt clara humidum cerebri abundans, & mala victus ratio, & tenera ſubſtantia neruorum, quæ non ſolum admittit excrementum & humorem malum, ſed eſt cauſa vt neruus magis diſtendatur, magiſque lædatur. Dicebat Galenus ſecundo in primum Epidemiorū (com. 24.) Pueri habent imbecilles neruos, & Tertia Aphoriſmorum (com. 26.) Pueris cerebrum eſt humidum & refertum excrementis, quid amplius dicam? cerebrum eorum eſt totum imbecille, & ipſi voraces. Differt autem hoc ſymptoma à capitis dolore, quia hoc eſt quod prædicitur, & eſt per eſſentiam, capitis autem dolor tanquam ſignum alterius, vt potè vomitus & ſanguinis narium, & etiam per conſenſum, aut vt morbus ſecundarius, hæc vulgata, ſicut & illud cur deſinat in iuuenta, & comitialis etiam mutatione ætatis ſanet (6. Epid. part. p. com. 5. in prin) Id enim ſatis eſt perſpicuum, quoniam ea ætas frigidior eſt & humidior: ſuccedens calidior inquit & ſiccior: cumque ſiccitatem præcipuè prodere deberet, caliditatem pronunciauit contra ſua principia. Sed illud ſingulare cur ad ſeptimum annum dafiniat hunc terminum: quod etiam experientia docet. Propterea altior cauſa eſt expetenda quam Galenus diſſimulauit modò propriæ cauſæ loco communem ſubiiciens, modò omnino vt hic prætermittens. Cauſa igitur eſt, quoniam cū primum abſoluuntur dentes, vt in libro de Carnibus (In fine) & mutantur: vnde non ſolum eſt ſignum abſolutæ ſiccitatis, ſed etiam cauſa, cum in eo nixu cerebrum expurgetur & excrementis propulſatis validius redditur ac ſyncerius. Vnde etiam tum primùm ad ſapientiam proficiunt atque accedunt, non ergo cauſa communis eſt, ſed propria: ſicut generatio ſeminis, & in puellis vteri geſtatio. Quod igitur hoc naturale ſit & ſemper fiat ſcilicet ſapientia & ſecuritas à conuulſione, à generatione dentium, dubio procul eſt: at quod dentes tunc oriantur noui priores decidant, maxillares abſoluantur, hoc mutationem recipit ex pluribus cauſis. Hippocrates autem cum annum definiuit non vt immobilem, ſed in quem plerumque iſthæc inciderent, cum maximè quod huiuſmodi ſermo amplificatur bifariam & communi ratione, cum dixit, quòd ab ortuſque ad id tēpus hæc accidūt: ſcilicet magis prope ortum quam anni ſeptimi finem, vt intelligamus mediis temporibus hæc medio modo contingere propriè autem quoniam ſic prolatum verbum ἐτιμολάτω & de ſexto anno & de ſeptimo plenè intelligi poteſt.

Et venter non excernat) retentio fæcum eſt cauſa plurimorum morborum, omnium autem incrementi, ſicut etiam vrinæ, quod ſi iam ſymptomate orto omnia ſupprimantur, maximè in iam adultis, mortis maximum ſignum, adeò ſit fermè nullus euadet. Propterea ſcitè adiectum eſt in Anginoſa quæ apud Bitonem agebat: Probabile deiectionibus ſuppreſſis, quintā mortuam: nam antea (3. Epid. langu. 7. p. ord.) dixerat: Deiectiones & vrinæ ſubſtiterunt. Et cùm mulierem quandam inuiſerem die XII. morbi in fine, & auxilio præſtito XIII. minxiſſet & deieciſſet plura per aluū, & cū eis ſāguinē, ac reſipuiſſet, ſperabam poſſe euadere, ſed nil tamen auſus ſum prædicere boni: verùm illa ſequenti obiit. Retentio enim excrementorum, quo tempore maximè opus eſſet euacuatio, peſſimum eſt ſignum, & cauſa etiam mala valde omnibus ad cerebrum redundantibus. Conſule ergo reſpirationem præcipuè, & pedes, ſi frigidi ſunt:

ſunt:certam enim mortem hæc,breuique denunciant.Nam de delirio dum ſymptoma vrget nil mirum eſt,in hoc enim conuulſi à diſtentione laborantibus differunt, quòd conuulſi,aut muti ſunt, aut delirant:diſtenti autẽ & ex vulnere etiam penè vſque ad mortem ſapiunt,ratione eâ,quam in Aphoriſmi explicatione docui.

Et vigilent, perterreantur, ac lugeant.) Quæ ille coniunctim protulit,exponunt quidam ſingillatim,quaſi vnum ex his ſufficiat. Galenus tertia Aphoriſmorum(com.14.) docet,experimento ſe deprehendiſſe,humores in ventriculo,maximè iuxta illius os contentos excitare vigilias,& terrores(& eâdem ratione luctum)neque eſt,quòd de hoc dubitemus,vaporibus enim tetris,& perturbatis, tũ ad oculos,tum ad cerebri ventriculos delatis excitantur hæc omnia, & mens perturbatur. Sed in pueris hoc latet, quandoquidem qui parui ſunt,nec ſani,multum ſapiant.

Sed duo circa hoc dubia relinquuntur:primùm an ſi hæc accidant,vtpote vigiliæ,pauores? an confeſtim de humore in ventriculo pronunciare debeamus?Secundum,an ſi non, à qua materia, & quomodo id contingere poſſit?Perabſurdum eſt autem credere,ſi hæc accidant,ſemper materiam eſſe in ventriculo contentam, in cerebro nunquam. An quia hoc ibi Hippocrates de his maximè loquatur, qui nil aliud mali perpetiuntur: in præſenti autem loco cùm narret ſigna conuulſionis, & in acuta febre,veriſimilius eſt materiam in cerebro contineri,quæ affectionem generet ſtabilem,non ſine maximo, & euidenti diſcrimine: nonnunquam etiam in ventriculo, & tunc minore cum periculo. Vnde multi euadunt, cùm ſic ſe habuerit cauſa morbi: plures pereunt,cùm fuerit in cerebro,& exuſta,& biliosa,vt puerorum naturæ contraria, ê ventriculo autem,ſi non infarcta fuerit,facilè abſumitur vomitu, idque optimum, inedia longiſſimum, deiectione alui medium.

Et colorem mutent.)Ponit tria genera eorum chlorum,ſeu,vt dixi,medium inter viridem,& pallidum,ac flauum,qualis eſt arundinis viridis,& liuidum,ac rubrum: ſed melius licebit hæc ex ipſa rerum natura condiſcere. Qui enim miſera verbula ſectantur ſemper, in tenebris,& ancipites,ac in ignorantia verſantur,ἐρυθὸν rubrum, rubicundum, rubidum, quæ peſtis hæc eſt inſanientium? decet eos, qui nunquam talia viderunt,digladiari velut de ἐντελέχεια Ariſtotelis,quam nemo ſenſibus percepit, ſed de his, quæ nota ſunt, medicos,aut ratione demonſtrari poſſunt mathematicos:turpiſſimum eſt diſceptare in voculis res ipſæ ſeipſas produnt. Ergo res ipſa ſic ſe habet. Cùm cerebrum incaluerit, aut obſtructione inflammatur,aut ab inferioribus partibus ſanguis bilioſus aſcenderit, puerulus ad conuulſionem præparatur: tum ergo rubent genæ,& facies tota,& quibuſdam, qui ſanguinei naturâ ſunt, vndique color ille apparet:aliis permiſtus ex albo:quibuſdam ex pallido,prout naturalis pueri color fuerit, dum ſanus eſſet,aut illius temperamentum. Cùm verò diutiùs rubor ille permanſerit,quibuſdã, qui frigidiores ſunt,vertitur in liuidum: idque deterius ſignum eſt, extincto calore innato;bilioſioribus autem chlorus,ac,vt dixi, arundinem glaucam vocant: vt etiam Virgilius,

Populus:& glaucâ canentia fronde ſalicta.

Seruius tamen de ſalice, quæ glauca eſt, cùm pars vna viridis ſit domeſtica, ſylueſtris, ſeu à tergo alba, & in duodecimo Æneid.

Tantum effata caput glauco contexit amictu.

Hic, Seruius dicit, propter vndarum ſimilitudinem: hic verò color alius eſt à glauco ſuperiore, ſed in decimo inquit:

Quos patre Benaco, velatus arundine Glauca
— Mintius,&c.

Aliqui tamen Cæſium interpretantur.Sed vt dixi,licet cum tanti viri authoritate docere.Ruber hoc ipſo deterior eſſe poteſt,non naturâ,ſed magnitudine.

Adultiores tamen pueri.)quantò minùs viri,ſi pueri adultiores non ab ea corripiuntur. Vnde iuxta Aphoriſmum(2.par.34.)Quanto etiam periculoſiores erunt pueri adulti iam, & viri?adeò, vt ex infantibus plurimi euadant, vix vllus iuuenis. Quanquam enim febrem conſequatur conuulſio,infantes tamen non occîdit.Conuulſio enim febri ſuccedens, iam progreſſa febre,& in adultis ex ſiccitate aduenit, & occîdit:in infantibus autem, & poſt febris initium ex colliquatione humorũ fit,& non eſt adeò lethalis, vt plures ex eis non euadant.Vndẽ dictũ puto rectè in Aphoriſmo(2.Aphoriſ.26.)Febrem conuulſioni ſuperuenire,melius eſt,quàm conuulſionem febri, non enim ſi ab initio cœperit, vel non multò poſt, aut etiam in infantibus omnino lethalis eſt.Et de hac intellexit Hippocrates, cum dixit in libro de Decretorio(vlt.verbis.) A conuulſione,ſeu diſtentione neruorum vexato febris accedens ſoluit morbum:ſi à febre detenſum conuulſio corripuit,ſedatur febris eadem die,aut poſtridie, aut perêdie.Hos ergo caſus maximè in pueris:& puellis tenerioribus cauit Hippocrates. Quæ ergo ſint ſigna phreniticorum?Vt intelligas,ſcire neceſſe eſt conuulſionem quandoque in initio morbi accidere,& hæc,non, niſi pueris ſolet accidere:quandoque in fine morborum lethalium nec de illa loquitur Hippocrates cum ſit ſymptoma fermè neceſſariò antecedens mortem:quia ſeu ſtranguletur æger,ſeu reſoluâtur vires ob violentiam in ſtrangulatis, ob ſiccitatem in deficientibus,& generaliter cum eò peruentum eſt(quæcunque cauſa ſit)quòd pectus dilatari non poſſit, neceſſe eſt neruos conuelli cerebro nixante,ſuccurrere cordi:ergo de conuulſione illa ſermo habetur hic,quæ in medio morbi tempore accidit,quo adhuc perſtant vires,& hæc,cum cerebrum & nerui iam validas habeant vires,non niſi valde malè affecto cerebro,accidere poteſt. At cerebro valde malè affecto,neceſſe eſt eos ægros delirare:igitur non de phreniticis loquitur pro abſceſſu ſolum in membranis, aut cerebro patientibus, ſed quibuſcunqne delirantibus ſermonem habet Hippocrates. Cum autem dicat(Tex.ibid.1.)Qualia in phreniticis fiũt) de ſuperuenientibus iam poſt delirium non ipſum portendentibus delirium intelligit. Ea igitur præcipuè enarrata ſunt ſuprà (Tex.

(Tex.2.eiusdem) Nudos habere pedes, nec admodum calidos, manus, collum, & crura dispergere inæqualiter stridere dentibus, manus ad os apponere, vel festucas colligere. Et vt in Aphorismo particulæ (23.) vbi in febre non intermittente delirium, & difficultas spirandi acciderit, & in eadem (50.) quibus vrinæ albæ, & perspicuæ, malæ præsertim si in phreniticis appareant. Et in sexta particula Desipientiæ (71.) quæ cũ studio fiũt, periculosiores. De his propriè intelligit Hippocrates hic quæcunque nec iam inchoatã cõuulsionem docet, nã eiusmodi absque eo quod Hippoc. dixerit (51.) per se sunt manifesta: vt distortio oculorum, & colli peruersio, & si alba oculorum in dormientibus appareant, aut si labrum, aut palpebra distorqueatur. Sed neque de his signis, (4. Aphor. 49.) quæ propriè conuulsionem futuram generaliter significant, seu delirantibus, seu non delirantibus superueniant, qualia sunt spiritus offendens in febre, & illud (4. Aphor. 35.) si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur. Omnia hæc signa conueniunt, & conuulsionem superuenturam significant. Sed tamen hæc duo genera manifesta, sunt, & delirium præsupponunt: sed & si aduenient eiusmodi, qualia primò diximus, quæ delirantibus accidere solent, qualiacunque signa mala sint, talia etiam conuulsionem significant, adeò vt per hanc sententiam maximè docere voluerit, & quòd conuulsio solet succedere delirio: & quod si conuulsio adueniat, necesse est, & si non omnino, delirium præcessisse. Satis ergo constat, signa conuulsionis tria esse, vnũ, quod est è genere eius, sed inchoatæ: sicut distortio quæuis, aliud, quod est generale, vt proprium conuulsioni, quod semper adueniẽs conuulsionem portendit: velut spiritus offendens in febre, tertium, quòd delirantibus adueniens, solùm ostendit conuulsionem futuram, secùs non: vt vrina alba, & perspicua. Nec obstat circa primũ signũ, quòd aliud sit cõuulsio aliud distentio, & præter stridorẽ dẽtiũ reliqua omnia signa, velut distortio labij, cõtortio colli, alba oculorũ in sõno detecta, concauitas oculorum, aut peruersio aut nasus distortus, sint signa distensionis inchoatæ, non conuulsionis, quia distentio est minor morbus conuulsione, & solet præcedere illam non tamen adeò differt, qui in tribus in causis conueniant: imò ex conuulsione materia ad neruos protrusa fiat distentio. Secundò, quia in vtraque patiuntur cerebrum, & nerui, ideò confuderunt, vt aliàs dixi, vtramque: cum tamen distentio per se fit in neruis, & per consensum in cerebro, conuulsio per se in cerebro, per consensum in neruis. Tertio, quia ex vna alia generatur, maximè ex distentione, vt in dictis exemplis inchoata conuulsio diuulso cerebron

Galeu s dicit in Commento, nonnunquã conuulsionem fieri ex frigore absque febre: hæc est ex suis. Distentio fit nonnunquam in magnis frangoribus nunquam tamen conuulsio, nisi ad distentionem sequatur. Dixi aliàs Galeum confundisse vnum cum alio. In rigentibus ergo, & his, qui frigore pereunt, manifestè talia accidunt: sed non, vt dixi, conuulsio. Quærit Vega, cur conuulsio fiat ex humida materia minore cum periculo in neruo, quàm quæ sicca est, cum neruus tamen natura siccus sit? & respondet, quod Aphorismus ille (2. par. 34.) In morbis minus periclitantur: intelligi debet de duabus ætatibus, aut natura duplici, comparata eidem morbo, non duobus morbis eidem naturæ, vt potè in tertiana periculosior erit in pituitoso, quàm in bilioso: non tamen biliosus erit securior à morbo bilioso, quàm pituitoso. Quæsitum est ingeniosum, & responsio solers, & acuta: sed tamen non studuisse geometricis demonstrationibus apertum est, si enim biliosus potest esse tutior in morbo pituitoso, quàm bilioso ex concessis (nam idem tenet de ætatibus, & membris: de quibus est disceptatio) & per Aphorismi sententiam suo modo declaratam, periculosior est pituitosus in bilioso morbo, quam biliosus erit multo periculosior pituitosus in bilioso morbo, quàm biliosus in pituitoso, hoc autem est absurdum, cum sit par oppositio. Ideo dico, quod responsio illa non est ex rei natura deducta: nã Hippocrates intelligit ibi de morbis, quæ sunt eiusdem generis, at distentio ex pituita est morbus materiarius, & ex siccitate, ex sola qualitate sine materia. Et hæc est rei veritas. & adeò manifesta, vt nemo non videat, quantum ille ab opinione Hippocratis absit, & quod magis refert, à veritate. Neque hæc contradicendi studio, absit, imò nollem illum talia scripsisse: sed ne quis sua authoritate decipiatur. Maior difficultas est de humida intemperie absque materia, quæ minorem morbum facit in neruo, quàm sicca absque materia: & tamen sunt eiusdem generis. Et eadem dubitatio esset de puero, & sene hecticis: quæ non soluitur ex sua distentione. Sed quia esset longa disquisitio, nec omnia omnibus in locis conueniunt, nũc eam omittamus, id solum admonentes, nec in priore casu illius distinctionem dissoluere posse difficultatem, cum Hippocrates nil minus cogitarit, quàm vt talibus argutiis inuolueret medicinam. Nos enim etsi profundam illius doctrinam esse docuerimus, attamen semper id, vt videntibus statim patefiat. Nam & simili errore existimantes nos sequi, quidam Galenum reprehendunt sophistam agentes, cum ego non argutiis, sed experimentis, re ipsa, & demonstrationibus geometricis illum coarguam, & longè rariùs, quàm multi putent: sed augent numerum, vt causam habeant calumniandi me. Quũm alia sit ratio nostra: ego enim in Mathematicis exercitatus, in artis operibus assiduus, longa ætate, & sanitate adiutus, flagrans studio veritatis aliis inuentis principiis, nõ ex abrupto, vt dici solet, sed sensim ipsa rerũ serie coactus, Genio monstrante viam hæc aggressus sum, non vt euerterem Galenum, sed vt illius sanam doctrinam illustrarẽ, ac confirmarem. Desinant ergo alij de me malè suspicari, vel velle contradicere, aut frustra nos imitari, quos ego magis odi, quã eos, qui Galenum iniustè tuentur, nam hi forsan authoritate illius mouentur, aut saltem pium esse putant, tueri hominem de humano genere benemeritum, tot iam seculis vita functũ, at in his par error in rebus, atque dogmatibus, horum quæ ad excusationem faciunt omnino

nino nihil. Quem enim latet causa, cur id agant, scilicet vt eo nomine ambitioni, & auaritiæ immensæ satis faciunt? Vt experimentum sumant de se ipsis (non nunc quenquam accuso, sed ad omnes, vt eos doceam, quomodo se ipsos agnoscere debeant, sermonem dirigo) hæc tria secū cogitent, quamdiu & in quot ægris exercui medicinam? quam benè teneo mathematicas disciplinas? quam contempsi pecuniam, & istam breuem præsentis vitæ, ac popularem ambitionem. Si hæc omnia absoluerit, iam nobiscum sentiet, aut in paucis dissidebit: intelligetque me non damnare quemque æmulatione, sed solius veritatis, & proficiendi mortalibus studio, atque amore. Esse autem necessaria tria illa: de duobus primis accepimus à Galeno primum secundo in sextum de Morbis vulgaribus (c. 36.) & aduersus Iulianum (cap. 8.) & multis aliis in locis, tum de Hippocrate idem testatus est Tertio in sextum de Morbis vulgaribus (cō. 9.) Hippocrates ex longa exercitatione ad scribendum singula se contulit: quinimo grauiter illos reprehendit, qui non ex artibus, operibus, sed rationibus inuentis ad scribendum se conferunt, ut secundum docuit in lib. de Constitutione Artis medicæ (ca. 7.) cum dixit neminem posse rectè diiudicare, quæ vera: quæue falsa sint, nisi qui mathematicus exercitatus fuerit. Sed de tertio, quod admirabilius videtur, constat Galenum diu peregrinatum, vt fermè viginti annos in illa absumpserit, Hippocratem regum repudiasse amplissima dona: non tamen hoc adeò certum est, vt de nobis, neque tanta, neque toties Galenus contempsit vt nos, atque inter reliqua, cum P. Donatus Narniensis episcopus, quem honoris causa nomino, offerret conditionem octingentorum aureorum coronatorum, quam sparabat à vestro senatu obtenturum gratificaturus, etiam vobis postulantibus conductionem octo annorum, ego trium tantum reciperem, & aureos septingentos mirabatur, atque eo magis, quòd sæpius constanter id renuerem. Vnde ille in eam opinionem venit, quod ego ex breui tempore plura sperarem cum nihil minus cogitarē. Neque enim etsi cupidus fuissem lucri, is eram, qui de me multa pollicerer, & temporum conditionem ignorarem. Ergo qui fieri potest, vt in animā anhelantem opes, honores cogitantem, quomodo debeat salutare, eludere calumniatores, respondere scōmatibus, versari in aula, vt legenda scribat, quibus non sufficit, qui totum se his dederit? Vnus Vesalius nostra ætate nixus hanc legem euitare aut superare, sed neque in vno, neque in altero felix fuit: sed post anxiam luctam apud regem, pauper, vt audio, discessit, & vbi quieti, & studiis se tradere voluit parum senex, in ipsa nauigatione obiit. Sed ad rem.

Pueri sunt magis matura proni adconuulsionem, & viri ad distentionem, vtrique autem ad comitialem: sed non tamen infātes. Hoc de pueris testatus est Tertia Aphorismorum (25) In progressu verò, cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maximè, cum canīnos edunt dentes: & his, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent. Atque hæc videtur, vt statim nati sunt, minus credere obnoxios conuulsioni, quàm cum dētes emittunt: sed hoc non ætatis, verùm ortus dentium causa contingit, cum quo dolores sunt, vigiliæ, febres, & huiusmodi. Propterea in libro de Dentitione scriptum est in hanc sententiā Quibus in dētitione aluus magis fluit, minùs conuelluntur, quàm quibus parùm. Etsi tum febris acuta inuadat, etiam minùs rursus conuelluntur. Et qui dentientes habitiores manent, & altiore somno detinentur, hi conuulsioni magis sunt obnoxij. Neque tamen, qui ex dentitione conuelluntur, omnes pereunt, sed multi etiam euadunt. Galenus existimat, præcipuè conuelli pueros tum, quòd, vt dixi, adsint præter febrem dolores, vigiliæ, inflammationes. Aristoteles autem in eadem sententia fermè octauo de Historia animalium: (cap. 12.) Solent pueri plurimi conuulsione excipi, & præcipuè corpulentiores, & lacte vescentes copiosiore, crassioreque & nutricem lactentes succi plenam, & corpulentam Nocet etiam ad hoc morbi genus vinum magisque nigrum, quàm album, & quod minus dilutum est: atque etiam ex cibis, qui inflent, plurimi obsunt: & si aluus substiterit, nocuum est. Plurimi ante septimam diem intereunt, vnde fit vt nomina septima die imponantur tanquam saluti pueri iam magis credamus. Plenilunio etiam infestantur hoc malo periculosiùs: etsi à scapulis conuulsio oriatur, in angusto spes est, quæ omnia docent periculū, quod imminet pueris incidendi in morbum comitialem ob lactis crassitudinem, & visciusum, maximè crassi, quantaque solicitudine nutrices sint eligendæ. Hoc verò dico, non conuelli pueros à vini potu ob caliditatem, cum neque à pipere, neque aliis aromatibus id eueniat: neque quòd sit humidum, nam vel non est, vel lac longè humidius est, à quo tamen non conuelluntur, causa ergo est aqua ardens, quæ in illo continetur, quæ cum latuerit Aristotelem, & Galenum, meritò in Aristotele admirationis causam præbuit, in Galeno multa perperam commentandi. Est autem eò abundantior, quò vinum crassius est.

PROGNOSTICON XXXVII.

MOrituros autem ac liberandos ex pueris, atque aliis coniicere per omnia signa, quemadmodum in singulis singula scripta sunt.

COMMENTARIVS.

IAm pudet, cum pollicitus sim, non contradicturum Galeno, toties id non præstare, cum cogar tamen illius manifestis accusationibus in Hippocratem, tum quorundam importunitate, qui eos accusant, qui iam diu mortui nil præstiterunt, nisi vtilitatem humano generi. Vulnerat Galenus Hippocratem, dicens, hoc velle, quòd iam scripsit, scilicet in secundo libro (Tex. 56.) vbi sic inquit: Sunt

Sunt autem bona hæc, facilè ferre morbus. Et post in hoc, cum dixit (Tex. 37.) Oportet autem eum, qui rectè præcognoscere debet. Inde illato vulnere, apponit emplastrum, dicens, ob egregiam vtilitatem hoc repetisse sæpius Hippocratem, quasi non melius fuisset sine tam multiplici repetitione, & tanquam obliuiosum scribere in hanc formam per omnia signa, quæ scripta sunt diligentissimè percurrendo, ac singulorum vim perpendendo. At mihi primum hanc sententiam vllibi scripsisse videtur: & multo minus eo in loco (sunt autem bona hæc:) nam ibi signa quidem bona, & mala refert, quod vbique facit, at quòd docuerit iam perpendenda signa à medico, certum est, non ibi factitasse: si modò fecit, fuit in initio libri in illis verbis: (Tex. 4.) Etenim superesse, qui possunt eos, vel magis rectè poterit seruare ex multo ante tempore singula præmeditatus. Et parũ antè oportet quidem cognoscere talium passionum naturas, quantum superant corporum facultatem. Sed neque hic, neque post, quicquam dixit, quale per præsentem textum significatur. Sed Vega minimè distinguit inter primum cognitum, seu intentum, ac secundum, aliud enim est, dicere hominem, aliud speciem, quamuis hominem esse speciem, haud dubiũ sit: aliud est significare singula, per quæ de ægro possumus finem, & illius exitum præcognoscere: aliud docere, hoc esse faciendum: hoc breue est, & nil aliud docetur: illud prolixum, & continet plurima, quæ docere oportet. Noster Vega hæc, vt video, non distinguit: sed deplorat conditionem temporum, quòd legamus Principis libros, quasi Montanus illum etiam in præfatione etiam librorum Galeni quasi non præferat eum Galeno Curtius Galenicorum primus, cum vidisset, quam infelix esset Galeni in exercendo doctrina, vt non solũ nominis, sed penè vitæ ob id iacturam fecerit, serò monitus, adeò incaluit amore Principis, vt annos penè septuaginta natus, tentarit illius causa discere Arabicas literas. Obiicit quam multa Principi, sed nihil probat, nisi quòd Arabs sit, & barbarus lingua: hoc quod crimen est, ipse Hispanus, ego Italus, quæ amentia est, obiicere patriam cuipiã, aut linguam? At nos in Principe laudamus felicissimum ordinem ad exercendam artem, perfectionem tractationis, vt nihil reliquerit necessarium delectum meliorum, breuitatem, summam, & medicamentorum multorũ meliorum postea inuentorum quæ Galeni tempore ignota erant: tum principia, & rationem magis naturali Philosophiæ ab Aristotele traditæ magis conformia, & firmiora: iudiciumque præstantius in singulis: deinde collecta in vnum omnia opportuna additæ præparatione, & experimenta singularia, & minima quædam: quæ vt per se non constituunt artem, sine illis tamen ars perfecta esse non potest. Indicio hoc optimum fuisse, quod præstitit Galeni conatus in opere ad Glauconem, sed infelicissimus breuitate, imperfectione, & confusione. Quis est, quise posse mederi cum Galeni doctrina gloriari possit, vbi dissectionem in vno loco, morbũ in alio, causas procul, signa adhuc longius, curam generalem alibi, propriam non habemus, alimenta rursus alibi, imo nec vno in loco collecta: simplicia medicamenta in vno volumine: sed neque vniuersa: non quæ purgant: nõ quæ à proprietate agunt, imò ambæ hæ partes periere: medicamenta etiam composita: tum venæ secandæ ratio adhuc auulsa à cæteris cucurbicularũ, & hirundinũ vsum alio requirere oportet. Omitto chirurgiam, quæ etiam ab aliis authoribus à medicamentis, ac cibis separata est: cuius tamen, quantum necessarium existimauit, vsũ Princeps propriis locis adiunxit. Vt omnino fieri non possit, vt quisquam cum doctrina, & ordine, ac prolixitate Galeni in quadraginta diebus, quid faciendum sit, scire possit: interea omnes, qui morbis acutis laborant, interibunt: qui diuturnis, eò redigentur, vt parum profuturus sit huiusmodi medicus. Quare melius fuisset huic viro, vt iter cœptum prosequutus esset, in quo non ingloriè se gessit, quàm in huiusmodi diuerticula ingredi, in quibus parum ipse, & alij quidam longè eo imperitiores, deciderũt. Indigemus medicis, ac operâ illorum, & si modò quid adiicere, aut necessarium est, aut decorum philosophis, non rhetoribus, quanquam & in hoc illud de multis dici possit: In quo pus gloriaris, in eo minùs vales. Duo sanè sunt, quæ desiderarem in Principe, vt potuisset opus suum castigare, & vt libri de Simplicibus medicamentis, atque de Dissectione incorrupti, ad illum peruenissent, nã quod Hippocratem non excoluerit, in causa fuit Galenus, qui illum posteris odiosum reddidit, tanquam obscurum, lacerum, ac nihil integri, aut vtilis continentem. Et sanè, si illa duo admittam, quæ ipse præsupponit, frustra erunt libri Hippocratis: scilicet, quòd omnia, quæ ad artem pertinerent, in sua commentaria transtulisset: & quòd reliqua omnia, vel non essent legitima, vel non pura, vel non absoluta, vel dubia, atque obscura. At libri Hippocratis necessarij sunt, nedum vtiles. Mentitur ergo Galenus de Hippocrate loquens, quòd etiam animaduersum est, & adnotatum ab Antonio Musa Brasauolo Ferrariensi nominis illius studiosissimo, qui etiam inuicem sententiarum illius in lucem edidit.

Ergo cũ in initio Hippocrates docuisset præcognitionẽ futurorũ in ægris, & ægro, & medico vtilẽ esse, & medicũ generaliter adhortatus esset, nõ vt metiũtur, vt singula inspiceret, vt prædicere disceret, pòst toto libri processu signa ipsa, per quæ præcognoscere posset edocuisset, hîc primùm adhortatur medicum, vt singula hæc, quæ plurima esse intelligebat, consideraret, atque in vnoquoq; ægro percurreret: demum paulo pòst admonet, vt etiã vim illorũ perpendat, vt in dubiis: facta comparatione, possit certò diiudicare euentũ rei. Quis non videt, hæc quatuor quam omnino diuersa sint inter se? Vt autem quot sint, quæ in vnoquoque ægro percurrere oporteat cognoscamus, hæc ipsa per genera colligemus, ac disponemus, non dubia scientia: quot etiam species sub singulis generibus contineantur, velut (gratia exempli) sub primo nares, oculi, tempora, aures, cutis frontis, & color faciei, quæ sunt sex; poterit ergo decubitus esse bonus, & facies mala: & ita genera

ra signorum erunt diuersa, poterit etiam nasus esse acutus, id est, vt dixi, nares strictæ, nec tamen oculi erunt caui: & ita species cum specie non conueniet, & rursus poterit oculus esse etiam peruersus, atque distortus, & decubitus bonus, & sic species cum genere pugnabit, vel species vnius generis cũ specie alterius, vt cutis frontis mollis, nec distenta, etiam oculus vnus altero maior: quæ solẽt frequẽter accidere, cũ ergo sint modi, & tot consideranda genera, illa primum, quæ ad hunc locum principaliter spectant, consideremus, atque subiiciamus.

1 Facies
2 Oculi
3 Dentes
4 Spiratio
5 Præcordia
6 Ilia
7 Venter
8 Aqua intercus
9 Genitalia
9 Manus
10 Pedes
11 Totum corpus
12 Decubitus
13 Somnus
14 Deiectio
15 Vrina
16 Sudor
17 Vomitus
18 Screatio
19 Grauedo & sternutatio
20 Vlcera
21 Pus
22 Inflammationes
23 Purulenti
24 Morborum mutationes
25 Morborum permutatio ad abscessus
26 Dolorum motus
27 A' Morborum specie
28 A' Morborum circuitu
29 A' Materiæ coctione
30 A' Diebus iudicatoriis
31 A' Morbis comparatis ætatibus, & temporibus
32 A' Morbis præter naturam comparatis naturalibus: vt in puerperis
33 A' Symptomatibus pluribus simul iunctis
34 A' Symptomatibus iunctis cum rebus naturalibus
35 A' Symptomatibus iuxta naturam partium
36 Comparatio signorum inter se
37 Extensio prædictionis generaliter ad alios morbos
38 Extensio ad singulos morbos
39 Extensio ad naturã temporum, seu prædictio ex constitutione
40 Extensio ad alias regiones.

Hæc quis non videt, quam difficilia artificiosa vtiliaque sint, vbi Galenus, & cæteri explanatores non habent, quid dicant? solùm hoc addere oportet, quid huic contemplationi desit, quod mox dicetur.

PROGNOSTICON XXXVIII.

HÆc autem dico morbis acutis, & quicunque fiunt ex ipsis.

COMMENTARIVS.

DEclaratum est suprà in tabula sub hoc titulo extensio prædictionis generaliter ad alios morbos acutos. Galenus hoc idem in commento: quoniam dicit, extenduntur hæc ad quartanas, & aquam intercutem, & suppurationem, idem extendi potest, & debet ad resolutionem, ad articularem morbum, ac scirrhum lienis, & alios huiusmodi, velut etiã vertiginem, & vlcera: non licet sint diuturni, sub hac tamen lege cadunt, sed non omnes, verùm duntaxat, qui ex acutis morbis originem duxerunt, vnde manifestum est, alia esse iudicia diuturnorum morborum, qui primò orti sunt tales, quanquam pauciores illi forsã sint, quam hi: hos ergo reliquit, sed iure merito, sunt enim extra argumentum libri. Reliquit etiam tractationem de vulneribus, & tractationem de pulsibus, demum distinctionem de morbis, qui crisi terminantur, aut nõ: & qualem crisim, si crisis futura sit, expectare oporteat. Reliqua duo, scilicet an moriturus sit æger, an salutem consequuturus, & quando, si benè animaduertis Hippocrati ad fugiendam infamiam, & seruandos sufficere visa sunt, non quanto plura quæris, eò difficilius erit collimare, & periculosius ni erres. Dicemus ergo primum de vulneribus: ex quibus etiam ad vlcerum prænotionem transire licebit.

DIGRESSIO.

ERgo in vulneribus quatuor solent quæri. An æger seruabitur? An morietur? secundum, si seruabitur, an particula decidet, an nõ? Tertium, si non decidet, an operatio in aliquo læsa erit, an non? Est autem duplex sensus, vt visus in oculo, & motus, vt claudicatio in pede. Quartum, an remanebit deformitas? Id verò de lethalibus non solum diuinandi causa, sed ob legum iudicium plurimum refert, manet qui inflixit, in vincula ducitur, & si nõ euadat, vt homicida habetur, quod si vulnus à medico non pro lethali habitũ sit, casu, & culpa ægri interiisse existimatur. Hoc autem mortale quatuor habet significata. Aut quod perinde est, ac si omnino mortuus esset vulneratus: vt cum cor est vulneratum, quinto de Locis (cap. 2.) Aut, cum cerebro vulnerato, homo iacet, vt mortuus diu. Vel quòd euadere non possit omnino, & si aliquod diebus superuiuat: velut cum cerebrum punctim manifestè vulneratum est, vel membrum aliquod vitæ necessarium, & diu iacet, vt mortuus. Aut lethale, quod natura sua mortem affert, hoc de Hippocrate (6. Aphor. 18.) describitur cor, cerebrum, sed maximè ventriculi, quan-

quam referat Galenus (8. de Vsu part. cap. 10.) Smyrne in Ioniâ vulneratum in ventriculo vno anteriore cerebri sanatum fuisse: at in posteriore ne momento quidem sensum retinent: tum verò jecore, ventriculo, aliquo intestinorum gracilium, vesicâ, & septo transuerso. In hujusmodi tamen natura, & fortitudo viri plurimùm faciunt ad salutem: vt contra timidi breui, & omnino moriuntur, quoniam in vulneribus causa mortis est affluxus sanguinis, concursus humorum in phlegmonem. Horum vnum maximè labefactat cor naturâ imbecilli: alterum fit in imbecillibus vehementiore impetu; & ideò fortes saruantur, sed multò magis in quarto genere lethalium vulnerum, quod est illorum ex quibus plurimi moriuntur, non tamen omnes: nec necesse est illos omnino mori, sed pendent in medio, quasi titubantes: magis tamen ad mortem, quàm ad vitam inclinant. Huiusmodi genus trifariam diuiditur, teste Galeno, (4. Methodi cap. 6.) vocatúrq; cacœthe, quod prauum est, vt veneno infectum. Aut si loca valde dolorosa affecta fuerint, velut nerui, cubitus, genu: solent enim dolores, vigilias, inflammationes, febres, conuulsiones secum adducere; aut si vas magnum dissectum fuerit, maximè arteria, ex quo immodici sanguinis effluxio timeatur: nam seu effluat, siue vi retineatur, penè par periculum est, vel ob nobilitatem partis læsæ, vt si pulmo pericardion, diaphrattondes membranarum vna cerebri præsertim tenuis, & adhærens cerebro vesica felis, renes, color, lien profundo vulnere, & punctim; sed hoc potiùs ad cacœthem pertinet: sicut, etsi sit musculus, vulneretur. Tertium genus magnitudinis effectus, & lethalis morbi est, vbi vulnus magnum fuerit: nam tum multiplex adest periculum, effluxus sanguinis, doloris, collectionis saniei, maximè si profundum fuerit, atq; hæc de primo. Secundum est, decidere particulam an necesse sit? cum enim sentit ea, non decidet, quia mortua non est: falluntur tamen Medici, cùm pressa, vel si acu pungatur, partem, cui consuta est, læserit, atque ita sensum habere videbitur, cùm sit iam mortua. Quod autem semel mortuum fuerit, neque in partibus restitui magis potest, quàm in toto. Et similiter color malus, liuidus, aut, vt dixi, glaucus, seu niger: mortis enim particulæ signum est certum. Prauum est etiam valde, si non tumeant labra vlceris, & siccum euadat. Mors enim partis (& si loco nobili sit: maximè circa caput, vel penetret in viscera patientis) significatur. Celsus lethalibus tertii ordinis addit medium pulmonis, & renes, & venas, & arterias, quæ iuxta fauces sunt, scilicet maximas, subtrahit vesicam, & jecoris carnosam partem, crassámque, quæ in vltimum ordinem rejicit: nec tamen aduersatur Hippocrati. Nam collum vesicæ, quod carnosum sit, consolidatur, reliquum, quod totum neruosa constat materia, cùm neque consolidari possit, neque dolor, & effluxionis vrinæ incommoda diu sustineri possint, mortem infert: at jecur si vulneretur, quâuis parte putrescit ob tot membra, quæ illi supersunt, ne minimè curari possit. Et latissimum vulnus sit, ob id ipsum moritur æger. Renes autem non lethales, nisi vulnus penetret valde, aut quarto modo. Generali autem ratione vulnera omnia, vel minimum profunda punctim illata lethalia sit hoc modo, præsertim si neruus, vel acu ipsa pungatur: plures enim periere, vel ex distentione, nam illa solet sequi vulnera puncturæ musculorum, præcipuè & si ad eam conuulsio sequatur, lethalia sunt, vt ait Hippoc. (5. Aph. 2.) Et ideò, si conuulsio vulnus subsequatur, & illud lethale est tertii modi: verùm si præcidatur musculus, plerunque euadit æger. Cùm ergo conuulsio statim sequitur, vulnus est lethale, & valde: si verò distentio & post aliquot dies contigit, hoc ex mala cura. Necesse est autem in vulnere, distentionem antecedere conuulsionem, vt à nobis dictitatum est sexta Aphoris. (com. 37.) quia læsio est in neruo primùm, & per illam læditur cerebrum, non autem contrario ordine: vel ex eo, quòd vulnus purgari non potest; vnde phlegmon sequitur, dolor, vigiliæ, & tandem distentio, aut conuulsio. Vulnera quóque quæ in ventrem inferiorem penetrant punctim, etiam lethalia sunt: cæsim autem, si non sit aliquod viscus læsum, etiam quod exciderit omentum, sunt lethalia quarti modi solùm; & hoc, quia tametsi valde magna sint consuta, redduntur parua, nisi in senibus, in quibus exigua noxa etiam mortem affert omnino. At in ventre medio, vbi nullum viscus læsum sit, ob prauuam curam tantum: & quia punctim illata sunt, lethalia redduntur tertii modi, expirant enim hujusmodi aërem. Hæc vulnera si ritè curentur, etiam sunt periculosa, ac quasi media inter lethalia tertii modi, & quarti: atque in his plurimùm prodest medici sapientia. Sæpe verò transeunt in fistulam: omnino non concludenda sunt, nisi prorsus purgato pectore. Iam verò capitis vulnera omnia periculosa sunt fermè, nisi quæ à leuissima re inferuntur, aut abradendo. Nam cætera omnia cum contusione sunt: in ea autem est multiplex periculum, primum, ne os rimam contrahat maximè occultam è regione vulneris, secundum, ne ex aduersa parte findatur, tertium, ne vincula, quibus membrana dura pericranio committitur, constringantur, & demum putrescant; quartum, ne dura mater concidat, & separetur à craneo; quintum, ne schidia intus separetur ab osse, & post breue tempus, quandoque etiam post aliquot menses vulneret duram membranam, aut illi insidens putrefaciat eam; sextum, ne disrumpatur venula: & tales moriuntur sine causa manifesta; septimum, ne cerebrum conquassetur: & de his actum est in Aphorismis (7. par. 45.) Et ideo rectè dixit Hippocrates in libro de Capitis vulneribus, (Text. 1.) Nullum capitis vulnus leuiter contemni debet. Et quanquam quidam negent id esse Hippocratis, satis tamen constat, omne vulnus capitis, nisi sit exiguum, & à re leui, esse periculosum. Ideo ob tot varietates, quæ in illo accidunt, oportet illa diuidere in lethalia tertii modi (exceptis his, quæ diximus pertinere ad primum, & secundum ordinem) & in lethalia ancipitis judicij, & in pericu-

losa. Et lethalia valde definit Hippocrates ibidem (pag.8.) dicens: Postquam æstate à septima die, aut hyeme ante quartam-decimam febris languentem ex ictu capitis, & mala cura corripuerit, vlcus colorem amittit & sanies pauca effluit, & quod inflammatum est ex ipso, emoritur, & tenax euadit, ac veluti salsamentum colore fuluum, & sublividum: tunc os corrumpi incipit, fitque valde nigrum: postremò pallidum, aut valde album. Quum verò iam suppuratum fuerit, pustulæ in lingua oboriuntur, & æger delirando perit: & conuulsio corripit plerosque ex aduersa parte. Siquidem vlcus sit in sinistra, conuulsio fit in dextra: & si vlcus in dextra, conuulsio fit in sinistra. Sunt & qui syderantur ex his, & in æstate ante diem septimum pereunt: & in hyeme, ante quartumdecimum diem. Similiter antea magnitudinem ictus cognoscere docet ex tribus signis, si vulneratus, aut percussus, in vertiginem inciderit, atque obtenebrationem, deterius si ceciderit: pessimum, si veterno corripiatur: si rimam os contraxerit, attramentum deteget. At menbranas detegi, aut cor, non omnino lethale est: sed frigus sentire, hoc est pernitiosissimum, periculosioráque, & magis lethalia ex vulnere, quàm vlcere, & ictu graui, quàm vulnere leui cum ense: & ob id iubent considerari telum, & robur eius, qui illum percussit. Ossa præterea, & omentum cùm deteguntur: sed ossa si à perioſſo, & à carne separantur, decidere necesse est. Et vbi deciderit os, seu cartilago, necesse est vt deformitas, & debilitas etiam accidat. Non restituuntur autem os, nec cartilago, vel nerui, nec cutis genæ tenuis, nec præputij: Sexta Aphorismorum (19.) In vlceribus autem, vt os decidat, statuit terminum annuum. Si nerui lædantur, vel etiam vincula lædi etiam operationem necesse est, & si multum auferatur de substantia membri, seu caro, seu alia pars, sed magis, quæ dura sit, deforme membrum fiet. Quòd si arteria, vel vena præcidatur, exarescet: si etiam nerui valde torqueantur, robur integrum non relinquetur, nec adeò facilè circumflecti poterit. Et cùm contracta fuerit pars aliqua, aut relaxata, aut tophus generatus, aut vinculum durius redditum ad motum: hæc omnia officiunt. An verò hæc cotineantur sub morbis acutis, dico, quòd sic: omnia enim vulnera, & contusiones graues ad morbos acutos pertinent, quia ab initio symptomata inducunt periculosa, & breui terminantur: aut in eos morbos transeunt, qui ex ipsis acutis pendent; non tamen sunt præsentis considerationis: quia Hippocrates solùm intendit agere de morbis, qui sponte oriuntur, & manuum curâ non indigent.

ALTERA DIGRESSIO.

Sed maior est difficultas in verbis illis, qui ex his fiunt: nam non videtur docuisse de illis, quod futurum sit, maximè de quartana, sed solùm, quod sit. Nam de hydrope docuit, quòd pernitiosa sit: de abscessibus maximè præcordiorum, & ventris, quòd suppurabunt, & terminum etiam eorum. At non ita de articulorum abscessibus: sed hoc minus refert: sed & in suppuratis diligenter rem prosequutus est, non tamen de transmutationibus, nisi cum delituerint. In vniuersum ergo, & vt expositio sit similis tractationi, quærere jure merito oportet duo. Vnum an morbi diuturni ex transmutatione acutorum habeant aliquid peculiare ab alijs ejusdem generis distinctum, & quale sit? alterum, quid illud sit? & an ex eo prædictionem in vtroque genere constituere liceat? Videtur ergo morbus diuturnus, qui ex morbo acuto originem traxit, trifariam considerandus. Primum in genere, quoniam lethalior est, & vt dicebat Hippocrates, Morbus morbo superueniens debilem cum inueniat ęgrum, iam mortem affert. Secundum, cum est contrarius, aut similis, vt suprà de aqua intercute, quæ morbo acuto superuenit, est enim valde lethalis, quia per se grauis est morbus: & non potest transire in contrarium affectũ, nisi extincto calore naturali: tertiò quia auxilia prodesse non possunt, nec calida ob causam, & tabefacto corpore, nec frigida ob morbum ipsum. Si verò sit similis, vt acuto morbo regius longè minus malum est: curatur enim vterq; per infrigidãtia, & humectantia. Tertium est ratione materiæ, quæ est eadem, vel proportione respondens, velut in quartana, quam constat fieri ex cinere humoris præcedentis morbi. Vnde quartanæ huiusmodi solent esse breuiores his, quæ primò tales inuadunt: & frigidioribus, atque humidioribus auxilijs indigent. Quomodo verò de illis prædicere liceat, docuit superiùs, (Text.7.) cum dixit: Est autem & quartanæ constitutio ex hoc ordine. Ergo nil prætermisit Hippocrates, cum antea dixisset (sed à primo die animum adhibere oportet, ac per singulos quaternarios additos considerare, nec latebit, quò vertetur morbus.) Verùm de alijs morbis diuturnis cõsiderãda sunt eadẽ signa, & vultus, & oculi, & reliqua omnia: sed hac lege, vt quæ sunt secundum naturam, plus valeant in diuturnis: quæ contra naturam autem, in acutis, velut facies naturalis est melius signum in morbo diuturno: contra naturam, seu Hippocratia in acuto est deterius signum: bonus decubitus est melius signum in longo morbo, quàm in acuto: sed malus decubitus est deterius signum in morbo acuto, quàm in diuturno: & ita de alijs signis. Secundò perpendes, an aliquod membrum ex vitæ necessarijs sit malè affectum. & sunt quinque hoc ordine: cor, inde cerebrum, pòst jecur, inde ventriculus, demum pulmo. & malæ affectiones sunt etiam quinque: putredo, tabes, scirrhus, obstructio, & intemperies. Et cor, ac cerebrum scirrhum non admittunt. Duorum, quæ sequuntur, tabis, & putredinis, in omnibus par ratio, & etiam in his, quæ scirrhum admittunt, cum absoluta fuerint: nam celerem mortem omnia afferunt. Dico scirrhus, tabes, & putredo membri iam absoluta. Sed vbi inchoata solum fuerint, diuersa est ratio. Putredo maius malum est, sed faciliùs sanatur tabe, & scirrho, quoniam habet medicamenta alexiteria: facilius tamen in jecore, pòst in ventriculo, post in pulmone, demum in cerebro: in corde

de autem non sanatur, quia mors præuenit. Tabes ab initio etiam est difficilioris sanationis scirrho, eò quod scirrhus per emollescentia dissoluitur. Reliqua duo, obstructio, & intemperies, sanantur ab initio, & etiam confirmatæ, si non sit sicca, vel in corde: frigida quoque cum facultatem iam vitiauerit, sanari non potest. Et maximè in ventriculo, qui exanguis est, & qui auxiliari deberet alijs,& occurrit alienis à natura: cum tamen, vt supponitur, non contabuerit, sanari potest moderatè calefacientibus, & frictionibus super locum: quod ignorant medici, debet autem perfundi multo oleo ex mastiche, absynthio, & nuce myristica. Obstructio autem,cum nondum in tophum conuersa fuerit, plerunque sanari potest, aliter lethalis est, quia insanabilis. Tertiò considerare oportet, si morbus nullum membrum peculiare affligat, mutatio per dies criticos,vt supra docuit Hippocrates (Text. 5. 6. & 7.) animaduertendo, quòd post quadragenarium diem viginti dies adijcere conuenit,vt consideremus sexagesimum, octuagesimum, centesimum, & centesimum vigesimum. Facit & ad hoc natura patientis, & ætas, & tumores in ventre,& liene,& qualitas,& quantitas materiæ, & appetitus ciborum, & tempus anni, atque huiusmodi.

PROGNOSTICON XXXIX.

OPortet autem eum,qui rectè præcognoscere debet, saluandos, ac morituros, in quibus etiam morbus plurium,aut paucorum dierum futurus est, quum signa didicerit, ipsorum vires ratiocinatus inuicem discernere, quemadmodum de alijs scriptum est, ac de vrinis, & de sputis, quando simul pus, ac bilem excreauerint.

COMMENTARIVS.

QVatuor dixi, seu quinque, esse præcognoscenda, an æger sit superfuturus? an diuturnus futurus sit morbus? an per crisim terminabitur? quo genere crisis? & qua die? quanquam hoc in secundo genere contineatur. Duo ergo prima hic Hippocrates docet præcognoscere. & quoniam in ambobus duo hæc sunt contraria: natura, & quæ ab illius parte sunt, facultates, functiones, temperamentum, habitus, constitutio; ab alia aduersa parte morbus, causa morbi, symptomata, alterum est, vt sciamus, quis comitatus præualeat? Ergo non numero hæc res definienda est, sed signorum, ac symptomatum præpotentium viribus: quod etiam testatur Galenus primo de Crisi (cap. 13.) Vbi etiam præsentis textûs mentionem facit. Hanc igitur comparationem tripliciter facere oportet: generis ad genus, vt doloris capitis ad bonam spirationem, aut plurium inter se, vt doloris capitis,& vigiliarum ad bonam spirationem: secunda est magnitudinis vniuscuiusque, vt potè si magna conuulsio comparatur magno robori vitalis facultatis: & ista duo ad artem pertinent, tertium verò ad artis ipsius exercitationē: velut in Socrate dolores, vigilias, cruditatem, decubitum, & contrà robur facultatis mentis, constantiam, atque cibi appetitum, ac reliqua, quæ bona sunt; sicque conferre omnia inuicem: & ab his, quæ vincunt, iudicare. Sed quoniam adeò appositè scripsit Galenus in Commento duas partes, eas,vt iacent,addam hic, & loco eorum, quæ in suam laudem canit, consuam secundam primæ, vt cohæreat: atque vtinam talem se vbique præstitisset. Est enim ea pars commentarij optima omnium, quæ in Hippocratem scripsit,eorum scilicet,quæ supersunt, cuius hæc est series. Consideres enim conueniet in primis, vtrùm præcipuè pars vna in corpore affecta sit? an morbus sit humoris inconceptabilis conditi? deinde, per quam potissimum facultatem periculum ægro immineat(etenim suprà dictum est, triplicem esse facultatem) tum deinceps facultatis illius mala, ac bona indicia? Fingamus enim facultatis illius mala, ac bona indicia? Fingamus enim facultatem de cerebro manantem imperpessam haberi, atque etiam corporis partes imperpessas: totius verò argumentum morbi,hoc est febrilis, & putrescentibus solis habentes humoribus: deinde his ita habentibus, ab initio cuncta apparere in vrina bona indicia: hunc hominem mori impossibile est. Quocirca quanquam aliquod existat indicium terrificum, non solum non terreberis(quemadmodum plerique medicorum) sed etiam id indicationem præmonstrare existimabis, etenim dolent caput, ac delirant,& intuentur tenebricosa quædam, ac flaua, & hebetudines subeunt oculorum, atque etiam ventriculi dolor: & item spirant difficulter: & illa contenduntur ratione iudicationis: & rursus deiectionis malignæ, & screationes, atque etiam vomitiones quædam: & item partes nigrescentes, putrescentesque, & inter morientes hominem exhibent per omnia meliorem. Sæpe enim ex talibus screationibus ægri faciliùs spirant, meliùs appetunt, meliùs dormiunt, dolore leuantur, & resurgendo leuiores, & in totum faciliores euadunt, perspicuè indicantibus iis, quæ euacuantur, expurgari corpus, natura præter spem superiorem conflictum repellente. Quandocunque verò membrum verum intus peculiariter morbo graui laborauerit, tunc maximè, si phlegmone, aut alio tumore tentetur, spectare necesse est materiæ, quæ in eo continetur, coctionem, atque excretionem: quæcunque enim suppurant,dum screatio biliosa est, exitiosa admodum sunt,siue vicissim bilis, ac pus,siue pariter excernantur.Per hanc enim dictionem censuit consideranda esse exquisita ratione omnia, quæ in agris existunt, atque nonnulla quidem exposuit eorum à bonis ita exorsus: Bona hæc sunt, facilè ferre morbum, facilè spirare, dolorem sedari, sputum facilè excreari. Tum deinceps ea omnia recensuit à malis rursus exorsus: Mala verò, inquit, his aduersa habentur, difficulter ferre morbum, spirationem magnam, &

crebram eſſe, dolorem non ſedari, ſputum vix excreari, ſitire admodum, corpus ab igne inæqualiter detineri. In hoc ſiquis rectè animaduertat illud, quo proponitur quod ſuprà in ſecundo libro viſum eſt (Text. 53.) Ex ſuppurationibus quæcunque pus effundunt, dum adhuc bilioſum eſt ſputum, valde lethales ſunt, ſeu viciſſim, ſiue ſimul bilis, ac pus eiiciuntur. Id ſolum eſt difficillimum, quoniã Hippocrates videtur in hoc textu ponere hoc ſignum, tanquam contraria complectens, pus enim ſalutem bilis, vt cruda ſignificat mortẽ, quaſi innuat, ſi exuperet bilis, ſignificat mortem, ſi pus, ſalutem: cum tamen antea poſitum ſit tale ſputum, vt lethaliſſimum. Propterea dico, quòd meo iudicio Hippocrates more ſuo ad vnguem poſuit ſigna contraria inuicem: vrinas quidem, vt ſignũ materiæ non habentis locum certum in vno membro, ſed communicantis toti corpori: & cuius ſigna ſint conformia, nam laudat vrinam boni coloris, & ſubſtantiæ, quamuis contenta ſint mala, magis, quàm vrinam, in qua vtrunque crudum ſit, aut malum: in ſputis autem magis vituperat ſputum, partim concoctum, partim bilioſum, ideo iuſſit ambo hæc perpendenda eſſe: vt per illa omnia ſignorum genera intelligeret. At ſiquis me interroget, dicam, me exiſtimare illa verba (quando ſimul pus, ac bilem excreauerit) adiecta fuiſſe in margine ab aliquo inde inſerta textui: vtcunque ſit, aliàs (lib. 3. Text. 10.) dixi locum illum intelligi de rupta ſuppuratione, non de ſputo, quod perreffluit ſenſim concocta materia, non tale ab eo, quod vincit, & exuperet, indicationem efficit: idq; magis ad propoſitum videtur conducere, nam purulenta, ſi plura fuerint, euadit æger: ſi bilioſa, moritur. Ita ergo intelligendus eſt Hippocrates: non, vt Galenus, qui exponit viciſſim, nam hoc non dicit Hippocrates: intelligeretur enim de rupta ſuppuratione: & tunc eſſet ſignum ſemper lethale, ſed de excretionibus quibuſcunque, cum ſimul eueniunt, interprætari oportet, vt iuxta partem, quæ maior eſt, iudicemus.

DIGRESSIO.

Poſtmodum agit Galenus de pulſibus, docens & hos conſiderandos, vnde duo in hoc proponuntur: primum an ſine doctrina de Pulſibus prædictio hîc tradita ab Hippocrate poſſit eſſe perfecta: ſecundum, quantum conferat ea doctrina ad prædictionem? Pulſus ergo vitalis functionis, & facultatis, per ſe nuncius eſt, ſed & aliorum quorumcunque affectuum, vt eam facultatẽ mutant. Sunt autẽ tria, functio impedita, debilitata, & facultas imminuta, quæ & diuerſos ſortiuntur fines, & diuerſis indigent auxiliis, exempli gratia: functio prægrauata, vel ſi velis dicere facultas, non refert, indicat de remouendo impedimento, dignoſciturque, quòd neque in diuerſis partibus corporis, neque diuerſis temporibus eadem apparet, & nihilo ſecius etiam magis reſiſtit, quàm quæ per reſolutionem debilitata eſt. Adſunt prætereà ſigna alia plenitudinis. At diſcernere inter functionẽ, & facultatem exhauſtam, licet quod ad curam attinet, minus interſit, quod ad prædictionem tamen, maioris eſt momenti, namque functio debilitata, ſalua facultate ſemper reſtituitur, ſi quis rectè occurrat: at facultas debilitata, nunquam reſtituitur. Intelligo facultatem debilitatam, cum temperamentum, aut compoſitio adeò corrupta ſunt, vt amplius reſtitui nequeant: veluti in ſene facultas eſt imbecillis, in puero functio, ſi ſolida pars membri corrupta ſit, facultas eſt imminuta: ſi illius caro, ſpiritus: ſi multus ſanguis effluxit, facultas, non functio. Plurimum ergo intereſt hæc diſcernere. Dicimus ergo eò perueniſſe imbecillitatem facultatis, quæ nullo auxilio odoratorum, ciborum, aut potuum, aut exercitii, vel medicamenti alexipharmaci, nec purgantis, aut lætitia animi vltra prouehi poteſt: cum autem poteſt, debilitata functio ſolum dicitur. Iam ergo rem tenes: ſed modum dignoſcendi vnum ab altero non habes. Ergo plurimũ ſcire hoc intereſt, ſiquidẽ illorum, in quibus functio perijt, multi ſeruantur, in quibus facultas eodem modo, vt pro deploratis haberentur, nemo ab orbe condito vnquam magis reſtitui potuit, quàm à morte. Non mirum eſt igitur, cum tam ſæpe fallantur homines in hoc, atque adeò, vt nullus unquam non falſus fuerit cogitatione ipſa, quod & de me ipſo fateor, & Galeno, & Hippocrati contigiſſe haud dubius ſum: quanquam nec illi, nec ego, in prædicendo aberrauerint, ſi tam difficile eſt hoc diſcrimẽ internoſcere. Idem dico de aliis facultatibus: ſunt enim tres in vniuerſo corpore huiuſmodi, quæ totum corpus regunt, vt ait Soranus Epheſius (cap. 14.) ζωτικὴ, τρεπτικὴ, ψυχικὴ, ſeu vitalis, altrix, & animalis, hoc, ergo quod maximum eſt, & in tota Medicina præclariſſimum, eſt etiam, vt dixi, omnium difficillimum: quod ſi Galenus nouiſſet, certè fateri neceſſe eſſet, Hippocratis doctrinam in prædicendo eſſe imperfectam, verùm meo iudicio tantum abeſt, vt hoc docuerit cognoſcere Galenus, vt etiam neſciuerit: & adeò neſciuit, vt neque quantum inter vnam, & aliam intereſſet, cogitauerit, ſed credidit quemadmodum idem eſt, impeditam eſſe facultatem, & functionẽ: ita & imminutam, aut ablatam. Ille ſiquidem facultatem vocat potentiam ad agendum: aliàs (9. de Decretis H. & Plat. cap. 9. iuxta finem.) etiam animam ſtatuit facultatem, quæ non eſt facultas, neq; potentia: ſed habens illã, verũ quod magis ad rem attinet in primo de Præſagio ex pulſibus (cap. 4. in prin.) dixit, cum inquit, Si pericardium, aut pulmo refrigerata, aut calefacta iuſto plus fuerint, functio, non facultas læditur: ſin autem cor ipſum, facultas etiam. At ſi humida qualitas, aut ſicca in corde abundauerit, facultas etiam non læditur, adeò vt ſiquis animaduertat, ordines tres ponat. Sed hæc eatenus, donec ad intelligentiam neceſſariorum huic negotio faciunt: nam ſi ille viueret, interrogarem ab illo, an, cum eſt cor refrigeratum, aut calefactum, facultas ſemper læſa ſit? quòd ſi ita eſt, in febricitantibus hoc continget ſæpius in die ſi autem intelligit de ſubſtantia ipſa, quæ plus habeat caloris, aut minus? neque hoc,

hoc, nam nec ex minima mutatione læditur facultas, sed solùm cũ corrũpitur. Nec est hic locus agendi pluribus, sed sufficit, vt sciamus ipsum decipi in tribus. Primùm, quòd putat, calorem & frigus esse principia facultatis, cùm sint solùm instrumẽta illius, & animæ: secundum, quòd existimat, facultatem posse lædi à qualitatibus primis impressis, etiam non corrupto membro, nec toto, nec illius parte: tertium, quia credit ex quauis mutatione in primis qualitatibus lædi posse facultatem. Et, vt in vniuersum dicam, quamuis ipse viderit aliquod esse discrimen inter læsionem facultatis, & functionis, quando fiunt imbecilles, non tamen cognouit modũ neque causam, nisi obscurè. Refrigerato enim pericardio, læditur functio, quia frigiditas illa communicatur cordi: & non læditur facultas, quia frigiditas illa est solùm impressa in corde: & non est principium secundum substantiam, ex quo cor componatur. Cùm ergo Galenus, nec alius post eum, non docuerit hoc, quomodo internoscatur facultas à functione debilitata patet hâc doctrinã pulsuũ non esse necessariã ad prædicẽdum: neq; etiã ad hoc, vt Hippocr. doctrina perfecta foret. Si quis tamẽ adeò me stupidũ credat, vt existimem, Galenum adeò rudem fuisse, vt non intellexerit discrimen inter functionem, & facultatem, ipse sanè vtroque nostrum stupidior est: sed hoc cùm manifestum fuerit illi, vt quia functio a facultate oriatur, ideò non est eadem, existimauit tamen & spiritum, & calorem esse principia facultatis, cùm sint solùm functionis. Cùm ergo effluit sanguis, vt dixi, non facultas, sed functio, debilis redditur: id est propriè functionis instrumentum: adeò vt iam sint quatuor, anima, facultas, instrumentum, & functio, quæ confundere non oportet. Apparet autem hoc, cùm dixit in Introductorio pulsuum(capite 11.) Dissoluitur facultas nutrimenti difficultate, vacuatione immodicâ, morbi malignitate, animæ affectibus, & doloribus vehementibus, aut diuturnis, cùm nil horum, præter inopiam, aut corruptionem cibi dissoluat facultatem, sed solum instrumentum ejus. At forsan dices, Galenus (vt primo de Præsagio ex pul. ca. 3. in fine) sæpe facultatis imbecillis signum dixit pulsum languidum? Dico cùm languidus pulsus etiã in pueris inueniatur, qui tamẽ postmodũ in viros robustos euadũt, nõ solũ sanãtur: palã est instrumentum solùm facultatis, non ipsã facultatem languidam fuisse, vel si velis de verbis contendere, non repugnabo: dicas fuisse facultatem, hoc vnum habeo ex pulsu, ergo nullum haberi certum signum vitæ nec mortis: quare nec esse necessariam eam doctrinam huic loco, nec illam, quæ ab Hippocrate tradita est, ob id imperfectam esse, quanquam rei veritas sit, quòd sit hæc differentia: & quicquid est sempiternum, sciri possit. Aggrediamur ergo rem, & videamus, an omnino liceat, vel saltem adumbrare hanc notitiam? Ergo si facultas perit, perit & id, in quo est, non anima, in qua est principaliter: sed in quo, tanquam in subjecto scilicet corporis constructio, quæ temperamento & compositione constat: constátque per vitam, quæ est actus corporis ab anima recti, sicut matura recti ab anima, fine calore cœlesti, talis corruptio vel est putredo, vel est fractura, vel siccitas, vel refrigeratio. Sed refrigeratio est ab impedimento, vel resolutione, & putredo quidem, & fractura, quæ confundit ordinem membri, tollunt facultatem: ergo facultas imbecillis, quæ sine imbecillitate instrumenti debilem habet functionem. Siccitas autem durum reddit instrumentum: putredo, contusio, refrigeratio imbecillitatem pariunt, quæ perpetuò manet, & habet proprias imbecillitatis differentias, commune autem est omni imbecillitati, non seruare æqualitatem: quæ enim mouet mens orbes cœlestes præter id, quod maximos, & maximâ cum velocitate æqualiter, semper mouet, ideò nil horum in mortalibus, sed in imbecillibus semper conspicua est inæqualitas. Nullius ergo senis, multò minùs valdè senis æqualis pulsus esse potest, nec latere inæqualitas, hoc est, quod aliàs me decepit, dum viderem quosdam, in quibus pulsus apparebant imbecilles, cùm tamen ordinati essent, & æquales euadere: magna enim vis necessaria est ad seruandam æqualitatem. Propriæ autẽ imbecillitatis differentiæ sunt, non reniti primùm, inde lentescere motum, id maximè apparet in fine pulsationis, indigẽtq; exquisitissimo sensu. Vnde mollities, atque durities magna instrumẽti faciunt impedimenrũ in dignoscenda imbecillitate facultatis: nã durus pulsus efficit, vt lentescat in fine, & vt videatur ob id imbecillis, & dum comprimitur, vt non cedat, & videatur validus. Ita mollis (quod ego obseruaui) videtur robustus in his, qui cum sudore moriuntur, quoniam minùs lentescit: & est alsus, & videtur imbecillis, quia facilè cedit tactui. Vnum ergo præceptum omnibus his satisfacit, vt distinguas facultatem ab instrumento, & rursus à functione, velut cùm multus sanguis effluxerit. Vnum igitur signum ponitur à Gal. quar. de Dignosc. pulsib. (ca. 10. 11.) certum aliud ambiguum, & obscurum maximè sensu: tertium, aut nostrum est: si pulsus renitatur, & magnus sit à robore, facultatis est: nam si ob duritiem renitatur, paruus necessario erit: idque satis perspicuum est, & ratione constat: quod verò obscurius est, quoniam qui ob duritiem robustus videtur, à debitâ celeritate deficit. Nostrum autem signum est, quòd durus semper renititur, ac nõ multum differt, an sumpserit, & inæqualis est: cùm enim per se sit imbecillis, etiam difficilem habet extensionem, etsi valida esset facultas, igitur tanto magis est inæqualis, fit ergo languidus, inæqualis, paruus & cuius finis remissior est. Eadem inæqualitas etiam in arteriæ partibus dignoscitur: nam iuxta manũ minor est, nec min⁹ resistit, imbecillis minùs resistit, multo autem minor est. At dignotio facultatis deficiẽtis, & vsus eius ob venerẽ vim veneni sanguinis effluxũ, aut purgationẽ ventris, aut syncopin, ex quauis causa imminentẽ mœrorẽ, timorẽ, vigilias, paulò difficilior est: & facultas quidẽ languida, quæ pulsũ mutat, omnino mortẽ affert, vt dixi, functio & ipsa persæpe, non tamen sẽper, quo circa etiã illud quærere necessariũ est, an cũ

homo

homo perit, functione vitiatâ, neceſſe ſit facultatem debilitari? Et aſinina dubitatio eſſet, ſi ſimpliciter intelligatur: nam cùm homo moritur priùs vel exiguo temporis momento, neceſſe eſt exſolui omnes facultates quoniam vita deficit, at hoc non quæro, ſed an multò antè? atque id neceſſarium non eſt, velut in his, qui ſuffocantur: quinimò viſũ eſt in trunco iuuenis ſecuri percuſſi, arterias diu,& vehemẽter palpitare. Si ergo ſtranguletur homo, alioquin ſanus, aut ſuffocetur, palpitabunt arteriæ, eritque idem fermè finis vitæ, & functionis ac facultatis: ſed etſi quis membrorum ſpiritualium vitio laboret, non tabefacta ſubſtantia cordis, neque corrupta, nec nimio calore diſſoluta, aut congelata, retinebit facultatem, functio peribit. Si ergo functio euerſa erit, maneat facultas: hæc erunt indicia (nam nunc de exſolutione, non oppreſſione loquor) primùm æqualitas nulla erit, & conſtantia ſymptomatis mira, vt nullo auxilio permutetur, & lapſus reliquarum omnium functionum: & ideò eiuſmodi ægri iacent, vt penè mortui, multæ tamen facultates magis læduntur: aliis tum multæ minùs.

An verò, quoad actionem attinet, aliquid inter debilitatem functionis, quæ ab effluxione fit,& facultatis præter conſtantiam ipſius imbecillitatis, & euerſionem aliarum facultatum, ſeu functionum (nunc in vitali hoc peculiare eſt, vt euerſa illa, reliquæ euertantur: non ita in aliis)& æqualitatem, quæ tota perit in facultate, non in functione, non habeo aliud ſignum niſi forſan ſiccitatem, vt dixi, aut putredinem aut ictum vt id per cauſam cognoſcamus: nam de ictu, ni velimus videri prodigioſa tradere, non videtur diſcrimen inter virum robuſtiſſium, à quo ſanguis vniuerſus fermè effluxit,& mulierem languidam: nec, ſi eſſet, ſpectaret ad medicum, diſputare de his quæ ratione ſolùm, non ſenſu internoſci poſſunt. Cùm ergo ita ſit, vt nondum hæc, quomodo dignoſci queant, à Galeno vel alijs tradita fuerint, non erit doctrina de pulſibus neceſſaria. Sed tamen vtilis ad hominẽ, non ad medicũ, qui perfectè quæ tradita ſunt ab Hippocrate, teneat: At pauci ſunt, pauciores fuerunt etiam ante nos, cùm obſcura pleraque ex his forent.

Quæ igitur in ea doctrina de Pulſibus ſunt præcipua, nunc adiiciam: nam propter illa, ſi non neceſſaria ſit, erit tamen vtilis, ac longè magis commoda. Et primùm, vt dignoſcamus robur facultatis vitalis, non primo modo dictæ, nam, vt docui, illud reparabile nullâ arte eſt, ſed vt cum ſpiritu & calore naturali coniuncta eſt, meritò cuius damus aut ſubtrahimus cibum, ſi morbus expoſcat, vt primò de Victus ratione in morbis acutis (com. 44.) Secundò, vt initia febrium, & incrementa, tum declinationes cognoſcamus, & naturam earum etiam ad cibi horas, & aliorum auxiliorum occaſionem captandam. Nec magis vllâ in re doctrina Hippocratis videtur aliquantulum ceſſiſſe Galeni iactantiæ, quam in dignotione febrium: quanquam & in hoc Hippocrates vtebatur ſigno, ſumpto ab eſſẽtiâ, ſcilicet calore, tum in toto, tum comparatione partium inter ipſas habita. Tertiò, ad dignoſcendos morbos alios, prout conſenſu declarantur in corde per pulſum: licet non declarent morbum ipſum, neque partem coniecturâ tamen indicant affectum. Velut, ſi in febre continuâ percipiam pulſum valdè mollem, intelligam abſceſſum aliquem eſſe in morbo molli, velut in pulmone, cerebro: & ſi durum in membranis cerebri vel pectoris: & ſicut plurimum juuat ad theſauri inuentionem, ſcire theſaurum in domo, in qua habitas, ſepultum eſſe, ita plurimum refert, vt ex pulſu dignoſcas quos affectus cor patiatur per conſenſum aliarum partium. Et hæ ſanè ſunt tres principales vtilitates pulſuum, notitiæ non leues, nec contemnendæ.

membro

ALTERA DIGRESSIO.

CÆterum, pro reliquorum euentuum dignotione Galenus tres libros de Criſibus ſcripſit, ex titulo ipſo intelligamus, non ſolùm eam doctrinam non eſſe generaliorem, quòd multi exiſtimarunt, Hippocratis doctrina his in libris tradita, ſed longè magis ſpecialem, atque (vt ita dicam) contractam. Nam cùm de Criſibus tractet, non omnes quidem diuturnos excludit: ſed tamen tam paucos ex illis amplectitur, vt multò plures deſint ex his acutis, qui non criſi terminãtur, præterea neque de diuturnis agit, qui ad acutos conſequuntur, dupliciter ergo anguſtior eſt doctrina Galeni in libris de Criſibus ea, quam Hippocrates tradit in libro Prænotionum. Verùm Galenus diem Criſis etiam prædicere ſe profitetur, at hoc intendit Hippocrates ſuprà (Text.3.) cùm dixit: *Primus itaque inſultus*, & infrà (Text.5.) *poſt hæc autem*. Duo ergo tantùm ſuperſunt, vt docuerit morbos qui criſi finiuntur, & qui non: tum modum quo fit, ſeu futura eſt criſis. Concedamus hoc illi, quòd præſcire quandoque licet, non tamen ſæpe tantum abeſt vt ſemper: & videamus in tam longo opere, quid præſtiterit, cuius totum ſenſum hîc explicabo: qui tanto erit abſolutior generaliter; quanto videbitur in ſpecialibus quibuſdã deficere. Omittã autẽ dicere, quod manifeſtũ luce clarius eſt, Galenũ confudiſſe eã doctrinam, & quod non potuerit, quod maximè in ea neceſſarium erat, & ipſe tradere ſe profitetur, docere quid ſit principium: quoniã morborum primam differentiam ignorauit, aut non animaduertit. Morbi ergo materiarij, aut materiam habent quietam, velut febres continentes: aut cum motu modico vt continuæ, quæ habent exacerbationes, & proportionem ſeruant: aut cum motu magno, ſed non in determinatum locum, vt intermittentes: aut cum motu in certam particulam, vt in generatione inflammationis. Cùm ergo principium de vnoquoque horum dicatur diuerſâ ratione, & ipſe non tradat eam diuiſionem, quis conjicere poſſit, ipſum nouiſſe verè, quid ſit principium? quod ſi non nouit, quomodo rectè alios docere potuit? Ergo vbi manifeſta ſit expulſio materiæ, non in partem aliquam principium definitur contractionis tempore, quod ad acceſſionem attinet: vbi ſimiliter fit exacerbatio, tempus eſt contractionis

nis pulsus aut magnæ inæqualitatis, aut vtriusque. In omnibus ratione totius morbi principium dicitur, quamdiu non euidentis coctionis signa apparuerint, atque id principiū totius morbi dicitur, sicut aliud speciale accessionis aut exacerbationis. Sed in inflammatione duo sunt, motus materia & cruditas: ideò si manifesta coctio appareat, & desinat fluere materia, haud dubiæ finis principij adest: sed si motus finis adsit, coctio autē nōdū cœperit, aut coctio iam cœperit manifesta, nōdū tamen materiæ fluxus desierit, tunc non definiunt verè, an iam incrementum incipiat: quamuis existimat Galenus, etiam si materia non fluat, principium tamen esse, quòd nondum concoqui incæperit, quæ fluxa est. Sed pudet, vt video, distinguere principium fluxionis, quod desinit cum materia fluere, desierit etiam si non concoquatur: & principium coctionis, cùm nondum concocta est: atque id rursus cùm materiæ pars concocta est, alia fluit tamen: nam vnius partis comparatione est principium alterius incrementum, aut status. Erubuit hæc distinguere: sed turpius est inuoluere Lectoris mentem. Similiter tria sunt genera morborum materiariorum (nam de his semper volo intelligi) quæ sanantur, & totum ambitum morbi cōprehendunt: & in his sunt quatuor tempora, Principium, Incrementum, Status, & Declinatio: quæ sanantur, & accessionem habent cum typo, & continent quinque tempora, initium, inæqualitatem, cùm partim corpus incalescit, partim adhuc refrigeratum est, Incrementum, Status, & Declinatio. Tertium genus est morborum lathalium, quod semper verâ declinatione caret: numerū autē temporum certum non habet, quandoque enim moritur æger in falsa declinatione: & tunc habet quatuor tempora, quandoque in Statu, & sunt ei tria tantùm tempora, quod plerumque contingit, quandoque in incremento: & tunc sunt illi morbo tantùm duo tempora, atque id raro contingit, frequentius tamen, quàm vt in declinatione: quandoque in ipso principio vel inæqualitate accessionis: idque omnino in morbis, qui sponte eueniunt & continui sunt, rarissimum est velut in pestilenti aëre, & morbo attonito: aliquanto frequentius in initio accessionis, sed non est prima accessio: id enim nunquam vidi aut audiui, sed in accessionibus status plerumque id contingit, aut in fine incrementi, aut falsa totius morbi declinatione. At in violentis affectibus id frequentissimè accidit, casu, vulnere, percussione, & cùm non contingat mori, nisi in sæuissimo statu (mors enim vltimum est) & possit homo mori in principio & incremento morbi, palàm est, necessarium fore, vt alius ordo temporum ponatur, in quo mors semper in statu contingat. Hic autem est ordo sæuitiæ symptomatum: erunt ergo quatuor tempora rursus symptomatum in morbis, qui ad salutem terminantur: vt quilibet sanetur in declinatione symptomatum quatuor exactis temporibus: moriatur autem in statu tribus iam inchoatis, duobúsque ex his perfectis: cùm tertius etiam perfectus dici possit. Fundamentum ergo dignoscendorum temporum vtriusque ordinis, est cognitio principij, quæ solo sensu habetur, reliquorum autem temporum ex hoc ipso deducta cōjectura: vnde superstitiosi medici est præcognoscere de principio: sicut sapientis ipsū cognoscere, & ipsius finem, & quale sit principium, & ex ipso tria tempora sequentia, aut si pauciora futura sunt. Hæc igitur quatuor de principio cognouisse sufficiat. Dignoscuntur autem hæc ex naturâ morbi, ex motu morbi, obscuro aut manifesto, ex coctione: & ex his, quæ accidunt illi, sicut sputum, symptomata, aëris constitutio, morbi vagantes, atque similia. Ex morbi essentia, quia frigidi, vt pituitosa febris longa habet tempora: quę ex bile pura breuia, ex coctione cum nondum manifesta est initium: cùm iam manifesta est & augetur euidenter incrementum: cùm perficitur status seu vigor: cùm iam perfecta est, nisi expulsio exigatur, nec fiat declinatio, si exigatur, nec succedat vltima vigoris pars. Ex motu quòd accessiones aut in continuis exacerbationes eadem horâ fermè inuadant, nec plus minúsue durent, & vt sæuiores non sint, initium habetur. Si celeriùs inuadant, tardiùs finiantur, & febris sit ardentior, incrementum: si omnia sint in summo, sed non augeantur status: si seriùs aggrediantur, mitior sit calor, & celeriùs finiatur declinatio. Ex his quæ circumstant, velut æstas, & æstas serena, & morbi vagantes breues, & iuuentus, & temperatura, & homo paruus, & robustus, & latarum venarum, & facilis ad vomitum, sudorem, sanguinis fluxum, & alui exonerationem, hæc breuem significant morbum: & ita sputum in morbo laterali, atque hæc fermè omnia descripta sunt ab Hippocrate primâ Aphorismorum (12.) Præcipuè autem obseruanda sunt incrementa, tum symptomatum, tum morbi, ea enim breuitatis sunt indicia: sicut si sint exigua, longitudinis. Cæterum initium morbi distinguere, cujusmodi sit, non solùm ad prædictionem vtile est, sed ad curandum necessarium: quoniam & si materia non ampliùs fluat, & tamen non concoquatur, non licebit concoquentia adhibere, nam magis ad trahendum, quàm ad concoquendum parata erunt: multo minus cum concoquitur, sed adhuc fluit. Sunt etiā signa crisis, quæ neque semper bona sunt, sed parum differunt, à coctionis signis: quandoquidem & si mala sint signa crisis, sunt etiā mala coctionis imperfectæ aut peruersæ: in quo demiror valdè de Galeno, qui crisis signa in vtroque significato velit intelligere coctionis, cùm sint tria significata bonæ, imperfectæ, & vitiosæ, sub vno tantùm accipere velit, quis enim non videt, hoc discrimen tantùm esse verborum, non rei ipsius? Differunt tamen re: quoniam coctionis multo prius, quam crisis apparent: quamuis nec coctionis perfectæ, nisi juxta statum, vt dixi, signa apparere possint: sed de coctione generaliter intelligit. Signa autem illius quadruplicia sunt: & hæc distinctio licet à Galeno ponatur, malè tamen, quia sparsim, vt confundat Lectoris mentem, nec doctrinam aut scientiam efficere potest. Primum est eorum quæ in venis mesaræi, & cauâ jecoris, & ventriculo putrescunt, & habetur ex alui excrementis: modica, aut nulla conjectura

ex

ex vrinis: aut cùm materia est in gibba iecoris,& in venis atque arterijs totius corporis, & habetur ex vrinis modica aut nulla ex alui excrementis: aut est materiei, collectæ in vno membro, vt in pectore, vel pulmone, & habetur ex sputo: & cùm dico coctio, intelligo tria: coctionem bonam, prauuam seu putredinem, & non perfectam seu cruditatem. Hæc igitur si aliquid prodeat habetur ex sputis,& de his tribus, vrina, scilicet,& sputo,& alui deiectione, dictum est abundè superioribus locis in hoc libro ab Hippocrate secundum vnumquodque significatum. Quartum est cùm materia est in loco, & non habet exitum, vt in abscessibus ventris, & partium eius,& in phrenetide ex abscessu plerumque: & tunc dabat vnam regulam Hippocrates secunda Aphorismorum(47.)cùm dixit: dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt, magis quàm iam confecto: antequam ergo febris & dolor vrgeat, initium est morbi & materia cruda, cùm augentur & intenduntur, iam incipit concoqui, & est incrementum morbi: cum ad summum deuenerint, iam perficitur coctio, & est vigor morbi & symptomatum: cùm cessant, nec expellitur materia, est declinatio symptomatum, & secunda pars status morbi cum eiici incipit, incipit vera declinatio morbi,& si cum cessat febris,& dolor, vires validæ sunt,& reliqua symptomata cessat, est declinatio vera,& coctio bona: si autem virtus deficit,& vigiliæ manent,& alia symptomata per febrem & dolorem, non deserunt ægrum, vt ἀσιτία & sitis, & inquies est falsa, declinatio & coctio mala, seu peruersio. Vnde etiam scire oportet, quod symptomata sunt sex generum: alia quæ consequuntur morbum, vt sitis in febre, est enim calida & sicca: alia quæ materiam, vt deiectio, appetitus in quotidiana febre: alia quæ coctionem materiæ, vt dolores & febres: alia quæ crisim significant,& hæc sunt trium generum: alia quæ prædicunt & præcedunt: alia quæ fiunt cum ipsa, & pendent ab illa: alia quæ sequuntur ad illam, exempla sunt difficultas spirandi, vomitus, exsolutio virium. Quædam sunt, quæ prauitatem materiæ aut motum sequuntur, vt conuulsio & syncopis: alia quæ superueniunt, & non pendent ex morbo: & tamen frequenter accidere solent, vt dolor ventris ob potum aquæ in febre ardenti, & dolor vteri ob eandem causam in puerpera. Cum ergo ita sit, iam scis quod morbi sunt duorum generum: vel materia est in vasis, vel est collecta in vno membro, & extra vasa. Galenus ergo(3. de Crisi cap. 1.) diffinit crisim, quod sit mutatio subita ad salutem: sin autem sit subita mutatio ad mortem, dicitur crisis mala: sin autem in melius tantum, dicitur imperfecta: sin ad deterius, dicitur crisis imperfecta ad malum. Hæc sunt quæ quibusdam videntur admirabilia, sed mihi licebit dicere, quod de Plauto Horatius:

—Et numeros,&

Laudauère sales nimium patienter vtrunque.

Nam tot hic sunt incommoda, vt vbi maximè opus fuerat prolixitate, hic sit breuissimus. Cùm enim primum subita mutatio fuerit ex venis ad venas, etiam quod subsequatur mors aut salus ægri, non propriè est crisis, sed sit ita vt velit appellare crisim: cum fiat subita mutatio etiam in abscessibus. Hippocrates tamen eam non appellat crisim: sed solùm materiæ facientis febrem. Et in Anaxione(3. in 3. Epid. Text. 79.) dixit fine trigesimo quarto, Sudauit toto corpore, cessauit febris, perfectè est iudicatus, nam abscessus aut concoquuntur,& expurgantur, aut resoluuntur: at hæc sensim fiunt, non ergo per crisim soluuntur, aut permutantur: atque ita non possunt etiam iudicati dici. Sed omittamus contentionem, quæ est in verbis (namque in hoc Galenum damno, qui cùm instituerit sermonem de crisi principalem in declarando significata eius, & propriam illius naturam, cùm sit titulus libri, tam parcè de eo nomine, ac re ipsa locutus sit, in aliis solitus esse adeò prolixus) & dicamus, quòd materia aut est in vasis communibus, siquidem venis,& arteriis, aut collecta in membro extra vasa,& quòd putrescit in illis, nam in ventriculo vel vtero, si putrescat, aut aliis cauitatibus naturalibus, non facit propriè febrem, cuius materia possit concoqui, sed vel ephemeram, vel putridam alterius generis, sicut suprà de empycis docui. Et quòd nomen hoc concoctionis non conuenit, nisi materiâ putrescenti, nam quæ non putrescit materia, dicitur præpararari, seu attenuetur, seu incidatur, seu temperetur, non concoqui. Cùm ergo materia est in venis, seu arteriis, vel extra eas in mēbro proprio, extra venas & arterias potest protrudi subita mutatione multis modis & ex venis sēper dicitur crisis apud Hippocratem, modò febris cesset: quia repente protruditur. Protruditur autem trifariam: aut omnino extra corpus, aut collecta in vnum locum, aut sparsa extra corpus quinque modis, vomitu, deiectione, vrina,(quem modum quomodo, & cur prætermiserit Galenus in illo loco, non possū imaginari, nisi ob negotia & celeritatē scribendi, vt in reliquis de diligentia possis coniecturam facere: & ex hoc quanta fides sit illis libris adhibenda)sudore, & sanguinis profluuio, hoc autem ex naribus, vel venis ani, vel mensibus. Collecta in vnum locum, facit abscessum, vel intus, vel extra: sed sparsa, decubitum aut postulas, aut morbum regium. At si morbus fuerit inflammatio, crisis non potest fieri per materiam extra protrusam primo: sed fit tribus modis, quorum duo modi vltimi conueniunt cum duobus vltimis materiæ in venis contentæ. Et primus vocatur transmutatio ad venas, qui etiam est ex genere collectionis, seu secundi modi eius quæ est in venis: vnde, gratia exempli, ex ardenti febre, fiunt parotides per secundum modum crisis: & antequam parotides confirmentur, materia expellitur per vrinam, aut sanguinem narium reiecta ad venas rursum in prima crisi, vt primo Epidemiorum(Sec. 2. Text. 63. & 81.) cum materia nunquam exierit extra venas. Ergo parotidum materia videtur repulsa in venas iterum: sed non est sic, verùm potius in venis remansit. Secundus modus vocatur transmutatio, non crisis: poterimus tamen eam vocare generaliter crisim non simpliciter, sed crisim inflammationis: quia, vt dixi, Hippocrates non dignatur crisim vocare, cum morbus ex morbo

morbo consimilis generis fit, vt ipse superius dixit, de peripneumonia in anginam transmutata. Et hoc potest contingere in abscessibus interioribus, vt in priore exemplo, & exterioribus: vt cum peripneumonia ad parotidas transmutatur: vt suprà (Tex. 64. secundi lib. ex Gal. Diuis.) visum est. Cadit autem dubitatio de tertio modo ibidē descripto, cum ad fistulam deuenerint: an scilicet fiat materia collecta, an sparsa? & an necesse sit præcedere abscessum? & nunc quidem dicimus, collectam fore materiam sub hoc sensu, vt fit in eisdem vasis, non vt tota simul sit in eodem loco, velut in abscessu, sed pars parti succedit. Dicimus etiam non esse necessarium, vt fiat abscessus, sed locus eroditur, & eo modo euacuatur materia aëris, plerunque tamen generari solet tuberculum, quod breui disruptum aperit fistulam, atque hoc ob paruitatē & temporis breuitatem, contempsit Hippocrates: prætermisitque tum, quia non semper necessarium esset, vt præcederet, meminitque solius fistulæ. In tertio modo, scilicet de cubitu, & pustulis, & morbo regio conuenit crisis hæc cum vera crisi. Prætermisit etiam dicere Galenus vnum, quod erat valdè scitu necessarium, scilicet, quod crisis nunquam excedit spacium vnius diei, scilicet viginti quatuor horarum: & quod in eodem morbo sæpius fieri potest, adeò vt quandoque ter: velut tertio Epidimiorum, (Sec. 2. Tex. 2.) de Chærione qui superuixit: de duabus autem crisibus in Euryanactis filia virgine quæ interijt (Tex. 3. ibid.) Cùm verò crisis bona fuerit, necessariò fit aut in statu, aut in fine augmenti: & in imperfecta bona idem necessarium est cōtingere. Sed si materia eterogenea sit, erit multiplex, & vnaquæq; comparatione suarum partium erit in eisdem temporibus, quasi essent plures morbi iuncti inuicem. Mortalis autem crisis quolibet in tempore accidit: sed plerunque in augmento, rarius in statu, rarius etiam in principio morbi quam in statu. Porrò tempora morborum cum sint quatuor, & vnusquisque morbus possit variari trifariam iuxta singulorum naturam, fiunt coniugationes octuaginta vna. Hæc autem pauculis regulis comprehenduntur. Prima quidem, quod longorum morborum longa sunt tempora omnia, breuium breuia absolutè: quoniam comparationem & proportionem inter se seruant. Secunda, quantò morbus est acutior, eò status tempus longius est comparatione principij & augmenti: contra principium & augmentum longiora sunt in morbo diuturno, & hoc sensit Galenus primo de Crisi (cap. 17.) Et ratio huic subscribit. Cùm enim morbus ad statum properat, breuia fiunt tempora, dixit autem Hippocrates, (1. Aphorif. 7.) Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, sunt igitur peracuti morbi, tempora prima iusto breuiora status comparatione, sicut diuturni iusto longiora. Tertia est, quoniam ex humoris proprietate tempora discernuntur. Dicebat Galenus tertio de Crisi, (cap. 4.) Febris quæ sanguine fit nondum corrupto, longum habet statum, imo tota fermè status est: reliqua ergo tempora illius comparatione admodum breuia erunt. Sic tertianæ puræ initium breue est, comparatione ad alias febres, sed tempus inæqualitatis longius est: vt prima quarti (Trac. 2. cap. 36. & 37.) In febre autem pituitosa maior proportio est augmenti & declinationis ad tempus status sui, quam in tertiana notha, & in tertiana notha, quàm in pura: & rursus (Ibidem cap. 46.) Augmenti proportio in his eodem ordine est major quàm declinationis. Et principium eius est decem octo dierum, & quandoque producitur: & cùm primum soluitur, est in quadraginta diebus, sed vt plurimùm iu sexaginta & vltra: & ideò principium est longius incremento, sed non comparatione aliarum febrium, quia tertiana, gratia exempli, & si principium habeat breue comparatione status, tamen est longius in comparatione ad augmentum quam in pituitosa: in qua principium licet sit longius augmento, est tamen breuius in comparatione ad illud, quam in tertianis, vel etiam quartanis. Non ergo intelligamus sic in pituitosa febre, quòd augmentum sit longius comparatione suorum reliquorum temporum, nisi vt comparatur augmentum aliarum febrium ad reliqua tempora: idem de declinatione: sed est minor excessus proportionis ad sua tempora quàm incrementi in comparatione ad alias febres, & etiam in ipsamet febre. Est tamen principium, augmentum & declinatio in illa longum simplicter. Et etiam in comparatione eorundem temporum in alijs febribus ad tempus sui vigoris, hæc pluribus egi: quia res erat paulò obscurior. Quartana verò, est quasi media inter tertianam & quotidianam, cúm fuerit ex adustione. Naturalis verò habet longius principium augmento, & augmentum statu. Sed declinatio est minor augmento satir, & non multo longior statu. Quarta regula est, quod tempora intermittentium declarãtur ex temporibus accessionum & continuarum ex temporibus exacerbationum. Principium ergo accessionis longum aut exacerbationis ostendit principium totius morbi futurum longum, & si breue, breue: idem de augmento, statu & declinatione: inæqualitas autem pertinet potius ad augmentum quàm ad principium. Quinta regula, tempora redduntur longa aut breuia ex natura materiæ illius multitudine, motu & loco. In intermittentibus est maior motus, & in initio post in exacerbationibus & incremento minimus ac fermè nullus in statu & in synochis. Et ideò intermittentes in hoc à continuis differunt & accessiones atque exacerbationes à totius morbi temporibus in hoc. Sexta regula, ætas, tempus anni, aëris qualitas fermè idem agunt in omnibus temporibus: frigiditas enim & imbecillitas producunt tempora omnia quasi eadem proportione: magis tamen tempora vniuersalia seu totius morbi quàm accessionum vel exacerbationum: quod & accidit in imbecillitate. Et hoc nisi in aëre valdè frigido nec perseuerante, quia tunc posset magis producere vnam accessionem, quàm totum morbum, sed intelligimus de perseuerante. Tempus tamen anni plus potest ad breuitatem morborum generaliter, & ad accessiones: ætas & temperatura in morbis salubribus. Septima regula, locus, multitudo materiæ faciunt

ciunt magis ad longitudinem vel breuitatẽ status, motus ad breuitatem & longitudinem principij: augmentum medio modo se habet inter vtrumque, natura materiæ, vt dixi, æqualiter se habet iuxta proportionem ad singula tempora. Octaua regula, declinationis tempus fit breue aut longum comparatione ad incrementum (nam ad illud comparari debet, tum ob similitudinem quam cum illo habet: tum quia iam incrementum ad alia tempora comparauimus, vnde ex comparatione declinationis ad illlud habemus comparationem declinationis ad reliqua tempora (& quoniam declinatio non est pars accessionis, nam accessio constat ex principio tantùm incremento & statu, quia in his temporibus morbus accedere videtur, in declinatione autem recedere, & ideò ob has tres causas, & quia non est pars semper morbi, vt dictum est: nam lethales ea carent de illa dicere loco vltimo reliquimus) cùm duplex sit, alia sine motu, alia cum motu: id est quæ succedit ad crisim, hæc est breuior augmento, si sit perfecta crisis, aut prope perfectam: & hoc de declinatione tam accessionis quàm morbi totius. In ea verò, quæ est sine motu, vel cum exiguo, considerare oportet locum & multitudinẽ materiæ, nam multitudo materiæ & remotus locus à corde ad longitudinem quidem augmenti parum aut certè minus faciunt quam status aut declinationis, vt propinquitas, & paucitas eius ad breuitatem, declinatio enim est similior statui, quam augmento, cùm etiam illi propior sit.

Morbi ergo quidam crisi, quidam autem sensim finiuntur: tam qui ad mortem, quàm qui ad salutem terminantur.) Præterea ad horum dignotionem oportet cognoscere non solũ, vt dixi, (2. de crisi cap. 7. sed non ad vnguem vide tamen) naturam simplicium morborum, sed etiam compositorum. Componuntur autẽ febres inter se, & hoc est frequens, & cum inflammationibus rarius, quia potius ad eam consequuntur quam quod cũ illis componantur. Et febris composita fit, vel quia materia est diuersa loco, vt in duabus tertianis, vel quia à duobus humoribus vt in hemitritæo. Tertianæ autẽ nothæ humor non est compositus ex bile & pituita, vt quidam credunt, sed est vnus humor non mistus: verùm ita genitus, cum substantia bilis crassa est, ideò & si plerunque, quod crassius minus sit calidum: contingit tamen vt sit crassior simul & calidior: & tunc febris est valdè mala. In hemitritæo ergo potest materia biliosa esse in vno loco cum pituitosa, & in diuersis, fitque varietas ex hoc, sed non magna, nam si misceantur, non tamen simul putrescunt: & ideò fiunt necessarò duæ febres, & non vna tertiana notha. Vt ergo dignoscas febrem compositam, quæ solet fallere quatuor ob causas: prima cum est continua, & aduenit typus, arbitratur homo duas esse, & poterit esse vna continua frigorifica. Et contraria ratione poterit credere, quod sit continua frigorifica, & erunt duæ. Secundus est propter anticipationem, magnam: credemus quod sin duæ tertianæ, & erit tantum vna, & ita poterunt esse duæ, & videbitur esse vna tantum. Tertius modus est, cum existimauerimus duplicem tertianam esse quotidianam, aut quotidianam esse duas tertianas. Quartus, cum extensam tertianam crediderimus esse compositam febrem ex hemitritæi genere, propterea quòd & ipsa continua est, & frigus habet ac horrorem de tertio in tertium diem. Et quanto difficilius est cognoscere febrem compositam, quam simplicẽ tanto & multo magis triplicem à duplici & obseruare ordinem: Cum autem excesserit ternarium numerum compositio, non solum est difficillimum distinguere eam à triplici febre, sed multo difficilius earum circuitus obseruare, & multo etiam difficilius euadere. Vt ergo dignoscas compositionem illarum, oportet, vt simplices ad amussim (vt dici solet) internoscas. Velut & Galenus docet (2. de Crisi cap. 9.) si enim per propria signa dignoueris tertianam puram cognosces, quod anticipiat, & non est duplex tertiana: & si tertianas singulas, quod non est quotidiana. Et in extensa, si scias, quod est tertiana, intelliges, quod non est hemitritæus. Et frigorifica non habet annotationes incompressas, vt habet hemitritræus: quia typum habet siugulo die, hemitritæus verò alternis diebus. Secunda ratio est ex similitudine, aut dissimilitudine inuasionis: nam febris si eadem sit, similes habebit inuasiones: sed si vna inuadat cum frigore, alia cum rigore, aut vna habeat longũ horrorem, alia breuem, non erit vna febris, sed duæ, etiam quod sint eiusdem generis. Tertium indicium sumitur à proportione ipsa: nam inuasiones aliæ æquales sunt, aliæ inæquales paribus anticipationibus, aliæ imparibus anticipationibus, sed proportione sibi respõdentibus: at ex duabus, quomodo vis, ordinatis, quemadmodum in astrorum motibus necesse est omnino inordinatum fieri circuitum, ergo composita febris semper erratica esse videtur: nec vnquam ordinem vllum ex tribus prædictis seruare poterit, ideò vel mediocriter exercitatum medicum, qui hæc legerit, latere non potest composita febris, aut simplex cum qua accessio fuerit. Sed neque synochus compositionem admittit, atque ideò notus: quod verò decipit medicos etiam exercitatos, præsertim, quòd quanto magis exercitati, tum ob negotia, tum ob cõfidentiam, minus animaduertunt, est in continuis quæ exacerbationes habent: nam plures esse possunt simul etiam continuè. Oportet igitur in his quod magis intersit ad salutem ægri, cum morbus sanari potest: ad gloriam autem medici, semper diligentius animaduertere exacerbationes ipsas, an sint inter se similes, & an singulis diebus: si enim singulis diebus morbus procul dubio aut compositus erit ex duabus tertianis, aut erit quotidiana continua, aut tres quartanæ continuæ: sed si dissimiles, omnino erit composita febris ex duabus continuis febribus. Et hæc omissa sunt à Galeno, cui tamen plurimum debemus: quoniam nisi ipse collegisset scripta antiquorum in vnum, fuisset labor infinitus hæc inuenire. Neque enim credendum est, libros antiquorum, qui solum exercitationi addicti scribebant, imperitè, imperfectè & inordinatè fuisse meliores scriptis Galeni, qui non

medicæ arti vacans, aut admodum rarò ex methodo quadam sua illorum scripta cum iudicio etiam non spernendo in ordinem redegit. Atque ideò in his quæ ingenio indigebant, plurimum contulit antiquorum scriptis: sicut in his quæ exercitatione constabât, corrupit: velut dissectionem & simplicium medicamentorum cognitionem atque pulsuum. Eò enim audaciæ processit, vt ingenio ac methodo illa confisus sit superare diligentiã & notitiam sensibus perceptam. Vnde errorem illum admisit, credidit etiam posse Hippocratis authoritatem obscurare: ideóque & alterum errorem commisit, illius scripta contemptim interpretando. Demum etiam Aristoteli bellum intentauit duorũ alterum sperans, aut superiorem euasurum, aut saltem tam audaci facto gloriosum, quod, vt apud imperitos aliquid esse videtur, ita cùm principia nulla constituerit ad tanti viri dogma euertendum, apud eruditos ridiculus euasit. Cum his tamen, vt dixi, omnibus plurimum vtilitatis ad artem attulit: præsertim quod dissectionem Vesalius instaurauit, & Dioscoridis libri superfuerunt: vt nihil præter pauca inuenta Marini in dissectione desiderari meritò possit, & Archigenis de pulsibus singularia. Placuit his, qui non profundius rem inspiciunt, ob quatuor causas medicis: ob ordinis claritatem, in quo fuit primus inter medicos, quod omnia etiam solus complexus sit simplicia compositáque medicamenta, physicam & chirurgiam, theoricam & principia cum practica: Prædictionem, dignotionem, curationem, sanorum & ægrorum tractationem: Tertiò quod primus etiam inter medicos cœperit insueto more philosophari: Demum ob methodum, ad quam etiam primus totam artem reduxit, & singula reliquos reducere docuit, vt medici nostri temporis hoc ipso se plus Hippocrate scire putent. Ob idque præcipuè defenditur à plerisque. Sed & grammaticis & rethoribus, & artis medicæ imperitis, ob sermonis elegantiam: imò potius floridum & abundans dicendi genus, Asiaticis peculiare. Verum ad rem redeo. Tres sunt, vt dixi, modi salutis: Repentina solutio morbi per crisim perfectam, repentina commutatio in melius per crisim imperfectam, & vt sensim tendat ad salutem, his totidem modi moriendi opponuntur, & præter hos quartus, qui frequenter (& nimio, quam vellemus, accidit) cum subito morbus absque indicio vllo crisis aut transmutationis in deterius commutatur. Vna autem est ratio mortis in omnibus, vt morbus & causæ eius, & symptomata sint potiora viribus, vt contra salutis. Vt ergo crisi eueniat, dum vires potiores sint affectibus contra naturam, necesse est, vt materia, quæ causa est tam morbi, quàm symptomatum, sit concocta, atque ideò, vt tẽpus illud expectetur, quod si crisis præcedat, multumque intersit ad coctionem, moritur proculdubio æger, si parum in deterius commutatur status ægrotantis. Vt verò non possit id tempus expectari, efficiunt tria, motus materiæ, & symptomatum magnitudo, & error in victu, vt ira & potus vini, & eiusmodi. Vndè patet, illos præclarè agere, qui cum vna sit spes vitæ producere morbum eo vsque, vt materia concoquatur, id mihi vitio vertunt, quod agam, quanquam omnes seruentur: ipsi perperam agendo tot occidant, vt carnificinam potius quam medicam artem exercere videantur. Ergo quod morbus crisi finem habiturus sit, definiendum est in genere, quod breuis ac violentus, & robustæ vires: hæc enim sunt vera indicia: de die verò natura morbi, vnde tempus etiam status aut finis incrementi: secundum est circuitus: nam in die accessionis solet fieri crisis, quanquã in quarta miretur Galenus factam crisim, sed non ne quarta potuit esse dies accessionis in morbo, cuius accessiones vehementiores fiunt diebus paribus? nec raro fit crisis in die quarta: quia fit par, sed eadem ratione, qua etiam rarius in tertia, quod nimis sit proxima initio morbi. Tertium est ex indicatione, velut in Aphorismo, (4. par. 71.) Quibus septima iudicatur, ijs qui nubeculam habẽt quarta die vrinã rubram. Et ita de sudore, sanguine à naribus fluente. Quartum est ex morbi superuenientibus symptomatibus lachrymæ, rubor genarũ, obscura illa, de quib⁹ dictum, anxietas, difficultas spirandi, inquies, æstus magnus, vigiliæ, agitatio, deliria, graues somni, dolores capitis, colli, & stomachi, id est oris, ventriculi, obliuio præsentium, ignorantia, tremor labij inferioris, murmur ventris, fastidium cibi, aurium sonitus, sensuum & totius corporis grauitas, sitis intolerabilis, exiliunt, clamant veluti furentes, accessio anticipat, rigor longè validior fit. Quintum ex anni constitutione, ex morbis, qui vagantur, quorum maxima pars incertam diem crisim seruare videtur. Si ergo quod futura sit crisis, seu bona, seu mala certus sis, & etiam de die, siquidem in principio, & in morbo calido atque acuto, fiet per excretionem, vbi signa coctionis præfuerint: si verò morbus frigidus & longa tempora ante statum, & vrinæ diu crudæ, per abscessum aut decubitum, (Vide 3 de Crisi cap. 11.) Si ergo sub crisi vrina, aut aluus supprimantur, rigor sperandus est: si superuenerit, & à suppressa vrina, & aluo, sudor est expectandus: si ab altero eorum suppresso reliquum ab vrina per aluum, ab aluo per vrinas, nisi mollis pulsus & vndosus fuerit, & exteriora maduerint: tunc enim sudor est expectandus. Quod si signis sudoris, ventriculi morsus, & tremor labij, & circa oculos tenebricosa vomitus etiam cũ sudore: raro enim solus vomitus decernit. Oportet autem spectare, quid antea inchoauerit seu pridie, seu in indicatiua de abundanti excretione alui aut vrina vel sudore, aut vomitu, aut sanguine è naribus profluente, minimum enĩ vestigium in morbo, cuius iam coctionis signa apparent sufficit. Signa verò fluxuri sanguinis iam prædicta sũt, & cum his difficultas sperandi, & pulsus magnus in ventris tẽperatura inter biliosam & sanguineam: febris continens, aut ardens, consuetudo fluxus sanguinis in patiente. Pulsus autem durus & inæqualis, vomitus est indicium in morbo ad salutem tendente. Dolores etiam capitis acres magis significant vomitum, graues sanguinis fluxũ, è naribus: atq; ea parte qua magis rubent genæ oculique, & hypochondrium sine dolore tenditur: nam cum dolore vehementi

menti significat inflammationem loci. Et si ex aduersa fluat nare, paucus effluit semper: & est potius, malum signum, quam bonæ crisis effectus. Si verò non superiora, sed lūbi doliteant, signaque adsint fluxuri sanguinis in mulieribus profluent menses propriè virginibus, in viris hæmorrhoides, & vomitus quidem manifestissima signa sunt, inde fluxus sanguinis. Vltima sunt vrinarum, cum fuerint signa, sudoris: tempus autem anni, ætas, senilis, locúsue frigidus obstiterit, aut vis sudori omnino insuetus, aut contra plurimum mingere suetus: aut cutis sicca vel frigida. Dejectionis autem alui signum vnum est deesse omnia reliqua signa & aluum iam præter solitum aliquid dejecisse. Abscessuum vero locus iam superius definitus est: & si post aures aut ad articulos futurus est, aut in ventre, & si intro: nam cum signis exitialibus erit, aut extrà, nā plerunque salutaris est, nisi profundus valdè sit, aut retrocedit.

PROGNOSTICON XL.

DEcet autem morborum semper populariter grassantium impetū considerare, nec latere temporis constitutionem.

COMMENTARIVS.

DVo cum proponat, quod principale est, omittit Galenus: sed facile est deprehendere ex hoc commento, quanquam & ex alijs etiam conjecturis, alibi ipsum hæc commentaria, dum juuenis esset, conscripsisse tanto juniorem, quanto Hippocrates ipse senior erat, dum librum Prognosticorum composuit: ideoque hoc non dicam vt mihi fidē habeant, sed vt ab illo derogent, quippe impossibile est ante quinquagesimum annum quicquam cum judicio scribere. In me autē ipso expertus sum, quanquam assiduus fuerim in studijs, quantum ponderis attulerit mihi annus sexagesimus. Vt certè tres classes librorum meorum jure merito efficere possim ante quinquagesimum annum conscriptorū, in quibus, quantumuis sit ingenij, placent tamen indigesta nimis non solum, sed immatura. Quæ verò à quinquagesimo ad sexagesimum multo meliora & grauiora: at absoluta juxta cujusque hominis mentem & exercitationem à sexagesimo ad septuagesimum vsque. Vltra autem alia nimis pressa, si quis eruditus sit, & ob id ad legendum morosa & difficilia mente multa nimis in angustum complectente plurima: plura longè postmodum imperfecta ob virium corporearum maximè memoriæ & patientiæ laborum defectum, vnde inæqualia esse necesse est, modo enim assurgit plenus, & tensus, & ornatus, ac viuax; modo languidus, & tenuis ac imperfectus, semper autem salebrosus, cujusmodi Senecæ scripta. Quòd si etiā antea deliquit in aliquo, tum maximè conspicua fiunt illius vitia, quod manifestè apparet in Senecæ cōmentariis, præcipuè vbi vitæ suæ specimen depictum reliquit, vt nil fœdius. Eam ob rem à septuagesimo anno nihil prorsus scribam gnarus virium humanarum, & ob id nunc quatuor aloanagnostas Paulum Eufomiam, Rodolphum Syluestrem, Ioannem Bordonū, & extra domum Guidum Posthumium Ferrum, vt celertter quæ desunt, absoluantur, quo tempore etiam Bononiensium conductio finem habet: & somnium ostendit, aut mortē aut saltē vitæ mutationē. Quod si superero, potero tanto melius scripta mea castigare, quo minus noua condere aptus ero, huicque negotio incumbam. Et si absoluenda erunt, pro viribus absoluam. Opponens me ex condicto ætatis vitiis: vt neque deficiant, hoc, inquam, erit difficilius, vt nec nimis sint pressa, quod facilè efficiam. Aliis autem in posterum propter ea, quæ inueni & tradidi, seu generaliter, vt Dialecticam de Vno: Hyperchen de proportionibus, de Conscribendis libris: seu in singulis artibus, vt in medicina commentarii, hi præcipuè, tum contradicentium libri, & Epidemiorum commentaria, & in Philosophia de Natura, de Subtilitate, de Rerum varietate, Theonoston etiam, ante quadragesimum annum licebit edere libros absolutos, modo hæc omnia adsint, vt si exercitatus in mathematicis: vt libros nostros diligenter legerit & intellexerit: vt veritais amorem omnibus præponat: & vt saltem premat fœtus suos in annum vnum. Sufficiet enim tot prædito auxiliis pro nouem poetæ. Sed iam ad rem. Vult (quod, vt dixi, inexpositum Galenus relinquit, & est pars principalis) Hippocrates, vt morborum popularium grassantium impetum inspiciamus: iuxta hos fiunt sex illorum differentiæ. Alij quidem lethales, vt in pestilenti constitutione tertii Epidemiorum: alii prorsus salubres, vt in prima cōstitutione secundi Epidemiorum (Sec. 1. in initio) secunda est, quod aliqui sunt longi, aliqui breues quorum exempla rursus protulit Hippocrates passim in Epidemiis. Tertia, aliqui iudicantur, aliqui non. Quarta, aliqui sunt sine recidiua, aliqui non sine recidiua, quorum clarè mentionem fecit in primo Epidem. (Const. 3.) Quinta aliqui sunt cum symptomatibus grauibus, & aliqui non, & his vel illis: aut alii cum delirio, alii cum sopore. Sexta, aliqui cum symptomatibus sub conditione velut Masculis nullis aspritudines, seu pustulæ minutæ contigerunt. Et quibus sanguis è naribus probè fluxit, nemo illorum mortuus est. De his duabus, tum tertia differentia locuples habes exemplum in secunda constitutione secunda secundi Epidemiorum (Sec. 3.) Tantum refert hoc, vt dixi, quod anno quodam Mediolani cum omnes æstate quadam cum lethalibus signis ægrotarent, nec vno aut exiguis, omnes tamen seruabantur. Ita de aliis facta coniectura, vbi ætas, habitus corporis, morbus & symptomata eadem fuerint pronunciabis ex aliorum euētu edoctus, si reliqua propria consenserint, aliter solum coniecturam facies. Habet hic textus aliquam similitudinem cum eo quod scripsit sexto Epidimiorum (Sec. 8. Tex. 23.) Morborum populariter vagantium modi ac rationes cōsiderādæ: sed hoc ibi præcipitur, hic

verò

verò iam præceptum & perceptum præsupponitur, vtque eo vtamur auxilio admonet, nam ibi vult docere, quomodo morbi populares cognoscantur, hic quomodo ex illorum cognitione de præsentibus ægris indicemus animaduertentes primum, an laborent morbis popularibus: inde etiam, & si non laborent eis, sed sint sporades aut endemii, an aliqua symptomata cū illis cōmunia habeant, namque contingit quosdam morbos esse similes in quibusdam symptomatibus, cum popularibus, aut pestiferis eorum tempore, seu quod aër plus non possit, imprimere seu ex timore & cogitatione inciderint, seu prorsus vana sit imago rei, & tamen illos non laborare pestilentibus morbis neque popularibus, quod non semel mihi videre contingit.

Nec latere temporis constitutionem.) Hæc est secūda pars, quam totē declaraui in libro cui titulus est: De Prouidentia ex anni constitutione, redigitur autem ad quinque capita: morbos qui pendent ex propria temporis natura, de quibus Hippocrates agit tertia Aphoris.(20.21.22.23.) quatuor perpetuis sententiis, & antea quod ad prædictionem attinet, & est magis ad propositum Aphorismo illo, (9) scilicet, Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maximè: ver verò saluberrimum, & minimè exitiale. Vel ex qualitate communi tam naturali præter naturam, vt ibi (15) Ex animi autem cōstitutionibus siccitates, & ibi, in siccitatibus febres acutæ fiūt. Aut ex mutatione temporum naturali: vt ibi (7.) Austri auditum hebetantes, quotidianæ autem constitutiones. Et ibi (5.) Morbi in pluuiarum multitudine: tum etiam illud (17.) Quando æstas fuerit verisimilis, & illud: (16.) In constantibus temporibus. Quarto (16.) ex mutatione temporum duorum, & expectatione tertii, quod exequitur in illo, (8.) De temporibus siquidem hyems, & tribus sequentibus Aphorismis, habes, & alios ibi, (11.12.13.14.) velut in temporibus quando eadem die: & pertinent ad mutationem naturalem. Quintum caput est, cum ex multorum temporum præter naturam se habentium præcognoscitur in extremo, qui morbi sint expectandi, vt in constitutione pestilenti tertii Epidemiorū (4.) Vult autem iam præsens esse tempus, de quo prædici debet, velut constitutionem diei, vel partis anni, vel superuenientem imbrem roridum in æstate, ex quo expectandi sunt sudores, vt secundo Epidemiorum (const. 2. sec. 3. Tex. 7.) Hæc forsan ambo quæ hic explicantur sunt quæ sub diuini nomine commemorauit Hippocrates in primo libro (Tex. 4.)

PROGNOSTICON XLI.

PRobè tamen id noscere expedit de coniecturis certis atque aliis signis, & non ignorare, quod in omni anno & omni tempore mala malum, bona bonum significant.

COMMENTARIVS.

CVm declarasset in præcedenti textu, quòd morborum vagantium impetus & anni constitutio, sunt obseruanda, ne quis crederet fieri debere, vt illis quæ iam toto libro dixit, ob id quod dixit de morbis vagantibus, parum esset fidei dandum, monet nos quod & omni anno & tempore scilicet in quauis constitutione & morborum passim vagantium, natura, & in omni regione (quod tamen ad sequentem textum pertinet) signa quæ hic connumerata sunt seu σεμεῖα sint, seu τεκμήεια, semper retinent naturam suam, seu mala sint seu bona, indicans quod licet plus aut minus significent boni vel mali, tamen genus suum retinent, σεμεῖον enim ad Latinos transfertur signi nomine, id est, quod indicat ex superficie: vt dicant, velut inspicere oculis intentis pecuniam alienam, est signum naturæ furacis: τεκμήειον autem indicium: velut si quis clam ingrediatur in domum, nec sit alia causa. Estque signum quasi certum. Dicit ergo Hippocrates, signa neque firma, neque leuia non mutant naturam suā ex bono in malū neque cōtra. Tum verò multa præter propositum adducit Galenus, verum quæ necessaria sunt, duntaxat commemorabo. In secunda Aphorism. (27.) vult non fidendum signis, quæ bona sint, si sine ratione eueniant: neque timendum, si mala sint, cum dixit: His qui non ex ratione leuius se habent, non est fidendū: neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt: plurima enim horum stabilia non sunt, neque multum durare consueuere, aut permanere. In secundo tamen libro (Tex. 56.) lenius habere inter bona signa connumeratur, & grauius difficile ferre morbum. Respondet Galenus, signa nunquam mutari, symptomata mutari, hoc intelligēs, quod symptomata eadē sūt subiectū bonorū & malorū signorum, velut difficultas spirandi sunt signa mala, si non concocta materia accidant, seu crisim venturam indicent, seu non mala sunt signa, si cocta materia iam nec ante bonam crisim futuram significabunt & liberationē, & erunt bona, cum hæc dixisset, contradicit Hippocrati, volens symptomata decretoria posse dici signa, non indicia: quia mutari non possunt. At Hippocrates nec signa nec indicia mutari posse vult expressē. Vult præterea accidentia, seu symptomata crisis non esse bona vel mala, quasi innuat, tametsi signa sint nec bona esse nec mala: ideò non mutari nec contradicere Hippocrati: sicque Galeni sententia arguta est, nec spernenda. Indicium tamen de bono aut malo semper, & necessariò dicitur: ideò nec mutari potest, nec dici de accidentibus crisis. Et quanquam hæc respōsio defendi possit, atque vtinam omnia Galeni inuenta sic possent, simplicius tamen Hippocrates est interpretandus: & est quod difficultas spirandi & rigor & delirium semper sunt mala: vincuntur tamen à signo coctionis, & etiam quia parum durant, ideo mortē non possunt significare, sed turbationem quæ sequitur, nam si omnia mala signa significarent mortem vbique, vbi mala dicit, lethalia appellasset. Et si obiicias quod sunt bona,

quia

quia significant salutem, vt videtur Galenus, quia significant crisim per quam æger à morbo liberatur? dico quod significant crisim, quæ est mala per se, sed postmodum bona fortuito, quia est iuncta cum coctione. Ergo sine tot tricis signa omnia bona in seruandis celeriorem exitum atque faciliorem tum certum, ac magis absolutum significant: in morituris serius aduenturam mortem: ita mala contrario modo. Nec qui lenius præter rationem se habent non est fidendum: quoniam lenius se habere, est signum certum salutis, si cum euidenti fit ratione, at sine illa non est certum signum salutis, in quo possis confidere, est tamen bonum. Sed videtur dubitatio magis ad rem: quia vrinæ nigræ malum signum sunt, & tamen in quartana, & morbis melancholicis sunt signum salutis. Item vrina bona, est bonum signum, & tamē in pestilentia contagiosa significat mortem magis certam, & magis propinquam quàm si mala esset. Dico quod vrina nigra est vel vt signum, & est mala semper: vel vt expurgatio, & est bona, & differunt inter se, licet sint difficiles cognitu. De peste quidam posset dicere quod non est perfecta concocta: sed & eiusmodi in aliis morbis inter bona signa numeratur, quando etiam rubra inter illas reponatur quæ tamen multo minus secura est. Dico ergo quod non propter illam significatur mors, sed propter alia. Sed rursus quomodo in statim morituris persæpe videmus mutari vrinas ex prauis in bonas: & hoc sæpe accidit. Imò accidit vnum aliud, quod multi cum vrinis concoctis ex diuersis morbis pereant: adeo vt medici arti ob id magis succenseant, quam ob aliam causam. Propterea Hippocrates non dicit, quod idem non possit quandoque esse signum bonum, & aliàs malum: sed quod non mutatur, nec ratione regionum, nec morborum vagantium, nec ætatis: neque potest esse prorsus idem ab aliis causis: sed non negat, quin pus concoctum in morbo laterali non sit bonum & in vlcere pulmonis malum, cum iam quis videtur sanus & habet leuem tussim. Ideò vrina videtur concocta: & tamen æger tendit ad mortem, quia morbus non pertinet ad coctionem: vel quia qualitas est prorsus venenosa. Vnde notandum, quod febres pestilentes aliæ sunt venenosæ solum, vt hecticæ & ephemeræ, in quibus vrina non mutatur: aliæ compositæ cum putrida, & in illis mutatur: vel si sit in alio loco, vt in phrenitide morbo laterali ideo phtisi: vel quoniam natura relinquit prorsus materiam morbi. Et ideo in his tribus casibus decipiuntur, scilicet differentia loci, qualitatis, & curæ naturæ, hoc autem maximè contingit, cum materia relinquens membra naturalia tendit ad vitalia vel animalia: & tunc mors est præ foribus.

PROGNOSTICON XLII.

QVandoquidem & in Libya, & in Delo, & in Scythia, quæ scripta sunt, apparent veridica signa.

COMMENTARIVS.

SI possent permutari talia signa, verisimile esset, vt in tanta distantia, & diuerso cœlo, in quo permutantur formæ hominum, & color, (nam Scythæ candidi sunt, Libes nigri, Græci rubri) hoc euenire deberet: quare nec per ætates, nec etiam per sæcula fiet huiusmodi mutatio. Valeant ergo medici nostri temporis, qui eò nequitiæ peruenerunt, vt errata sua excusare volentes, dicant non esse neque ætatem, neque regionem nostrā Hippocratis & Galeni similem, propterea non esse parendum illorum præceptis: quid facturi essent, si Scythiam aut Libyam incoleremus, in quibus tamen regionibus negat Hippocrates esse alia obseruanda præcepta: adducunt robur hominum, sed ostendimus supra non fuisse longioris vitæ ea ætate vel teruntio. Obiiciunt rationem victus, quæ sanè melior est: sed quid ad rem? tanto diligentius in sudandum, rectè hos damnat Vega, sed non rectè Principem, nisi credat aliam esse medicinam Principis, quam Hippocratis, & Galeni, & Oribasij atque Pauli, & Ætij, à quibus omnia sumpsit: nec aliud habet, nisi quod est paulo cultior illa, & medicamenta habet blādiora, & ordinem commodiorem, quæ omnia sunt laude digna: cætera quæ irrepserunt, fuerunt ob praua vertendi formas: vnde eximere illa oportet, non criminari authores bonos nullo vitio, nam & si quis (quod credo) addictus Arabibus, & ei impar eruditione, illum malè habuit, non dignum est ob id dignos laude viros opprobrijs & iniurijs persequi. Nam & multi Christum profitentes malè multos habent: an dignum est modò ob id Christo irasci ac Deo? Et nos nomine Galeni multi calumniantur, quos ille, si reuiuiscat, etiamsi me odisset, neque tamen talibus defensoribus vti vellet, sed potius indefensus manere: nec tales habere vltores, sed potius multū iniuriā pati. Verū Gal. hic adhuc conatur suggillare Hippocratem, quod explicauerit tres prouincias, cum vno verbo dicere potuisset, in quauis terra: sed hæc mera calumnia est: quoniam dicere potuisset aliquis meritò, qui scis tu? nam Delum inuisit, Libyā atque Scythiam peragrauit: vbi cum hæc viderit, argumentū reliquit de vniuersa terra.

PROGNOSTICON XLIII.

BEnè igitur noscere oportet, quod in ipsis regionibus, non est difficile multiplicia ipsorum consequi, si quis edifcens ipsa, rectè iudicare ac ratiocinari sciat.

COMMENTARIVS.

INtendit, vt dixi, tria in hoc fine: primum docere, quod doctrina hæc sit demonstratiua, & non coniecturalis, & probauit hoc modo in duobus præcedentibus textibus. Illa doctrina

doctrina est demonstratiua, quæ pendet ex propositionibus sempiternis, quæ non variantur, nec loco, nec tempore, nec vlla alia naturali ratione: sed signa hæc esse bona, illa mala, in morbo hoc, vel illo, vbique & semper verum est, igitur præcepta hæc de signis cōstituunt scientiam & non opinionem, & propterea respondemus rationi empiricorū, quæ à Galeno adducitur in commento, cui ipse respondet, & erat eiusmodi: Doctrina nostra sine ratione docet coniectari, & prædicere vera, vt in pluribus addita ratione adhuc remanet coniecturalis: quoniam non semper vera prædicit, medicus, quantumcunq; egregius: & hoc fatetur Galenus, qui dicit, illum qui semel errat in viginti meliorem esse, quā qui in decem, & in centum ægris præstantiorem, quam in viginti, & in ducentis quam in centum, adeò vt fateatur, vnumquenque errare. Et si dicas, non errabit in dubiis, quia nō prædicet, dicent empirici, nec etiam nos, ideo inter reliqua Galeni errata debes legere præsentiendo, non prædicendo: quoniam vt in Contradictione (4. li. 83.) Galenus gloriatur, nunquam prædicendo aberrasse. Præsentiendo necesse fuit nesciuisse saltem de multis dubiis casibus. Respondet ergo Galenus efficere rationem, vt in paucioribus aberrent: atque id verumest, nos autem superaddimus, quod ratione habemus scientiam in anima, quæ longè melior est opinione, vt in libro de Lege. Sed empirici licet de scientia non curēt: est tamen scientia per se bonum, vt habetur primo de Anima (Text. 1.) Ideo vtile est scire, quod in genere est scientia de illis: licet exercitatio non sit scientia, cum nulla sit eiusmodi, nam neque geometria dum exercetur, imo nunquam vera docet, nulla enim area est centum pedum ad vnguem: non ergo mirum si nec medicina prædicendo in exercitatione non præstat, quod à nulla scientia præstari potest. Secundum est, vt extendat quam latissimè tractationem, quod specialiter docuit in superiore textu ad ætates transferendo sexum, & tempora anni, & sæcula, & regiones, & hucusque est contemplatio & scientia, cuius etiam partem hic declarat, veluti pueri habent respirationem velociorem frequētiorem & etiam paruam seu minorem viris: si ergo puer habeat raram & tardā, absolutè erit deterius signum, longè quam in viro. Et quia hæc functio est virtutis animalis, quæ in illis est imbecillis, erit tanto deterius, & dupliciterque in viro. Et ita de pulsu: sed vna ratione tantum, quia pendet à facultate vitali, quæ in pueris est valida, in reliquis eadem ratio pulsus & respirationis, habent enim pueri pulsum minorem, velociorem & frequentiorem, quam viri: & multo magis infantes. Et ita de mulieribus: habent enim viris minores pulsus & respirationes, licet non adeò vt infantes: sed dissident à pueris in hoc quod habent rariores & tardiores, quā viri. Vt viri in his duabus conditionibus sint medij inter pueros & mulieres. Et ita de temperaturis, & Gentilibus, Gallis & Indis: & hæc ratio adhuc, vt dixi, est certa, & ad scientiā pertinet.

Tertium vero tantum pertinet ad exercitationem, quod proposuit superius (Text. 37.) & hic dum docet ratiocinari in comparatione signorum conuenientium & contrariorum, & eorum etiam magnitudinem inuicem comparare: quod indicauit in principio libri (Tex. 5.) oportet ad seipsos comparare habendo rationem ætatis, habitus, temperaturæ, & sexus: sed ætas omnibus præstat. At dices, quomodo in infante quomodo potero rectè prædicere, cum nesciat reddere rationem eorum, de quibus interrogatur? nam prædictio non præsupponit, dignotionem: medebor igitur & prædicam, vt Veterinarius de iumento. Dico quod medicus nō indiget respōso ægri, nisi de doloribus & quadā anxietate, quia difficultas spirādi cognoscitur ex respiratione & pulsu. Et cum vides pulsum paruum valde, & cum tussit, eleuatur, scias quod pectus & pulmo comprimuntur ex materia, quæ ibi est præsēs: & est certum signum. Dolores quoque cognoscuntur, ex pulsu, si vel fuerint magni vel in principe particula: sunt autem quatuor ordinum magni, qui efficiunt maiorem, celeriorem, crebriorem: sed cum perseuerauerint, & maximè in loco neruoso, aut membranoso, tendunt arteriam: & fit paruus iam creber, velox & languidus: & ob paruitatem differt à febrili, & ob distentionem etiam, tum ab eo in quo materia prægrauat: cum verò fuerit sæuissimus, iam apparet inæqualitas manifesta, & arteria tenditur, vt corda, arcus, mirum in modum, cum autem intollerandus fuerit ac perseuerauerit, fit inæqualis valdè interceptus, deficiens creberrimus, & exiguus, ac admodū languidus, ob id etiam celer esse non potest: videtur tamen tum in his, tum aliis, qui prope mortem sunt languidissimus falsa illius, & ingens celeritas: ideoque vtilissimū scitu, sed non tam facile est explicare. Ostendit autem in tertio de dignoscendis pulsibus duo esse necessaria ad cognitionem pulsuum, sensum & rationem, ratio quidem, non sensus percipit motus celeritatem: atque id ex tribus quæ à sensu ipso dignoscuntur, spatio altitudinis, arteriæ tempore ab initio ad finem motus, tū qualitate ipsius motus, inquit enim, Siquidem cum prima pars sensilis corporis, quod mouetur in primo sensili loco subsistit primo sensili tempore, tum quod mouetur corpus immobile videtur. At si prima sensilis pars in primo sensili loco, quam primo sensili tempore subsistat, breuiore tempore tum videtur moueri. Vt differentia sola sit in eo (quā primo sensili tempore) id est nondum sensili, ac, vt ita dicam, instanti, & quam minimo, tum videbitur moueri celerrime, idest eo celerius, quo tempus eius minus sensile. Supponitur verò quod vltima pars contractionis, & prima pars distentionis in nullo pulsu dignoscuntur: quoniam si non premas terminum, non assequeris, nec arteriæ imum, si premas motum impedis, idque in vehementibus, in languidis multo plus perit de motu, adeò vt ex tribus partibus motus prima & secunda necessariò pereant seu occultentur. Vnde qui pulsum tangere vult ex Galeni præcepto, quā molliter manum imponere seu applicare debet: quanto verò leuius, cum languidus fuerit pulsus: cum ergo etiam omnis languidus pulsus necessario paruus sit, & præter cætera humilis, necesse est vt lāguidus pulsus admodum in breui tēpore ob spatium valde paruum ex

duplici

duplici cauſa perficiat motum ſuum. Si igitur altitudo arteriæ magna ſit ex falſa ratione, quod tota mota ſit & totum ſpacium pulſus ſuperauerit, concludit vis illa iudicii ratione & ſenſu conſtans, velocem fuiſſe motum illum, qui in languido pulſu nec velox, nec magnus eſſe poteſt: multo minus, quam equus imbecillis currere, aut vir inualidus, puer multũ graue pódus attollere. Et de his ſatis ad dolorẽ dignoſcẽdũ ex pulſibus, cuius mira præbuimus experimenta ſæpe: quoniam quæ tradidit Galenus quarto de Cauſis pulſuum (ca. 6.) non admodum exacta ſunt ad edocendam illorum naturam in doloribus.

PROGNOSTICON XXXXIIII.

NVllius morbi nomen deſiderandum eſt, quod hic ſcriptum non fuerit: omnia enim quæ in temporibus prædictis iudicantur, eiſdem ſignis cognoſces.

COMMENTARIVS.

NVlla eſt deterior Galeni, quam in hoc commento, interpretatio: cum enim Hippocrates, vt dixi, ad omnes homines doctrinam extendere velit, & ideo etiam ad omnes morbos acutos, vel qui ex acutis pendent, Galenus vult, vt in generalibus conueniant, ſed in propriis qui hic morbi non ſunt poſiti ſolum diſſideant. Sed ſi ſic eſſet, quorſum illud (in temporibus prædictis) ſufficiebat dicere omnes acuti morbi: verum ſenſus genuinus eſt. Appoſui morbos quoſdam & proprias eorum prædictiones, vt non ſolum in generalibus, ſed in vnaquaque ſpecie morbi proprias habere prædictiones: quoniam quicunque morbi iiſdẽ diebus finiũtur, cũ eiſdẽ ſignis eaſdem etiam ſortiuntur prædictiones, velut pro acutiſſimis anginæ, quæ à prima die ad quartam interimunt: pro peracutis dolores aurium in iuuenibus, qui in ſeptima die perimunt. Pro acutis purulenti, in quibus inflammatio rumpitur in quartadecima die mortem prædixit. Pòſt agit in iiſdem in vigeſima, trigeſima, quadrageſima, & ſexageſima. Vnde notanda regula morbi, qui eiſdem clauduntur terminis, velut ileos, dolor auris, & dolor veſicæ: in ſeptima enim omnes finiuntur. Et ſicut pus album, ergo ſalutem ſignificat, ſi tempeſtiuè effluxerit in veſicæ dolore, ita in dolore auris, & ileo erit ſignum ſalutis. Demiror autem valde, quòd Galenus tam pulchram & vtilem ſententiam Hippocratis quæ vt manifeſtè videtur, claudit totum prognoſticorum opus, adeò fœda interpretatione obumbrauerit. Ex quo liquet non ſolum tractationis ratione, ſed diligentia, quam in eo conficiendo vſus eſt Hippocrates, hunc librum eſſe omnium præſtantiſſimum. Sunt enim legitimi Hippocrates libri, & de quibus non ambigẽdũ, liber de Aëre, Aquis & Locis, liber Aphoriſmorum, de victu in Acutis vſque ad partẽ de balneis ſaltem in tertio libro deſcriptam, libri Epidemiorum primus, & tertius, tũ hic ipſe prænotionum, vt à Galeno recenſetur tertio de Difficultate ſpirandi: ſunt etiam proculdubio ſui, Liber de Articulis, & liber de Fracturis, de capitis vulneribus, de vlceribus, atque de fiſtulis, & de humana natura primus, & euſque, tũ liber de humoribus: nec ſolum legitimi hi, & de quibus non ambigitur, ſed etiam penè incorrupti. Inter hos duodecim ergo nobiliſſimus eſt, atque puriſſimus Prognoſticorum liber, quem omni diligentia & procemio in principio exornauit: & in medio ſelectis ſententiis ordinatim deſcriptis locupletauit: & demum in fine amplificauit atque confirmauit, adeò vt nil perfectius vnquam ediderit, nec nobilius quicquam editũ eſt ab orbe condito, quod ſcripſiſſe crediderim, vt ſuperius dixi, ante ſeptugeſimum, cum adhuc floreret in patria, ſicut Aphoriſmos iam penè decrepitus: nec tam pulchrum opus potuiſſet tunc edere, ſed ſelegit ex omnibus iam ſcriptis, quæ apud ſe habebat in exilio tum & mendicus. Primam tamen partem, & tertiam, & quintam, cum adhuc floreret collegiſſe exiſtimo: quandoquidem hæ multo reliquis ſint ordinatiores. Nec ob id à legitimis librum de Alimento, de Flatibus, de Glãdulis, & primum de Morbis, de ſeptimeſtri atque octimeſtri partu reiicio, vt neque librum de Viſu. Paulo magis dubii ſunt, liber de internis affectionibus, & ſecundus de Diæta, & liber de Medici vulnerarii munere, cum ſeptẽ primis illis ad inſtruendum medicum conſcriptis. Poſt quos eſt liber de natura pueri, de ſemine, de natura muliebri, de morbis mulierum, ac de ſterelibus, ſecunduſque ac ſextus Epidemiorum. Sed de hoc aliàs, & accuratius. Reliquum eſt, vt doceam in caſibus dubiis, quid agendum, velut mihi, cum vocatus eſſem Mutinam à Cardinali Morono, quem honoris cauſa nomino, non adeò firma erant ſigna ſalutis, vt auderem mittere ſanguinem, nec tamen omnino conclamatus videbatur: abſque ſanguinis miſſione ſeruari non poterat, aderant duo medici inſignes Mutinenſes, Pius Iaſſonus & Aurelius Stagnus, qui mittere ſanguinem voluerant, ſed ille non paruit: facilè ergo mihi fuit prædicenti omnino mortem, ſi ſanguis non mitteretur: nec tamen ſecurum eſſe de vita, ſi mitteretur obtinere vt mitteretur. Erat febris biliosa, concluſa ex ſanguine corrupto cum exacerbatione veſperi ſingulis diebus, ſed alternis magis frigebant pedes & crura vſque ad genua, nec recaleſcebant, inquies, ſitis, biberat etiam vinum: ventriculi imbecillitas, quæ tum obſcura cum eſſet, manifeſtior facta fuit, & Autumni initium, ætas quinquaginta ſex annorum, proceræ ſtaturæ, temperatura ſanguinea & biliosa, podagræ nonnunquam obnoxius, & pituitæ à capite deſcendenti. Euaſit itaque auxilio ſociorum medicorum ac noſtro, erat enim alter eorum ſeptuaginta quinque annis natus, alter quadraginta, & vterque præſtans vt prædicendi ratio, & curandi minimè difficilis eſſet, at in cæteris cum in tui cura æger fuerit & nobilis, duo grauia incumbunt. Primum ſi curaueris, & pereat, non præuidiſſe videris, ſi non curaueris & ſanetur, pro ſtulto habeberis, & eris odioſus. Alterum quòd ſi ſocium voces, timorem fateberis, atque illi cedes: ſi non vo-

ces, aut serò, & moriatur, illius mors temeritati tuæ imputabitur, quod si vel te nolente vel etiam consentiente improbus socius aduocetur, periclitaris. Sunt autem improbi fermè omnes nostra ætate, adeò vt nihil peius excogitari possit: præstaretque longè nullos esse medicos quam huiusmodi, quales nunc sunt, fueruntque iam multis annis summè auari, ambitiosi, imperiti, crudeles, maligni, mendaces, impudentes, stulti, impii, vt qui nihil credant instituti illa vulgati philosophia ac falsa Peripateticorum, non quidem Aristotelis, quem, vt reliqua bona, à limine vix salutarunt. Sed Alexandri Aphrodisiensis, & Auerrois Arabis, atque huius tanti mali causa duplex est: vna quod premia accipiunt tam pro morituris, quam his qui salutem adipiscuntur: altera est, quod ob studia litterarum omnes medici nunc sunt rationales, qui degenerant in empiricos, hoc genus pessimum est, versutiam habens rationalium, & imperitiam empericorum. Optimi enim medici sunt rationales, sed qui in empiriam non degenerant, inde empirici, faciles, & probi, qui quouis manu ducti ad salutem ægri aspirant & sequuntur. At rationales, qui in empiriam degenerant: hi pessimi sunt, & omni nequitia pleni, degenerant autem præcipuè ob duas causas: vna, quia solum initia bonarum disciplinarum attigerunt, prorsus à mathematicis alieni, & in philosophia, & in medicina, parum admodum instructi, sed calliditate sophistica exulceratam tot modis animam plenam habent: altera est segnities, & auaritia, vellent enim paucis & rudibus præceptis artem medicinæ concludere, vnde etiam olim rationales in methodicos, qui se medicinam totam sex mensibus docere posse gloriabantur, cum ars maxima sit, teste Hippocrate, & in empiricos, qui & ipsi paulo maiore spacio in medicos euadebant, diuisi sunt. Si ergo anceps tibi casus adueniat, nec possis signa, quæ hic descripta sunt, quantum necesse est, deprehendere, communia inspice, & obserua tanto diligentius: inde tempus interpone saltem duorum dierum, antequam pronuncies, quod si dolum, aut vafriciem socij, aut impeditum negotium videris, suspicarisue, dimitte, & ad alios te conuerte. Sed si dimittere non potes, tutius est in potentibus socios aduocare, nam & sapientia medicus præcellere debet, cum solus est: & prudentia cum socijs iunctus. Vt verò res in promptu sit, exemplo satisfaciam. Assumam autem phreniticum, ne videar in vnum morbum lateralem cum alijs omnibus, quasi nullus alius exemplo idoneus sit, impingere. Supponatur igitur iuuenis, annos natus triginta duos, ex familia, quæ soleat vltra octuaginta viuere, temperaturæ sanguineæ, biliosæ, impiger & assuetus ad labores, moderati cibi, boni habitus, & sani, tempore Autumni, ex immodica exercitatione scilicet itinere aliquot dierum cum pauco somno, cibo & potu plurimo præter consuetudinem, visum sexta iam ante die correptum magno rigore, & febre, cum grauitate lumborum & colli, & capitis atque dolore tum ceruicis, ac lassitudine totius, vt ex fatigatione sæpe accidere solet, vomuisse prima nocte omnia, quæ in cœna assumpserat vocatum deinde medicum vesperi, exhibuisse succi ptisanæ modicum, aut seminum peponum: secunda die manentibus non solum doloribus, & grauitate, sed superauctis velut prouidum, sed timidiorem misisse ex communi vena lateris dextri libram vnam sanguinis: alleuiataque symptomata, cum in tertia rursum intenderint, & in quarta delirasse valdè, & vigilasse, extrema riguisse, & tremuisse totum corpus, ac si conuelleretur, exiluisse atque clamasse: & pulsus celer atque creber, paruus & durus, parumque vndosus cum hoc: & color faciei factus est flauus, & antea erat ruber irascebatur, & mœrebat absque causa, & dolor capitis grauis & vehemens, tum oculorum, eorumque rubor, & non poterant sustinere luminis aspectum, cumque hæc præcessissent, dolor deductus est quasi in locum, vbi caput in posteriore parte collo iungitur: iam cœperit claudere oculos, & manibus quærere culcitram, & ad se trahere, & vellere pilos, & oculi facti sunt sicciores, nisi quod lachymula fluit ex dextro oculo, exempli gratia (Paul. libro 3. cap. 6.) totus tamen oculus aridus est: non tamen facies intumuit, nec oculi prominent foras: lingua quoque pallida, arida & aspera, spiratio magna & rara, è naribus in quinta modicus profluxi sanguis: vrina præcessit quasi alba, tenuis & pauca, cum antea esset perturbata: (4. Aphor. 70. & 71.) Deiectiones quoque alui liquidæ & parum coloratæ, ante quartam diem fuerant post sub ipsa quarta repente astricta fuit aluus: febris autem acuta, & delirium perpetuò perseuerarunt (Rasis 9. ad Alman. cap. 3.) Rediguntur autem hæc omnia ad quatuor, ad signa sumpta, à Cæsione operationũ, ab excrementis, à dolore & à qualitate mutata. Et omnia rursus in hoc conueniunt, quòd sunt propria, vt simul accepta conueniant omni & soli, seorsum autem singula omni aut soli, nã vnum inuenire signum in morbis, quod per se solum conueniat omni, & soli non licet: quanto minus omni soli & semper. Cum verò rogatus esses in sexta, vt prædiceres, an moriturus esset, an euasurus, & quando, cumque videretur satis rectè curatus, ab alio medico vsque ad eam diem, tempus vnius diei naturalis postulare debes, & quandoque vsq; ad tertiam diem, quandoque vsque ad sequẽtem diem iudicatoriam: nonnunquam necessarium est, expectare per plurimos dies iudicatorios, sicut præcepit Hippocrates supra: sed saltem dieculam vnam, vt dixi (Tex. 6. 8. & 9.) integram expectare oportet, vt habeas tempus considerandi: & vt videas mutationem aliquam vel ad accessionem, aut exacerbationem, aut ex illa: vnde vides quod antequam debeas cogitare de colligendis signis ad prædicendum, necessarium est, vt scias res omnes naturales: inde morbum per signa morbi seu morbos, hic enim duo sunt morbi generalis, & febris, quia præcessit phrenitim, & ipsa phrenitis: & primus morbus est computandus à prima die, secundus à quarta: & sic in sexta erimus in tertia, & vnus est par, alius impar. Tertiò oportet cognoscere causas morbi: quoniam à magnis causis magni morbi proueniunt: à paruis, si magnus morbus succedat, significat cacochymum corpus, & facile paratum ad morbos. Quartò oportet vt sit probè

probè curatus, nam si fuerit malè curatus, diiudicabis moriturum, & facile sanabitur: quod mihi ter euenit Bononiæ, cum tamen abstinuissem à prædictione: nam sola mutata victus ratione, & sublatis quibusdam emplastris, ventri appositis calidis & astringentibus, & vetitis medicamentis euaserunt omnes à dysenterijs deploratis cum essent sine voce, sine pulsu, & frigidi exterius, interius vrerentur, solo adhibito iure pulli ex endiuia incocta: contraria ratione si in aliquo appareant signa salutis. Medicus autem apponat emplastra eiusmodi: Det medicamenta, secet venã, importunè exhibeat vinum, oua, carnes, ac sua contusa, nonne moriente ægro falsus in prædicendo videberis? Et si dicas, Hippocrates non meminit huius quarti præcepti hic: dico, quod accidit Hippocrati in hoc idem, quod Romanis in parricidio: nonnullam legem contra ipsum constituerunt, existimantes eo haud progredi posse humanam impietatem: ita neque Hippocrati in mentem venire potuit, vt eo amentia cuiusque medici progredi deberet. Propterea dixit in primo de Victu in acutis, Erasistratus in primo de Febribus euidenter docuit mentem Hippocratis, vt qui paulò pòst illum secutus sit, de his quæ manifestè lædunt ægrotantes, postquam eos percurrit, qui longis inædiis ægros conficiunt: & qui vt Petreonas, vinum, & carnes exhibebant, subiicit: In multis igitur valdè magnis plagis decidebant: si autem febrientes omnes ex tali curationis modo malè liberarentur, qui ita curabant, à curatione destitissent. Sed hæc authoritas vt pleraque alia perperam interponitur à Galeno, cum sit extra diuisionem & quæstionem Hippocratis. Quærit enim Hippocrates ex tribus, quæ in controuersiam vertebantur, quidnam melius esset inter tua illa, scilicet, vti tota ptisana, vti solo cremore, vel nihil dare prorsus? Igitur illud de Petreona est extra controuersiam: & omnino extra cogitationem Hippocratis. Ergo vbi nactus fueris, ægrum in manibus mali medici, aut perperam curatum, dicas te non solere prædicere de ægris alienis, ad eum spectare reliqua qui curauit: ita iniuria illum non afficies, & suo cœno eum obrues. Sed si rectè curatus sit eo vsque, & medicus probus sit, ita exordieris institutionem ad prædicendum. Primum inspicies nares, frontem, aures, colorem faciei: oculos autem diligenter: si promineãt, si caui sint aut distorti, aut dum dormit alba eorũ appareãt, si sicci, si quasi sine lumine, si lachrymentur, si lemæ in eis, si non vident, si lucem intueri nequeunt, si toruè intuentur, dentes si aridi sunt, si strident: inde contemplaberis spirationem subtiliter, & cum ea pulsum, quæ enim diuersitas est inter spirationem & pulsum ad facultatem aut functionem animalem pertinet. Pòst tentabis totum ventrem vsque ad pubem, an tabefactus, an tumor in eo vel tensus, aut dolor, ant pulsatio, vel aliud inflammationis signũ velut calor, an aqua intercus: scies an genitalia & testes contrahantur. Manus an colligat festucas, an vellat culcitram: præsertim oculis clausis, aut aliò conuersis: an vngues illarum & pedum liuidi sunt, an nigri, an partes ipsæ frigeant, adeò verò refert hæc dignoscre, vt illos mori pronunciauerim, in quibus non potuerunt recalescere. Inde iube illum se conuertere, si leuiter id agat, valde bonum, si grauiter valde malum: & si totum frigeat, cum sitiat vehementer, nec sit accessionis principium, inspice decubitum, qui si multum à naturali abhorreat, nec dolor, aut æstatis calor vrgeat, valdè malum est, contra in latus decũbere contractum cum labore interiturum in lethali morbo significat. Supinus enim moritur homo, quadrupes in latus decumbens. Inde de somno interroga, & sudoribus, & vomitu: vocem, an rauca sit, animaduerte: potũ exhibe, & an sonitum demittendo faciat, perpende. Vide deiectiones & vrinas, si concoctæ sint. Vlcera externa an sicca fiant, an liuescant: an dolores mutentur, morbi etiam circuitus, & dies iudicatorios animaduerte. Demum symptomata partium, eaque ad naturales causas diligenter comparabis, & si morbus aliquis naturalis præterea adsit, vt puerperium, ortus dentium, variola morbillus, vel familiaris, vt fistula, fons hæmorrhoides, scabies, lapis, vesicæ ramex. Post hæc ad proprium morbum & illius propria signa te conuertes, velut enim in latherali morbo sputum, ita hic quæ à capite & naribus descendunt, considerabis: quæ si concocta fuerint, spes est sanationis: si cruditas tota spes in productione morbi, si peruersio in coctione, coloresque mali, nec si breui duret, nec si diu seruari poterit. Similiter animaduerte an extrema frigeãt, ac corpus ingrauescat, an pulsus languidus euadat, an catocham decidat, an inarescant oculi, an delirium perseueret, quæ omnia cum fuscis vrinis semper se mutuo comitari solent: pronunciabisque tutò de morte, non magis sublata spe salutis, quam in eo qui iam anno præterito obierit. Semper autem proprij morbi signa, id est, phrenitidis maximè, minus tamen peripneumoniæ & morbi lateralis communis morbi, id est, febris tam ad salutem, quam ad mortem præferes, adeò, vt si muci concocti sint, & quæ ex palato descendunt, nec circa oculos, signa mala phrenitidis, vrinæ tamen crudæ, & febris vrens, multo minus malum sit, quam si febris mitescat, vrinaque concocta planè sit: muci autem fusci aut virides, & ichores puris loco, sed caue ne pituitam putridam loco excrementi resudantis ab inflammatione, quæ nulla sit, accipias: Sex sunt præterea signa mortis extra ordinẽ, contractio maxillarum, oculus toruus, casus pollicis, singultus in fine febrium, dolorque ventriculi, aut pectoris. De die autem & hora mortis scire decet, omnes ægros mori in accessione vel exacerbatione, si morbus habeat alterum eorum: si non moriuntur in die iudicatoria, vel si vires sint imbeilles ante illam, vt in sexta, sed si habeant accessionem vel exacerbationem, semper moriuntur in illa: quia dies iudicatorij & declinatio semper sunt partes illarum, quando morbus est lethalis. Sed si causa sit potentior morbo, moriuntur in initio accessionis: & videtur quandoque quòd sit antè, sed non est: quia anticipat: si morbus & sym tomata sæua & vires imbecillæ in augmento: si minus, & vires validæ satis in statu: si vires imbecilles, & causa non sit timenda, & morbus, & symptomata mediocria in

in declinatione, quæ in morbo lethali extenditur, vsque ad aliam accessionem seu exacerbationem. Hippocrati autem sufficit, vt prædicat moriturum aut sanandum, & intra duos dies criticos, vtpote septimum & vndecimũ: vel intra circuitum, vt intra septimum & nonum. Sed in diuturnis exactius vult posse prædici, vt in sexagesima, octuagesima, centesima: quia nulli sunt dies iudicatorij, neque circuitus in intermedio tempore: ideo non potest exacerbari morbus, nisi in huiusmodi diebus, si non error intercidat: & ob id non adeò credendum est Galeno, qui gloriatur se hoc docere nam eiusmodi cognitio de die & hora ad vnguem vltra dies per quaternarios numeratos in acutis est cognitio, quæ est similis cognitioni gemmariorum de gemmis, quæ nullis regulis contineri potest, nec vllis verbis scribi: ideò suprà dixit Hippocrates de Angina loquens (lib. 3. Text. 16.) Hæ enim strangulant eodem die, & secundo, & tertio, & quarto, quasi modò intra primum quaternarium pereat, nullus sit præfixus dies. Sed quando æger moriturus est intra paucas horas, supinus iacet, spiratio crebra, & breuis, & forsan audiatur rechmon: non videt, non audit, non intelligit, motus habet conuulsiuos: de cætero aut non mouetur, aut contigit, vt dicunt festucas, oculos habet semiclausos, facies qualis dicta est, pulsus nullus aut exilis admodũ, lãguidus & (vt dicitur) formicans, cutis arida, aut sudor cũ guttis, spiritus frigidus & putridus. Cum verò morbi, qui concoctione terminantur, iidẽ etiam ex putredine geniti sint, & per se certo dierum numero finem accipiant: qui numerus ad crisim pertinet, & nisi impediatur natura, forsan omnes stato circuitu per crisim terminat, quanquam Galeno aliter visum sit, concordes tamen sunt in hoc de numero illo dierum præfinito, qui (vt dixi) maximus est centum viginti, nisi quid violentum ingruat, atque hic humor cum putridus fit, aut cordi noxam communicat, & per illud toti corpori, vocaturque febris, aut in vnam partem decũbit: qui vero putridus non est, cum immutare cor non possit, morbum efficere verè toti communem corpori non potest, sed velut resolutionem, dolorem atque huiusmodi, quæ ex materia non putrida fiunt, atque ita fluxiones: alios autem morbos generant intemperies absque materia, & duo hi morbi pariter erunt expertes circuitus, & dierum iudicatoriorum: nam putredine carent. Vnde cum nullum præfinitum tempus habeant, nulla est illorum prædictio, nec de illis Hippocrates agit, etiam si sint acutissimi, vt attonitus morbus, aut in acutorum genere, & breues ac violenti, & persæpe lethales, vt coli dolor, & cholera, seu diuturni, vt hydrops, morbus regius, calculus renum: sed istiusmodi ad præstantiam medici pertinent, cum non per se sanentur, sed quemadmodum luxata auxilio, medici indigent, in his tamen omnibus est prædictio, sumpta à generalibus signis, velut facie, oculis decubitu, spiratione ac pulsu, tum sudoribus frigidis ac liuore extremitatũ. Dolor tamen peculiarem quandam habet prædicendi rationem, cum enim fuerit magnus, quamdiu durat, signa affert praua, & sæpe lethalia, vt sudorem frigidum, pulsus, casum, cõuulsionem, quæ dolore recedente discedunt, quamobrem in hoc considerare oportet, an causam tollere liceat ante mortis aduentum. Ergo cum duo sint genera morborum habentium circuitum, in quibus prædictione vtendum est, alterum non habentium, in quibus auxiliis, medici vnum neque norunt, neque neque curant, alterum non præstant.

FINIS.